N. Alejandro

7 I

419

595

Reg. nº 4003.

AD R. P. NATALIS

ALEXANDRI

O R D. P R Æ D.

HISTORIAM ECCLESIASTICAM

SUPPLEMENTUM

DUAS IN PARTES DISTRIBUTUM

IN QUARUM PRIMA

OPEM FERENTIBUS VIRIS ERUDITISSIMIS ALIQUOT TRIDENTINI CONCILII DECRETA ILLUSTRANTUR ET VINDICANTUR:

IN ALTERA

DISSERTATIONIBUS HISTORICIS

Res Ecclesiæ et Imperii Sæculorum XVII. & XVIII.

QUÆ IN EA HISTORIA DESIDERANTUR,

Recenſentur & ad noſtra uſque tempora perducuntur.

TOMUS PRIMUS

CONTINENS

SUPPLEMENTI PARTEM PRIMAM.

BASSANI, MDCCLXXVIII.

SED PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

ALEXANDRI

NATALIS

HISTORIAM ECCLESIASTICAM

VETUS TESTAMENTUM

DUAS IN PARTES DISTRIBUTUM

IN QUARUM PRIMA

OPEM FERENTIBUS VIRIS ERUDITISSIMIS ALIQUOT TRIDENTINI CONCILII DECRETA ILLUSTRANTUR ET VINDICANTUR:

IN ALTERA

DISSERTATIONIBUS HISTORICIS

Res Ecclesiæ et Imperii Seculorum XVII. & XVIII.

QUÆ IN EA HISTORIA DESIDERANTUR,

Pertractantur et ad regulas rectæ criticæ revocantur.

TOMUS PRIMUS

CONTINENS

SUPPLEMENTI PARTEM PRIMAM.

PARISIIS, M.DCC.LXXVIII.

SUMPTIBUS AUCTORIS

VENETIIS APUD REMONDINI.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

IN OMNIUM NOVISSIMAM ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ P. NATALIS ALEXANDRI

ORDINIS PRÆDICATORUM

NUNC PRIMUM AD NOSTRA USQUE TEMPORA PERDUCTÆ

EDITIONEM PRÆFATIO AUCTORUM SUPPLEMENTI.

NOVUM prorsus atque utile præsertim decus huic omnium postremæ Editioni viri longe doctissimi P. NATALIS ALEXANDRI *Ecclesiasticæ Historiæ* pararemus, id esse tentandum exsequendumque cum primis judicavimus, quod frustra hactenus præclari Operis studiosi quotquot flagitarant. Hi nimirum cum P. Constantini *Roncagliæ*, & P. Joannis Dominici *Mansii*, dein Archiepiscopi Lucensis, hominum eruditissimorum Animadversionibus ac Notis satis sibi esse factum pro sæculis ab Auctore descriptis adprime intelligerent, id unum ægre ferre videbantur, in magno scilicet rerum Ecclesiasticarum Thesauro cum aliquot Tridentini Concilii, cujus Historiæ defensione idem absolvitur, Decretorum illustrationem, tum rerum Ecclesiæ sæculorum XVII. & XVIII. enarrationem desiderari. Hinc optabant ut prodiret tandem Editio, quæ utrumque complecteretur. Nec id vero injuria; sic enim fiebat, ut & Opus eximium iis esset ad manus quoquo modo absolutius, & alio sibi haud esset confugiendum, ut haurirent historiam annorum vix præteritorum, imo præsentium, quam optare cupidius homines plerumque solent.

Igitur ut æquis horum votis nostra hæc Editio responderet, doctorum virorum exploratis consiliis, & subsidiis impetratis, novem jam in Typographio Remondiniano procusis Historiæ NATALIS ALE-

XANDRI voluminibus cum integris prorſus laudatorum *Roncagliæ*, & *Manſii* Animadverſionibus & Notis, duo alia volumina, ſive *Supplementum* addidimus, hac epigraphe prænotatum : *Ad R. P.* NATALIS ALEXANDRI *Ord. Præd. Hiſtoriam Eccleſiaſticam Supplementum duas in partes diſtributum, in quarum prima opem ferentibus Viris eruditiſſimis Concilii Tridentini Decreta aliquot illuſtrantur & vindicantur; in altera Res Eccleſiæ & Imperii, quæ in ea Hiſtoria deſiderantur, recenſentur, & ad noſtra uſque tempora perducuntur.* Sed de utraque Supplementi hujuſce Parte operæ pretium erit quædam vere ſincereque omnino præfari.

Atque ut primæ Partis ratio conſtet, primo loco Franciſci *Veronii* Theologi Pariſienſis ſatis noti libellum vulgavimus inſcriptum *Regula Fidei Catholicæ, ſive de Fide Catholica*, quem e gallicis primum latinis redditum litteris viri præclariſſimi Adrianus, & Petrus fratres de *Walenburch* ad calcem Tomi II. Controverſiarum fidei ediderant. Nam quum diu multumque immortali in Opere ii deſudarint, ut quam injuſte Proteſtantes a Romana Eccleſia ſeceſſionem fecerint, edocerent, oſtenderentque quid tanquam de fide catholica tenendum ſit, quidve, ſalva hujus integritate, ſit adhuc obnoxium diſputationibus Theologorum, non poterant præclarum faſtigium Operi impoſituri opportuniorem *Veronii* elucubratione libellum ſeligere, in qua nempe ex inſtituto eadem res agitur, præcipueque monſtratur, quid tanquam fidei dogma in Synodo Tridentina propoſitum fuerit, & ſtabilitum. Idem nobis ejuſdem Synodi Canonum illuſtrationem præ oculis habentibus conſilium fuit. *Veronii* elucubrationem ſequuntur *Vindiciæ Librorum Deutero-Canonicorum Veteris Teſtamenti, in quibus Traditionis & Concilii Tridentini mens de eorumdem auctoritate accurate elucidatur.* Etſi enim plurimi, ipſeque NATALIS ALEXANDER hujuſcemodi librorum cauſſam ſtrenue egerint, neminem tamen harum Vindiciarum Auctore ſolidius id præſtitiſſe rerum periti facile judicabunt. Sunt autem ſcriptæ cum adverſus Proteſtantes, tum peculiariter etiam contra Abbatem *de Longuerue*, qui gallica Diſſertatione in vulgus ſparſa oſtendendum ſuſceperat Veteris Teſtamenti Libros Deutero-Canonicos non eſſe ejuſdem cum Proto-Canonicis auctoritatis, & divinam hanc prærogativam a Synodo Tridentina eiſdem tribui nequiviſſe. Prodiere hæ Vindiciæ Pariſiis an. 1730. Auctore Joſepho *Barre*; cumque in Italicis Bibliothecis haud frequentes eſſent, heic eaſdem eſſe recuſas geſtient qui ſunt de ſacrarum Litterarum dignitate auctoritateque ſolliciti. Æque iiſdem probabitur, quæ proxime ſuccedit Diſſertatio *De Legali Paſchate a J. C. peracto* ad eorum defenſionem, quæ

habet

habet Concilium Tridentinum Seſſ. XXII. Hanc adverſus Bernardum Lamium, & P. Tourneminium olim habuerat Auguſtæ Taurinorum P. Nicolaus Auguſtinus *Chignolius* Ord. Præd. in Regio Athenæo ſacrorum dogmatum Profeſſor, vulgaveratque in Prælectionibus ſuis, ex quibus tamen ea ſolum decerpta ſunt, quæ Patrum Tridentinorum mentem conſiliumve tuentur. Quum autem ubi a Theologis diſputatur de amore Dei in Pœnitentiæ Sacramento requiſito, mire nonnulli eorumdem Tridentinorum Præſulum ſenſus verſare ſoleant atque pervertere, ut rem graviſſimam non ita multis expediremus, libuit primum apponere Chriſtiani *Lupi* dogmaticam *Diſſertationem de germano, ac avito ſenſu SS. PP. univerſæ ſemper Eccleſiæ, ac ſacroſanctæ præſertim Tridentinæ Synodi circa Chriſtianam Contritionem & Attritionem*, ejuſdemque *Lupi Epiſtolam Familiarem* ad Henricum *Noris de Chriſtiana Contritione*; tum Tractatum ſubjicere magni Meldenſium Epiſcopi Jacobi Benigni *Boſſueti de Doctrina Concilii Tridentini circa dilectionem Dei in Sacramento Pœnitentiæ requiſitam*. In hoc ſiquidem Tractatu Auctor doctioribus veteris memoriæ Epiſcopis merito comparandus, omne ſtudium operamque contulit, ut ſacroſancti Concilii Tridentini expreſſa Decreta quanta fieri poterat brevitate, ac ſimplicitate ſermonis accuratiſſime exponerentur. Denique cum plura inter commoda ac bona, quæ ex eodem Concilio Eccleſiæ obvenere, illud haud poſtremum nec vulgare ſit, quod ejus juſſu celeberrimus ille Catechiſmus prodierit, qui *Romanus* appellatur, viſum primo eſt, quæ ad hujus auctores ſcriptoreſque pertinent, ex libro declarare *De Claris Catechiſtis* Andreæ *Serrai*, qui in id operis diligenter inquiſivit; tum ad ejuſdem Catechiſmi vindicandam auctoritatem, Diſſertationem adjungere Antonini *Reginaldi* juxta completiſſimam Neapolitanam Editionem an. 1665. Non plura in hanc primam noſtri Supplementi Partem ingeſſimus, quæ ob delectum atque præſtantiam æquos doctoſque viros magni eſſe facturos non dubitamus.

Jam ut de altera eaque longe potiori Supplementi noſtri Parte nonnulla quoque breviter Lectorem doceamus, in illa novem Diſſertationibus Hiſtoricis res Eccleſiæ & Imperii comprehenduntur, quæ memoratis duobus XVII. & XVIII. ſæculis contigerunt. Actum in prima *De Romanis Pontificibus* uſque ad Pium VI. cui felix diuturnumque imperium auguramur. Cumque geſta Romanorum Pontificum, ſi paullo fuſius præſertim fuerint perſcripta, potiorem Eccleſiæ Imperiique Hiſtoriæ partem exhibere ſoleant, hinc ob rerum varietatem & copiam prolixior cæteris hæc evaſit Diſſertatio,

imo adeo ampla, ut ad inſtitutum fere ſufficere videretur. Ciacconiani Operis Continuatorum, aliorumque Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ recentium Scriptorum, in ea contexenda, ut & in aliis Diſſertationibus, ſubſidio fuere commentarii, ſic tamen ut ex his quædam non magni momenti prætermittere, quædam autem locis opportunis addere haudquaquam religioni Auctores duxerint. Quaſdam etiam Vitas Pontificum Romanorum ſeparatim a probatis Scriptoribus commentariis expoſitas, in hanc Diſſertationem conjectas videas, uti Clementis IX. Innocentii XI. Benedicti XIII. Et Clementis IX. quidem Vitam jam prælo paratam ſingulari prorſus liberalitate communicavit Præſul hoc in ſcribendi genere laudatiſſimus Angelus *Fabronius*, Piſanæ Academiæ Curator, cui etiam Clementis XII. Vitam debemus, heic quoque integram pene recuſam. Innocentii XI. Vita virum politiſſimi, elegantiſſimique ingenii Philippum *Bonamicium*, Romano Pontifici a latinis epiſtolis, auctorem habet: Benedicti vero XIII. Alexandrum *Borgiam*, doctiſſimum olim Firmanorum Antiſtitem. Etſi vero hæc Pontificalis Hiſtoria ſatis ſuperque ad propoſitum, ut diximus, videri poſſet, quod erat nimirum, ut qui hanc ſibi comparaturi eſſent Editionem, temporum hiſtoria non carerent a Natali prætermiſſorum; quo tamen cumulatius res urgeretur, aliæ Diſſertationes adjectæ ſunt. Hinc in ſecunda cum Auctoribus *Galliæ Chriſtianæ* pertractatum eſt *de Miſſionibus ſacris ad exteras gentes a Gallis inſtitutis*, ut clarius paterent dicenda in tertia & quarta; nam in illa ex Mamachii *Chriſtianis Antiquitatibus* actum eſt *de Propagatione vicibuſque Religionis Chriſtianæ*; in altera *de proſcriptis Sinenſium Ritibus*, Appendice adjecta monumentorum. Agitur in Diſſertatione V. *de Hæreſibus Erroribuſque*, in qua etiam quæ ad Petri *Jannonii* hiſtoriam pertinent, haud deſiderantur. In Diſſertatione VI. *de Conciliis* aliquot Synodorum provincialium & particularium ſanctiones percenſitæ ſunt. Quid egerint Romanæ Sedis Epiſcopi pro doctrina catholica ſarta tectaque conſervanda comprimendaque luxuriantium Caſuiſtarum effræni licentia declaratum eſt in Diſſertatione VII. *de Eccleſiæ doctrina præſertim morali*, in qua dictum etiam de fatis eorumdem Caſuiſtarum in Galliis, propoſitis ad calcem graviſſimis animadverſionibus, quæ cauſſas aperirent ingentis numeri mollioris doctrinæ magiſtrorum, qui duobus jam abhinc ſæculis tanquam Ægyptiacæ ranæ in Eccleſiam incubuerunt. Diſſertatio VIII. circa *Controverſias* verſatur; cumque omnes haud comprehendi poſsent, ut quiſque facile concedet, quaſdam autem omittere prudentis animi conſilia neceſſitaſque compulerint;

lerint ; nam quominus de iis diceretur nonnullorum ſtudia atque conatus evicerunt ; hinc ad aliquot tantum concertationes Diſſertatio coarctata eſt, ac primo diſputatum de exitu Controverſiarum *de Divinæ Gratiæ Auxiliis*, oſtenſumque nullum emolumentum ex impoſito a Paulo V. ſilentio doctrinæ Moliniſtarum acceſſiſe; multoque minus peti inde argumentum poſſe levitatis rerum, quæ tunc temporis fuere diſcuſſæ, ita uti nonnulli Theologi quotidie ſcriptiptant, ſi tamen hoc nomen merentur, qui de graviſſimis rebus ita dijudicant. Hæc conſequitur *Hiſtoria diſſidii litterarii* circa ſtudia Monachorum, quod habuit Joannes *Mabillonius* cum Armando *Buthilierio*, a Vincentio *Thuillier* aſceta Benedictino concinnata; ac poſt nonnulla alia, Diſſertatio iſthæc concluſa eſt oſtendendo, quantam puritati religionis labem inurere tentet quæ ſuperiore ſæculo, & eo quod nunc labitur ad ſenium properante, plurimorum animos novitas occupavit, *Cultus* nimirum *carnei Cordis Jeſu*; qua de re nuperrime Romæ maxima contentione animorum decertatum fuit. Denique in Diſſertatione IX. *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ſupra centum inſignium virorum Elogia concluſa ſunt, eaque illorum Opera indigitata, ex quibus præſertim inclaruerunt.

Hæc præfari neceſſario debuimus, cum ut ſuſcepti Operis ratio conſtaret, tum ut rerum eccleſiaſticarum ſtudioſos non lateret, nihil eſſe in hac Editione prætermiſſum quod ipſi optarent, quodque illam cæteris jure ac merito præferendam eſſe perſuaderet. Sane eam, quæ typis Pezzanæ prodiit, ampliſſima exornatam epigraphe, illico excuſſimus ; at nihil inde extundere potuimus, quo noſtra ditaretur. Nam quod ad *Bibliothecam Selectam* Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cum Veteris, tum Novi Teſtamenti eidem præmiſſam adtinet, cum plura hujuſmodi præſto eſſent ex Mabillonii Opere *de Studiis Monaſticis*, tum *Bibliotheca Sacra* Calmeti, & Georgii Walchii item *Bibliotheca Theologica*, ab ea heic iterum exhibenda abſtinendum omnino fuit. Quod quidem potiori jure *de Dictionario Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ N. T.* eidem Editioni addito pronuntiandum eſt; ut plurimum enim ea ſolum contracta profert, quæ adductis monumentis NATALIS ipſe ALEXANDER docuerat : at qui ejus Hiſtoriæ non incurioſi ſunt, ii nec compendia hujuſce generis quærunt, nec vero egent, quum indices cuique tomo ſæculoque ſubjuncti fere ſatis pro ſimili Operis epitome haberi poſſint. Monemus tamen elogia *Roncagliæ* & *Manſii* haud fuiſſe a nobis prætermiſſa; illud autem, quod NATALI ALEXANDRO panxit Antonius *Touronius*, auctius eſſe heic editum, tota nimirum hiſtoria concertationis, quam idem ALEXANDER habuit

cum P. Daniele e S. J. locupletatum. Fruantur hiſce curis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cultores, gratiaſque habeant eruditis viris Franciſco *Borranio*, & Petro *Sandinio*, qui ſuam pro hac Editione ſymbolam contulerunt, tum cum primis Cl. Viro Vincentio *Faſſinio* Ord. Præd. in Piſana Academia ſacrarum litterarum Profeſſori, qui totam fere primam Supplementi partem delineavit, tum pleraque bonæ frugis ſuppeditavit, quibus altera nobilitaretur.

MONITUM AD LECTOREM.

ELOGIUM *Hiſtoricum P. Natalis Alexandri a Cl. viro P. Antonio Touron Ord. Præd. gallice ſcriptum, atque ab eruditiſſimo P. Joanne Dominico Manſio Congregationis Matris Dei, poſtea Archiepiſcopo Lucenſi latinitate donatum in poſtrema hac noſtra ejuſdem Natalis Hiſtoriæ editione initio Tomi III. optimo ſane conſilio præfixum fuit; quare illud hoc loco integrum recudere ſupervacaneum duximus. Sed quoniam in eo Elogio Touronius hiſtoriam omiſit litterariæ concertationis, quam Natalis noſter habuit cum P. Daniele S. J. hujuſmodi defectum hic ſupplere opportunum exiſtimavimus. Illam igitur ex celeberrimo Natalis Alexandri diſcipulo Jacobo Hyacintho Serry in Præfatione ad Hiſtoriam* de Auxiliis divinæ Gratiæ *depromptam, hoc loco tibi, Lector benevole, Appendicis inſtar exhibemus. Cum vero ad Auctoris noſtri Hiſtoriam Eccleſiaſticam aut caſtigandam, aut illuſtrandam ſelectiſſimis Notis, atque Animadverſionibus ſuis ſumma cum laude allaborarint duo clariſſimi viri ſingulari doctrina, ac eruditione præſtantes, nimirum Conſtantinus Roncaglia, & quem paulo antea commemoravimus Joannes Dominicus Manſius, ut quinam illi fuerint, plenius inſpicias,*

utriuſ-

utriuſque Elogium huic noſtro **Supplemento** *præmittere haud injucundum tibi fore putavimus, illius quidem ex Lucenſi editione, ſed auctius, hujus autem nunc primum ex eruditiſſimo P. Sarteſchi Opere de Scriptoribus Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei majori ex parte deſumptum.*

ADDENDA
AD ELOGIUM HISTORICUM
P. NATALIS ALEXANDRI
A CL. VIRO
P. ANTONIO TOURONIO
CONSCRIPTUM,

Quod extat initio Tomi Tertii Hiſtoriæ Natalis Alexandri editionis noſtræ.

PRÆSTAT concertationem, quam habuit occaſione Theologiæ ſuæ Natalis Alexander, quamque prætermiſit Touronius, clarius fuſiuſque enarrare. Hæc litteraria Natalis Alexandri de divina Gratia concertatio a moralibus ortum habuit. Mandatum paſtorale an. 1696. ediderat illuſtriſſimus Rothomagenſium Archiepiſcopus Jacobus Nicolaus Colbert, quo Eccleſiaſticas Collationes haberi juſſerat, in quibus ſacræ diſciplinæ leges, & præcepta morum exponerentur. Ne vero multi Parochorum, temere implicati lectione recentium Auctorum, qui de Chriſtianis morum regulis ſcripſere, in errorem adducerentur, pravos forte ac cæcos ſecuti duces, libros etiam indicaverat Præſul prudentiſſimus, quos ad decidendas quæſtiones conſulere opus eſſet. Hos inter legendus proponebatur Natalis Alexander in Theologia Dogmatica & Morali, quam is, miſſa recentium auctorum rudi indigeſtaque mole, ex divinarum Scripturarum, ſacrorum Canonum, ſanctorumque Patrum puriſſimis fontibus ante aliquot annos expreſſerat, magna Eruditorum omnium exiſtimatione ſuſceptam.

Nonnullis ſtomachum fecit delectus ille, qui Tamburinum forte, Baunium, Buſembaum alioſque id genus conſcientiæ caſuum arbitros, & famoſa nomina deſignari maluiſſent. Furtivis typis confeſtim emiſſus in lucem eſt libellus gallice inſcriptus *Difficultés propoſées à Monſeigneur l' Archevêque de Rouen, contre la Théologie Dogmatique du P. Alexandre Jacobin*. In hoc ægre ſe & impatienter admodum tuliſſe ſignificat Auctor Anonymus, quod P. Alexander, quaſi Diœceſis Theologus in Collationibus Diœceſanis citaretur, ejuſque Moralis Theologia laudaretur. Tum propoſitiones duas ſupra viginti, ex Alexandri libris excerptas, temere & inerudite impugnando, in damnatos, vel merito damnandos errores impingit, multaque ponit corruptæ Moralis paradoxa.

Pauliſper cunctatus eſt Alexander, an contemnendo libello reſponderet. At cum veritatis & Moralis Evangelicæ cauſam deſerere ac prodere non poſſet, certoque noſſet infauſtum libellum, in quo damnati a S. Sede corruptæ Moralis articuli renovabantur, a Patribus Jeſuitis cum in Neuſtria, tum Lutetiæ Pariſiorum ſtudioſe diſſeminari; reſponſionem adornavit ſub hoc titulo: *Eclairciſſemens des prétendues difficultés propoſées* &c. Conſtat hæc capitibus octodecim, quibus Auctoris Anonymi errores de Probabilitate, de Simonia, de Beneficiorum Eccleſiaſticorum ambitu, de Peccato philoſophico, de Uſura, de Æquivocationum, & Reſtrictionum mentalium uſu &c. confutantur: variæque Moralis Chriſtianæ regulæ ab Auctore Anonymo impugnatæ vindicantur. Eruditorum omnium laudem meruit, & conſecuta eſt Alexandri Reſponſio; contemtum Difficultates Anonymi.

Interim cum P. Buffier Jeſuita libellum Difficultatum in vulgus Rothomagi ſpargeret, in flagranti delicto deprehenſus, temerarium libellum ejurare, & Propoſitionibus decem ſubſcribere juſſus eſt, quas libelli erroribus oppoſitas Archipræſul Reverendiſſimus exhibebat, & præſcribebat. Archipræſulis, & Vice-Provincialis ſui mandatis parere renuit vir cerebroſus: quare in remotam Aremoricæ urbem, Coriſopitum, ablegatus eſt; eidemque in Societatis Domo incluſo, omni Jeſuitici muneris functione, & commercio cum extraneis hominibus interdictum. Perniciоſum vero Difficultatum propoſitarum libellum damnavit illuſtriſſimus Archipræſul, Epiſtola ſeu Inſtructione Paſtorali, data Rothomagi die 28. Martii 1697. quæ & eruditionis ipſius, & Epiſcopali zeli monumentum eſt, Moraliſque ſanioris & Diſciplinæ munimentum.

Auctorem Difficultatum propoſitarum eſſe P. Danielem Jeſuitam (qui Reſponſione ad litteras Provinciales Montalti, ſeu Cleandri & Eudoxii Colloquiis, nomen ſibi facere conatus eſt, haud felici ſucceſſu) exiſtimaverant univerſi, quibus notus erat Patris Danielis ſtylus & character, nec abſque fundamento. Ejuſque idcirco errorem de æquivocationum uſu, quem Deo & Chriſto tribuere non veretur, perſtrinxerat in Elucidationibus Alexander. Quo factum eſt, ut Epiſtolam ad Alexandrum ediderit Propheta novus, æquivocationum revelator & vindex, die 1. Jan. 1697.

Inter hæc nobilis & erudita fœmina, litterulas quinque ſcripſit ad Amicam, doctrina pari-

pariter & nobilitate insignem (quales in Gallia inveniuntur non paucæ ad sexus gloriam) quibus referebat, quæ in familiari colloquio dicta essent ab Abbate, & illustribus fœminis, contra Anonymi Jesuitæ Difficultates. Ludendo refellebantur, seria velut responsione indignæ. *Multa enim sunt sic indigna revinci, ne gravitate adorentur. Vanitati propriæ sesitivitas cedit: congruit & veritati ridere, quia lætans: de æmulis suis ludere, quia secura est.* Litterularum altera Dominicanos commendabat, quod Gratiæ Christi & sanioris Moralis defensores semper extiterint, sitque hæc veluti sacri Ordinis hæreditaria pars.

Tertul.

Id in Jesuitarum injuriam dictum putans P. Daniel, calamum acuit. Novem alias Epistolas ad P. Alexandrum edidit, intra mentes aliquot: quibus parallelum doctrinæ Prædicatorum & Jesuitarum instituit, circa Probabilitatem & Gratiam. Quatuor Probabilitatem spectant, quinque Gratiam: illis laxioris Moralis defensionem instituit: istis Gratiam præsertim victricem aggreditur. Neque vero id mirum: sunt enim hæc, ut Eruditi probe norunt, confinia atque cognata veluti argumenta. Pelagianos divinæ Gratiæ & Moralis Evangelicæ hostes ex æquo fuisse, notum est, nec non peccati philosophici ac vagæ probabilitatis defensores acerrimos. Hinc nefarium illud Pelagianorum dogma, in Synodo Palæstina damnatum refert S. Augustinus lib. de Gestis Pelagii Cap. 18. *Oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato; quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem*; quo stat peccati philosophici nuperrime recusus error. Hinc & Cælestius, alter Pelagianæ sectæ Coryphæus, quæsitus a Carthaginensis Synodi Patribus, ut doctrinæ suæ magistros proferret, Ruffinum illico protulit: tum secundo rogatus, ut si quos alios haberet suæ sententiæ patronos ac duces, eos libere proderet, ad vagæ probabilitatis arcem confugit, quæ sententiam aliquam unius Doctoris præsidio tutam putat; *Non tibi*, inquit, *sufficit unus Sacerdos?*

August. lib. 2. de pecc. Orig. c. 3.

Quinque ergo de Divina Gratia vulgatis Epistolis, scientiæ mediæ ruinosum systema sustentare nititur novus iste Societatis Athleta. Molinæ & Suarefii commenta adstruit: Gratiam per se efficacem a SS. Augustino & Thoma, eorumque Discipulis vindicatam, impugnat veluti libertatis inimicam: Decreta Dei prædeterminantia fugillat, quasi fatalem necessitatem imponentia, & quæ Deum auctorem peccati faciant: Quæstionem de Prædestinatione gratuita ad gloriam, inter Theologos utriusque Ordinis controversam, quæstionem esse de solo nomine confidenter asserit: Definitionem Prædestinationis a S. Augustino traditam adulterat: Doctrinam Thomisticam de Gratia per se efficaci, Novatoribus & Jansenismo favere contendit: S. Augustinum Scientiam Mediam approbasse, eamque cum Dogmatibus Catholicis de Gratia plane convenire: Molinæ propositiones a Congregatione *de Auxiliis* nunquam fuisse damnatas, ejusque doctrinam ab omni errore immunem esse: Acta Congregationis *de Auxiliis* nullius esse fidei, ex Innocentii X. Decreto: Cardinalem Perronium his controversiis ferventibus scripsisse, Protestantes doctrinæ de Gratia per se efficaci, & prædeterminante non ægre subscripturos: Doctrinam S. Augustini, in libro de Prædestinatione SS. & libro de Correptione & Gratia non esse intelligendam secundum vim & rigorem terminorum: licere Theologis systemata pro arbitrio fabricari in quæstionibus de Prædestinatione & Gratia: Molinianas assertiones Semipelagianis erroribus affines non esse: ex Gratiæ per se efficacis assertione sequi, præcepta Dei hominibus illa destitutis esse impossibilia; aliaque id genus commenta venditat, quorum vanitatem, ineptiam, falsitatem tota Auxiliorum Historia a Jacobo Hyacintho Serry sincere vereque conscripta in aperto ponit.

His Danielis Epistolis respondit Theologus Anonymus, quem Alexandrum esse persuasum habent viri omnes eruditi. Patribus Jesuitis inscriptæ sunt ejus Epistolæ sex. Tribus prioribus parallelum seu convenientiam doctrinæ Thomistarum cum doctrina Jesuitarum circa probabilitatem funditus evertit atque refellit. In tertia etiam invicte probat, Gregorium de Valentia, qui Molinæ opiniones ardore maximo in Congregatione de Auxiliis defendebat, a Patre Thoma de Lemos Dominicano palam convictum coram Pontifice & Cardinalibus, quod S. Augustini locum studiose interpolasset, ad pedes Pontificis, deliquio ex confusione publica superboque dolore orto, cecidisse probat invictissimis documentis. D. Francisci Pegnæ Commentarios de rebus in Congregatione gestis a calumnia vindicat. Tum ad Danielis parallelum rediens, Scholæ Thomisticæ & Alexandri doctrinam, contra vagum probabilitatis usum tuetur: Scholam Thomisticam Jesuitarum Societati circa Probabilismum, qui flagitiosarum omnium opinionum in Theologia Morali fons est, adversari multis ostendit.

Tribus aliis Epistolis, institutæ circa Gratiam comparationi respondet Auctor Anonymus: Convenientiam assertionum Molinæ cum Semipelagianorum erroribus palam demonstrat: Doctrinam Thomisticam de Gratia Novatoribus non favere, imo & ab Ecclesia probatam esse: Doctrinam communem Jesuitarum de Gratia, novam esse, periculosam, a celeberrima Facultate Lovaniensi damnatam: P. Danielis litteras Ecclesiæ injurias esse, & conversioni Protestantium obicem ponere: Doctrinam Molinæ in Congregatione de Auxiliis damnatam; Thomisticam, approbatam: Arminianos ex Calvini grege cum Molinianis consentire: Alexandri Theologiam doctrinamque de Gratia a calumnia vindicat: Quindecim Patris Danielis visiones, seu insomnia atque commenta in hac controversia detegit, ac refellit; ejusque sophismatibus & inanibus argutiolis invicte respondet, nil aliud esse ostendens ejus contra Thomisticam de Gratia doctrinam argumenta, quam crambem recoctam Semipelagianorum.

Hæc dum mutua concertatione scriberentur, Theses publicas Jesuitæ Lugdunenses propugnarunt die 26. Augusti an. 1697. multis contra Gratiam & Moralem Evangelicam erroribus scatentes: quas Anonymus Theologus duabus ad Doctorem Sorbonicum inscriptis Epistolis confutavit, addito etiam libello, cui titulus erat: *Theses Theologicæ Jesuitarum Lugdunensium censoriis notis dispunctæ atque confixæ.*

Ve-

Verum cum Prophetam ſuum congreſſus Achillis imparem experti eſſent Jeſuitæ, cauſæque ſuæ meritis minus fiderent, a Rege Chriſtianiſſimo impetrarunt, ut ſilentium utrique parti imperaret: eo conſilio ut victoriam ſimularent potius, quam receptui canerent. Alexandrum & Danielem vocavit excellentiſſimus Galliæ Cancellarius: audientiam utrique ſingulatim conceſſit: Regis nomine ſilentium utrique indixit. Hinc factum eſt, ut decima Danielis Epiſtola, quæ poſt ſignificationem regiorum mandatorum in lucem prodiit, ſine reſponſo dimiſſa ſit a Thomiſtis, non faſces victori ſubmittentibus, ſed Regi, ut officium poſtulat, obſequentibus. Nulla tamen ex indicto ſervatoque ſilentio veritatis jactura ſecuta eſt. Ecquid enim novi tunc eructavit Propheta bonus, cui reponere neceſſe fuerit? Prædeterminationi phyſicæ non favere Doctorem Angelicum, ea in Epiſtola commentus eſt. At cum id a ſexcentis Dominicani Ordinis Theologis, ac præcipue non multo poſt a R. P. Antonino Mauſolié confutatum ſit; nulla reſponſione ad crambem recoctam Danielis fuit opus.

Nonnullis menſibus interjectis, cum omnia ex mandato regio conſepulta crederentur, Daniel vir inquietus & obſequi neſcius, quam fecerat in ea litteraria concertatione famæ jacturam, opportuna calliditate reſarcire conatus eſt. Suas & Alexandri Epiſtolas Lugduni novis typis edidit, multis pro arbitrio rejectis, additis aliis, quibus imperitæ plebi fucum faceret. Præfationem etiam adjunxit, qua ſibi victoriam accinebat feſtivus homo: adeo eſt viſionibus & inſomniis aſſuetum Prophetarum genus! Fraudem detexit neſcio quis Thomiſticæ Scholæ amans, Alexandri famæ ſtudioſus. Epiſtolarum congeriem puram & integram typis mandavit: præmiſſa præfatione rerum geſtarum ſeriem expoſuit; vanamque Danielis gloriationem retudit ac fregit.

Hunc exitum habuit Alexandri de Divina Gratia cum Daniele concertatio; quam novus iſte Propheta ſuſceperat, non tam ut Scholæ Thomiſticæ doctrinam de Divinis Auxiliis vellicaret, quam ut ſuum totiuſque Societatis in Alexandri Theologiam moralem præconceptum jam pridem odium palam effunderet. Vix enim prodierat eruditum Opus, cum ſtatim vulgatus Rothomagi rumor fuit, a quibuſdam Societatis Patribus diſſeminatus, Patrem Alexandrum fortunæ (ut loquebantur) ſuæ obicem poſuiſſe: quod Societatis minorem quam par erat in Theologia morali rationem habuiſſet. Cum etiam nonnulli Galliæ Præſules Alexandri librorum ſingulares æſtimatores, ejus pro Eccleſiæ utilitate ſuſcepta opera, viro e Societate primæ notæ, ſub idem ferme tempus commendaſſent: reſpondit ille, in Alexandri Morali nuper edita, multa eſſe, quæ illum erga Societatem minus bene affectum demonſtrarent.

Id ut ex amicorum relatione didicit vir eruditus, ſcire voluit, quid Societatis animos a ſe tantopere alienaſſet. Audientiam a Jeſuita meritiſſimo poſtulavit, & obtinuit die 17. Septembris 1695. ut ex amico ac familiari colloquio animum mutuo aperirent. Nulla ſpe, nulla ambitione moveri ſe atque impelli præfatus eſt Alexander, ad fovendam, quæ ab annis viginti quinque ſibi interceſſerat cum ipſius reverendiſſima Paternitate amicitiam: ſe perſonam ejus ob merita & virtutem, non ob auctoritatem coluiſſe, ac etiam colere; ſed grave ſibi eſſe, quod aures faciliores nonnullis ſuſurris & criminationibus contra doctrinam operaque ſua præbuiſſe. Reſpondit Reverendus Pater, ſe abſque ulla æſtimationis de illo conceptæ remiſſione, nonnulla ipſi e veſtigio oſtenſurum, quæ in ejus libris emendari operæ pretium eſſet: codiceque in manus accepto multa adnotata ſignificavit, quæ ſpongiam ejus judicio mererentur. Reſpondit ad ſingula vir eruditus qua decebat veneratione ac reverentia. Colloquium integram horam tenuit, ut doctrinæ ſuæ rationem redderet. Tum demum Reverendum Patrem ſecundo rogavit, ne fidem æmulis ſuis adhiberet: & exſoluto urbanæ ſalutationis & venerationis officio, vale dixit. Nihil tamen eo colloquio profecit Alexander, niſi ut ſecutis inde temporibus intelligeret, quid æmulorum invidiam tantopere concitaſſet, quidve illos in editis operibus male habeat.

Placuit hæc Natalis Alexandri elogio, a viro doctiſſimo Touronio conſcripto, adjicere, & quidem verbis ejuſdem Natalis celeberrimi diſcipuli Jacobi Hyacinthi Serry in præfat. ad Hiſtoriam *de Auxiliis divinæ Gratiæ* §. V. Pag. XII. & ſeqq. edit. Venetæ 1740. Unum admonemus Alexandrum in commemoratis ad Jeſuitas datis epiſtolis denunciaſſe, quæ de Molinianæ Scholæ placitis, ejuſque a Semipelagianis erroribus diſcrepantia dixerat in Hiſtoria Eccleſiaſtica, ea ſe non veritati, ſed Societati dediſſe, quo eam demereretur ac devinciret: etſi haud magnus ad eum quæſtus ex ea negotiatione redierit.

ELOGIUM
P. CONSTANTINI RONCAGLIA

CONGREGATIONIS MATRIS DEI THEOLOGI.

ORTUM habuit *Conſtantinus Lucæ* e patritia *Roncagliorum* familia, patre *Antonio*, & *Maria Lucida Diverſia* parente, anno Chriſtianæ ſalutis 1677. Præſtans a natura ingenium, optimamque ſortitus indolem, utrumque excoluit; illud ſub egregiis in patria magiſtris; hanc vero in paterna domo vigili parentum religioſiſſimorum diligentia. Ea in exercitatione profecit pro expectatione: nam vix ex ephebis egreſſus religioſum vitæ propoſitum arripuit; nomine ſuo dato inter clericos Regulares Congregationis Matris Dei, quorum religioſam veſtem induit in Collegio *Neapolitano* S. MARIÆ in Porticu an. 1693. exactoque dein biennio ſolemnium votorum nuncupatione religioſæ vitæ profeſſioni ſe ſe tenacius devinxit. Nihil ex tunc in viro non religioſum: morum caſtimonia eximia, virtutum exercitatio adſidua; in præfecturis, quas in *Lucenſi* Collegio obivit ſæpe, diligens, & prudens; in morbis tolerandis patiens, & quod erat multis admirationi, morbi obſtinati moleſtiis vexatus ſemper, numquam tamen ad extremum uſque ſpiritum ab inſtituti ſui muneribus obeundis exemit ſeſe; ſacras fidelium exomologeſes excipiebat, tantum non perpetuo, conciones habebat quam crebras, ac fervidas; pios doctoſque libros ſcribebat, quam ſpiſſos elaboratoſque. Hæc viri religio; doctrinæ vero, felicis ingenii cultura, meſſem copioſam collegit. Demonſtrant id libri luci publicæ, & utilitati donati, nequid dixerim de conſultationibus doctiſſimis, quas privatis ſcriptis dedit, quum de rebus graviſſimis frequenter interrogaretur. Primo omnium juvenis adhuc, tacito auctoris nomine evulgavit libellum, quo plus nimio familiares virorum, & mulierum conſuetudines, quales nunc obtinent alicubi, ad Theologiæ Moralis momenta expendit: *Alcune converſazioni*, e loro *difeſe*, *eſaminate co' principj della Teologia. Opera d' un Religioſo della Congreg. della Madre di Dio; Tom.* I. 8. *in Lucca per Domenico Ciuffetti* 1710. eumdemque dein librum refingens, novamque in imaginem effigiatum, iterum produxit anno 1720. ſub hac inſcriptione: *Le moderne converſazioni de' Cicisbei eſaminate da Coſtantino Roncaglia*; ac denique tertio auctum paulo ante obitum ſuum recudit. Proxime ſequuta eſt Chriſtianæ familiæ inſtitutio, qua officia tum conjugum inter ſe, tum in filios ac filiorum in parentes ex Moralis Theologiæ ſtatutis definit. *La Famiglia Criſtiana iſtruita nelle ſue obbligazioni. Opera di* Conſtantino Roncaglia &c. *Tom.* I. 8. *In Lucca appreſſo* Pellegrino Frediani 1711. Utilem hunc, parvæ licet molis libellum, *Venetorum* præla reproduxerunt anno 1713. typis *Natalis Feltrini*. Excepit hos omnes libros hiſtoria de variatione dogmatum fidei inter Proteſtantes, quam ex *Boſſueti* inſigni opere acceptam Italis dedit. Libri titulus hic eſt: *Iſtoria delle variazioni delle Chieſe Proteſtanti, di* Conſtantino Roncaglia &c. *Tom. I. in* 8. Lucca 1712. *Appreſſo* Pellegrino Frediani refictam tamen, variatam & a *Gallicana* illa diverſo ordine digeſtam. Succeſſit liber *Effetti della riforma di Lutero e Calvino, e del Gianſeniſmo*, tom. I. 8. Lucca 1714. appreſſo *Pellegrino Frediani*. Horum librorum moles exigua; major operis ſuccedentis: *Quæſita dogmatica & moralia de S. Eccleſiæ Sacramentis* Tom. I. fol. eodem in loco & officina excuſum anno 1715. Poſt hæc triennio quas in Cathedrali Lucana Eccleſia de S. Scriptura in frequenti Auditorum conſeſſu lectiones habuit typis vulgavit, Antichriſti facta ex Scripturarum oraculo depromens; libri titulus: *Lezioni ſacre intorno alla venuta &c. dell' Antichriſto* tom. I. in 8. prodiit *Lucæ* an. 1718. typis Leonardi Venturini, quo pariter an. ex eodem *Venturiniano* typographio exiit in lucem Vita *Leopoldi* I. Imperatoris a *Roncaglia* italice ſcripta. Moliebatur interim majoris momenti opus vir doctiſſimus, quam nempe pluribus annis in florentiſſimo Collegii ſui Lycæo explicaverat, moralem Theologiam univerſam geminis juſtæ molis voluminibus comprehendere, nec plus æquo diffuſam, nec magis quam par ſit coarctatam, ordine & methodo digeſtam, ſimul indicans in calce ſingulorum capitum, quæ ſit practica doctrina ex rebus in capite illo diſcuſſis inferenda. Opus illud tandem abſolvit, ediditque eiſdem *Venturini* typis anno 1730. tantoque cum plauſu exceptum eſt, ut brevi annorum undeviginti complexu voluminibus omnibus *Lucenſis* editionis emptorum aviditate exhauſtis, ſemel, iterum, & tertio *Venetis* typis recudendum fuerit. Editio prior *Veneta* cœpta eſt anno 1731. poſtrema abſoluta anno 1738. apud *Franciſcum Pitteri* tom. 2. fol. Sed inter tot viri ſummi labores primas obtinent adnotationes in hiſtoriam eccleſiaſticam *P. Natalis Alexandri*. Tandem tot egregiis perfunctus laboribus, ſingulari qua vixerat pietate obiit vir præclarus 27. Februarii an. 1737. *Cl. Sartheſchius* in opere de Scriptoribus Congregationis Matris Dei art. XXXVIII. pluribus de illo agit.

ELO-

ELOGIUM

CLARISSIMI LUCENSIS ARCHIEPISCOPI

JOHANNIS DOMINICI MANSI

Ex indicato Cl. P. SARTESCHII *Opere Articulo LV. aliiſque.*



Johannes Dominicus Manſius nobilis *Lucenſis*, Græce, Hebraice, & Latine doctus, noſtræ Congregationis decus & ornamentum, atque univerſæ Reipublicæ Litterariæ celeberrimus, an. 1692. die XVI. Feb. ortus eſt. Ingenue educatus a prima adoleſcentia pietatem æque ac Litteras ſerio excoluit. Et perfectiora cogitans, mundo ſupremum vale dicens inter Noſtros adſcribi petiit. Anno igitur 1708. ætatis ſuæ XVI. noſtra Clericali veſte *Neapoli* indutus, quum tyrocinii ſui biennium exacte expleviſſet, dies V. Auguſti 1710. ad ſolemniter profitendum ei data eſt. Deo per ſacram votorum Religionem propius conjunctus, impenſius regulari obſervantiæ Litteriſque vacavit. Memoria tenaci, quæ legebat intime conſervabat, nec materiarum diſſimilitudo, nec annorum intervalla, ſemel injectas menti cognitiones oblitterarunt.

Poſt amœniora ſtudia, Philoſophiæ, ac Theologiæ *Franciſco Franchio*, & *Petro Maria Puccetti* earumdem Scientiarum Profeſſoribus eximiis *Lucæ* egregiam navavit operam adverſante licet valetudine; iiſque ſtudiis Hiſtoriam Eccleſiaſticam, rei Theologicæ in optimo lumine collocandæ adprime neceſſariam adjecit. Studiorum curriculo abſoluto Scholaſticas ſcientias *Lucæ* multis annis docuit, quo item tempore Theologiam, quam *Moralem* vocant, *Lucenſibus* Clericis tradere cœpit. Quod munus conſtanter peregit, licet aliis curis ſtudiiſque totus vacaret. A *Bernardino Guiniſio*, primo *Lucanæ* Sedis Archiepiſcopo, cujus beatam memoriam nulla umquam delebit oblivio, Examinatoris munere decoratus partes ſuas deſiderari non ſivit. *Fabius Colloredus* illa in ampliſſima Cathedra *Guiniſii* ſucceſſor præclarus, & cum honore ſemper memorandus, fere totam illam Diœceſim curæ, diligentiæ, fideique *Johannis Dominici Manſii* concredidit, quem examinatorem Synodalem, Viſitatorem, ac conſcientiæ ſuæ moderatorem conſtituit. Novus item, digniſſimuſque ejuſdem Eccleſiæ Præſul *Joſephus Palma* eundem *Manſium* maxima in exiſtimatione habet; & apud eruditos, nobileſque *Lucenſes* magno in loco ſemper fuit; immo ejus nomen longe lateque non tantum per Italiam univerſam pervulgatum eſt, verum etiam apud exteras diſſitaſque Nationes glorioſum atque celeberrimum exſtat, novaque incrementa in dies, adceſſionemque adquirit. Hinc unanimi Arcadum conſenſu ac plauſu fuit in eorum cœtum expetitus & adſcriptus ſub Paſtorali nomine *Cleoptolemi Artaclii*, quemadmodum teſtatur *Michael Joſeph Morei* Arcadiæ Cuſtos generalis in Litteris ad eum datis.

In noſtris Comitiis habitis Lucæ an. 1738. Rector *Lucani* Collegii, totiuſque Congregationis Vicarius generalis electus, collata ei pro merito munera, demiſſiſſime renuit. Bibliothecam *Lucenſem* ei commendatam laxatis ſpatiis, Pluteis exſtructis, Libris undequaque conquiſitis ditavit, exornavitque. Academiam de rebus ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam & Liturgicam ſpectantibus *Lucæ* in noſtro Collegio, magna auditorum frequentia, nec non ſcientiarum ac eruditionis incremento inſtituit. Hactenus Sarteſchius. Poſtea plaudentibus omnibus patriæ nobiliſſimæ Eccleſiæ Archiepiſcopus renunciatus eſt; quo in munere optimus ſenex tandem deceſſit.

Hæc ejus opera a *Sarteſchio* memorantur. I. *Tractatus* de *caſibus*, *& excommunicationibus Epiſcopis reſervatis*, *confectus ad normam Tabellæ* Lucanæ Lucæ, *typis* Sebaſtiani Dominici Cappurri 1724. in 4. Opus hoc ab Auctore nonnullis in locis emendatum, caſtigatumque prodiit iterum *Lucæ* an. 1739.

II. Lepido eruditoque libello Joh. Burc. Menckenii *de charlataneria Eruditorum declamationes duæ cum notis variorum* ec. recuſo *Lucæ* 1726. typis *Leonardi Venturini in* 12. noſter *Johannes Dominicus Manſius* ſuppreſſo nomine adjecit *ſupplementi loco Notas tumultuarias* ad Auctoris argumentum magis illuſtrandum.

Ut eruditorum commodis inſerviret, plures annos *Manſius* impendit in transferendis Operibus cl. & doctiſſimi viri *D. Auguſtini Calmeti* O. B. quæ Auctor in S. Scripturam *Gallice* elucubraverat. In quorum verſione non ſolum latini ſermonis elegantiam ſervavit, ac genuinum Auctoris ſenſum exactiſſime reddidit; ſed etiam, ut optimi Interpretis munus eſt, ea quæ vel vitio Typographi, vel Auctoris lapſu in opus immenſum irrepſerunt, ſive in textu, ſive adjecta ad marginem breviori nota, potiſſimum vero in Præfationibus Dictionario Biblico, Supplemento, Diſſertationibus, Commentariiſque adfixis, correxit, atque caſtigavit.

III. Igitur ann. 1725. edidit *Lucæ* typis *Cappurri*, & *Venturini Dictionarium hiſtoricum*, *criticum*, *chronologicum*, *geographicum*, *& litterale Sacræ Scripturæ* II. Tom. in fol. comprehenſum. Quamvis enim in opere hoc e Gallico in latinum polite eleganterque vertendo nonnulli e Noſtris adlaboraverint, potiſſimum &c. *Septimius Bruni*, atque Præfatio (quæ eſt noſtri *Joh. Dominici Manſii*) ſub Editorum nomine prodierit: nihilominus quia præcipuam ejuſdem operis latinis litteris tradendi, & abſolvendi provinciam *Manſius* ſibi ſumpſit, jure optimo prædictum opus adſcribendum ei eſt, ſicuti pariter illi adjudicarunt *Vinciolus* in ſua epiſtola de nonnullis Congregationis noſtræ Scriptoribus num. XII. pag. 31. Ephemerides Venetæ an. 1725. Tom. 37. pag. 283. nec non *Venetus* Typographus, qui anno inſequenti, ſeu 1726. anonymum opus Auctori ſuo adjudicans, in fronte ejuſdem operis a ſe recuſi, verum Interpretis nomen patefecit.

IV.

IV. *Supplementum ad dictionarium historicum, criticum, chronologicum, geographicum, & litterale Sacræ Scripturæ Auctore R. P. D.* Auguſtino Calmet Benedictino *Abbate* Senonenſi. *Opus gallice primum ab Auctore, nunc vero latinis litteris traditum a* Joh. Dominico Manſi *Congregationis Matris Dei Lucenſi, Em. ac Rev. Principi* Joſepho *S. R. E. Cardinali* Accoramboni. Lucæ *typis* Leonardi Venturini 1731. *Tom. II. in fol.* Integrum hoc opus, ſuis locis Supplementi verbis inſertis, recuſum eſt *Venetiis* typis *Sebaſtiani Coleti* an. 1734. in duos Tomos in fol. diviſum; quæ editio eſt ſecunda *Veneta*. *Sebaſtianus Coletus* fecit editionem an. 1747.

Excepta non ſolum a Noſtris, ſed etiam ab exteris hominibus maximo cum plauſu Dictionarii Biblici *Manſiana* verſione, ſtatim ad latinis literis Diſſertationes ejuſdem Auctoris donandas *Manſius* ſe contulit. Opus abſolutum prælo mandavit, cui hunc titulum indidit:

V. *Prolegomena* & *Diſſertationes in omnes, & ſingulos S. Scripturæ Libros .... Em. ac Rev. Principi* Proſpero *S. R. E. Cardinali* Lambertino. *Lucæ ſumptibus* Leonardi Venturini 1729. *Tom.* II. *in fol.* Legenda Interpretis Præfatio adprime docta atque erudita. Idem opus prodiit etiam *Venetis* typis *Chriſtophori Zane* an. 1734.

VI. Demum ut eruditorum undique votis *Manſius* indulgeret, vaſtiſſimam æque ac laborioſiſſimam *Commentariorum litteralium in omnes libros Veteris & Novi Teſtamenti* verſionem adgreſſus eſt: cui ampliſſimo Volumini in IX. *Tom. in fol.* diſtributo adcurate cudendo *Salvator*, & *Johannes Dominicus Mareſcandoli Lucani* typographi operam ſuam egregiæ præſtiterunt.

Altera ejuſdem operis latina verſio eodem fere tempore *Venetiis* adornata eſt, ſed Prolegomena, Diſſertationeſque, quæ in hac Veneta editione leguntur, ipſiſſimæ ſunt, quas *Manſius* vertit, ediditque ſeparatim *Lucæ* an. 1729. uti paullo ſupra adnotavimus.

VII. Doctiſſimum, eruditiſſimumque opus *Ludovici Thomaſſinii de veteri & nova Eccleſiæ diſciplina* in tres Tomos in fol. diſtributum, recuſumque *Lucæ* ſumptibus *Leonardi Venturini* 1728. *Manſius variis animadverſionibus lucupletavit*, quæ leguntur ad calcem *Tomi* III. *a pag.* 621. uſque *ad pag.* 659. In primo ejuſdem Operis præſtantiſſimi Tomo exſtat item *elogium hiſtoricum* P. Ludovici Thomaſinii ab eodem *Manſio* latinis litteris traditum.

VIII. *Diſſertazione in difeſa del Primato nella Criſtianità di* Toſcana *della Chieſa di* Lucca. Legitur in opuſculo *Gabrielis Grammatica* inſcripto: *Guida ſacra alle Chieſe di* Lucca edito *Lucæ* 1734. nec non ann. 1736. pag. 132. & 1741. pag. 195. In perutili libello eruditiſſimi viri *Johannis Marangonii* cuſo *Lucæ* typis *Mareſcandoli* 1746. in 12. inſcripto: *Eſercizii per la Novena del SS. Natale del Noſtro Signor Gesù Criſto*, legitur pag. 5. diſerta hujus noſtri Auctoris Præfatio.

IX. *Annales Eccleſiaſtici Cæſaris* Baronii *S. R. E. Cardinalis una cum Critice Hiſtorico-Chronologica Antonii Pagii ſingulis* Baronii *paginis ſubjecta, ac eorumdem Annalium continuatione ſtudio* Odorici Raynaldi. Lucæ *typis* Leonardi Venturini *Tomi* huc uſque XXV. in folio. Tomus I. prodiit an. 1738. Reliqui in ſequentibus annis excuſi ſunt.

X. *Rerum a* Caſtruccio *geſtarum ex quo rediit in Patriam, ſeries Chronologica ex editis, ineditiſque monumentis expreſſa a* P. Johanne Dominico Manſio *cum notis. Incipit ab an. Chriſti* 1314. *& deſinit in ann.* 1328. Legitur in vita *Caſtruccii Antelminelli Lucenſis* Ducis Auctore *Nicolao Tegrimio* edita *Lucæ* typis *Cappurri* 1742. 4.

XI. *De* Epochis *Conciliorum* Sardicenſis *&* Sirmienſium, *ceterorumque in cauſſa* Arianorum. *Qua occaſione rerum potiſſimarum* S. Athanaſii *Chronologia reſtituitur ... Em. Principi* Joachimo *Cardinali Beſutio nuncup.* Lucæ *typis* Philippi Mariæ Benedini 1746. in 8.

XII. *Sanctorum Conciliorum & Decretorum Collectio nova, ſeu Collectionis Conciliorum a* PP. Philippo Labbeo, & Gabriele Coſſartio *Soc.* Jeſu *Presbyteris primum vulgatæ*, dein *emendatioris*, & *amplioris opera* Nicolai Coleti *Sacerdotis* Venetiis *recuſæ ſupplementum, in quo additamenta, variantes lectiones, emendationes ad Concilia* Veneto-Labbeana; *nova itidem Concilia, ac decreta permulta exhibentur. Omnia ex editis & Mſſ. Codicibus undique quæſitis Græcis Latiniſque collegit, digeſſit, additiſque Præfationibus, Notis, Diſſertationibus hiſtoricis, criticis, chronologicis, dogmaticis illuſtravit* Johannes Dominicus Manſi Lucenſis, *Clericus Regularis Congregationis Matris Dei*. Lucæ *typis* Joſephi Salani, & Vincentii Junctini *Tom.* VI. *in fol.* I. & II. *prodierunt an.* 1748. III. 1749. IV. 1750. V. 1751. & VI. 1752.

XIII. *Pro ſua de anno habiti* Sardicenſis *Concilii ſententia ad* V. C. Thomam Mariam Mamachium *aſſertio altera* 1749.

XIV. Anno 1749. nova Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ P. *Natalis Alexandri* Editio *Lucæ* ſuſcepta eſt. Huic præter notas integras P. *Roncaglia*, de quibus ſupra, Adnotationes etiam ſuas novas adjecit P. *Manſius*, quibus hinc inde *Baſnagium* Scriptorem Annalium Politico-Eccleſiaſticorum arguit, atque refutat. Tertio operis Tomo ſynopſim vitæ & operum P. *Roncaglia*, conſiliumque adnotationum ſuarum addidit. Exiit præclarum opus 1752.

XV. *De inſigni Codice Caroli Magni ætate ſcripto, & in Bibliotheca Majoris Eccleſiæ* Lucenſis *ſervato Commentarius*. Exſtat in opuſculis P. *Calogerà* Tom. 45. a pag. 73. ad 223.

XVI. *Diario ſacro* antico, *e moderno delle Chieſe di* Lucca, Lucæ 1753. 8.

XVII. Joh. Alberti Fabricii ... *Bibliotheca latina mediæ & infimæ ætatis ... Editio prima Italica a* P. Johanne Dominico Manſi ... *correcta, illuſtrata, aucta* &c. Patavii 1754. T. VI. 4.

XVIII. Pii II. P. M. *olim* Æneæ Sylvii Piccolominei Senenſis *orationes Politicæ, & Eccleſiaſticæ*. Lucæ 1755. 4.

XIX. *Memorie della Gran Conteſſa* Matilda *reſtituita alla Patria* Luccheſe *da* Franceſco Maria Fiorentini. *Seconda edizione illuſtrata* con *note critiche, e con l' aggiunta di molti documenti &c. da* Giandomenico Manſi. Lucca 1756. *nella Stamperia di* Vincenzo Giuntini.

XX. *Conſpectus noviſſimæ* ac *omnium locupletiſſimæ Sacrorum Conciliorum editionis*. Venetiis 1758. apud Antonium Zatta 8. Tres primi hujus utiliſſimæ collectionis tomi prodierunt an. 1759. Auctor *Manſius* operi immortuus eſt, relictis tamen omnibus ad illud perficiendum neceſſariis monumentis.

ELEN-

ELENCHUS

Eorum omnium, quæ in utraque Supplementi noſtri Parte continentur.

IN PRIMA PARTE.

FRanciſci Veronii Regula Fidei Catholicæ, ſeu de Fide Catholica. *pag.* 1

Vindiciæ Librorum Deutero-Canonicorum Veteris Teſtamenti, in quibus Traditionis & Concilii Tridentini mens de eorum authoritate accurate elucidatur, Auctore uno e Canonicis Regularibus Congregationis Gallicanæ. 25

De Legali Paſchate a J. C. peracto, ad eorum defenſionem quæ habet Concilium Tridentin. Seſſ. XXII. cap. I. Diſſertatio P. Nicolai Auguſtini Chignolii O. P. in Taurinenſi Academia olim Prof. adverſus PP. Tourneminium S. J. & Lamium Orat. Presb. 63

Jacobi Benigni Boſſuet Epiſcopi Meldenſis Tractatus de Doctrina Concilii Tridentini circa dilectionem in Sacram. Pœnitentiæ requiſitam. 68

P. Chriſtiani Lupi Diſſertatio Dogmatica de germano ac avito ſenſu Sanctorum Patrum, univerſæ ſemper Eccleſiæ, ac ſacroſanctæ præſertim Tridentinæ Synodi circa Chriſtianam Contritionem & Attritionem. 81

Epiſtola Familiaris ad Reverendum ac eximium Patrem Henricum Noris Veronenſem, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, Sacræ Theologiæ Doctorem ac Profeſſorem, qua F. Chriſtianus Lupus, eodem in Ordine S. Theol. Doctor & Profeſſor, quibuſdam ad nonnulla nuperæ ſuæ de Chriſtiana Contritione Diſſertationis capita hæſitantibus, juxta Apoſtoli Mandatum, humiliter conatur dare rationes. 109

J. Andreæ Serrai in Regia Neapolitana S. Salvatoris Academia Catecheſis & Moralis Theologiæ Profeſſoris de Romani Catechiſmi, juſſu Tridentini Concilii editi, Auctoribus, dignitate atque præſtantia Diſſertatio. 132

De Catechiſmi Romani Authoritate Diſſertatio Fr. Anto-

Antonini Reginaldi Ord. Præd. in Academia Toloſana Anteceſſoris. 137

IN SECUNDA PARTE.

DISSERTATIO I.

De Romanis Pontificibus Sæculorum XVII. & XVIII. *pag.* 1

DISSERTATIO II.

De Miſſionibus ad exteras Gentes a Gallis inſtitutis. 139

DISSERTATIO III.

De Propagatione, vicibuſque Religionis Chriſtianæ Sæculis XVII. & XVIII. in Japonia, Sinis, Imperio Magni Mogolis, Bengala, Malabaria, Tonquino, Cochinchina, Siamo, cæteriſque Inſulis adjacentibus. 145

DISSERTATIO IV.

De proſcriptis Sinenſibus Ritibus, quorum Hiſtoria exponitur cum Appendice Monumentorum. 164
Appendix Monumentorum. 177

DISSERTATIO V.

De Erroribus, Hæreſibuſque Sæculi XVII. & XVIII. 211

DISSERTATIO VI.

De Conciliis Sæculo XVII. & XVIII. celebratis. 240

DISSERTATIO VII.

De Eccleſiæ Doctrina præſertim Morali, quæ Sæculis XVII. & XVIII. obtinuit. 251

DISSERTATIO VIII.

De aliquot Controverſiis, quæ Sæculis XVII. & XVIII. excitatæ fuerunt. 272

DISSERTATIO IX.

De Scriptoribus Eccleſiaſticis Sæculorum XVII. & XVIII. 294

INDEX

Dissertationum, Capitum, & Paragraphorum &c., quæ in hoc I. Volumine continentur.

Franciſci Veronii Regula Fidei Catholicæ, ſeu de Fide Catholica. pag. 1
CAP. I. §. I. *Regula Fidei.* ibid.
§. II. *Declaratio Regulæ.* 2
§. III. *Deducta ex Regula declarata.* ibid.
§. IV. *Connexa ex defectu propoſitionis, & quandoque ſimul revelationis, ſecludun-tur.* 3
CAP. II. *Secretio doctrinæ fidei a quavis alia in particularibus materiis controverſis.* 5
§. I. *De meritis gratiæ, & gloriæ.* 6
§. II. *De Juſtificatione.* 7
§. III. *De Satisfactione.* ibid.
§. IV. *De Indulgentiis.* 9
§. V. *De Purgatorio, & ſuffragiis pro De-functis.* 12
§. VI. *De Legum humanarum obligatione in conſcientia.* ibid.
§. VII. *De Invocatione Sanctorum.* 14
§. VIII. *De Imaginibus.* 15
§. IX. *De Reliquiis Sanctorum, & earum veneratione.* 16
§. X. *De cultu, & honore Sanctorum.* 17
§. XI. *De Chriſti præſentia in Euchariſtia.* ibid.
§. XII. *De Tranſubſtantiatione.* 18
§. XIII. *De adoratione Euchariſtiæ.* 20
§. XIV. *De Sacrificio Miſſæ.* 21
§. XV. *De Papa, ejus primatu, & autho-ritate.* 22
§. XVI. *De Judice controverſiarum.* 24
Vindiciæ Librorum Deutero-Canonicorum Veteris Teſtamenti, in quibus Traditionis & Concilii Tridentini mens de eorum au-thoritate accurate elucidatur, Auctore uno e Canonicis Regularibus Congregationis Gallicanæ. 25
SECT. I. *De variis Judæorum, & Hæretico-rum Canonibus.* 27
CAP. I. *Generatim exponitur quid de Scriptu-rarum Canone ſenſerint olim hæretici.* ib.
CAP. II. *De Hebræorum Canone, & ejuſdem diviſione.* ibid.
CAP. III. *De Canone Scripturarum veteris Teſtamenti, a Calviniſtis, & Lutheranis edito.* 28
Confeſſio Fidei a Calviniſtis Galliarum edi-ta. ibid.
Anglicana Confeſſio. ibid.
Confeſſio Scoticana. ibid.
Confeſſiones Lutheranorum. 29
Confeſſio Eccleſiarum Pſeudoreformatarum, in Regno Poloniæ, Magno Ducatu Li-thuaniæ, & Provinciis annexis. ibid.
De Scripturarum Canone, quem Waldenſes XVI. ſæculo confecerunt. 30
Confeſſio Helvetiorum Zuinglianorum. ibid.
Notæ in prædictas Confeſſiones. ibid.
SECT. II. *Certum ex variis Scripturarum ver-ſionibus eruitur argumentum, quo noſtro-rum veteris Teſtamenti Deutero-Canonico-rum authentica probetur authoritas.* 31
CAP. I. *De Verſione Itala.* ibid.
CAP. II. *De Græcis Scripturarum Verſionibus, & Codicibus, in quibus noſtri reperiun-tur Deutero-Canonici.* 32
Et qui extra LX. ſunt. ibid.
Et qui Apocryphi. ibid.
CAP. III. *De Codicibus ſacræ Scripturæ Sy-riacis.* 33
CAP. IV. *De Verſionibus Arabicis.* 34
CAP. V. *De nonnullis Verſionibus, quæ no-ſtros Deutero-Canonicos repræſentant.* ib.
SECT. III. *De Patribus, qui noſtros veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos in Scriptu-rarum ſacrarum Canone clare, & diſtin-cte collocarunt.* 35
CAP. I. *De Conciliis Carthaginenſi, & Ro-mano.* ibid.
CAP. II. *De ſententia S. Auguſtini circa ve-teris Teſtamenti Deutero-Canonicos.* 36
CAP. III. *De ſententia ſancti Innocentii ſum-mi Pontificis, Caſſiodori, & ſancti Iſidori Hiſpalenſis.* 37
CAP. IV. *De quibuſdam Eccleſiæ Latinæ mo-numentis, quæ veteris Teſtamenti Deu-tero-Canonicos in Canone repoſuerunt.* 38
CAP. V. *De mente Concilii Florentini, ſeu Bullæ Eugenii IV. ad Jacobitas.* 39
Prima Quæſtio. ibid.
Secunda Quæſtio. ibid.
CAP. VI. *De nonnullis Eccleſiæ Græcæ mo-numentis, quæ noſtros Deutero-Canonicos in Canone Scripturarum collocant.* 40
CAP. VII. *De Canone 85. Apoſtolorum, quem Cotelerius interpres 76. computat.* 42
SECT. IV. *De Sententia Patrum, qui noſtros veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos ut divinos conſpexerunt, licet eos in Cano-ne Scripturarum expreſſe non repoſuerint.* ibid.
CAP. I. *Diſcrimen aliquod ſtatuitur inter li-brum Divinum, & librum Canonicum.* ibid.
CAP. II. *Ex denominationibus, quæ noſtris olim Deutero-Canonicis tributæ ſunt, re-cte concluditur divina eorum authoritas.* 43
CAP. III. *De Conſtitutionibus Apoſtolicis.* ib.
CAP. IV. *De mente ſancti Irenæi, Origenis, & Euſebii circa Deutero-Canonicorum ve-teris Teſtamenti originem.* 44
CAP. V. *De ſancto Epiphanio, Græciſque aliis Patribus.* 45
CAP. VI. *De Tertulliano, S. Cypriano, plu-rimiſque Patribus Latinis divinam no-ſtrorum veteris Teſtamenti Deutero-Cano-nicorum authoritatem aſtruentibus.* 46
SECT. V. *Ex eo, quod noſtri Deutero-Cano-nici in Miſſis, & antiquis olim Officiis lecti fuerint, divina eorum authoritas demonſtratur.* 47
CAP. I. *Semper e ſacris Scripturis deſumptæ tantum ſunt lectiones, quæ in Miſſalibus*

ad Miſſas, & quæ in Breviariis ad primum Nocturnum recitandæ præcipiuntur. ibid.
CAP. II. *E noſtris veteris Teſtamenti Deutero-Canonicis, uſu antiquiſſimo, in Miſſalia, & Breviaria lectiones tranſmiſſæ ſunt.* 48
SECT. VI. *Solvuntur objectiones, quas Heterodoxi adverſus veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos e Patribus eruere conantur.* 49
CAP. I. *Hæretici Patrum authoritatem ſibi incaſſum arrogant.* ibid.
CAP. II. *De Melitonis, S. Cyrilli Hieroſolymitani, SS. Amphilochii, & Gregorii Nazianzeni ſententia circa veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos.* ibid.
CAP. III. *De Concilio Laodiceno, & ſancto Athanaſio.* 50
CAP. IV. *De ſancto Hieronymo.* 51
CAP. V. *De ſancto Hilario Pictavienſi, Rufino, & ſancto Philaſtrio.* 53
SECT. VII. *Solvuntur cæteræ objectiones, quas Heterodoxi, nonnullique Catholici adverſus veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos proponere ſolent.* 54
CAP. I. *Declaratur adverſus Heterodoxos veneratio, qua Judæi veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos proſecuti ſunt.* ibid.
CAP. II. *Mens Theologorum Scholaſticorum circa veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos exponitur.* 55
CAP. III. *An Eccleſia ante Synodum Tridentinam de noſtrorum Deutero-Canonicorum authoritate divina dubitaverit.* 56
CAP. IV. *Solvuntur variæ objectiones a ſe invicem disjunctæ.* 57
CAP. V. *Mens Patris Martianæi circa veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos exponitur, & confutatur.* ibid.
SECT. VIII. *De ſenſu Decreti, quod de Canonicis Scripturis Synodus Tridentina Seſſione quarta confecit.* 59
CAP. I. *Concilium Tridentinum parem Deutero-Canonicorum cum Proto-Canonicis authoritatem vere ac recte definiit.* ibid.
Prima Veritas. ibid.
Secunda Veritas. 60
CAP. II. *Tridentini Scripturarum indicis æquitas defenditur, ſimulque difficultates, quæ proponi ſolent, ſolvuntur.* 61
CAP. III. *Diluuntur poſtremæ difficultates, quæ mentem Concilii Tridentini in condendo Scripturarum Canone ſpectant.* 62
De Legali Paſchate a J. C. peracto, ad eorum defenſionem quæ habet Concilium Trid. ſeſſ. XXII. cap. I. Diſſertatio P. Nicolai Auguſtini Chignolii O. P. in Taurinenſi Academia olim Prof. adverſus PP. Tourneminium S. J. & Lamium Orat. Presb. 63
PROP. I. *Patris Lamy, aliorumque opinatio a ſacrarum litterarum fide videtur aliena.* ibid.
PROP. II. *Eadem opinio univerſæ Eccleſiæ authoritati contraria eſt.* 65
PROP. III. *Eadem opinio cum ſanctorum Patrum doctrina aperte pugnat.* 66
Jacobi Benigni Boſſuet Epiſcopi Meldenſis Tractatus de Doctrina Concilii Tridentini circa dilectionem in Sacram. Pœnitentiæ requiſitam. 68
PARS I. 69
PARS II. ibid.
PARS III. *& ultima.* 78
Diſſertatio Dogmatica de germano ac avito ſenſu Sanctorum Patrum, univerſæ ſemper Eccleſiæ, ac ſacroſanctæ præſertim Tridentinæ Synodi circa Chriſtianam Contritionem & Attritionem. 81
CAP. I. *Exponitur definitio Contritionis generatim ſumptæ, tradita per ſacroſanctam Synodum Tridentinam:* Contritio eſt dolor animi ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. 83
CAP. II. *Exponuntur Contritionis neceſſitas, & virtutes adnexæ.* 84
CAP. III. *Exponitur Contritionis actus fundamentalis, de quo ſacroſancta Tridentina Synodus:* Deum tamquam omnis Juſtitiæ fontem diligere incipiunt, *&c.* 85
CAP. IV. *Sacræ Synodi verba,* Deum tamquam omnis Juſtitiæ fontem diligere incipiunt, *largius exponuntur.* 87
CAP. V. *Exponuntur varii divinæ dilectionis gradus ſeu ſpecies.* 88
CAP. VI. *Quanta & qualis charitas requiratur ad Contritionem generatim ſumptam.* 90
CAP. VII. *Exponuntur verba ſacroſancti Tridentini Concilii:* Etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare priuſquam Pœnitentiæ Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſa nihilominus reconciliatio ipſi Contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſt adſcribenda. 91
CAP. VIII. *Quæſtiones quædam circa juſtificationem per ſolam ſine actuali Sacramento Contritionem.* 93
CAP. IX. *Diſcutitur doctrina Eminentiſſimi Domini Cardinalis Roberti Bellarmini.* 96
CAP. X. *Examinantur alia Domini Cardinalis fundamenta.* 97
CAP. XI. *Elucidantur quædam per Dominum Cardinalem adducta loca ſacroſancti Concilii Tridentini.* 98
CAP. XII. *Exponitur ſervilis gehennarum timor.* 100
CAP. XIII. *Exponitur varia utilitas timoris ſervilis.* 101
CAP. XIV. *Exponitur varia imperfectio ſervilis timoris.* 102
CAP. XV. *An ob iſtas imperfectiones ſervilis gehennarum metus ſit peccatum?* 103
CAP. XVI. *Quæſtiones aliquot circa ſervilem gehennæ metum.* 104
CAP. XVII. *Exponitur eſſentia Attritionis, ſeu Contritionis imperfectæ.* 106
CAP. XVIII. *Quæſtiones aliquot de imperfecta Contritione.* 107
Epiſtola Familiaris ad Reverendum ac eximium Patrem Henricum Noris Veronenſem, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Sac. Theologiæ Doctorem ac Profeſſorem, qua F. Chriſtianus Lupus, eodem in Ordine S. Theol. Doctor & Profeſſor, quibuſdam ad nonnulla nuperæ ſuæ de Chriſtiana Contritione Diſſertationis capita hæſitantibus, juxta Apoſtoli Mandatum, humiliter conatur dare rationes. 109

CAP.

CAP. I. *Exponitur dissertationis, nec non & hujus Epistolæ scribendæ ratio.* 111
CAP. II. *Lutheranus de Christiana Contritione error largius exponitur.* 113
CAP. III. *Quod casta Dei adfectu saltem super omnia dilectio sit Christianæ Contritionis pars essentialis & præcipua, demonstratur ex orthodoxis Doctoribus, per quorum Scripta de Martino Luthero Ecclesia usque hodie triumphat.* 115
CAP. IV. *Servilis Attritio ostenditur esse duntaxat hesternum commentum.* 117
CAP. V. *Edita nuper Dissertatio a variis Accusationis capitibus expurgatur.* 118
Prima Accusatio diluitur. ibid.
Diluitur secunda Accusatio. 119
Diluitur tertia Accusatio. ibid.
Quarta Accusatio diluitur. 120
Quinta Accusatio diluitur. ibid.
Sexta Accusatio diluitur. ibid.
Diluitur septima Accusatio. 121
Accusatio octava diluitur. ibid. & 123
Diluitur nona Accusatio. 123
Decima Accusatio diluitur. ibid.
Accusatio undecima diluitur. 124
Divi Augustini auctoritas defenditur. ibid.
CAP. VI. *Quædam alterius Accusatoris capita exponuntur.* ibid.
Exponitur ac defenditur Joannes Driedo. ib.
Quorumdam Articulorum a Pio V. Pontifice facta damnatio exponitur. 125
Diversi charitatis & contritionis gradus defenduntur. 126
Mortalis peccati conscientiam habenti Ministro, antequam Sacramentorum administrationi sese ingerat, qualiter sit agendum? 127
CAP. VII. *Exponitur Sanctorum Thomæ Aquinatis, Thomæ de Villa-Nova, Francisci Salesii, ac Bernardini Senensis de Contritione sententia.* 128
CAP. VIII. *Epistolæ Epilogus.* 130
J. Andreæ Serrai in Regia Neapolitana S. Salvatoris Academia Catecheseis & Moralis Theologiæ Professoris de Romani Catechismi, jussu Tridentini Concilii editi, Auctoribus, dignitate atque præstantia Dissertatio. 132
CAP. I. *De Auctoribus & Scriptoribus Romani Catechismi.* ibid.
CAP. II. *De ejus partibus, disciplinæ forma, atque præstantia.* 133
De Catechismi Romani Authoritate Dissertatio Fr. Antonini Reginaldi Ord. Prædicator. in Academia Tolosana Antecessoris. 137
CAP. I. *Qua ratione Catechismus Romanus fuerit tum in ipso Concilio Tridentino cœptus, tum Romæ perfectus?* 141
CAP. II. *Ostenditur Catechismi authoritas, in quantum ex Decreto Tridentini est compositus.* 143
CAP. III. *Probatur secundo Catechismi Romani summa authoritas ex illorum dotibus, qui eum ediderunt.* 144
CAP. IV. *Auctoritas Catechismi demonstratur ex summorum Pontificum approbatione.* 148
CAP. V. *Catechismi Romani auctoritas convincitur ex eo, quod per Ecclesiam universam tamquam legitimus Tridentini Concilii fœtus receptus sit.* 150
CAP. VI. *Ex privatorum Doctorum suffragiis ostenditur, quantæ sit authoritatis Catechismus Romanus.* 153
CAP. VII. *Ex dictis infertur, quantæ sit authoritatis Catechismus Romanus, & qua ratione differat a Sacra Sctiptura, & aliis.* 155
CAP. VIII. *Diluuntur quædam argumenta adversus ea, quæ diximus.* 156
CAP. IX. *Solvuntur quædam, quæ contra Catechismi doctrinam quidam objiciunt de aqua mixta vino in Calice consecrando.* 157
CAP. X. *An sententia illa, quod benedictio, cujus meminerunt Evangelistæ in Eucharistiæ institutione, non sit distincta ab ipsa consecratione, contineatur in Catechismo Romano, & contraria sit Concilio Tridentino.* 159
CAP. XI. *Solutio aliquarum objectionum, quas alii de novo contra Catechismi anthoritatem opponunt.* 161
CAP. XII. *Dissolvitur objectio de gratia per se ipsam efficaci, & aliis ex illa consequentibus.* 164
CAP. XIII. *Tria ultima objectionis septimæ capita de viribus liberi arbitrii post Adami peccatum, diluuntur.* 167
CAP. XIV. *In quo diluitur aliud argumentum ex eo desumptum, quod Catechismus videtur asserere, Christum non pro omnibus mortuum esse, vel sanguinem fudisse.* 171
CAP. XV. *Dissolvuntur duo alia, quæ afferuntur argumenta; alterum de justitia commutativa inter Deum & homines; alterum de pœnitentia publica olim etiam pro criminibus occultis imposita.* 174

NOI
RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la fede di reviſione, ed approvazione del *P. F. Gio. Tommaſo Maſcheroni* Inquiſitor Generale del Santo Offizio di Venezia nel Libro intitolato: *Ad Natalis Alexandri Hiſtoriam Eccleſiaſticam Supplementum &c. Tomi* 2. *Mſſ.* non vi eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo licenza a *Giuſeppe Remondini* Stampator di Venezia che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 20. Genn. 1777.

(PIERO BARBARIGO Rif.
(FRANCESCO MOROSINI 2°. Cav. Proc. Rif.
(GIROLAMO GRIMANI Rif.

Regiſtrato in Libro a Carte 366. al Num. 1173.

Davidde Marcheſini Segr.

Addi 24. Gennaro 1777.
Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſs. contro la Beſtemmia.

Gio. Pietro Dolfin Segr.

FRAN-

FRANCISCI VERONII
REGULA FIDEI CATHOLICÆ,
SEU
DE FIDE CATHOLICA.

ADMONITIO.

HANC *celeberrimam* Fidei Catholicæ Regulam *eximii Theologi Pariſienſis Franciſci Veronii, anno 1649. vita functi, heic edimus juxta Verſionem, quam ejuſdem fecere Adrianus & Petrus Fratres De Walenburch, a quibus Tom. II. inſerta eſt* de Controverſiis Fidei *hac præmiſſa Admonitione.*

„ *Cum anno præcedenti initium feciſſemus de conſtituenda Regula fidei Catholicæ, ut in finem magni momenti ſerviret, opportune factum eſt, ut* „ *incideremus in Tom. III. eximii Domini Franciſci Veronii, qui in ejuſ-* „ *dem Parte V. poſuerat* Regulam Fidei *exactam & ſatis copioſam. Noſtris igitur cogitatio-* „ *nibus rejectis, putavimus hanc publico dandam, ſive ob auctoritatem celebris Auctoris,* „ *ſive quod ipſius Tomi latini variis Doctoribus in Gallia eſſent accepti. Nihil inveniet Lector mutatum, niſi quod in initio quædam brevius ſint poſita; quod exinde §. 3. poſt verbum* Tertio ſequitur *aliqua obſervatio ſit addita; quodque locutionem Auctoris in ſingulari poſuerimus in plurali. Æſtimamus hunc Tractatum adeo excellentem, ut merito plurimum fiat apud illos, qui operam ſalutarem impendunt reducendis errantibus ab hæreſi, & ſchiſmate ad unitatem veritatemque Eccleſiæ Catholicæ. Cumque ad hoc hortaretur hiſce diebus Amicus doctiſſimus ſperans aliquam lucem ex hoc Tractatu poſſe accedere noſtris, a quibus hic neutiquam diſſentiret, libenter obſequuti ſumus monenti.*

CAPUT I.

§. I.

Regula Fidei.

TOTUM *omne & ſolum eſt de fide Catholica, quod eſt revelatum in verbo Dei, & propoſitum omnibus ab Eccleſia Catholica, fide divina credendum.* Neque refert, an illa propoſitio emanet ex Concilio aliquo univerſali, ex ejus decreto, & definitione; an ex ſenſu fidelium omnium.

Complectitur hæc regula verbum Dei: nam *fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Complectitur & Eccleſiam docentem, in Concilio Catholico, hoc eſt univerſali, expreſſe aliquid definientem, aut enunciantem; vel ex ſenſu omnium tum Paſtorum, tum fidelium velut practice eloquentem.

Et quidem *fidei Catholicæ* nomen utrumque hoc ſonat. *Fides enim divina eſt, credere propter authoritatem Dei revelantis:* in quam ſolam authoritatem tota reſolvitur. Propoſitio fit per Paſtores a Chriſto conſtitutos, in Concilio univerſali congregatos, vel ex manifeſtato fidelium omnium ſenſu: nec enim aliter fieri poteſt, ut talibus credendis ſinguli fideles aſtringantur.

Catholicam fidem diximus; quia ſæpius Theologi inter ſe *an hoc, vel illud ſit fide divina credendum*, iſtis affirmantibus, illis negantibus digladiantur. Quo ipſo conſentiunt omnes, illi etiam, qui fide divina illud eſſe credendum dicunt, *non eſſe fide divina Catholica credendum, nec proinde hæreticos, & ab altari, ſeu Eccleſiæ communione amovendos, qui talia fide credere reſpuerent:* de hac autem fide divina, quæ ſit etiam *Catholica*, loquimur in præſenti, cum ſola ſit, de qua Paulus: *Corde creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Sola, qua in ſinu ſuo Eccleſia nos contineat, cujus ſolius profeſſione devios in complexum admittat, denique tales ſolum articulos proponat ipſamet in ſua profeſſione fidei, quam omnes tum Catholici, tum reduces, *corde teneant*, & propalam ore pronuncient, excluſis a dicta profeſſione doctrinis omnibus, de quibus decertent inter ſe Theologi, illis fide credendas dicentibus, aliis negantibus. *Rom.* 10. 10.

Conſentiunt omnes Synodi Patres ac Theologi in hac regula ſtatuenda; & ſemper habiti, & habentur hæretici (nec alii) qui contra ſenſum totius Eccleſiæ, ſeu definitionem Concilii ejus univerſalis aliquid ſentiunt in

doctrina salutis; propriæ nimirum electionis judicio adversus universitatem sese elevante, condemnati.

§. II.

Declaratio Regulæ.

DUO debent conjunctim adesse, quo doctrina aliqua sit fidei Catholicæ. Alterum, ut sit revelata a Deo, per Prophetas, Apostolos, seu Authores Canonicos. Alterum, ut sit proposita ab Ecclesia. Si utrumque adsit alicui doctrinæ, illa fide divina Catholica est credenda; si alterum desit, seu revelatio, seu propositio Ecclesiæ, non est fide divina Catholica credenda. Sed secundum adesse non potest, quin primum reperiatur; quia cum Christus Ecclesiæ promiserit assistentiam Spiritus S. qui doceat eam, ducatque in omnem veritatem; hæc nunquam, stante Dei promissione, quæ semper obtinet, docet aliquid esse revelatum, quod non sit revelatum. Potest tamen aliquid esse revelatum a Deo, etiam in verbo suo, obscure scilicet, quod nondum sit propositum ab Ecclesia: quia revelatum quidem est in verbo divino, sed quod interprete egeat, & necdum Ecclesia sensum verbi Dei, seu scripti, seu traditi, aperuerit, sicque nondum definierit, & proinde nondum proposuerit hoc, vel illud esse fide credendum. Hinc novæ sæpe factæ sunt in Conciliis, etiam universalibus, definitiones: v. g. Baptismum extra Ecclesiam collatum esse validum, nec iterandum: de quo S. Augustinus lib. 1. contra Crescon. cap. 32. *Cum inter Episcopos anterioris ætatis ista quæstio fluctuaret, & varias haberet inter se Collegarum salva unitate sententias, hoc per universam Catholicam* (Nicænum intelligit Concilium, can. 8.) *quæ toto orbe diffunditur, observari placuit, quod tenemus.*

§. III.

Deducta ex regula declarata.

CUM nihil sit de fide Catholica, nisi revelatum per Prophetas, Apostolos, & Auctores Canonicos, sequitur: *Nihil esse de fide divina eorum omnium, quæ novimus ex revelationibus factis post tempora Apostolorum*, quibusvis etiam Sanctis, Ambrosio, Cypriano, seu aliis, antiquis illis, aut recentioribus, quarum myriades sunt in vitis Sanctorum, Catharinæ Senensi, Birgittæ, &c. etiamsi approbatæ forent tales visiones a quibusdam Conciliis etiam universalibus, quales aliquæ referuntur in 2. Nicæno, &c. Quia ista non sunt revelata Prophetis, & Apostolis. Fides proinde, quæ haberi potest iis, humana est, quæ penes Authores referentes est; nutans, probabilis; certa, aut improbabilis, pro qualitate referentium, & circumstantiis talium relevationum, pleræque vel nutant, vel falsæ sunt. Sed si credimus fide humana, Dioni, Suetonio, & aliis profanis Historicis; cur parem saltem, vel majorem gravioribus Authoribus non deferemus fidem?

Sequitur insuper: *Nihil fide divina credi ex ullo miraculo facto post tempora Apostolorum in confirmationem cujusvis doctrinæ, nullumque horum miraculorum fide divina esse necessario credendum*; etiamsi talia miracula referantur ab August. Gregor., & aliis, etiam ut visa ab ipsis, qualia pleraque refert August. lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. aut etsi contineantur in Bullis Summorum Pontificum Romanorum canonizationis Sanctorum, quarum plenæ sunt dictæ Bullæ; aut etiamsi referantur in Conciliis universalibus, aut etiam approbentur, ut pleraque relata fuere in 2. Nicæna Synodo. Ratio eadem, quæ superioris illationis; quia cum hæc miracula facta non sint a Prophetis, & Apostolis, proinde non sunt fundamentum de quo loquimur. Horum miraculorum plenæ sunt vitæ Sanctorum, quorum aliqua sunt falso relata, alia valde nutant; prioris generis multa sunt in vitis conscriptis a Voragine, & Metaphraste, præsertim in vitis Georgii, Ursulæ, &c. ut bene notat Bellarminus de Scriptor. Eccl. in Metaphraste pag. 266. Baronius in Martyrologio ad eorum festa, & alii; maxima pars, & fere omnia verissima sunt: & si Historiis Suetonii fidem aliquam adhibemus, nec revocamus in dubium prælia varia, & alia facta ab eo descripta, temerariusque censeretur, qui sine ratione hæc negaret, majoris sane temeritatis arguendus foret, qui prædicta omnia miracula, relata a Sanctissimis, & gravissimis testibus, etiam ea, quibus interfuerunt, referentibus, ut pleraque refert August. negaret. Fides tamen horum omnium non excedit humanam; nec eis fides Catholica, tanquam fundamento innititur; nullaque doctrina tanquam Catholica creditur ex ullo horum miraculorum. Confirmatur nihilominus his miraculis, quin immo revelationem aliquam continent. *Cum initium sa-* *Hebr. 2, 3.*

lus, seu Evangelium *accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus secundum suam voluntatem.* Et: *illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* *Matth. 28. 20.* Omne ergo miraculum, verbum quoddam Dei est; *impossibile autem est*, verbo ullo *mentiri Deum.* *Hebr. 6. 18.* Eadem itaque certitudine, aut probabilitate, qua novimus miraculum, novimus hinc dogma; quæ notitia varia est, certa, probabilis, aut aliquando improbabilis, pro varietate Authorum referentium, & modo visa, modo audita, qualiter referunt August. Gregor., & alii. Doctrina fidei v. g. *Reliquias Sanctorum venerandas* confirmatur certissime miraculis factis ad reliquias S. Stephani, relatis a S. August. de Civit. Dei lib. 22. cap. 8. teste oculato; confirmatur solum probabiliter, eodem, & Gregorio audita ab aliis narrantibus. Improbabilia sunt pleraque quæ refert Metaphrastes, & de Voragine: talia non nisi improbabilissime citantur ad firmandam fidem. *Extant acta Georgii*, inquit censor justus Baronius in Martyr. 25. April. *a Metaphraste edita: sed in iis displicent, quæ de Athanasio Mago feruntur. Vidi ea etiam, quæ Jacob. de Voragine habet in legend. Sanct. quæ non mediocri indigent castigatione.* Et Bellarminus de Script. Eccles. anno 850. *A Metaph. scriptæ sunt historiæ de vitis Sanctorum multis additis ex proprio ingenio. Addit miracula plurima, & maxima in eversione templorum, & idolorum, & in occisione persecutorum, quorum nulla est mentio apud veteres Historicos.* Sed qualemcumque habeant hæc miracula certitudinem, nullam fidei doctrinam fundare possunt; quia *non sunt revelationes factæ Prophetis, & Apostolis;* adde, quod nec ut plurimum proponuntur ab Ecclesia universali, cui soli promissa est assistentia Spiritus Sancti, ne erret. Fidem ergo solam humanam, seu assensum solum humanum merentur, ob qualitatem referentium, quæ fallibilis, & pure humana est; longe itaque abest, ut talis assensus sit fidei divinæ Catholicæ, de qua sola loquimur.

An vero assensus hi, ob revelationes privatas, extra revelationes factas Prophetis & Apostolis contentas in verbo Dei, & propositas ab Ecclesia universali, sint assensus supernaturales, & divini, & fidei divinæ, quia videntur fieri ob authoritatem divinam revelantem, licet non constantem per verbum Dei scriptum, aut traditum, nec per authoritatem Ecclesiæ universalis proponentis, sed per scripta humana, & ex propositione hominum fallibilium referentium; alia est Quæstio problematica inter Theologos, & proinde longe a doctrina fidei, de qua loquimur. Probabilius censemus, talem assensum non esse divinum, sed pure humanum: quia resolvitur in pure humanam authoritatem particularem horum, vel illorum Historicorum, quæ omnia sunt humana: proinde talis fides non est Theologica, & longe longius non est Catholica.

Tertio sequitur: *Nullam doctrinam fundatam in verbo Dei, seu Scriptura diversimode expositam a SS. Patribus, aut Doctoribus nostris, esse doctrinam fidei.* Idque ex duplici defectu. Primo, quia non constat esse revelatam: omnis autem actus fidei debet esse certus ex revelatione. Secundo nec proponitur talis expositio, seu sensus ille Scripturæ, ab universali Ecclesia, hoc ipso, quod varie a variis exponatur. Ubi tamen observandum, quod quando SS. Patres explicant varia loca Scripturæ, & eandem veritatem alii ex illo Sacræ Scripturæ textu eruunt, alii ex alio; ipsorum consensum non tantum unanimem esse acceptandum Ecclesiæ; sed etiam ut fundatum in Scriptura: licet non, ut fundatum in hoc, vel illo particulari loco Scripturæ.

Quarto sequitur: *Nullam consequentiam, certo licet, & evidenter deductam ex propositione aliqua fidei, & alia evidenti lumine naturæ, per formam Logices evidentem, sufficientem esse fundando fidei Catholicæ articulo: seu nullam doctrinam, quæ constet solum tali consequentia, esse doctrinam fidei Catholicæ.* Idque ex duplici etiam defectu. Primo, quia non est revelata, *fides* autem est *ex auditu, auditus per verbum Dei.* Nec addente: *Et per consequentiam deductam evidenter ex verbo Dei.* Cumque consequens contineatur *virtualiter* in præmissis, non erit doctrina nisi *virtualiter de fide*, neutiquam *formaliter*: ideo, solum ejus principium erit doctrina fidei, ex quo humanus intellectus doctrinam aliquam consequentem deducet, & formabit, cui assentietur. Certa quidem, & evidens erit consequentia; sed humanis multis concurrentibus, forma argumenti, propositione philosophica sæpe mixta: nec tamen conclusio deducitur ex illis, nisi junctis; imo illa non nisi juncta influunt; quare nihil sequitur ex separatis. Causa igitur, qua tota, humana est; quam ergo longe abest, ut doctrina elicita sit divina? *Conclusionem*

voca-

vocamus in ſcholis *Theologicam*, ſi præmiſſæ ſint certæ: aut *doctrinam aliquam problematicam*, ſi aliqua ſit incerta, quod ſæpius in ſubſelliis videre eſt Theologicis: *falſa*, ſi aliqua propoſitio, vel argumenti forma falſa ſit; quod non raro contingit, reſpectu tot placitorum, in quibus Theologi digladiantur. Sed quod notandum diligentiſſime eſt: certum eſt, varias eſſe ſententias tum Doctorum Catholicorum, tum Proteſtantium; *an quod ſequitur ex Scriptura, ſit de fide?* Catholicorum Doctorum alii aſſerunt, Vega, Canus; alii negant, etiam referente Daillæo. Diſtinguunt alii docentque; ſi ex duabus propoſitionibus Scripturæ deducatur conſequentia, illam eſſe de fide, neutiquam ſi ex una, & alia evidenti lumine naturæ. Alio modo diſtinguit Vaſquez, aſſenſum concluſionis illius, qua deducitur ex præmiſſis, non eſſe fidei; qui tamen medio diſcurſu, velut inſtrumento, aut potius proponente, ſplendet doctrina divina virtualiter contenta in præmiſſis, eſſe aſſenſum fidei. Sic inter noſtrates certum eſt *problematicum ſolum eſſe*, *an quod ſequitur de fide*, *ſit de fide*. Conſentiunt ergo omnes, *non eſſe de fide Catholica*, ideſt non eſſe talem doctrinam, cui omnes ſub pœna hæreſeos teneantur aſſentiri tanquam de fide: & ſi quis contrarium diceret, Novator ipſe valde culpandus foret, novum dogma ingerens, & oppoſitum ſentientes damnans, in hoc ipſo ipſemet temeritatis in re graviſſima damnandus, & cenſura Eccleſiaſtica percellendus. *Conſtans itaque eſt*, *doctrinam talem neutiquam eſſe doctrinam fidei Catholicæ* de qua loquimur. Proteſtantium pariter, alii negant, quod ſequitur per conſequentiam evidentem deductam ex Scriptura eſſe de fide; Oſiander, Kemnitius, & nobiliores Lutherani, etiam referente Vedelio in ſuo *Rationali Theologico*. Sed Vedelius affirmat, & quidem pugnaciſſime: quia totum ſuum Rationale in eo ſolo verſatur; & poſt ipſum ſeu ex ipſo Daillæus: licet alii Reformati cum Lutheranis, & Catholicis faciant. Verum nullum hac de re verbum in ipſorum Confeſſione habetur, proinde hæc ipſa doctrina cenſeri nequit doctrina partis Calviniſticæ. Adde quod Lutheranos contrarium tenentes in fratres cooptarunt: quomodo ergo doctrinam hanc, ut fundamentalem omnium controverſiarum ponunt? Sane fundamento hoc nutante, quam infirma aut nutans debet eſſe eorum doctrina de controverſiis omnibus? Alter defectus eſt, 2. quod propoſita non ſit illa doctrina Eccleſiæ univerſali, uti apud Catholicos conſtat: quia neque invenitur in Scriptura expreſſa, neque in Generalibus Conciliis; & ideo Doctores libere diverſum tenent: quouſque veritas enim non auctoritative proponitur, non eſt obligatio acceptandi eam velut divina authoritate revelatam. Nec etiam authoritas publica, ſive Proteſtantium in communi, ſive Reformatorum illam quæſtionem, quam nonnulli volunt fundamentalem, in ulla Confeſſione juxta dicta determinavit. Concludamus ergo, doctrinam talem *non eſſe doctrinam fidei Catholicæ*.

§. IV.

Connexa ex defectu propoſitionis, & quandoque ſimul revelationis, ſecluduntur.

I. SEquitur: *Decretum Gratiani*, ſeu ejus authoritatem longe longius abeſſe, quod poſſit fundare articulum fidei: ſed nihil eſſe de fide, qua continetur in illo Decreto. Quod notandum contra calumnias frequentes Molinæi, aliorumque; *Contenta in illo Decreto, doctrinam eſſe Eccleſiæ Catholicæ*, ingerentis quo materiam nos impugnandi aucupetur. Sed nunquid Religioſus ille tota eſt Eccleſia univerſalis? Nec Gregor. XIII., aut alius Papa, multo minus Concilium ullum univerſale ita Decretum probavit, quaſi contenta in illo forent totius Eccleſiæ definitiones. Imo non leves in illo lapſus facile deprehendere eſt in citatione falſa Authorum &c. Quin ipſemet Gratianus initio Decreti Diſt. 1. cap. 2. *producit Iſidorum in libris Etymologiarum:* Tituli ipſi Diſt. 1. cap. 8. 10. habent, *quid ſit jus civile; quid militare; quid legis Tribunitiæ?* Nunquid iſta ſunt doctrinæ fidei? Gloſſarum quam multæ erant ridiculæ? Proinde ſucciſæ. Quid ergo Greg. XIII.? Juſſit, *Jus Canonicum expurgatum*, ut fuit ipſius juſſu, *non imprimi niſi ſic expurgatum*, *& pro ut Romæ impreſſum fuit; nec alibi imprimi ad decennium &c.*

II. Sequitur: *Nullæ Decretales Romanorum Pontificum contentæ in corpore Juris Canonici, ſive in ſex libris Decretalium, ſive in Clementinis, ſive in Extravagantibus, nullæ Bullæ poſteriorum, qui in Sede Petri ſederunt, ſufficientes ſunt fundando articulo fidei Catholicæ:* ſeu nulla doctrina eſt de fide, qua continetur in iſtis Decretalibus, aut Diplomatibus. Probatur, quia Papa quocunque modo loquens, etiam ex Cathedra, non eſt univerſalis Eccleſia; ergo quod ab eo proponitur, non proponitur ab Eccleſia univerſali; ergo non eſt doctrina fidei Catholicæ. Addo, Concluſionem hanc tam certam eſſe inter Doctores omnes, ut ſi quis contrarium doceret, Novator ipſe foret, & cenſura percellendus, quippe novi dogmatis inventor. Patet ex ipſo Bellarmino, qui lib. 3. de Pont. Rom. cap. 2. ubi tres inter Catholicos opiniones refert, 1. *Opinio eſt*, inquit, *Pontificem etiam ut Pontificem poſſe eſſe hæreticum, & docere hæreſim, ſi abſque Generali Concilio definiat, & de facto aliquando accidiſſe. Hanc opinionem ſecuti ſunt aliquot Pariſienſes, ut Gerſon, & Almain in libris de Poteſt. Eccl. Nec non Alphonſus de Caſtro lib. 1. cap. 2. contra hæreſes, & Adrianus VI. Papa in quæſtione de Confirmatione; qui omnes non in Pontifice, ſed in Eccleſia, ſive in Concilio Generali tantum, conſtituunt infallibilitatem judicii in rebus fidei.* 2. *Opinio eſt in alio extremo, Pontificem non poſſe ullo modo eſſe hæreticum, nec docere publice hæreſim, etiamſi ſolus rem aliquam definiat. Ita Pighius lib. 4. Hierar. cap. 8.* 3. *Opinio eſt quodammodo in medio, Pontificem, ſive hæreticus eſſe poſſit, ſive non, non poſſe ullo modo definire aliquid Hæreticum a tota Eccleſia credendum. Hæc eſt communiſſima opinio fere omnium Catholicorum, B. Tho. Cajet. &c.* 1. *Opinio non eſt proprie hæretica (nam adhuc videmus ab Eccleſia tolerari, qui illam ſententiam ſequuntur) tamen videtur omnino erronea, & hæreſi proxima.* 2. *Probabilis eſt, non tamen certa.* 3. *Certiſſima eſt, & aſſerenda.* Hæc Bellarminus, quem fuſe ſic citavimus, quo calumniam elueremus, qua nonnulli viri traducuntur, quod dicant, *quæ definita forent a Pontifice, etiam ex Cathedra, extra Concilium generale, non eſſe fidei Catholicæ.* Et iterum illud ita aſſeritur, ut ſtatuatur illud eſſe certum ex omnium Doctorum, Bellarmini etiam, & aliorum ſententia. Conſtat enim ex Bellarmino, primam eam opinionem *non eſſe hæreticam*. Non aſſentimur Bellarmino dicenti; *videri erroneam, & hæreſi proximam;* quamquam hoc ipſum non niſi nutans dicit termino illo *videtur*. Non enim omnibus id videtur, quibus Gerſonem, Almainum, & Adrianum *erroneæ, & hæreſi proximæ opinionis inſimulare* temerarium potius videtur. Sed ex Bellarmino ipſomet conſtat, *non eſſe definitum ab Eccleſia, Pontificem eſſe infallibilem*, extra Concilium univerſale, & quæ proponeret credenda, fore *fidei Catholicæ;* conſentiunt itaque ex ipſomet Bellarmino Doctores omnes, *doctrinam illam non eſſe fidei catholicæ;* quod ſolum dixi, & certiſſimum eſt; quod non advertunt præcipiti judicio calumniatores. Quam ex iis tribus primis opinionibus ſequeremur, extra rem noſtram fuiſſet, & foret pronunciare (libenter tamen tertiæ adhæremus, ſed abſque cenſura primæ) qui devios ad fidem *Catholicam*, ſemota omni alia doctrina, reducere contendimus. Non itaque dicimus, *ſic definita non eſſe de fide*, quod putant adverſi, ſed ſolum dicimus, & repetimus, *non eſſe de fide Catholica*, ſeu non eſſe doctrinam, quam omnes, quo ſint Catholici, tenere debeant *tanquam de fide, cujuſque contrarium ſit hæreticum*, & removens a gremio Eccleſiæ. Omnes nihilominus concedunt, gravis eſſe authoritatis, quod a Pontifice tantæ Sedis docetur, etiam cum ſolo Concilio privato, & privatim ſolum reſcribente aliquot Epiſcopis; gravioris, quod cum Concilio Provinciali: graviſſimæ, quod ex Cathedra, toti Eccleſiæ illud proponendo, ſive cum Concilio privato, ſive in Concilio provinciali, temerariumque eſt, a ſic pronunciatis diſcedere. Maturius ergo procedant hi cenſores, quorum cenſura cenſuram meretur, quippe inductiva novi dogmatis, tanquam fide Catholica credendi, quod nemo huc uſque ſtatuit, ſcilicet, *quod a Pontifice foret, etiam ex Cathedra definitum, extra concilium univerſale eſſe de fide Catholica*, ſeu tale definitum eſſe fide *Catholica*, & ſub peccato hæreſeos ab omnibus credendum. Hallucinati ſunt, & cæcutiendo in errorem prolapſi; quamquam non tam error, quam hallucinatio vocanda ſit præceps hæc cenſura: putarunt multos dixiſſe, quod nec ſomniarunt. Sed ad rem, ſeu ad *Decretales juris Canonici*, propius. Sane nec ipſe Bellarminus & erroris aliquot Decretales arguere veretur. Nam in lib. 4. de Pontifice Rom. cap. 12. cum retuliſſet *Magdeburgenſes Cent. 8. cap. 10. in vita Gregorii III.*, eum accuſantes, *quod in Epiſtola ad Bonifacium, permiſerit viro ducere aliam uxorem, ſi propter morbum aliquem uxor ei debitum conjugale reddere non valeat, quod eſt expreſſe contra Evangelium, ut etiam annotavit Gratianus 32. q. 7. Canone, Quod propoſuiſti*, Reſpondet: *Poſſet etiam dici, Pontificem ex ignorantia lapſum eſſe: quod poſſe Pontificibus accidere, non negamus, cum non definiunt aliquid tanquam de fide, ſed ſolum opinionem ſuam aliis declarant, ut hoc loco videtur Gregorius feciſſe.* Quæ ſolutio applicata variis Decretalibus, ſonge illas a vi fundandi articulum fidei abducit, ſcilicet reſpondendo paſſim, ſi premamur talibus, *Pontificem non definiviſſe illam*

lam tanquam de fide, ſed ſolum opinionem ſuam aliis declaraſſe, quod ſine dubio inſufficiens eſt fundandæ doctrinæ fidei, multo minus fundandæ fidei *Catholicæ*. Placet adhuc propius Decretales illas evolvere. Maxima earum pars verſatur in regulandis Officialis, ſeu Judicis in Epiſcopali tribunali ſedentis judiciis: varia in collatione beneficiorum obſervanda præſcribunt, ex quibus Officiales debent lites terminare. Quid hæc ad articulos fidei? Non ſunt hæc materia propria fidei, Pleræque etiam, & fere omnes, reſponſa ſunt particularibus data, non toti Eccleſiæ, in quibus reſponſionibus particularibus concedunt omnes, Papam poſſe errare, nec talia reſponſa fundandæ doctrinæ fidei, multo minus *Catholicæ* eſſe ſufficientia. Sed ut tot reſponſa Decretalium, ſeu Pontificum Romanorum lites multiplicant, ita reſponſum noſtrum generale multiplices ſolvit controverſias, quas agglomerant Adverſarii modo ex Gratiano, & modo ex Decretalibus, Bulliſque Pontificum, ſeu jure Canonico, varias conſarcinando, & ſæpe eaſdem falſo gloſſantes; quæ obtrudunt nobis tanquam doctrinam noſtræ fidei *Catholicæ*, & impugnant; compingunt inde libros ſuos; Noſtrates etiam ſæpe ſuos his defendendis, Compendioſior via, & regia reducendis ad caſtra catholica deviis eſt, propalam inclamare, *nihil horum eſſe de fide Catholica;* proinde *nihil horum eſſe* in profeſſione fidei noſtræ, quam ſubſcribendam ſolum reducendis deviis proponimus.

III. Sequitur: *Non eſt de fide Catholica, quod definitum foret in ullo Concilio Provinciali, etiam Papa ei præſidente per ſe, vel per legatos.* Ratio eſt, quia tale Concilium non eſt Eccleſia univerſalis, quare quod ab eo proponitur, non proponitur ab Eccleſia univerſali; non eſt ergo de fide *Catholica;* niſi aliunde ſenſus totius Eccleſiæ conſtaret, ſicut conſtat de multis pronunciatis contra Pelagium, & alios in Conciliis Regionariis, ut vocat Auguſtinus, v. g. in Concilio Milevitano Numidiæ ſub Innocentio Papa Tom. 1. Concil. pag. 630. 753. &c. 2. Probatur ex illo Bellarmini jam relato, referente tres opiniones inter Catholicos, quarum 1. eſt, *Pontificem*, inquit, *etiam ut Pontificem, poſſe eſſe Hæreticum, & docere hæreſim, ſi abſque Concilio Generali definiat, & de facto aliquando accidiſſe. Hanc opinionem ſecuti ſunt aliquot Pariſienſes, ut Gerſon, Almain, nec non Caſtro, & Adrianus, qui omnes non in Pontifice, ſed in Eccleſia, ſive in Concilio Generali tantum conſtituunt infallibilitatem judicii de rebus fidei.* Vide jam ſupra dicta. Magna tamen veneratione ſuſcipienda ſunt, quæ a tantæ authoritatis Decretis, ſeu Romani Pontificis, ſeu talium Conciliorum, manant. Item ea, quæ miraculis, aut prædictis revelationibus, fidis tamen, nituntur, ſeu confirmantur.

IV. *Non omnes praxes Eccleſiæ, etiam univerſalis, ſunt ſufficientes fundando articulo fidei Catholicæ.* Probatur ex defectu 2. conditionis; quia praxes hæ non ſunt propoſitiones factæ ab Eccleſia veritatis alicujus credendæ, ſed rei faciendæ: Regula autem praxeos bonæ poteſt eſſe opinio probabilis, & non indubitata; unde fit etiam, ut praxes has poſſet mutare Eccleſia, quippe quæ regulari poſſunt ex opinione probabili, quam ſequi, vel contrariam etiam probabilem licitum eſt. 2. Probatur ex Vaſquez 3. part. diſp. 227. c. 3., ubi cum docuiſſet, & probaſſet, *Sacrificium Miſſæ ſuapte natura, & inſtitutione divina ſeu Chriſti, pro non baptizatis offerri non poſſe, nec unquam potuiſſe, ſive illi Catechumeni ſint, ſive omnino infideles, pagani aut Judæi, tametſi publicæ orationes pro eis fieri poſſint, pro ut Eccleſia permiſerit*, objeceritque ſibi *aliquando id factum in Eccleſia, ſacrificium pro ipſis Catechumenis offerri conſuevisse*, probaſſetque ex libro, qui dicitur, Ordo Romanus cap. 20. Poſt primam ſuam reſponſionem objectioni addit: *Cæterum reſpondere quis poſſet, quod attinet ad eſſentiam, & ſubſtantiam ſacramentorum, Eccleſiam ſemper eam doctrinam dictis, & factis probaſſe, quæ certa & indubitata eſt: at vero quod attinet ad alia accidentaria, non omnino indubitatam, ſed probabilem opinionem aliquando in praxi ſecutam aliquid feciſſe, tametſi non tanquam certum dogma fidei declaraverit: & hac de cauſa tunc ex præſcripto Romani Pont. Miſſam pro Catechumenis obtuliſſe, nunc autem eam non offerre; cum neque publica oratio ulla pro illis permanſerit, niſi in die Paraſceves, quando nullum in Eccleſia ſacrificium offertur.* Et paulo poſt: *Quid igitur mirum, ſi antiquitus Eccleſia ſecuta probabilem opinionem de oblatione hujus ſacrificii pro Catechumenis, pro illis Miſſam celebraverit, nunc autem nullam offerat?* Adde his: *Decreta Conciliorum*, inquit bene Bellarminus lib. 2. de Conciliis cap. 17. *non indigent approbatione populi, cum ab eo non accipiant authoritatem. Decreta vero de moribus ſi non recipiantur, & Pontifex conniveat, tandem conſuetudine abrogantur, quia Decreta morum mutabilia ſunt, & cum Pontifex videt longo tempore ea non ſervari, & tacet, cenſetur ipſe abrogare. At decreta de fide immutabilia ſunt, nec poſſunt ullo modo abrogari, poſteaquam ſemel ſtatuta ſunt.* Veriſſimum quidem eſt illud Auguſtini Ep. 118. *Si quod tota per orbem frequentat Eccleſia, hinc quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* Sed non inde ſequitur, Eccleſiam per talem praxin proponere tanquam credendum de fide Catholica aliquod dogma; ſufficit praxin eſſe bonam, cui bonitati ſatis eſt, quod fundetur in opinione probabili: hinc, ut jam notatum, tot praxes ſuas etiam univerſales Eccleſia mutare poteſt. Praxes enim ſunt variabiles, utpote præcepta, nullo autem modo dogmata fidei variari poſſunt, quippe veritas invariabilis eſt.

V. *Ea*, inquit bene Vaſquez 1. 2. diſp. 200. cap. 6. *quæ tradit Concilium in Capitibus, eſſe fidem Catholicam neceſſario credendam, colligitur ex fine cujuſque Seſſionis, antequam Canones ponantur.* Et 3. Part. diſp. 207. cap. 3. *Quidquid in Capitibus traditur ante Canones a Concilio pertinens ad doctrinam, eſt Catholica fides. Conſtat ex Trident. Seſſ. 13. cap. 8. in fine*, immediate poſt Capita, & ante Canones, ubi dicitur; *Quoniam autem non eſt ſatis veritatem dicere, niſi detegantur, & refellantur errores, placuit Sanctæ Synodo hos Canones ſubjungere, ut omnes jam agnita Catholica doctrina* (nempe illuc uſque tradita) *intelligant quoque, quæ ab illis hæreſes caveri vitarique debeant.* Et Seſſ. ſexta ſimiliter poſt Capita, & ante Canones: *Poſt hanc Catholicam de juſtificatione doctrinam, placuit Sanctæ Synodo hos Canones ſubjungere, ut omnes ſciant, non ſolum quid tenere, & ſequi, ſed etiam quid vitare, & fugere debeant.* Ratio hujus rei eſt, quia tam in Capitibus, quam in Canonibus propoſitiones Eccleſiæ, quid credendum, quid damnandum, continentur. Addit ibidem Vaſquez: *Quamvis interdum Eccleſia prohibere ſoleat diſputationem de aliqua re, quam nondum tanquam dogma fidei definivit, ut quod quis damnet, aut aliquo modo notet propoſitionem aliquam, vel e contrario dicat eſſe probabilem; tamen nunquam hactenus damnavit ſub excommunicationis pœna eos, qui aliquid pertinaciter, & abſolute aſſeruerint, niſi eo id damnet, tanquam errorem contra fidem, & oppoſitum, ut Catholicam fidem definiat, ita ut hæreticus ſit, qui talem errorem pertinaciter aſſeruerit; pertinaciter autem illud aſſerere nihil aliud eſt, quam poſt prædictam definitionem id ſcienter affirmare.* Addendum tamen ex eodem, eadem 3. Parte, diſput. 181. cap. 9. *Aliquando Eccleſia ſuam definitionem confirmat teſtimoniis, ex quibus aliqua non efficaciter eam probant.* Subjungit nihilominus, & bene: *Tamen quando Patres in Concilio dicunt, ex hoc, aut illo loco, hanc, aut illam veritatem Eccleſiam collegiſſe, & colligere, quis, obſecro, fundamentum illud infirmum, & incertum eſſe dicere audeat?* Ita Vaſquez. Unde generaliter dicimus, eorum, quæ continentur in Capitibus, id ſolum, & totum eſſe de fide, quod definitur, ſeu (ut loquuntur Juriſtæ) ſolum diſpoſitivum arreſti, ſeu contenti in Capite, aut Canone eſt de fide, motivum vero arreſti, ſeu ejus probationes, non ſunt de fide. Ratio eſt, quia primum ſolum proponitur credendum, & proprie definitur, non autem motivum, ſeu probatio. Hinc plurima continentur in Conciliis, etiam univerſalibus, quæ non ſunt de fide, ſcilicet, quod in eo eſt obiter dictum, multo minus, quod in ſeſſionibus a variis Prælatis, dum ſententias dicunt, prolatum; multo adhuc minus, quæ a Doctoribus in diſcuſſionem rei definiendæ præmittuntur, aut inveſtigantur. Ratio generalis eſt, quia nihil eorum definitur ab Eccleſia.

VI. Quod proximum huic eſt, ut ſit aliquid de fide, oportet ex Bellarmino lib. 2. de Concil. cap. 17. adducere, *Concilium rem eam definiviſſe proprie, ut Decretum fide Catholica tenendum.* Hinc addit: *Non ſunt proprie hæretici, qui ſentiunt, Pontificem non eſſe ſupra omnia Concilia*, licet dicat, *Lateranenſe ultimum Concilium ſub Leone X. diſerte, & ex profeſſo docuit, Pontificem eſſe ſupra omnia Concilia, & reprobavit contrarium Decretum editum in Concilio Baſilienſi; quod*, inquit ille, *Concilium Lateranenſe rem iſtam non definiverit proprie, ut Decretum fide Catholica tenendum, dubium eſt; & ideo non ſunt proprie hæretici, qui contrarium ſentiunt.* 2. Requirit idem Bellarm. cap. 11. eſſe definitum *conciliariter*. *Martinus V.* inquit, *dixit ſe confirmare tantum ea decreta de fide, quæ facta erant in Concilio Conſtantienſi conciliariter, ideſt more aliorum Conciliorum, re diligenter examinata. Conſtat autem hoc Decretum* (ſcilicet Conſtantienſe ſeſſ. 4. Concilium generale habere a Chriſto immediatam auctoritatem, cui omnes obedire tenentur, etiamſi Papalis dignitatis exiſtat) *ſine ullo examine factum a Concilio Conſtantienſi. Itaque Martinus cum confirmavit Decreta de fide conciliariter concluſa, intelligebat tantum de damnatione hæreſum Wicleffi & Huſſ.*

VII.

VII. Idem Bellarm. tom. 1. lib. 1. de Clericis cap. 28. cum objeciſſet ſibi *Caput* Quanquam, *de cenſibus in 6.*, *ubi Bonifacius Papa VIII. dicit, jure humano, & divino liberos eſſe Clericos ab exactionibus*; reſpondet, *dicendum fuiſſe Bonifacium in ſententia Canoniſtarum, & ſententiam illam ſuam aperuiſſe, non autem aliquid definiviſſe. Nam non loquitur per modum definientis rem controverſam, ſed ſimpliciter, & obiter id aſſerit*; *ait enim*: Cum jure divino ſint immunes Clerici &c. Idem dicere poſſumus de iis omnibus, quæ Concilia etiam univerſalia dicunt *obiter*, & non per modum definientis.

VIII. Objectum debet eſſe definibile de fide. V. g. Bellarm. idem lib. 4. de Rom. Pont. cap. 14. concedit, erraſſe *Joannem* XXII. in *Extravaganti* Ad conditorem de verb. ſign. cum docuit, *non poſſe ſeparari uſum a dominio in rebus uſu conſumptibilibus*; ſed non *in re fidei*, inquit, hæc enim quæſtio ad fidem non pertinet. Similiter itaque doctrinæ, legum, aut Philoſophiæ ſtudia ſpectantes, non ſunt definibiles de fide.

IX. Debet eſſe decretum univerſale propoſitum toti Eccleſiæ. *Dicimus*, ait Bellarm. eod. lib. 4. cap. 5. *non poſſe errare Pontificem* (ſeu Concilium generale) *in iis præceptis, quæ toti Eccleſiæ præſcribuntur. Quia in præceptis, & judiciis particularibus, non eſt abſurdum, Pontificem* (aut Concilium generale) *errare*. Et cap. 14. cum ſibi objeciſſet, *Innocentium Octavum Norvegis permiſiſſe, ut ſine vino ſacrificium celebrarent*; ſolvit ſic: *Sed facile reſponderi poteſt; nam non condidit ipſe decretum, quo univerſæ Eccleſiæ declaravit licere, ſine vino ſacrificium offerre*. Itaque ſi erravit, erravit facto, non dogmate. Idem eſt de Conciliis generalibus.

X. Bellarm. idem cap. 12. cum ſibi objeciſſet, *Stephanum Papam ordinatos a prædeceſſore ſuo Formoſo juſſiſſe iterum ordinari, proinde ſenſiſſe Sacramentum pendere a virtute miniſtri, qui eſt error in fide manifeſtus*; ſolvit ſic: *Reſpondeo erraſſe Stephanum, ſed in quæſtione facti, non juris, & malo exemplo, non falſa doctrina*. Et paulo poſt: *Reſp. Stephanum non ediditſe aliquod decretum, quo decerneret ordinatos ab Epiſcopo degradato, vel nominatim a Formoſo, tanquam degradato eſſe iterum ordinandos; ſed ſolum de facto juſſiſſe iterum eos ordinari; quæ juſſio non ex ignorantia, aut hæreſi, ſed ex odio in Formoſum procedebat*. Idem poteſt dici de Conciliis, ſi caſus ſimilis contingeret.

XI. Ex eodem ibidem cap. 5. *Non eſt erroneum dicere, Pontificem* (ſeu Concilium Generale) *poſſe errare in legibus, quæ non verſantur in rebus neceſſariis ad ſalutem, vel per ſe bonis, aut malis; nimirum ſuperfluam legem condendo, vel minus diſcretam &c. Atque, ut rem totam exemplis declaremus, non poteſt fieri, ut Pontifex* (ſeu potius Concilium generale) *erret, præcipiendo aliquod vitium, ut uſuram, vel prohibendo virtutem, ut reſtitutionem, quia hæ ſunt per ſe bonæ, vel malæ; nec poteſt fieri, ut erret præcipiendo aliquid contra ſalutem, ut Circumciſionem, vel Sabbathum; vel prohibendo aliquid neceſſarium ad ſalutem, ut Baptiſmum, & Euchariſtiam, licet hæc non ſint per ſe bona, aut mala. Ut autem jubeat aliquid, quod non eſt bonum, neque malum ex ſe, neque contra ſalutem, ſed tamen eſt inutile, vel ſub pœna nimis gravi illud præcipiat, non eſt abſurdum dicere, poſſe fieri, quamquam non eſt ſubditorum de hac re dubitare, ſed ſimpliciter obedire*.

XII. Ex eodem cap. 2. *Conveniunt omnes Catholici, poſſe Pontificem etiam ut Pontificem, & cum ſuo cœtu Conſiliariorum, vel cum generali Concilio, errare in controverſiis facti particularibus, quæ ex informatione, teſtimoniiſque hominum præcipue pendent*. Juxta quod cap. 11. cum objeciſſet ſibi vulgare illud *de Honorio* Papa relato inter Hæreticos a VI. Synodo Generali, reſpondiſſetque, *corruptam fuiſſe VI. Synodum*, addit: *Quod ſi aliquis non poſſit adduci, ut credat corruptam eſſe VI. Synodum, is accipiat alteram ſolutionem, quæ eſt Joannis a Turrecre. lib. 2. de Eccleſ. cap. 93. qui docet, Patres VI. Synodi damnaſſe quidem Honorium, ſed ex falſa informatione, ac proinde in eo judicio erraſſe. Quamvis enim generale Concilium legitimum non poſſit errare, ut neque erravit hoc VI. in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare poteſt in quæſtionibus de facto. Itaque tuto dicere poſſumus, hos Patres deceptos ex falſis rumoribus, & non intellectis Honorii epiſtolis, immerito cum hæreticis connumeraſſe Honorium*. Idem ibidem Bellar. addit, *Patres VII. Synodi ſecutos eſſe Synodum VI., & ſolum repetiviſſe, quod in ea legerent; proinde deceptos fuiſſe ex VI. Synodo, quæ vel corrupta erat, vel per errorem Honorium damnaverat*. Idem addit de *Adriano Papa*: *Si dicamus acta VI. Synodi eſſe corrupta, reſpondendum eſt, Adrianum deceptum fuiſſe ex depravatis illis actis VI. Synodi*.

XIII. Addamus & iſtud ex Suario Tom. 4. diſp. 56. de indulgentiis ſect. 3. *Quamvis Pontifex expreſſe declaret in indulgentiarum diſpenſatione ſe moveri propter talem cauſam, quam reputat ſufficientem ad tantam indulgentiam concedendam; non eſſet infallibile, vel cauſam eſſe talem; vel* (*quod conſequens eſt*) *totam indulgentiam eſſe validam. Quia talis declaratio Pontificis non eſt de doctrina ad fidem pertinente, ſed de quodam facto particulari, quod ad prudentiam ſpectat, in qua Pontifex non habet infallibilem aſſiſtentiam Spiritus Sancti, ſed in his tantum, quæ ad doctrinam fidei, & morum ſpectant, juxta* illud Lucæ 22. 32. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua* (*ut nec in diſpenſatione voti*). *Simili modo, quamvis Pontifex exiſtimet, aut declaret talem cauſam ſubeſſe, nihilominus decipi poteſt; quia quoad hoc prudentia, & exiſtimatione humana gubernatur, poſſetque etiam humano affectu moveri*. Quæ ratio probat, idem pariter in Concilio Generali dicendum eſſe. Optima ſane eſt hæc Suarii regula. Ex qua etiam longe longius abeſt, eſſe *de fide* hanc, vel illam excommunicationem eſſe validam. Addit tamen ibidem Suarez, & bene: *Nunquam tamen exiſtimo expedire, imo nec poſſe abſque ſcandalo, & imprudentia fieri, ut aliqua indulgentia particularis, quam conſtat eſſe a Pontifice conceſſam, publice denuncietur eſſe nulla, aut ſuperflua: quia id moraliter loquendo eſt inutile, & contra reverentiam Pontifici debitam &c. Similiter obediendum legibus, & præceptis, etiam ſub excommunicatione latis, & qui non obediret, peccaret, & incurreret excommunicationem*, licet in iis ferendis poſſit errare Pontifex eo modo, quo diximus, nec ſit proinde de fide, non errare, quia alia eſt regula fidei, quæ *infallibilis* debet eſſe, & eſt; alia regula legum, ad quas ferendas ut obligent, hæc *infallibilitas* non requiritur: ſola ſufficit authoritas in præcipiente rem, quam judicat eſſe bonam &c. Imo probabile ad hoc judicium ſufficit, juxta ea, quæ ſunt relata ex Vaſquez; & generaliter deferendum eſſe plurimum, in omnibus Superiorum tum judicio, tum voluntati, cuivis cordato, & prudenti conſtat ratione ipſa naturali hoc dictante, cumprimis vero ipſa Scriptura Sacra Matth. 18. 17. Heb. 13. 17. &c. Attamen cum inſtituti noſtri ſit ſolum devios a fide Catholica ad illam reducere, haud nobis eſt in his enucleandis immorandum. Solam ſecretionem doctrinæ fidei a quavis alia inſtituimus faciendam.

CAPUT II.

Secretio doctrinæ fidei a quavis alia in particularibus materiis controverſis.

EN regulæ generales ſecretionis exactæ faciendæ, doctrinæ fidei Catholicæ a Theologia Scholaſtica, & quavis alia doctrina. Jam ex ea ſecernamus in ſingulis materiis, *quid ſit de fide*, præſertim *Catholica*, & quid non ſit tali fide credendum. Quidquid ſit, cui ſit in ſingulis materiis inter opiniones Scholaſticas potius aſſentiendum, quid etiam certo moraliter tenendum, utpote non utcumque probabile, ſed tanquam ex communi doctrina ratum, aut cui tanquam concluſioni Theologicæ ſit inhærendum; nihil enim horum moramur, qui ſolummodo devium a fide Catholica ad illam reducere conamur; reliquis omiſſis, quæ miſcenda non ſunt, ne difficiliorem devio reddamus reditum, tacere de his præſtat. Quin, & ſi devius petat de talibus, quod frequenter faciunt, ſenſum noſtrum, ſatius eſt illis reſpondere, Eccleſiam nihil in his, quæ petit, reſpondiſſe: magiſtram illam nos ſequi, non præire: nihil horum contineri in Profeſſione fidei Catholicæ, cujus ſolius aſſenſum, & ſubſcriptionem ab eo requirimus, quo illum in Eccleſiæ Catholicæ membrum cooptemus: Paulum monere, *Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*. Rom. 10. 3. Poſtquam fuerit cooptatus in Eccleſiam, nos ei, ſi curioſus Scholaſticorum fuerit, ſenſa varia panſuros: ſi nolit, nihil horum unquam dicturos, ſine quibus & ſanctus, & ſalvus eſſe poteſt: interim his non implicet animum, ne multitudine, aut varietate, aut ſubtilitate implicetur, obruatur: relinquat hæc Theologorum ſubſelliis, in quibus aliquot annos ſedere opus eſt doctrinis his extra fidem enodandis. Ergo ad ſingula deſcendamus *ad amuſſim, & regulam præſcriptam fidei expendenda, & ſecernenda*. Deductio hæc clara, & evidens ſufficeret cuilibet materiæ applicata; ſulcimus tamen applicationem hanc, vel ſingula, de quibus pronunciabimus, *non eſſe de fide*, Doctorum aliquot authoritate, ne temerarii alicui, qui quæ non novit, facile damnat, ſaltem in aliquibus materiis videamur, aut ne quis carpat, vel aliis inſuſurret, aut palam blateret.

§. I.

§. I.

De meritis gratiæ, & gloriæ.

DE meritis Concilium Tridentinum habet ſeſſ. 6. can. 32. *Si quis dixerit hominis juſtificati bona opera, ita eſſe dona Dei, ut non ſint bona ipſius juſtificati merita, aut ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema ſit.* En quid cavendum, ſub pœna anathematis, tanquam hæreticum, ſed & en, quid ex regula noſtra fide Catholica ſit credendum de meritis, ſcilicet quia eſt propoſitum a Concilio univerſali omnibus credendum.

Ex qua a contrario ſequitur, non eſſe de fide Catholica, nec dari meritum de congruo; 2. nec dari de condigno; 3. nec merita eſſe ex juſtitia, potius quam ex fidelitate; 4. multo minus dari ex juſtitiæ rigore. Probatur 2. quia non omnes Doctores hoc tenent, referente ipſomet Bellarmino: *Quale ſit meritum, tres ſunt quæſtiones*, inquit ille Tom. 3. Cont. 3. lib. 5. de Juſtificat. cap. 16. *Una, ſit ne meritum juſtorum dicendum ex condigno, an ex congruo. Altera, ſit ne condignum ratione promiſſionis tantum, an etiam ratione operis. 3. Num Deus remuneret opera juſtorum ſupra condignum, & impiorum citra condignum. Quod attinet ad primam quæſtionem, Catholici omnes agnoſcunt opera bona juſtorum eſſe meritoria vitæ æternæ; ſed tamen aliqui cenſent, non eſſe utendum his verbis, de* condigno, & congruo, *ſed abſolute dicendum, opera bona juſtorum eſſe meritoria vitæ æternæ ex gratia Dei. Ita docet Thomas Waldenſis &c. Alii volunt opera bona juſtorum eſſe de condigno largo modo, ita ut hoc condignum reſpectu condigni proprie ſumpti, poſſit dici congruum. Ita Durandus, Gregor. &c. docent. Communis autem ſententia Theologorum admittit ſimpliciter meritum de condigno. Durandi ſententia, ſi nihil aliud vellet, niſi merita noſtra non eſſe ex condigno, ſive ex juſtitia abſoluta, ſed tantum ex hypotheſi, id eſt, poſita liberali Dei promiſſione, non eſſet reprobanda. Cæterum videtur omnino velle, merita noſtra ex gratia Dei procedentia, & poſita promiſſione, adhuc non eſſe talia, ut ex juſtitia debeantur meriti, ſed ut ſola Dei liberalitate.* Et cap. 18. *Altera quæſtio ſequitur; Utrum opera bona ſint meritoria ex condigno ratione pacti tantum, an ratione operis tantum, an ratione utriuſque. Non deſunt, qui cenſeant, opera bona eſſe meritoria vitæ æternæ ex condigno ratione operis, etiamſi nulla extaret divina conventio. Ita docent Cajetanus, Soto &c. Alii contra exiſtimant, bona opera ex gratia procedentia non eſſe meritoria ex condigno ratione operis, ſed ratione pacti, & acceptationis divinæ. Ita docet Scotus, & alii &c. Diſtat autem hæc opinio longiſſime ab hæreſi Lutheranorum; non enim Scotus cenſet, opera bona non eſſe vere bona, ſed peccata, ſi ad legem divinam examinentur, ut Lutherani cenſent. Sed exiſtimat, opera juſtorum eſſe bona vere, & proprie, ſed non tam excellentia, ut proportionem habeant cum vita æterna, ideoque acceptari quidem a Deo ad juſtam, & dignam mercedem vitæ æternæ, ſed ex pacto, & promiſſione, non ex operis dignitate. Nobis media ſententia probabilior eſſe videtur, quæ docet, opera bona juſtorum meritoria eſſe vitæ æternæ, ex condigno, ratione pacti, & operis ſimul; non quidem quod ſine pacto, vel acceptatione non habeat opus bonum proportionem ad vitam æternam, ſed quia Deus non tenetur acceptare ad illam mercedem opus bonum quamvis par, & æquale mercedi, niſi conventio intercedat, &c.* Et cap. 19. *Poſtrema reſtat quæſtio, Num Deus bona opera remuneret ex mera liberalitate ſupra condignum. Communis enim Theologorum ſententia id conſtanter affirmat &c. Contrarium docuit Vega. Probatur breviter, Deum remunerare ultra, vel ſupra condignum &c. Utrum autem operibus malis Deus pœnam reddat citra condignum, non videtur ita eſſe certum &c.* Hæc Bellarm. Et Vaſquez 1. 2. diſp. 213. cap. 3. *Tametſi Scholaſtici omnes, & Catholici ſcribentes contra hæreticos hujus temporis, aperte pronuncient, operibus juſtorum ineſſe rationem meriti vitæ æternæ; nihilominus cum agitur de ratione meriti ſimpliciter, aut meriti condigni vitæ æternæ, variant inter ſe. Et ſane B. Thom. art. 1. quæſt. 114. affirmat noſtri apud Deum non eſſe meritum ſimpliciter. Ratio vero illius eſt, quia ubi non eſt ſimpliciter juſtitia, neque ſimpliciter æqualitas, non poteſt eſſe meritum ſimpliciter, noſtri autem ad Deum non eſt juſtitia, neque æqualitas ſimpliciter; ergo neque noſtri apud Deum erit meritum ſimpliciter. In eadem ſententia videtur eſſe Durandus, ubi docet, noſtris operibus in gratia factis non ineſſe rationem meriti ſimpliciter, & proprie. Addit præterea Durandus, merita noſtra apud Deum non eſſe condigna mercede gloriæ, ſed ea duntaxat ratione dici meritoria, quia Deus lege, & ordinatione ſua poſtulat opera noſtra, ut ipſam gloriam tribuat. Affirmat, id, quod redditur ex promiſſione, non reddi meritis condignis, inter gloriam, & opera meritoria juſtorum non eſſe æqualitatem condignitatis, adhuc inſtar illius, quæ eſt inter ſemen, & fructum ejus. Quocirca concludit, merita juſtorum comparatione vitæ æternæ, ſolum eſſe merita congrua, tametſi dicat, meritum, quod juſti habent vitæ æternæ, medium eſſe inter meritum congruum exiſtentis in peccato, & meritum ſimpliciter condignum, quod eſt ex juſtitia, & ita partim dici poſſe meritum congruum, partim meritum condignum.* Et *diſput.* 214. etiam in titulis capitis ſic habet: *Opera juſtorum ex ſe ſine pacto, & acceptatione Dei, condigna non eſſe vitæ æternæ, non pauci Catholici docuerunt, cap. 1. opera juſtorum aliquam ex ſe dignitatem, magnam autem ex meritis, & gratia Chriſti habere, alii etiam Catholici exiſtimarunt, Cap. 2. Opera juſtorum ex ſe habere totam dignitatem, rationem tamen meriti in ipſis ex promiſſione compleri, recentiores alii Theologi autumant.* Et diſput. 215. quid ipſe ſentit promens: *Nos*, inquit, *qui diximus inter Deum, & nos non poſſe eſſe juſtitiam proprie, ſed communi quadam ratione, non nos tribuimus Deo obligationem dandi gloriam in remunerationem bonorum operum ex juſtitia accepti, quaſi ipſe compenſare debeat ex juſtitia bona opera, quæ a nobis accepit; ſed dicimus ex ſolo promiſſionis verbo, ac proinde ex ſola fidelitate debere dare vitam æternam in remunerationem operum; quare ſi eam non daret (quod fieri nequit) eſſet quidem infidelis, quia non ſervaret veritatem promiſſionis; non tamen injuſtus proprie, quia non faceret contra juſtitiam proprie; diceretur nihilominus injuſtus, quatenus fidelitas eſt juſtitia quædam, nempe pars poteſtativa juſtitiæ, & ita infidelitas hæc, communicatione injuſtitia dici poteſt.* Hæc Vaſquez. Nihil ergo ſupra dictorum de fide, ſed ſcholaſtica ſunt varia placita, & opiniones diverſæ, cum Doctorum Catholicorum in hac re nutent ſenſus.

Facile doctrinæ fidei de meritis ſubſcribent Adverſi, ſi hæc a fide ſemoveamus: ſubſcripſit Meſtrezatius tr. *de gratia contra prætenſa merita* pag. 25. *Agnoſcimus*, inquit, *bona opera eſſe Deo grata, eaque obtinere vitam æternam, & ſolum volumus, quod eam obtineant ex benignitate, gratia, bonitate, & miſericordia Dei; & ſic nomen meriti, & merendi, ſenſu, quem ex latina habet.* En ergo Meſtrezatius Catholicus *in doctrina fidei de meritis.*

II. Sequitur, nec eſſe de fide, *omnia bona opera juſtorum eſſe æternæ vitæ meritoria; ſeu quænam in ſpecie opera mereantur gloriam, an opera temperantiæ, ſpei, fidei, & alia præter charitatem.* Quia Tridentinum non proponit talia opera in ſpecie mereri, ut patet. 2. Probatur, quia in hoc ipſo Doctores variant, referentibus iiſdem Bellar. & aliis. Vaſquez loco citato, diſp. 217. cap. 1. *Inter Scholaſticos*, inquit, *in controverſia poſitum eſt; Utrum ſola charitate, & bonis operibus a charitate imperatis, an quocunque opere bono, etiamſi a charitate non imperetur, juſti mereantur æternam vitam. Prior ſententia eſt, quod per ſola bona opera, quæ procedunt ex imperio charitatis, mereatur homo juſtus æternam vitam. Quam ſententiam Scotus, Gabriel, Durandus &c.* (Bellarminus ipſe hanc ſententiam ſequitur lib. de juſt. cap. 15.) *Mihi vero*, inquit cap. 2. *ſemper viſum, quodlibet opus hominis juſti bonum, & ſecundum virtutem moralem meritorium eſſe vitæ æternæ. Hanc ſententiam tradit Bonaventura, Capreolus, Sotus.*

Quam longe ergo abſumus a Deviorum communi calumnia, Catholicos ponere perfectionem in jejuniis, cœlibatu, votis monaſticis &c. non in charitate; cum nec de fide ſit, prima opera eſſe meritoria vitæ æternæ, niſi a charitate imperentur? Et quam facile, Scholaſticis iſtis ſemotis, fidei noſtræ doctrinæ ſubſcribent? Meſtrezatium oſtendi, meritum vitæ æternæ agnoſcere in operibus I. de Grat. ac toto illo libro agnoſcit id in omnibus operibus bonis, nullaque eorum diſtinctione. Credit ergo plus quam oportet credere, quo ſit Catholicus.

III. Sequitur, *non eſſe de fide, juſtum poſſe mereri pro aliis quocumque merito, ne quidem de congruo, nec converſionem peccatoris, nec aliam gratiam.* 1. Quia Tridentinum meriti pro aliis non meminit, nec proinde proponit credendum. 2. Quia variant in hac re Doctorum opiniones Catholicorum. Certum quidem iſtud eſt: *Gratia adoptionis*, inquit bene Vaſquez 3. Part. Diſp. 4. Cap. 5. *quæ nunc communicatur puræ creaturæ, ſuapte natura ſolum eſt principium merendi condigne vitam æternam, & incrementum ſui ipſius habenti illam*

lam, nec eſt principium condigne merendi alteri primam juſtificationem ex minimo gradu, nec minimum auxilium gratiæ ad illam. Ob quam cauſam Apoſtoli, nec Beata Virgo, qui habitualem juſtitiam & gratiam adoptionis in gradu perfecto habuerunt, non fuerunt condigne promeriti alicui minimum auxilium gratiæ. Non alia ratio fuit, niſi quia gratia habitualis ſolum eſt principium merendi tale genus præmii, nempe gratiæ, & gloriæ, illudque ſibi, & non aliis, quantumvis augeatur, ſemper enim manet ejuſdem naturæ. Proprium id Chriſti eſt. Et Suarez Tom. 4. diſput. 48. ſect. 2. refert cum approbatione: *Meritum gratiæ, aut gloriæ ita eſt perſonale, ut nemo poſſit alteri ſuum meritum præſtare, ut alteri valeat ad gloriam obtinendam, & ſit quaſi præmium illius mercedis, ſed illud pretium eſſe debet proprium perſonale opus, quia per illud ſolum fit homo dignus vita æterna.* Hoc certiſſimum eſt. *Dicamus igitur*, concludit bene Vaſquez loco citato, *gratiam adoptionis ſolum eſſe principium meriti, & ſemen gloriæ ei, qui illam habet, & incrementi ſui ipſius, non autem condigne merendi alteri gratiæ auxilia aut juſtificationem. Ac proinde unam puram creaturam non potuiſſe pro aliis condigne, & perfecte ſatisfacere. Solius enim Chriſti id proprium eſt; quare ad eum finem neceſſarium fuit Chriſti incarnatio.* Sed utrum de congruo poſſit aliquis mereri pro alio, dico, *id non eſſe de fide.* Probatur 1. Quia Tridentinum id non proponit. 2. Jam dixi, aliquibus Theologis meritum ullum dici *de congruo*, ne quidem pro ſe, multo minus pro alio. 3. Quæ dicemus de ſatisfactione, iſtud etiam probabunt, quia ſatisfactio eſt per modum meriti; & Tridentinum eodem modo loquitur de merito, & ſatisfactione.

Si tamen bene intelligatur, quid nomine meriti *de congruo* ſignificent Doctores, tale meritum non poteſt rejici nec pro alio, ne quidem a Proteſtantibus. *Quia idem dicimus*, docet bene Vaſquez 3. Part. Quæſt. 94. Art. 1. Dub. 4. *meritum de congruo, quod impetratorium opus, impetratorium meritum, quod de congruo dici ſolet; meritum de congruo illud eſt, quod impetrat illud cujus eſt meritum: Meritum congruum in ſola impetratione conſiſtit.* At quis ignorat, orationem impetrare a Deo pro ſe, & aliis multa bona, & avertere multa mala? In formula ipſa precum Deviorum noſtrorum tempore peſtis habetur, tunc exhortandum populum *precari Deum ad impetrandam miſerationem*, & cur orarent pro aliis, & pro tot generibus hominum, ſingulis diebus Dominicis publice ex formula, niſi *impetraturos* ſe ſperarent? *En meritum de congruo.* Sed & ſatis conſtat, *bonis operibus* diverſis fideles bona *ſpiritualia*, & *temporalia* pro ſe, & pro aliis *obtinere a Deo*, ſeu ejus Miſericordia. Quod ad reliqua, probabilius eſſe cenſemus, opera mereri de condigno condignitate orta partim ex opere ipſo, partim ex promiſſione, nec ſola opera charitatis, ſed & reliqua manantia ab homine juſto eſſe meritoria vitæ æternæ.

§. II.

De Juſtificatione.

TRidentinum ſic habet ſeſſ. 6. Can. 11. *Si quis dixerit, homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur*, Rom. 5. 5. *atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantum favorem Dei, Anathema ſit.* Et Can. 10. *Si quis dixerit, homines ſine Chriſti juſtitia, per quam nobis meruit juſtificari, aut per eam ipſam formaliter juſtos eſſe, Anathema ſit.* En quid rejiciendum ut hæreticum, & proinde quid credendum de fide, quod etiam fuſius explicatur cap. 7. quia propoſitum per Concilium univerſale.

Unde etiam ſequitur a contrario, *non eſſe de fide, juſtitiam hanc inhærentem eſſe habitualem*, ſeu quod *juſtitia nobis inhærens, qua juſtificamur ut forma, ſit aliquis habitus.* Probatur 1. quia de hac re nihil habet Tridentinum, nec aliud Concilium univerſale. Prob. 2. *In controverſia poſitum eſt*, inquit Vaſquez 1. 2. diſp. 203. cap. 2. *Utrum Eccleſia definierit, vel ad fidem Catholicam pertineat, juſtitiam, qua impii juſtificantur, eſſe qualitatem, & habitum permanentem in anima, an aque bene fieri poſſit juſtificatio per affectum dilectionis erga Deum, & contritionis de peccato, & omnia, quæ de juſtitia noſtra in Scriptura, & Conciliis, atque a Patribus dicuntur, recte conſtare poſſent, ſi aliquis diceret, juſtitiam inhærentem eſſe affectum dilectionis erga Deum, & contritionem de peccato. In qua controverſia Vega, & poſtea recentiores aliqui exiſtimarunt jam eſſe ab Eccleſia definitum, homines juſtificari per qualitatem & habitum permanentem, & ea, quæ de juſtitia noſtra ab Eccleſia dicuntur, in ſolam qualitatem permanentem, & habitum convenire. Probabilis tamen ſententia mihi viſa eſt*, inquit cap. 3. *hactenus ab Eccleſia definitum non eſſe, adultum extra Sacramentum ſolo habitu juſtificari.* Et titulus ipſe capitis oſtendit; *Hactenus non definitum, utrum ſolo habitu juſtificentur adulti extra Sacramentum, Scholaſticorum authoritate probatur.* Et paulo poſt expreſſe dicitur: *Definitum hactenus non eſſe, juſtitiam nobis inhærentem habitum eſſe, cenſent Sotus, & Canus; atque ideo dicunt Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. dum definivit ineſſe juſtificatis formalem juſtitiam ipſis intrinſecam, data opera abſtinuiſſe a nomine habitus, ne de habitu aliquid definiret; ac proinde ejus definitione declaratum ſolum fuiſſe, juſtificari hominem, non favore, & juſtitia aliena, tanquam forma, ſed juſtitia inhærente; huc enim inſtitutum Concilii ſpectabat, ut contra hæreticos oſtenderet, homines juſtificari non extrinſeca juſtitia, ut illi dicebant, ſed intrinſeca ſibi, & inhærente. Et Stapleton dicit, non eſſe minutiſſime ſibi diſcutiendum, quid ſit illud proprie, & præciſe, quo nobis inhærente formaliter primum juſtificamur, vel juſti manemus, nempe utrum ſint habitus certarum virtutum infuſi a Deo, & fixi in nobis manentes, an vero non habitus infuſi, ſed motiones tantum animæ rectæ, & continuæ. Alias etiam quæſtiones, quas ibi proponit, diſcutere non curat; inter quas alia ſimilis eſt, utrum juſtitia, qua ſumus formaliter juſti, ſit ipſa obſervatio legis ex fide facta, & operatio virtutum; an ſit novitas intus operans? Reddit autem rationem, quod ſint quæſtiones ſcholaſticæ potius, quam hodie controverſiæ cum hæreticis, ac proinde de illis nihil in alteram partem Eccleſia olim, aut nunc demum in Concilio Trident. definierit. Subdit deinde: Nam quod unumquemque ſuam juſtitiam in ſe recipere ſecundum menſuram, quæ etiam ſingulis inhæret propter dona infuſa, Patres Concilii docent, illud in quacunque prædictarum opinionum ſententia aliquo modo verificari poteſt.* Quin & cap. 6. dicit idem Vaſquez: *Eccleſia expreſſe non declaravit, parvulorum juſtificationem, & eorum, qui virtute Sacramenti cum ſola attritione juſtificantur, fieri per habitum, ſed in univerſum ſolum definivit, omnem juſtificationem fieri per inhærentem juſtitiam.* Habet tamen, & recte cap. 2. *Communis, & vera Theologorum ſententia eſt, homines juſtificari non ſolum creata juſtitia ipſis inhærente, verum hanc juſtitiam, & ſanctitatem eſſe qualitatem permanentem in anima, quam communiter habitum appellamus.* Quin & habet cap. 6. *Ex definitione Tridentini aperta ratione colligitur, parvulos, & adultos, qui virtute Sacramenti, remiſſionem peccatorum conſequuntur, ſolo habitu, & qualitate permanente juſtificari, ac proinde ſententiam hanc ad fidem Catholicam ita pertinere, ut ſine errore negari nequeat*, non tamen ſine hæreſi ex noſtra regula. Ex quibus patet, qui eſt fructus ſecretionis hujus noſtræ, vix jam eſſe controverſiam de fide inter nos, & Proteſtantes in hac materia. Et Cap. 10. generaliter: *Secundum communem, & veram Catholicorum ſententiam concedendus eſt habitus gratiæ juſtificantis in omnibus, qui juſtificantur, licet id de fide hactenus non ſit definitum; conceſſo autem hoc habitu, multo melius eſt tribuere ipſi juſtificationem, & emundationem a peccato, quam actui, ut in omnibus eodem modo juſtificatio fiat: ſiquidem in parvulis, & in iis, qui virtute Sacramenti juſtificantur, habitus gratiæ neceſſario concedendus eſt, ut cap. 6. probavimus.* Ita Vaſquez.

Juſtitia inhærens, dicit Meſtrezatius libello de gratia cap. 35. *ideſt renovatio animarum noſtrarum in ſanctitate, & virtutibus chriſtianis, locum tenet in ſalute noſtra.* Et pag. 42. *Juſtitiam inhærentem Deus non imputat, ſed producit in nobis.* Et pag. 37. *Quantum ad Spiritum Adam novi, derivatur in nos per regenerationem, ſicut corruptio habitualis Adami derivatur in nos per generationem naturalem.* Agnoſcit ergo juſtitiam inhærentem; eſt ergo Catholicus: quin & agnoſcit eſſe *habitualem*, quod inter nos non eſt adhuc de fide. Et manet ſolum quæſtio de nomine. *Si ſumatur terminus juſtificationis*, inquit Molin. in Eraſ. pag. 49. *in ſenſu quo adverſarii noſtri accipiunt, pro regeneratione, & ſatisfactione; falſum eſt nos dicere, ſolam fidem juſtificare; nam Chriſtianus regeneratur per omnes virtutes chriſtianas.* En ergo etiam Molinæus Catholicus. En hallucinationem cauſam diſſidii. En ſecretionem noſtram cauſam concordiæ.

§. III.

De Satisfactione.

1. SI *quis dixerit*, inquit Concil. Trident. ſeſſ. 14. can. 13. *pro peccatis quoad pœnam temporalem, mini-*

minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, Anathema sit. Et Can. 14., *Si quis dixerit satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultum Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, Anathema sit.* En quod damnat sub anathemate.

II. En proinde doctrina fide Catholica credenda, quia proponitur a Concilio universali.

Sed a contrario sequitur 1. *non esse de fide*, sicut de meritis dictum est, *an satisfactiones sint de congruo, vel de condigno, an ex dignitate sola operis, an ex promissione, an ex utroque, an ex justitia, vel etiam ejus rigore, an ex sola fidelitate Dei?* Probatur 1. Quia Tridentinum nihil de his habet. 2. Quia variant Doctores. *Ledesma, & Durandus docent, hominem satisfacere pro pœna ex benevolentia Dei acceptantis illam satisfactionem*, referente Vasq. 3. Part. quæst. 94. art. 1. dub. 3.

III. *Nec hanc fieri per opera, nisi per opera charitatis, aut jejuniis quidem, orationibus, eleemosynis &c.* sed dummodo a charitate sint imperata. Probatur 1. Quia Tridentinum nihil de hoc habet, sive Canone allato, sive alio. 2. Quia nutant opiniones Doctorum. *Henricus significat imperium charitatis esse necessarium*, refert Suarez, de pœnit. disp. 37. sect. 3.

IV. *Non est de fide, justum posse satisfacere pro alio.* Probatur 1. Quia Tridentinum id non proponit, seu docet. 2. Suarez Tom. 4. disput. 48. sect. 2. cujus titulus est: *Utrum unus possit alteri suffragari pro illo satisfaciendo, seu pœnam illi debitam persolvendo: Sententia*, inquit, *quorundam modernorum Theologorum est, non posse unum fidelem alteri suffragium ferre pro illo satisfaciendo, & solvendo pœnam debitam, sed solum impetrando, ac merendo de congruo, ut Deus remittat talem pœnam, sive immediate gratis illam condonando propter orationes alterius, sive dando aliquod auxilium, propter easdem orationes, quo bene operetur ad ejusmodi remissionem obtinendam. Fundamentum hujus sententiæ est: Quia debitum pœnæ est debitum personale, quod per actionem, vel passionem propriæ personæ solvendum est; & ideo non potest per alium solvi, quia non potest unus ita donare alteri actionem suam, vel passionem, ut illius propria efficiatur. Propter peccatum sit aliquis dignus pœna in seipso, non in alio; ergo contrahit debitum persolvendum per actionem, vel passionem propriæ personæ, non alterius. 2. Quia hoc debitum pœnæ tale est, ut contrahi non possit per opus alienum, sed per proprium; ergo etiam e contrario solutio hujus debiti non potest fieri per alienum opus, sed per proprium. 3. Aliunde vero omnia, quæ adduci solent ex Script. ad summum probant, fideles posse se mutuo juvare orando, & impetrando. Atque ex hac sententia infertur, etiamsi unus justus pro alio afferat opera satisfactoria, ut illi obtineat remissionem pœnæ temporalis, & de facto illam impetret, nihilominus æque satisfacere per illa opera pro peccatis propriis, quia non se privat fructu propriæ satisfactionis; cum enim per pœnam pro alio non solvat, consequens est, ut pro se solvat. Sicut justus, quando orat pro alio, aut bene operatur, ut alteri impetret auxilium gratiæ, vel aliud bonum, non minus meretur sibi de condigno vitam æternam, quam si nihil alteri mereretur de congruo: ita ergo, quamvis alteri impetret de congruo remissionem pœnæ, nihilominus pro se æqualiter satisfacit de condigno, ac si nihil alteri impetraret.* Tribus his generaliter elucidandis, & comprobandis adde duo singularia in hac materia. Primum ex Vasq. 3. Part. de pœnitent. quæst. 94. Art. 1. dub. 4. *A pœna* peccatis debita post culpam dimissam, non liberamur nisi per satisfactionem, & illa habet apud Deum rationem meriti. Unde infert, *Deus postulat satisfactionem, ut pœnam condonet; Hæc autem cum sit per modum meriti, nunquam habet effectum nisi sit in homine justo:* seu homo existens in peccato mortali, non potest satisfacere pro tali pœna; *quare hæc opera extra charitatem facta non sunt meritoria, nec satisfactoria.* Secundum est ex Suario, loco supra citato, Disput. 48. sect. 2. *In hujusmodi præmiis*, inquit, *vel pœnis taxandis, nihil potest ex sola rei natura desumi, sed necessaria est supremi legislatoris institutio, qui potuit unam tantum pœnam purgatorii præcise, ac definite pro peccato remisso præscribere, & tunc nullus potest in hac vita pro tali pœna, etiam per propria opera, satisfacere; tamen etiam potuit non ita definite pœnam taxare, sed quasi alternative, vel talem purgatorii pœnam, vel aliam condignam, & moraliter æquivalentem hujus vitæ, atque ita de facto facit ex virtute, quam justi habent ad satisfaciendum pro suis peccatis. Ita ergo nunc dicimus, potuisse Deum disjunctionem illam ita extendere, ut debeat homo tantam pœnam in purgatorio substinere, vel in hac vita pro illa satisfacere, aut per se, aut per amicos suos interveniente ex parte satisfacientis voluntaria oblatione suæ pœnalitatis pro alio, & quantum est ex parte divinæ legis, satis sufficienter illis satisfit.* Hæc Suarez generaliter de satisfactione. Qui licet addat de 1. illa sententia relata: *Hanc sententiam censeo esse falsam, & valde novam in Theologia, ideoque omnino vitandam in materia adeo gravi;* non audet tamen dicere *esse contra fidem*: multo minus *contra fidem Catholicam*. Imo ingenue fatetur, *Hujusmodi fuisse divinam institutionem* (quod unus pro alio satisfaciat) *non possumus ratione ostendere, cum hoc pendeat ex divina voluntate, nec etiam habemus testimonium Scripturæ, quo id sufficienter convincamus; nam quæ supra adduximus de intercessione per modum impetrationis, & meriti de congruo, possent in rigore declarari.* Quin, & probabiliter dictæ sententiæ statuendæ, sufficere videtur authoritas *Theologorum* illorum *modernorum*, quos allegat idem sect. 3. *Difficultas est, An hæc satisfactio unius pro alio, ita sit de justitia, & de condigno, sicut pro se ipso.* 1. *Sententia est, hanc satisfactionem non esse de condigno ex justitia, sed ex libera acceptatione ipsius Dei; quæ potest etiam fundari in aliqua congruitate ex parte offerentis satisfactionem suam; non tamen propterea acceptatio erit infallibilis, etiamsi a justo, & pro justo offeratur. Ita Medina, & Corduba.* 1. *Quia nunquam tenetur judex satisfactionem per alium acceptare, etiamsi alias fortasse æqualis sit; sed jus habet puniendi ipsammet personam.* 2. *Quia nec Script. Sacra, nec traditione constat, eam legem, seu promissionem factam esse*, scilicet acceptandi satisfactionem pro alio. 3. *Quia sicut mereri, ita & satisfacere de condigno pro alio, censetur esse proprium Christi Domini.*

V. *Longius etiam abest a doctrina, & certitudine fidei, viventem posse satisfacere pro mortuis, nisi orando, & per modum suffragii.* Patet, quia non habetur in Tridentino, aut alio Concilio universali. 2. Quia variant in hac parte Doctorum sententiæ. 1. *Sententia*, inquit Suarez, lect. 6. *est, satisfactionem pro animabus purgatorii solum esse ex misericordia. Ita tenent Cajet. Cano, Soto, &c. Idem a fortiori tenent Medina, & Corduba, cum idem dicant de satisfactione unius viventis pro alio. Propria, & unica ratio esse debet, quia de hoc nulla extat promissio, aut pactum divinum; cujus signum esse potest, quia Ecclesia, & Sancti orant Deum, ut acceptet hæc suffragia pro defunctis; ergo signum est, non esse opus justitiæ, sed misericordiæ. Item colligi potest ex eo, quod animæ in purgatorio existentes jam sunt extra forum Ecclesiasticum, & pertinent tantum ad forum Dei. Cum ergo etiam inter viventes incertum sit, an tale pactum, vel promissio intercedat, verisimilius est, respectu defunctorum nullum esse: maxime, cum illo sufficienti testimonio, & ratione ostendi possit.* Et infra: *Ob hanc causam tam de nostris satisfactionibus, quam de indulgentiis Ecclesiæ solet dici, prodesse animabus purgatorii per modum suffragii, per quam locutionem aliqui putant excludi infallibilem applicationem ad acceptationem ex justitia.* Et paulo post: *Si est infallibile, necesse est ut intercedat divina lex, & promissio, quia in nullo alio potest illa infallibilitas fundari.*

VI. Sequitur, *nec esse de fide Thesaurum Ecclesiæ, ut vocant satisfactionum Sanctorum*, nec proinde, ut dicetur postea, Indulgentias, quæ dantur vivis, seu defunctis, dari per *distributionem hujus Thesauri*. Probatur, quia non est de fide, ut ostensum, unum posse satisfacere pro alio, quia non habetur in Concilio. In quo nec habetur hujus Thesauri mentio, nec in alio Concilio universali: non est ergo propositus ab Ecclesia credendus fide. Verum quidem est Clementem VI. in Extravaganti *Unigenitus de Pœn. & Rem.* dicere: *Ad thesauri infiniti*, ex Sanguine, & meritis Christi, *cumulum B. Dei Genitricis, omniumque electorum a primo justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur. De cujus consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi merita, quam pro eo quod quanto plures ex ipsius applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.* Sed non est ibi mentio *satisfactionis* Sanctorum, de qua sola loquimur. 2. Id solum obiter dictum in Extravag. 3. Quæ etiam scripta est Archiepiscopo Tarraconen., non universæ Ecclesiæ. 4. Denique Papa non est Concilium generale. Non itaque sufficit fundando articulo fidei Catholicæ. 2. Suarez Tom. 4. disp. 51. quæ est de isto Thesauro sect. 2. *Ex Theologis*, inquit, *præter Mayronem Durandus ausus est negare Thesaurum Ecclesiæ, ut constantem ex meritis, vel satisfactionibus aliorum, præ-*

ter

ter Christum. Affertque 2. rationes. 1. Est eadem cum ratione Mayronis. Quia opera justorum sunt condigne remunerata in animabus eorum. 2. Si quæ merita Sanctorum reponerentur in Thesauro Ecclesiæ, maxime illa, quæ Sanctis superflua sunt; nam quæ sunt ipsis necessaria, aliis non applicantur: sed nulla sunt merita ipsis superflua, quia omnia sunt eis utilia, & efficacia ad aliquod præmium, quia nullum est, vel minimum opus apud Deum, quod careat mercede sua: ergo nulla Sanctorum merita, quæ in Thesauro reponantur. Et infra: *Dixerunt aliqui, ut supra vidimus, agendo de suffragiis, hæc opera, etiam quoad vim satisfaciendi, ita esse propria ipsius justi operantis, seu patientis, ut nullus justus præter Christum possit alteri donare illa sub hac ratione, seu pro alio solvere, aut satisfacere, juxta quam opinionem consequenter dicendum est, Thesaurum Ecclesiæ non constare ex satisfactionibus Sanctorum, neque ex illis applicare aliquid per indulgentias ad solutionem temporalium reatuum. In quo multum accedit illa sententia ad Durandi sensum: differre tamen potest ab illo, dicendo, merita SS. quatenus habent vim impetrandi aliquid, merendo etiam illud de congruo aliis, sub ea ratione manere reposita in thesauro Ecclesiæ. Nam sub eadem dici possunt superabundantia seu superflua, quia sufficientia sunt ad impetrandum, & obtinendum a Deo, ex prædicta ratione meriti plura beneficia, quam de facto Deus propter illa contulerit justis, seu Ecclesiæ. Quod videtur satis ad salvanda verba Pontificum. Nam Clemens VI. in Extrav. citata, non de satisfactione, sed de meritis loquitur.* Ita Suarez. Quæ sufficiunt firmandæ nostræ illationi, scilicet, *Thesaurum illum ut constantem ex satisfactionibus Sanctorum, non esse de fide*, cum varient in ejus assertione Doctores.

Et si illo solum intelligatur, quod actiones SS. in in hac vita vim habeant impetrandi a Deo aliquid etiam post mortem, & sub ea ratione manerent in Thesauro Ecclesiæ, nequaquam Devii talem Thesaurum Ecclesiæ negant, tam clarum in Script. Gen. 26. 24. *Ego sum Deus Abraham patris tui, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham*; & Psal. 131. 10. *Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui*, id est, ut habet Glossa Genevensis: *Noli contemnere vel rejicere preces, quas Rex Salomon in generali facit pro omni populo.* En Thesaurum Ecclesiæ explicatum, ut audivimus, ab aliquot Theologis, agnitum a Protestantibus nostris. Quam *vim impetrandi*, sæpe nostri *meritum de congruo* vocant. Aliis non placet nomen meriti *de congruo*, ne quidem *pro se*, multo minus *pro aliis*. Audivimus etiam Mestrezatium admittentem merita proposita, ut supra. In quo ergo, secretione illa exacta doctrinæ fidei nostræ ab aliis doctrinis facta, manet dissidium, seu *de meritis*, seu *de satisfactione*, seu pro se, seu *pro alio* per modum impetrationis, ut in oratione, seu de Thesauro Ecclesiæ? Quantas adversariorum hallucinatio circa doctrinam fidei nostræ excivit dissensiones? Quot ex hallucinatione illa implent libros? Si quæris, quæ nobis probabilior doctrina de his quatuor articulis, seu deductionibus: Resp. eadem, quæ de meritis, & de satisfactione Tridentinum supra allatum loquitur, & similis militat ratio. Quare censemus probabilius 1. satisfactiones esse de condigno, condignitate orta partim ex natura operis, partim ab acceptatione divina. 2. Non sola opera charitatis elicitive, vel impetrative, sed alia etiam aliarum virtutum, maxime pœnalia, esse satisfactoria. 3. Posse fideles sibi invicem suffragium ferre, dum unus pro alio solvit pœnam temporalem pro peccatis remissis debitam satisfactionis nomine in proprietate, & rigore sumpto, quod non est solum impetrare gratuitam remissionem pœnæ, sed & debitum solvere: non est itaque solum per modum impetrationis. Addo, quod fideles hoc modo satisfaciunt, tum pro vivis, tum pro defunctis, & utramque satisfactionem infallibiliter prodesse iis, pro quibus offeruntur, sive viventibus in hoc mundo, sive in purgatorio existentibus, & secundum totum harum satisfactionum valorem. 4. Unde dicendum etiam, esse in Ecclesia Christi Thesaurum, non solum, & quidem præcipue constantem ex Christi meritis, & satisfactione, quo sensu Thesauro sumpto, fide is constat; sed etiam ex Sanctorum tum meritis, tum satisfactione, proprie sumpta, pro aliis, ut dictum supra. Quæ omnia fuse probat Suarez Tom. 4. disp. 48. sect. 2. 3. 5. 6., & disp. 51. sect. 1. & 2. quo lectorem amandamus: cum nostri sit solum instituti, quæ sint fide Catholica credenda proponere, & ab aliis quibusvis secernere, quod præstitum numeris præcedentibus.

§. IV.

De Indulgentiis.

PRofessio nostra, & Concilium Tridentinum hæc habet, nec aliud, de Indulgentiis. Professio quidem nostra, ex Tridentino excerpta: *Indulgentiarum potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse, affirmo.* Tridentinum sess. 25. decreto de indulgentiis: *Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Synodus indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, & sacrorum Conciliorum authoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, & præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant: in his tamen concedendis moderationem juxta veterem, & approbatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero, qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos, & correptos cupiens, præsenti decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Cæteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocumque profluxerunt, cum ob multiplices locorum, & Provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas, commode nequeant specialiter prohiberi, mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiæ suæ corrigat, eosque in prima Synodo Provinciali referat, ut aliorum quoque Episcoporum sententia cogniti, statim ad Summum Romanum Pontificem referantur, cujus authoritate, & prudentia, quod universis Ecclesiis expediet, statuatur: ita ut sanctarum Indulgentiarum munus pie, sancte, & incorrupte omnibus fidelibus dispensetur.* Hæc, nec plura, Concilium. Unde sequitur: quod hæc fide Catholica sunt credenda, quia proposita a Concilio universali, nec ab alio œcumenico.

Itaque *de fide est, potestatem esse in Ecclesia concedendi indulgentias divinitus sibi traditam*; quia sequitur ex regula fidei.

E contrario sequitur: *Non esse de fide Catholica in usu, seu concessione indulgentiæ, prout de facto sit, remitti pœnas temporales debitas post peccatum remissum in foro Dei, sive in Purgatorio, sive in hac vita: aut etiam Ecclesiam habere voluntatem, cum concedit indulgentias, has pœnas relaxandi & de facto illas relaxari.* Probatur 1. Quia hoc non proponitur a Tridentino. Et sane, cum quæstio sit de facto, seu *quid velit Ecclesia relaxare*, quomodo posset esse de fide? 2. Probatur, quia variæ sunt Doctorum hac de re sententiæ, relatæ a Suario, & aliis. *Quidam Catholici*, inquit disp. 49. sect. 1. *dixerunt, per indulgentias non remitti reatum pœnæ apud Deum, sed solum tolli obligationem exequendi Canonicas pœnas, seu injunctas per Ecclesiam. Quod docuit Cajet. sed ille non loquitur de potestate, sed de actu. Est*, refert idem disp. 50. sect. 3. de indulgent. *diversitas opinionum. Quidam enim senserunt, per indulgentias, quæ de facto conceduntur, non remitti reatum pœnæ apud Deum, sed solam obligationem exequendi sacramentalem pœnitentiam; quæ opinio antiqua fuit, eam enim referunt Divus Thomas, & Bona. & insinuat Albert. definiens indulgentiam, remissionem esse de pœnitentiis injunctis: fundamentum est, quod in jure sæpe dicuntur dari indulgentiæ* de pœnitentiis injunctis, ut patet *ex cap. Cum ex eo* de pœnit., & remiss. & *ex c.* Romana, *eodem titulo in 6. & ex Clement. unic.* de reliq. & venerat. Sanctorum. *Ex quo loco intelligere licet generalem formam concedendi indulgentias* de pœnitentiis injunctis: Ideoque licet indulgentiæ concedantur simpliciter, & aliud non exprimatur, intelligendas esse secundum juris formam, atque adeo de pœnitentiis injunctis; *eo vel maxime, quod Pontifices sæpe concedunt indulgentias sub hac forma*: Concedimus 7. annos, vel 40. dies, aut tot quadragenas Indulg., *quæ numeratio manifeste fit juxta Canones pœnitentiales, taxantes hoc modo pœnitentias peccatis imponendas. Tandem confirmari potest hæc sententia ex iis, quæ supra adduximus, de antiquo usu Ecclesiæ in indulgendis pœnitentiis, nimirum ex eo non posse colligi, per illas remissiones, solitas fuisse remitti pœnas, etiam in foro Dei. Sed usus indulgentiarum postea extensus est ad pœnitentias injunctas etiam in foro Sacramentali sub eadem ratione, & ad similem effectum introductus est & ille, qui nunc durat in indulgentiis concedendis: ergo etiam nunc per indulgen-*

tias nihil aliud relaxatur, niſi pœnitentiæ injunctæ. Ita Suarez. Quorum auctorum relatorum auctoritas, & rationes etiam probant, ſententiam illam eſſe probabilem. Ex qua facile indulgentias hoc modo explicatas admittunt Proteſtantes: cum nihil ſit aliud, quam relaxatio canonum antiquorum pœnitentialium, quos ipſimet non obſervant. Adde, quod ſæpe ſæpius pœnas, quas infligit eorum diſciplina, variis ex cauſis relaxent. Junge quod cenſeant, quotieſcumque ab eorum miniſtris *remittuntur peccata, miniſtros*, ut utamur verbis Molinæi in Eraſ. num. 20. *remittere peccata* nulla remanente pœna luenda nec in Purgatorio, nec in hac vita. Dant ergo indulgentias, & pleniſſimas, & ſingulis fere diebus, quibus conveniunt in templis.

Sequitur II. *Ne quidem eſſe de fide, loquendo de poteſtate, eſſe in Eccleſia poteſtatem concedendi indulgentias, per quas remittuntur fidelibus pœnæ pro peccatis remiſſis debitæ apud Deum, ſive in hac vita, ſive in Purgatorio; ſeu non eſt de fide Catholica, poſſe Eccleſiam talem indulgentiam concedere, ut per eam remittat reatum pœnæ temporalis apud Deum immediate, ac per ſe per ſolam relaxationem, ſeu condonationem ipſius pœnæ, luendæ ſive in Purgatorio, ſive in hac vita.* Probatur 1. Quia Tridentinum hoc non proponit. 2. Ex diverſis ſententiis Doctorum. Divus Thomas in Supplem. quæſt. 25. Art. 1. cui titulus eſt: *Utrum per indulgentiam poſſit aliquid remitti de pœna ſatisfactoria?* ſic habet: *Reſpondeo dicendum, quod ab omnibus conceditur, indulgentias aliquid valere; quia impium eſſet dicere, quod Eccleſia quid vane faceret. Sed quidam docent, quod non valent ad abſolvendum a reatu pœnæ, quam quis in Purgatorio ſecundum judicium Dei meretur; ſed valent ad abſolvendum ab obligatione, qua ſacerdos obligavit pœnitentem ad pœnam aliquam, vel ad quam etiam obligatur ex Canonum ſtatutis. Sed hæc opinio non videtur vera, quia &c.* Ita D. Thom. referens, nec arguens hæreſeos hanc opinionem. 3. Probat. Quia nec Suarez diſp. 49. ſect. 1. & diſp. 50. ſect. 2. nec quivis alius quicquam affert, quo ſufficienter probet, eſſe de fide, præſertim Catholica, ſi bene quæ profert expendantur ad regulam fidei, & ad ea, quæ ex illa ſupra deduximus. 4. Oſtenditur poſitive ex ipſo Concilio. Nam non agnoſcit Concilium poteſtatem conferendi indulgentias in Eccleſia, niſi eam, qua *antiquiſſimis etiam temporibus* illa uſa fuit, ſcilicet in Concilio Ancyrano cap. 2. 5. 9. 21. 22. Neocæſar. cap. 3. Nicæno cap. 1. 2. Carth. IV. c. 75. Agath. c. 60. At ipſemet Suarez diſp. 49. ſect. 2. *Cum Tridentinum*, inquit, *habet, hunc uſum ſacrorum Conciliorum authoritate fuiſſe approbatum, ad hoc citari ſolent concilium Nicæn. can. 11. Carth. 4. Can. 65. Neocæſ. cap. 3. Agath. cap. 60. Laodic. c. 1. & 2. Sed in his ſolum legimus, ſemper licuiſſe Epiſcopis ex Canonicis pœnitentiis publicis, quæ pro diverſis criminibus imponi ſolebant, aliquid peccatoribus, & pœnitentibus remittere, ſi eorum vita, & laudabilis converſatio id mereri videretur. Quod autem illa remiſſio ſe extenderet uſque ad ablationem, vel diminutionem reatus pœnæ apud Deum, ex illis Conciliis non ſatis colligitur. Ideoque non poteſt ex illis ſumi argumentum efficax, ſed ad ſummum conjectura quædam, ſeu probabilis ratio a ſimili, fundata in poteſtate clavium.* Et paulo poſt, adductis teſtimoniis Cypriani, Baſilii, Gregorii Niſſeni, & diverſorum Conciliorum: *Recte convincitur*, inquit, *teſtimoniis adductis, fuiſſe antiquum morem in primitiva Eccleſia remittendi aliquando hujuſmodi pœnas* (lege Eccleſiaſtica taxatas) *vel condonando illas poſtquam impoſitæ fuerunt, vel aliquando etiam condonando delicta in externo Eccleſiaſtico foro, nullam, vel leniorem pœnam imponendo; difficile autem videtur explicare, quomodo ex illo modo remiſſionis ſatis probari poſſit, tunc conſuetum uſum indulgentiarum, pro ut nunc illum probare intendimus. Nam licet hujuſmodi peccatores hanc veniam a Prælatis Eccleſiæ acciperent, ut ſine tali, vel tali Canonica pœnitentia admitterentur ad pacem, & communionem cum aliis fidelibus, vel ut liberarentur ab onere exhibendi talem pœnitentiam publicam: nihilominus hæc remiſſio vel condonatio, præciſe ſumpta, nihil ab eis auferebat de reatu pœnæ pro tali peccato debitæ apud Deum: quia prælatus Eccleſiæ recipiens hujuſmodi peccatorem ad pacem, & unitatem Eccleſiæ abſque onere talis pœnæ, non propterea liberabat illum ab eadem Purgatorii pœna, ſed neceſſarium erat, ut peccator ille alio modo ſatisfaceret Deo, vel certe ſupponebatur, & credebatur ex modo, & fervore converſionis, vel alia via, illum plene ſatisfeciſſe.* Et paulo poſt: *His ſimilibus rationibus videtur convictus Cajet., ut diceret, per indulgentias, quæ ſunt in uſu Eccleſiæ, ſolum remitti pœnitentias per miniſtros Eccleſiæ impoſitas, non vero pœnas ipſas in judicio Dei debitas. Quod quidem licet falſum ſit de præſenti ſtatu Eccleſiæ, de illis tamen temporibus ante Gregorium Magnum, de quibus nunc inquirimus, non videtur impoſſibile; non quod poſitive, ut ſic dicam, nobis conſtet, tunc non fuiſſe eumdem morem, & uſum indulgentiarum, qui nunc eſt, hoc enim nullo hiſtoriæ teſtimonio, aut ratione oſtendi poteſt; ſed tantum negative, quod ex his, quæ de illis temporibus legimus, non ſatis convincitur hic uſus, & hoc apud me ſuadent omnia, quæ adduxi; nihil enim occurrit, quod omnino ſatisfaciat; ſolum ergo poteſt aliqua conjectura fieri ex illo antiquo uſu.* Hæc Suarez. Ex cujus admiſſione juncta cum minore ex Trident. accepta, induco concluſionem. 5. Notandum diligentiſſime, non defuiſſe doctiſſimos Theologos in Concilio, qui probe noſſent, quod talia agitabantur in Scholis; ſciebant etiam, quod Proteſtantes de hac remiſſione coram Deo, litem præcipue intentabant indulgentiis. Ergo Concilii reticentia de hac re, non eſt minimum argumentum poſitivum, quo probatur, Concilium cenſuiſſe, non eſſe de fide talem poteſtatem in Eccleſia conferendi indulgentias, quæ forent *remiſſiones pœnæ temporalis coram Deo debitæ, ſeu in Purgatorio, ſeu in hac vita.* 6. Nec Bellarm. tractans de hac difficultate lib. 1. *de Indulg.* cap. 7. prop. 4. relata dicta opinione, damnat eam hæreſis, ſed ſolum dicit: *Et quidem adverſus Catholicos in hac re minus recte ſentientes, probatur &c.* Nec ipſemet Suarez locis citatis eandem damnat hæreſeos. Denique, nec ullum Doctorem eam ſic damnantem legimus: ergo non eſt de fide Catholica, de qua ſola loquimur. 7. Nec praxis præſens indulgentiarum, aut ſenſus fidelium ex ea praxi manans, evincit id, quod quæritur, eſſe de fide: tum quia *non omnes praxes Eccleſiæ etiam univerſalis ſunt ſufficientes fundando articulo fidei Catholicæ: probabilem opinionem aliquando in praxi ſecuta Eccleſia aliquid facit, tametſi non tanquam certum dogma fidei declaret*, ut fuſe ſupra probavit Vaſquez; & ne quidem conſtat, quod Eccleſia habeat voluntatem remittendi has pœnas, cum concedit indulgentias. Quomodo ergo ex praxi conſtaret, eſſe de fide hanc poteſtatem, de qua quærimus?

Subſcribimus tamen iis, quæ addit S. Thomas loco citato ſupplementi, relata prædicta opinione. *Sed hæc opinio non videtur vera.* 1. *Quia eſt expreſſe contra Privilegium Petro datum, cui dictum eſt Matth. 16. 19. ut quod in terra remitteret, in cœlo remitteretur. Unde remiſſio, quæ valet quantum ad forum Eccleſiæ, valet etiam quantum ad forum Dei. Et præterea Eccleſia hujuſmodi indulgentias faciens, magis damnificaret, quam adjuvaret; quia remitteret ad majores pœnas, ſcilicet purgatorii, abſolvendo a pœnitentiis injunctis. Et ideo aliter dicendum, quod valent & quantum ad forum Eccleſiæ, & quantum ad judicium Dei, & remiſſionem pœnæ reſiduæ poſt contritionem, & confeſſionem, ſive ſit injuncta, ſive non &c.* Vide probationes hujus poteſtatis in Eccleſia fuſiſſime apud Suarium Tom. 4. diſp. 48. ſect. 1. & 2. petitas præſertim ex uſu præſenti, & plurium retro ſeculorum, Pontificum Romanorum Bullis pluribus, quas refert, concedentium indulgentias, per quas remittantur fidelibus pœnæ pro peccatis remiſſis debitæ apud Deum; quas probationes concedimus eſſe bonas. Sed non placet, quod habet ibidem Suarez ſect. illa, 1. hanc doctrinam eſſe *de fide*. Nec hæc praxis, ut jam diximus, & iterum dicimus contra Suarium, ſufficit ad fundandum, hanc doctrinam eſſe *de fide*, ſicut nec praxis ſimilis ſufficit ad ſtatuendum, *ſatisfactiones pro aliis, aut Theſaurum Eccleſiæ conſtantem ex ſatisfactionibus, aut meritis Sanctorum eſſe de fide*, quæ duo etiam ſupra negavimus eſſe *de fide*, maxime de fide Catholica, de qua ſola loquimur. Imo ſola probabilitas opinionis ſufficit rectæ & prudenti praxi ſtatuendæ in Eccleſia, ut ſupra docte probavit Vaſquez: ut in variis materiis, ita & in iſtis tribus ſufficere poſſet, *ſatisfactionis pro aliis, diſtributionis Theſauri, & indulgentiarum pro vivis, ut & pro defunctis, de quo in ſequela.* 3. Mox & certum eſt, ſufficere pro multis indulgentiis in particulari, ob cauſas non ita graves datas, ut dicetur in ſequela. 4. In quibus etiam elargiendis Pontificem prudenter, & proinde bene operari, pro certo eſt habendum.

Sequitur III. Longius abeſſe ab objecto fidei Catholicæ, *ſeu non eſſe de fide, Eccleſiam poſſe concedere defunctis, quæ ſit vera indulgentia, ideſt, remiſſio pœnæ; multo minus de fide eſt, Eccleſiam habere voluntatem remittendi has pœnas*, niſi per modum ſuffragii. Probatur 1. Quia nihil horum habet nec profeſſio noſtra, nec Tridentinum. 2. Quia variant in hac re Doctorum explicationes. *Alii Catholici*, refert Suarez diſp. 49. ſect. 1. *dixerunt, Eccleſiam poſſe concedere indulgentiam, non autem defunctis.* Et diſp. 53. ſect. 1. *Inter Catholicos Hoſtienſis negavit ſimpliciter, indulgentias prodeſſe defunctis: quem ſecutus eſt Gabriel: idemque*

tenuit

tenuit Gerſon. Quia indulgentiæ, ait Gerſon, ordinatæ ſunt pro his, qui ſubmittunt ſe curiæ miſericordiæ, quæ durat uſque ad mortem, non vero poſt mortem. Et confirmatur: nam conceſſio indulgentiæ eſt actus juriſdictionis, ſed Pontifex non habet juriſdictionem in purgatorium, quia non eſt judex illarum animarum, ſed a Chriſto immediate judicatæ ſunt, & ad illas pœnas ligatæ; ergo non poſſunt ab illis ſolvi ab alio judice, quam ſuo. Idem Suarez ſect. 3. *Putant aliqui, quod indulgentia per modum ſuffragii non eſt omnino infallibilis, ſed pendens ſemper ex libera acceptatione, & miſericordia Dei. Et confirmatur, nam etiam privata ſuffragia pro defunctis oblata non habent tantam efficaciam, ut infallibiliter acceptentur. Imo aliqui putant, ipſum Sacrificium Miſſæ non habere, neque eſſe aliquod opus, quod ex opere operato liberare poſſit animas defunctorum ab illis pœnis lege certa, & infallibili. Denique de hoc necdum habemus divinam promiſſionem, in qua ſola poſſit hæc infallibilitas fundari. Hanc ſententiam docuit Cajet. & eam ſecutus eſt Cano, & eam etiam magis probat Corduba.* Huc uſque Suarez. Et Vaſquez 3. Part. diſp. 228. cap. 4. *Sotus, Canus, & Corduba cenſent, Sacrificium Miſſæ circa vivos certa lege ſemper operari remiſſionem pœnæ; circa defunctos vero exiſtentes in purgatorio, non item, ſed illis ſolum ad hunc effectum valere per modum ſuffragii; vocant autem per modum ſuffragii idem, quod inſtar ſuffragii, ut quemadmodum, inquiunt, orationes vivorum defunctis ſolum proſunt, prout Deo placuerit eas acceptare, neque certa lege ſtatuerit, propter illas defunctorum pœnas remittere; ita etiam Sacrificium Miſſæ defunctis proſit. Idemque de Indulg. quæ defunctis conceduntur, aſſirmant. Imo ex eo quod exiſtiment, indulgentiarum effectum circa defunctos non eſſe ita certum, ſicut circa vivos, idem de effectu Sacrificii Miſſæ arbitrantur.* Diximus porro, niſi per *modum ſuffragii*; quia *Res non eſt certiſſima*, notat bene Bellar. de Indul. lib. I. cap. 14. *& apud Catholicos indubitata, Indulgentiis juvari poſſe animas, quæ in purgatorio pœnas luunt.* Sed quis Proteſtantium non facile admittet indulgentias ſic explicatas per *modum ſuffragii*, ſeu per modum orationis, ſi concedat Purgatorium? Nam admittunt, fideles poſſe orare pro ſe, & pro aliis viventibus, & impetrare quæ petunt: ſic habet eorum forma precum tempore peſtis: *Ad impetrandam veniam utendum hac orationis forma;* quod eſt ſuffragium illis ferre, & Deum intuitu talium orationum miſericorditer, quæ petunt elargiri. *Propter David ſervum tuum non avertas faciem Chriſti tui Pſ.* 131. 10. Cur Eccleſia offerente Deo merita Chriſti, & Sanctorum vitam piam, & petente propter verum David Chriſtum, & propter hanc Sanctorum vitam piam (ſicut *propter* David dicebat Salomon Deo) remiſſionem pœnæ debitæ defunctis, quod eſt Eccleſiam largiri indulgentias per modum ſuffragii, aut fidelibus pro defunctis privatim orantibus, Deus miſericorditer non elargiretur, quod petitur, qui exaudit alias preces tum Eccleſiæ ejuſdem, tum aliorum fidelium? Repete memoria, quæ de Miniſtris retulimus *remittentibus peccata* fidelibus plene, & cum remiſſione totius pœnæ debitæ: & miraberis quomodo audeant indulgentias denegare Pontifici Romano, cum plura ſibi arrogent quique vel infimi Miniſtri. Sola ergo ſupereſt difficultas, *an detur Purgatorium, & maneant pœnæ temporales remiſſo peccato luendæ.* Quæ eſt diverſa difficultas. Hoc porro ſolum eſt de fide, reliqua ſolum ſunt probabiles opiniones.

Inter quas, ut probabiliori adhæremus 1. *hunc effectum remiſſionis pœnarum tum defunctis, tum viventibus virtute Sacrificii Miſſæ ſemper concedi, & certa quadam lege a Deo ita conſtitutum eſſe*: quæ eſt communis, & vera ſententia, inquit Vaſquez loco citato. 2. *Suffragia, quæ a Fidelibus pro defunctis fiunt, certa lege illis prodeſſe.* 3. *Quin & cum Suario* diſp. 53. ſect. 3. *verius cenſeo, indulgentiam conceſſam pro defuncto infallibiliter habere in illo effectum, ſicut habet in vivente quando pro illo conceditur. Hanc ſententiam magis probat Soto, & fuit opinio S. Thomæ, qui ſuppoſita forma indulgentiæ ſufficiente ita dicit prodeſſe illam defuncto ſicut vivo.* Sed cum noſtri inſtituti ſolum ſit, quæ ſunt *de fide* ſecernere ab aliis, & hæc ſola proponere deviis credenda, cum ſufficiat, quo fiant Catholici, ſubſcribere iis ſolis, quæ ſunt de *fide Catholica*, omiſſis aliis, quorum ne quidem cognitionem ullam habere tenentur; talia non moramur.

IV. Sequitur, *nullum Jubilæum, nullam Indulgentiam* datam a Pontificibus, aut a Conciliis, ſive plenariam, ſive aliam tot vel tot annorum *in ſpecie, aut particularem* ob hanc vel illam cauſam, hæc vel illa opera præſtando, eſſe de fide, ſeu certitudine fidei certam; plurimæ ſunt tantum probabiliter validæ; aliquæ, quæ circumferuntur, ſunt ob pravos quæſtus effectæ, & ſcandaloſæ, proindeque eliminandæ. Quod nulla *ſit de fide*, probatur 1. Quia nulla in ſpecie, aut particulari credenda proponitur in profeſſione noſtra, in Tridentino, aut alio Concilio. 2. Et quæ dantur a Conciliis vel Pontificibus, praxes ſunt: jam autem diximus, non ſemper praxes Eccleſiæ ſufficere probando articulo fidei, ſed poſſe ſundari in opinione probabili. 3. Longius a certitudine fidei abſunt quæ dantur a Pontificibus, cum dixerimus, nec quæ proponuntur a Pontificibus, tanquam puncta doctrinæ, multo minus praxes Pontificum eſſe de fide. 4. Nunquam eſt de fide, quod ſequitur ex duabus propoſitionibus, quarum una eſt extra verbum Dei; multo minus ſi una ſit tantum probabilis; at talia ſunt Jubilæi, & omnes Indulgentiæ, ut mox probabimus. Tertio itaque ſic probatur authoritate noſtrorum Doctorum. *Quia convenit inter omnes*, inquit bene Bellarminus de Indulg. lib. 2. cap. 12. *ſine juſta cauſa indulgentiam non eſſe ratam quod attinet ad expiandum reatum pœnæ coram Deo vel in hac vita, vel in alia, docet Thomas, Bonaventura, Durandus, Gabriel, & recentiores omnes; ſed quæſtio eſt, an ad iſtam cauſam requiratur proportio aliqua operis injuncti cum indulgentia, ita ut pro majori indulgentia major cauſa requiratur, an vero poſſit pro opere minimo dari indulgentia maxima? De qua re duæ ſunt opiniones. Prior eſt eorum, qui docent, non requiri proportionem ullam, ſed ſatis eſſe, ſi cauſa ſit pia, id eſt, modo non concedatur Indulgentia pro opere malo, vel pro opere mere temporali, aut pro opere vano, & nihil ad divinam gloriam pertinente, ſed pro quocumque opere, quod ad honorem Dei, vel Eccleſiæ utilitatem cedat, indulgentia rata erit. Ita docuit Sanctus Thomas, Durandus, Paludanus, Valentia, & alii. Poſterior ſententia eſt aliorum, qui contendunt ad juſtam cauſam requiri aliquid non ſolum pium, & utile, ſed etiam quod proportionem habeat cum indulgentia, ita ut non ſit ratum, ſi detur pro cauſa leviſſima indulgentia maxima: ita docet Bonaventura, Richardus, Gerſon, Gabriel, Cajetanus, Major, Soto, & alii. Quoniam ſi pro quacumque pia cauſa conceſſæ indulgentiæ ratæ eſſent, nullæ dici poſſent ſuperfluæ, vel indiſcretæ, cum ſemper ſit in promptu aliqua pia cauſa, quæ allegari poſſit, & alias poſſet ſummus Pontifex momento liberare omnes animas Purgatorii, quia poſſet dici, non deeſſe piam cauſam, cum ad gloriam Dei pertineat, ut tot animæ citiſſime volent in Cælum. Poſterior ſententia ut eſt communior, ita etiam verior mihi videtur; ut ex. gr. ſi detur indulgentia plenaria iis, qui ſemel recitant orationem Dominicam pro converſione Hæreticorum, cauſa non videbitur juſta, quomodo etiam ſi detur indulgentia iis, qui nummum unum exponent pro recuperanda Hieroſolyma, non videbitur juſta cauſa tantæ indulgentiæ.* Hæc Bellarminus. At numquam conſtat fide, hanc vel illam cauſam, ſeu hoc vel illud opus, cujus intuitu datur Jubilæum vel indulgentia, eſſe juſtam cauſam, & opus habere proportionem cum indulgentia; ergo de nullo Jubilæo vel indulgentia, conſtat eſſe valide datam.

Quæ ratio probat etiam ſecundam partem hujus illationis, *pleraſque, immo fere omnes eſſe ſolum probabiliter validas.* Quia vix conſtare poteſt, quæ ſit iſta proportio requiſita, & quo levior eſt cauſa ſive opus, quales ſunt plurimæ quæ conceduntur, dicendo v. g. Orationem Dominicam, & eleemoſynam aliquam elargiendo, eo probabilitate minori valida eſt indulgentia. Porro non eſt culpandus, ſed potius laudandus Pontifex in earum conceſſione, eo quod ſufficit ad praxim legitimam opinio probabilis, qualis eſt 1. quam retulimus. Et ſi tales indulgentiæ, ſi ſententia ſecunda ſit verior, non ſunt ex toto validæ, nullum ex ea indulgentia damnum ſequitur, immo inde fideles ad pia opera inducuntur.

Denique *iſta ſemper cauſa requiritur*, inquit ibidem Bellarminus, *ſed non eſt ſubditorum judicare, utrum cauſa ſuit juſta, vel injuſta, debent enim ſimpliciter exiſtimare juſtam eſſe; ſed veteres Pontifices pauciſſimos fuiſſe in indulgentiis conferendis notiſſimum eſt.* Nec talis etiam incertitudo retardare debet fideles ab indulgentiis conſequendis, quia fere in omnibus rebus humanis homines prudenter ex opinione probabili varia aggrediuntur; præſcribit Medicus medicinam prudentiſſime, cum probabiliter putat profuturam, licet non certo, ſed certum non eſſe obfuturam; Litigans, Mercator &c. ex ſpe probabili lucri, licet etiam non conſtet illi damnum non inde ſecuturum, naufragio, aut cauſa cadendo. Ergo prudenter & Pontifices elargiuntur, & fideles conantur lucrari tales indulgentias. Et addit idem auctor ibidem. I. *Nullum inde eſſe ut plurimum deceptionis populi periculum, quoniam ſicut poteſt fieri, ut aliquando indulgentia non ſortiatur effectum ob defectum ejus, qui eam ſuſcipit; ita nec debet videri abſurdum, ſi*

aliquando idem accidat ob defectum cauſæ, & Chriſtianus populus non ignorat ad fidem pertinere, quod ſit in Eccleſia poteſtas indulgentias concedendi, non autem quod in particulari non poſſit fieri, ut indulgentia vel non ſit rata, vel non proſit, & ideo ſic accipiunt prudentes Chriſtiani Pontificias indulgentias, ut ſimul etiam ſtudeant dignos pœnitentiæ fructus ferre, ac pro ſuis peccatis Domino ſatisfacere.

Tertiam partem noſtri illati habet etiam Bellarminus. *Non deſunt*, inquit cap. 9. *qui negent, indulgentias, quæ continent condonationem pœnitentiæ multorum millium annorum, eſſe a Pontificibus datas, ſed a quæſtuariis conficta dicant. Ita ſentiunt Gerſon, & Soto. Pontifices enim non ſolebant Indulgentias concedere, niſi tot annorum, quot annorum pœnitentiæ injungebantur. Pœnitentiæ vero non ſolebant injungi niſi unius, duorum, trium, quinque, ſeptem, decem, viginti annorum, aut ad ſummum per totam vitam, quæ ultra centum annos porrigi non ſolet.* Et *lib. 2. cap. 20. Si quis noſſe cupit veras hiſtorias de indulgentiis Romanis, non eas petat vel ab hoſtibus Eccleſiæ, neque ab obſcuris quibuſdam libellis, qualem unum Kemnitius ſe vidiſſe dicit editum Novemburgæ, germanice ſcriptum, & amplificatum de Stationum Romanarum indulgentiis, cum antea latine, & brevius editus Romæ fuiſſet, ſed a Pontificum diplomatibus, vel ab authenticis Eccleſiarum tabulis, aut certe ab authoribus certis gravibus, doctis, probatis: Neque enim dubitari poteſt, quin multa vel depravata, vel conficta in ejuſmodi libellis incertis, & anonymis legantur. Sane in probatis authoribus non legi conceſſa fuiſſe aliquando multa millia dierum vel annorum indulgentiæ.* Non paucæ etiam aliæ circumferuntur, quæ falſæ videntur, aut certe valide incertæ, & vix probabiles, quas hic referre non eſt operæ pretium, quæ quæſtus cauſa identidem a Quæſtuariis publicantur, magno deviorum præſertim ſcandalo, *quorum abuſuum occaſione*, inquit Tridentinum, *Indulgentiarum nomen ab hæreticis blaſphematur.* Hinc Synodus pravos quæſtus omnes pro his conſequendis, unde plurima in Chriſtiano populo abuſuum cauſa fluxit, abolendos ſtatuit.

Hac ſecretione facta *doctrinæ fidei ab aliis* devii facile ſubſcribent doctrinæ fidei Catholicæ de indulgentiis, qui hallucinatione doctrinæ fidei noſtræ, tot tragœdias hoc ſæculo excitarunt, & ab hac materia ſciſſionem ab Eccleſia infeliciter ſunt auſpicati. Proponamus nos ſolum iis ea, quæ habentur in profeſſione noſtra, & Tridentino relatis, ne *plus ſapiamus*, quam ſapuit Pius IV. Pontifex ſcriptor profeſſionis, & Tridentinum, ſufficitque ſine dubio quo quis ſit Catholicus in hac materia, reliquis ſilentio ſopitis.

§. V.

De Purgatorio, & ſuffragiis pro Defunctis.

PRofeſſio noſtra hic habet: *Conſtanter teneo, Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari. Et profiteor, in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis, & defunctis*, de qua ſola ultima particula hic agimus. Et Trid. ſeſſ. 15. *Decret. de Purgatorio. Cum Catholica Eccleſia Spiritu S. edocta ex ſacris literis, & antiqua Patrum traditione in ſacris Conciliis, & noviſſime in hac Œcumenica Synodo docuerit, Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis, potiſſimum vero acceptabili altaris Sacrificio juvari, præcipit ſancta Synodus Epiſcopis, ut ſanam de Purgatorio doctrinam a ſanctis Patribus, & ſacris Conciliis traditam a Chriſti Fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter ſtudeant; apud rudem vero plebem difficiliores, ac ſubtiliores quæſtiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis acceſſio, a popularibus concionibus ſecludantur. Incerta item, vel quæ ſpecie falſi laborant, evulgari, ac tractari non permittant, ea vero, quæ ad curioſitatem quandam, aut ſuperſtitionem ſpectant, vel turpe lucrum ſapiunt, tamquam ſcandala, & fidelium offendicula prohibeant. Curent autem Epiſcopi, ut fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, eleemoſynæ, aliaque pietatis opera, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri conſueverunt ſecundum Eccleſiæ inſtituta, pie & devote fiant.*

Hinc primo patet, quæ ſunt de fide credenda ex regula noſtra, ſcilicet, quæ propoſita ab univerſali Concilio Tridentino.

Sed a contrario ſcilicet, quia non propoſita ab illo: circa Purgatorium 1. *non eſt de fide*, inquit Bellarminus l. 2. de Purgatorio cap. 11. *verum, & proprium eſſe ignem Purgatorii, & ejuſdem ſpeciei cum noſtro elementari ..... Quia nuſquam in Concilio definitum eſt: Immo in Concilio Florentino Græci aperte profeſſi fuerant, ſe non ponere ignem in Purgatorio, & tamen in definitione facta ſeſſ. ult. definitur, Purgatorium eſſe nulla mentione ignis habita. Tamen eſt ſententia probabiliſſima* 1. *Propter &c.* Idem Cap. 6. *Sequitur quæſtio, ubi ſit Purgatorium; de qua quæſtione nihil Eccleſia definivit. Sunt autem multæ opiniones.* Refert plurimas, & *octava*, inquit, *eſt communis Scholaſticorum, Purgatorium eſſe intra viſcera terræ, inferno ipſi vicinum.* 3. Idem cap. 14. *De gravitate pœnarum, quamvis aliquo modo omnes admittant, pœnas Purgatorii eſſe majores pœnis hujus vitæ, tamen dubium eſt, quomodo hoc intelligatur. Bonaventura docet, Purgatorii pœnas eſſe majores pœna hujus vitæ ſolum in hoc ſenſu, quia maxima pœna Purgatorii eſt major, quam ſit maxima pœna hujus vitæ, licet aliqua pœna Purgatorii reperiatur minor aliqua pœna hujus vitæ. Quæ ſententia mihi placet.* 4. Nec eſt de fide, *quanto tempore duret* Purgatorium. *Res eſt incertiſſima*, inquit Bellarminus cap. 9. *& nonniſi temere definiri poteſt.*

Sane ſecretione hac poſita, facile eſt devio perſuadere ſibi Purgatorium, cum præſertim Calvinus inſtit. l. 3. c. 25. §. 6. dicat: *Non eſt licitum, nec utile nobis inquirere curioſius de ſtatu, qui eſt inter mortem & reſurrectionem. Torquentur valde plurimi diſputantes, in quo loco ſint animæ receptæ, & utrum fruantur jam gloria promiſſa, an non. Scriptura non eo uſque progreditur. Quis doctorum docebit nos, quod Deus nobis celavit? Quandoquidem Scriptura vult nos eſſe ſuſpenſos uſque ad adventum Jeſu Chriſti, & præcipit nos eum expectare, & ad illam diem nos remittit recipiendæ coronæ gloriæ, contineamus nos his terminis, quos Deus nobis aſſignavit, ſcilicet, animas fidelium in requiem recipi, ubi expectant cum gaudio fruitionem gloriæ promiſſæ, & ſic omnia ſuſpenſa manere, uſquequo Chriſtus appareat in Redemptorem.*

En locus 3. ex Calvino, & quidem cum ſuſpenſione, & dilatione, ſpes autem, quæ differtur, *affligit animam*. En ergo ſpecies ſaltem Purgatorii.

Quod ad *ſuffragia* attinet, ut patent ex Trid. quæ ſint de fide, ſcilicet quæ ibi ſunt propoſita;

Ita ſequitur a contrario, nullam ſequentium doctrinarum eſſe articulum fidei. 1. *Non eſt de fide* (ut ſupra oſtenſum) *Sacrificium Miſſæ certa lege & promiſſione ſemper operari remiſſionem pœnæ circa defunctos exiſtentes in Purgatorio; ſed illis ſolum ad hunc effectum valere per modum ſuffragii: Communis tamen, & vera ſententia eſt contraria.* 2. *Nec eſt de fide, ſuffragia, quæ a fidelibus pro defunctis fiunt, certa lege illis prodeſſe.* Ratio eſt, quia Concilium nihil horum determinat. Probabilius tamen eſt, certa lege id fieri. 3. *Nec de fide eſt, ſacrificium Miſſæ ex opere operato hoc operari.* Tacet enim de his Concilium, & ut bene docet Vaſquez diſput. 229. cap. 1. *variæ ſunt Theologorum opiniones, qui & diverſo modo loquuntur.* Et Suarez diſp. 53. ſect. 3. *Aliqui putant, Sacrificium Miſſæ non eſſe aliquod opus, quod ex opere operato liberare poſſit animas defunctorum ab illis pœnis lege certa, & infallibili.* Relege circa tria quæ ſupra diximus. 4. Nec remiſſionem hanc quæ fit, fieri per applicationem ſatisfactionum noſtrarum animabus Purgatorii. Primo quia nihil habet Tridentinum. 2. Variant Doctores. Suarez diſp. 48. ſect. 5. *Prima ſententia*, inquit, *generaliter affirmat, hunc modum*, ſcilicet, *per modum impetrationis ſuffragia prodeſſe defunctis, non ſolum eſſe poſſibilem, ſed etiam nullum alium poſſe nos exhibere animabus purgatorii ad hunc effectum obtinendum. Hoc a fortiori tenent illi Theologi, qui inter viventes nullum admittunt alium modum ſatisfactionis unius pro alio. Nam hoc principium apud omnes certum eſt, non poſſe noſtra ſuffragia eſſe efficaciora ad remittendam pœnam defunctis, quam aliis viventibus.*

§. VI.

De Legum humanarum obligatione in conſcientia.

PRofeſſio fidei noſtræ hoc habet: *Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector. Receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in omnium ſacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Romano Pontifici veram obedientiam ſpondeo ac juro, cetera item omnia a ſacris Canonibus, & Œcumenicis Conciliis tradita recipio.* Et Trid. ſeſſ. 6. Can. 20. *Si quis dixerit, hominem juſtificatum non teneri ad obſervantiam mandatorum Eccleſiæ, anathema ſit.* Et ſeſſ. 7. can. 8. *Si quis dixerit, baptizatos liberos eſſe ab omnibus S. Eccleſiæ præceptis, ita ut ea obſervare non teneantur, niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere voluerint, anathema ſit.* Denique ſeſſ. 25. Tit. de delectu ciborum, jejuniis, & diebus feſtis:

Hor-

Hortatur ſancta Synodus, & Paſtores omnes obteſtatur, ut tamquam boni milites illa omnia, quæ ſancta Romana Eccleſia ſtatuit, nec non ea, quæ tam in hoc Concilio, quam in aliis Œcumenicis ſtatuta ſunt, quibuſcumque fidelibus ſedulo commendent, omnique diligentia utantur, ut illis omnibus, & iis præcipue ſint obſequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus, & jejunia, vel etiam quæ faciunt ad pietatem augendam, ut dierum feſtorum devota, & religioſa celebratio, admonentes populum crebro obedire præpoſitis ſuis, quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient, qui vero contemnunt, Deum ipſorum ultorem ſentient. Hactenus Concilium, nec plura. *En ergo doctrina fidei Catholicæ, quia* propoſita a Concilio univerſali.

Ex quo a contrario ſequitur 1. *Non eſſe de fide, Eccleſiam, ſeu ejus leges, aut a fortiori leges Principum ſecularium poſſe obligare, aut de facto obligare conſcientias ſub peccato mortali, ſeu, ut utamur terminis Confeſſionis Novantium* Art. 24. *ita ut imponant jugum conſcientiis.* Hoc, inquam, *non eſt de fide præſertim Catholica, nec proinde hæreticum eſt, quod habetur in Confeſſione deviorum Art. 24. Rejicimus inventiones humanas, quæ imponunt jugum conſcientiis.* Et Art. 33. *Excludimus omnes inventiones humanas, & omnes leges, quibus quis vellet ligare conſcientias.* Et in Confeſſione Auguſtana Act. 27. *Collocant* Romanenſes *in novo Teſtamento peccatum in cibis, in diebus, in veſtitu, & ſimilibus rebus. Hinc certe illa onera quod certi cibi polluant conſcientiam, quod horas canonicas omittere ſit mortale peccatum. Unde habent jus Epiſcopi, has traditiones imponendi Eccleſiis ad gravandas conſcientias?*

Probatur iſtud corollarium primum. Quia non habetur in profeſſione noſtra, aut in Tridentino, quod Eccleſia, aut magiſtratus civiles habeant talem poteſtatem obligandi ſub peccato mortali, nec quod leges notatæ, aut quævis aliæ Eccleſiaſticæ aut civiles obligent ita de facto ſub pœna inferni, ut patet in relatis. 2. Cum tot doctiſſimi Theologi Concilio interfuerint, nec ignorarint quid Auguſtana Confeſſio ſentiret, quam etiam varie Scholaſtici loquerentur, ſiluit tamen de hac re; quo ſilentio tacite declaraſſe videtur, non eſſe hæc de fide. 3. *Sotus, & Caſtro,* inquit Vaſquez part. 2. diſp. 154. c. 1. *referunt, fuiſſe ſententiam Gerſonis, nulla lege humana etiam Eccleſiaſtica decerni aliquid poſſe, aut juberi ſub reatu culpæ, quod aliqua lege divina præceptum non ſit; ſed jus humanum etiam Eccleſiaſticum ſolum poſſit declarare jus divinum; alii recentiores pergunt ulterius, & non ſolum dicunt, Gerſonis opinionem fuiſſe, nullam legem humanam, etiam Eccleſiaſticam fieri poſſe de aliqua re, quæ nec jure divino, nec naturali fuerit præcepta, quin immo in eam ſententiam referunt Almainum.* Nec tamen ſeu Vaſquez, ſeu alius Doctor damnat hæreſeos hanc doctrinam. 4. Verum quidem eſt, ſequi certo hanc veritatem ex principio aliquo revelato, ſeu mediate, ut mox dicemus, ſed ſupra demonſtravimus, non eſſe de fide Catholica, quod ſequitur ex una, vel duabus præmiſſis revelatis: nec item de fide eſt ob ſimilem rationem quod ſequitur ex definitione Eccleſiæ, ſed non eſt expreſſe ab ea propoſitum. At ut oſtendimus, iſtud non eſt ab Eccleſia expreſſe propoſitum, ergo ex duplici capite non eſt de fide.

2. Quinimmo probabilius mihi videtur, *Gerſonis ſententiam, qualem eam referunt Almainus, Medina, Driedo, Adrianus, Caſtro,* relatore Vaſquez 2. 2. diſp. 158. cap. 1. *legem humanam,* ſive Eccleſiaſticam, ſive civilem, *quatenus humana eſt, ex ſola poteſtate humana profecta, non poſſe ad culpam mortalem obligare. Idemque Gerſonem ſenſiſſe de lege naturali, quod de humana autumant prædicti authores. Probatur autem hæc ſententia 1. quia lex humana, & naturalis non attingunt cognitione ſua finem ſupernaturalem, ergo non attingunt æternam pœnam vel præmium, quæ ad finem ſupernaturalem, & plus quam humanum ſpectant. Deinde nullus Legislator poteſt lege ſua ad eam pœnam obligare, quam ipſe non poteſt infligere in ſuo Tribunali.*

3. *Non poteſt lege humana homo obligari ad actus omnino internos, eo quod non poteſt de illis in ſuo Tribunali ullomodo judicare,* atqui neque ullus humanus *Legislator* Eccleſiaſticus, aut Civilis, neque natura poteſt æternam pœnam infligere; ergo nec obligare ad culpam, quæ homines reos talis pœnæ conſtituat.

4. Ex hypotheſi tamen legis humanæ, ſeu poſito quod lex humana Eccleſiaſtica, aut Civilis aliquid præceperit ex intentione præcipiendi, & non ſolum dirigendi, aut ordinandi per modum conſilii, *ſupervenit lex divina,* jubens obedire Superioribus Eccleſiaſticis, & politicis, parentibus, & dominis, quæ *lex divina* ſuperveniens obligare poteſt & obligat ad peccatum etiam mortale, & ad pœnam æternam, ſeu ejus tranſgreſſio reos nos facit pœnæ æternæ. Quod lex divina obliget ad obediendum 1. poteſtati Eccleſiaſticæ, patet ex Scriptura: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit: obedite præpoſitis veſtris &c.* 2. Civili, *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt: neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* 3. Parentibus, *Filii obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim juſtum eſt; honora patrem tuum, & matrem tuam, quod eſt mandatum primum* in promiſſione. Denique dominis, *Servi obedite dominis carnalibus, ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo. Et ſane natura ipſa docet,* inquit bene Vaſquez diſp. 158. 2. *Parentibus, & Superioribus non obedire, ſi notabilis materia eſt, ſcelus eſſe; eſt enim contra rectam rationem, majoribus non obedire. Naturaliter conſequitur,* ut idem diſp. 152. cap. 3. *dignitatem capitis in aliqua congregatione, ut ei omnes parere, & obedire debeant; alioqui ſi juſtum eſſet contra illius præceptum operari, magna eſſet in manibus, & in tota congregatione confuſio. Quis autem gentilium hactenus dixit, inhoneſtum non eſſe majoribus non obedire?* Quod vero lex divina obliget etiam ad mortale, & pœnam Inferni, patet ſæpe ſæpius ex Scriptura, ſicut & Deus in Tribunali ſuo poteſt tales pœnas infligere; & *ſane quod adverſatur rationi, in gravi materia Deo graviter diſplicet, ac proinde ejus amicitiam erga nos diſſolvi & ex ſe pœnam æternam mereri.* Hoc modo itaque ſeu *mediate* lex Eccleſiaſtica, & civilis, & præcepta parentum, & dominorum obligare poſſunt ad peccatum etiam mortale, & ſub pœna inferni, non ex ſeipſis, ſed ob divinam legem ſupervenientem, & hac ratione, nec alias, obſtringere poſſunt conſcientias.

4. Porro ſic explicata poteſtate humana, ſeu obligatione legis humanæ, Proteſtantes eam nec negant, nec negare poſſunt. Nam 1. admittunt, Eccleſiam, & Reges poteſtatem habere leges condendi, & varia præcipiendi, ſicut & parentes, & domini aliqua poſſunt præcipere, ſubditoſque debere obedire illis; 1. Scriptura jam allata, & ratione ipſa hoc dictante. 2. Noſtrorum deviorum diſciplina plurima præcipit, eaque ſub pœnis, & cenſuris ſuſpenſionis a cœna, & excommunicationis, 14. capita continet, & articulos 251. hoc eſt fere totidem ordinationes, & præcepta leges. Cap. 5. art. 16. habetur: *Rebelles conſiſtorio, ſuſpenſione a cœna punientur;* cap. 10. art. 3. jejunia certis diebus indicuntur; art. 5. *Non fient Eleemoſynæ publicæ, in funeribus;* cap. 14. art. 27. *Qui choreas ducunt, vel eis aſſiſtunt, excommunicabuntur;* art. 29. *Qui chartis ludent, cenſura afficientur.* Varia prohibent connubia cap. 13. art. 13. *cum ea, cum qua adulterium vir commiſerat vivente uxore &c.* art. 12. *cum vidua fratris uxoris ſuæ &c.* cap. 5. art. 31. *Qui Synodi rationalis reſolutioni noluerit acquieſcere, abſcindetur ab Eccleſia;* art. 8. *Eccleſiæ gubernatio regulabitur ex diſciplina in Synodis nationalibus ſtatuta;* cap. 14. art. 33. *Non erit in poteſtate miniſtrorum, aut Synodorum provincialium quidquam addere, mutare, imminuere in articulis diſciplinæ abſque conſenſu Synodi nationalis.* Poteſt vero iſta Synodus quæ voluerit ſtatuere, & in Conf. art. 32. *Poſſunt eſſe ordinationes particularis cujuſcumque loci, ſeu Eccleſiæ;* art. 33. *Recipimus quæ ſunt apta nutriendæ concordiæ, & unoquoque in officio ſuo continendo; in quo debemus ſequi quod Dominus declaravit, quantum ad excommunicationem, quam approbamus, & fatemur eſſe neceſſariam cum omnibus ſuis circumſtantiis.* Et de poteſtate civili art. 39. *Credimus, velle Deum mundum gubernari legibus Regum;* & art. 40. *Oportet ergo obedire eorum legibus, & ſtatutis.*

Nec etiam negant lege divina præceptum eſſe, obedire Præpoſitis ſpiritualibus, Regibus, Magiſtratibus, Parentibus. Nec inficiantur, tranſgreſſionem legis divinæ eſſe peccatum, & ſæpe mortale. *Immo ubi eſt tranſgreſſio legis Domini,* docet Calvinus inſtit. lib. 2. cap. 8. §. 58. 59. *ibi parata eſt maledictio Dei. Omne peccatum eſt mortale, cum ſit rebellio contra voluntatem Dei, quæ neceſſario provocat iram ejus, cum ſit tranſgreſſio legis, in quam denuntiata eſt morte æterna, ſine exceptione ulla.* In quo ergo poteſt eſſe diſſenſio Proteſtantium inter Catholicos, cum Proteſtantes negare nequeant præceptum illud divinum, ſic obligans; nec nos alio, quam ex præcepto illo divino, ſeu *mediate* leges humanas obligare poſſe ad peccatum mortale dicamus?

En ergo in hoc, hallucinatione ſemota, *pax coalita.* Quæ porro leges humanæ vere præcipiant, & quæ vere ſint præcepta, quæ autem ſint ſolum inſtar conſiliorum & ordinationum, ſeu directionum, quæque etiam obligent ſolum ad pœnam temporalem, quæ dicuntur *leges ſolum pœnales,* pendet hoc ex intentione Superioris, & terminis legis, ſeu *præcepti,* quod non eſt contro-

troversiarum spectantium fidem. Nec porro dicimus, Superiores Ecclesiasticos aut civiles, parentes, seu dominos posse quodlibet præcipere. Sed *par est ratio*, inquit bene Vasquez disp. 15. cap. 3. *ferendi novas leges in Ecclesia, aut Republica & in Religione, seu statu Religioso, quod attinet ad hoc, ut nihil novi statuatur, quod non pertineat ad pristinum statum cujuscumque conservandum. Quare qui leges prudenter ferunt in Republica, vel Ecclesia, hæc observare debent, ut id quod præcipitur, illiusque observatio ad finem cujuscumque pertineat. At pro libito ferre legem certe non licet. Non tamen subditorum est judicare de justitia aut inconvenientia legis, nisi manifesta esset ejus iniquitas, aut inutilitas; interim enim pro legumlatore præsumendum est.* A quibus nec dissentiunt Protestantes, ut patet ex confessione nostrorum deviorum art. 32. & 33. supra relatis, ubi habetur: *Qui in regimen eliguntur, videant quem modum servare debeant toti corpori regendo, nec declinent tamen ullo modo ab ordinatis a Christo &c.* Idem dicimus de restrictione harum potestatum. Sic in hac materia facile consentimus distinctione illa adhibita *mediate* vel *immediate*. Si non obstante illa dissentiunt adversi, manifeste sibi ipsi contradicunt, ut patet ex dictis.

5. Non est de fide, de ullo præcepto pure humano, illud obligare ad peccatum mortale, v. g. esse obligationem audiendi Missam in diebus Dominicis, vel communicandi in Paschate &c. Diximus pure humano, quia non loquimur de præceptis Apostolicis; nec enim devii disceptant multum de iis. Probatur facile 1. Quia Ecclesia nullum proponit tanquam revelatum a Deo. 2. Hoc ipso quod sic humanum est, non est revelatum a Deo, quomodo ergo posset divina fide credi? 3. Nequidem revelatum est a Deo, quod esset tale præceptum, multo minus quod obliget sub peccato mortali. Quis ergo non videt, non esse in verbo Dei: audienda est Missa diebus Dominicis &c.? Verissimum tamen est, & manifestum 1. exstare talia præcepta humana; 2. esse potestatem in Ecclesia talia ferendi sub obligatione peccati mortalis *mediate*, ut ostendimus, si ex intentione vere præcipiendi Ecclesia hæc sanciat; 3. constat ex sensu communi, & interpretatione, Ecclesiam habere intentionem vere præcipiendi. Patet itaque *jejunia Ecclesiæ* v. g. obligare ad peccatum mortale ex *communi interpretatione*. Addit Cajetanus *verbo jejunium* loquendo de jejunio: *Hoc ego non audeo ex jure scripto asserere, quia nullibi scio scriptum esse præceptum obligans ad mortale non jejunantem, & propterea quantum est ex jure scripto, nullum cognosco intervenire peccatum mortale in fractione jejunii Ecclesiæ, si desit contemptus. Aperta falsitas est*, inquit Vasquez disp. 154. cap. 2. *in ea esse opinione, ut observatio jejunii quadragesimalis, aliaque Pontificia decreta sub reatu culpæ mortalis non obligent*. Et idem de aliis communibus præceptis Ecclesiæ dicendum, confitendi semel in anno, communicandi in Paschate, sanctificandi dies festos. Nec possunt adversi probare ullo Scripturæ loco, Conciliorum, aut Patrum testimonio, aut ratione, ea quæ præcipiuntur humanis legibus manere adiaphora, seu indifferentia. Nos probavimus contrarium etiam ex *præcepto divino* obediendi præpositis: quæ porro, & quot leges, & præcepta humana in specie, seu in particulari, sint vere leges, & præcepta, & non simplices ordinationes, & instar consiliorum ad nihil obligantes, quæ etiam sint leges pure pœnales, id est obligantes solum ad pœnam, quæ denique obligantes ad peccatum etiam mortale, ut pendet ex intentione Legislatoris, ita colligendum est ex verbis legis, materia præcepta, qualitate, & similibus, quæ Theologi Moralis est examinare, non nostri hic instituti, qui solum quæ sunt credenda proponimus, quæ autem ita sunt de facto, non possunt esse de fide: solum addemus duo, ne conquerantur devii de onere hinc gravi manante in Catholicos, & propterea refugiant in ejus castra transire. 1. Quod habet Cajetanus in summa *verbo Transgressio præcepti: Legis Ecclesiasticæ intentio est non injicere laqueos animabus, sed ad ædificationem corporis Christi mystici promovere: & hinc fit, ut non tam late multitudo præceptorum obligantium ad mortale jure interpretandæ sit, ne laqueus multiplicatus contra animas censeatur*. 2. Hinc etiam fit universalis regula: *Quod in iis, quæ sunt positivi juris, si absque contemptu ex ignorantia pura* (id est non crassa nec supina) *aut ex apparente sibi excusatione transgressio fiat ab eo, qui animum habet nullo pacto consentiendi contra præceptum obligans ad mortale peccatum, quando non est intentio piæ, ac justæ matris Ecclesiæ bonas hujusmodi animas illaqueare tam hostili vinculo, & propterea tales apud Deum non incurrere excommunicationem*. Seu, ut habet Vasquez 1. 2. disp. 158. cap. 6. *Facile excusantur a mortali transgressores, quando absque contemptu ex ignorantia non crassa nec supina, aut ex apparente aliqua ratione, & excusatione legem non observant, qui alias parati erant ex animo illam observare, si scirent eam tum obligare. Neque præceptum jejunii, aut audiendi Missam ita obligat, ut nulla causa excuset; qui vero bona fide putaverit causam similem esse, excusabitur a mortali, ut docet Cajetanus*. Hæc Vasquez. Sed de his pluribus Theologi Morales, seu Casuistæ doctiores.

6. Dicto consensui faciliori placet adjicere istud: ingerunt identidem adversi discordiæ serendæ, & in odium traducendæ religioni Catholicæ, Tridentinum Concilium prohibere Catholicis lectionem Scripturæ vulgari idiomate. Sed hæc mera calumnia est; hæc enim, nec aliud habet Tridentinum sess. 18. Titulo *Decretum de Librorum delectu: Cum Synodus animadverterit, hoc tempore suspectorum, & pernicioforum librorum, quibus doctrina impura continetur, & longe lateque diffunditur, numerum nimis excrevisse, censuit, ut delecti ad hanc disquisitionem Patres de censuris, libriſque quid facto opus esset diligenter considerarent, atque etiam ad eamdem S. Synodum suo tempore referrent, quo facilius ipsa possit varias & peregrinas doctrinas tamquam zizania a Christianæ veritatis tritico separare, deque his commodius deliberare, & statuere*. Nunquid ibi ulla vel levis mentio prohibitionis Bibliorum idiomate vulgari? Nec Regula 4. *Indicis* vulgati, quam falso adscribit Molinæus & alii Tridentino, est ullo modo Tridentini Concilii. Nec unquam etiam fuit accepta in Gallia, quare in ea non obligat; *est enim verissimum*, inquit bene Vasquez disp. 56. cap. 5. *tunc legem non obligare, quando non est promulgata, & non recipitur a populo, conveniente, & consentiente legislatore*. Adde, quod in eodem Indice habetur Regula 6. *Libri vulgari idiomate de controversiis inter Catholicos, & Hæreticos nostri temporis differentes non passim permittantur, sed idem de iis servetur, quod de Bibliis vulgari lingua scriptis statutum est*. At certissimum est, Regulam hanc 6. non obligare in Gallia, ergo nec quarta; quanquam nec illa quarta prohibetur absolute hæc lectio; *Sed judicio*, inquit, *Episcopi stetur, ut cum consilio Parochi, vel Confessarii lectionem eis concedere possint, quos intellexerunt inde non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse*. Variant leges humanæ pro conditione locorum, & personarum, sed quidquid sit, nihil ad nos cum Regula illa, cum nec sit Concilii, nec promulgata, nec recepta in Gallia, ac proinde non obligat, sicut nec plures aliæ.

7. Nec etiam ullus obligatur, quo sit catholicus, legibus ullis Confraternitatum, nec eis subscribere, Rosarii, Cinguli S. Francisci, Sanctæ Monicæ, Scapularis Carmelitarum eorumque Bullæ, quæ vocatur Sabbathina. Uno verbo, *nihil horum in professione fidei Catholicæ, aut in Tridentino* habetur. Haud ergo propter hæc morentur devii fidei Catholicæ subscribere, nec Molinæum audiant toties in hæc blaterantem; sophisten hoc est agere, *fallacia ignorationis Elenchi*.

§. VII.

De Invocatione Sanctorum.

Constanter teneo, Sanctos una cum Christo regnantes venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes pro nobis offerre. Ita habet professio fidei nostræ. Et Concilium Tridentinum sess. 25. fusius, & explicatius: *Mandat S. Synodus omnibus docendi munus sustinentibus, ut de Sanctorum intercessione, & invocatione fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas Deo pro hominibus offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, & ad beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum, qui solus noster Redemptor, & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere; illos vero, qui negant, Sanctos æterna felicitate in Cælo fruentes invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum ut pro nobis etiam singulis orent invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei, & hominum Jesu Christi, vel stultum esse in Cælo regnantibus voce, vel mente supplicare, impie sentire*. Ita Concilium. En ergo doctrina fidei, quia a Concilio generali proposita.

A contrario sequitur 1. Non esse de fide, Sanctos in Cælo audire preces, quæ illis fiunt a viventibus in terris eos invocantibus. Probatur 1. Quia nec professio nostra, nec Tridentinum id habet, seu id non proponit, saltem expresse, credendum. 2. Cum doctissimi Theologi Concilio interfuerint, nec ignoraverint, Protestantes hujus sæculi Sanctis hanc cognitionem inficiari, quin & ideo damnare invocationem, quod Beati preces vivorum in terris non audiant, abstinuit nihilomi-

lominus Synodus in ipso Decreto de invocatione, ab hac definitione, scilicet Sanctos audire preces nostras. Nonne tale silentium in tali occasione argumentum etiam positivum videtur, censuisse, id non esse de fide? 3. Esto sequatur necessario ex eo quod sunt invocandi, seu bonum, atque utile sit eos invocare, jam supra diximus, non esse de fide quæ sequuntur per necessariam consequentiam ex verbo Dei revelato, aut ex propositione ab Ecclesia Dei facta; ergo licet Ecclesia proposuerit *credendum, Sanctos esse invocandos, seu bonum, atque utile esse eos invocare*, & ex illa propositione sequatur necessario, illos audire; non propterea eadem Ecclesia proposuit *fide credendum, ipsos audire*. Item licet in verbo revelato saltem tradito sit, invocandos esse Sanctos, & deinde sequatur, ipsos audire, non propterea revelatum est, nec de fide, ipsos audire. 4. Quin immo Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 16. minime agnovit hanc consequentiam esse veram, & quod plus est, dubius videtur fuisse, *an Sancti audiant preces nostras*, qui tamen certus erat, & docet eodem libro cap. 4. *invocandos esse illos*. Multo minus probat hanc auditionem *esse de fide* praxis Ecclesiæ, tum quia ex invocatione non sequitur necessario auditio precum, ut diximus, tum quia praxes Ecclesiæ possunt aliquæ fundari in opinione probabili, ut fusius relatum. Verum tamen est, Sanctos de facto audire preces nostras, Deo illas illis revelante, & aliis modis explicatis ab Augustino, & Gregorio Magno. Quod autem dubius fuerit in hac re Augustinus, inde manavit, quod dubitaverit, an beatorum animæ sint in Cælo, & fruantur clara visione Dei ante Resurrectionem, seu diem Judicii, quod definitum jamdiu fuit ab Ecclesia in Concilii Florentini definitione, & quod admittunt adversarii, licet Calvinus contrarium senserit instit. lib. 3. cap. 25. §. 6. Idem tamen Augustinus docet, & probat, multos Sanctos, postquam Cælo recepti fuerint, & beata visione Dei felices fuerint, *videre omnia, etiam unde sunt absentes, cum Deus erit omnia in omnibus*, l. 22. de Civit. Dei cap. 29.

2. Sequitur, non esse de fide, Sanctos esse mediatores nostros, & non solum Christum. Probatur 1. quia id non habetur in nostra professione, nec in Tridentino. 2. Variant in hoc Patres, Doctores nostri, prout diversimode nomen *mediatoris* accipiunt. Chrys. Hom. 7. in Epist. ad Tim. accipit pro eo, qui *ambarum naturarum particeps est divinæ, & humanæ*. Augustinus contra Parm. l. 2. c. 8. accipit pro eo, pro quo nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, & sic uterque solum Christum mediatorem esse docet, & optime: alii latius pro quolibet mediante vel intercedente, & sic tum viventes, tum Sanctos in Cælo dicunt esse mediatores pro omnibus, pro quibus orant, sicut & Paulus in *manu mediatoris*, scilicet Moysis, legem esse a Deo datam dicit ad Galat. 3. v. 19.

3. Mera, & impudentissima est calumnia Molinæi dicentis in novitate l. 7. cap. 12. *In litaniis dicitur*, Sancte Petre, ora pro nobis, *sed Beatæ Virgini non dicitur*, Sancta Virgo, ora pro nobis, *sicut nec Christo*. Alia item calumnia: *Qui orant Sanctos, non solum petunt ipsos Deum orare pro nobis, sed creditur S. Nicolaum posse placare mare &c.* Plenus est his calumniis in omnibus fere materiis controversis, quo avertat populum a doctrina Catholica. Absit ut hæc fide credamus, immo abominamur. Et ut ait Augustinus alia occasione contra Faustum Manichæum l. 20. c. 21. *Alia est disciplina Christianorum, alia error infirmorum, & quisquis in errorem dilabitur, corripitur per sanam doctrinam, sive ut corrigatur, sive ut condemnetur, sive ut caveatur*. Alia subtilior calumnia est ejusdem Molinæi dicentis, jussos nos invocare Sanctos. Falsum id est, ut patet ex relatis ex Tridentino docente solum, bonum atque utile esse Sanctos invocare, nulla mentione præcepti facta: quanquam peccaret, qui dubitaret, *an licitum sit eos invocare*, & hoc sensu, *an sint invocandi*, & propterea ab invocatione abstineret, quanquam etiam ex particulari officio teneantur aliqui ex præcepto, v. g. beneficiarii, aliquando recitare litanias Sanctorum.

4. Sequitur, non esse de fide Sanctorum Canonizationem, seu Sanctos quos invocamus esse Sanctos, & Beatos v. g. Laurentium, Vincentium, Gervasium &c. Blasium, Chrysostomum, Ambrosium, Dominicum, Franciscum &c. iis exceptis, qui tales in Scriptura nobis exhibentur v. g. Stephanus, de quo dictum est, *obdormivit in Domino*. Probatur 1. quia id non habetur in professione fidei nostræ, nec in Tridentino. 2. Nihil habetur in verbo revelato, seu scripto, sive tradito, ut patet, cum nati fuerint hi Sancti longe post verbum scriptum, & traditiones Apostolicas. 3. Quinimmo nec de fide est, hos homines extitisse, multo minus sancte vixisse, sicut nec Canonizatos fuisse, ut patet; certe hæc omnia sunt quæstiones facti, non juris, ut evidens est. 4. Canonizantur maxime ex miraculis factis post tempora Apostolorum, quorum miraculorum plenæ sunt vitæ Sanctorum, tum in vita, tum post mortem ab eis editorum; at nullum talium miraculorum est revelatum in verbo Dei, proinde nullum est de fide divina; quomodo ergo Canonizatio ex illis facta, seu judicium Ecclesiæ, quod sint Sancti, esset fide divina credendum? Nullæ ergo Bullæ Canonizationum, quæ fere omnes sunt Romanorum Pontificum, & continent quæstionem, seu doctrinam facti, scilicet hunc vel illum esse Sanctum, facient rem de fide. Ex quo rursus dicimus, nequidem infallibilem esse in his Canonizationibus Papam, + caute lege.
aut Concilia etiam generalia. Probatur ex dictis in regula fidei, ubi asserimus: *Conveniunt omnes Catholici, posse Pontificem, & generale Concilium errare in controversiis facti particularibus, quæ ex informatione testimoniisque hominum præcipue pendent*, & probavimus ex Bellarmino ipso concedente, Concilium generale 6. erasse in damnatione Honorii Papæ tanquam Hæretici ex falsa informatione; ergo multo magis errare possunt Pontifices ex informatione falsa. Gravissima tamen est authoritas ex hac Canonizatione, & temerarius omnino foret, & plectendus, qui post talem Canonizationem, quæ ex informatione exactissima miraculorum, & vitæ præteritæ Sancti fit, negaret Canonizatum illum esse Sanctum, aut de eo dubitaret; sicut supra diximus, gravis esse authoritatis, quod a Pontifice Romano ex Cathedra definitur, aut in Concilio Provinciali, præsertim cum toti Ecclesiæ proponit aliquid tenendum doctrinam spectans, sicut toti Ecclesiæ proponit in Canonizatione, hunc vel illum esse Sanctum. Nec propterea non est honestum invocare Sanctum illum, praxisque Ecclesiæ illum invocandi post Canonizationem est culpanda, aut est incerta: quia praxes pleræque Ecclesiæ etiam universalis possunt fundari in opinione solum probabili: quanto magis in Canonizatione, quæ rem reddit certam, v. g. Franciscum esse sanctum, & beatum, licitum est, ut utar verbis Tridentini, *bonum atque utile Sanctum illum invocare?* Et qui aliunde tenerentur ad invocationem, v. g. beneficiarii ad recitandas aliquando litanias Sanctorum, tenerentur ad illum invocandum, nec sufficiens foret illis excusandis ab invocatione talis Sancti obtendere, non esse de fide, illum esse Sanctum, quia praxes & præcepta etiam ex opinione probabili possunt manere, & habere suam vim ad obligandum.

§. VIII.

De Imaginibus.

PRofessio fidei nostræ hoc habet, nec aliud: *Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam*. Et Tridentinum sess. 25. statuit: *Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam: non quod credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, velut olim fiebat a gentibus, qui in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur, id quod Conciliorum, præsertim vero II. Nicænæ Synodi Decretis contra Imaginum oppugnatores est sancitum. Quod si aliquando historias, & narrationes Sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi, & figurari contigerit, doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit*. Hæc Concilium: unde ut patet, imaginum cultum esse de fide, quia propositum ab Ecclesia universali;

Ita a contrario sequitur 1. Non esse de fide, Sanctissimæ Trinitatis, aut Patris, aut Spiritus Sancti separatim imagines habendas, aut retinendas esse, atque eis honorem, ac venerationem impertiendam. Probatur 1. quia non proponitur in professione nostra, nec in Tridentino, ubi solum habetur: *Si figurari contigerit, doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel figuris exprimi possit*, quod longe est aliud a definitione, *eas habendas, & venerationem impertiendam*. Nec praxis frequens in Ecclesia habendi hujusmodi imagines & venerandi, seu Deum per eas adorandi, sufficit statuendo articulo fidei, quia, ut dictum est supra, *non omnes praxes Ecclesiæ etiam universalis sunt sufficientes fundando*

do articulo fidei Catholicæ, ſed poſſunt inniti opinione etiam ſolum probabili, ut ibidem demonſtravimus. 2. Nec Scriptura, nec traditio Apoſtolica id habet; immo probabile eſt, Deum vetuiſſe Judæis in Decalogo, præcepto illo, *Non facies tibi ſculptile*. Expreſſius vero: *Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die, qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis, ne forte decepti faceretis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem maſculi, vel fœminæ*. 3. Licet in Tridentino fuerint doctiſſimi Theologi, & litis motæ a Proteſtantibus de quibuſvis imaginibus haud ignari, nec etiam quod cenſuerint Doctores aliqui Catholici, quos mox referemus, id non eſſe licitum, tamen abſtinuit Synodus ab hac doctrina definienda, & ſolum dixit, imagines Chriſti, & Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præſertim habendas &c. Nonne ſilentium Tridentini in tali circumſtantia videtur teſtimonium poſitivum, quo probetur, hanc doctrinam excludendam eſſe a fide? 4. *Aliqui Catholici*, inquit Vaſquez 3. parte diſp. 113. cap. 3. *Henricus, Abulenſis, Durandus, Martinus de Ayala affirmant, non licere ullo modo Trinitatis, ſed ſolum Dei in humanitate, quam aſſumpſit, imaginem effingere. Alia opinio, quanquam non adeo certa eſt, ut tamquam fidei dogma ſit amplectenda, multo tamen verior mihi videtur, & quæ ſine temeritate contra communem Eccleſiæ uſum negari non poteſt in univerſum, aſſerit, Trinitatem depingere, ex natura rei licitum eſſe, & imaginem Spiritus Sancti in ſpecie columbæ*. Quod probat multis. *Et confirmatur*, inquit, *uſu Eccleſiæ frequentiſſimo eadem ſententia, quæ paſſim Romæ, & aliis in locis Trinitatis imaginem adorandam* (ſeu venerandam) *populo proponit. Quamvis autem Concilium Tridentinum eo capite nihil certi ſtatuat, & definiat; præcipit tamen, ut ſi quando hiſtorias Sacræ Scripturæ contingat deſcribi* (*intelligit in quibus etiam Deus depingendus eſt: id quod nec damnat, nec tam ſerio, quam ſanctorum hominum, & Chriſti imaginem approbat*) *explicetur populo, id non fieri, quia deitas oculis corporeis videri poſſit, ſed ut inde humano more in cognitionem virtutis ipſius incorporeæ veniamus*. Hæc Vaſquez, cui ſubſcribimus.

2. Non ſolum non eſt de fide, ſed nequidem certum eſt, Deum non vetuiſſe Judæis omnem uſum imaginum. *Non pauci auctores*, inquit Vaſquez diſp. 104. cap. 2. *quorum opinio mihi multo probabilior ſemper viſa eſt, dicunt, Judæis non ſolum adorationem illam gentilium, quæ naturali jure prohibita eſt, verum etiam quemlibet uſum imaginum, & ſtatuarum, præcepto Dei poſitivo Exodi 20. &c. fuiſſe interdictum. Sententia eſt Alexandri, Alberti, Bonaventuræ, Richardi &c. Ex quibus Alexander, Albertus, Bonaventura, Marſilius, Abulenſis de imagine Dei ſolum dicunt illi populo omnino vetitam fuiſſe, cæteri autem abſolute de omni in univerſum loquuntur. Ex iis autem ſolus eſt Abulenſis, qui putat, jure naturali non eſſe permiſſum Dei imaginem effingere: cæteri vero videntur docere, ſolum antiqua lege uſum illius fuiſſe ſublatum*. Et cap. 6. *Quod vero circa latera Arcæ duæ figuræ Cherubinorum poſitæ fuerunt, reſpondere quis poſſet cum Catharino, eas omnes figuras, ſeu imagines factas fuiſſe juſſu Dei, qui præcepto ſuo omnino, aut ea parte derogare potuit; aut reſpondeo, lege veteri non fuiſſe vetitam omnem ſimilitudinem, aut effigiem quomodocumque, ſed omnem cultum, & adorationem ipſius, atque adeo omnem quoque imaginem ſeu effigiem modo accommodato adorationi erectam, aut conſtitutam: quare nec Cherubinis, nec aliis figuris in templo factis aliquem cultum fuiſſe delatum, modus autem accommodatus adorationi eſt, cum imago depicta aut ſculpta eſt per ſe, non veluti appendix, & additamentum alterius rei in ornatum illius*.

3. Quod ad cultum ſpectat, longe longius eſt a fide, *adorandam eſſe imaginem* ne quidem Chriſti, multo minus Sanctorum; quin nequidem adorationis mentio eſt in profeſſione noſtra, aut in Tridentino, nec proinde in Nicæno, quia Tridentinum ſequitur illud, nec adorationis meminit. Quod ergo cultus ille nominetur aliquando *adoratio*, quæſtio eſt de nomine. Certe populus intelligit *adorationis* nomine *cultum latriæ abſolutum*, iſte autem ſine dubio non redditur niſi ſoli Deo, & blaſphemum eſſet illum reddere *ulli* imagini. Cumque dicimus, *nos adorare crucem*, ſenſus patet ex iis, quæ retulimus ex Tridentino, ſcilicet, per *illam, quam oſculamur, & coram qua caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoramus*.

4. Nec de fide eſt, cultum delatum imaginibus eſſe *religioſum*: cum nec de fide ſit, cultum delatum Sanctis ipſis eſſe religioſum, ut paulo poſt dicemus.

5. Longe longius abeſt a fide Catholica, cui calumniose id adſcribit Molinæus & alii, *adorandas latria imagines Dei*, & eadem qua adoratur Deus, ſeu *eadem veneratione cum exemplari imagines honorari*. Probatur 1. Quia id non habetur in profeſſione noſtra, nec in Concilio Tridentino, aut alio univerſali. 2. Quia varia ſunt placita problematica Theologorum relata a Vaſquez diſp. 108. cap. 1. circa hanc quæſtionem, ſeu modum cultus. 1. *Sententia eſt*, inquit, *imagines ut terminum proximum, & integrum adoratione quadam ipſis peculiari, qua exemplar non comprehenditur, adorari, etiamſi in ipſis exemplaria quoque adorentur, eamque adorationem inferiorem & diſtinctam eſſe ab adoratione exemplaris, quam ipſi honorariam appellant*. 2. *Sententia fatetur cum prima, quoties imagines per ſe adorantur ab exemplari diviſæ, inferiori quadam adoratione coli, etiamſi illa propter exemplar tribuatur: cum vero adorantur per accidens conjunctæ ſcilicet prototypo tanquam aliquid illius, eadem adoratione latriæ cum ipſo per accidens adorari*. 3. *Sententia, quam ego veram exiſtimo, eſt, motum adorationis in imaginem ita in ejus prototypon, & exemplar tranſire, & utrumque ſub eandem venerationem cadere, ut nec ſola cogitatione imago per ſe ſine ullo, vel ab eo ſeparata adorari poſſit; non ſolum quia neceſſe propter exemplar, tanquam propter rationem remotam, ſicut legatum, propter regem, imaginem coli, ſed quia qui imaginem adorat, in ea quoque & per eam exemplar ut terminum & materiam proximam adorationis neceſſario venerari debet: ita Alexander, Cajetanus, Bonaventura &c. Et hi non ſolum docent, imaginem cum ſuo exemplari eodem motu adorationis poſſe adorari, verum etiam ipſam per ſe, niſi exemplar contineat, & cum eo conjungatur, non eſſe alicujus venerationis, & adorationis capacem, ac proinde non niſi cum exemplari, cum quo integrum, & proximum terminum adorationis conſtituit, eſſe colendam*. Quam ultimam ſententiam fuſe probat cap. 4. 5. 6. *Conciliis, Patribus, & rationibus*. Addit, & bene cap. 11. *eodem modo atque imagines, nomen Jeſu, & alias res ſacras eſſe adorandas*. Et cap. 12. *Idem modus in Sacramento Euchariſtiæ, ſeu ſignorum adoratione ſervandus eſt*. Et diſp. 109. *Major inquit, crucem adorari latria per accidens: Corduba, adoratione latriæ analogica: Durandus ſolum adorari rememorative: Alexander ſolum aſſerit, imaginem eſſe materiam adorationis latriæ. Henricus dicit, imaginem Chriſti hyperduliæ adoratione eſſe colendam*. Ita varii varie & ſentiunt, & loquuntur de modo, & ſpecie cultus imaginum. Tridentinum, ut patet, ab iis omnibus abſtrahit, ſeu ſilet, dum prudenter nec aliud docet, *eis debitum honorem, & venerationem impertiendam*. Quare nihil prædictorum eſt de fide, proinde intra ſepta ſcholaſtica ſola contineantur, nulli horum ſubſcribere, quo Catholicus ſis, teneris. Subſcribe Tridentino.

6. Hac ſecretione facta, Daillæum Catholicum eſſe in cultu imaginum, aperte demonſtrari poteſt.

§. IX.

De Reliquiis Sanctorum, & earum veneratione.

PRofeſſio noſtra hæc habet: *Conſtanter teneo, Sanctorum Reliquias eſſe venerandas*: nec aliud Tridentinum ſeſſ. 25. *Mandat Synodus Epiſcopis, & cæteris, ut de Reliquiarum Sanctorum honore fideles inſtruant, docentes eos, Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Chriſto viventium ſancta corpora, quæ viva membra fuerunt Chriſti, & templum Spiritus Sancti*, 1. Cor. 3. v. 17. *ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda & glorificanda, a fidelibus veneranda eſſe, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præſtantur; ita ut affirmantes, Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas, aliaque Sacra monumenta a fidelibus inutiliter venerari, omnino damnandos eſſe, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Eccleſia*. Hæc ibi, nec plura: quare ut hæc ſunt fide credenda, quia propoſita a Concilio univerſali, ita a contrario non ſunt de fide, quia non propoſita a Concilio, ſicut ſupra diximus de imaginibus, 1. adorandas eſſe Reliquias, nequidem Chriſti, multo minus B. Virginis, aut Sanctorum. 2. Nec de fide eſſe, venerandas eſſe cultu, qui ſit, & dicatur *religioſus*, potius quam dubiæ obſervantiæ, aut alio ſpeciali nomine. 3. Longe etiam abeſſe a fide, eas eadem veneratione cum exemplari honorari, non autem alia, ſicut nec venerationem iſtam eſſe, aut vocandam eſſe per *ſe*, vel per *accidens*, *venerationem analogicam, ſecundariam &c.* ſicut diximus de imaginum veneratione. Probatur 1. quia nihil illorum determinate vel in ſpecie habetur in Tridentino, nec in profeſſione noſtra. 2. Quia varia ſunt placita problematica Theologorum in his quæſtionibus, relata a Vaſquez 3. parte diſp. 113. ubi recte cap. 2. *eodem prorſus modo de reliquiis, atque de imaginibus univerſim eſſe dicendum: eas videlicet ſecundum ſe honorari non poſſe, ſed ſolum conjunctas cogitatione cum eo, cujus reliquiæ ſunt, cum in ipſis apprehendo, ſicut imagines*

gines ſine exemplari venerari nullo modo licet, quod fuſiſſime probat: præſertim *quia res inanimæ, quales ſunt Reliquiæ, ſecundum ſe non ſunt capaces contumeliæ, ergo nec honoris &c.* Affirmant nihilominus aliqui, Reliquiis ſecundum ſe, ſine eo, cujus ſunt, cultum poſſe deferri animo, nullum alium modum eas colendi conſtituunt. Alii vero nonniſi conjunctas colunt &c. ut ſupra de imaginibus. Eamdem eſſe rationem cultus reliquiarum, & imaginum ſupra jam oſtendimus. Miſſa hæc omnia facimus, tanquam extra ſepta fidei.

2. Longe longius abeſt a fide, has, vel illas reliquias, quæ in hoc, vel illo templo coluntur, eſſe hujus, vel ipſius Sancti, cujus tamquam reliquiæ proponuntur colendæ. Probatur 1. quia nihil horum habetur in profeſſione noſtra, aut Tridentino. 2. Quia ſunt quæſtiones facti, ex informatione, aut aliis capitibus pendentes: *In controverſiis autem facti particularibus, quæ ex informatione teſtimoniiſque hominum præcipue pendent*, etiam *Papam, & Concilium generale poſſe errare, conveniunt omnes Catholici:* multo magis Eccleſiæ particulares falli poſſunt in his. 3. Diximus, *praxes Eccleſiæ etiam univerſalis* quandoque poſſe fundari in opinione ſolum probabili, quanto magis praxes particulares hujus vel illius Eccleſiæ has vel illas reliquias proponentis publice colendas, & de facto colentis? & cum regula praxeos ſit prudens judicium, ſufficit honeſtando cultui hujus, vel illius reliquiæ, quod prudenter ex variis teſtimoniis, ſeu probationibus judicetur eſſe reliquiam hujus, vel illius Sancti; & ſi contingeret de facto non eſſe illius, aut nullius, nihil propterea decederet ſanctitati cultus illius particularis, ut ſupra dictum de Canonizatione Sanctorum. Et bene Vaſquez diſp. 112. cap. 8. *Quod apud aliquos incertæ aliquando reliquiæ ſint, non obeſt, quominus eas, quas humanis conjecturis, & rationibus certas habemus, reverenter colere debeamus. Itaque ſi quis putat aliquam eſſe particulam Sancti, quæ revera non eſt, merito ſuæ devotionis non caret: ut tamen publice colendæ proponantur, prudens diligentia adhiberi debet, eaque major, quam cum privatim, quod licitum eſt, eas deferimus, & colimus.* Placet & illud aliud addere ex eodem Doctore diſp. 113. cap. 4. *Qui roſariis, & aliis rebus pretioſis reliquias Chriſti, aut Martyrum tangunt, & ſecum ſervant, non debent exiſtimare, ex contactu illo virtutem aliquam, aut excellentiam, immo nec corporalem in res ipſas ex reliquiis derivari; ſed inde manere reſpectum rationis ad ipſas, ratione cujus memoriam ipſius Chriſti, & Sanctorum in nobis excitant, & ad eorum venerationem affectum movent, atque hac ſola ratione non ſuperſtitioſum, ſed pietatis, & chriſtiani cultus opus conferi debet.*

Hac ſecretione facta, patet, 1. inaniter blaterare Molinæum in reliquias varias, quas non eſſe Sanctorum, quorum habentur, inimice more ſuo diſputat. 2. Conſentire Daillæum in cultu reliquiarum, ut ſupra oſtenſum.

§. X.

De cultu, & honore Sanctorum.

PRofeſſio noſtra habet: *Conſtanter teneo, Sanctos unæ cum Chriſto regnantes venerandos eſſe.* Et Tridentinum ſeſſ. 25. *Chriſtum adoramus, & Sanctos veneramur;* nec plura. Quare ſequitur, non eſſe de fide, honorem illum eſſe, & vocandum *religioſum*, ſeu quovis alio ſpecifico nomine. Probatur 1. Quia nihil horum habetur in profeſſione noſtra, & Tridentino. 2. Quia variæ ſunt Doctorum ſententiæ, quas fuſe refert Vaſquez, & excutit 3. par. diſp. 98. 99. 100. *Marſilius exiſtimat*, inquit diſp. 98. c. 1. *eandem virtutem reipſa eſſe latriam, quam dixit verſari circa cultum Dei, & duliam, circa cultum, & honorem Sanctorum; ſolum autem differre per diverſa connotata. Vera tamen ſententia eſt, duliam peculiarem eſſe virtutem a latria, aut religione diſtinctam, qua Sancto cultum exhibemus; atque adeo religionem circa cultum ſolius Dei verſari: ſic tradunt Albert. Durand. Bonavent. &c. An vero ſit una & eadem virtus, quæ Sanctis, & omnibus in dignitate civili conſtitutis honorem adhibet, non ſatis convenit inter Doctores. Aliqui videntur ſentire, unam, & eandem eſſe virtutem, ſic Bonavent. Albert. Gab.* Quæ brevius jam diximus & deduximus.

Hac ſecretione patet, Proteſtantes non diſſentire, nec poſſe diſſentire a doctrina Catholica; nec enim venerationem omnem negant Sanctis debitam in Cælis, cum hominibus pie viventibus agnoſcant reddendam, & reddant in terris; quin & Drelincurtius libello hac de re ſcripto, honorem religioſum B. Virgini deferendum ſentiat. Plus ergo credit quam opus ſit, quo ſit in hac materia Catholicus.

§. XI.

De Chriſti præſentia in Euchariſtia.

ITA habetur in profeſſione fidei noſtræ: *Profiteor in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, una cum anima, & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Et in Trid. ſeſſ. 13. can. 1. *Si quis negaverit, in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento*, (ſeu ſub *ſpecie rerum ſenſibilium* illius, ut exprimi in cap. 1. mox referam) *contineri vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem una cum anima, & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum; ſed dixerit, tantummodo eſſe in eo, ut in ſigno, vel figura, aut virtute, anathema ſit.* Et ibidem cap. 1. cum dixiſſet: *Principio docet ſancta Synodus in Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum vere, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium* (paniş, & vini) *contineri*, addit, & docet: *Nec enim hæc inter ſe pugnant, ut ipſe Salvator noſter ſemper ad dexteram Patris in Cælis aſſideat juxta modum exiſtendi naturalem, & ut multis nihilominus aliis in locis ſacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit, ea exiſtendi ratione, quam etſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibilem tamen eſſe Deo, cogitatione per fidem illuſtrata, aſſequi poſſumus, & conſtantiſſime credere debemus.* Hæc ibi Concilium.

Quare realis præſentia ita expreſſa, id eſt *ſacramentaliter*, ſub ſpeciebus, eſt de fide, quippe propoſita eſt ab univerſali Concilio; ſed nihil aliud eſt de fide, nec aliter de realitate iſtius præſentiæ, quia nihil aliud propoſitum a Concilio. Itaque hæc dicamus facilitate deviis doctrinæ fidei noſtræ in hac omnium graviſſima materia, & captu difficillima.

1. Cum Paulus dicat, 1. Cor. 15. v. 44. de corporibus glorioſis in reſurrectione: *ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale; ſi eſt corpus animale, eſt & ſpirituale, ſicut ſcriptum eſt: factus eſt primus homo Adam in animam viventem, noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem; ſed non prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale:* Corpus Chriſti ſub ſymbolis Euchariſtiæ poteſt dici *corpus ſpirituale*, & non *corpus animale*, & ipſemet ibi exiſtens poteſt dici ſpiritus vivificans, & non in *animam viventem*. 1. Patet ex ſe, ex Paulo. 2. *Chriſti corpus eſt in parva quantitate totum in toto, & totum in quavis parte, ac ſi eſſet ſpiritus*, inquit bene Vaſquez 3. part. diſp. 187. c. 2. Hinc Cyrillus Hieroſ. Cat. 5. vocat *ſpiritualem victimam*, quam offert Sacerdos in liturgia Chriſtum.

2. Non ſolum corpus Chriſti ſub ſymbolis poteſt dici *ſpirituale*, & ipſemet Chriſtus ſpiritus, ſed etiam ſub ſymbolis *ſpirituali modo*, ſeu *ſpiritualiter*, & *non animali*, nec *corporali modo*, ſeu *corporaliter*, ſeu *carnaliter*. Probatur 1. quia eſt ibi ad modum ſpiritus multipliciter; ſcilicet, ſicut Angelus eſt hic, vel ibi inviſibilis, impatibilis, & totus in toto, & totus in qualibet parte, eſt enim indiviſibilis, & non frangibilis; ita corpus Chriſti, ſeu Chriſtus eſt ſub ſymbolis, *inviſibilis, impatibilis, & totus in toto, & totus ſub qualibet parte*, quia ibi eſt indiviſibilis, & non frangibilis. Modus vero exiſtendi corporalis, ſeu corporaliter, & carnaliter exiſtere, eſt exiſtere viſibiliter, patibiliter, ſecundum extenſionem ad totum, ſeu totum in toto, & partem in parte, & frangibiliter: ergo corpus Chriſti, ſeu Chriſtus eſt in ſymbolis *ſpirituali modo*, ſeu *ſpiritualiter*, & *non corporali*, ſeu *carnali*, nec *corporaliter*, ſeu *carnaliter* in dicto ſenſu. Probatur 2. Horret animus dicere, Chriſtum eſſe natum de Virgine Matre, *carnali modo*, ſeu *carnaliter*, licet vere ex ea natus ſit: cur non & negabimus, Chriſtum eſſe ſub ſpeciebus *carnaliter*, licet vere ſub illis ſit? Probatur 3. Trident. profitetur ſeſſ. 13. cap. 1. *Chriſtum ſemper ad dexteram Patris in Cælis aſſidere, juxta modum exiſtendi naturalem, & multis nihilominus aliis in locis ſacramentaliter præſentem nobis ſua ſubſtantia adeſſe, ea exiſtendi ratione, quam etſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibilem tamen eſſe Deo, cogitatione per fidem illuſtrata aſſequi poſſumus, & conſtantiſſime credere debemus.* Cur non & profitebimur, *Chriſtum ſemper ad dexteram Patris in Cælis aſſidere juxta modum exiſtendi corporalem, carnalem, corporaliter, carnaliter?* hæc enim naturalem illum modum exiſtendi ſequuntur, & *multis nihilominus* aliis in locis ſpiritualiter præſentem ſua ſubſtantia nobis adeſſe ea exiſtendi ratione &c.

3. Totum, quod diximus de corpore *ſpirituali*, & modo illo *ſpirituali* exiſtendi ſub ſpeciebus, poteſt etiam ob id dici de receptione, & manducatione, ſcilicet *Chriſtum manducari*, ut *ſacramentaliter* ex Concilio, ita *ſpiritualiter*, & *ſpirituali modo*, & non *carnaliter*, ſeu *carnali modo*, ore tamen corporis. Patent hæc ex ſe ex dictis, & applicari hic facile poſſunt. Manducare corporali modo, & carnali, ſeu *corporaliter*, & *carnaliter*, eſt manducare ad modum, quo manducamus carnes alias, ſcilicet maſticando & dividendo carnem in ore, palato guſtando ejus ſaporem &c. Non ſic manducamus Chriſtum; ergo nec *corporaliter*, nec *carnaliter*, nec *corporali*, & *carnali modo*, ſed *ſpirituali*, & *ſpiritualiter*. Adde etiam effectum manducationis *corporalis*, & *corporaliter*

esse nutritionem corporis: at vero effectum manducationis Christi esse *gratiam per modum refectionis animæ*, id est vegetantem, & roborantem animam in operationibus vitæ spiritualis, & sic esse *refectionem*, & *nutritionem animæ nostræ quæ est spiritus*; ergo etiam inde, scilicet ex effectu potest dici *manducatio spiritualis*, & *non corporalis*, seu non *carnalis*, seu non carnaliter, & corporaliter in dicto sensu. Sed redeamus ad corpus sub speciebus.

4. *Non est de fide*, immo falsum est, corpus Christi contentum sub symbolis, esse, aut dicendum esse *sedens*, *jacens*, *rectum*, *æquale*, *aut inæquale altari*, *corpori*, *vel loco*, *aut sibi ipsi sedenti in Cælo*, *aut ita grande*, *crassum*, *longum*, *latum*, *sicut in cruce*, aut *esse in symbolis*, seu *contineri in illis tanquam in loco*. Et ne quidem de fide est, esse quantum sub symbolis, aut habere suam quantitatem. Probatur 1. quia nihil horum habetur in professione nostra, aut in Tridentino. 2. Positive ex verbis allatis Tridentini cap. 1. scilicet Christi corpus sub speciebus *esse præsens quidem sua substantia*, sed *sacramentaliter solum*, nec *juxta modum existendi naturalem*, sed juxta modum existendi sacramentaliter. Ergo. Probatur 3. quia spiritus, v. g. Angelus præsens sua substantia alicubi, aut anima nostra præsens corpori, non est *sedens*, *jacens*, *æqualis*, aut *inæqualis loco*, *vel corpori*, *nec proinde est ibi commensuratus loco*, *vel corpori*. At corpus Christi, seu Christus sub speciebus est, & dici potest esse *spiritus*, ut diximus. Ergo nec illi quicquam supradictorum convenit.

4. Probatur, & explicatur ex Vasquez 3. p. disp. 187. c. 2. *Inter alias proprietates quantitatis*, *hæc tanquam præcipua recensetur*, *ut secundum illam unumquodque æquale*, *vel inæquale dicatur*, *quod sane provenit ex quantitate*, *quatenus habet modum illum*, *seu proprietatem*, *si quidem ratione illius subditur mensuræ*, *sine qua æquale*, *& inæquale nihil dicitur*. *Licet vero quantitas Christi*, *secundum essentiam*, *& modum ipsius*, *sit cum Christo in Cælo*, *nihilominus in Eucharistia solum est secundum essentiam*, *non autem secundum modum*. *Hinc ea*, *quæ sunt in Christo aut alio corpore*, *absolute sine respectu*, *aut sine proximo fundamento hujus respectus ad locum*, *ubique cum illo debent esse*: *ea vero*, *quæ proxime habent ordinem ad locum*, *qualis est modus ille*, *aut sunt fundamentum existendi in loco*, *qualis est passio quantitatis*, *secundum quam res æquales*, *& inæquales loco contineri*, *& circumscribi dicuntur*, *non item*; *& hac ratione cum Christus retineat in Eucharistia quantitatis essentiam*, *quæ est absoluta a loco*, *tamen modum illum quantitatis*, *secundum quem æquatur*, *& continetur a loco*, *Eucharistia non habet*. Hæc ibi Vasquez, qui inde bene explicat, quo pacto *corpus Christi cum sit quantum*, *non occupet locum*, *& intra parvam quantitatem specierum panis esse possit* totum in toto, & totum in qualibet parte, quia non habet dictum modum quantitatis, & est ibi sicut *spiritus*, seu *Angelus*, & *anima*, quæ est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte ejus. Ex dictis saltem patet, quod sufficit nobis, *nihil prædictorum esse de fide*. Quin imo refert ibidem Vasquez cap. 1. quosdam Theologos docere, *Corpus Christi in Eucharistia non esse quantum*, licet suam habeat quantitatem, & alios etiam docuisse, *esse ibi sine quantitate sua*; quæ falsa quidem sunt, sed sufficiunt ad probandum, *nihil prædictorum esse de fide*; idest non esse de fide Christi corpus sub speciebus, *esse jacens*, *æquale*, *grande*, *crassum*, *longum*, *latum*, *sicut in cruce &c.* cum hæc omnia sequantur quantitatem, & modum ejus supradictum. Sane sumpto saltem termino, *lati*, *longi*, *grossi*, ut populi communiter concipiunt pro habente extensionem in ordine ad locum, quis non videt, Christi corpus sub speciebus, nec esse grande, nec latum, aut saltem *nihil horum esse de fide*? Quare frustra blaterant adversi de combustione hostiæ &c. de quibus Vasquez disp. 191. v. g. si comburatur hostia, aut pedibus conculcetur, non propterea quicquam pœnæ patitur corpus Christi: nec comburitur, nec pedibus calcatur, licet sub symbolis contineatur; sicut nec ex eo quod divinitas sit ubique substantialiter præsens, sequitur, cum quid comburitur, aut calcatur, divinitatem comburi, aut pedibus calcari; item ex eo, quod divinitas sit in pane, quem mus, aut canis comedit, non sequitur divinitatem manducari a mure, aut cane; ita nec ex eo quod forte mus, aut canis rodat, aut manducet hostiam seu symbola, & symbola manducentur, sequitur, eos manducare corpus Christi: Et sicut non est indignum divinitatem esse præsentem muri, cani, imo & luto & sordibus, ita nec corpus Christi esse in tali casu comestionis, seu corrosionis symbolorum, præsens substantialiter muri, aut cani, & ventri eorum, transmissione per guttur symbolorum; sicut etiam proportione servata, nec est indignum, esse substantialiter præsens in pixide, altari, aut area inanimatis; & sicut ista non manducant corpus, licet contineant, ita nec canis dicendus foret manducare proprie corpus Christi, licet manducaret symbola, & per illa sit præsentia substantialis, sicut est in ventre & omnibus rebus, præsentia divinitatis substantialis; manducatur enim ab homine corpus Christi, quia recipitur ut signum, *seu ut causa gratiæ*, quomodo non est in pixide, nec foret in ventre canis; quare a cane non dicendum foret *proprie manducari*, ut manducatur ab homine; nec mirum, cum etiam adversariis, si canis manducet frustum panis cœnæ ipsorum, non propterea manducat Sacramentum, quia non manducat qua signum est. Imaginatio nescio quem horrorem faceſsit in his conspiciendis. Sed missa hæc omnia, cum sint extra fidem, quia extra confessionem nostram, & Tridentinum, sunt facienda.

5. Idem Vasquez disp. 190. refert aliquos Theologos docere, *Christum esse in hoc Sacramento*, *tanquam in loco per se*; alios Christum in hoc sacramento non esse tanquam in loco, neque habere proprium ubi, & distantiam, sicut nec Angelus, cum est præsens alicui corpori, in quo est, seu loquitur, quod ipse probabilius existimat.

6. Extra fidem, & intra septa scholastica constituendæ sunt hæ aliæ quæstiones; 1. *an Christus prout existens in hoc sacramento videri possit ab oculo corporeo non naturali*, *sed supernaturali virtute?* Affirmat Vasquez, & probat, *neque* agere, neque pati posse corpus Christi, prout est in hoc sacramento, corporea actione, neque passione. 2. An existentia corporis Christi in sacramento *pendeat ab existentia naturali extra sacramentum*. Et, *an quæcumque imprimuntur Corpori Christi extra sacramentum*, *necessario comitentur ipsum in sacramento*. De quo disp. 192. 3. Longius amandandum, an corpus Christi possit esse simul in pluribus *locis visibili modo*, *& secundum extensionem*, *seu circumscriptive*. 4. Et adhuc longius, an aliud corpus a Christo *possit esse in diversis locis simul*, *idque non tantum invisibili modo*, & definitive, *sed etiam secundum extensionem*, de quo disp. 189. in qua censet, nequidem corpus Christi posse esse *in diversis locis simul secundum extensionem &c.*

7. Longe longius est a fide, imo falsum puto, *Christi corpus produci de novo*, *aut conservari* in Eucharistia per consecrationem, quod jam diu productum fuerit in utero Virginis, & conservetur æternum in Cælis: falsum etiam, quod eo adducatur, falsissimum, quod descendat de cælo ad altare, quasi relinquens Cælum, & transiens per medium aerem: commenta hæc tamen fere omnia deludendis populis, Ministri falso doctrinæ fidei Catholicæ adscribunt: quæque Theologi aliquot in iis materiis tenent solum ut *opinionem probabilem*, fidei Ecclesiæ Catholicæ, cui soli subscribere sufficit, hallucinati, aut potius malitiose imponunt Ministri, secessioni, ex qua vivunt, fovendæ in damnum maximum animarum, & pacis Ecclesiæ, ac Imperii. Solum dicimus, corpus Christi *esse præsens sub symbolis* virtute divina: *quia impossibile est mentiri Deum*, Hebr. 6. vers. 18. seu, ut utamur termino Confessionis deviorum art. 16. *fit hoc virtute secreta*, *& incomprehensibili spiritus Dei*, seu per ejus omnipotentiam.

8. Secretione hac facta, vix est difficultas ulla, vel ad speciem, qua moti dissideant a nobis adversi: quia habet articulus 36. confessionis eorum: *Credimus*, *quod virtute secreta & incomprehensibili nutrit nos*, *& vivificat substantia corporis sui*: si substantiam hanc præsentem animæ substantialiter, quod necessarium est nutritioni, quocumque modo fiat etiam per fidem, tenent indubitanter, quid præpedit eam cognoscere sub symbolis, & corpori nostro? præsertim cum ex eo, quod anima nostra sit præsens corpori nostro, *substantia* corporis Christi nequeat esse vere præsens animæ nostræ, quin sit & corpori. Et pares sunt tum numero tum pondere utriusque præsentiæ substantialis, seu substantiæ difficultates solvendæ, si momentis suis æque, eodemque pondere exacte librentur: sed utcumque sit, *Lutheranorum opinio*, inquit Daillæus Apol. cap. 6. pag. 35. *qui statuunt corpus Domini esse realiter præsens in pane Eucharistiæ*, *nullum habet venenum*, *non præjudicat pietati &c.* & pag. 31. *Non præjudicat eorum saluti* ex eorum principiis; non creditum autem devolvit eos ad tartara, ex nostris principiis: quod securius est amplectantur; Daillæo præsertim ipso generaliter pronuntiante Epist. ad Munglatium pag. 72. *Credentem posse suam operari salutem in Ecclesia Romana*, *& tamen viventem extra ejus communionem*, *nec bonum Christianum*, *nec ferendum Civem*, *nec hominem sensatum haberi posse*. At ex eodem Daillæo possunt suam operari salutem credentes *corpus Domini* esse realiter præsens sub symbolis Eucharisticis, seu hoc credere non *præjudicat* eorum saluti: credant ergo.

§. XII.

De Transubstantiatione.

DE hac ita professio nostra: *Profiteor*, *in SS. Eucharistiæ Sacramento fieri conversionem totius substan-*

ſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem; quam converſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Et Trid. ſeſſ. 13. can. 2. *Si quis dixerit, in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis, & vini una cum corpore, & ſanguine Chriſti; negaveritque mirabilem illam, & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini, quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſime tranſubſtantiationem appellat, anathema ſit.* Et cap. 4. quod inſcribitur, *De tranſubſtantiatione: Quoniam Chriſtus corpus ſuum id, quod ſub ſpecie panis offerebat, vere eſſe dixit, ideo perſuaſum in Eccleſia Dei ſemper fuit, idque nunc denuo S. hæc Synodus declarat, per conſecrationem panis, & vini, converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus; quæ converſio convenienter, & proprie a Sancta Catholica Eccleſia tranſubſtantiatio eſt appellata.* Hæc ibi Concilium, nec plura. Quare ut hæc ſunt de fide, quia hæc ſunt in profeſſione noſtra, & propoſita a Concilio generali; ita a contrario nulla alia doctrina de tranſubſtantiatione eſt de fide Catholica; quia nec in profeſſione noſtra, nec in Concilio Tridentino, aut alio generali propoſita; licet Miniſtri ut faveant diſciſſioni, ex qua vivunt, frequentiſſime varias, & pleraſque partim valde exoſas populis, partim blaſphemas doctrinas fidei Catholicæ aſcribant, & imponant. Explicatius hæc dicamus; Quare 1. *Non eſt de fide*, imo blaſphemum, in hoc myſterio tranſubſtantiare panem in corpus Chriſti, ſicut panis, quem comedimus, *tranſubſtantiatur in corpus noſtrum*, aut per tranſubſtantiationem fieri, *ut materia panis incipiat eſſe ſub forma corporis Chriſti*, ſicut cum panem comedimus, materia panis per nutritionem incipit eſſe ſub forma corporis noſtri. Probatur 1. Quia non habetur in Tridentino: imo contrarium; ſi enim id fieret, non fieret converſio totius ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, ſed materia illius dumtaxat tranſmutaretur, ſicut in nutritione noſtra ordinarie fit. 2. Quia ſi ita eſſet, Chriſtus eſſet corruptibilis, augeretur, minueretur, ut fit cum panem comedimus, & mutatur in corpus noſtrum. 2. Nec de fide eſt, *tranſubſtantiationem fieri ex eo, quod de novo producatur corpus Chriſti, aut conſervetur*: etiam ſupra diximus, corpus Chriſti in Euchariſtia nec produci de novo, nec conſervari de novo: *aut ſaltem per illum modum ſubſtantialem, aut accidentalem produci*, quæ productio, conſervatio, aut modus ſubſtantialis, aut accidentalis, aut per quæ ſit incompoſſibile corpus Chriſti, aut ſanguis cum ſubſtantia panis, aut vini, & per illam incompoſſibilitatem eam expellat, ſicque, & hac ratione *tranſubſtantiatio* fiat. Imo corpus Chriſti, & ſubſtantia panis non ſunt ex ſe incompoſſibiles.

Probatur 1. Quia nihil horum habetur in profeſſione noſtra, aut Tridentino. 2. Quia Vaſquez, & cum eo plurimi, falſa eſſe hæc omnia, & ſingula variorum Scholaſticorum placita demonſtrat. Falſum, inquam, eſſe multis probat diſp. 181. Cap. 3. *Tranſubſtantiationem formaliter eſſe actionem, per quam modus aliquis ſubſtantialis producatur.*

2. Cap. 4. & 5. *Tranſubſtantiationem eſſe converſionem ipſius Chriſti, ſeu productionem novam.*

3. Cap. 5. *Tranſubſtantiationem eſſe novam converſionem corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia.*

Et cap. 9. *Prædictum modum converſionis ſupervacaneum eſſe ex veritate verborum conſecrationis, & ex fine Sacramenti oſtenditur.* Quæ ſit harum opinionum verior, quanquam falſas has omnes eſſe arbitremur cum doctiſſimo Vaſquez, non eſt noſtrum hic diſcutere: ſufficit inde probari, longe hæc eſſe a fide, ex Doctorum omnium noſtrorum ſententia, quorum nec unus ſomniavit, aliquid horum eſſe de fide. Quam ergo calumnioſe Miniſtri hæc, & ſimilia fidei Catholicæ imponunt?

3. Nec eſt de fide, *panem, & vinum per conſecrationem annihilari.* Probatur 1. quia neutrum habetur in Tridentino. 2. *Controverſia vocum, & non rerum eſt*, inquit bene Vaſquez diſp. 183. cap. 1. qui addit: *Nonnulli Scholaſtici veram tranſubſtantiationem concedentes, docent, panem, & vinum, quæ dicuntur converti, ita deſinere, ut vere annihilentur: in hac ſententia eſt Scotus, Ocham, Gabriel, Major; qui inquit, neque de hac re nimium contendendum eſt, ſed unicuique liberum relinqui debet, hoc aut illo modo loqui. Perantiqua tamen,* habet Vaſquez cap. 2. *Scholaſticorum ſententia, quam libenter amplector, eſt, dici non poſſe, panem & vinum in hoc Sacramento annihilari.* In cujus probatione fuſus eſt, cap. 2. & 3.

4. Longe longius ſunt a fide hæ aliæ quæſtiones, quia etiam ſunt extra tranſubſtantiationem particularem in Chriſti corpus, de qua ſola agimus, propoſitæ, & diſcuſſæ a Vaſquez, qui hæc habet: Primo diſp. 82. *An Corpus Chriſti præſens fieri potuerit huic Sacramento abſque converſione panis in ipſum*, variæ ſunt Scholaſticorum ſententiæ, quas fuſe refert. 2. Diſp. 184. *An quælibet res in quamlibet aliam converti poſſit*, variæ Scholaſticorum ſententiæ. Probatur ex regulis datis nihil horum eſſe de fide.

5. Quid ergo eſt, & in quo conſiſtit hæc tranſubſtantiatio? Non diſcedendum a verbis Trident. cap. 4. citatis, & ibi hærendum, *nec ſapiendum plus quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Addam tamen, quæ conformiter huic capiti habet Vaſquez, non quod ſtatuamus, quæ infert, de fide eſſe, ſed ſufficit, quo quis ſit Catholicus, tranſubſtantiationem hoc modo, aliis ſi placet refutatis, accipere: porro facillimum erit cuivis ſubſcribere, nullam enim prorſus difficultatem habet, tranſubſtantiationi ſic docte explicatæ: Exploſis, inquit diſp. illa 180. cap. 11. *aliorum opinionibus, ſupereſt, ut noſtram ſententiam, quam antiquorum Scholaſticorum ſine controverſia eſſe cenſemus, in medium proferamus.*

Ea vero eſt, rationem formalem tranſubſtantiationis neque eſſe mutationem, neque productionem alicujus rei, ſed relationem quandam ordinis inter ſubſtantiam, quæ deſinit, & eam, in quam deſinere dicitur, ex quo fit, ut hæc converſio, ſeu tranſubſtantiatio nulli alii mutationi aut actioni omnino aſſimiletur. Et cap. 12. *Memorandum quod ſupra diximus, talem eſſe ſignificationem verborum conſecrationis, ut vi ſignificationis ipſorum non ſolum fiat corpus, & ſanguis Chriſti præſens reipſa ſub ſpeciebus, ſed etiam deſinat ſubſtantia panis, & vini; quia cum ſint a Chriſto inſtituta, & nomine illius proferantur, vera eſſe debent: vera autem eſſe non poſſunt, niſi efficiant corpus & ſanguinem Chriſti præſentem ſub ſpeciebus, & deſtruant panem. Potuit adductio corporis Chriſti, & deſitio panis a Chriſto fieri alia forma verborum, cujus altera parte ſignificaretur præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti, altera vero deſitio panis, & vini, ut ſi Chriſtus, aut Sacerdos nomine Chriſti diceret:* Hic ſit corpus meum, & amplius non ſit panis; *vel contra*; Hic non ſit panis, & ſit corpus meum. *Et de ſanguine ſimiliter; quamvis autem tunc idem effectus fieret qui nunc fit, quod attinet ad deſitionem panis, & præſentiam corporis, & ſanguinis Chriſti, tamen non fieret eodem modo; neque enim tunc Chriſtus, aut Sacerdos diceretur, adducendo corpus Chriſti, deſtruere panem, aut deſtruendo panem adducere corpus Chriſti, ſed diceretur ſimul adducere, & deſtruere: quia eodem modo deſitio, & adductio in re ipſa ſe haberent, ſicut etiam in ſignificatione verborum: In ſignificatione autem ita ſe haberent, ut ſignificatio unius non eſſet cauſa ſignificationis alterius, neque ad ſuam veritatem illam ut quid conſequens neceſſario poſtulant, ſed ſimul tantum ſe invicem comitarentur, & per accidens, ſeu comitanter, ut dicitur, ſe haberent. ſicut in ea formæ verborum apparet. At vero in forma, qua nunc utimur ad conſecrandum, illa duo ſic ſe habent, ut unum tantum ſignificetur, nempe, Corpus aut ſanguis Chriſti præſens* (*neque enim verba conſecrationis ſignificant deſitionem panis, & vini, ut patet*) *ita tamen ut vera ſignificatio corporis, & ſanguinis Chriſti præſentis neceſſario poſtulet deſitionem panis, & vini: ac proinde deſitio neceſſario conſequatur corpus Chriſti præſens, prout illis verbis ſignificatur: quo fit, ut Sacerdos utens illis verbis vere dicatur efficere præſens corpus, & ſanguinem Chriſti, & ipſo corpore præſente vere ſignificato deſtruere panem.*

Nam docet bene idem diſp. 180. cap. 4. *Accidentia primarie ſaltem indicant propriam ſubſtantiam, quamdiu ibi eſt, non autem alienam, & ita oſtendens quodlibet corpus in quo Deus reipſa eſt, nemo vere enuntiare poteſt*; Hoc eſt Deus: *& ſi Angelus eſſet in aliquo corpore, nemo oſtendens corpus illud vere, & proprie dicere poſſet*: Hoc eſt Deus: hoc eſt Angelus; *ſed ut vere enuntiet, dicere debet:* Hic eſt Angelus, & hic eſt Deus, *hoc eſt, in hoc loco, aut corpore*; *cum enim pronomen* hoc *demonſtrativum directum ad accidentia, quæ ſentiuntur, non demonſtret illa, ſed ſubſtantiam ſub illis, & propria primarie, imo ſolum demonſtretur; efficitur, ut præſente propria, aliena nequeat demonſtrari. E contrario vero ſi propria ſubſtantia ſub accidentibus ſuis non ſit, ſed aliena, recte etiam, imo neceſſario aliena demonſtratur. Cum igitur Chriſtus poſtquam accepit panem, vere enuntiaverit, illud, quod ſub ſpeciebus offerebat, eſſe corpus ſuum; & accepto Calice cum vino, illud, quod ſub ſpeciebus illis offerebat, eſſe ſanguinem ſuum, neque vere hæc verba enuntiare potuerit de ipſa ſubſtantia panis, & vini, ut patet, neque de ſuo corpore, & ſanguine naturali, ſi cum ſubſtantia panis, & vini ſub propriis accidentibus illis ſimul manerent, ut probatum eſt, neceſſario fieri debuit, ut ſubſtantia panis, & vini deſineret, & ſola ſubſtantia corporis, & ſanguinis Chriſti ſub illis accidentibus maneret. Prædicta ratio quod attinet ad deſtructionem ſubſtantiæ panis & vini, de qua hic ſolum diſſerimus* (nam de præſentia reali ſatis diximus) *efficaciſſima.* Uno verbo tranſubſtantiatio nihil addit præſentiæ corporis Chriſti, *niſi deſitionem panis* virtute ſignificationis verborum, ſeu quo verba Chriſti ſint vera, & nomine tranſubſtantiationis nihil aliud eſt intelligendum, ut patet ex dictis. *Converſio formaliter*, inquit Vaſquez diſp. 181. cap. 12. *eſt demonſtratio quædam*

dam ordinis in eo quod desinit relata ad id, quod fuit causa desitionis in hoc Sacramento, quo verba sint vera, *& nihil aliud esse potest præter denominationem ordinis*, & quidem *extrinsecam*, & *solius rationis*, seu præter *relationem*, & *quidem non realem*, sed rationis solius: saltem certissimum est tenere sic transubstantiationem, efficere quo sis Catholicus, quicquid sit de variis opinionibus quorundam Scholasticorum rejectis a nobis supra.

Roganus te, quæ difficultas, posito quod credatur, corpus Christi realiter esse præsens in pane, seu sub symbolis *Eucharistiæ*, credendi transubstantiationem hanc? Nulla sane.

6. Aut saltem doctrina transubstantiationis sic exposita non est legitima causa secessionis; seu posito ex Daillæo Apolog. cap. 7. quod credere, *corpus Domini esse præsens in pane Eucharistiæ, nullum habeat venenum, nec præjudicet pietati, nec saluti, ne quidem credentis id, dicendum certo, transubstantiationem nullum continere venenum, nec præjudicare pietati, seu saluti credentis illam*; cum ipsa nihil addat reipsa præsentiæ nisi desitionem panis, quo verba Christi sint vera; quæ desitio non potest nisi ab emotæ mentis homine *censeri præjudicare pietati*, seu *saluti*, posito quod credere præsentiam illam non præjudicet. Unde recursus ex alio Daillæi principio supra relato sequitur, nec bonum Christianum, nec ferendum civem, nec hominem sensatum haberi posse in imperio, qui non credit transubstantiationem, ut jam explicatam.

§. XIII.

De adoratione Eucharistiæ.

PRofessio nostra nihil habet distincte de hac adoratione, quod sequatur ex præsentia Christi sub symbolis. Trident. autem de ea expresse sic sess. 13. Can. 6. *Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum non esse cultu latriæ etiam externo adorandum; adeoque nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundum laudabilem, & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum, & consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras, anathema sit.* Et cap. 5. postquam cap. 3. assertum est, *verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis, & vini specie una cum ipsius anima, & divinitate existere*, & transubstantiatione cap. 4. stabilita, docet inferendo cap. 5. *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in Ecclesia Catholica semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum; nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli ejus, Psal. 96. v. 8. Heb. 1. v. 6. quem Magi procidentes adoraverunt, Matth. 27. quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur, Matth. 8. v. 13.* Hoc ergo est de fide, quia propositum in Concilio universali. Unde e contrario sequitur, nihil aliud de adoratione hac esse de fide. Sequitur itaque

Primo: Non esse de fide, imo meram putant calumniam, eamque gravissimam, quod imponit Daillæus doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, eoque majori pœna dignum crimen, quod doctrinam hanc nobis impositam statuat tanquam principem discessioni in religione, & proinde turbationi tum Ecclesiæ, tum imperii in Apol. cap. 9. subscripta ab aliis ministris Maeistrezatio, Brillenckurtio, & Obertino, & in Epist. ad Munglatium his verbis; *Quæstio est*, inquit, *non quod oporteat adorare corpus Christi in Eucharistia, sed quod oporteat adorare Eucharistiam ipsam, ut inclamo, & protestor in titulo, principio, & medio, & fine cap. 9. Apol. at magnum discrimen est inter has duas adorationes. Hæc ultima defertur certo cuidam objecto subsistenti in loco, quo dirigitur, scilicet substantiæ velatæ ab accidentibus panis, & vini, quo fit, ut præsupposito, quod hæc substantia sit quædam creatura, talis adoratio ei exhibita erit necessario servitium illicitum, & prohibitum a Deo: cum tamen prima adoratio sit solum vana, & inutilis, & cadat, ut sic dicam, in nihilum, errans non quod deferatur objecto non adorabili, sicut facit alia, sed in hoc solum quod errore quærat eum, & putet se complecti ibi, ubi non est.* Ita Daillæus ultimam istam adorationem distinctam & aliam a prima, seu duas adorationes subsistentium sub symbolis, quod horremus, nobis affingens. Sed quod talis adoratio *non sit de fide*, patet 1. Quia non habetur in Trident. 2. Nullus nostrorum Doctorum finxit duplicem illam adorationem sic relatam a Daillæo, duorum objectorum subsistentium, seu ultimam, scilicet delatam certo cuidam objecto subsistenti in loco, quo dirigitur, nempe substantiæ velatæ sub accidentibus panis, & vini præter adorationem primam delatam ipsi Christo. Quis Catholicorum dico hæc objecta adorationis sub speciebus somniavit? Nullus sane, & pestifere somniaret; nec adoramus *aliquid subsistens indefinite quicquid illud sit* sub speciebus, sed solum Christum creditum ibi esse: ergo calumniose id nobis adfingit Daillæus. Probatur 3. ex responso doctissimæ Facultatis Theologicæ Parisiensis in hæc verba: Petitur a DD. Doctoribus: Respondeant: *An factum contentum in pag. 63. Epist. D. Daillæi ad D. de Munglat. anni 1634. sit verum. Subsignati Doctores Theologicæ Facultatis Parisiensis respondent, quod factum est falsum, & impositum Ecclesiæ Catholicæ, quæ adorando sanctam Eucharistiam, non credit ibi adorare aliud subsistens velatum ab accidentibus panis, & vini, quam Jesum Christum: dicit anathema iis, qui ibi vellent adorare aliam quamcumque substantiam. Et falso supponitur ab authore plus esse periculi in adoratione Catholici quam Lutherani, quod Catholicus defert adorationem suam objecto non adorabili, & proinde ejus servitium necessario illicitum est, & prohibitum a Deo, cum verum sit, objectum, quod Catholicus ibi adorat, esse Jesum Christum adorabilem ubicumque est, & proinde in Eucharistia, in qua Ecclesia Catholica post consecrationem non cognoscit, nec recognoscit aliam substantiam, quam Jesum Christum; quare nec aliam ibi adorat nec potest adorare. Et si ex inconsideratione aut aliter loco Eucharistiæ propositus foret panis non consecratus, Catholicus non intendit, nec credit adorare, nec posset adorare dictum panem, nec vult eum adorare, nec aliud subsistens quam Jesum Christum.* 18. Aprilis 1643. Subsignati in originali, Jacobus Hennequin Emmeretz, Perreret du Fresne, de Mine-Chapelas, M. Cantat, Brousse Judas, A. de Mauhy. Quis vel deviorum ferat ministros doctrinam falsam Catholicam imponentes & ea impostura scissionem foventes tam noxiam Ecclesiæ, saluti animarum, & imperio?

2. Haud longe dissimilis calumnia est, cum idem Daillæus præter adorationem Christi sub speciebus fingit Apol. pag. 45. 46. 66. *nos adorare Sacramentum latria absoluta*. Quis Catholicorum fingit *duas adorationes absolutas*, unam *Christi in Eucharistia*, aliam *Eucharistiæ ipsius*, sive *subsistentis* ficti a Daillæo? Et cum dicimus, nos *adorare adoratione absoluta Sacramentum*, intelligimus Christum ipsum sub speciebus, quem *sæpe authorem Sacramenti & Sacramentum*, quod ibi sit tanquam causa gratiæ, solemus nuncupare; alias absit, ut Sacramentum adoratione *absoluta*, quod sine idololatria non possumus, adoremus. Veneratio symbolorum, de qua postea, ut distinctorum a Christo, est omnium nostrorum sententia solum *relativa*, non absoluta. En aliam itaque, vel similem præcedenti impostruram.

3. Non est de fide (imo nec verum) duas adorationes poni a Trident. sess. 13. cap. 5. alteram *Christi*, alteram *Sacramenti*, ut supponit Daillæus. Quia Trident. non habet esse duas. 2. Recte Vasquez disp. 109. cap. 3. *Cum*, inquit, *Trident. de adoratione Sacramenti Eucharistiæ loquitur, atque adfirmat*, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sacramento in veneratione esse exhibendum, *de Christo sub speciebus contento, vel de ipsis ut Christum continent, loquitur; Nam ad ipsum Christum adorationem Sacramenti pertinere multi arbitrantur; imo cum ipse sit res Sacramenti, Sacramentum etiam dicitur, aut saltem species non dicuntur Sacramentum, nisi quatenus sub se corpus & sanguinem Christi reipsa continent.* Hæc recte Vasquez. 3. Probatur, quia habet Trident. *Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sacramento in veneratione exhiberi.* At certum est, cultum illum latriæ esse absolutum, & certum etiam, absolutum non deberi nisi Christo. 4. Quia addit Trident. cultum illum delatum a Magis &c. Quis autem non videt, cultum illum fuisse absolutum Christi ipsius, nec alium? 5. Infert illum ex præsentia Christi adorabilis ubicumque sit. Ergo nulla ibi mentio adorationis symbolorum. Quare Sacramenti nomine adorandi latria absoluta, Christus ipse sub symbolis intelligitur, qui sub illis etiam Sacramentum a nostris sæpe dicitur, quod sit ibi significans, & dans gratiam, uti jam diximus. Ergo saltem falsum est, *de fide esse duas* adorationes poni a Tridentino Christi, & Sacramenti tanquam distinctas, seu ut duas; una & eadem varie, & vario modo exprimitur.

4. De veneratione symbolorum, quæ sine dubio relativa est, non absoluta, non foret quod quidquam diceremus; de illa enim nihil dixit Daillæus, nec ulla est peculiaris difficultas. Vasquez 3. part. disp. 118. cap. 12. docet pluribus, eumdem modum in Sacramenti Eucharistiæ adoratione servandum, quem in imaginum cultu: scilicet corpus Christi in Eucharistia dignum esse adoratione *latriæ*; quod pluribus probat cap. 12. *Quomodo vero*, addit ibidem, *species ipsæ Sacramenti* adorentur, seu veneratione dignæ sint, *inter Scholasticos dissensio est, omnes enim eodem modo de speciebus Sacramenti, quod de imaginibus Christi* philosophari debent, cum sit utrobique terminus idem *formalis*, Christus scilicet adoratus; *non est tamen tam fervens affectus reverentiæ erga Christum in imagine, quam in Sacramento* ob ejus in isto præsentiam; *& aliquo signo exteriori majorem hanc reverentiam erga Christum*

ſtum in Sacramento, quam in imagine indicamus. Species Sacramentales, inquit idem ibidem, *ſunt res inanimæ, & ſecundum ſe capaces non ſunt cultus & honoris, niſi quatenus conjunctæ cum Chriſto quem continent. Quare adoratio nulla ratione in exterioribus accidentibus ſiſtere poteſt, ſed ad intima penetrare debet; nec adorantur accidentia, ſed Chriſtus contentus ſub illis*. Relege quæ diximus de imaginum cultu, & hic applica eodem omnino modo: ſicut ibi diximus, non eſſe de fide, imagines nequidem Chriſti *adorari*, multo minus *latria*, imo vel cultu *religioſo* coli, multo minus *eodem cultu* quo prototypon: ita dicimus, non eſſe de fide ſpecies Sacramentales, ſeu ſymbola adorari; multo minus cultu latriæ coli, vel cultu religioſo, vel eodem cultu quo Chriſtus; nec proinde Sacramentum Euchariſtiæ ſumptum, ut ſæpe ſumi ſolet, pro ſymbolis, ſignis, & ſpeciebus.

Nec catholicus ullus intendit ſic adorare albedinem, & rotunditatem, quam cernit oculis, ſed ſolum Chriſtum, quem non videt, credit tamen ibi contentum. Symbola tamen ſicut veſtem regis veneratur. Recentiores aliqui putant, inquit Vaſquez cap. illo 12. *Gabrielem in ea fuiſſe ſententia, ut diceret, Sacramentum hoc, ideſt ſpecies Sacramentales per figuram ſynecdochen, hoc eſt ratione Chriſti ſub eo contenti, non autem proprie adorari*: quod ipſemet Vaſquez cenſet non improbandum.

5. Placet etiam ob multa alia conjuncta addere iſtud ex Vaſquez diſp. 109. cap. 4. *Ex affectu latriæ, qui dicitur adoratio, & circa exemplar primo verſatur, derivatur nota exterior ſubmiſſionis, quæ communi modo loquendi dicitur honor, cultus, & adoratio ejus, quod corporaliter contingit, aut coram quo fit, ita ut per illud in prototypon tranſmittatur; at opus externum laudis, quo laudamus exemplaris excellentiam, opus etiam orationis, & ſacrificii, ſolum dicitur communiter aut laus, aut oratio, aut ſacrificium ad exemplar relatum, non ad imagines, & ideo communiter nec ad imagines nec ad res inanimatas, & adhuc per accidens hæc omnia referri, ſed coram illis fieri dicuntur. Idem, quod de Imaginibus hactenus diximus, de ſpeciebus, & accidentibus Sacramentalibus dicendum arbitror ob eamdem prorſus rationem. Data opera dixi de ſpeciebus, ſeu accidentibus Sacramentalibus; nam ſi de Sacramento loquamur, cum aliquid illius ſit Chriſtus ipſe, ut ſupra notavimus, ſicut abſolute dicimus, ipſi latriam in ſpiritu exhiberi, ſic etiam & orationem, & laudem divinam in ſacrificium ad ipſum poſſe referri hac de cauſa fatendum eſt*.

6. Uno verbo, ut eodem honore regio non duplici, aut diverſo honoratur rex ſine pallio, & cum pallio, aut rheda vectus; ridendumque ſe aulicis & prudentibus exhiberet, qui regi abſque pallio honorem redderet regium, palliato aut rheda vecto denegaret, & ſtultus omnino judicaretur, ſi hinc a regia rebellis fugeret, ne palliatum aut rheda vectum colere cogeretur: ita ridendos ne dicam ſtultos ſe exhibent devii, dum *Euchariſtiam ipſam adorare* idololatriæ inculpant, ſeu Chriſtum, velut palliatum, & tectum ſymbolis (quomodo propoſitum Chriſtum ſub ſpeciebus *Euchariſtiam*, & Sacramentum *Euchariſtiæ* nuncupamus) horrent adorare, & propterea ſciſſionem ab Eccleſia faciunt; neutiquam faciendam licite, ſeu non eſſe idololatriam, *ſi non adoretur corpus Chriſti in Euchariſtia*, ſeu ſi Chriſtus, ſeu extra Sacramentum, ſeu etiam in Sacramento adoretur, ut habetur in Epiſt. ad Munglat. pag. 63. jam relata. O ſingularem ſtultitiam in hoc præcipue ſchiſma facere ab Eccleſia Romana, quod tamen ex Miniſtris in hoc maxime fundatur, ut ex Apologia, & Epiſt. ad Munglat. ſupra citatis retulimus. Sane Chriſtus ſeu nudus in præſepi, aut cruce, ſeu tectus veſtibus, ſeu opertus cælo aut ſymbolis (quo in ſtatu Chriſtum ipſum Sacramentum Euchariſtiæ nuncupamus, & hoc ſenſu, nec alio Sacramentum hoc latriæ adoramus) eodem prorſus cultu adoratur. Riderent devios doctoreſque noſtros aulici, ſi quis hæc regio honori applicata diſcuteret, & quali honore pallium regis operiens regem aut in veſtiario repoſitum honorandum foret, multis clamoribus digladiaretur.

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici, devios acriter, & tam multis decertantes, *quali honore*, ſeu *ſpecies Sacramentales*, quæ ſunt pallii, ſeu opertorii inſtar, ſeu Sacramentum, id eſt ſpecies tegentes Chriſtum, & ut includentes Chriſtum, ſeu Chriſtus ſic tectus ſit colendus, & an duplex ſit honor & præterea alius ſit relativus ſpecierum, & qualis.

Vereor & ne aulici cum iſta tot ſubtilitatibus in ſcholis noſtris involvimus, taciti ſubſannent nos; nec forſan immerito, cum non ſine riſu exciperentur applicata honori Regio, in quo tamen eſt eadem omnino ratio, & ſimiles prorſus formari circa illum poſſint difficultates, & moveri lites.

8. Attamen ſaltem *ſi credere, Chriſtum eſſe realiter præſentem ſub Symbolis Euchariſtiæ, ejuſque Corpus ſub iis creditum adorare in Euchariſtia, nullum habet venenum, nec præjudicat ſaluti* illud credentis, & ſic adorantis; nemo ſanæ mentis poteſt dicere, *præjudicari ſaluti, aut venenum aliquod habere* Sacramenti, ſeu Euchariſtiæ adoratio, & quidem latriæ abſolutæ, & ſummæ, modo a nobis explicato. Unde rurſus ſequitur, *nec bonum Chriſtianum, nec ferendum civem, nec hominem ſenſatum haberi poſſe*, qui dictam refugit *adorationem Sacramento, ſeu Euchariſtiæ* exhibere, ut patet ex dictis.

§. XIV.

De Sacrificio Miſſæ.

SIC habet profeſſio noſtra: *Profiteor, in Miſſa offerri Deo verum, proprium & propitiatorium ſacrificium pro vivis, & defunctis*. Et Trident. ſeſſ. 22. Can. 1. *Si quis dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, aut quod offerri non ſit aliud, quam nobis Chriſtum ad manducandum dari, anathema ſit*. Et Can. 3. *Si quis dixerit, Miſſæ Sacrificium tantum eſſe laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium, vel ſoli prodeſſe ſumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere, anathema ſit*. Hæc ibi de fide, quia propoſita a Concilio univerſali: a contrario nihil ſequentium eſt de fide.

Primo itaque de fide non eſt, Sacrificium Miſſæ eſſe Sacrificium abſolutum, & non tantummodo commemorativum, ſeu relativum, veruntamen verum, & proprium. Sed & quæ ſequuntur, in quibus nutant Doctores, ut referam, non ſunt de fide. Probatur primo. Quia Tridentinum nihil de his rebus ſtatuit, in quo non deerant viri doctiſſimi, qui ſcirent hæc controverſa eſſe in ſcholis. Probatur itaque

2. Quia hæc controvertuntur etiam inter Doctores Scholaſticos, referente Vaſquez diſp. 222. cujus vel ſoli capitum tituli ſufficiunt noſtro intento his verbis.

Oblationem illam, quæ quibuſdam verbis fit a Sacerdote, ad rationem Sacrificii nullo modo pertinere, cap. 1. *Neque fractionem, neque diſtributionem hujus Sacramenti ad eſſentiam Sacrificii ſpectare*, cap. 2. *De conſumptione Sacramenti comparata cum Sacrificio variæ ſententiæ*, cap. 3. *Eſſentiam hujus Sacrificii in ſola conſumptione non conſiſtere, neque eam aptam eſſe, ut ad aliquid horum a Chriſto inſtitueretur*, cap. 4. *In ſola conſecratione hujus Sacramenti totam eſſentiam hujus Sacrificii poſitam eſſe in univerſum probatur*, cap. 5. *Vera ratio Sacrificii in conſecratione poſita, varie exponitur a Theologis*, cap. 6. *Eatenus ſolum in conſecratione rationem hujus Sacrificii poſitam eſſe, quatenus Sacrificium Crucis eo repræſentatur, teſtimoniis Patrum oſtenditur*, cap. 7. *Eſſentia hujus Sacrificii ex ſola mortis Chriſti repræſentatione, optima ratione colligitur*, cap. 8. *Diluuntur objecta adverſariorum*, cap. 9. Ita varii varie ſentiunt; proinde nihil horum eſt de fide. Summa ſententiæ Vaſquez habetur cap. 8. *Ratio Sacrificii in ſignificatione omnipotentiæ Dei authoris vitæ, & mortis formaliter poſita eſt. Ac proinde ſi ſit oblatio aliqua, per quam abſque rei oblatæ immutatione vera, & reali Deus author vitæ, & mortis donotari, & coli poſſit, vere, & proprie ſacrificium dici debet. Hujuſmodi autem eſt conſecratio Corporis, & Sanguinis Chriſti abſque reali immutatione ipſius Chriſti ob ſolam repræſentationem mortis ejus; illa igitur vere, & proprie Sacrificium erit. Porro autem per ſolam repræſentationem mortis Chriſti in conſecratione ita ſignificari Deum authorem vitæ, & mortis, ſicut per ipſam cruentam mortem Chriſti, manifeſtum eſt; nam commemoratio mortis Chriſti repræſentat, & quaſi præſentem eam facit*, denotat Deum authorem vitæ, & mortis, ac ſi tunc Chriſtus in honorem Dei reipſa occideretur; atque adeo ad eſſentiam Sacrificii in univerſum immutatio rei oblatæ non requiritur, quia *commemorativum* Sacrificium ſine ulla eſſe poteſt, tametſi ad eſſentiam Sacrificii *abſoluti* neceſſaria ſit, eo quod ratio formalis Sacrificii, quæ eſt ſignificatio, non in verbis, ſed in rebus, qua denotatur Deus author vitæ, & mortis, ſine tali immutatione in Sacrificio commemorativo reperiatur.

Eſt tamen valde obſervandum, ad Sacrificium commemorativum, quod vere, & proprie Sacrificium dicitur, non ſatis eſſe, ſi ſolum ſit ſignum nudum mortis alicujus rei nullo modo continens in ſe rem ipſam, cujus mors repræſentatur, ſic enim non diceretur res illa, cujus mors repræſentatur, in Sacrificium offerri, neque vere commemorativum Sacrificium; quin potius ſignum tantum, & larva Sacrificii eſſet, & neceſſario requiri, ut res ipſa, cujus mors repræſentatur, ſit ſignum mortis ſui ipſius. V. g. ſi vera eſſet ſententia hæreticorum, qui negant ſub ſpeciebus panis, & vini corpus, & ſanguinem Chriſti, & ſubſtantia panis & vini ibi eſſet, repræſentari quidem poſſet mors Chriſti, ut ipſi hæretici etiam concedunt, at Chriſtus in ſacrificium non vere, & reipſa, ſed tantum in figura offerretur. Nam quo pacto vere, & reipſa in ſacrificium offerri dici poteſt id, circa quod actio Sacerdotis offerentis non reipſa, ſed tantum ſimilitudine quadam, & in figura verſatur? *Cæterum cum ipſemet Chriſtus ſit ſub ſpeciebus panis & vini, & circa illum actio Sacer-*

dotis

dotis offerentis ipsa ita versetur, ut ipsamet per species panis, & vini ex modo peculiari, quo a Sacerdote consecratur, repræsentet cruentam, & realem mortem sui ipsius, & ea repræsentatione denotet Deum authorem vitæ, & mortis, quamvis non dicatur reipsa, & vere, sed in sola figura, & similitudine, occidi, & mori, tamen vere & reipsa immolari, & in sacrificium offerri dicitur. Hæc Vasquez. Quid facilius creditu *sacrificio vero & proprio*, solum tamen *commemorativo*, non *absoluto* sic explicato?

2. Aut saltem posito, quod *credere, corpus Christi esse realiter sub symbolis panis, nec habeat venenum, nec præjudicet saluti credentis* ex Apol. cap. 7. quis non dicet, *credere sacrificium verum*, & *proprium*, sed *commemorativum*, & explicatum, non habere venenum, nec *præjudicare saluti?* Ex quo rursus deducet, *nec bonum Christianum, nec ferendum civem, nec hominem sensatum haberi posse* in imperio, qui non credit tale Sacrificium: quod sufficit, quo quis sit Catholicus, ut supra diximus in simili.

De *propitiatione*, præter jam relata ex Tridentino. habendum in explicationem ex eodem, quod habet sess. illa 22. cap. 2. *Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit, docet sancta Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit; una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa: cujus quidem oblationis cruentæ, inquam, fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur: tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis rite juxta Apostolorum traditionem offertur.* Hæc ibi. Quare ut hæc sunt de fide; ita nec plura sunt de fide credenda. Sicque quæ blaterant adversi contra propitiationem, facile diluuntur. Itaque

Longe abest, ut sacrificium Missæ sit propitiatorium, sicut sacrificium crucis. Nam istud meritorium fuit redemptionis, seu remissionis peccatorum, & gratiarum omnium, quæ nobis conferuntur, & omne meritum Christi in eo fuit consummatum, & hoc sensu fuit propitiatorium, illud vero esse voluit Christus veluti instrumentum, inquit bene Vasquez disp. 229. cap. 2. quo meritum *passionis suæ nobis applicaretur*, ut & applicatur per sacramenta, per fidem, & per bona opera: & hoc sensu *propitiatorium* est, quomodo etiam fides, & pleraque sunt propitiatoria. Quid facilius creditu tali *propitiatione?* Et quæ ibi derogatio propitiationi sacrificii crucis?

2. Non nisi per *impetrationem* hoc conferre, & proinde non nisi per impetrationem, & *mediate esse propitiatorium*, docet bene Vasquez disp. 128. cap. 2. & 3. ubi probat, *hoc sacrificium non habere vim instar Sacramenti pœnitentiæ*, scilicet immediate, *non modo remittendi mortalia, sed nec venialia, vel conferendi gratiæ, seu justificationis augmentum*: sed *tantum mediate, seu vim impetrandi gratiæ auxilium, quo & a mortalibus, & a venialibus justificari, & in justificatione sua homo crescere possit;* seu impetrandi *spiritum pœnitentiæ, & contritionis, per quam peccata nobis remittuntur*, aut alios sanctos motus animi, per quos *homo* possit crescere in justificatione. Hoc modo, scilicet per *impetrationem*, sunt propitiatoriæ, fides, Oratio &c. sed istæ ex pietate, & honestate operantis; illud virtute rei oblatæ, seu justificationis Christi: eodem modo, scilicet per impetrationem, bona etiam temporalia *salus corporis, liberatio ab ægritudine aliqua, fructus terræ, & id genus alia effectus sunt hujus sacrificii*, quæ etiam oratio impetrat. Quæ ergo difficultas credendæ talis propitiationis, & obtentionis talium effectuum?

3. Non semper certa lege, inquit idem Vasquez eadem disp. cap. 4. *sed aliquando virtute hujus sacrificii obtineri auxilium gratiæ ad justificationem, & bona temporalia, experimento compertum est.* Et ibidem addit idem: *Nam non semper remittit peccata eo modo, quo supra dictum est per ipsum remitti, neque semper virtute ipsius conferuntur alia auxilia spiritualia, neque semper bona temporalia intuitu illius a Deo impetramus.*

4. *Oblatione hujus sacrificii proxime*, seu immediate, *& semper certoque remitti pœnam temporalem viventium, seu debitam eorum peccatis, & hoc etiam modo propitiatorium esse pro vivis, nulla ratione negari potest*, inquit Vasquez ibidem, & probat. *Quia cum sit causa particularis, per quam nobis applicatur meritum universale passionis Christi, ut ex Trident. retulimus; opus est, ut illi aliquem effectum, sicut etiam Sacramentis, certo tribuamus, tametsi pendeat ex dispositione ejus, pro quo offertur; nullus autem ei tribui commodius potest, quam remissio pœnæ, siquidem reliquos non semper confert* (ut jam ex ipso retulimus). *Reliquum igitur est, ut effectus, quem certa lege hoc sacrificium semper operatur, sit remissio pœnæ jam in viventibus juxta cujuscumque dispositionem* (& hoc etiam nomine est propitiatorium pro vivis, & defunctis) addit tamen: *quamquam ab Ecclesia definitum non sit.* Hoc ergo, quod *certo semper*, seu *certa lege* pœna hæc temporalis remittatur, non est de fide.

5. Disputat Vasquez disp. 229. *Utrum omnes effectus hujus sacrificii* tam pro vivis, quam pro defunctis *dicendi sint ex opere operato, an non. Tametsi*, inquit, *Scholastici omnes, quod attinet ad rem ipsam, eodem modo sentiant, diverso tamen modo loquuntur*, variasque Theologorum opiniones refert cap. 1. *Nec est idem*, inquit, *aliquid nobis donari virtute sacrificii ex opere operato, & certa lege conferri.* Non itaque est de fide, sacrificium hoc prædicta operari *ex opere operato*, nam Trid. nihil habet de hac re, & Theologi diversimode hunc modum loquendi exponunt, de quo ibi fuse Vasquez.

6. De propitiatione ejusdem sacrificii erga defunctos hæc specialiter notanda 1. ex Vasquez disp. 218. cap. 4. *Defunctis sacrificium istud nullo alio modo prodesse potest, quam remittendo pœnam temporalem, ut patet.*

2. Quod autem notavimus supra, *aliquos putare specialiter* de Sacrificio Missæ oblato pro defunctis *non habere tantam efficaciam, ut infallibiliter acceptetur, neque esse aliquod opus quod ex opere operato liberare possit animas defunctorum a pœnis lege certa, & infallibili.* Et Vasquez ibidem cap. 4. *Sotus*, inquit, Canus, & Corduba censent, Sacrificium Missæ circa vivos certa lege semper operari remissionem pœnæ; circa defunctos vero existentes in purgatorio, non item, sed illis solum ad hunc effectum valere per modum suffragii; vocant autem per modum suffragii, quod solum prosit, prout Deo placuerit illud acceptare, neque certa lege statuerit propter illud defunctorum pœnas remittere; sic arbitrantur effectum sacrificii Missæ circa defunctos non esse ita certum, sicut circa vivos.

7. Longissime est a fide, valorem hujus sacrificii esse infinitum, de quo Vasquez disp. 130. Cujus caput 1. inscribitur: valorem, & virtutem hujus sacrificii finitam esse, non pauci Theologi autumant.

8. Hac secretione facta doctrinæ fidei ab ea, quæ non est de fide, quam facile est credere, Sacrificium Missæ esse propitiatorium pro vivis, & defunctis? Patet etiam ex ea, quam multa ministri affingant falso doctrinæ fidei Catholicæ, schismati & divisioni, ex quo vivunt, fovendo.

9. Sed esto, difficultas aliqua maneat, saltem doctrina hæc fidei sic exposita *nullum habet venenum*, nec *præjudicat pietati, & saluti credentis illam*, posito quod credere *Corpus* Christi esse realiter præsens in panis Symbolis, nullum habeat venenum: Unde rursus sequitur; *nec bonum Christianum, nec ferendum civem, nec hominem sensatum haberi posse* in imperio, qui huic doctrinæ non subscribit.

§. XV.

De Papa, ejus primatu, & authoritate.

COnfessio nostra hoc solum habet: *Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem & magistram agnosco: Romanoque Pontifici B. Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario* veram obedientiam *spondeo*, ac juro. Ex Trident. sumptum sess. 25. in quo nec plura: *Sancta Synodus Pastores omnes obtestatur, ut illa omnia, quæ Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Mater, & magistra statuit, quibuscumque fidelibus sedulo commendent, omnique diligentia utantur, ut illis omnibus sint obsequentes;* & in singulis fere sessionibus habetur; *In Tridentina Synodo præsidentibus tribus Apostolicæ sedis legatis.*

Sed explicatius in Concilio Florentino in definitione Synodi, *Definimus, Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur.* Hoc ergo est de fide, quia propositum a Concilio universali: sed nihil aliud est de fide, nec aliter, quia neutiquam propositum a Concilio universali, hoc præsertim, in quo Græci & Latini confederunt, & exactissime potestas hæc fuit a Græcis præsertim discussa.

Quare 1. Non est de fide, Pontificem Romanum docentem aliquid, sive in Concilio particulari, sive in Synodo provinciali, etiam cum alloquitur totam Ecclesiam, seu cum ex Cathedra, ut ajunt, loquitur, dum extra universale Concilium doceat, *esse Judicem supremum controversiarum*, aut esse infallibilem, nec quod sic definitum foret, esse de fide, nisi aliunde sensus totius Ecclesiæ constaret

ret. Probatur 1. quia id non habetur in Trident. aut Florent. aut in ullo Concilio univerſali, quinimmo in profeſſione noſtra, & in Tridentin. ſeſſ. 4. de ſola Eccleſia dicitur: *Cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſanctarum Scripturarum.* 2. Quia nullus Doctorum hucuſque, nec ipſe Bellarminus id eſſe de fide catholica cenſuit. 3. Quia inter Doctores Catholicos varii varia ſentiunt, ut relatum ſupra etiam ex Bellarmino T. 1. de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 2. ubi *Secunda opinio eſt*, inquit, *Pontificem, etiam ut Pontificem poſſe eſſe hæreticum, & docere hæreſin, ſi abſque generali Concilio definiat, & de facto aliquando accidiſſe. Hanc opinionem ſecuti ſunt aliqui Pariſienſes, ut Gerſon, & Almain, Caſtro, & Adrianus VI. Papa. Qui omnes non in Pontifice, ſed in Eccleſia, ſive in Concilio generali tantum conſtituunt infallibilitatem judicii in rebus fidei. Et hæc opinio*, addit ipſe Bellarminus, *non eſt proprie hæretica; nam adhuc videmus ab Eccleſia tolerari, qui illam ſententiam ſequuntur.* Quod autem ipſemet durus cenſor ſubjicit, *tamen videtur omnino erronea, & hæreſi proxima*, non ſatis firmo fundamento dicit; ſed potius probabilis eſt illa opinio, tum ob auctoritatem tantorum Doctorum, etiam Adriani VI. Papæ (nondum tamen provecti ad illam Sedem, cum hæc ſcripſit) qui rexit Eccleſiam paulo ante Tridentinum, tum quia in Tridentino nihil de hac re dictum. Denique ſi quid rationes Bellarmini valerent, probarent, Papam, etiamſi aliquid ſolus definiat, aut ſolum opinionem ſuam declaret aliis, aut particularibus ſolum, non toti Eccleſiæ reſpondeat, infallibilem eſſe, quæque ſic docens pronunciat, eſſe de fide; quæ tamen ipſemet Bellarminus negat, & concedit, Papam in his caſibus *poſſe errare, & de facto erraſſe*, ut retulimus ſupra: quia Teſtimonia allata a Bellarmino loquuntur univerſaliter, ut patet ex eorum relatione etiam ut facta a Bellarmino. Ergo ſi quid probarent, contra Bellarm. probarent.

Quæret forſan aliquis, quid in hac quæſtione probabilius cenſeam? Reſpondeo, quæſtionem hanc diverſionem eſſe a propoſito noſtro; nec proinde mihi illi reſpondendum eſſe: Doctorem ſolum ago Catholicum, non Scholaſticum. Cum itaque nihil de hac re doceat Eccleſia, nec ego debeo quidquam docere, nec devius, quo Catholicus fiat, quicquam ſcire; abſtrahat ab his quæſtionibus, ſeu ignoret hæc, ſufficit illi quo ſit Catholicus. Addo tamen ex abundanti, liberum illi eſſe utramvis, prout placuerit, quippe nullo fidei præjudicio, ſententiam ſequi utpote probabilem utramque: ſed utcumque ſit, veriſſimum eſt, id quod manat a Sede tantæ authoritatis, eſſe cum magna veneratione ſuſcipiendum. Fuſe hæc jam diximus, & ſtatuimus ſupra.

2. Non eſt de fide, Papam eſſe ſupra Concilium univerſale, ſeu ſupra Eccleſiam totam reliquam, ſeu ipſo capite ſemoto; ſicut nec etiam Concilium, aut totam Eccleſiam reliquam eſſe ſupra Papam, ſeu quocumque modo quæſtio bene proponatur. Probatur 1. quia nihil horum habetur in profeſſione noſtra, nec in Conciliis univerſalibus Tridentino, Florent. aut aliis. 2. Concedit id expreſſe Bellarmin. ipſe jam ſupra relatus: *Non ſunt*, inquit, T. 1. de Concil. lib. 2. cap. 17. *proprie hæretici, qui ſentiunt, Pontificem non eſſe ſupra omnia concilia, & ſupra Eccleſiam univerſam, ita ut nullum in terris ſupra ſe judicium agnoſcat;* & fatetur dubium ſaltem eſſe, *quod Lateranenſe ultimum Concilium, ſub Leone X. ſeſſ. 11. id definierit proprie ut Decretum fide Catholica tenendum.* 3. Probatur, & explicatur magis, quia variæ de re hac ſunt Doctorum ſententiæ, etiam referente Bellarm. Tom. de Concil. l. 2. cap. 14. quod vel ſolum ſufficit probando, id non eſſe de fide Catholica, cui ſolis pelliciendis deviis ſcribimus. Sic itaque habet Bellarm. cap. illo 14. *De propoſita quæſtione tres invenio Doctorum ſententias. Prima eſt, Concilium eſſe ſupra Pontificem. Id quod aſſerunt Cardinalis Cameracenſis, Joannes Gerſon, Jacobus Almainus, & alii nonnulli in ſuis Tractatibus de poteſt. Eccleſ. Item Nicolaus Cuſanus Panormitanus, & Magiſter ejus Card. Florentinus. Item Abulenſis, & quidam alii* (locis a Bellarmino relatis). *Ut autem hæc ſententia intelligatur, notandum eſt, duo eſſe fundamenta hujus opinionis. Primum eſt, Papam non eſſe proprie caput Eccleſiæ univerſæ ſimul congregatæ. Id quod in eodem modo non intelligunt hæretici, & alii authores: hæretici enim volunt, Papam nullo modo eſſe caput Eccleſiæ totius, ſed tantum Epiſcopum ſuæ Eccleſiæ particularis, ad ſummum Patriarcham Occidentis; at alii authores docent, Papam eſſe caput, & Paſtorem ſingulorum Chriſtianorum, & ſingularum Eccleſiarum ſi ſeorſim ſumantur, non autem totius Eccleſiæ ſimul congregatæ in Concilio generali; tunc enim Eccleſia accipit quaſi formam Corporis, & tota poteſtas, quæ erat ſparſa in variis membris, uni unitur: ita ut comparare Papam cum cæteris Chriſtianis ſeorſim ſumptis ſit comparare membrum nobiliſſimum cum minus nobili: at comparare Papam cum Concilio ſit comparare partem cum ſuo toto, & proinde minus cum majore. Et ne dicamus, Concilium ſine Papa non eſſe totum perfectum, ſed corpus ſine capite, addunt ſecundum fundamentum, quod eſt, ſupremam Eccleſiaſticam poteſtatem eſſe tam in Concilio, quam in Papa; ſed in Concilio principalius, immediatius & immobilius: dicunt enim, Chriſtum immediate omnem poteſtatem ſolvendi & ligandi tribuiſſe Eccleſiæ, & cum Eccleſia ſemper duret, immobiliter in ea ſemper manere hanc poteſtatem. Quia tamen non poteſt Eccleſia ſemper congregata manere, & exercere hanc poteſtatem per ſe, inſtituit Chriſtus ſummum Pontificem, tanquam inſtrumentum generale ad omnes actiones Eccleſiæ, & in eo poſuit hanc poteſtatem ſummam, ut eam exerceat nomine Eccleſiæ. Differunt quidem inter ſe hi authores; quod aliqui ponant hanc poteſtatem formaliter, & ſubjective in ſolo Pontifice, in Eccleſia autem ponunt eam ut in fine, quia eſt propter Eccleſiam & ut in regulante, quia Eccleſiæ eſt regulare, & dirigere Papam, cum ipſa non poſſit errare, Papa autem poſſit; ac denique, ut in ſupplente, quia deficiente Papa propter mortem naturalem, civilem, Eccleſia ſupplet ejus officium. Alii vero volunt eſſe formaliter, & ſubjective principaliter in Eccleſia, inſtrumentaliter in Pontifice, conveniunt tamen in eo omnes, ut doceant hanc poteſtatem immediate in Eccleſia, & proinde mortuo Papa, vel depoſito, vel nolente adeſſe Concilio, Concilium non propterea eſſe corpus imperfectum, ſed perfectum, & habere poteſtatem Papalem definiendi de fide, ſanciendi leges, dandi indulgentias &c. Ex quibus deducunt, Concilium eſſe ſupra Papam, & poſſe ipſum judicare, & punire, & idem eſſe quærere, an Papa ſit major Concilio, ac ſi quæreretur, an pars ſit major ſuo toto. Denique volunt, Papam eſſe in Eccleſia id, quod eſt Dux Venetiarum in Rep. Veneta, vel Magiſter Generalis in aliqua religione; conſtat enim, Ducem Venetum eſſe ſupra ſingulos Magiſtratus, & eſſe ſupra ſingulos Senatores, & Civitates Venetas, non tamen ſupra totum Senatum ſimul collectum; & quando moriatur Dux, certum eſt totam authoritatem, etiam Ducalem eſſe in Senatu. Quomodo etiam Magiſter Generalis eſt ſupra ſingulos Religioſos etiam Priores, & Provinciales, tamen non eſt ſupra congregationem generalem, cum ei parere debeat, non imperare.* 2. *Opinio eſt aliquorum Canoniſtarum, qui volunt quidem Papam eſſe ſupra Concilium, & a nemine judicari poſſe invitum; tamen poſſe ipſum ſeſe ſubjicere Concilio, & dare illi ſupra ſe poteſtatem; & ſi hoc fecerit, acquieſcere debere ſententiæ Concilii, etiam ſi de ipſius depoſitione ageretur. Ultima ſententia eſt fere communis, quod videlicet Papa adeo ſit ſupra Concilium, ut non poſſit etiam ſe ſubjicere ejus ſententiæ, ſi proprie de ſententia coactiva agatur. Ita Turrecremata, Cajetanus, Ferrarienſis, Turrianus, Sanderus &c.* Hæc Bellarminus; quare nihil horum eſt de fide, hoc ipſo quod varii varia ſentiunt, nullo hæreſeos inſimulante diſſidentes a propriaſua ſententia: *Quæſtio hæc*, inquit Bellarminus de Concil. lib. 2. cap. 13. *exorta eſt tempore Concilii Piſani, Conſtantienſis, & Baſilienſis; cœperunt Patres quærere, an tenerentur obedire Pontifici, an Pontifex potius teneretur obedire ipſis, id eſt generali Concilio, tum plurimi in eam iverunt, ut Concilium eſſet ſupra Pontificem; uſque ad hanc diem quæſtio ſupereſt etiam inter Catholicos.* 2. Quod omnes hæ opiniones, & prima etiam, ſint probabiles, & proinde cuivis liberum ſit, etiam nunc abſque ulla cenſura, quam velit, ſequi, & proinde amplecti ſi vult *primam*. Probatur 1. ex auctoritate tam gravium Doctorum, qui eam ſecuti ſunt, Gerſonis, Almaini &c. 2. Ipſamet ſuis librata ponderibus, ut audivimus expoſitam referente ipſo Bellarm. per ſe ſatis prudens apparet, & in natura corporis, & capitis fundata. Ergo probabilitate non caret. Et bene Vaſquez diſp. 62. cap. 4. *Quando videmus fundamenta omnia, & rationes Doctores oppoſitæ ſententiæ vidiſſe, & conſideraſſe, & ad eas aliquo modo reſpondiſſe, nec eis convictos fuiſſe*, probabilem manere ſententiam illam judicare debemus. 3. Ex exemplo Magiſtri Generalis, quod clarum eſt, nec enim refert a quo Papa habeat poteſtatem tanquam a cauſa efficiente; nam cauſa efficiens non mutat rationem formalem capitis comparati cum corpore. 4. Nihil habet Bellarm. quod facile ſolvi non poſſit; nam nec Teſtimonia tot Conciliorum, ne quidem verba Lateranenſis ultimi ſeſſ. 11. relata a Bellarm. nec Patrum, quos producit, quidquam ſonant expreſſe contradictorium primæ illi ſententiæ, ut ex lectione patet. Omnia & ſingula ſolum probant, quod de fide eſt, & habetur in fide Concilii Florentini, *Papam eſſe caput Eccleſiæ*; nec quicquam de contentis in prima ſententia damnant, niſi ad ſummum per conſequentias deductas inde a Bellarm. quæ non ſunt Conciliorum aut Patrum, & facile eſt cuivis eas negare. 5. Vel ſolum Synodi Florentinæ, & Tridentinæ ſuper has difficultates non ignotas Epiſcopis, & Theologis ſilentium teſtimonium videtur poſitivum probabilitatis retinendæ pro illa prima ſententia; cur enim poſt tot hac de re motas

quæ-

quæſtiones in Conciliis Conſtantienſi, & Baſileenſi ſiluerunt? Quare ſine fundamento ſufficiente pronunciavit Bellarminus, *a temeritate magna excuſari non poſſe, qui primam illam tenent* opinionem, & contrariam *eſſe fere de fide*; & ejus propoſitio cenſura potius digna foret, qui ſic tali audet cenſura notare Doctores tam graves, quos ipſemet pro prima illa ſententia citavit, Cardinalem Cameracenſem, Almainum, & Patres omnes Concilii Conſtantienſis, & Baſilien. etiamſi ſpectentur ut particulares Doctores, cum præſertim poſt hæc tempora nullum Concilium generale contrarium pronuntiaverit, ut jam diximus. In Concil. Conſtantien. T. 3. pag. 849. ſeſſ. 4. ſic habetur: *Declarat Synodus, quod ipſa Synodus generale Concilium faciens Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem a Chriſto immediate habet, cui quilibet, cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem ſchiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*. Idem in Baſil. ſeſſ. 32. & 38. habetur. Nonne tot Patrum Conſtantienſium, & Baſileenſium authoritas ſufficit fundandæ huic doctrinæ ſaltem probabiliter? Equidem Vaſquez, & omnes fere Theologi docent, *probabilem eam* opinionem dici, & eſſe, *quæ ſuos habet* authores & patronos doctos, & prudentes, qui eam ut probabilem amplectantur, 1. 2. diſp. 62. cap. 4.

Quod ſi quis quærat, quid mihi videatur probabilius? Reſpondeo, ut reſpondi in ſimili de infallibilitate Papæ: ſed neutram harum quæſtionum pluribus licet agere.

3. Longe longius abeſt a fide *poteſtas indirecta Papæ in temporalia, ſeu Pontificem* ut Pontificem, etſi non habeat ullam mere temporalem poteſtatem, *tamen habere in ordine ad bonum ſpirituale ſummam poteſtatem diſponendi de temporalibus rebus omnium Chriſtianorum, & proinde poſſe mutare regna, & uni auferre, & alteri conferre tanquam ſummum Principem ſpiritualem, ſi id judicet ad ſalutem animarum neceſſarium, aut poſſe abrogare leges Principum, aut condere*. Probatur 1. Quia nihil horum habetur in profeſſione noſtra, aut Tridentino, aut alio univerſali. 2. Nullus Doctorum id dicit eſſe de fide, ne quidem Bellarmin. 3. Ignota hæc fuiſſe omnia Patribus, & Conciliis primorum ſæculorum evidens eſt; nec enim Papæ Liberius Conſtantium, Damaſus Valentem, & nec idem Liberius Julianum etiam apoſtatam regno deponere vel cogitarunt. 4. Ne quidem omnes praxes Eccleſiæ univerſalis ſufficientes ſunt fundando articulo fidei, ut ſupra diximus, quod releget lector, & his applicabit: multo minus praxes recentiorum aliquot Pontificum: ſufficit praxi quod fundetur in opinione probabili ex judicio ſic agentis & aliorum multorum, ut ibidem adnotavimus. Hinc contra hanc praxim poſſunt eſſe opiniones probabiles. Sane in hac materia præſtaret ſilentium loquacitati, eo præſertim quod cum occurreret occaſio, parum ad rem referret diſcuſſio hujus quæſtionis ſpeculativæ, cum facile foret ſolum *minorem propoſitionem* diſcutere, ſcilicet, depoſito contendente hic, & nunc non eſſe ſufficientem cauſam depoſitioni, quidquid ſit de generali illa poteſtate; certum enim inter omnes eſt, ſaltem nonniſi ex graviſſima, & juſtiſſima cauſa depoſitiones has eſſe attendendas; & qui in tali caſu non præſtaret armis, lite de facto caderet intentata; & meo quidem judicio crimini deberet eſſe particularibus de his ſtatuendo quidquam pronunciare, cum ſit ſemina diſcordiarum inter Papam, & Reges bene conſentientes ſpargere. Ob quas etiam, vel ſimiles rationes præſtat nec de duabus præcedentibus quæſtionibus agere. Satius eſt ſequi Concilium Tridentinum, quod de his omnibus ſiluit; nec ſapere plus quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, Paulo id prudenter admonente Rom. 12. 3.

§. XVI.

De Judice controverſiarum.

SIC habet profeſſio noſtra: *Sacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet S. Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor*. Et Trident. ſeſſ. 4. *Decernit Synodus, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet S. Mater Eccleſia*, cujus eſt judicare *de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum ſanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat*. Hæc, nec plura Concilium. Quare ut doctrina his contenta eſt de fide, & quod ibi præſcribitur ſequendum, quia propoſita a Concilio univerſali; ita a contrario nihil aliud eſt de fide in hac materia, nec oportet plus ſapere quam ſapuit Concilium. Itaque

1. Ut Concilium abſtinuit a termino *infallibilitatis in Eccleſia* etiam univerſali in doctrina fidei, & morum, ita licitum cuique ab eo abſtinere. Quinimo ut utile eſt uti hoc termino, quippe apprime ſignificativo, tum in Scholis, tum in Concionibus erudiendo populo; ita præſtat abſtinere in collationibus cum deviis.

1. Quia terminus iſte non eſt *Conciliaris*; non enim in ullo Concilio reperitur, ut nec in Scriptura; cur ergo eo præſertim exoſo adverſis utemur? Difficiliorem eis reditum ad Eccleſiam ſic reddemus, & probationem ejus, quod injecerimus? *Tranſubſtantiationis* nomine utitur Tridentina Synodus ſeſſ. 13. Can. 2. & cap. 4. eo itaque nobis utendum, & non ſolum res eo ſignificata credenda: at non uſa eſt termino *infallibilitatis*; nec nos ergo utamur, ne ſapientiores in fidei rebus ſimus Concilio. Et ſi quid devius ſentiendum ſciſcitetur, reſpondeamus, ſufficere illi obvolvere id ſilentio, & ignorare id poſſe, quod Tridentinum non docuit.

2. Res ſignificata per ipſum terminum eſt de fide, dummodo nihil aliud eo termino ſignificetur, niſi quod habet Tridentinum, *Eccleſiæ eſſe judicare de vero ſenſu Scripturarum*, & de qualibet mota controverſia, eique aſſentiendum, & ejus ſenſum admittendum, quæ nunquam errat ob aſſiſtentiam Spiritus Sancti ei promiſſam, Jo. cap. 14. 16. 26. & cap. 16. 13. qui errare non poteſt; nam impoſſibile eſt mentiri Deum, Hebr. 6. 18. Si quid aliud Scholaſticus nomine *infallibilitatis* ſignificet ut ſæpe ſæpius inquirit ſubtiliter, non *erit de fide*, quicquid illud ſit ſive certiſſimum, ſive probabile, & ſubtilitatis Scholæ proprium, nec ſimplicitati fidei aptum, Scholis denique continendum, neutiquam deviis in caſtra Catholica reducendis proponendum; & ſi quærunt illi, quid in hac re ſit illis ſentiendum quo fiant Catholici, reſpondendum, ſilentem de iis Eccleſiam debere imitari, & ſine præjudicio fidei hæc poſſe ignorari, *non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*, Rom. 12. 3. Nos Eccleſiæ nomine nihil debere docere niſi quod docuit; cum in caſtra Catholica tranſierit, nos illum, ſi ſequi libuerit, in Scholas ducturos, & ſubtiliora eſſe docturos. Sane ſimilis, vel fere ſimilis eſt hæc quæſtio illi Scholaſticæ, *an prædeſtinatus poſſit damnari, & reprobus ſalvari*. Ut enim Eccleſia non eſt Eccleſia, niſi habeat aſſiſtentiam Spiritus Sancti qui eſt *infallibilis*, & proinde Eccleſia per ipſum eſt infallibilis; ita prædeſtinatus non eſt prædeſtinatus, niſi cum *prædeſtinatione*; itaque ſicut poſita illa, ſeu ut loquimur in Scholis in *ſenſu compoſito*, quia Deus non poteſt non perducere ad effectum quod ſtatuit, *non poteſt damnari*; *in ſenſu* tamen *diviſo*, ut loquuntur noſtræ Scholæ, *poteſt* damnari; ita Eccleſia in ſenſu diviſo poſſet errare; ſed in tali caſu non foret Eccleſia, ſicut in ſimili caſu non foret *prædeſtinatus*; *in ſenſu vero compoſito non poteſt errare*. Sed quis non videt, hæc nimis ſubtilia, eſſe extra ſepta fidei, & proinde continenda intra Scholas? Contineamus ergo nos intra terminos Tridentinos, nec aliud tanquam de fide proponamus: facillima ſane erit probatio dogmatis noſtri ſic propoſiti, & ei facile devius ſubſcribet. Cur viam reditus ſentibus, & dumetis obſidemus, ne facilis ſit reditus?

3. Non eſt de fide, Deum vel Scripturas non eſſe *Judicem controverſiarum, ſed Eccleſiam ſolam*; imo proclamandum, quod pellicit devios ad nos, *Deum eſſe primum*, & *ſummum Judicem* & quidem *potiorem* Eccleſia; quippe cum illa contineat verbum Dei, hujus locutio ſit humana, ſeu hominum. Probatur 1. Quia nec profeſſio noſtra, nec Tridentinum denegat Deo, vel Scripturæ hanc dignitatem Judicis. Imo Chriſtus Jo. 12. 48. *Sermo, quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die*. Ut & Jo. 7. 5. *Lex noſtra judicat hominem &c.* Et bene Suarez Tract. de Fide diſp. 5. ſect. 2. *Regula fidei eſt vel inanimis, vel viva animata: prior eſt Scriptura, & traditio; viva, & loquens eſt Eccleſia, Concilium generale, & Epiſcopus Romanus*; & ita reſultant quinque Regulæ. Idem repetit ſæpius ſect. 3. 4. 5. 6. 7. 8. ubi indiſcriminatim Scripturæ, ſeu verbo Dei, & Eccleſiæ judicium de controverſis adſcribit, & cum eo alii Theologi poſt Auguſtinum lib. de Unit. Eccl. cap. 2. & alios Patres frequenter. 3. In more poſitum eſt dicere litigantibus, *lex judicabit*. Quidni ergo idem dicemus de Scriptura? 4. Quod ſubtilius dicimus in Scholis, legem eſſe *regulam*, ex qua *Judex judicat*, legem autem proprie non judicare, quia non poteſt audire contendentes, unaquaque parte ad ſe eam attrahente: ita Scripturam: eſt extra ſimplicitatem fidei, & proinde non eſt cum illa ſubtilitate de fide, ſed intra ſepta Theologiæ coercendum.

4. Non eſt de fide, ut jam diximus, Papam extra Concilium generale eſſe *Judicem* ſummum controverſiarum: nec etiam extra illud *eſſe infallibilem in judicio ferendo de rebus fidei, aut morum*. Patet, quia nec eſt in profeſſione noſtra, nec in Trid., & hæc jam oſtendimus. *Atque hæc ſatis de regula fidei, & ſecretione, ex ea doctrinæ fidei Catholicæ a Scholaſtica, quibuſvis opinionibus, & popularibus erroribus in omnibus controverſiis hoc ſeculo motis.*

VIN-

VINDICIÆ LIBRORUM DEUTERO-CANONICORUM VETERIS TESTAMENTI,

In quibus Traditionis & Concilii Tridentini mens de eorum authoritate accurate elucidatur

AUCTORE

UNO E CANONICIS REGULARIBUS CONGREGATIONIS GALLICANÆ.

PRÆFATIO.



ATIS mihi innoteſcit, fuiſſe inter viros Catholicos, qui Heterodoxorum ſententiæ de Veteris Teſtamenti Deutero-Canonicis refellendæ ſingularem dederunt operam: hos inter eminuit Melchior Canus, qui lib. 2. cap. 9. 10. & 11. diligenter omnia conquiſivit, quæ ab Eckio, Cochlæo, Pighio in divinam Judithæ, Tobiæ, cæterorumque Deutero-Canonicorum authoritatem diſputata ſunt. Ab eo tempore, quo vixit Melchior Canus, fuerunt qui diligentius rem pertractavere: occurrunt animo Sixtus Senenſis in Biblia Sacra lib. 1. & Joannes Harlemius e Societate Jeſu Theologus, qui brevius, ſed tamen Cano copioſius recenſuerunt teſtimonia Conciliorum, & Patrum de libris Canonicis edita; ſuccedunt Andradius defenſione fidei Tridentinæ lib. 3. & Stapletonus lib. 9. Hic de cæleſti Deutero-Canonicorum origine docte quidem diſſeruit, ſed paulo generalius: fuit enim vir eximiæ eruditionis, ſed horrens ad turbam nominum; quocirca ſeriem traditionis ſæpius corripuit, ut in profundis, & doctis ratiociniis expatiaretur. Bellarminus, qui non minus doctrina, quam purpura enituit, profeſſus eſt in totius operis ſui præfatione, ſe in unum collecturum, quæ varie de controverſiis diſperſa ſunt, ut ex omnibus unum doctrinæ corpus integrum, ſuiſque numeris abſolutum exiſteret: id ſane peregit, ubi Veteris Teſtamenti Deutero-Canonicorum canonicam authoritatem adverſus XVI. ſæculi hæreticos propugnavit.

Tot eximiis Theologis, qui olim inter alios innumerabiles, in tuenda noſtrorum Deutero-Canonicorum inſpiratione, ore, & calamo deſudarunt, adjungere juvat plurimos, quos ex variis vitæ conditionibus noſtra ætas tulit ingenio, & doctrina notiſſimos: e regia Scientiarum Academia clariſſimum Hamelium: e Facultate Theologica Pariſienſi celeberrimum Eliam Dupin: ex Benedictinorum Ordine illuſtriſſimum Matthæum Petit-Didier: e ſchola Sancti Thomæ peritiſſimum Alexandrum: doctiſſimos e Sancti Franciſci Diſcipulis Joannem de la Haye, & Fraſſenium: e Minimorum familia (hoc illi nomen præ modeſtia ſibi vindicant, quod numquam alias ſortirentur) non minimum inter eruditos Merſenium.

Potuiſſem ego conquieſcere in eruditis tot Theologorum curis, tanquam qui divinam Deutero-Canonicorum authoritatem feliciter, & non vulgari cum laude ſuſtinuerint: ut tamen ſua cuique eſt pugnandi ratio, & in bellis literariis varium armorum genus: ſic veniam facile impetravero a Lectoribus qui magnum rei momentum conſiderate expendent, ſi ego quoque hic virium mearum periculum faciam; atque hujus Cauſæ Vindicias variata inſtruendas methodo repetam: tum quoque novis agam, & urgeam argumentis; faciam ego primum ut Judæorum, & hæreticorum varii Canones de ſcripturis Veteris Teſtamenti in conſpectum prodeant: quippe cum nuda hæreticorum dogmatum imago proponitur, facilius difficultatum, quas illi adverſus fidem orthodoxam faceſſunt, cognoſcitur vanitas.

Accedam deinde ad varias Scripturarum Verſiones, quæ mihi primum ſuppeditabunt argumentum, quo divina noſtrorum Deutero-Canonicorum authoritas demonſtretur: nemo neſcit eam eſſe Verſionum utilitatem, ut Eccleſiarum, quæ eas adhibuerunt, repræſentent ſententiam.

3. Geminum e Patribus in Deutero-Canonicorum gratiam argumentum eruam; unum quidem ex iis, qui Tobiam, Juditham, cæteroſque ejuſdem ordinis libros in Scripturarum Catalogo diſtincte collocarunt; alterum vero ex aliis Patribus, qui licet illos in Canone expreſſe non conſtituerint, eos tamen ut divina authoritate præditos conſpexerunt: diſcrimen enim aliquod ſtatutum olim eſt inter librum divinum, & librum Canonicum: nec erit hujus diſcriminis ardua, nec jejuna demonſtratio. Opus itaque, ſtudioſis, ſaltem rudioribus, haud ingratum me facturum arbitror, ſi ſparſas SS. Patrum ſententias de divina Veteris Teſtamenti Deutero-Canonicorum authoritate in unum compingam; eorumque dicta, quæ aliorum aciem, aut diligentiam effugerunt, in luce paulo majore collocem.

4. Non exiſtimavi infirmum illud argumentum, quod e Miſſalibus peteretur: ſic illud adornare placuit. Semper e Scripturis ſacris, non ex aliis libris deſumptæ ſunt lectiones, quæ in Miſſis celebrandis recitandæ præcipiuntur: porro e noſtris Deutero-Canonicis uſu antiquiſſimo in Miſſas tranſmiſſæ ſunt lectiones; ergo noſtri Deutero-Canonici inter Sacras Scripturas locum aliquem ſibi vindicant. Nemo, opinor, otioſam hanc ſpernendamque probationem duxerit: Miſſalia

etenim non ſunt unius Doctoris vox, ſed omnium Eccleſiarum, quarum uſui conſecrata ſunt.

5. *Stabilita Veteris Teſtamenti Deutero-Canonicorum authoritate divina, ad certamen, quod adverſus eoſdem Codices duobus fere ab hinc ſæculis perennat, deſcendam.*

Nunc animis opus, Ænea, nunc pectore firmo.

Norunt enim omnes quibus animis, quo heterodoxorum conſenſu iſti ad impugnandos veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos exarſerint. Toto, ut ita dicam, hæreſeos corpore pugnatum eſt; Miniſtrorum ſcriptis, Confeſſionibus Civitatum, Pſeudo-Synodorum decretis. Hæreticos, qui noſtris Deutero-Canonicis bellum indixere, ſingulos in hoc Opuſculo non appellabo; nonnullos duntaxat, qui principem inter eos locum obtinent, aggrediar; horum opera prius in noſtra Præfatione delineare mihi liceat.

Exeunte Sæculo XVI. Guilelmus Witacherus Anglo-Calviniſta diſputationem edidit adverſus nonum Stapletonis librum de Scripturis Canonicis: Calviniſtis ita arriſit, ut non Cantabrigiæ ſolum ipſis plaudentibus, ſed & Herbornæ in Germania typis Chriſtophori Corvini excuſa prodierit. Coacervavit Witacherus argumenta plurima partim falſa, & ludicra, partim vulgaria explicataque ſæpius, ut vel ab imperitis lectoribus laudem, & admirationem exprimeret, vel multiplicibus excutiendis rationibus, ac diſſolvendis, moras, & quaſi compedes adverſariis injiceret.

Rainoldus Academiæ Oxonienſis Theologus adverſus noſtros Deutero-Canonicos ſcripſit longum, & verboſum opus: conſtat gemina parte ſpiſſo admodum volumine comprehenſum. Tumet conſarcinatis ubique Scriptorum profanorum pannis, quos identidem cæſpitante memoria citat: infinitis obſeptum eſt Philoſophorum tricis, & quæſtionibus, quæ Diſſertationi de noſtris Deutero-Canonicis inſtitutæ nedum lucem afferant, imo tenebras opere Rainoldi ſpiſſiores offundunt: citat quandoque voces Hebraicas, & Græcas: an Hebræam, an Græcam linguam calluerit, non ſatis ſcio: mihi tamen videtur feciſſe, quod Scriptoribus, Oratoribuſque quotidianum eſt, ut ſi qua Hebraicæ, Græcæve linguæ vocabula repererint, quibus vim quamdam uberiorem ad ſignificandum ineſſe exiſtimant, quamvis hujuſmodi linguarum non ſint periti, iis tamen vocibus, quas ſunt tamquam ex aliena ſupellectile mutuati, perinde atque propriis opibus non verentur uti.

Gerhardus Theologiæ Lutheranæ in Academia Jenenſi Profeſſor de locis theologicis plurima edidit Volumina. Sacrarum Scripturarum tractatui primum conſecravit locum; in eo præſertim ad Patrum authoritatem confugit, ut Veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos e Canone rejiceret: hoc opus qui memoria complectitur, nihil fidei, & reverentiæ erga noſtros Deutero-Canonicos deperdet magis, quam qui illud numquam legerit. Neque id mirum: Gerhardus ſæpe lacera, & luxata Patrum teſtimonia exhibet: ſi quædam integra, & obſcura proferat, obſcuriores ex iis elicere contentus conjecturas, ſtatim de fide Catholica triumphare ſibi videtur. Adeo vis præjudicatæ ſententiæ animum ipſius occupatum tenet, ut quidquid in Patrum traditione legit, id invitum adverſus Veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos contorqueat. Ut nimirum oculus colore aliquo ſemel imbutus, quidquid aſpexerit, eodem colore perfuſum ſibi videtur intueri; ita Gerhardus, & ceteri Hæretici, cum ſibi perſuaſerint, noſtros Deutero-Canonicos authoritatis divinæ privilegio non gaudere, errori ſuo invitam Patrum traditionem, & repugnantem accommodarunt.

Turgeret nimium iſta Præfatio, ſi longo agmine producerem Blondellum, Molinæum, Meſtrezatium, complureſque alios; iſti vel Rainoldi, vel Gerhardi opera exſcripſerunt; nec de ſuo aliud addidere, præter novas, & patheticas exclamationes, quæ adverſus noſtros Deutero-Canonicos nihil faciunt: ab iis igitur referendis in hac Præfatione, & in noſtro exiguo opere manum, & calamum abſtinebo.

Mihi poterit aliquis ſubiraſci, quod Patris Martianæi ſententiam de Scripturarum Canone etiam impugnaverim. Librum, cui titulum Gallicum, Canon des Ecritures, *præfixit, attente legi; quod ſi plurima, quæ eruditionem ſapiunt, in eo opere deprehendantur; tamen ſine confutatione prætermitti non poſſunt ea, in quibus allucinari viſus eſt. Scilicet plurimis confidenter in locis aſſeruit, ante Synodum Tridentinam in Eccleſia nullum Scripturarum canonem extitiſſe conſecratum: innumera congeſſit Patrum teſtimonia, ut demonſtraret, veterem traditionem Canonicæ, & Divinæ authoritati Deutero-Canonicorum Veteris Teſtamenti numquam faviſſe.*

Hanc allucinationem, ne dicam errorem, malevolo animo confutare non aggredior: abſit enim ut religioſos venerandi Martianæi cineres petulanter conculcare videar: fuiſſe hunc Catholicæ fidei, & eximiæ doctrinæ virum minime diffiteor; nec facile paterer, ut quis ipſi geminam hanc laudem invideret; ſed ſui ſunt viris eruditis nævi, quos quidem notare nefas ſemper non eſt; præſertim cum Dogmati Catholico quaſi adverſari videantur. Martianæum igitur de Canone Scripturarum quædam dixiſſe traditioni parum conſona, mea hæc eſt opinio; etſi toties in Scripturis elucidandis deſudaverit: neque idcirco cetera, quæ de Scripturis diſſeruit, diſplicere debent: hujuſmodi lapſus occurrere poſſunt in libris, qui eruditione, & elegantia referti creduntur. Vix enim ulla eſt facies adeo venuſta, quæ omni prorſus nævo, & labe careat: etiam laudatur, etiam extimatur ea pulcritudo, quæ tamen ſuas, ſed leves habet mendas: noſtra hæc ſors eſt, ut nihil apud nos ſit ab omni parte beatum, ut nemo ſine venia placeat.

Nunc ſupereſt ut rationem iſtius opuſculi præcipuam petentibus exponam: a me præſertim ſuſceptum illud eſt, ut Scripturarum indicem, quem Concilium Tridentinum adornavit, ab hæreticorum calumniis, & quorumdam Catholicorum invidia defenderem. Sunt enim non pauci inter Orthodoxos, qui contendunt, Synodum Tridentinam non potuiſſe, vel ejus mentem non fuiſſe, ut, in ſuo de Scripturis condendo Canone, parem Deutero-Canonicorum, Proto-Canonicis authoritatem definiret: ita ſenſit vir eximiæ doctrinæ, & Critices, cujus Gallica MSS. in Scripturarum Canonem Tridentinum diſſertatio non ita pridem a Viro doctiſſimo commodata mihi eſt. Præclaram diſſertatoris eruditionem, dignitatem, nominiſque, ac famæ ejus celebritatem, ſi quis alius, reverenter colo. At de noſtrorum Deutero-Canonicorum authoritate ejus ſententiæ ſuffragari non poſſum: quæ ſi ſemel obtineat; Synodi Tridentinæ definitio, ubi de noſtris agitur Deutero-Canonicis, erit incerta, inanis, & aera, non hæreticos verberans: verum iſta fuſius ad opuſculi noſtri calcem proſequar.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

De variis Judæorum, & hæreticorum Canonibus.

VETERIS Teſtamenti Deutero-Canonicorum Vindicias auſpicaturi, non immerito ordimur a Judæis & hæreticis, qui in ſuo Scripturarum canone eos non collocarunt. Hanc in aliis quæſtionibus ſecuti ſunt methodum plurimi inter Theologos viri eximii, qui hæreticorum figmenta primum nude expoſuerunt; deinde vero ad dogmatum catholicorum defenſionem acceſſere: rati ſcilicet ſuis, quibus involvuntur, tricis & artificiis errores prius eſſe denudandos, quam veritatis patrocinium aſſumeretur. Quamquam propugnatur veritas, quæ ſimplex, & ſine cultu peregrino prodire amat: quippe ex nuda erroris expoſitione facilius innoteſcit vanitas difficultatum, quas heterodoxi ſolent innectere.

CAPUT I.

Generatim exponitur quid de Scripturarum canone ſenſerint olim hæretici.

EA fuit omnium fere hæreticorum indoles, ut Scripturis aut aliquid peregrinum adderent, aut genuinum detraherent. Evolvantur etenim Eccleſiæ annales, occurrent ſtatim Ebionitæ (1), qui Matthæi Evangelium, & ſancti Pauli Epiſtolas; Gnoſtici (2), qui Pſalterium; Ptolemaitæ (3), qui libros Moſis e Canone eradere tentarunt. Aderunt Marcionitæ (4), qui duas ad Timotheum Epiſtolas, unam ad Titum, & alteram ad Hebræos; Alogi (5), qui Joannis Evangelium, & Apocalypſim; Severiani (6), qui acta Apoſtolorum quaſi commentitia negarunt. Arianos (7) ſua etiam de Epiſtola ad Hebræos flagitia venditaſſe, teſtes ſunt Epiphanius, & Theodoretus. Quin & Theodorus Mopſueſtenus (8) Proverbia Salomonis, & Eccleſiaſtem non ſpiritus divini, ſed humanæ prudentiæ eſſe fœtum aſſerere non dubitavit. Ulterius etiam progreſſus eſt, cum Job Pagano librum tribuere, & Canticum Canticorum nuptiale Canticum, quale Plato de amore convivium ſcripſit, docere, & ſcribere non eſt veritus.

(1) *Apud S. Epiphan. hær. 30. apud S. Irenæum lib. 1. cap. 26.*
(2) *Apud Philaſt. lib. de hær.*
(3) *Apud S. Epiph. hær. 33.*
(4) *Apud S. Epiph. hær. 42.*
(5) *Apud S. Epiph. hær. 51.*
(6) *Apud Euſeb. lib. 4. cap. 27.*
(7) *Apud S. Epiph. hær. 46.*
(8) *Synodo 5. Œcumen. Collat. 4.*
(9) *De præſcript. c. 17.*

Illud hæreticorum genium in mutilandis ſacris Scripturis optime noverat ſanctus Hieronymus, qui procœmio commentariorum in epiſtolam ad Titum dilucide fatetur, hunc apud hæreticos morem invaluiſſe; „ ut quidquid contra„ rium ſuo dogmati viderant, vel eraderent, vel etiam „ integre repudiarent “. Sancto Doctori præiverat Tertullianus (9) his verbis: „ Iſta hæreſis non recipit quaſ„ dam ſcripturas, & ſi quas recipit, non recipit in„ tegras: ad diſpoſitionem inſtituti ſui intervertit, ad„ jectionibus, & detractionibus “.

Sed quia hæreticorum imprimis eſt, ut Sanctorum Patrum teſtimonia nec agnoſcant, nec revereantur; ipſos de Scripturarum truncatione hæreticos conſulamus: en Fauſtus Manichæorum columen: hic diſerte profitetur, hanc ſibi libertatem dari, ut pro ſuo libitu Scripturis vel adjiciat, vel detrahat. Inquit: „ Me Manichæa fides red„ didit tutum, quæ principio mihi non cunctis, quæ „ ex Salvatoris nomine ſcripta leguntur, paſſim credere „ perſuaſit; ſed probare, ſi ſint vera, ſi ſana, & incor„ rupta “. Hæc iſte apud Sanctum Auguſtinum lib. 18. contra Fauſtum cap. 3.

Fauſto vetuſtiſque hæreticis hodie ſuccenturiant Lutherani, & Calviniſtæ; quorum omnium hæc eſt fides, non credere, ſed probare, *ideſt* (ait S. Auguſtinus cap. 7. libri contra Fauſtum jam laudati) *quod hæreſim eorum non impedit, hoc accipere: quod autem impedit, non accipere.*

Omnium veteris Teſtamenti librorum eos duntaxat recipiunt Lutherani, & Calviniſtæ, quos vetus Hebræorum canon complectitur: cæteris vero, quos Deutero-Canonicos vocamus, & divinam authoritatem, & locum in ſuo Scripturarum Canone denegant heterodoxi. Priuſquam horum confutationem aggrediamur, quædam juvat præmittere de Hebræorum Canone, & ſingulis Proteſtantium Confeſſionibus, quas illi de Scripturis veteris Teſtamenti ediderunt: quia hoc ordine utens, apparabitur animus lectoris ad ferendum æquius de integra controverſia judicium.

CAPUT II.

De Hebræorum Canone, & ejuſdem Diviſione.

INgenioſis quidem conjecturis, ſed non invictis, nec antiquis teſtimoniis fulciuntur, qui contendunt, canonem Hebræorum ab Eſdra Prophetiſque ipſi coætaneis fuiſſe conditum: ajunt enim, poſt reducem e captivitate Babylonica populum codices ex variis locis collectos, & emendatos fuiſſe; quos in unum corpus redegerunt non tantum Eſdras, ſed & Prophetarum ultimi, Aggæus nimirum, Zacharias, & Malachias.

Canonem tamen Scripturarum apud Judæos extitiſſe conſecratum quibuſdam ante Chriſtum ſæculis ſatis indicat Machabaicus Scriptor lib. 1. cap. 3. Refert enim, jejuniis maceratos Iſraelitas, ciliciis indutos, cinere conſperſos, veſtibus laceros expandiſſe libros legis. Et in Epiſtola ad Spartiatas, *ſolatio ſibi fuiſſe Libros ſanctos*, ſcribit Jonathas, & populus univerſus Judæorum lib. 1. Machab. cap. 12.

Canoni Scripturarum ſacrarum apud Judæos jam diu conſecrato ſuffragatur Joſephus lib. 1. contra Appionem: diſtribuit enim ille ſacros codices in legem, Propheticos libros, & hymnos vitæ continentes præcepta: En hujuſce hiſtorici textus: „ Apud nos nequaquam innumera„ bilis eſt librorum multitudo diſſentientium, atque inter „ ſe pugnantium: ſed duo duntaxat, & viginti libri „ totius præteriti temporis hiſtoriam complectentes, qui „ merito creduntur divini. Ex his quinque quidem „ ſunt Moyſis, qui legem continent, & ſeriem rerum „ geſtarum a conditu generis humani uſque ad ipſius in„ teritum. Atque hoc ſpatium temporis tria fere an„ norum millia comprehendit. A Moyſis autem inte„ ritu uſque ad imperium Artaxerſis, qui poſt Xerxem re„ gnavit apud Perſas, Prophetæ, qui Moyſi ſucceſſe„ re, res ſua ætate geſtas tredecim libris complexi ſunt; „ quatuor vero reliqui hymnos in Dei laudem, & præ„ cepta vitæ hominum exhibent utiliſſima. Ceterum ab „ imperio Artaxerſis ad noſtram uſque memoriam ſunt „ quidem ſingula literis mandata; ſed nequaquam tan„ tam fidem, & authoritatem meruerunt, quantam ſu„ periores ii libri; propterea quod minus explorata fuit „ ſucceſſio Prophetarum “.

Omnes uno ore conſentiunt, Joſephum *in numero* 22. librorum nullatenus collocaſſe noſtros Deutero-Canonicos: etenim de iis duntaxat *loquitur*, quos Proto-Canonicos vocamus; *cum diviſioni de ſacris libris inſtitutæ ſtatim ſubjungat:* „ Ceterum ab Imperio Artaxer„ xis ad noſtram uſque memoriam ſunt quidem ſingula „ literis mandata, ſed nequaquam tantam fidem, & „ authoritatem meruerunt, quantam ſuperiores ii libri, „ &c.“. Hæ poſtremæ voces clare oſtendunt, Eccleſiaſticum, utrumque librum Machabæorum, ceteroſque Scripturæ codices, qui poſt Artaxerſem aut ſcripti ſunt, aut primum comparuerunt, in Scripturarum Canonem a Judæis non fuiſſe relatos.

Licet Joſephus in iſtis 22. libris recenſuerit tantum eos, qui in veteri Teſtamento Proto-Canonici dicuntur: attamen non certo conſtat, quem præciſe ordinem in enumerandis ſingulis libris ille obſervaverit: inde nata eſt in ſingulorum computo, & ordine diverſitas opinionum. Origenes apud Euſebium (*) ſacræ Scripturæ libros longe alio ordine recenſet, quam Melito; cujus locum Euſebius lib. 4. cap. 26. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ retulit. Hilarius quidem in prologo commentariorum in Pſalmos cum Origene prorius concinit; non vero Epiphanius, & Hieronymus, qui Melitoni in ordine Scripturarum computandarum ſuffragantur.

(*) *lib. 6. hiſt. cap. 25.*

Nec Judæi de numero, & ordine ſacrorum librorum inter ſe conveniunt: quippe dum Joſephus enumerat vigintiduos, e quibus tredecim exiſtunt, quos Prophetis auctoribus tribuit: Talmudici in Bava-Batra hunc extendunt numerum uſque ad vigintiquatuor, quos inter reponunt quinque Moſis, octo Prophetarum, & undecim hagiographorum: hunc ordinem ſequuntur Elias Levita Præfatione 1. in Maſoreth hammaſoreth; & Buxtorfius in commentario Maſorethico cap. 11. Sed ab eo receſſerant Veteres Maſorethæ. Diſſenſionem hanc in ordine, quem apud Hebræos obſervare debent ſacræ Scripturæ, indicant potiſſimum Biblia Hebræa, tum manuſcripta, tum typis edita; ſingula diſcrimina recenſere non vacat: legi poſſunt apud doctiſſimum Serarium c. 8. Prolog. Bibl. quæſtiuncula 9. nec omitti debet Hum-

ſredus Hodius lib. 4. de librorum Biblicorum numero, & ordine.

Non facile crederem, hanc Judæis fuiſſe indictam legem, ut quotquot literas in alphabeto, tot in ſuo Canone ſacros libros enumerarent. Diſtinguendum eſt inter aliquam alluſionem, & fundamentalem probationem. Collationem librorum Canonicorum cum literis alphabeti hebraici, quoad numerum duntaxat alluſionis cauſa proferunt Hebræi; vel ſi mavis, compendii gratia, & ad juvandam memoriam, ſicut innuit Euſebius lib. 2. Hiſt. Eccl. & lib. 3. cap. 10. At fundamentalem probationem in eo conſtituunt, quod ſoli illi libri ſint Canonici, qui a Prophetis, ideſt viris inſpiratis elaborati ſunt. Nec vitio vertenda eſt Judæis illa alluſio, quam S. Hilarius Præfat. in Pſ. S. Gregorius Naz. in Carm. ſuo calculo comprobarunt.

Ex Joſephi teſtimonio ſuperius laudato manifeſte colligitur, quod Judæi olim Scripturas generatim diſtribuerent in legem, in libros Propheticos, & hymnos vitæ continentes præcepta. Atque hæc diviſio auctoritate Chriſti nititur, qui (*) Scripturas latiori appellatione legis, Prophetarum, & Pſalmorum comprehenſas fuiſſe teſtatur. Celebris etiam eſt, & antiqua apud Judæos ſacrorum codicum partitio in tres ordines; in legem ſub qua 5. libri Moſis; Prophetas tum priores, quos vocant, ſcilicet, Joſue, Judices, libros Samuelis, & Regum; tum poſteriores, Eſajam nimirum, Jeremiam, Ezechielem, & 12. minores, quos pro uno libro habent; & hagiographa, ſub quibus reliqui undecim, Pſalmi, nempe, Job, Proverbia, Canticum Canticorum, Eccleſiaſtes, Threni, Ruth, Eſther, Daniel, Eſdras, & Chronica, unde librorum viginti quatuor numerus exurgit.

(*) *Lucæ cap. 44.*

Adverſus librorum ſacrorum diviſionem in legem, Prophetas, & hagiographa excandeſcit ſerio Voſſius (*): buccinat, hanc partitionem *eſſe nequiſſimam, & ineptiſſimam*, ab Aquila, & Judæis in odium hebdomadarum Danielis excogitatam. *Tunc*, inquit, *Danielem extremo pene inter hagiographos loco rejecerunt Judæi*. Si Voſſio credamus, *in reſponſionibus ad iteratas Simonii objectiones*, Aquilæ illud unicum fuit ſtudium, ut librorum, & verborum ordinem inverteret, quem 70. Interpretes obſervaverant, ratus ſcilicet Aquila, quod ea ratione ſenſum Scripturæ obſcuraret, in nihilum rediget, & admirationi eſſet fatuis.

(*) *Cap. 12. de Sibillinis orac.*

Omnia enim ſtolidi magis admirantur, amantque
Inverſis quæ ſub verbis latitantia cernunt.

Verum Voſſius judex Aquilæ ſatis æquus eſſe non poteſt; qui ut 70. interpretum verſionem propugnaret, fontes hebræos, verſioneſque a Judæis olim confectas deprimere, & elevare conatus eſt. Demus Voſſio, quod Aquila prior in ſacrorum librorum diſtributione uſus fuerit voce iſtius *hagiographa*. Quid ex ea nocumenti in ſacras Scripturas redundare poteſt? Nec Hieronymus prologo in libros Regum, ubi librorum hagiographorum juxta Judæos meminit, eos malitiæ, & odii in 70. hebdomadas Danielis redarguit: nec Origenes, nec Epiphanius, ceterique Patres Aquilam, aut Judæos reprehendunt, quaſi *novam, & nequiſſimam* librorum ſacrorum partitionem induxiſſent, aut ſaltem odio in Danielem illud feciſſent.

Ambigit Thomas Stapletonus, utrum in Canone Hebræorum extiterit Eſtheræ liber; contendit enim, eum eſſe de numero Deutero-Canonicorum veteris Teſtamenti, qui olim a Judæis, & nonnullis Chriſtianis occultæ, & dubiæ fidei codices habiti ſunt. Sed illud gratis a Stapletono dictum eſt. Quippe in numerum Proto-Canonicorum veteris Teſtamenti, quos Judæi ut divinos ſpectabant, liber iſte referri debet: quod quidem ita demonſtratur. Judæi eos libros ut divinos habuerunt, in quos ediderunt Paraphraſes: atqui in librum Eſtheræ a Judæis editæ ſunt Paraphraſes; extat enim Targum quintum quinque librorum, ſcilicet Cantici Canticorum, Ruth, Threnorum, Eccl. & Eſtheræ. Hæc Paraphraſis ſua canitie antiqua admodum eſt; a quodam Judæo confecta fuit Dialecto Hieroſolymitana, quam Judæi Hieroſolymis ſemper uſurpaverunt.

Fertur aliud Targum in Eſtheram; fœtus eſt etiam Judæi antiquiſſimi: ſic incipit. „ *Fuit in diebus Aſ-*
„ *ſueri*. Ille Aſſuerus fuit unus e decem Regibus, qui
„ regnabant; & divites in mundo erant: & hi ſunt
„ illi decem Reges. Regnum primum eſt Regis Re-
„ gum Domini exercituum; cujus Regnum cito magni-
„ ficabitur “: Hæc poſterior Paraphraſis eſt duplo major priori. Franciſcus Taylor Anglus anno 1655. utriuſque in Eſtheram Paraphraſeos latinam translationem Londini in lucem emiſit. Adde quod Eccleſiæ librum Eſtheræ exceptis 7. ultimis capitibus, ut Proto-Canonicum veteris Teſtamenti ſemper ſpectaverit. Porro libri omnes Proto-Canonici e veteri inſtrumento deſumpti in canone hebræo extiterunt; id ampliori probatione non eget.

CAPUT III.

De Canone Scripturarum veteris Teſtamenti, a Calviniſtis, & Lutheranis edito.

CAlviniſtæ, & Lutherani e canone rejiciunt Tobiam, Judith, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Baruchum, geminum Machabæorum codicem, quaſdam Danielis, & Eſtheræ partes; nemo enim in Heterodoxorum 16., & 17. ſæculi Confeſſionibus vel mediocriter verſatus ignorat, ab ipſis libros ſupra memoratos veluti apocryphos ſpectari. Inane tamen non erit eorum ſingulas de libris canonicis Confeſſiones exhibere, quas ego quam potero breviſſime deſcribam; eas in ceteris Sectionibus confutaturus.

Confeſſio Fidei a Calviniſtis Galliarum edita.

Hæc Confeſſio an. 1559. Amboſiaci primum Franciſco II. Galliarum Regi; deinde anno 1561. Poſſiaci Carolo IX. rurſus gallice exhibita, ac tandem a Calviniſtis Gallis ad Calvinianos exterarum gentium latine emiſſa eſt an. 1566., & ab iiſdem approbata. Articulo autem tertio ſacri codices eo ordine enumerantur.

Harmonia confeſſ. Genevæ ann. 1581. typis edita ſect. 1.

„ Tota hæc Scriptura ſacra canonicis veteris, & no-
„ vi fœderis libris comprehenſa eſt; quorum hic eſt ca-
„ talogus. Quinque libri Moſis (nempe Geneſis, E-
„ xodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium) Joſue,
„ Judices, Ruth, Samuelis libri duo, Chronicon, ſive
„ Paralipomenon libri duo, Eſdræ liber unus, Nehe-
„ mias, Eſther, Job, Pſalmi, Proverbia Salomonis,
„ Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Eſaias, Jere-
„ mias, cum lamentationibus, Ezechiel, Daniel, Mi-
„ noreſque Prophetæ duodecim (nempe Oſeas, Joel,
„ Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Abacuc,
„ Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias “.

In recenſendis novi Teſtamenti Scripturis conveniunt heterodoxi cum catholicis. Noſtros veteris inſtrumenti Deutero-Canonicos codices cum partibus Deutero-Canonicis inter *Apocrypha* amandant. Quod etiam conſtat ex eorum Bibliis, quorum initio hæc leguntur: *Ordo librorum veteris Teſtamenti*. Facta igitur prius Proto-Canonicorum enumeratione, hunc deinde ſubjungunt titulum: Apocryphi, Tobias, Judith &c.

Anglicana Confeſſio.

Gemina fidei Confeſſio Anglicana peracta eſt; una quæ cum ſua Apologia inter opera Joannis Juelli Sarisburienſis Epiſcopi extat, in qua ſacrorum librorum catalogus non reperitur; altera autem, quæ hunc titulum in fronte gerit.

Corpus, & ſyntagma confeſſ. Fidei, Genevæ pag. 126.

„ Anglicana Confeſſio fidei in articulis, de quibus con-
„ venit inter Archiepiſcopos, & Epiſcopos utriuſque
„ provinciæ, & Clerum univerſum in Synodo Londi-
„ nenſi an. 1562. “

„ De nominibus, & numero librorum Sacræ Cano-
„ nicæ Scripturæ veteris Teſtamenti “.

„ Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuterono-
„ mium, prior lib. Paralipomenon, ſecundus lib. Para-
„ lipomenon, primus liber Eſdræ, ſecundus liber Eſ-
„ dræ, liber Eſther, Joſue, Judicum, Ruth, prior liber
„ Samuelis, ſecundus liber Samuelis, prior liber Re-
„ gum, ſecundus liber Regum. Liber Job, Pſalmi,
„ Proverbia, Eccleſiaſtes, vel Concionator, Cantica
„ Salomonis, quatuor Prophetæ majores, 12. Prophe-
„ tæ minores “.

„ Alios autem libros (ut ait Hieronymus) legit
„ quidem Eccleſia ad exempla vitæ, & formandos mo-
„ res; illos autem ad dogmata confirmanda non adhi-
„ bet; ut ſunt, 3. liber Eſdræ, 4. liber Eſdræ, liber
„ Tobiæ, liber Judith, reliquum libri Eſther, liber
„ Sapientiæ, liber Jeſu Filii Sirach, &c. “ quos veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos nuncupare conſueverunt Catholici.

Confeſſio Scoticana.

Conſcripta olim fuit an. 1568. lingua tantum Scoticana. Huic ſubſcripſere Rex, Proceres, & Ordines Regni anni 1580.; deinceps latino idiomati credita eſt. De Scripturis Sacris hæc proponit credenda art. 18.
„ Doctrina, quæ in Eccleſiis noſtris docetur, verbo Dei
„ ſcripto continetur; videlicet in libris veteris, & no-
„ vi Teſtamenti &c. “ Nomine autem librorum veteris Teſtamenti hæc Confeſſio noſtros duntaxat Proto-Canonicos complectitur: id quidem manifeſtum evadit

Corpus ſeu ſyntagma Confeſſ. Fidei. Gen. 1592.

pro-

professione fidei, cui apud Edimburgum 28. Januarii ann. 1581. subscripserunt Rex, & varii Ordines Regni. Porro in ea adversus Concilii Tridentini decreta immaniter debacchantur. „ Nominatim, inquiunt, dete-„ stamur, & repudiamus .... erronea, & sanguino-„ lenta ipsius Concilii Tridentini decreta, cum omni-„ bus subscriptoribus, & approbatoribus crudelis, & „ sanguinei illius fœderis conjurati contra Dei Eccle-„ siam “. Claret itaque ex Confessione Scoticana, nostros veteris Testamenti Deutero-Canonicos ejici, cum unum e Decretis Tridentinis inter Canonicas Scripturas ejusdem instrumenti eos collocet. Calumnias authorum hujusce Confessionis relinquimus: sua sibi maledicta, tamquam in proprio solo, commode fervent hæretici: assuevimus catholici ad ejusmodi latratus obsurdescere, quos glorioſum est spernere; vincere, propudioſum.

Confessiones Lutheranorum.

Jactatur apud Lutheranos Confessio fidei quatuor Civitatum Imperii, nempe Argentinensis, Constantiensis, Memmingensis, & Lindaviensis: scripta est in comitiis Augustanis an. 1530. tum germanice, tum latine, quam legati prædictarum Civitatum Carolo V. Imperatori obtulerunt. In ea Confessione, sicut in illa, quam Augustanam vocant, nequidem ullum de Scripturarum Canone apicem rubricatum reperies. Quod quidem silentium mirum videri non debet. Lutherus enim nondum in suis operibus adversus nostros Deutero-Canonicos aperte declamaverat: unde discipuli ipsius de libris Scripturarum Deutero-Canonicis suum ante Magistrum disputare non ausi sunt. Quin & nascente Lutheranismo inter Theologos Catholicos magno cum æstu ista quæstio non agitabatur; unus tunc Cajetanus, aut alter Theologus veritatem hanc cursim in dubium revocare ausus fuerat: adde quod ante Synodum Tridentinam quodam temporis intervallo penduli, & ancipites fuerint Lutherani circa numerum de libris sacris instituendum. Factum ejusmodi elucidatur disputatione, quæ an. 1519. Lipsiæ Eckium inter Lutherum, & Carlostadium habita est. Cum Eckio existentia Purgatorii demonstranda incumberet, laudavit ille authoritatem libri 2. Machabæorum, quem veluti Canonicum propugnabat, nec refragatus aperte est Lutherus; hoc unum timide tunc subjecit, quod nondum esset hujusce libri authoritas ab omnibus agnita, quia ætate sancti Hieronymi in sacrorum librorum indice collatus non fuerat.

Anno 1551. Saxonica fidei Confessio confecta est in Synodo, quam Witembergæ habuerunt Lutherani: ad istum Conventum Saxonicarum, & Misnicarum Synagogarum Ministri convenerant. Ista Confessio Augustanæ Confessionis repetitio jure censetur: edita fuit, ut Synodo Tridentinæ proponeretur. Altum in ea est silentium de sacrarum Scripturarum canone; quamvis plurimæ sese dederint occasiones de nostris potissimum Deutero-Canonicis differendi. Etenim Lutherus in operibus, quæ postremis vitæ suæ annis edidit, adversus divinam nostrorum Deutero-Canonicorum authoritatem declamaverat: ejus error a Patribus Tridentinis fuerat damnatus an. 1546. idest annis quinque ante Confessionis Saxonicæ ortum: potuissent igitur authores Confessionis Lutherum a censura Concilii Tridentini vindicare; quod non peregerunt. Suspicor tamen hanc esse istius silentii rationem; scilicet Lutherani Saxonici expectabant, ut sua de librorum sacrorum numero fides inquireretur. Nec ea ratio suo caret fundamento: quippe cum an. 1552. Synodus Tridentina a singulis Germaniæ Principibus exigeret, ut de nostris dogmatibus fidei suæ rationem exhiberent; tunc Christophorus Dux Witembergensis in compendium redegit Augustanam Confessionem, cui comitem de Libris Canonicis articulum conjunxit; a suo conditore hæc Confessio dicta est Witembergensis. Constant hæc omnia præfatione, quæ Confessioni Witembergensi præfixa est: Ecce ejus verba: „ Ex-„ tat Confessio Augustana, quam ut piam, & scriptis „ Propheticis & Apostolicis consentaneam amplecti-„ mur .... Sed cum Tridentinus conventus an. 1552. „ celebraretur, & ratio fidei a singulis Germaniæ Prin-„ cipibus, præsertim ab iis, qui genus doctrinæ multis „ annis usitatum, & aliquot veteres ritus in Ecclesiis „ mutaverant, peteretur; res in eo tum statu erant, „ ut nobis peculiaris Confessio conscribenda, & Triden-„ tino conventui exhibenda esset: qua tantum abest, ut „ ab Augustana Confessione recesserimus, ut eam po-„ tius quam compendio complecti, & repetere volue-„ rimus “.

Articulus de Libris Canonicis Confessioni Augustanæ additus comparet in Confessione Witembergica titulo de Sacra Scriptura. „ Sacram Scripturam, inquit, voca-„ mus eos Canonicos Libros veteris, & novi Testa-„ menti, de quorum authoritate in Ecclesia numquam „ dubitatum est “. Ex ea Confessione cognoscimus, canonem Scripturarum ad solos utriusque Testamenti Proto-Canonicos a Lutheranis fuisse redactum. Si quidem Dux Witembergensis profitetur, a se suisque Lutheranis libros Scripturarum recipi, de quibus numquam dubitatum est: atqui de Scripturis utriusque Testamenti Deutero-Canonicis dubium olim motum fuit; ergo &c. Nec ratiocinium nostrum inficiantur Centuriatores Magdeburgenses, qui Epistolam quoque sancti Jacobi ad classem Apocryphorum amandant *. *Cent. 1. lib. 2. cap. 4.*

* Notandus est anachronismus Suavis Polani referentis legatos Ducis Witembergensis cum sua fidei Confessione ad Synodum Tridentinam ann. 1551. ante Novembris initium venisse: cui contradicit Dux Witembergensis in Præfatione, quæ Confessioni Witembergensi præfixa est: ubi testatur non nisi anno 1552. hanc Confessionem ab ipso fuisse confectam. Cum, inquit, ann. 1552. Tridentinus conventus haberetur, & ratio fidei a singulis Germaniæ Principibus peteretur * &c.

Confessio Ecclesiarum Pseudoreformatarum, in Regno Poloniæ, Magno Ducatu Lithuaniæ, & Provinciis annexis.

Uladislaus IV. Poloniæ rex an. 1645. conventum celebrari voluit, quem Thorunium convocavit. Sessione 3. hæc fidei Confessio proponitur: „ Profitemur itaque „ inprimis quidem, nos amplecti sacras Canonicas ve-„ teris, ac novi Testamenti Scripturas, in veteri, he-„ bræa, in novo, græca lingua a Prophetis, & Apo-„ stolis instinctu Spiritus Sancti primitus scriptas “. Hæc de libris Canonicis Confessio subdola, aut saltem ambigua videri debet: ejus Professores Sacras Scripturas, veluti Canonicas amplectuntur, quæ in veteri Testamento hebræa lingua olim conscriptæ sunt. Proxime ad Orthodoxorum sententiam de numero Scripturarum veteris instrumenti accederent, si in sua Confessione inter libros veteri lingua hebræa exaratos Tobiam, Judith, ceterosque Deutero-Canonicos complecterentur: quod enim isti codices lingua hebræa primum conscripti fuerint, fuit hæc plurimorum Interpretum opinio. Scripsit olim Origenes ad Africanum accepisse se ab Hebræis geminum Tobiæ, & Judithæ codicem Hebraice delineatum. Suffragatur Huetius illustrissimus Abricensis Præsul, qui quamvis fateatur, primigenium libri Sapientiæ exemplar græce duntaxat extare; contendit tamen, ex hebræo archetypo conversum fuisse. Hebræo primum sermone elaboratum fuisse librum Ecclesiastici, id clare testatur prologus. Librum hunc hebraica lingua scriptum asseverat Hieronymus a se visum fuisse. Græca tantum libri primi Machabæorum ad nos pervenit interpretatio; ex hebraico tamen archetypo, quod annorum diuturnitate consumptum est, derivatam fuisse evincunt hebraismi complures, quibus opus integrum conspersum est. Libri secundi Machabæorum primigenius textus non ita notus est; nonnulli tamen hebræa lingua primum elucubratum fuisse contendunt: quippe verisimile est, ad id consarcinandum opus adhibitum fuisse priorem librum Machabæorum simul cum memoriis ex Hierosolymitano tabulario desumptis: porro scripta in eo tabulario asservata hebraica fuisse nullus ambigit.

Prop. 4. Dem. Evang. Tit. 2. lib. Tobiæ, Judith, Sap.

Præf. in lib. Salom.

Hebræo sermone elaboratum primo fuisse Baruchi codicem, certis manifestum fit indiciis: hinc græca, qua fruimur, prodiit interpretatio: hinc latina, quæ ad hanc diem extat: quippe hebraismis utraque adeo oblita est, ut hebræam prorsus originem sapiat. Inde conjicierent plurimi, in Confessione allata admitti veteris Testamenti Deutero-Canonicos, quasi de Sacrarum Scripturarum numero forent; aut, quod certius est, hanc fidei Confessionem esse subdolam, & decipiendis animis idoneam.

Quod si Authores Confessionis id unum asserant, a se tantum recipi libros, qui hodierna die hebraice comparent, debent, si suis velint stare principiis, saltem Tobiæ codicem sacris Scripturis accensere. Extat enim illius libri editio hebræa, quam Munsterus, & Fagius publici juris fecerunt. Germanam, & sua canitie multum venerandam esse hanc editionem asserere non dubitat doctissimus Huetius; temeritatis simul, & ineptiæ arguit R. Davidem Ganz, qui editionem hanc ab ipso Munstero veluti confictam fuisse docuit.

Prop. 4. Demon. Evang. tit. de lib. Tobiæ art. 3. Sect. 1. p. 4.

Responsionem ex hebræo textu petitam, ut divina authoritas libro Tobiæ concilietur, olim adversus Ministrum Dumoulin adhibuit pius, & eruditus Coeffetæus. Minister Dumoulin in suo Clypeo Gallico dixerat, hebræum Bibliorum sermonem esse primigenium veteris Testamenti textum: unde eruebat e sacrorum librorum indice Tobiam, Judith, Ecclesiasticum, &c. esse expungendos, quia lingua hebræa Judæis vernacula conscripti non erant.

Ministro Dumoulin non aliam a nostra subjecit respon-

ſponſionem Coeffetæus Maſſilienſis Epiſcopus ; ſcilicet libros Deutero-Canonicos olim hebræo ſermone fuiſſe conſcriptos ; quoſdam etiamnum, ut Tobiam, & Juditham eo idiomate eſſe ſuperſtites. Verba Coeffetæi gallica refero, ne quid roboris deperdant, ſi a me fidei latinæ credantur.

Coeffeteau Apol. art. 5. premiere édition vel libro primo cap. 54. pag. 228.

„ Je repond que ce n' eſt pas une ſuffiſante raiſon „ pour les rejetter (Deuterocanoniques de l' Ancien „ Teſtament) vû que les originaux hébraïques peuvent „ avoir été perdus, & ces livres avoir été conſervez „ en d' autres langues. D' ailleurs, il montre (Du „ Molin) qu' il a peu curieuſement recherché ſes ma- „ tieres, & qu' il s' eſt contenté des labeurs d' autrui : „ il a peut-être leu en Vuitaquer ce qu' il dit, que „ tous ces livres ne ſe trouvent pas en Hébrieu : mais „ qu' il lui a dit que Tobie & Judith ne ſe trouvent „ point in hébrieu ? Qu' il liſe Munſter, & il appren- „ dra de lui que les Juifs les ont fait imprimer en cette „ langue il y a fort longtems à Conſtantinople, même le „ Tobie que Saint Jerôme temoigne avoir été premie- „ rement écrit en langue Chaldaïque, a été imprimé „ en Allemagne en Hébrieu depuis 50. ou 60. ans : „ Que dirai-je plus ? Saint Jerôme en ſon Epître „ 106. témoigne avoir vû ce premier livre des Macha- „ bez en langue Hébraïque ; & de notre tems Scaliger „ un des plus doctes hommes, qui ait été parmi les „ Adverſaires de l' Egliſe, témoigne, qu' il a été pre- „ mierement écrit en cette langue par celui, qui en eſt „ l' Autheur “.

En mihi Coëffetæus reſponſionis meæ patronus, ac defenſor eſt.

De Scripturarum Canone, quem Waldenſes XVI. ſæculo confecerunt.

Duodecimo ſæculo cum primum exorti fuere Waldenſes, noſtrorum Deutero-Canonicorum authoritati detrahere non viſi ſunt. D. Thomaſſin de Mazaugue filius Senatoris Aquenſis ſcripſit olim ad R. P. le Long eruditum Oratorii Presbyterum, in ſua minori Biblioteca extare lingua partim Pedemontana, partim Provinciali, imperfectum Scripturarum codicem, quo antiquitus uſi ſunt Waldenſes. In eo autem codice leguntur quatuor Evangelia, ſeptem Epiſtolæ Canonicæ, quatuordecim Epiſtolæ ſancti Pauli, & Actus Apoſtolorum. Deinde Proverbia Salomonis, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum ; priora decem capita libri Sapientiæ, & quindecim priora Eccleſiaſtici. Inſuper D. Thomaſſin de Mazaugue contendit, ſuo codici ineſſe canitiem 400. annorum, verſionem vero eſſe antiquiorem. Codicis hujus MSS. aut ſaltem cujuſdam huic ſimilis mentionem fecerat D. Remerville de ſaint Quentin in Epiſtola, quam anno 1704. ſcribebat : edita illa fuit in collectione gallica, quæ vulgo dicta eſt *Pieces fugitives de l' Hiſtoire, & de Litterature II. Part. an.* 1704. *pag.* 270.

Codex laudatus aperte demonſtrat, Waldenſes prioribus ſectæ ſuæ ſæculis divinæ noſtrorum Deutero-Canonicorum auctoritati non fuiſſe adverſatos ; codex equidem iſte ex veteris Teſtamenti Deutero-Canonicis recenſet tantum Sapientiam, & Eccleſiaſticum, nimirum quia mancus, & imperfectus eſt, ut recte advertit D. Thomaſſin ; nec enim illa imperfecta enumeratio oritur ex eo, quod Waldenſes de noſtrorum Deutero-Canonicorum divina origine perverſe olim ſenſerint.

Ad XVI. Sæculum intemerata noſtrorum Deutero-Canon. in ſecta Waldenſium manſit fides, & authoritas, donec tandem cum Lutheranis ſocietatem inierint : hæc vero facta eſt ope cujuſdam Confeſſionis fidei, quam Waldenſes Bohemi, Lutheri, & Melanctonis approbatione munitam Regi Ferdinando anno 1535. obtulere. Articulo I. hanc de Scripturis Sacris profeſſionem ediderunt : „ Principio „ noſtri omnes unanimi conſenſu docent, Sacras Scri- „ pturas, quæ in Bibliis ipſis continentur, & a Patri- „ bus receptæ, autorithateque Canonica donatæ ſunt, „ pro inconcuſſe veris certiſſimiſque habendas “. Huic Waldenſium Confeſſioni honorifice præfatus eſt Lutherus, eamque ſuis elogiis exornarunt Melancton, & Bucerus, prior in Epiſtola quam ad ipſos Waldenſes Bohemos direxit ; alter in libello cui titulum hunc appoſuit, *Scripta duo adverſaria Latomi &c.* Ex his laudibus facile eruitur, idem a Lutheranis, & Waldenſibus Bohemis latum fuiſſe de noſtris Deutero-Canonicis Judicium. Quid vero olim ſenſerint, & nunc ſentiant Lutherani, ſuperius diximus, relegere non pigeat.

Syntag. Conf.

Confeſſio Helvetiorum Zuinglianorum.

In Harmonia Confeſſionum fidei Genevæ anno 1581. edita, duæ leguntur fidei Confeſſiones, quas Helvetii Zuingliani peregerunt ; poſterior hanc illorum de Sacris Scripturis ſententiam exhibet : „ Nihil diſſimulamus, „ inquiunt, quoſdam veteris Teſtamenti libros a vete- „ ribus nuncupatos eſſe apocryphos, ab aliis Eccleſiaſti- „ cos ; utpote quos in Eccleſiis legi voluerunt quidem, „ non tamen profiteri ad authoritatem ex his fidei con- „ firmandam : ſicuti & Auguſtinus in libro 18. de Ci- „ vit. Dei cap. 38. commemorat, in libris Regum ad- „ duci quorumdam Prophetarum nomina, & libros, „ ſed addit, hos non eſſe in Canone “.

Confeſſionem hanc a Pſeudo-Paſtoribus Tigurinis anno 1566. confectam volunt : eam amplexi ſunt Bernenſes, Scaphuſiani, Sangallenſes, Rhetici, Mylhuſiani, & Biennenſes. Non determinat præciſe quinam libri ſint apocryphi ; innuit tamen in apocryphorum claſſe eos eſſe conſtituendos, qui olim Eccleſiaſtici tantum dicebantur, nec *ad authoritatem fidei confirmandam* inſerviebant.

Quod de noſtris Deutero-Canonicis ſubobſcure tantum indicavit Confeſſio Helvetica ; id aperte profeſſus eſt Chuonradus Pellicanus Eccleſiæ Tigurinæ Miniſter. Hic votis Zuinglianorum annuens editionem ſacrorum Bibliorum ſuſcepit, quæ inter Scripturas Canonicas veteris Teſtamenti, Deutero-Canonicas non repræſentat. Titulum, quem iſta editio in fronte gerit, hic deſcribimus, ut lectori ætas, author, & ceteræ editionis circumſtantiæ innoteſcant, adeoque eam editionem in Bibliothecis poſſit ille facilius reperire, ſi ea indigeat.

„ Biblia e ſacra Hebræorum lingua, Græcorumque „ fontibus, conſultis ſimul orthodoxis interpretibus re- „ ligioſiſſime translata in ſermonem latinum per Theo- „ logos Tigurinos ; unde verſio Tigurina dicta, ſcilicet „ vetus Teſtamentum ex hebræo per Leonem Judæ, „ exceptis octo poſtremis capitibus Ezechielis, Danie- „ le, Jobo, Pſalmis quadraginta octo ultimis, Eccle- „ ſiaſte, Cantico Canticorum, quos convertit Theodo- „ rus Bibliander. Libri Eccleſiaſtici ex græco per Pe- „ trum Cholinum, & novum Teſtamentum ex verſio- „ ne Deſiderii Eraſmi recognita ab eodem Cholino, „ & Rodolpho Gualtero . . . . Omnia hæc recognita „ ſunt a Chuonrado Pellicano cum ejus Præf. in fol. „ Tiguri. Excudebat Chriſtophorus Froſchoverus an- „ no 1543. “

Librorum Eccleſiaſticorum nomine intelligit Pellicanus Tobiam, Judith, ceteroſque veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos, quos tamen e canone excludit, ut conſtat commentariis ab ipſo in eos editis.

Notæ in prædictas Confeſſiones.

Non erit ſupervacaneum obſervare, primo quarumdam Confeſſionum authores, cum libris apocryphis noſtros Deutero-Canonicos accenſent, non ſemper intelligere codices, qui fidem omnem amiſerunt, aut qui nævis ſcatent innumeris ; id unum duntaxat volunt, Tobiam, Judith, &c. apocryphos merito nuncupari, quia in canone hebræorum non leguntur, nec divinam apud eos authoritatem obtinent : fidem hac in re Gerhardo heterodoxo quis denegabit ? Enumeratis omnibus Scripturæ codicibus, qui in canone Judæorum continentur, de noſtris Deutero-Canonicis ſubjicit :

De Scriptura Sacra cap. 1.

„ Reliqui omnes ſunt extra canonem, quos generali „ appellatione dicere poſſumus ἀκανονίσους. Dividuntur „ in duas claſſes, quarum prima eſt eorum, qui cano- „ nicis libris in corpore Bibliorum additi, non tamen „ parem cum illis authoritatem obtinent : tales ſunt „ tertius, & quartus Eſdræ, ſupplementum Eſther, o- „ ratio Manaſſis, Tobias, Judith, Baruch, &c. Alte- „ ra eſt eorum, qui ſimpliciter ſunt rejectitii, & fa- „ bulas continent repudiandas. Libri ἀκανονίσοι prioris „ claſſis dicuntur . . . . apocryphi, nimirum habito re- „ ſpectu ad ſuperiores, qui ſunt indubitato canonici ; „ cum contra de horum authoribus non conſtet, quod „ ex immediato Spiritus Sancti afflatu ſcripſerint “.

2. Calviniſtæ Galli a ſua Confeſſione enormiter, dum de veteris Teſtamenti Deutero-Canonicis loquuntur, diſcedunt. Clamitat enim Molinæus in ſuo Clypeo gallico ſect. 1. pag. 5. noſtros Deutero-Canonicos falſis relationibus eſſe refertos ; & ſect. 2. pag. 11. eoſdem ſcatere mendaciis. Ejuſmodi convitia, ubi de noſtris Deutero-Canonicis agitur, non novit Confeſſio, quam Calviniſtæ Galli anno 1559. peregerunt.

3. In prædictis Confeſſionibus tacite ſaltem condemnatur ſtultitia quorumdam hæreticorum, qui non tantum de noſtris Deutero-Canonicis, ſed etiam de Proto-Canonicis flagitia plurima venditarunt. Omnium impudentior viſus eſt Lutherus, qui ſenio confectus „ in collo- „ quiis convivalibus de libris veteris, & novi Teſta- „ menti *effutiit* authorem Eccleſiaſtæ videri ſibi ocreis, „ & calcaribus deſtitutum . . . . nullam, inquit, ha- „ bet perfectam ſententiam ; equitat in arundine longa, „ ſicut & ego dum eram in Monaſterio “. Ad illud portentum cohorruerunt Miniſtri Confeſſionum Lutheranarum,

narum, & Culvinianarum authores: ſui itaque muneris exiſtimavere, ut libros veteris Teſtamenti Proto-Canonicos, quos inter Eccleſiaſtem enumerant, ad canonis hebræi normam revocarent, & de cæteris, quos vocamus Deutero-Canonicos, non ita impie, & inique loquerentur, licet in Scripturarum ſacrarum indice eos non collocarent.

SECTIO SECUNDA.

Certum ex variis Scripturarum verſionibus eruitur argumentum, quo noſtrorum veteris Teſtamenti Deutero-Canonicorum authentica probetur authoritas.

VErſionum antiquarum utilitas inde colligitur, quod earum collatione & integritati, & authoritati Scripturarum conſulatur. Mirus enim verſionum conſenſus inter omnes fere populos tantis terræ, mariſque intervallis diſſitos, ſoloque fidei vinculo connexos clare teſtatur, quinam a Chriſtianis libri canonici, & divini crediti fuerint; quinam apocryphi, & ſpurii.

CAPUT I.

De Verſione Itala.

Ex omnibus verſionibus latinis, quæ olim circumferebantur, una erat communior, & paſſim recepta; *vetus, & vulgata editio* idcirco dicta eſt. Italæ verſionis codex apud Caſſiodorum cap. 14. Div. inſt. noſtros Deutero-Canonicos inter divinas Scripturas eo repræſentat ordine; *Geneſis* ſcilicet, &c. *Jeſu Nave*, *Judices*, *Ruth*, *Regum* 4., *Paralipom.* 2., *Pſalmorum liber unus*, *Salomonis lib.* 5., *Proverbia*, *Sapientia*, *Eccleſiaſticus*, *Eccleſiaſtes*, *Canticum Canticorum*. *Prophetæ*, *Iſaias*, *Jeremias*, *Ezechiel*, *Daniel*, *Oſee*, *Amos*, *&c. Job*, *Tobias*, *Eſther*, *Judith*, *Eſdræ* 2., *Machabæi* 2. libri deinde novi Teſtamenti enumerantur. *S. Greg. in fine Epiſt. ad Leand.*

Invictum ſane argumentum ad divinam noſtrorum Deutero-Canonicorum commendandam authoritatem ex ea verſione deſumitur. 1. Nemo neſcit, inter omnes latinas verſiones ipſi vindicatum fuiſſe principem locum, & a Latinis Eccleſiis fuiſſe uſurpatam. Hæc illa verſio eſt, quam ſanctus Auguſtinus lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 11. cæteris verſionibus antepoſuit: *In ipſis*, inquit, *Itala præfertur: eſt enim verborum tenacior cum perſpicuitate ſermonis*. 2. Editio Itala, qua vetus, & primitiva Eccleſia uſa eſt, libros tum Proto-Canonicos, tum Deutero-Canonicos promiſcue complectebatur. Quis autem credat, editionem illam, quæ Eccleſiam Occidentalem naſcentem fovit, & adoleſcentem ſuſtentavit, eam, aio, editionem promiſcue, & abſque ullo diſcrimine complexam fuiſſe libros canonicos, & apocryphos? Quis exiſtimet, Eccleſiam, quæ inconcuſſas fidei regulas tenetur fidelibus populis exhibere, ipſis tamen olim dediſſe libros, novis, & variis erroribus incluſos, nemine monente, nullo dirigente? Quis ſibi perſuadeat, primos Eccleſiæ proceres, & Epiſcopos ex libris apocryphis, ex editione non authentica fidei fundamenta jeciſſe, & hæreticorum errores confutaſſe? Quocirca nullus fere latinæ Eccleſiæ Pater appellari poteſt, qui noſtros Deutero-Canonicos veluti apocryphos rejecerit; nullus e contrario, qui eos non laudaverit, & citaverit, velut divinos, vel etiam canonicos; id ſumus Sectione tertia, & quarta demonſtraturi.

Noſtrum Waltonus confirmat ratiocinium prol. 9. num. 31. his verbis: „ Licet (verſio Itala) in vulgari „ uſu fuerit; poſtquam tamen nova Hieronymi in Ec„ cleſia poſt Gregorii tempora recepta fuit; vel pla„ ne evanuit (exceptis Pſalterio, partibus quibuſdam „ Eſtheræ, Danielis, Baruch, Epiſtola Jeremiæ, Li„ bris Machabæorum, Sapientiæ, & Eccleſiaſtici), vel „ una cum nova coaluit". Ecce Waltoni teſtimonium, quod ſuſpectum eſſe non debet, cum ab hoſte noſtris Deutero-Canonicis infenſo profectum fuerit. Ipſe autem affirmare non dubitat, noſtros Deutero-Canonicos in verſione vulgata Hieronymi cum cæteris Scripturæ libris ſimul fuiſſe collocatos; at ſi de Scripturarum ſacrarum numero non extitiſſent, Eccleſia eos cum ſacris aliis libris, quos latinæ fidei crediderat S. Hieron. non repoſuiſſet, aut ſaltem monuiſſet fideles, tantam non eſſe eorum authoritatem, quantam Proto-Canonicorum; ſi tunc divinæ inſpirationis prærogativa non donati fuiſſent. Paſtores enim Eccleſiæ ſuæ præfecit Deus, ut ea ab ovibus ſummoveant, unde fidei integritas in diſcrimen adducatur: quid autem fidei magis nocivum, quam libros apocryphos ſimul cum Canonicis, libros humana arte elaboratos ſimul cum Scripturis afflante Spiritu Sancto confectis collocare? Quid Religioni infeſtum magis, quam utroſque eidem venerationi fidelium exponere? Abſit igitur, ut exiſtimemus ab Eccleſia in ſuis verſionibus nullum apponendum fuiſſe diſcrimen libros Proto-Canonicos inter, & Deutero-Canonicos, ſi par utrorumque, & æqualis ſpectata olim non fuiſſet authoritas. Ex his igitur concluſio genuina ſequitur, Eccleſiam tum in verſione Itala, tum in ea quæ ſubſecuta eſt, ad eundem authoritatis gradum Proto-Canonicos, & Deutero-Canonicos revocaſſe.

Id obſervandum nobis eſt, & ad rem quam tractamus appoſitum, Italam latinamque verſionem in uſu fuiſſe apud eos omnes, qui latinum idioma callebant. Porro incredibilis fuit linguæ latinæ amplitudo, ut refert Paulus Merula in Coſmographia pag. 791. 792. 796. 797. ubi oſtendit, eam Africæ partem, quam Romani incolebant, ſicut eam Italiæ partem, quam incolebant Græci, fuiſſe bilinguem. Sane Afros latine locutos fuiſſe confirmat Apulejus in Floridis. Ipſa etiam magna Britannia victricis Romæ linguam accepit: „ Si „ quis ſit, inquit Camdenus, qui non credat, Britan„ nos linguam latinam Provincialem uſurpaſſe: nec „ ille noverit, quantopere Romani laboraverint, ut „ Provinciæ loquerentur latine: nec viderit, quan„ ta vis latinarum dictionum in Britannicam linguam „ irrepſerit; ut Taciti authoritatem non urgeam, qui „ ſcribit, Britannos Domitiani tempore latinæ linguæ „ eloquentiam concupiiſſe". De Hiſpanis non abſimile quid loquitur Strabo lib. 3. „ Turdetani, inquit, ma„ xime qui ad Bœtim ſunt, plane Romanos mores aſ„ ſumpſerunt, ne ſermonis quidem vernaculi memores; „ ac plerique facti ſunt Latini". *Pag. 83. edit. 1607.*

Ex eo latinæ linguæ uſu in Occidentali Eccleſia recte concludimus, in eam obtinuiſſe latinam Scripturarum verſionem, & quidem vulgatam. Non diffiteor, ante ſancti Hieronymi ævum innumeras apparuiſſe verſiones latinas, ut ſanctus Doctor præfatione in Joſue teſtatur: verum inter eas una eminebat, ut ſupra monuimus, cujus uſus primum in Italia viguit, unde *Itala* dicta eſt: eam deinde ſuo uſui, teſte Hieronymo, conſecrarunt Eccleſiæ Occidentales, quas inter inprimis recenſeri debet Eccleſia Africana. Id ſaltem ſuppoſuit S. Auguſtinus lib. 2. *de Doctrina Chriſtiana*. *In cap. 14. & 49. Iſaiæ.*

Una tamen, aut altera difficultas adverſus laudatam probationem cudi poteſt; nimirum ex uſu vulgatæ editionis recte non concludi, noſtros veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos agnitos fuiſſe ut divinos codices ab iis, qui hanc verſionem uſurpabant. Eccleſia Anglicana VII. Sæculo vulgatam Scripturarum verſionem adhibebat: ipſa tamen partes Danielis, & libros Machabæorum non agnoſcebat, ut genuinos divinæ inſpirationis fœtus; hujuſce facti teſtis eſt author librorum *de Mirabilibus Sacræ Scripturæ*, operibus *S. Auguſtini* inſertorum. Opuſculum illud a doctiſſimis operum S. Auguſtini editoribus tribuitur Anglo cuidam, vel potius gente Hiberno, qui *inclinante* VII. Sæculo ſcribebat. Libro autem 2. cap. 32. ad fabulas amandantur quædam Danielis partes, quæ cap. 14. hujus Prophetæ leguntur. Cap. 34. honorificam quidem utriuſque libri Mach. mentionem facit, ſed eum eſſe in Scripturarum canone negat. Advertit autem P. Martianæus, tres iſtos de mirabilibus Sacræ Scripturæ libros directos fuiſſe ad Præſules, & Presbyteros Eccleſiæ Anglicanæ: quæ quidem nota idcirco facta ab ipſo videtur, ut indicet, nec additamenta Danielis, ut divina; nec libros Machab. ut inſpiratos in Eccleſia Anglicana fuiſſe ſpectatos. *Par. 2. cap. 3. de can. p. 218.*

Reſpondeo 1. incertum eſſe hujus opuſculi authorem; cujus tanta non eſt authoritas, ut non liceat ipſi quandoque refragari. Nec aliam S. Thomas ſolutionem exhibet, cum author de mirabilibus Scripturæ ipſi opponitur: „ Dicendum, inquit, quod Gloſſa illa dicitur „ eſſe ſumpta ex libro, qui intitulatur, de mirabilibus „ ſacræ Scripturæ, qui non eſt liber authenticus, ſed „ falſo adſcribitur Auguſtino; & ideo illi Gloſſæ non „ eſt ſtandum". *Part. 3. quæſt. 45. art. 3. ad 2.*

2. Eſto quod author de mirabilibus ſacræ Scripturæ additamenta Danielis, & utrumque Machab. librum e ſacrorum codicum numero expungat; perperam inde erueretur, ab ipſo idem judicium de cæteris antiqui teſtamenti Deutero-Canonicis latum fuiſſe, cum ne una quidem ab eo exarata fuerit litera, quæ illud innuat.

3. Non omnino conſtat, quod opuſculum de mirabilibus ſacræ Scripturæ ex vetuſto authore Anglicano profectum fuerit. Id enim aſſeruit Martianæus nixus conjecturis, quas Eraſmus, & doctiſſimi Benedictini admonitione in illud opuſculum acute quidem, ſed non ita certo excogitarunt. En eorum ratiocinium. Author ille „ videtur ſe gente Anglum, ſive Hibernum indica„ re in lib. 1. cap. 7. ubi quidpiam obſervans de inſu„ lis, Hiberniam ex omnibus unam appellat: paulo-

„ que

„ que poſt æſtum maris Ledonem, ac Malinam appel-
„ lat, verbis apud Anglos, vicinoſque accolas Bri-
„ tannici maris, præſertim ævo Bedæ uſu receptis “.
Porro ſi conjecturæ ſufficerent, ut quidam codex certo authori aut tribueretur, aut detraheretur; non deforent quæ Græcam librorum Joſue, & Judith verſionem Gallo, aut Germano cuidam ſcriptori vindicarent. Etenim in Græca utriuſque codicis editione occurrit vox γαίσος, Joſue enim cap. 18. ſic habetur: Καὶ εἶπε Κύριος πρὸς Ιησοῦν, ἔκτεινον τὴν χεῖρα σου, ἐν τῷ γαίσῳ: *Et dixit Dominus ad Joſue, extende gæſum*, id eſt jaculum, verſio vulgata Clypeum, *qui eſt in manu tua*. Occurrit eadem vox apud Judith cap. 9. Ἥλπισαν ἐν ἀσπίδι καὶ γαίσῳ: *Qui confidunt in conto & gæſo*. Fuiſſe tamen gæſum Gallorum, vel Germanorum jaculum, ipſiſque olim proprium res eſt teſtatiſſima: unde Propertius lib. 4. de Virdomaro Germanorum rege elegia II.

(1) *Virdomari: genus hic Rheno jactabat ab ipſo*
Nobilis erectis fundere Geſa rotis.

Claudianus lib. 2. in Stiliconem.

Gallia crine ferax, evinctaque torque decoro
Binaque Geſa tenens.

Mallem igitur dicere in libros *de mirabilibus ſacræ Scripturæ* irrepſiſſe utramque hanc vocem *Hibernum*, & *Ledonem*; ut olim vox γαίσος in geminam Joſue, & Judith verſionem græcam irrepſit. Starem vero ſolutioni S. Thomæ, ſcilicet & gente, & nomine ignotum eſſe librorum iſtorum authorem, qui apud eruditos maximum pondus numquam ſibi conciliavit.

4. Demus Martianæo, quod author prædictus gente Hibernus fuerit, ſuoſque libros ad Præſules, & Presbyteros Eccleſiæ Anglicanæ direxerit: numquid inde inferre licet, quod ipſi quæcumque in iſto opuſculo leguntur, approbaverint; recta ſane non foret conſequutio. Suum de Scripturarum canone librum *DD. Ludovico Gaſtoni* (2) *Floriot Epiſcopo tunc* (3) *Aturenſi* dicavit: numquid vigilantiſſimus ille Præſul, quæcumque in eo libro ſcripta ſunt, ſuo ſuffragio comprobavit? Id ſane nec ſibi adpromiſit Martianæus, nec poſſunt cæteri ſcriptores ſibi adpromittere ex iis, ad quos ſua opera dirigunt, vel quibus conſecrant.

CAPUT II.

De Græcis Scripturarum Verſionibus, & Codicibus, in quibus noſtri reperiuntur Deutero-Canonici.

IMmenſus ſeſe aperiret campus, in quo latiſſime poſſem ſpatiari, ſi de omnibus Græcis codicibus, in quibus ſimul cum aliis Scripturis noſtri leguntur Deutero-Canonici, liceret mihi differere: pauca duntaxat de plurimis dicam; nec enim omnes Græcos codices hic nuncupare poſſum, ſed præcipuos, eoſque, quorum notitia ad me pervenit: quibus non ſolum temporis ratione, ſed dignitatis prærogativa præpono codices, quos SS. Irenæus, Clemens Alexandrinus, Athanaſius, author Conſt. Apoſtolicarum, Euſebius Cæſarienſis, &c. adhibuerunt; laudant illi noſtros Deutero-Canonicos, ut divinæ inſpirationis opus: *Scripturæ divinæ*, *Sacrorum Librorum* nomina iis abſque ullo diſcrimine impertiunt. Unde igitur divino eo honore ſacriſque titulis noſtros Deutero-Canonicos, Sancti Patres inſignierunt? Sane ex Traditione, ex codicibus quos præ manibus habuerunt, in quibus & Proto-Canonici, & Deutero-Canonici ſimul permixti continebantur. Suus hic poſſet eſſe locus referendi loca, in quibus Græci Patres nominati inter Scripturas divinas collocarunt noſtros Deutero-Canonicos: ea referam in Sectione IV. quam traditioni Patrum Græcorum ad noſtrorum Deutero-Canonicorum ſtabiliendam authoritatem conſecravi. Itaque ad aliorum Græcorum codicum expoſitionem propero.

Florentiæ in Bibl. ſancti Laurentii cod. 1. antiquum monſtratur exemplar Græcum MSS. quod Pentateucho, aliiſque Scripturæ libris comitem adjungit 1. Mach. lib.

In Bibl. Bodleiana codex vetuſtus num. 292. præter complures Proto-Canonicos, Judithæ librum exhibet.

In Bibl. Colbertina codex etiam perantiquus num. 1609. cum plurimis Scripturæ libris recenſet libros Machab. Juditham, & Tobiam, cui conſentit codex X. Sæculi Bibl. Coisilinianæ.

In Bibl. Regia cod. 1875. leguntur libri, *Job*, 5. *Sapientiales: libri Machabæorum*, *Tobit*, *Eſther*, & *Judith*.

Codex optimæ notæ, qui fuit P. Pithœi, & N. Fabri in Bibl. Colbertina cod. 3883. enumerat librum Job, 5. libros Sapientiales græce, cum Gloſſa interlineari latina Job, Proverbia, Eccleſiaſtem, & Sapientiam.

In Bibl. Palatina codex mutilus num. 337. exhibet Job, Proverbia, Canticum Canticorum, Sapientiam Salomonis, & Eccleſiaſticum.

In Bibl. Regia codex 1905., & 2857. repræſentat *Proverbia Salomonis*, *librum Eccleſiaſtæ*, *Canticum Canticorum*, *Sapientiam*, & *Eccleſiaſticum*.

Doctiſſimus Bernardus de Montfaucon p. 11. Diarii Italici laudat membranaceum codicem X. Sæculi in Bibl. Ambroſiana aſſervatum, qui Proverbia Salomonis, & Eccleſiaſticum græce complectitur.

Bibl. Vaticana codicem chartaceum in fol. num. 239. inter MSS. recenſet: ubi catena Patrum in Job: Sapientia Salomonis, Eccleſiaſticus, Eſther, Tobias, & Judith reperiuntur; ut teſtatur eruditiſſimus Aſſemanus pag. 593. Bibl. Orientalis.

Aſſerit Clariſſimus Joannes Boivin Bibliothecæ Regiæ cuſtos fideliſſimus apud Bernardum Lamy in App. ad Comment. in Harmoniam Evangelicam pag. 656. conſervari in Bibl. Regia codicem 1905., qui novum Teſtamentum, Jobum, & 5. libros Sapientiales græce continet. „ Codex iſte, inquit D. Boivin, vetuſtiſſimus eſt, „ conſtans foliis membranaceis novem, & ducentis, „ quorum ſingulæ paginæ Scripturam duplicem exhi- „ bent alteram novam, & lectu facilem, alteram ve- „ tuſtate decolorem “.

Adeſt in Bibl. Regia codex 1789. indiculus Græce MSS. qui Anaſtaſii quæſtionibus ſubjungitur: hunc latine edidit perilluſtris Cotelerius ad calcem ſui judicii de Conſt. Apoſt. En illius Titulum. *De 60. Libris*, & *quinam extra illos ſunt*. Primum quidem indiculus ille computat 60. ſacræ Scripturæ libros, in quorum numero, qui novi Teſtamenti dicuntur Deutero-Canonici, includuntur. Eorum deinde enumeratione peracta, leguntur quæ ſequuntur:

Et qui extra LX. ſunt.

1. *Sapientia Salomonis*. 2. *Sapientia Sirach*. 3. *Machabæorum*. 4. *Machabæorum*. 5. *Machabæorum*. 6. *Machabæorum*. 7. *Eſther*. 8. *Judith*. 9. *Tobias*.

Et qui Apocryphi.

1. *Adam*. 2. *Enoch*. 3. *Lamech*. 4. *Patriarchæ*. 5. *Joſephi Oratio*. 6. *Eldad*, & *Medad*, &c. ubi indiculus ille in apocryphorum claſſe non reponit noſtros Deutero-Canonicos. Hos quidem non recenſet inter Proto-Canonicos, quia Eccleſia univerſa nondum ea ætate de illorum canonicitate apertum, & inconcuſſum tulerat judicium. De eorum divina authoritate a nonnullis ſalva fide catholica tunc diſputabatur; unde & propter judicium Eccleſiæ, quod nondum acceſſerat, & quia pauci numero Theologi tum tolerabantur ut de authoritate Deutero-Canonicorum veteris Teſtamenti diſſererent; idcirco author indiculi eos in Canonem Scripturarum non audet referre.

Silentio prætermitto Biblia græca typis excuſa; in quibus noſtri Deutero-Canonici ſimul cum Proto-Canonicis leguntur: quilibet ea Biblia conſulere poterit in Bibliis Polyglottis XVI. & XVII. Sæculo editis.

Ut huic Capiti clauſulam apponam, hoc pro certo communiore, & recepto magis ex ſenſu aſſeveraverim, 1. Græcos non latuiſſe divinam noſtrorum Deutero-Canonicorum authoritatem. 2. Mentem eorum, qui codices græcos Scripturarum adornarunt, extitiſſe, ut noſtri Deutero-Canonici cum Proto-Canonicis pari gradu authoritatis incederent. 3. Eccleſiam græcam, quæ iis Scripturarum codicibus uſa eſt, eorum conſilio ſuffragatam fuiſſe, cum fideles de ipſius conſenſu, ac nemine refragante in codicibus prædictis Scripturas ſacras legerent.

Objicitur Cyrillus Lucar Patriarcha C. P. Hic ann. 1631. fidei ſuæ Confeſſionem latine a ſe conſcriptam Cornelio Hagæ illuſtriſſimorum Belgii fœderati ordinum ad Tur-

(1) *Nominatur ab Amm. Marcellino Vadomarius quidam Germanorum rex. Plutarchus in Rom. Britomartum vocat. fol.* 837.

(2) *Illuſtriſſimi Præſulis nomen ita ſcripſit* Martianæus Floriot: *forſan mendum ejus eſt: vel, ut alii conjectant, ob cauſas vulgo ignotas, clariſſimum illud nomen conſecutis temporibus ita ſcriptum eſt* Fleurieau, *ut hodie ſcribitur.*

(3) *Aire.*

Turcicam Portam Legato tradidit. Porro in ea Confeſſione e numero Scripturarum expungit veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos: en ejus verba: „ Sacram „ Scripturam Canonicos libros omnes appellamus, quos „ tamquam fidei, ac ſalutis noſtræ regulam accepimus; „ atque ideo retinemus, eaque potiſſimum de cauſa, „ quod divinitus inſpiratam nobis ſuggerant doctrinam ..... hunc vero Canonicorum librorum numerum eſſe credimus, quem Laodicenſis Synodus pronunciavit .... At ii, quos apocryphos appellamus, „ hoc propterea cognomine inſigniuntur, quod eamdem „ a Spiritu Sancto authoritatem, & approbationem non „ acceperint, quam qui proprie & citra controverſiam „ pro Canonicis habentur: quorum ex numero ſunt Pentateuchus, Hagiographa, & Prophetæ, quos Laodicenſis Synodus legendos eſſe ſtatuit; veteris nempe „ Teſtamenti libros 22. ex novo vero inter opes noſtras „ recenſemus quatuor Evangeliſtas, acta Apoſtolorum, „ Epiſtolas ſancti Pauli, & Catholicas, quibus etiam „ addimus Apocalypſim dilecti a Domino: & hos quidem Canonicos eſſe libros aſſerimus; & hæc ſacram „ appellari Scripturam confitemur “. Cyrillus Lucar eas tantum admittit Scripturas, quæ in Canone Laodiceno recenſentur: atqui in Canone Synodi Laodicenæ nulla Deutero-Canonicorum veteris Teſtamenti fit mentio; ergo &c.

Reſpondeo 1. Cyrillum Lucarem, cum Canonem de Scripturis ſacris a Synodo Laodicena ſtatutum amplectitur, non omnino conſentire cum Calviniſtis, quorum partes ardenter ſuſcepit. Etenim Canon Laodicenus Apocalypſim non commemorat, quam Calviniani inter ſacros libros recipiunt: qui Prophetiam Baruch ex oppoſito rejiciunt, quam tamen Laodicenus Canon ſacris libris accenſet. Senſit hanc difficultatem Cyrillus; quocirca Laodiceno Canoni Apocalypſim addere demum non dubitavit.

Reſpondeo 2. Cyrillum Lucarem ob aſſertas Calvini novitates a Græcis fuiſſe cenſura hæreſeos notatum, & anathematis fulmine percuſſum: ex variis monumentis, quæ zelum, quo adverſus Cyrillum Lucarem Græci flagrarunt, indicant, unum duntaxat laudabo Concilium, quod Græci anno 1672. Hieroſolymis celebrarunt. Cujus Synodi quanti facienda ſit authoritas, & quam non levibus conjecturis humaniſque judiciis pendenda, ſatis intelligit, qui novit, eam fuiſſe ex omnibus fere Orientis Eccleſiis convocatam. Quem vero in ea locum obtinet Cyrillus Lucar? In loco principe inter eos hæreticos, quorum hæreſis non ſolum circa Euchariſtiam, & alia Sacramenta, ſed etiam circa decurtatum Scripturarum canonem proſcripta eſt. Plura de authoritate Synodi Hieroſolymitanæ dicam inferius, & copioſius.

CAPUT III.

De Codicibus ſacræ Scripturæ Syriacis.

SUmmam certe in quæſtionibus, quæ fidem ſpectant, elucidandis authoritatem ſibi vindicat teſtimonium omnium Eccleſiarum, ubi præſertim antiquitus perſcriptum eſt, & temporum ſucceſſione continuatum, & renovatum. Inter Eccl. monumenta, quæ illud habent graviſſimum pondus, recenſeri poſſunt verſiones tum Latinæ, tum Græcæ, de quibus modo egimus; hæ totius quodammodo Eccleſiæ vocem, & teſtimonium exhibent ad declarandam divinam noſtrorum Deutero-Canonicorum authoritatem, quia ubique cognitæ, & probatæ ſunt; & in illis non Epiſcoporum modo, ſed plebis etiam ſuffragia continentur. Poſt primarias illas verſiones prodire geſtiunt plurimæ aliæ, Syriacæ imprimis, & Arabicæ, quæ ſacræ Deutero-Canonicorum veteris Teſtamenti inſpirationi teſtimonium ſuarum Eccleſiarum perhibent: a verſione Syriaca initium facio.

Illud unum prius monuero, verſiones, quibus utuntur Eccleſiæ Orientales, maxima ex parte e Græca derivatas eſſe: non tamen accuratus eſt Voſſius, cum affirmat, *Præf. App. libri de LXX. Interpret.* „ quotquot toto orbe fuere, Eccleſias in LXX. ſolis „ acquieviſſe, nec oſtendi poſſe gentem ullam quantumvis barbaram, quæ Chriſti nomen ſuſcepit, quæ non „ ſimul horum ſuſceperit translationem, & quidem ſolam. Verſiones omnes Latinas, Syriacas, Arabicas, Armenicas, Perſicas, Copticas & Æthiopicas ad „ ſolos LXX. Interpretes fuiſſe expreſſas “. Habent enim Syri verſionem etiam antiquiſſimam ex Hebræo confectam; nec non aliam ex Origenis editione juxta Hebræum ſub aſteriſcis ſuppleta, obeliſque notata traductam. Habent Arabes quoque verſionem nondum typis editam ex Hebræo ipſo factam; & aliam ſimiliter ex editione Origeniana cum obelis aſteriſciſque expreſſam, cujus extat Pentateuchus una cum commentariis in Biblia Bodlejana.

Ut ut ſit de verſionum Orientalium origine, conſtat, S. Ephræm Syrum, qui IV. Sæculo Syriace ſcribebat, plurima ex *Eccleſiaſtico*, tamquam ex ſacræ Scripturæ libro deprompta teſtimonia laudaſſe: illa retulit Cornelius a Lapide, cap. 3. prol. ad librum Eccleſiaſtici.

Jacobus Edeſſenus Epiſcopus, qui labente VII. ſæculo floruit, inter ſacras Scripturas, & opera Danielis Prophetæ enumerat Suſannæ hiſtoriam: quippe in ſuis Scholiis in Danielem ita loquitur: „ Joachimum autem „ Suſannæ virum, cujus in domo, tamquam in ædibus „ Principis, populum ſeniores judicabant, exiſtimo eum „ eſſe Joachimum regem, quem Nabuchodonoſor in carcerem detruſit; quo mortuo, cum Evilmerodach regnaret, e carcere dimiſſus fuit, uxorem duxit, & „ ædes poſſedit. Quia vero regia dignitate fulſerat, „ in ejus domo populus conventus faciebat, ut a ſenioribus, qui Suſannam ipſius uxorem poſt calumniati ſunt, judicium quærerent. Principem enim omnium „ regemque eum habebant, etſi captivus eſſet. Sic de „ Joachim Suſannæ viro opinandum mihi videtur “. Idioma Syriacum typis mandari curavit Aſſemanus. Conſule, ſi vacat. *Aſſemanus Biblioth. Orient. T. 1. p. 490.*

Jacobus Epiſcopus Sarugenſis metricam homiliam in Ananiam, Miſaelem, & Danielem elaboravit, quæ legitur codice MSS. Nitrienſi 13. fol. 187. codex autem ille aſſervatur in Bibliotheca Vaticana, ut Aſſemanus Tom. 1. Bibliot. Orient. pag. 339. ſicuti oculatus teſtis affirmat.

Uberius teſtimonium his omnibus eſt Gregorii Bar-Hebræi, qui Primas Orientis, & Scriptorum Jacobitarum facile princeps habendus eſt. Claruit XIII. Sæculo: hunc ordinem, cum ſacros libros commentaretur, obſervavit. 1. Expoſuit Pentateuchum, deinde libros Joſue, Judicum, Samuelis primum, & ſecundum, Pſalmos, primum, & ſecundum Regum, Proverbia, Eccleſiaſticum, Eccleſiaſtem, Cantica, Sapientiam, Ruth, Suſannæ hiſtoriam, Job, Iſaiam, 12. Prophetas, Jeremiam cum Threnis, Ezechielem, Danielem cum hiſtoria Bel idoli, & draconis, quatuor Evangelia, &c. In ſuis Commentariis peragendis Gregorius Bar-Hebræus uſus eſt hebræo textu, verſione 70. Interpretum, verſione Syriaca, quam ſimplicem vocat, & cui preſſe inhæret. Citantur ab ipſo aliæ duæ verſiones Syriacæ, nimirum Heracleenſis, & Karkaphenſis, ideſt montana, qua videlicet incolæ montium utuntur. Laudat inſuper alias verſiones orientales, vetuſtoſque Patres, & Interpretes Scripturarum, inter quos Joannem Maronem in librum Sapientiæ recenſet. Hæc omnia teſtatus eſt Aſſemanus T. 2. Bibliot. Orien. pag. 282. 283.

His argumentis accedit probatio, quam Biblia Polyglotta nobis ſuppeditant. In Polyglottis Anglicanis leguntur Tobias, Sapientia, Eccleſiaſticus, Baruch, & fragmenta Danielis; quæ *quidem* opera tetraglotta exhibentur Syriace, Arabice, Græce, & Latine. Fatetur Waltonus præfatione Polyglottis Londinenſibus præfixa ſacros illos codices ex variis, & antiquiſſimis MSS. Syriaco idiomate deſcriptos fuiſſe.

Non deſunt tamen difficultates, quæ argumentum ex verſionibus Syriacis petitum comitantur. Prima quidem ſic proponitur. Sanctus Ephræm in commentariis, quæ de vaticinio Danielis edidit, additamenta, quæ huic Prophetæ tribui ſolent, non expoſuit.

Sed facilis ſolutio ſubjicitur, ſcilicet liberum fuiſſe ſancto Ephræm, ſicut aliis interpretibus, quaſcumque vellent Scripturas elucidare.

Secunda ita proponitur: Hymnum trium puerorum in dubium vocavit Eudoxius apud catenam in Cantica Scripturæ. „ Sciendum eſt, inquit, hunc hymnum, ne„ que apud Hebraicos libros, neque apud Syros inve„ niri. Dicunt enim Hebræi, & Syri, hunc a qui„ buſdam fuiſſe compoſitum “.

Tota difficultas poſita eſt in his vocibus, *dicunt Hebræi, & Syri, &c.* quæ quidem brevi evaneſcet, ſi cum Nobilio vertamus; *fertur autem a quibuſdam fuiſſe compoſitum*. Deinde Eudoxius iſte hæreticus Arianus, gente Armenus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui anno 370. obiit, nullam meretur fidem, cum docuit, apud Syros hymnum trium puerorum non reperiri; conſtat enim ex catalogo Hebedjeſu, hunc ut ſacrum cum aliis Scripturis a Syris ſpectatum fuiſſe; cui conſentit Jacobus Epiſcopus Sarugenſis, quem ſuperius citavimus; hic autem vixit exeunte circiter quinto, aut ineunte ſexto ſæculo. Utrique potius fides adhibenda eſt, quam Eudoxio veteratori Ariano, qui occulte, & palam nihil non molitus eſt, ut fidem catholicam ſubdeque everteret. *Sch. in Dan.*

CAPUT IV.

De Verſionibus Arabicis.

MAgna fuit verſionum Arabicarum copia. Tres præſertim uſui fidelium, qui vernaculam habent Arabicam, videntur conſecratæ. Primam uſurpant Jacobitæ, & Neſtoriani, quæ e Syriaca verſione expreſſa creditur. Secunda utuntur Syri; facta illa eſt ſecundum græcos codices; ejus inter Theologos Syros uſus eſt, cum Scripturas interpretantur, & diverſis lectionibus ſuas expoſitiones illuſtrant. Tertia alia eſt Arabica, facta, ut dicitur, κατὰ τὸν Ο, authore Aretho filio Senan; iſtius verſionis uſus hæret in quibuſdam Melchitarum, ſeu Græcorum Orthodoxorum Eccleſiis, ubi ſacra græce fiunt.

Tit. 1. Comm. ad lit. Copt. S. Baſilii, p. 208.

„ Tamen, inquit doctiſſimus Renaudotius, quantum „ adipiſci potuimus, publice inter officia non legitur; „ ſed tantum ab illis Chriſtianis, qui græcæ linguæ igna„ ri Arabicam vernaculam habent “.

MSS. Codex hujus verſionis extat admodum imperfectus Florentiæ in Bibliotheca Medicæa num. 8. nonnullos ſacræ Scripturæ libros eo ordine continet. „ Para„ bolas Salomonis, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Canti„ cum canticorum, Tobiam, additamenta ad Danie„ lem. Eſdræ librum, hiſtoriam Machabæorum “, ubi maxima pars noſtrorum Deutero-Canonicorum recenſetur.

Superiori ſæculo veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos acceperunt Orientales Eccleſiæ in verſione Arabica, quæ ſacræ Congregationis de Propaganda Fide juſſu edita eſt ad uſum fidelium Orientalium, additis e regione Bibliis latinis, prout in vulgata editione leguntur, cum præfatione latina 3. vol. in fol. Romæ, typis ejuſdem Congregationis anno 1671.

Hæc eſt fides Orientalium, qui linguam Arabicam vernaculam in legendis Scripturis adhibent, quod noſtri Deutero-Canonici in veteri Scripturarum Teſtamento computari debeant; id iterum conſtat ex Concilio

Cap. 6. Capitulo 18. quæſt. 3.

Hieroſolymitano, quod anno 1672. celebratum eſt. Decrevit illa Synodus, noſtros Deutero-Canonicos „ eſſe „ germanas ſacræ Scripturæ partes, & cum ceteris ge„ nuinis ejuſdem Scripturæ libris eſſe numerandos “.

Hæc definitio de conſenſu omnium, qui Concilio aderant, ſtatuta eſt; quos inter ſunt, qui lingua Arabica ſubſcripſerunt, uti teſtatur MSS. exemplar a Doſitheo Hieroſolymorum Patriarcha, & Concilii Præſide miſſum ad Chriſtianiſſimum regem Ludovicum XIV. quod quidem in Bibliotheca regia viſitur. Arabicas ſubſcriptiones, ſicuti in MSS. regio leguntur, ſi latinas referamus, nemo opinor arguere tentabit.

Papa Michael magnus Œconomus credit, & confitetur, hanc eſſe fidem noſtram, quam præcipit, & præſcribit Apoſtolica, & Orthodoxa Eccleſia: hic ſignavit Arabice.

Papa Iſaac magnus Scevophilax: ſignavit Arabice.

Papa Michael magnus Sacellarius: ſignavit Arabice.

Proto-Papas, Souroum ſacerdos: ſignavit Arabice.

Habib. Agapius ſacerdos Proto-Papas Lyddæ cum omnibus ſacerdotibus meis: ſignavit Arabice.

Georgius ſacerdos, Œconomus Cæſareæ Paleſtinæ: ſignavit Arabice.

Symeon ſacerdos, Ephemerius ſancti Eliæ in monte Carmelo: ſignavit Arabice.

Moyſes ſacerdos, Œconomus Neapoleos: ſignavit Arabice.

Joannes magnus Logotheta ſanctæ Reſurrectionis: ſignavit Arabice.

Chaleles filius Petri, magnus Proto-Notarius: ſignavit Arabice.

Non diffiteor quaſdam occurrere difficultates, quarum prima deſumitur ex Bibliis Arabice impreſſis, in quibus libri Tobiæ, Judith, Eſtheræ, & Machabæorum deſiderantur. Verum ratio hujuſce defectus ſuppeditari poteſt: nempe, exemplar in Bibliis Polyglottis Pariſienſibus, & Londinenſibus ejuſmodi eſt, quod e diverſis, atque inter ſe multum diſcrepantibus laciniis contextum ſit; ſive id agente, qui illud deſcriberet, ſive (ut magis veriſimile eſt) quod ipſi ad manum non fuerit omnium librorum ab uno quodam concinnata verſio. Deinde Arabica verſio in Polyglottis Pariſienſibus, & Londinenſibus, multum diſcrepat a verſione MSS. quæ juxta 70. Interpretum verſionem adornata eſt: hæc autem majorem apud Arabes authoritatem conſecuta eſt, quam altera. Conſulatur hac de re clariſſimus Edwardus Pocockius præf. ad comm. Michææ.

Altera conflatur difficultas ex manuſcriptis codicibus Arabicis, qui noſtros veteris Teſtamenti Deutero-Ca-

** Floruit XIV. ſæculo.*

nonicos ſæpius non exhibent. Aſſemanus enumerat varia commentaria, quæ Abdalla * Abulfaragius Benattibi compoſuit, quæque ab Aſſemano eo ordine referuntur: *T. 1. p. 621. 622.*
„ Commentaria in Pentateuchum, in Joſue, in Judices, „ in 1. & 2. Samuelis, in 1. & 2. Regum, in Sapien„ tiam, in Eccleſiaſticum, in Eccleſiaſtem, in Canticum „ Canticorum “.

Deſtruit hanc difficultatem ratio temporis omnia conterentis, atque conſumentis: norunt enim omnes, vaſtatas olim fuiſſe Orientalis Eccleſiæ Provincias, antequam in Arabum poteſtatem venirent, ſpoliatas pluries ab infidelibus Eccleſias, Chriſtianos a mille, & amplius annis duriſſimam in Oriente ſervitutem ſervire: Ordinem eccleſiaſticum ſuis facultatibus ſpoliatum fuiſſe, in anguſtiis extremis jamdudum Præſules, Clericoſque eſſe conſtitutos; inde factum eſt, ut Epiſcopi, virique clericalis ordinis vitam ex plebis eleemoſynis tolerare coacti fuerint. Ornamenta, ſacroſque libros, unde decus Dei domus ſuſtentari poterat, ægre admodum comparare potuerunt. Nullæ ſunt a multis ſæculis Eccleſiarum Bibliothecæ: vetuſti Scripturarum codices, qui olim fuerant, uſu quotidiano detriti, & conſumpti ſunt. Crevit illa calamitas per Eccleſiaſticorum Orientalium ignorantiam, qui veteres codices neglexerunt; nullus fere inter eos extitit, qui circa ſancta volumina Eſdræ operam, & diligentiam imitatus fuerit, nullus fere qui ſacrarum Scriptionum codicem conquiſierit, vel Scripturarum canonem recognoverit, & ex veteri exemplarium fide confirmaverit. Hinc mancæ illæ, & ſemilaceræ illæ verſiones Arabicæ, Syriacæ &c. quæ ex communi naufragio evaſerunt: hinc fragmenta illa admodum decurtata, in quibus complures Scripturarum libri tum Proto-Canonici, tum Deutero-Canonici deſiderantur. Nihil ergo mirum, ſi in Bibliothecis noſtris verſiones Arabicæ, & Syriacæ mutilæ, & ſemilaceræ aſſerventur.

Lectorem non debeo celare tertium, quod opponitur, argumentum. Fieri potuit, inquiet quiſpiam noſtrorum Deutero-Canonicorum adverſarius, ut verſiones Arabicæ, Syriacæ, imo & Perſicæ in commodum Judæorum, qui iſtas regiones habitabant, confectæ fuerint.

Nihil ea difficultate imbecillius. Fac enim iſtas verſiones in gratiam Judæorum Arabiæ, & Syriæ incolarum fuiſſe peractas; inde conſequetur, Judæos eandem tribuiſſe authoritatem noſtris Deutero-Canonicis, & Proto-Canonicis, quippe hi cum illis in verſionibus iiſdem ſimul contenti reperiuntur; hanc tamen authoritatem noſtris Deutero-Canonicis fuiſſe a Judæis tributam negant adverſarii: negent pariter, verſiones prædictas uſui Judæorum fuiſſe potiſſimum addictas. Quamquam qui editiones Arabicas, Syriacas, & Perſicas publici juris fecerunt, ne quidem de Judæorum commodo cogitavere; ſimul enim vetus teſtamentum cum novo Arabice, Syriace, & Perſice deſcripſerunt, quod ſane poſtremum a Judæis reſpuitur. Illud manifeſtum evadit ex codice, qui in Bibliotheca eruditi Renaudotii, dum viveret, aſſervabatur. MSS. iſtud exemplar non tantum Pſalterium, Proverbia & cæteros veteris inſtrumenti libros Proto-Canonicos, ſed etiam Judith, Tobiam, & quatuor Evangelia Perſico idiomate complectebatur.

CAPUT V.

De nonnullis Verſionibus, quæ noſtros Deutero-Canonicos repræſentant.

COmpendii cauſa plurimas verſiones in eodem capite includimus; in earum computo ordinem dignitatis, non originis ſequimur; a verſione Gallica initium ducimus. Biblia Gallice verſa a Guiarto des Moulins Canonico ſancti Petri Arienſis anno 1294. abſoluta, vulgo nuncupata *la Bible des hiſtoriaux*, *ou les hiſtoires Eſcolaſtres*, complectuntur libros hiſtoricos utriuſque Teſtamenti, tum Proto-Canonicos, tum Deutero-Canonicos, Gloſſis inſuper, ſeu poſtillis in textu inſertis, quas in hiſtoriam ſcholaſticam concinnarat Petrus Comeſtor: additi etiam ſunt Pſalmi, libri quinque Sapientiales; in novo autem inſtrumento acceſſerunt Epiſtolæ Apoſtolorum una cum Apocalypſi. Primum hujus verſionis volumen extat eleganter exaratum in Bibliotheca regia cod. 6820. *Biblia Gallica.*

Ex codicibus, qui hanc verſionem continent, nullus antiquior eo videtur, qui in noſtra ſanctæ Genovefæ Bibliotheca aſſervatur. Codex eſt membranaceus in folio majori ſat polite deſcriptus: continet omnes Scripturæ libros præter Jobum, cujus Hiſtoria paucis refertur. Sanctorum Litaniæ Rithmicæ ad calcem Pſalterii poſitæ ſunt, in quibus S. Ludovici nomen inter Confeſſores non legitur, licet anno 1297. in album Sanctorum jam relatus fuiſſet; unde licet certo conjicere, hunc codicem eſſe vetuſtiſſimum, ejuſdemque eſſe ætatis, & canitiei, ac translatorem; qui in Prologo teſtatur, hanc verſionem

Galli-

Gallicam a se perfectam fuisse anno salutis 1294. mense Februario.

Parisiis in Bibliotheca Minoritarum sancti Francisci, gallice *des RR. PP. Cordeliers* hodie cernitur Scripturarum codex imperfectus gallice exaratus. Fuit olim Conventus Sororum sanctæ Claræ Urbanissarum dicti *de Longo Campo* prope Lutetiam. In eo codice libros Regum excipiunt libri duo Machabæorum; quorum stylus, & codicis character XII. Sæculi fœtus esse videtur. Libri primi initium juvat describere. *Il avint puisqu' Alixandre fiz de Philippe de Macedoine qui primers regna en Grece, issant de la terre de Cethim, ont oscis daire le Roi de Perse, & de Medie; si fist plosors batailles, & prist les garnisons de toz & oscist les Rois de la terre &c.*

Cum extaret Bibliotheca Colbertina, in ea aderat Catalogus librorum Caroli V. Regis Francorum anno 1373. exaratus: hæc gallico idiomate in illo referuntur: *Un volume couvert de deux cus blancs, contenus aucuns des livres de la Bible en François: C' est assavoir les cinq livres Sallemon, Ysaïe, & de Jeremie jusque au dix-huitieme Chapitre de l' exposition sur Yaux, faite par Maitre Jehan de Sy, du comandement du Roy, Jehan, dont Dieu est l' ame. L' autre volume ainsi couvert au quel sont contenus les 5. livres de Moyse, Josue & premier chapitre du livre des juges: le Confesseur les fit bailler a Monseigneur d' Anjou Regent le Royaume.* Ibidem 72. *Cahiers de la Bible que comença Maitre Jehan de Sy, & la quelle faisoit translater le Roy Jehan dont Dieu est l' ame.*

Biblia Italica. Inter MSS. codices Bibliorum Italicorum eminet codex 609. Dublini in Bibl. Collegii SS. Trinitatis conspicitur libros 5. Sapientiales ab Anonymo italice versos exhibens. Hunc Anonymum XIV. Sæculo vixisse conjectant nonnulli.

Certius aliquid proferri potest de ætate codicis, qui in Regia Bibl. 6899. numeratur, anno 1431. a Nicolao de Neritono Ordinis Prædicatorum italice, & eleganter descriptus est. Repræsentat Danielis & 12. Prophetarum vaticinia, quibus uterque Machabæorum liber cum novo testamento conjungitur.

Biblia Belgica. Bibliotheca Colbertina ante suam divisionem custos fida erat codicis Belgice descripti in fol. MSS. num. 2854. designabatur: en sacrorum librorum ordo quem sectatur: scilicet Pentateuchum, Josuam, Judices, libros quatuor Regum, Tobiam, Danielem, Juditham, Esdram, Estheram, Machabæos enumerat. Numerus librorum tum Proto-Canonicorum, tum Deutero-Canonicorum augetur simul, & perficitur in Bibliis, quæ anno 1475. 1477. 1479. in lucem edita sunt.

Biblia Anglicana, & Saxonica. In Bibliotheca Bodleiana adest codex Anglice scriptus, quem eruditus Pater de Long Wicleso antiquiorem existimat. Computatur codex 2084. qui Tobiam, Ruth, Juditham, Estheram, & quinque libros sapientiales includit.

Circa finem X. Sæculi Ælfricus Abbas ad Sigwerdum virum nobilem lingua Saxonica compendium veteris, & novi Testamenti scripsit: plures in eo sacræ Scripturæ libri commemorantur pag. 11. Pentateuchus, & lib. Josuæ pag. 12. lib. Ruth, pag. 15. pars librorum Regum, pag. 22. libri Esther, & Judith, pag. 23. libri Machabæorum.

Infinitum me esse oporteret, si Lectoris studiosi oculis subjicerem omnes manuscriptos codices, qui ante Synodum Tridentinam Deutero-Canonicos cum Proto-Canonicis absque ullo discrimine exhibebant. Omnes enim versiones retexere neque fas est in tanta multitudine, neque porro necesse est, cum quæ a nobis relatæ sunt, demonstrent satis, Tobiam, Judith &c. ut divinæ authoritatis codices spectatos olim fuisse.

Differt. II. de versione Belgica. Finem ergo huic Capiti, ac Sectioni impositurus, producam tantum, quæ Joannes Leusden in Academia Ultrajectina Professor circa nostros Deutero-Canonicos annotavit. 1. *Nullæ*, inquit, *Ecclesiæ eos* (Deutero-Canonicos) *e corpore Bibliorum adhuc ejecerant ante Lutherum, & Calvinum.* 2. Declarat Heterodoxus, Synodum Dordracenam, quæ anno 1618. habita est, *judicasse, ut melius a scriptis Canonicis discernerentur, eos ad calcem omnium librorum Canonicorum etiam novi Testamenti esse rejiciendos.* 3. Eadem Synodus statuit, ut nostri Deutero-Canonici a libris Canonicis *justo interstitio, & peculiari titulo* discernerentur. 4. Ut iis exacta præfigeretur præfatio, *in qua Lectores de authoritate horum librorum, & erroribus, qui illis continentur, accurate instruerentur.* 5. *Ut Deutero-Canonici peculiari paginarum numero distinguerentur, & minoribus typis imprimerentur.*

Agnoscit itaque Joannes Leusden, innovatum fuisse a Calvinistis circa ordinem, quem in versionibus, & codicibus antiquis obtinebant Deutero-Canonici: deinde hos e veteri loco, quem cum Proto-Canonicis sibi vindicabant, dimotos fuisse a Synodo Dordracena; timebant scilicet Calvinistæ, ne divina, & canonica authoritas Deutero-Canonicis veteris Testamenti tribueretur; timor sane præposterus, ac novitate sua suspectus, qui nemini Catholico ad Calvinistarum usque tempora obtigerat. Hic Lectoris Catholici fidem obsecro: adeo ne Patres antiqui fuerunt stolidi, & supini, ut ejusmodi metum non conceperint? Ergo Calvinistarum ævo reservatum erat, ut de nostrorum Deutero-Canonicorum authoritate recte, & inconcusse definirent? Errarunt ergo Patres, Authoresque versionum, qui nostros Deutero-Canonicos cum Proto-Canonicis absque ulla discriminis nota recensuerunt: ejusdem erroris tenebræ incubuerunt Italiæ, Galliæ, Angliæ, Africæ, Asiæ, universoque Orbi Christiano, qui per sexdecim sæcula illas versiones usui suo consecravit, suoque calculo comprobavit. Sed quam hæc absurda sint, nemo non videt; quæ fusius exponere, quid est aliud, quam Lectoris benignitate, & patientia abuti?

SECTIO TERTIA.

De Patribus, qui nostros veteris Testamenti Deutero-Canonicos in Scripturarum sacrarum Canone clare, & distincte collocarunt.

VEterum Patrum testimonia ad defendendam nostrorum Deutero-Canonicorum divinam authoritatem allaturi, ab iis ordimur, qui eos expresse in Canone constituerunt. Memorabile illud est, & efficax nobis videtur argumentum, quod petitur e sacrorum librorum Canonibus, quos vel Concilia condiderunt, vel Patres proposuerunt: ideo huic argumento peculiariter immorantes, demonstrare jam aggredimur, Scripturarum Canones, in quibus nostri Deutero-Canonici continentur, non potuisse a sanctis Patribus confici, nisi ejusdem authoritatis cum Proto-Canonicis ab illis agniti fuerint.

CAPUT I.

De Conciliis Carthaginensi, & Romano.

Conc. Carthag. NON una est Chronologistarum sententia circa tempus, quo celebrata est Synodus Carthaginensis; nonnulli eam referunt ad annum 397. plurimi ad annum 419. cæteri docent, Canones, qui huic Synodo tribuuntur, in variis Ecclesiæ Africanæ Synodis fuisse sancitos. Trina hæc sententia magnos sibi vindicat authores tum ex veteribus, tum e recentioribus, quorum hic ambitiosum catalogum texere, & rationum momenta ponderare nobis in præsens non vacat. Quidquid sit, non erit arduum ex Canone 27. qui Concilio Carthaginensi assignari solet, aperte demonstrare, quænam IV. Sæculo circa nostros Deutero-Canonicos Ecclesiæ Africanæ fuerit doctrina. Ecce Canon: „ Placuit, ut „ præter canonicas Scripturas nihil in Ecclesia legatur: „ sunt autem Canonicæ Scripturæ, Gen. Jesu Nave, „ Judith, Ruth, Reg. 4., Paralip. 2., Job, Psalt. „ Salomonis libri 5., Proph. lib. 12., Esai. Jeremias, „ Ezechiel, Daniel, Tobias, Judith, Hester, Esdræ „ lib. 2., Machabæorum lib. 2. “

Qui Conciliorum collectionem adornarunt, ubi laudatum Canonem referunt, hæc observant; scilicet sacros Scripturæ libros dici Canonicos; 1. Quia fidei nostræ, & morum regulæ sunt; 2. Quia Canones Ecclesiæ eos recipiunt; 3. Quia in sacrorum librorum indice ab Ecclesia sunt descripti.

Duplicem hic objectionem præsentio. Prior petitur ex collectione Cresconii Africani Episcopi, in qua nostri Deutero-Canonici non comparent. Verum hanc omissionem abunde compensat collectio Dionysii Exigui, in qua nostri Deutero-Canonici simul cum Proto-Canonicis reperiuntur. Dionysio suffragatur Justellus in sua editione cum omnibus fere manuscriptis, quæ integrum Canonem repræsentant. Nihil de istis editionibus Canonis Concilii Africani proprio marte scribimus: consulantur, & veritas dictorum manifesta fiet.

loco 1. De sacra Script. Posteriorem objectionem eo proponit modo Gerhardus: „ Concilium Carthaginense est particulare; ergo „ non potest fidem indubitatam de libris Canonicis fa„ cere “. Sed huic difficultati occurrimus asserentes, Concilium Carthaginense in determinando Scripturarum Canone non fuisse quidem inconcussæ authoritatis, quia Conciliis peculiaribus inerrantiæ privilegium Christus non promisit; maximi tamen pretii esse debet & maximæ utilitatis, quippe antiquam Ecclesiæ Africanæ fidem exhibet; quæ quidem fides si jungetur cum authoritate Patrum, qui nostris Deutero-Canonicis ut libris

divinis, vel etiam Canonicis teſtimonium perhibent, potuit eſſe motivum legitimum, quo Synodus Tridentina Œcumenica eos in Canonem referret.

Anno 494. Synodus quædam Romana vulgo celebrata creditur Gelaſio Præſide; ſtatuit illud Concilium, tres eſſe librorum ordines; horum primus ſacros utriuſque Teſtamenti libros tum Proto-Canonicos, tum Deutero-Canonicos complectitur. Secundus libros non quidem ſacros, ſed probatos ab Eccleſia recenſet, ut decreta Synodorum Œcumenicarum, Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, Epheſinæ, Chalcedonenſis, &c. quas excipiunt opera Sanctorum Patrum, ut Cypriani, Baſilii, Athanaſii, &c. Ordo tertius libros apocryphos, & ab hæreticis elaboratos includit. „ Cætera (inquit hujus Con„ cilii decretum) quæ ab hæreticis, ſive ſchiſmaticis „ conſcripta, vel prædicata ſunt, nullatenus recipit „ Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, e quibus pauca, „ quæ ad memoriam venerunt, & a Catholicis vitan„ da ſunt, credimus eſſe ſubdenda, in primis Arimi„ nenſem Synodum, itinerarium nomine Petri Apoſto„ li, &c.

Nono ſæculo Luitprandus, Ticinenſis Diaconus, egregio præditus ingenio, aperte teſtabatur, Synodi Romanæ Canonem, quem Gelaſianum vocat, univerſæ Eccleſiæ ſuffragio fuiſſe comprobatum. En Luitprandi verba: „ Idem Papa (Gelaſius) breviter adnotavit, „ quid de Scripturis divinis Catholica Eccleſia ſuſci„ piat, &c. “ Sacros deinde libros Scripturæ eodem ordine, & numero, quo Gelaſius, recenſet.

Anno 1528. Eminentiſſimus Cardinalis Duprat, Archiepiſcopus Senonenſis Pariſiis concilium habuit, cui Provinciæ Senonenſis Epiſcopi interfuere. Definierunt, ut qui „ Canonem Concilii Carthaginenſis, Innocentii, „ & Gelaſii non ſequerentur, inter hæreticos, & ſchiſ„ maticos eſſent computandi “.

De hoc tamen Synodi Romanæ, ſeu Gelaſii decreto nonnulli ambigunt; eorum dubium petitur ex eo quod in Dionyſii Exigui collectione inter alia Gelaſii ſummi Pontificis decreta non reperiatur; nec iſta pars Gelaſiani decreti habeatur apud Gratianum, qui partem alteram laudavit, & retulit. Quid quod ſanctus Yvo Carnotenſis decretum illud Gelaſio ſummo Pontifici abjudicat? unde fit, ut iſtius decreti incerta admodum videri debeat authoritas. *Diſt. 15.*

Verum iſta difficultas non aliam ob cauſam urgeri poteſt, quam quia cauſæ a Calviniſtis ſuſceptæ incommodat decretum modo laudatum; volo illud e Gelaſio non fuiſſe profectum; numquid minoris erit authoritatis, ſi ab altero Pontifice, aut Concilio latum fuerit? Nemo ſane negaverit, ſacrum eſſe venerandæ antiquitatis monumentum. Vetuſtiſſimus codex collectionis a Dionyſio Exiguo continuatæ, quem ſecum communicatum a Luca Dacherio Baluzius aſſerit, hoc decretum Damaſo Papæ largitur. Codex Eccleſiæ Urgellenſis, teſte Baluzio, & Ivrenſis, teſte Chifletio, idem Hormiſdæ tribuunt. Codex antiquiſſimus, quo uſus eſt Joannes Pearſonius, Gelaſium agnoſcit authorem; hujuſce codicis cuſtos eſſe creditur Bibliotheca Collegii SS. Trinitatis Cantabrigiæ; cui concinunt Burchardus Wormatienſis Epiſcopus, & Lupus Ferrarienſis Abbas Epiſt. 128. Licet igitur author decreti laudati omnino non innoteſceret, nihil ipſi de ſua authoritate decederet; vi eadem confoderet hæreticos, quibus ſolemne illud eſt, ut quæ venerandæ traditionis decreta adverſari ſibi intellexerunt, hæc continuo negent eſſe legitima, clamentque, ne ſibi noceant, indigna eſſe, quæ fidem aliquam poſſint mereri.

Ex dictis hactenus claret, Eccleſiam Africanam in Synodo Carthaginenſi, & Eccleſiam Romanam ſive in Concilio ejuſdem urbis, ſive in decreto, quod a veteri quodam ſummo Pontifice latum eſt, definiiſſe, ut in indicem ſacrarum Scripturarum referrentur noſtri Deutero-Canonici. Porro, ut recte ſcriptum eſt a Leontio, „ qui Synodis repugnant, non jam contra aliquos, ſed „ contra omnes ſeditionem faciunt “. Seditioſi igitur habeantur Calviniſtæ, qui invitis Synodis Deutero-Canonicos veteris Teſtamenti e ſacroſancto Canone expungunt. *T. 4. parte 2. Bibl. Patrum 1049.*

CAPUT II.

De ſententia S. Auguſtini circa veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos.

IN rejiciendis e Canone noſtris Deutero-Canonicis vix authoritate ſancti Auguſtini uſi ſunt Heterodoxi: ita perſpicue canonicam eorum authoritatem connotat, & defendit, ut nullum illuſtrius de ea veritate teſtimonium deprehendi queat: nec graphice tantum ordinem, quem veteris Teſtamenti Deutero-Canonici obtinent, exhibet; ſed etiam cauſas regulaſque certiſſimas proponit, quibus divina eorum inſpiratio adverſus Heterodoxos propugnari poteſt.

Ne autem gratis illud ita præſidenter ſtatuere videamur, locum ſancti Auguſtini deſcribere, & paulo accuratius excutere nobis liceat: extat lib. 2. *de Doctrina Chriſtiana* cap. 8. his conceptus verbis: „ In cano„ nicis autem Scripturis Eccleſiarum Catholicarum „ quamplurium ſequatur authoritatem, inter quas ſane „ illæ ſint, quæ Apoſtolicas Sedes habere, & epiſtolas „ accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in „ Scripturis canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſiis Catholicis, præponat iis, quas quæ„ dam non accipiunt; in eis vero, quæ non accipiun„ tur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravio„ reſque accipiunt, iis, quas pauciores, minoriſque au„ thoritatis Eccleſiæ tenent. Si autem alias invenerit „ a pluribus, alias a gravioribus haberi, quamquam „ hoc facile inveniri non poſſit, æqualis tamen autho„ ritatis eas habendas puto. Totus autem canon Scri„ pturarum, in quo iſtam conſiderationem verſandam „ dicimus, his libris continetur “. Enumerat ibi ſanctus Doctor Proto-Canonicos hiſtoricos veteris Teſtamenti; „ qui, ut ipſe loquitur, ſibimet annexa tempo„ ra continent, atque ordinem rerum “. Deinde ſic proſequitur: „ Sunt aliæ (hiſtoriæ) tanquam ex diver„ ſo ordine, quæ neque huic ordini, neque inter ſe „ connectuntur: ſicut Job, & Tobias, & Eſther, & „ Judith, & Machabæorum libri .... deinde Pro„ phetæ, in quibus David unus liber Pſalmorum, & „ Salomonis tres, Proverbiorum, Cantica Canticorum, „ & Eccleſiaſtes. Nam illi duo libri, unus qui Sapien„ tia, & alius qui Eccleſiaſticus inſcribitur, de qua„ dam ſimilitudine Salomonis eſſe dicuntur: nam Jeſus „ Sirach eos conſcripſiſſe conſtantiſſime perhibetur, qui „ tamen, quoniam in authoritatem recipi meruerunt, „ inter Propheticos numerandi ſunt “. Recenſitis poſtea libris, qui proprie Prophetæ appellantur, ita ſanctus Doctor concludit: „ His quadraginta quatuor libris „ Teſtamenti veteris terminatur authoritas “.

Nemo non videt, ſanctum Auguſtinum Canoni Scripturarum tres præmiſiſſe regulas, quibus dijudicari facile poteſt, an Scriptura aliqua ſit Canonica, an non. Priores cum Synodo Carthaginenſi ſecutus fuiſſe videtur, ut Canonem a ſe deſcriptum confirmaret; tertiam vero regulam non adhibuit, cum ipſe aſſerverit, vix quaſdam contingere circumſtantias, in quibus locum aliquem poſſet invenire. Supereſt igitur, ut prima aut ſecunda regula ſuffultus veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos in ſacrarum Scripturarum indice concluſerit. Quod ſi prima regula, quæ ex univerſo, & unanimi Eccleſiarum conſenſu petitur, motus non fuerit ſanctus Doctor, ut libros Tobiæ, Judith, &c. veluti Canonicos agnoſceret; ſaltem ſecunda regula uſus eſt, quæ ſic ſe habet: „ In eis vero, quæ non accipiuntur ab omnibus „ Eccleſiis Catholicis, præponat eas, quas plures, gra„ vioreſque accipiunt, iis, quas pauciores, minoriſque „ authoritatis Eccleſiæ tenent “. Quocirca Auguſtini tempore multitudo Eccleſiarum graviorum inter canonicas Scripturas recenſebat Tobiam, Judith, &c. dum pauciores Eccleſiæ, nec tantæ dignitatis iſtos Deutero-Canonicos non ſuſciperent. Fuit ergo illa Eccleſiarum, ſanctorumque Patrum praxis, ac conſtans doctrina, ut paucitatem tanquam certum erroris argumentum conſpicerent; unde neglecta multitudinis Eccleſiarum traditione, & ſententia, fiunt divortia doctrinarum, naſcuntur perpetuæ de dogmatum fidei certitudine contentiones; ingens aperitur campus ad quamlibet novam, & erroneam opinionem, vel propugnandam, vel tolerandam.

Non me latet, quid ſit reſponſurus P. Martianæus, ſcilicet ſanctum Auguſtinum, & Concilium Carthaginenſe, quando Scripturarum Canonem exhibuerunt, non reſpectaſſe ad Proto-Canonicos, & Deutero-Canonicos, quaſi eamdem originem, eamdemque haberent authoritatem. Ecce Martianæi ratiocinium: *De eſſentia eſt Canonis*, inquit, *ut omnes libri, quibus Canon conſecratus conſtat, ab omnibus Eccleſiis accipiatur*. Atqui ſanctus Auguſtinus ſupponit libros, quos in ſuo Canone enumeravit Concilium Carthaginenſe, non eſſe ejuſdem authoritatis, nec ab Eccleſia univerſa ut libros divinos ſpectatos fuiſſe; etenim in iis, quas præſcripſit, regulis expreſſe docet, quaſdam eſſe Scripturas, *quæ ab omnibus Eccleſiis Catholicis accipiuntur* .... quaſdam vero *quæ non accipiuntur ab omnibus, ſed quas plures, gravioreſque Eccleſiæ accipiunt*. Concludit ergo Martianæus, Scripturarum Canonem a ſancto Auguſtino, & Synodo Carthaginenſi *non fuiſſe ita determinatum, & conſecratum, ut omnes libri, quos complectitur, in eodem authoritatis gradu conſtituerentur*. Hanc difficultatem ex Rainoldo Anglo deſumpſiſſe videtur Martianæus; ſic enim ille loquitur prælect. 24. de Scripturis: „ S. Au„ guſtinus gradus quoſdam ponit authoritatis ſacrarum „ Scri- *P. 2. Tract. de Can. Script. cap. 2. §. 2.* *Pag. 202.*

„ Scripturarum, ut majoris ſint authoritatis hæ (Pro-
„ to-Canonicæ), quam illæ (nimirum Deutero-Cano-
„ nicæ)". Similium argumentorum ſegetem apud Rainoldum reperies. Lege ſi licet, & vacat.

Libenter cum Martianæo fatemur, plures a S. Auguſtino, & Synodo Carthaginenſi recenſitos fuiſſe ſacræ Scripturæ libros, qui ab omnibus Eccleſiis pari veneratione, modoque æquali recepti non erant. Tunc temporis de divina noſtrorum Deutero-Canonicorum authoritate dubitarunt nonnulli Patres: at ex illo quorumdam dubio non recte concluderetur, omnes libros, quos ſanctus Auguſtinus, & Concilium Carthaginenſe recenſent, eodem modo ab Eccleſia Africana non fuiſſe receptos. Concilium Carthaginenſe in condendo Scripturarum Canone fecit, quod olim Stephanus Papa peregit in definiendo Baptiſmatis hæreticorum valore. Licet ſanctus Cyprianus, Firmilianus, aliique complures decretum Stephani non receperint, ipſe ſummus Pontifex de fide valorem Baptiſmi hæreticorum definiit. Pariter Synodus Carthaginenſis licet conſpiceret, nonnullas adhuc eſſe peculiares Eccleſias, quæ noſtrorum Deutero-Canonicorum divinæ inſpirationi non omnino patrocinarentur, nihilominus divinum illud privilegium eis competere in ſuo Canone ſtatuit, ac determinavit, prohibuitque, ne in Eccleſia Africana huic definitioni contrarium aliquid edoceretur.

Deinde admiſſo ſemel Martianæi ratiocinio, Auguſtinus, & Concilium Carthaginenſe fidelibus reliquiſſent jus, & poteſtatem diſcernendi, quænam Scripturæ ab omnibus Eccleſiis, quænam a pluribus, & gravioribus tunc reciperentur: ergo temporibus Concilii Carthaginenſis, & ſancti Auguſtini potuerunt fideles revocare ad examen, utrum Pentateuchus, utrum Prophetæ forent libri divinitus inſpirati? Quippe in hypotheſi Martianæa nullus tunc erat Canon, qui determinate Scripturas ſacras definiret; nullus, qui ad certum & conſecratum numerum eas præciſe revocaret: liberi itaque fuerunt fideles, ut numerum Scripturarum majorem pro arbitrio, vel minorem iuſciperent. Quod ſi Martianæi opinio nitatur Auguſtini authoritate, ſibi contradixerit neceſſe eſt ſanctus Doctor, qui loco ſuperius laudato enumeratis omnibus veteris Teſtamenti libris, ſic iſtum claudit numerum: *His 44. libris veteris Teſtamenti terminatur authoritas*. Canonem Scripturarum ab Eccleſia ſaltem Africana ævo ſancti Auguſtini jam determinatum, & conſecratum fuiſſe expreſſius denotat lib. 2. contra Creſconium cap. 31. „ Non ſine cauſa, inquit, „ Canon Eccleſiaſticus conſtitutus eſt, ad quem certi „ Prophetarum, & Apoſtolorum libri pertineant". Et lib. 2. de Baptiſmate cap. 3. „ Quis neſciat, ſacram „ Scripturam tam veteris, quam novi Teſtamenti Ca„ nonicam certis terminis contineri"? Quo quid clarius ad demonſtrandum, in Concilio Carthaginenſi conſecratum fuiſſe Scripturarum Canonem, quem Paſtores, & Eccleſiæ Africanæ fideles acceptare tenebantur?

Quocirca ut paucis contrahatur noſtra ſolutio: prædictas regulas Canoni a ſe deſcripto præmiſit ſanctus Auguſtinus, non ut indicaret, nondum fuiſſe in Eccleſia Africana determinatum, & conſecratum Scripturarum Canonem; ſed ut oſtenderet quas regulas in determinando ſacrorum librorum Canone ſibi Concilium Carthaginenſe præſtituerit.

Quod ſi ipſa reſponſio quibuſdam non arrideat, altera nobis ſuppetit, quæ non minus Heterodoxorum ſententiæ, quam ſyſtemati Martianæi adverſatur. Etenim eo loci ſanctus Auguſtinus non ſolum ſtatuit regulas, quibus libri Canonici a non Canonicis ſecerni poſſent; ſed etiam præſcribit ordinem, quem fideles in legendis Scripturis obſervare debeant. Libro 2. *de Doctrina Chriſtiana*, oſtendit potiſſimum, quemadmodum animo comparatus is eſſe debeat, qui operam ſtudio, & lectioni ſacrarum Scripturarum navaturus ſit. Inter varios ſapientiæ gradus, quos Scripturarum divinarum ſtudioſus indagator aut comparare, aut habere debet, commendat in primis ſanctus Auguſtinus amorem Dei, & proximi cum aliis ſapientiæ gradibus, timoris, pietatis, ſcientiæ, fortitudinis &c. qui cap. 11. Eſaiæ recenſentur: deinde præſcribit ordinem, qui in pervolutandis Scripturis obſervari debet ab eo, qui amorem Dei, & proximi, cæteraſque diſpoſitiones ſibi comparavit: exigit ſanctus Doctor, ut iſte initium faciat ab iis libris, *qui ab omnibus Eccleſiis Catholicis accipiuntur*, poſtea eos legat, *quos plures, gravioreſque Eccleſiæ accipiunt*. Sed cum ſupervacaneum omnino fuiſſet diſpoſitiones legendis Scripturis idoneas aſſignaſſe, niſi inſuper declaretur Canon, in quo libri divini continerentur; ſtatim ſanctus Doctor ſcripturarum indicem a Synodo Carthaginenſi definitum proponit, in quo utriuſque Teſtamenti Proto-Canonicos, & Deutero-Canonicos enumerat.

Lib. 7. de Rep. Eccl. cap. 1. Altera difficultas petitur ex libro *de Prædeſt. Sanctorum* cap. 16. quam Antonius de Dominis ita proponit: „ Cum aliquando Auguſtinus contra Pelagianos li„ bro Sapientiæ uſus fuiſſet, objecerunt ei adverſarii, in „ Galliis librum Sapientiæ non eſſe Canonicum. Non „ igitur omnes Eccleſiæ librum illum pro divino lege„ bant; neque illum in Canone vere divinorum habe„ bant. Nec Auguſtinus reſpondit, librum illum ab o„ mnibus Eccleſiis ut divinum recipi; ſed tantummodo „ librum illum ſua authoritate non carere, quia mul„ ti etiam divinam ei tribuunt authoritatem".

Reſpondeo, Antonium de Dominis reum eſſe malæ fidei. Negat ille, poſt objectionem a Maſſilienſibus propoſitam de libri Sapientiæ authoritate divina a ſancto Auguſtino aſſertam fuiſſe ejuſdem libri inſpirationem. Nihil abſurdius, nihil a ſancti Doctoris conſilio alienum magis: ipſum loquentem audiamus: „ Non debuit repudiari ſen„ tentia libri Sapientiæ, quæ meruit in Eccleſia Chriſti „ de gradu Lectorum Eccleſiæ Chriſti tam longa an„ noſitate recitari, & ab omnibus Chriſtianis, ab Epi„ ſcopis uſque ad extremos Laicos Fideles, Pœnitentes, „ Catechumenos cum veneratione divinæ authoritatis „ audiri". Nullum utique ſanctus Auguſtinus excipit a debito cognoſcendæ authoritatis divinæ, quæ Sapientiæ libro tribui debet; non Epiſcopos, non Laicos fideles, non Pœnitentes, non Catechumenos: agnovit ergo ſanctus Doctor divinam iſtius codicis inſpirationem; hancque prærogativam non tantum conſenſu Eccleſiæ ſui temporis, ſed etiam vetuſta traditione, & *longa annoſitate* libro Sapientiæ vindicavit.

CAPUT III.

De ſententia ſancti Innocentii ſummi Pontificis, Caſſiodori, & Sancti Iſidori Hiſpalenſis.

Innocentius I. ANno circiter 405. ſcripſit Innocentius primus ad Exuperium Toloſanum Præſulem: hæc Epiſtola reſponſoria eſt ad literas, quibus ſummum Pontificem de rebus tum fidei, tum diſciplinæ conſuluerat Exuperius. Laudatur in ea Epiſtola Præſul Toloſanus „ quod „ ſecutus inſtitutum (prudentium) præcedentium ad „ ſedem Apoſtolicam referre maluerit, quid de rebus „ fidei cuſtodire deberet, potius quam uſurpatione præ„ ſumpta, quæ ſibi viderentur de ſingulis obtinere". Elucidatis ab Innocentio variis difficultatibus, quas ipſi propoſuerat Exuperius, tandem ſummus Pontifex ſacrorum librorum Canonem, quem ſequebatur Eccleſia Romana, Epiſcopo Toloſano obſervandum præſcribit: „ Qui „ libri, ait Innocentius, recipiantur in Canone Scriptu„ rarum, brevis annexus oſtendit: Moyſis libri 5., Je„ ſus Nave, Jud. Regnorum 4. ſimul & Ruth, Pro„ phet. lib. 16. Salomonis lib. 5. Pſalterium. Item hi„ ſtoriarum, Job, Tobias, Eſther, Judith, Machab. „ 2. Eſdræ 2. Paralip. 2. " *Ex his* perſpicuum eſt, ab Innocentio in numero *Scripturarum* relatos fuiſſe veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos.

A vero aberrat Martianæus cum aſſerit „ ex Epiſto- *Part. 2. du*
„ la Exuperii evidenter concludi, nullum tunc in Ec- *Canon c. 3.*
„ cleſia univerſa extitiſſe Canonem conſecratum. *La* *ſ. 3.*
„ *conſultation de l'Evêque de Toloſe nous fait connoî„ tre, que il n'y avoit pas encore dans toutes les Egli„ ſes un canon des Ecritures conſacré*.

At terrere non debet illa difficultas, quæ ad ſummum evincit, Canonicam noſtrorum Deutero-Canonicorum authoritatem nondum omnino fuiſſe Exuperio compertam. Quamquam tamen Canon Scripturarum erat jam conſecratus, quem veluti perfectum plures gravioreſque Eccleſiæ præſertim Apoſtolicæ ſpectabant. Non diffitemur, Eccleſias quaſdam numero pauciores olim dubitaſſe de cæleſti Deutero-Canonicorum veteris Teſtamenti inſpiratione: at inde perperam concluderetur, nullum extitiſſe Canonem conſecratum, quo Scripturæ ſacræ a cæteris libris ſecernerentur: ſicut non recte concluderetur, Symbolum Nicænum minime eſſe conſecratum, quia in eo fidei omnes articuli non reperiuntur: Canon igitur Scripturarum in nonnullis Eccleſiis erat imperfectus; ſed ſemper conſecratus.

Caſſiodorus Caſſiodorus Senator Romanus initio VI. Sæculi uſque ad annum 562. & ultra claruit: lib. *de Inſtit. divinar. Liter.* cap. 13. commemorat Scripturarum diviſionem, quam ſanctus Auguſtinus confecerat: „ Scriptura „ divina, inquit, ſecundum B. Auguſtinum in Teſta„ menta duo ita dividitur, id eſt in vetus, & novum. „ In hiſtoria ſunt libri 22. ideſt, Moyſi libri quin„ que, Jeſu Nave liber unus, Judicum liber unus, Ruth „ liber 1. Regum libri 4. Paralipomenon lib. 2. Job li„ ber unus, Tobiæ liber unus, Eſther liber unus, Ju„ dith liber unus, Eſdræ libri duo, Machabæorum li„ bri duo. In Prophetis libri 22. David Pſalmorum „ liber unus, Salomonis libri 4. Jeſu filii Sirach liber „ unus, Prophetæ majores quatuor, & minores duode„ cim". Recenſitis poſtea novi inſtrumenti libris, ſic

„ con-

concludit. „ Beatus igitur Auguſtinus Scripturas divinas „ ſeptuaginta unius librorum calculo comprendit; quibus „ cum ſanctæ Trinitatis addideris unitatem, fit totius „ libri complectens, & glorioſa perfectio “.

Cap. 14. inſtituit ſacrarum Scripturarum diſtributionem, prout in verſione Itala exhibebatur: de ea cap. 1. Sect. 2. diſſeruimus.

Verum quia poſſet objici Caſſiodoro, iſtas diviſiones redundare ſupra modum, quippe quæ libros ſacros majori numero contineant, quam quæ ab aliis Patribus de ſacris Scripturis adornatæ ſunt; paratam habebat hanc ſolutionem Caſſiodorus: „ Licet multi Patres, ideſt S. „ Hilarius Pictavienſis urbis Antiſtes, Rufinus Presbyter „ Aquilejenſis, & Epiphanius Epiſcopus Cypri .... „ non contraria dixerint, ſed diverſa: omnes tamen per „ diviſiones ſuas libros divinos Sacramentis competenti- „ bus aptaverunt; ſicut & in Evangeliſtarum concordia „ probatur effectum: ubi una quidem eſt fides rerum, „ ſed diverſa ratio ſermonum. Sed quoniam prædictus „ pater Auguſtinus in lib. 2. memorati operis (id eſt, „ *de Doctrina Chriſtiana*) commonet ita dicens: Lati- „ ni codices, ideſt veteris novique inſtrumenti, ſi ne- „ ceſſe fuerit, Græcorum authoritate corrigendi ſunt: „ unde ad nos poſt hebræum fontem translatio cuncta „ pervenit: ideoque vobis Græcum pandectem reliqui „ comprehenſum in libris 74. &c. “ Huc uſque Caſſiodorus, cujus verba ita clara ſunt, ut cujuſvis oculos, animumque opportune feriant.

Pene e memoria exciderant, quæ cap. 6. Caſſiodorus retulit de quodam Presbytero, quem Bellatorem nuncupat: hic, teſte Caſſiodoro, libros Tobiæ, Eſtheræ, Judith, Machabæorum ingenti cum labore expoſuerat. „ Tobiæ, inquit Caſſiodorus, in libris ſex, Judith in „ libris ſeptem, Eſther in libris ſex, & Machabæo- „ rum in libris 10. “.

S. Iſidorus Hiſpalenſis.

Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis fratri ſuo Leandro in ſede Hiſpalenſi ſucceſſit anno 595., obiit vero anno 636. Libr. 6. *Originum* plurima occurrunt, quæ divinam noſtrorum Deutero-Canonicorum authoritatem apprime commendant. Accipe quæ cap. 1. docuit: „ Quartus eſt, „ inquit, apud nos ordo veteris Teſtamenti, eorum- „ que librorum, qui in Canone hebraico non ſunt. Quo- „ rum primus Sapientiæ liber eſt; ſecundus Eccleſiaſti- „ cus; tertius Tobias; quartus Judith; quintus & ſex- „ tus Machabæorum: quos licet Hebræi inter apocry- „ pha ſeparent, Eccleſia tamen Chriſti inter divinos li- „ bros honorat, & prædicat “. En noſtri Deutero-Canonici inter ſacras Scripturas ab Eccleſia relati. Cap. 2. enumeratis utriuſque Teſtamenti & Proto-Canonicis, & Deutero-Canonicis ſubjungit: „ Hi ſunt Scripto- „ res ſacrorum librorum, qui per Spiritum Sanctum lo- „ quentes ad eruditionem noſtram, & præcepta viven- „ di, & credendi regulam conſcripſerunt “. Hæc ſanctus Iſidorus præclare, ut videtur, & magno cum judicio ſcripſit, tum iis quæ ſupra ex Sancto Auguſtino, Synodo Carthaginenſi &c. retulimus conſentanea, tum ad Concilii Tridentini definitionem de noſtris Deutero-Canonicis roborandam utiliſſima.

Mentem ſuam clarius adhuc aperit ſanctus Præſul. *Lib. Prœmiorum* ipſum audiamus: „ Ex quibus qui- „ dem libros Tobiæ, & Judith, & Machabæorum „ Hebræi non recipiunt; Eccleſia tamen eoſdem inter „ Canonicas Scripturas enumerat “. De gemino Sapientiæ, & Eccleſiaſtici libro paulo poſt aſſerit „ quod in „ Eccleſia parem cum reliquis Canonicis libris tenere „ noſcantur authoritatem “. Unde illud certo conficitur, noſtros Deutero-Canonicos ſi non ab univerſa Eccleſia, ſaltem a majori, & nobiliori parte in Scripturarum Canone fuiſſe conſtitutos.

Nono ſæculo ſanctum Iſidorum ſecutus Rabanus Maurus primum Abbas Fuldenſis, deinde Archiepiſcopus Moguntinus. Hic ſacrarum Scripturarum indicem a ſe relatum, & ex ſancto Iſidoro, aliiſque Patribus derivatum concludit ipſis ſancti Iſidori verbis: *Hi ſunt Scriptores ſacrorum librorum, qui per Spiritum Sanctum loquentes, &c.* Unum hic obſervare juvat, religioſiſſimum illum Præſulem opera ſua, ea præſertim, quæ in ſacras Scripturas edidit, ex ſanctorum Patrum ſententiis, & placitis contexuiſſe: quocirca cum Rabanus Maurus noſtros Deutero-Canonicos in claſſe divinorum librorum repoſuit, ad nos tranſmiſit, quæ de illis vetus admodum traditio ſenſit.

Coment. in Script.

CAPUT IV.

De quibuſdam Eccleſiæ Latinæ monumentis, quæ veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos in Canone repoſuerunt.

HUmfredus Hody cap. 4. col. 74. *de librorum Biblicorum numero, & ordine* citat quoddam Sacramentarium Gallicanum ante annos mille exaratum, in quo quatuor veteris Teſtamenti codices Deutero-Canonici ſimul cum Proto-Canonicis diſtincte recenſentur. Ita legitur: „ Incipit capitulus de vetere (Teſtamen- „ to) canonizatus. Liber Geneſis, Exodus, Leviti- „ cum, Numeri, Deuteronomium, Joſue, Judicum, „ libri Mulierum, Ruth, Eſther, & Judith, Macha- „ bæorum libri duo, Job, & Tobias libri ſinguli. Re- „ gum 4. Prophetarum libri 16. Davidicum 5. Salo- „ monis 3. Proverbia, Eccleſiaſtes, & Canticum Can- „ ticorum, Eſdra unus. Fiunt libri veteris Teſtamenti „ numero 44. “ Deſunt in eo Canone libri Sapientiæ, & Eccleſiaſtici; ſed advertendum eſt, imperfectam eſſe enumerationem, quippe capitulus ille aſſerit 44. eſſe veteris Teſtamenti libros, cum tamen 43. duntaxat recenſuerit.

Columna 75. refert Humfredus Hody alterum Scripturarum indicem, quem Eugenio III. Toletano tribuit; ejus tamen ætatem non ſatis exploratam habet. In eo Indiculo ita ſacri codices ordinantur: „ Regula quos fi- „ dei commendat noſcere libros, hæc noſtra præſens „ Bibliotheca tenet. Legis 5. vol. Joſ. Sophtim, Ruth, „ Reg. 4. Proph. 16. Job. Pſalt. Salomon. Verba die- „ rum. Eſdræ, Eſther. Sap. Jeſu, Tobia, Judith, „ Machabæorum: hic Teſtamenti veteris finiſque, mo- „ duſque “.

S. Yvo Cœnobii ſancti Quintini Bellovacenſis Canonicus Regularis, poſtmodum ejuſdem Abbas, ac tandem Epiſcopus Carnotenſis conſecratus geminam decretorum collectionem in lucem emiſit: unam breviorem, quæ *pannormia*, vel *pannomia* inſcribitur: prolixiorem alteram in partes 17. diſtinctam, quæ Yvonis decretum ſimpliciter nuncupatur. In hac ſecunda collectione Canon Scripturarum exaratus ita cernitur: „ De ordine „ librorum veteris Teſtamenti Gen. &c. Jeſu 2. Jud. „ Reg. 4. Ruth. Paralip. 2. Pſalmi 150. Salomonis 3. „ Job, Tobiæ, Eſdræ, Heſter, Judith, Machabæo- „ rum &c. “ Deſunt quidem Sapientia, & Eccleſiaſticus; quod vitio Amanuenſis factum videtur, qui ubi agitur de libris Salomonis numerum 3. ſcripſit pro numero majori 5. Hæc conjectura nititur authoritate Yvonis, qui teſtatur ſe in Burchardi Canone acquieviſſe. Porro in Burchardi editione id legitur: Salomonis 5. & Machabæorum 2.

Doctiſſimus Cotelerius in ſuo de Epiſtola ſancti Barnabæ judicio latinam edidit Stichometriam, quæ extat manuſcripta in duobus codicibus, altero olim Puteanorum Fratrum, nunc Chriſtianiſſimi regis; altero eruditorum Benedictinorum ſancti Germani Pratenſis. Illic ſimul cum Proto-Canonicis veteris Teſtamenti libris comparent Deutero-Canonici, ſcilicet Sapientia, Sapientia Jeſu.... Machabæorum liber primus, & ſecundus, Judith .... Eſther .... Tobias. *T. 1. p. 8.*

Petrus a Natali, Galliæ ad Ligerim oppido cognomento Bleſenſis, Bathonienſis in Anglia Archidiaconus, & Cantuarienſis Archiepiſcopi Cancellarius circa finem XII. Sæculi floruit. Author ille eſt opuſculi cujuſdam *de diviſione, & Scriptoribus ſacrorum librorum*. Diviſioni, quam in tres ordines ab Hebræis fuiſſe inſtitutam dicit, ſubjungit quartum hunc ordinem: *Quartus*, inquit, *eſt apud nos veteris Teſtamenti ordo eorum librorum, qui in Canone Hebræorum non ſunt: quorum primus Sapientiæ liber eſt; ſecundus Eccleſiaſticus; tertius Tobias; quartus Judith; quintus & ſextus Machabæorum, quos licet Judæi inter apocryphos ſeparent; Eccleſia tamen Chriſti inter divinos libros & honorat, & prædicat.*

In immenſum creſceret illud caput, ſi cæteros Eccleſiæ latinæ Scriptores, noſtrorumque Deutero-Canonicorum Patronos longiori agmine producerem, infiniti quippe numero ſunt, quos in promptu habeo; ne vero lectori faſtidio ſint, ad eorum tantum nomina intendam digitum. Conſulantur itaque Alexander Necham in libro verſibus ſcripto, cui tit. *Libri Bibliothecæ*. Guillelmus Brito in correctionibus nominum hebræorum. Manuſcriptum Lambeth. Liber dictus *Mamotrectus ſuper Biblia* Ven. anno 1479. typis editus. Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis paſſim in ſuis commentariis, & Præfatione in Scripturas. Antonius Dathus orat. de laud. ſancti Hieron. Joannes Picus Mirandula in ſuis quæ ſuperſunt operibus. Pluribus haud opus eſſe reor, cum præſertim cuivis in Traditione fideliter verſato notum ſit, me nihil hac in re ſine majoris partis veterum conſenſu aſſeruiſſe.

CA-

CAPUT V.

De mente Concilii Florentini, ſeu Bullæ Eugenii IV. ad Jacobitas.

BArtholomæus Carrança Dominicanus, & Archiepiſcopus Toletanus Summam Conciliorum publici juris fecit, quæ pluries, & vario volumine fuit edita. Decreto ad Armenos inſeruit alterum decretum, quod ad Jacobinos, ſeu Jacobitas direxit Eugenius IV. In hoc autem Scripturis Canonicis accenſentur noſtri Deutero-Canonici: inde nata eſt illa opinio Theologorum, quod decretum ad Armenos authoritatem Deutero-Canonicorum veteris Teſtamenti aſtrueret. Secerni igitur debet decretum ad Armenos a decreto ad Jacobitas; hoc unum poſtremum fidei profeſſionem de libris Canonicis complectitur, quæ conceptis verbis ita exhibetur: „ Sa„ croſancta Romana Eccleſia Domini, & Salvatoris „ noſtri voce fundata .... unum, atque eundem Deum „ veteris, & novi Teſtamenti .... profitetur autho„ rem: quoniam eodem Spiritu Sancto inſpirante utri„ uſque Teſtamenti Sancti locuti ſunt, quorum libros „ ſuſcipit, & veneratur, qui titulis ſequentibus conti„ nentur. Quinque Moyſis .... Joſue, Judicum, „ Ruth, quatuor Regum, duobus Paralipomenon, Eſ„ dra, Nehemia, Tobia, Judith, Eſther, Job, Pſal„ mis David, Parabolis, Eccleſiaſte, Canticis Canti„ corum, Sapientia, Eccleſiaſtico, Iſaia, Jeremia, „ Baruch, Ezechiele, Daniele, duodecim Prophetis „ minoribus, ideſt Oſea, Joele, Amos, Abdia ...., „ duobus Machabæorum, &c. “

Circa decretum ad Jacobinos, ſeu Jacobitas geminam movemus quæſtionem; in prima inquirimus, utrum cum decreto ad Armenos unum ſit & idem decretum. In ſecunda, an ſit genuinum vel Eugenii IV. vel Synodi Florentinæ opus, an vero adulterinum, & ſpurium.

Prima Quæſtio.

Non otioſe movetur iſta difficultas, an decretum ad Jacobitas ſit unum, & idem cum decreto ad Armenos. Carrança utrumque primus confudiſſe viſus eſt; hunc Theologi ſine examine ſecuti ſunt, qui authoritate decreti ad Armenos Deutero-Canonicorum veteris Teſtamenti fidem Canonicam propugnarunt: attamen non in iſto, ſed in decreto ad Jacobitas divina authoritas Deutero-Canonicorum definita eſt.

Diſcrimen, quod inter utrumque decretum exiſtit, facile deprehenditur. 1. Quidem ex initio: decretum ad Armenos ita incipit, *Exultate Deo adjutori noſtro &c.* ad Jacobitas autem ſic exorditur, *Cantate Domino, quoniam magnifice fecit &c.* 2. Ex tempore: decretum ad Armenos datum eſt decimo Kalendas Decembris anno 1439. quatuor poſt Græcorum diſceſſum menſibus: alterum ad Jacobitas datum fuit pridie nonas Februarii anno 1441. 3. Ex rebus contentis: in decreto ad Armenos ritus Sacramentorum novæ legis ad normam Eccleſiæ Occidentalis præſcribuntur, qui tamen in decreto ad Jacobitas omittuntur. 4. Ex ſubſcriptionibus: etenim major Epiſcoporum numerus decreto ad Armenos, quam decreto ad Jacobitas ſubſcripſit. Demum ſola, ac ſimplex utriuſque decreti lectio differentiam utriuſque evidenter denotat; quam ſi velim fuſius proſequi, res erit magni operis, mihi, & Lectori forſan injucunda.

Secunda Quæſtio.

Rainoldus Anglus prælectione 41. de libris apocryphis pag. 390. audacter aſſerit, decretum ad Jacobitas non eſſe genuinum vel Eugenii IV. vel Concilii Florentini fœtum. Ecce loquitur Rainoldus: „ Non „ fuiſſe hoc decretum a Concilio Florentino, ſed „ ab impudenti aliquo falſario ſub Eugenii nomine ſup„ poſitum, teſtantur omnia exemplaria “. Hæc aſſerit Rainoldus, & (quod moleſte fero) multa cum fiducia dicit: ſpecioſis quidem nititur conjecturis, quæ tamen authenticis monumentis repugnant, quas nec temere, nec ſine ſolutione nec dubitanter rejicimus.

Primum monumentum petimus ex tomo 1. Actorum Concilii Tridentini, quæ in Arce ſancti Angeli Romæ aſſervantur. 26. Februarii anno 1546. cum Epiſcopus Dodienſis in Congregatione Generali de Bulla unionis Jacobitarum difficultatem moviſſet, quaſi a Concilio Florentino non peracta fuiſſet; Cardinalis a Monte reſpondit, Bullam Jacobitarum manu Eugenii IV., & Cardinalium ſubſcriptam, fuiſſe a ſe viſam una cum aliis actis, quæ Romæ in Arce ſancti Angeli aſſervantur. 23. Martii ejuſdem anni, cum eandem difficultatem attigiſſet Epiſcopus Caſtelli Maris, eadem dixit Cardinalis ſanctæ Crucis: addidit inſuper, „ Bullam „ Jacobitarum fuiſſe editam in publica ſeſſione, præſen„ tibus Cardinalibus Beſſarione, & Rutheno “.

2. Feſulis prope Florentiam extat in Conventu Fratrum Ordinis Minorum ſancti Franciſci Bullæ ad Jacobitas archetypum, ſubſcriptionibus Eugenii IV. & Cardinalium munitum. Adeſt etiam in codice Vaticano exemplar ejuſdem Bullæ tranſumptum de mandato, & authoritate Apoſtolica Leonis Papæ X. Accedit quod decretum ad Jacobitas cum inſertione decretorum pro Græcis, & Armenis editum typis fuerit Venetiis *apud Lucam Antonium de Giunta* anno 1514.

Unio Jacobitarum cum Eccleſia Romana verſibus deſcripta legitur in valvis æneis Baſilicæ ſancti Petri tempore Eugenii IV.

Sunt hæc Eugenii monumenta illuſtria quarti:
Excelſa hæc animi ſunt monumenta ſui.
Ut Græci, Armeni, Æthiopes, hic aſpice, ut ipſam
Romanam amplexa eſt gens Jacobita fidem.

Hæc dubitare non ſinunt, ſicut ad Græcos, & Armenos, ita ad Jacobitas ab Eugenio IV. decretum fuiſſe directum.

4. Ludovicus Hartmannus tom. 4. *Conciliorum illuſtratorum Pericope* 15. *Sylloge* 5. *de Concilio Ferrarienſi-Florentino*, cenſet, decretum ad Jacobitas in eadem Synodo confectum fuiſſe. „ Multa, inquit, jactant Scri„ ptores Pontificii de unione Armenorum, & Jacobi„ tarum in hoc Concilio (Florentino) cum Eccleſia „ Romana .... primum conſtitutus eſt Canon Scriptu„ ræ libros apocryphos (ita vocat veteris Teſtamenti „ Deutero-Canonicos) complectens “. Adeſt Heterodoxus, qui decretum ad Jacobitas, in quo cum cæteris Scripturis recenſentur Deutero-Canonici, Concilio Florentino adſcribit; non igitur cenſet Summæ Carrançæ adulterina manu fuiſſe inſertum.

Quominus in noſtram ſententiam tot firmatam argumentis pede tardo, vel timido deſcendat quiſpiam: nunc ad ea quæ objici poſſunt totis viribus incumbamus.

Horum omnium eſt quod opponit Rainoldus prælect. 41. p. 391. „ Petrus Crab, inquit, in prima ſua edi„ tione ante Carrançam ait, ſe pluſquam quingentas Bi„ bliothecas perluſtraſſe per varias regiones. In ſecun„ da editione dicit, alia conquiſiviſſe exemplaria, iiſque „ conſultis multa priori editioni adjeciſſe, idque poſt„ quam Carrança Summam ſuam ediderat, & tamen „ nullam ille hujus decreti mentionem facit “. Pag. 392. Rainoldus hæc habet: „ Joverius Theologus Pa„ riſienſis Conciliorum, & Pontificum decreta in com„ pendium redegit cum hac *inſcriptione*, ſanctiones „ tam ſynodicæ, quam Pontificiæ. Is Carrançam lau„ dat ut non minus pium, quam eruditum; tum red„ dit rationem, quare poſt eum hoc opus aggreſſus fue„ rit; tametſi multa ab aliis comportata adjecerit; hoc „ tamen ad Jacobinos decretum non putavit adjungen„ dum “. Unde concludit Rainoldus, decretum ad Jacobitas fuiſſe Summæ Carrançæ peregrina manu inſertum, adeoque eſſe ſuppoſititium.

Ab ea difficultate, ſpecioſa licet, non eſt quod multum metuamus; quippe ſi Petrus Crab codices Vaticanos, & Bibliothecam Fratrum Minorum Feſulanorum adiiſſet, is ſane & Bullam ad Jacobitas primigeniam, & ejus exemplar authenticum reperiiſſet, ut ſupra monuimus.

Mirum ſane nobis non videtur, quod Joverius decretum ad Jacobitas ſuis ſanctionibus non inſeruerit; potuit enim illud ſuppoſitionis ſuſpicari; quia, teſte Horatio Juſtiniano, iſtius Bullæ archetypum inter acta Concilii Florentini non fuit primo editum, tardiuſque ad cognitionem pervenit: quocirca cum illud decretum in primis Concilii Florentini editionibus non compareret: veriſimile eſt, quod Joverius iſtius decreti γνησιότητα in dubium revocaverit. Ut ut ſit de Joverii judicio, certe adverſus authoritatem monumentorum, quæ modo laudabamus, prævalere non debet. Adde tamen, quod ſupervacaneum non erit adnotare, omnia Concilii Florentini acta ſimul & eodem tempore manibus publicis non fuiſſe credita. Ætate iſtius Synodi ars typographica nondum omnino reperta erat, paulo poſt reipſa apparuit: at immenſa actorum Concilii prolixitas, quæ ex temporis diuturnitate, qua duravit Synodus, vel ex rerum multiplicitate, quæ agitatæ fuerunt, profecta eſt, propter typorum minorem, ac rerum numerum cito typis mandari non potuit. Cæterum, qua par eſt cura in archivis Pontificiis, & Florentinis aſſervantur, non tamen inacceſſis aditis, ut nonnulli inique affirmarunt, quin eadem pluribus per varias occaſiones & communicata, & commodata fuerint.

Præf. in Coll. act. Concil. Flor.

Ad noſtram ſententiam labefactandam alterum arietem

tem admovet Rainoldus pag. 394. En ejus momentum: „ Dicam, imperitiam falsarii illius convinci ex eo, quod „ dicit Manichæos duo constituisse principia, unum vi„ sibilium, alterum invisibilium .... non tam imperiti „ Patres Concilii Florentini fuerunt, ut dicerent, Ma„ nichæos statuere duo principia, alterum visibilium, „ alterum invisibilium: non tam imperiti fuerunt, quos „ Eugenius dicit viros juris divini, & humani doctis„ simos, ut in re tam aperta fallerentur “. (Loquitur Rainoldus de Oratoribus quos Eugenius delegerat, ut unionem cum Jacobitis pertractarent); pergit deinde Rainoldus: „ Quis enim nescit, Manichæos non aliud „ principium visibilium, aliud invisibilium posuisse; sed „ aliud boni, aliud mali, ut Augustinus docet de hæ„ resibus ad Quod-vult-Deum cap. 46.? “

Authores decreti ad Jacobitas calumniatur Rainoldus, dum asserit, eos lapsos fuisse in determinanda Manichæorum hæresi. Quis enim ignorat, Manichæos fluctuasse omni vento doctrinæ? Nemo nescit, hanc esse hæreseos indolem, ut in suis dogmatibus sit inconstans, & versatilis: illa ad omnes de religione sententias inhiat; fluctuat tot abrepta doctrinarum ventis in diversa pellentibus, quot varias pugnantesque sectas una sequitur; tot partibus lacera distrahitur hæresis, quot illam formæ superstitionum contrariæ dividunt: atque hujus in suis dogmatibus inconstantiæ, & contradictionis merito inter cæteros accusari possunt Manichæi, qui nova identidem excogitabant systemata, nec unum quidem speciosum adinvenire potuerunt; qui relicto priori dogmate erroneo ad alterius pejoris defensionem sæpius properabant. Hujus rei testem appello Baylium. Hic articulo *Manichéens* nostræ solutioni gallico idiomate ita suffragatur. *On rapporte en plusieurs manieres la doctrine & la conduite des Manichéens; ce qui vient sans doute, ou de ce qu' ils ont varié d' un siecle à l' autre, ou de ce que leurs Docteurs contemporains ne s' expliquoient pas de la même sorte.... Par les fragmens de leur systeme que l' on rencontre dans les Peres, il paroit évidemment que cette Secte n' étoit point heureuse en hypotheses quand' il s' agissoit du détail. Leur premiere supposition étoit fausse, & elle empiroit entre leurs mains par leur peu d' adresse & d' esprit à l' expliquer & à l' appliquer.* Hæc Baylius, cujus testimonium Rainoldo suspectum esse non debet, cum ex hoste fidei nostræ Catholicæ proficiscatur: hoc equidem demonstrat, Manichæos non ita in suis principiis fuisse constantes, quin pro ingenii vel defectu, vel levitate sæpius ea mutaverint.

Dict. Hist.

Urget Rainoldus pag. 397. verisimile non esse, sanctum Antoninum Archiepiscopum Florentinum, qui Concilio Florentino interfuit, Alphonsum Abulensem .... Ludovicum Vivem, Theologos deinde alios a tempore Concilii Florentini fuisse hos libros in apocryphis numeraturos, si Concilium Florentinum sententiam hanc damnasset; præsertim quod habeatur Œcumenicum.

Respondeo 1. S. Antoninum ad mentem Hebræorum locutum fuisse, cum Deutero-Canonicos veteris Testamenti nuncupavit apocryphos. Ipsum audiamus summa Theol. part. 3. tit. 18. cap. 6. §. 2. postquam divisionem Scripturarum juxta Hebræos instituit, scilicet in legem, Proph. & Agiogr. hæc subnectit: „ Quar„ tam partem, quam tamen non ponunt ipsi Hebræi in „ Canone Scripturarum sanctarum, sed appellant apo„ crypha, faciunt de aliis quinque libris, scilicet Sap. „ Eccles. Judith, &c. “ Et chron. part. 1. tit. 3. cap. 9. §. 12. „ Dividunt Hebræi vetus Testamentum in qua„ tuor partes .... quartam partem appellant apocry„ pha, scilicet librum Sap. Eccl. Judith, &c. “ Quocirca sanctus Antoninus exponit quid de nostris Deutero-Canonicis Judæi senserint, ubi in ipsius operibus appellantur apocryphi.

2. Quod si sanctus Antoninus nostros Deutero-Canonicos in Canone Scripturarum non collocaverit, uti decretum ad Jacobitas statuerat; id non contigit, quasi illud decretum veluti spurium existimaret; absit a sancto Antonino illud nefas: sed id factum est eo quod sanctus Antoninus arbitraretur decretum ad Jacobitas a Concilio Florentino numquam fuisse peractum; etenim duobus annis post discessum Græcorum e Concilio datum fuerat, nec munitum erat subscriptionibus Præsulum omnium Concilii Florentini, sed duntaxat Eugenii IV. & quorumdam Cardinalium; unde S. Antoninus decretum ad Jacobitas Eugenio IV. ipsius authori, non Synodo Florentinæ tribuebat.

3. Etsi sanctus Antoninus nostrorum Deutero-Canonicorum authoritati Canonicæ non faveret; saltem divinæ suffragatus est plurimis in locis: aliquod enim discrimen reponi debet inter Canonicam, & divinam authoritatem. Prior ab Ecclesia oritur, cum declarat, librum aliquem fuisse divina inspiratione conscriptum, & in Canonem Scripturarum esse referendum. Posterior ex divina inspiratione oritur; sed de eo discrimine agemus inferius Sect. 4. Cap. 1. quamquam sanctus Antoninus videtur veteris Testamenti Deutero-Canonicos in Canone reposuisse. Summ. Theol. p. 3. tit. 18. cap. 6. §. 2. hæc habet de libro Judith: „ Sed tamen Sy„ nodus Nicæna in numero sacrarum Scripturarum le„ gitur computasse. Hoc dicit Hieronymus de libro: „ & idem de aliis quatuor videtur dicendum “. Fatendum tamen est, incertum fuisse sanctum Antoninum, an huic postremæ de nostris Deutero-Canonicis sententiæ omnino adhæreret. De mente Alphonsi Abulensis dicemus Sectione septima, Capite secundo.

CAPUT VI.

De nonnullis Ecclesiæ Græcæ monumentis, quæ nostros Deutero-Canonicos in Canone Scripturarum collocant.

BEveregius in vindiciis Canonum Ecclesiæ primitivæ manuscriptum codicem laudat, quem superiori sæculo Cyrillus Lucar Pseudo-Patriarcha Constantinopolitanus Carolo I. Anglorum Regi dono dedit, in cujus Bibliotheca asservatur. Antiquissimum illud est Manuscriptum ante mille (ut Beveregio videtur) & trecentos annos exaratum, atque ex antiquiori codice transcriptum: omnes utriusque Testamenti libros, veluti ab Ecclesia primitiva receptos exhibet, quos inter nostri Deutero-Canonici recensentur. Catalogum hunc sacrorum librorum typis mandari curavit Beveregius pag. 119. utpote, inquit, magnam Canoni Scripturarum lucem afferat, & egregium antiquorum Bibliorum specimen repræsentet.

Extat Stichometria codicis græci Prophetarum Rupefucaldiani, scripta ante annos mille, literis majusculis, latinis quidem, sed ad Biblia græca spectans: suum ita de sacris libris computum instituit. „ Genesis . . . „ Sapientia, Sapientia Jesu .... Machabæorum li„ ber primus, liber secundus, Judith, Esdras, Est„ her, Job, Tobias “. Servatur istud Prophetarum exemplar apud Jesuitas Parisienses Claromontanos sub titulo codicis Rupefucaldiani: in Bibliothecam Eminentissimi, & de nobis meritissimi Cardinalis Rupefucaldii ex Marchaliana translatum fuerat.

Censent plurimi, græcam hanc Stichometriam eamdem esse cum latina, quam capite quarto hujusce Sectionis laudavimus, quamque Cotelerius edidit. Istis si assentirer, majoris esset ponderis argumentum ex illa Stichometria petitum; ostenderet enim in utraque Ecclesia, Latina, & Græca nostros Deutero-Canonicos eamdem sibi cum Proto-Canonicis olim vindicasse authoritatem.

Differt. prælim. ad monumenta authent. Relig. Græcæ authore Aymone.

Fides illa Græcorum circa nostrorum Deutero-Canonicorum divinam authoritatem ad initium circiter XVII. sæculi integra mansit, & illibata: quo tempore Cyrillus Lucar Pseudo-Patriarcha Constantinopolitanus illam labefactare tentavit. Hic confecto prius Patavii suorum studiorum curriculo, peragravit nonnullas Europæ Provincias, eas potissimum, in quibus error Calvinianus grassabatur. Novitatis Calvinisticæ lenociniis deceptus Cyrillus probavit, amavitque errorem, quem reversus in Patriam timide, ac meticulose primum docuit; (novitatis enim infirma, & timida sunt principia:) habuit deinceps error Calvinianus illecebras ad invitandos nonnullorum Orientalium animos.

Cunctorum, inquit Poeta, novitas gratissima rerum.

Quidam, quibus rei familiaris mediocritas non placebat, ad novitatem Calvinisticam tamquam ad spem melioris alicujus conditionis exarserunt, conducti scilicet promissis, vel pecuniis, quas ad Portam Otthomanam Orator Batavorum ipsis largitus est. Alii amore uno contentionis tradiderunt se litigiosissimo errori, ut contradicendi, rixandique causam semper haberent.

Verum dum novitate sua sic error animos allectabat, dum Cyrilli studio, & industria disseminabatur: Præsules Græcæ Ecclesiæ non sederunt spectatores otiosi; fidei defendendæ studio incensi, scriptis fidei professionibus, decretis, & fulminibus Synodorum adversus Cyrillum pugnaverunt.

Conc. Constant.

Anno salutis 1642. Constantinopoli Synodus a Græcis celebrata est Præside Parthenio Patriarcha Constantinopolitano. In eo Concilio producta quædam sunt capitula nomine Cyrilli Lucaris, quæ a Præsulibus, & Curatoribus Synodi, ut *ab orientali, & Apostolica Christi Ecclesia longe aliena rejecta sunt*. Capitulo 18. Cyrilli Lucaris sententia de nostris Testamenti veteris Deutero-Canonicis ita exponitur, & reprobatur: „ Non „ solum Scripturæ interpretationes a Patribus nostris ela„ boratas, ut prius rejicit (Cyrillus) sed & libros „ ejus aliquos abrogat, quos sanctæ Œcumenicæ Sy„ nodi

„ nodi ut Canonicos receperunt “. Libri illi, quos teſte Synodo abrogabat Cyrillus, ii ſane erant, quos veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos nuncupamus ; cum inter Scripturas ſacras Cyrillus libros Proto-Canonicos tantum recenſeret . Habemus itaque in ea Synodo certiora divinæ inſpirationis, quam noſtri Deutero-Canonici ſibi vindicant, argumenta : ac ne diutius immorari videamur, claret, fuiſſe hanc Synodi mentem, ut traditio de divina noſtrorum Deutero-Canonicorum authoritate ad Apoſtolorum tempora revocaretur : deinde ut juris eorum habitandi in Canone vindices laudaret ſanctas, & Œcumenicas Synodos ; non quod ab iis momentum aliquod divinæ authoritatis acceperint noſtri Deutero-Canonici ; ſed quod paulatim agniti fuerint velut a Spiritu Sancto dictati , quod lapſu temporum , communi fidelium conſenſu , Conciliorum authoritate , & ſummorum Pontificum reſponſis in arcem librorum Canonicorum relati fuerint .

Conc. Hieroſolymit. Clariora ſunt , quæ adverſus Cyrillum Lucarem de noſtris Deutero-Canonicis definiit etiam Concilium Hieroſolymitanum cap. 6. Capitulo 18. quæſtione 3. Habita illa eſt Synodus anno 1672., Præſide Doſitheo , ut jam diximus, Hieroſolymorum Patriarcha . Defi itionem integram juvat referre : „ Eccleſiæ Catholicæ regulam ſe„ quentes ſacram Scripturam eos omnes appellamus li„ bros , quos ab Laodicena Synodo Cyrillus , ipſo qui„ dem corrogante , probatos recenſet ; iis inſuper addi„ tis , quos inſipienter , inſcite , aut magis malitioſe „ vocavit apocryphos ; Sapientiam videlicet Salomonis , „ librum Judith , Tobiam , Draconis hiſtoriam , hiſto„ riam Suſannæ , Machabæos , & Sapientiam Siraeh . „ Hos etenim cum cæteris genuinis ſacræ Scripturæ li„ bris , ſeu germanas ejuſdem Scripturæ partes , cen„ ſemus eſſe numerandos . Quoniam quæ ſancta Evan„ gelia , alioſque Scripturæ libros ut genuinos tradidit „ antiqua conſuetudo , ſeu magis Eccleſia Catholica ; „ & iſtos hæc ipſa ſeu ſacræ Scripturæ partes procul„ dubio tradidit ; quatenus iſtos qui neget , & illos re„ cuſaverit . Sin vero ab cunctis haud recenſeri omnes „ fortaſſe videantur ; iſti nihilo ſecius ab Synodis , nec „ non & a multis cum antiquiſſimis , tum nominatiſ„ ſimis Catholicæ Eccleſiæ Theologis recenſentur , & „ ſacras inter Scripturas numerantur . Quos omnes „ & nos judicamus eſſe Canonicos , & ſacras eos eſſe „ Scripturam confitemur .

A præcipuis hujus decreti circumſtantiis (ordine nimirum , connexione , & authoribus) non imbelle petitur argumentum , Ordine , nam obſervatu dignum arbitror , Tobiam , Judith , &c. eundem inter Scripturas obtinere locum , ac cæteros Scripturarum libros . Connexione ; Præſules enim Synodi contendunt , negari non poſſe noſtros Deutero-Canonicos , quin cæteri libri V. G. Evangelia recuſentur . Nec tantum connexio , ſed etiam hujus decreti Authores invictum nobis præbent argumentum . Græci ſcilicet adverſus Latinos ſemper hoſtile geſſerunt animum : nihil non moliti ſunt , ut eorum authoritatem elevarent , & labefactarent : quocirca facile concludimus , ex Eccleſia Latina ad Græcos doctrinam de noſtris Deutero-Canonicis non fuiſſe derivatam : proindeque niſi ad Apoſtolorum tempus illa revocetur , arduum prorſus erit Traditionis de divina noſtrorum Deutero-Canonicorum authoritate initium apud Græcos deſignare , cum ad ætatem ſubſequentem revocari non poſſit .

Ad confirmandam Concilii Hieroſolymitani definitionem , momenti non parum habet Dionyſii Conſtantinopolitani Patriarchæ ſuper Calviniſtarum erroribus reſponſio . Facta eſt anno 1672. ſubſcripta vero a 45. Eccleſiæ Epiſcopis : directa ſubinde fuit ad D. Olier de Nointel Regis Ludovici XIV. ad Portam Otthomanam Oratorem , ut in Regiam Bibliothecam tranſmitteretur . Adeſt illa conceptis verbis : „ Variam ſacrorum Biblio„ rum enumerationem cum in Canonibus Apoſtolicis , „ tum in ſacris Synodis Laodicena , & Carthaginenſi „ legimus , Clementis quidem conſtitutionibus , quas ... „ ſextæ Synodi Canon ſecundus exemit . Quos & ne„ minem latere poteſt ad eos , quos ceu Canonicos „ Eccleſia ſuſcipit , libros attendentem “. Igitur Dionyſii Patriarchæ ſuorumque Epiſcoporum judicio Eccleſia Græca inter Canonicas Scripturas recenſet libros , qui in Canone Concilii Carthaginenſis continentur : noſtros autem veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos in eo Canone includi ſuperius oſtendimus ; proinde recte concluditur , quod Dionyſius Patriarcha Conſtantinopolitanus , ipſiuſque Epiſcopi comites Canonicam authoritatem noſtris Deutero-Canonicis debitam eſſe crediderint .

Lib. 8. perp. fidei tom. 3. Aymonius in opere Gallico *Monumens authentiques de l' Egliſe des Grecs , &c.* teſtimonia , quæ fidei Catholicæ a Græcis ſuperiori ſæculo perhibita ſunt , elevare , ac deprimere conatur . Pag. 452. contendit , Græcos Præſules , qui prædictam Dionyſii Conſtantinopolitani reſponſionem ſuis chirographis munierunt , divinam authoritatem noſtris Deutero-Canonicis non detuliſſe . En textus reſponſionis nobis oppoſitus . „ Etſi , inquiunt Græ„ ci , nonnullos veteris Teſtamenti libros ea , quæ a „ ſacris Scriptoribus facta eſt , recenſio non habeat ; nuſ„ quam tamen profanis Gentilium fœtibus propterea ſunt „ accenſendi , imo vero ut optimi , & ad virtutem uti„ liſſimi habendi ſunt “. Ex his concludit Aymonius , Tobiam , Judith , &c. ad divinæ authoritatis gradum apud Græcos nondum aſſurrexiſſe .

Verum hæc mera eſt Aymonii conjectura , quæ facile evaneſcet , modo vel leviter attendatur ad ea , quæ Græci Præſules in eadem reſponſione confeſſi ſunt . Docuerunt enim , librorum ſacrorum Canonem cognoſci potiſſimum ex Synodis Laodicena , & Carthaginenſi : ſatis autem demonſtravimus , Tobiam , Judith , &c. inter Scripturas ſacras a Concilio Carthaginenſi fuiſſe recenſitos . Deinde quæ obſcura in iſta reſponſione leguntur , elucidari facile poſſunt teſtimonio , quod divinæ authoritati Deutero-Canonicorum veteris Teſtamenti anno 1671. dederant ſeptem ex Præſulibus , qui reſponſioni Dionyſii Conſtantinopolitani ſubſcripſerunt . Illud vero teſtimonium , quod lib. 8. *Perpetuitatis* cap. 2. refertur , hæc habet : „ Libri Tobiæ , Judith , Sapientiæ , Eccleſiaſtici , Baruch , & Machabæorum Scripturarum partem in„ grediuntur “.

At inquit Aymonius , reſponſio de fidei articulis dari non debuit a Præſulibus degradatis , & paternæ pietatis deſertoribus . Dionyſium deinde Patriarcham Conſtantinopolitanum , & reſponſionis authorem exagitat veluti Tyrannum , qui ſedem Conſtantinopolitanam violatis juribus conſcendit , cæteros quoque Præſules Græcos contumeliis onerat , quales evomeret Pannucea Baucis , veluti aſſumenta quædam attexit .

Huc ſemper redacti fuere Heterodoxi : cum deſunt rationes , ad convicia confugiunt . At illis pingue iſtud , quod hæreticis vernaculum eſt , maledicendi , & reſpondendi genus relinquimus . Semotis igitur injuriis , reſpondeo 1. Præſules Græcos , qui Dionyſii Conſtantinop. reſponſioni ſubſcripſerunt , degradatos numquam fuiſſe : id ſane teſtantur acta , & teſtimonia , quæ eorum chirographis munita ſunt , quæque lib. 8. Perpetuitatis fidei leguntur .

2. Ubi teſtes ? Ubi literæ tum degradationis iſtorum Præſulum , tum Tyrannidis , qua Dionyſium Conſtantinop. infamat Aymonius ? Ubi fidejuſſores iſtarum calumniarum ? Nullos ſane hactenus potuerunt proferre Calviniſtæ : Catholicis vero ſuppetunt innumera teſtimonia , quibus Dionyſius Conſtantinop. acceptus Græcis ſemper fuiſſe declaretur : extat præcipuum in Epiſtola , quam D. de Nointel 16. Nov. anno 1671. ad Regem Ludovicum XIV. direxit : teſtatur enim quod Dionyſius ſedem Conſtantinopolitanam non ambierit ; quod a Græcis omnibus expetitus , ipſe ſolus illam non petierit . *Lib. 8. Perp. Fidei cap. 2.*

3. Norunt omnes , non ex moribus Præſulum pendere Eccleſiarum fidem , ſed ex eorum conſenſu , & decretis cum Eccleſiæ Catholicæ doctrina .

Opponit nobis Aymonius Græcorum fidei confeſſionem , quam ex manuſcripto Græco Cyrilli Lucaris deſumptam dictitat . Ταῦτα δὲ τὰ κανονικὰ Βιβλία τοσαῦτα τὸν ἀριθμὸν εἶναι πιστεύομεν , ὅσα ἡ ἐν Λαοδικείᾳ σύνοδος ἀπεφήνατο , ᾗ ἡ τῦ Χριστῦ καθολικὴ καὶ ὀρθόδοξος Ἐκκλησία ὑπὸ τῦ παναγίυ πνεύματος φωτισθεῖα , μέχρι τῦ παρόντος ὑπαγορεύει . Latino idiomate : „ Credimus , numerum li„ brorum Canonicorum hunc eſſe , qui in Concilio Lao„ diceno legitur , quique hactenus acceptus eſt in Ec„ cleſia catholica Chriſti , & orthodoxa , atque a Spi„ ritu Sancto illuminata “. Conſtat autem , noſtros Deutero-Canonicos a Synodo Laodicena inter Scripturas ſacras non fuiſſe enumeratos : quocirca ſi fides ſit Aymonio , Eccleſia Græca , quæ Scripturarum canonem in Laodiceno Concilio adornatum ſuſcepit , numquam in ſuo indice Deutero-Canonicos veteris Teſtamenti collocavit .

Reſpondeo , merito in dubium revocari poſſe , utrum iſta confeſſio fuerit olim Græcis cognita . 1. Unius tantum Cyrilli Lucaris manu conſignata videtur , qui , ut norunt , ſuum Calvinianæ militiæ nomen dederat . 2. Compertum omnibus eſt , hanc fidei confeſſionem diu a Calviniſtis fuiſſe emendicatam ; precibus repetitis , pecuniis ad prodigalitatem uſque effuſis fuiſſe comparatam , non quidem primum Græco idiomate ; hoc non audebat Cyrillus ; verebatur enim ne ſua fraus Græcis innoteſceret ; ſed Latino idiomate conceſſam . Importuni tamen Calviniſtæ iterum acceſſerunt , ut iſtam fidei confeſſionem Græca lingua deſcriptam obtinerent ; eorum precibus muneribuſque victus Cyrillus annuit eorum votis ; dedit Græcam confeſſionem ſua duntaxat manu ſubſcriptam , ſigillo Patriarchali viduatam , quæque publica etiam Principis , vel Magiſtratus authoritate carebat . Hæccine eſt fidei confeſſio , quæ conſenſum noſtrum , fidemque noſtram ſibi debeat conciliare ?

Præterea adulterinæ huic confeſſioni innumeras notis optimis munitas poſſemus opponere; tot enim ſunt authenticæ confeſſiones, quæ noſtros Deutero-Canonicos inter Scripturas divinas referunt, ut multitudo delectum impediat: eas conſulere non pigeat lib. 8. *Perpetuitatis fidei* tom. 3.

Notandum eſt, Cyrillum Lucarem, antequam in Calvinianorum caſtra tranſiret, de noſtris Deutero-Canonicis recte ſenſiſſe. Quippe *homil. pro Dom. 4. Junii*, librum Tobiæ inter ſacras Scripturas abſolute recenſet: *in ſuis etiam Comment. fol.* 387. eamdem prærogativam libro Sapientiæ tribuit, uti *etiam homilia in prodigum* Suſannæ hiſtoriæ largitus eſt. Hæc referuntur in actis Concilii Hieroſolymitani anno 1672. celebrati tom. II. Conciliorum collectionis Harduini.

CAPUT VII.

De Canone 85. Apoſtolorum, quem Cotelerius interpres 76. computat.

INter vetera Græcæ Eccleſiæ monumenta non minorem ſibi vindicant locum Canones, qui olim dicti ſunt Apoſtolici; primas in ea Sectione Canoni 85. dediſſemus, ſi integrum Scripturarum catalogum repræſentaſſet; quia vero imperfectum duntaxat exhibet, idcirco integros ſacrorum Librorum indices prius laudare operæ pretium judicavimus.

Non eſt otii noſtri Canonum vulgo Apoſtolicorum vetuſtatem accuratiori examine ventilare: ab aliis jam hæc occupata provincia eſt. Unum tamen breviter monebimus, quod licet ad Apoſtolos authores revocari non poſſint, plurimi tamen II. labente, & ineunte III. ſæculo conſtituti videantur. Exeunte V. ſæculo, & incipiente VI. 85. illi Canones Græcis non tantum innotuerunt, ſed etiam ab Orientalibus Eccleſiis ut ſacri recepti ſunt: id prolixe teſtatur Juſtinianus Imperator in Conſtitutione ad Epiphanium Patriarcham Conſtantinopolitanum directa. Canone 85. vel interprete Cotelerio, Canone 76. hic legitur Scripturarum Index: „ Sint vobis omnibus Clericis, & laicis libri veneran-„ di, & ſancti, veteris quidem Teſtamenti, Moſis „ quinque, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, „ Deuteronomium. Jeſu filii Nave unus, Judicum unus, „ Ruthæ unus, Regnorum quatuor: Paralipomenon li-„ bri dierum duo. Eſdræ duo. Heſteræ unus; Judithæ „ unus, Machabæorum tres. Jobi unus. Pſalmi 150. „ Salomonis libri tres, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canti-„ ca Canticorum: Prophetæ ſexdecim: (extra hos vo-„ bis inſuper commemoratum ſit,) ut juvenes veſtri „ diſcant Sapientiam admodum eruditi Sirach. Noſtra „ autem, ideſt novi Teſtamenti; Evangelia quatuor, „ Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis: Pauli Epiſtolæ „ 14.; Petri Epiſtolæ duæ; Joannis tres: Jacobi una: „ Judæ una: Clementis Epiſtolæ duæ: & Conſtitutio-„ nes vobis Epiſcopis per me Clementem in octo libris „ nuncupatæ; non oportet coram omnibus eas divulga-„ re, propter ea quæ ſunt in eis myſtica: & Acta no-„ ſtra Apoſtolorum “.

E noſtris Deutero-Canonicis codices Judithæ, & Machabæorum recenſentur. Dubium vero exoritur, an liber Judith primigenia manu, an peregrina, & poſthuma Canoni laudato fuerit additus? Ingenue enim fatendum eſt, in Canonum Apoſtolicorum codicibus octo manu exaratis, quos Cotelerius in Gaza Regia conſuluit, non comparere, excepto tamen uno non malæ notæ, atque membraneo, qui numeratur 1326.

Non eadem ratio dubitandi nobis obvenit de libris Machabæorum, quos Canon 85. exhibet: licet in Græca Canonum Apoſtolicorum collectione, quam Joannes (1) Antiochenus adornavit, non reperiantur; comparent tamen in illis octo codicibus Græcis, quos in Gaza Regia conſpexit Cotelerius. Matthæus Blaſtares in Canonem 85. Apoſtolorum, authoritatem librorum Machabæorum ſtrenue defendit; quem ſi quis conſulat, operæ fructum feret.

Nec quemquam movere debet Dionyſii Exigui authoritas, qui Canonem 85. in quo Scripturarum ſyllabus cernitur, e Græco non tranſtulit: 1. Notum omnibus eſt, Dionyſium Exiguum vertendis duntaxat 50. Canonibus Apoſtolicis animum adjeciſſe. 2. Si propter hanc difficultatem noſtrorum Deutero-Canonicorum nutaret authoritas, pariter & vacillare debet divina Proto-Canonicorum inſpiratio, qui in Canone 85. computantur. 3. Tanti momenti non eſt illa omiſſio. Demus etenim, quod codex Græcus, quem latinæ fidei credidit Dionyſius, non plures quam 80. Canones complexus fuerit; iſte profecto defectus abunde compenſatus eſt exemplari, quod Joannes Antiochenus Dionyſii Exigui coætaneus nactus eſt, in quo quidem Canon 85. exiſtebat.

Urget Dallæus, non magis ex Canone 85. concludi poſſe, libros Judith, & Machabæorum agnitos fuiſſe ut inſpiratos, quam duas Clementis Epiſtolas, & octo libros conſtitutionum Apoſtolicarum, quæ ſub eodem feruntur nomine. „ Quis, inquit, quæſo vetuſtiorum „ non dico Latinorum, ſed & Græcorum Patrum 3. li-„ brum Machabaicum in ſacrum veteris Teſtamenti, „ vel Clementinarum conſtitutionum octo volumina, in „ novi Canonem ante hujus ſylloges Patrem retule-„ rat? “ *Lib. 2. de Pſeudepigraphis Apoſtolicis.*

Hæc objectio prima fronte mihi aliquando viſa eſt validiſſima; attendenti tamen facilis videtur ejus ſolutio. 1. Non ægre fert Dallæus, quod plurimi tum Latini, tum Græci Interpretes duos priores Machabaicos in Scripturarum indice collocaverint: iraſcitur duntaxat adverſus eos, qui nimium liberaliter libro 3. Machabæorum ſedem aliquam in Canone dederunt. Et ſane ſi conſulamus vetera Scripturarum manuſcripta, duos duntaxat, non tres in iis Machabæorum libros deprehendemus: in antiquo illo Romano verſionis τῶν ὁ Manuſcripto ante mille & ducentos annos exarato, libri duo Machabaici, ut cuique notum eſt, inter aliquos veteris Teſtamenti libros annumerantur; nec in eo ſolo, ſed & in altero, dictum Vaticanum codicem annis ſaltem æquante, ſi non ſuperante, Manuſcripto, per Cyrillum Lucarem ad Carolum primum Anglorum Regem miſſo, libri Machabaici duo reliquis veteris Teſtamenti libris ſubnectuntur. Suffragantur Editiones Veneta, & Complutenſis, cum antiqua verſione Syriaca.

2. Argumentum Dallæi id unum oſtendit, quod liber tertius Machabæorum a quibuſdam olim Canoni Scripturarum fuerit inſertus: id quidem non diffitemur. Verum traditio de libris Canonicis non ex uno aut altero Manuſcripto, ſed ex omnibus antiquitatis venerandæ monumentis ponderanda eſt;

. . . . Neu lubricus error
Fors agat incautum . . . .

Quocirca ſi legantur Scripturarum Canones, qui V. & VI. ſæculo conditi ſunt, Liber tertius Machabæorum, ſicut Conſtitutiones Apoſtolicæ, & duæ Clementis Epiſtolæ in ſacrorum librorum indice non comparebunt.

3. Ex iis, quæ ſuperius de Canone 85. dicta ſunt, illud etiam eruitur, quod Eccleſiæ Orientales, quæ hunc Canonem receperunt, exiſtimaverint, libros Machabaicos, & Judithæ codicem ejuſdem momenti fuiſſe cum cæteris Scripturarum libris.

SECTIO QUARTA.

De Sententia Patrum, qui noſtros veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos ut divinos conſpexerunt, licet eos in Canone Scripturarum expreſſe non repoſuerint.

ID operæ hactenus potiſſimum dedi, ut noſtros veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos a nobiliori, & maxima Eccleſiarum parte in Scripturarum Canone fuiſſe collocatos demonſtrarem. Hæc tamen fidei Catholicæ veritas firmiori ſtabit pede, ſi quoque probavero, plurimos extitiſſe Patres, qui noſtros Deutero-Canonicos tamquam divina authoritate præditos ſpectarunt. Eos in Scripturarum indice quidam non repoſuere; ſed id forſan contigit, quia ſacrorum librorum Canonem non adornaverunt. Ut huic Sectioni fidem, & lucem afferam: oſtendam 1. diſcrimen, quod reponi ſolet inter librum divinum, & librum Canonicum. 2. Ex variis denominationibus, quæ olim Deutero-Canonicis tributæ ſunt, concludere mihi licebit, agnitam fuiſſe divinam eorum authoritatem. 3. & 4. Plurima antiquitatis monumenta, quæ cæleſtem eorum inſpirationem certo evincunt, recenſebo.

CAPUT I.

Diſcrimen aliquod ſtatuitur inter librum Divinum, & librum Canonicum.

NE pars aliqua præſentis argumenti minus a nobis curata videatur, neceſſe eſt ut diſcrimen, quod divinam inter, & canonicam authoritatem reperitur, ſtatuamus. Scriptura quidem a die, quo primum ſcripta

(1) *Joannes ille dictus eſt Scholaſticus, primo Antiochiæ Presbyter (unde Antiochenus dicitur) deinde ad Sedem Conſtantinopol. a Juſtiniano Imperatore aſſumptus eſt.*

pta eſt, divinam in ſe habuit authoritatem, Deique verbum extitit; ſed in aliquem Verbi divini Canonem non ſtatim relata eſt. „ Eſt, inquit Stapletonus, liber „ in ſe ſacer, & divinus antequam in Canonem reci- „ piatur: Canonicus autem non eſt, nec proprie, & „ vere loquendo dici poteſt, niſi qui in Canonem rece- „ ptus fuerit “. Authoritas quippe divina, & authoritas canonica plurimum differunt. Authoritas divina ejus rei eſt, quæ per ſe talis eſt. Authoritas canonica ejus rei eſt, quæ certo canone & regula ab Eccleſia declarata, & definita talis eſt. Unde enim Canonica, niſi a Canone? Et unde Canon, niſi ab Eccleſia?

Lib. 2. in defenſ. authorit. Eccleſ. pag. 1022.

Licet Antiqui, in propugnanda ſacrarum Scripturarum authoritate, iſtam divinæ authoritatis a canonica differentiam non tam enucleate, ac ſubtiliter expoſuerint, quam qui deinceps ſecuti ſunt Theologi: nihilominus illud diſcrimen pro inſtituto, & ſuo commentandi genere ſatis tradiderunt. Epiſtolam ad Romanos, ſtatim atque e calamo ſancti Pauli profecta eſt, ut divinam agnovere priores Chriſtiani; hæc tamen ut Canonica propoſita, & credita tantum eſt, poſtquam Eccleſiæ judicium acceſſit, quo in ſacrorum codicum indicem referri debuit. Non dubitarunt priores Chriſtiani, quin Evangeliſtæ & Apoſtoli omnia ex ſpiritu Dei vel docerent, vel ſcriberent; at Eccleſiæ definitionem expectarunt, ut Evangelia, & Epiſtolæ Paulinæ in numerum Scripturarum recenſerentur: unum de hac veritate Auguſtinum teſtem appellabo. *Ego vero*, inquit Sanctus Doctor, *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret authoritas*. Sed de Eccleſiæ authoritate ad declarandas Scripturas ut Canonicas fuſius, & opportunius diſſeruerunt Stapletonus, Bellarminus, Serarius, &c. qui maximo cum fructu poſſunt conſuli.

Non ita certum eſt quo præciſe tempore Scripturarum Canon ordinatus fuerit: cenſent plurimi, tunc primum adornatum fuiſſe, cum primis Eccleſiæ ſæculis innumera opera apocrypha ſub venerandis Apoſtolorum nominibus prodiere. Tunc viſa ſunt Evangelia ſanctis Bartholomæo, Thaddæo, Thomæ, Barnabæ, aliiſque viris Apoſtolicis maligne attributa: tunc a nonnullis evulgabantur acta quaſi Apoſtolorum Andreæ & Pauli, Apocalypſes Pauli, & Petri, itinerarium ejuſdem, Teſtamentum Moſis, aliaque bene multa quaſi Prophetica, & Apoſtolica ſcripta tam veteris, quam novi Teſtamenti, quorum ulterioris enumerationis piget me, & pudet.

Quocirca Eccleſia, quæ longe a Fidelium manibus arcere debet libros, qui morum puritatem, vel fidei integritatem inquinare, aut lædere poſſunt: ut codices apocryphos e Catholicis manibus longius removeret, operæ pretium judicavit ſacrarum Scripturarum Canonem contexere, eaſque in certum ordinem redigere, ut libros ſacros, & genuinos a profanis, & ſpuriis, veros a falſis certo fideles ſecernerent. Unde dubitatione ſemel exorta apud veteres Chriſtianos, quinam eſſent libri ſacri, vel profani, quinam divini, vel divina authoritate indigni, certum Scripturarum Canonem confecit, quem populo Chriſtiano tradidit, & conſignavit.

IV. Sæculo cum nonnulli in Eccleſiis vulgaria, aut privata carmina ſimul cum Pſalmis Canticiſque ſacris decantarent, prohibuit Concilium Laodicenum Canone 59. ne ejuſmodi carmina, neve alii legerentur libri, quam ii, quos in Canone a ſe ſignato collocavit. Idem etiam a ſe peractum fuiſſe teſtatur S. Athanaſius in ſua Epiſtola quæ Feſtalis dicitur. Sancti etenim Doctoris ævo fuerunt hæretici, quibus hæc erat impia indoles, vel libido pernicioſa, ut ſua opera velut e divino Spiritu profecta buccinarent: ne ergo virus ejuſmodi in animos Fidelium amplius ſerperet, Canonem ſacrorum librorum indicavit, ut demonſtraret, quinam codices eſſent divini, vel apocryphi; quinam genuini, vel ſpurii.

CAPUT II.

Ex denominationibus, quæ noſtris olim Deutero-Canonicis tributæ ſunt, recte concluditur divina eorum authoritas.

NEmo Chriſtianus neſcit, ſacros codices, quoties ab antiquis Patribus citati ſunt, denominatos fuiſſe, nunc *Verbi divini*, nunc *Dei oraculorum*, modo *Scripturarum* nominibus: ſæpius etiam ita laudati duntaxat fuere *ſcriptum eſt*. Iſti ſunt tituli, quibus ſententias e Scripturis inſpiratis depromptas cohoneſtarunt veteres: nec quiſquam id in dubium revocare poteſt, niſi rudem ſe, & peregrinum in vetuſtis Patrum operibus exhibeat. Patribus in hoc citandarum Scripturarum modo præiverunt Evangelici, & Apoſtolici Scriptores, qui in laudandis e veteri inſtrumento ſententiis haſce nuncupationes adhibuere. Inter innumera, quæ in novo Teſtamento exempla conquirenti, & fidem illius appellanti ſeſe offerunt, ea ſeligo, quæ in Evangeliſtis, & Paulinis Epiſtolis paſſim deprehenduntur. Chriſtum audiamus Matth. cap. 4. *Scriptum eſt: non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. Quæ quidem ſententia ex cap. 8. Deut. derivata eſt. Eodem citandi genere Chriſtus apud Marcum utitur: *Scriptum eſt: percutiam paſtorem, & diſpergentur oves*. Quod Zachariæ cap. 13. legitur. Apoſtolus ad Galatas cap. 4. *Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam, & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ*. Quæ ex cap. 21. Geneſeos deſcripta ſunt. Judæis etiam familiares extiterunt modi illi, cum ſententias ex Scripturis deſumptas laudarunt. Aben Ezra Hiſpanus, qui anno circiter Chriſti 1240. mortuus dicitur, ſimilem loquendi formulam uſurpavit: exponit enim quid in Jacobi vaticinio Gen. cap. 49. nomine *Shilo* intelligi debeat: *Donec*, inquit, *veniat finis Silo, nam ita ſcriptum eſt, & rejecit tabernaculum Silo*: quod e Pſal. 77. deſumptum fuit. Rabbi Salomon Becchai, qui floruit 1291. ſic in Pentateuchum ſcripſit fol. 73. *Moſes Magiſter noſter fuit redemptor primus, qui regnavit ſuper Iſrael, ſicut ſcriptum eſt, & fuit in rectitudine Rex cum congregarent ſe capita, &c.* id vero legitur Deut. cap. 33.

Bibl. Maſ. fol. 53.

Mitto infinitos, & ſimiles citandi veteris Teſtamenti modos, qui non ſolum in novo inſtrumento, ſed etiam in Judæorum operibus occurrunt, ut ratiocinium illud in noſtrorum Deutero-Canonicorum gratiam poſſim conficere. Chriſtus, & Apoſtoli, cum oracula veteris Teſtamenti retulere, ſæpius illud citandi genus adhibuerunt, *Scriptum eſt*, *Scriptura dicit*: atqui Patres vetuſti, ac Theologi iiſdem loquendi modis non raro uſi ſunt, cum veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos laudavere: ergo arbitrati ſunt, hos fuiſſe divino Spiritu afflante conſcriptos: adeoque non minus judicarunt, eos eſſe de Scripturarum ſacrarum numero, quam Chriſtus, & Apoſtoli crediderunt, veteris Teſtamenti codices Proto-Canonicos eſſe divinorum librorum Canoni aggregandos.

Hic igitur fuit harumce vocum, *Scriptum eſt*, *Scriptura dicit*, publicus apud veteres uſus, hæc Apoſtolorum, ac Patrum veteris memoriæ inſtitutio, ac conſuetudo, ut per eas intelligerent tantum Scripturas divinas, libroſque Deo inſpirante compoſitos. Id Apoſtolorum ſcripta, id Judæorum opera, id Canones Apoſtolici, Cyprianus, Euſebius, vetuſtique Patres inferius citandi evincunt: neque hos aliter ſenſiſſe mihi perſuadere quis poterit: etenim qui ſapiunt, neque ſolent, neque profecto debent, cum loquuntur, vel ſcribunt, aliter uſurpare verba, quam fert publicus, ac communis eorum Scriptorum, quorum exempla, præcepta, ac principia ſequuntur, uſus

Quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.

Patres autem *fuiſſe ſapientiſſimos* nemo diffitetur; fateamur ergo neceſſe eſt has voces, *Scriptum eſt: Scriptura dicit*, in Chriſti, & Apoſtolorum uſu, & ſenſu fuiſſe a Patribus uſurpatas, quatenus libros a Deo inſpiratos denotarent. Nonnulli forſan opponent, Patres hiſce loquendi formulis uſos fuiſſe, ut libros duntaxat pios, minime vero inſpiratos indicarent.

Specioſæ huic objectioni color omnis adimitur, aſſerendo, ſenſum hunc a SS. Patrum mente remotum omnino eſſe: fidelibus populis Scripturas ſacras ſuis in ſermonibus exponebant; præcepta, ac monita e ſacris codicibus deprompta ſuis ovibus conferebant: uti ergo Scripturarum more, audientibus obvio, & ſacris Scriptoribus familiari debuerunt; loquendi mos in utroque Teſtamento uſitatus debuit ab iis communiter adhiberi, ne ſi forte ab eo receſſiſſent, a genuino pariter Scripturarum ſenſu fuiſſent alieni. Deſerto enim loquendi more, qui in ſacris Scripturis obtinet, fluctuans animus in dubitationum ſyrtes non raro devehitur, & a veris, ſolidiſque Scripturæ ſenſibus indagandis avocatur; abſit ut de ſanctis Patribus ſiniſtram hanc ſententiam habeamus: communi etenim Chriſti, & Apoſtolorum ſenſu voces has, *Scriptura dicit*, *Scriptum eſt*, uſurparunt, quoties illas noſtris Deutero-Canonicis citandis accommodaverunt. Id Capita, quæ ſubſequuntur, certo demonſtrabunt.

CAPUT III.

De Conſtitutionibus Apoſtolicis.

IN Eccleſia Græca nihil antiquius ſcriptum videtur, quam opus Conſtitutionum, quæ vulgo Apoſtolicæ dicuntur: earum antiquitas incaſſum aſtrueretur, cum ipſis dotem hanc non invideant Heterodoxi. Non deſunt in illis Conſtitutionibus exempla, quibus oſtenditur, noſtros Deutero-Canonicos, vel ipſo naſcentis Eccle-

siæ exordio, divinæ inspirationis titulo fuisse decoratos.

Libro etenim 2. cap. 25. promiscue cum cæteris sacræ Scripturæ libris laudatur Tobias; ex ipsius cap. 4. illa derivatur sententia: *Sicut scriptum est . . . . eleemosynis, & fide emundantur peccata*. Capite 37. earundem Constitutionum plurima e Scripturis argumenta depromuntur, quibus falsi accusatores condemnantur: potissimum vero citantur duo illi senes, qui Babylone adversus Susannam falsam instituerunt accusationem: porro illud desumptum est ex cap. 13. Danielis inter Deutero-Canonica opera computato. Lib. 3. Const. oratio assidua Judithæ ad fidelium imitationem proponitur, quasi ex authoritate Scripturæ profecta sit. Lib. 4. cap. 6. citatur tanquam divina lex, illud Ecclesiastici, quod cap. 6. legitur: *Non justificabitur caupo a peccato*. Lib. 5. cap. 7. futura corporum resurrectio ita demonstratur. „ Qui se jussu patris post triduum excitavit, „ qui est arrhabo resurrectionis nostræ; ego enim, inquit, sum resurrectio, & vita: qui Jonam post tres „ dies vivum nullo incommodo læsum extraxit; item „ pueros illos tres ex fornace Babylonis, & Danielem „ ex ore leonis; & non indigebit viribus ad suscitandum nos ". Ex his sponte fluit, quod historia trium Puerorum, & Danielis in lacu leonum inter sacras Scripturas collocanda sit. Lib. 5. cap. 20. divinæ Scripturæ
Bar. cap. 3. privilegium Baruchi vaticinio adscribitur. „ Scriptum est, „ hic Deus noster non reputabitur alius ad eum: in„ venit omnem viam scientiæ, & dedit eam Jacob pue„ ro suo, & Israel dilecto sibi: post hoc in terris vi„ sus est, & cum hominibus conversatus est ". Id vero majorem vim obtinebit, si diligenter attendamus, authorem Constitutionum Apostolicarum totum in eo esse capite, ut Scripturis probet Christum ostentis præsignificatum, visis cælestibus præmonstratum, vetustis juxta, ac recentibus Prophetarum oraculis fuisse adpromissum. Ad capitis laudati finem, jejunium commendatur exemplis Eliæ, Danielis, Annæ, Ninivitarum, Estheræ, Mardochæi, quibus Judithæ jejunium conjungitur: promiscue etiam cum plurimis Scripturæ locis, lib. 6. Const. cap. 23. citatur illud Baruchi cap. 4. *Beati sumus Israel; quoniam quæ placita sunt Deo, nota sunt nobis*. Et lib. 8. Const. cap. 25. Annæ exemplum ex cap. 2. Lucæ, sicut Judithæ ex cap. 8. ipsius libri desumitur in gravissimarum fœminarum imaginem, quæ in gradum vidualem cooptari meruerunt, id est, ad ordinem viduarum, quarum frequentem in suis Epistolis mentionem facit Apostolus.

Infinitum me esse oporteret, si recenserem loca omnia, quæ pro divina authoritate Tobiæ, Judith, Ecclesiastici, historiæ Danielis in lacu leonum, & historiæ trium puerorum, in octo Apostolicarum Constitutionum libris militant. Fateor, nulla ex libris Sapientiæ, & Machabæorum loca fuisse a me deprehensa: forsan nonnulla sunt, quæ aciem oculorum meorum fugerunt; quamquam si desiderarentur, perperam inde concluderetur, quod Apostolicarum Constitutionum author divinam illorum librorum authoritatem, aut negaverit, aut in dubium revocaverit: iniquum foret illud judicium, quippe, *qui tacet, neque consentire, neque dissentire videtur*. Adde quod plurimis in locis istæ Constitutiones fuerint interpolatæ, nec ab hæreticis modo, quod a Patribus nonnullis observatum est, sed etiam a Librariis,
Tom. 1. ut censet eruditus Renaudotius dissertatione de Liturgiarum Orientalium origine, & authoritate cap. 2.

Dissimulandum non est illud effugium, quod adversarii captant: quanto enim major est vis argumenti ex Constitutionibus Apostolicis petiti, tanto majores sunt eorum conatus ad illud eludendum: quocirca facile probare posse se existimant, divinam nostrorum Deutero-Canonicorum authoritatem nequaquam ex illis Constitutionibus erui: quia earum author in Scripturarum Catalogo, quem texuit, nostros veteris Testamenti Deutero-Canonicos non reposuit. En Canon prout in editione
Lib. 2. cap. 57. Cotelerii legitur. „ Medius Lector in quodam loco ex„ celso stans, legat libros Mosis, & Jesu filii Navis, „ Judicum, & Regnorum; item Paralipomenon, & „ quæ de populi reditu conscripta sunt: ad hæc Jobi, „ & Salomonis volumina, simulque sexdecim Prophe„ tarum, peractisque per binos lectionibus, quidam „ Davidis hymnos psallat, & populus extrema versuum „ succinat ".

Verum hujusce omissionis invidia facile emollitur: quippe Apostolicarum Constitutionum author eos solum Scripturæ libros proponit, quos Ecclesia universa veluti Canonicos spectabat; quod non vetat, quin in iisdem Constitutionibus nostris Deutero-Canonicis jus divinæ inspirationis tributum fuerit; quippe liber aliquis Scripturæ, afflatu Sancti Spiritus conscribi potuit, nec tamen in sacro Canone locum semper habuerit.

CAPUT IV.

De mente sancti Irenæi, Origenis, & Eusebii circa Deutero-Canonicorum veteris Testamenti originem.

QUanti facienda sit sancti Irenæi authoritas in Scripturis indagandis, nemo Theologus ignorat: is ille est, cujus antiquitatem si spectemus, *qui vir Apostolicus fuit*, & ab Apostolorum discipulis institutus: si doctrinam, *recte semper Catholicæque doctrinæ propugnator* acerrimus: si sanctitatem, *vir omnino Spiritus Sancti donis, ac cælestibus ornamentis instructus fuit*. Tantus vir nonnullis in locis quorumdam veteris Testamenti Deutero-Canonicorum authoritatem asseruit. Lib. 5. contra hæreses cap. 35. finem capitis 4. & caput 5. Prophetiæ Baruch, velut Jeremiæ expressis verbis retulit: *Significavit*, inquit, *Jeremias Propheta; circumspice, dicens ad Orientem Hierusalem, & vide lætitiam, &c.* Tobiam in pluribus Ecclesiis inter Prophetas locum II. sæculo habuisse, colligitur ex cap. 30. libri primi adversus hæreses: ubi Sethianorum, & Ophitarum deliria enumerans Irenæus asserit, ab iisdem Hæreticis ita distributos fuisse prophetas, ut suo *Jaldabaoth*, *Num. 11.* *Moysen*, *Jesum Nave*, *Amosum*, & *Abacum* assignarent . . . . suo autem *Eloei Tobiam*, & *Aggæum*, *&c.* Belis historiam tanquam divino, & Prophetico spiritu exaratam agnovit Irenæus lib. 4. cap. 5. En sancti Doctoris textus: *Quem & Daniel Propheta, cum dixisset ei Cyrus rex Persarum, quare non adoras Bel? annunciavit, dicens: quia non colo idola manufacta, &c.* *2. Num.* Ista evincunt, integram Belis historiam, qualis cap. 14. Dan. refertur, jam Irenæi ævo in sacro Bibliorum indice non modo extitisse, sed & divinam atque indubitatam sancto Doctori visam fuisse.

S. Irenæus. *Hier. in cap. 64. Isaiæ. Eusebius l. 3. hist. cap. 23.* *Epiph. hær. 31.*

Cæteros veteris Testamenti Deutero-Canonicos neque laudat, neque nominat sanctus Doctor, quod quidem horum authoritati non magis nocere debet, quam dignitati Paralipomenon, Ecclesiastæ, Cantici Canticorum, Job, &c. quorum nusquam apud sanctum Irenæum occurrit mentio. Verbo tenus, ista omissio hoc unum duntaxat ostendit, a sancto Irenæo sacrorum librorum Canonem non fuisse definitum; at ne quidem apparenter innuit, nostros Deutero-Canonicos ex divinorum librorum syllabo fuisse olim expunctos.

Plurima ex Origene mutuari possumus testimonia, *Origenes.* quibus divinæ inspirationis privilegium nostris Deutero-Canonicis vindicetur. Primum petimus ex Epistola ad Africanum, quæ clare innuit, Susannæ, Belis, & Draconis historias a 70. Interpretibus cæterarum Scripturarum more fuisse conversas. Conqueritur enim Origenes quod duo postrema Danielis capita, quibus prædictæ historiæ continentur, in Hebræis fontibus suo tempore non comparerent, sed duntaxat in versione septuaginta Interpretum legerentur. *Judæi ea ademerunt*, inquit Origenes, *quæ continebant seniorum populi accusationem ad populum. Non est ergo mirum, si veram historiam Susannæ . . . . suffurati sunt, & subtraxerunt e Scripturis*. Divinæ authoritati libri Sapientiæ assentitur Origenes tom. 20. Commentariorum in Evang. ubi plurima ex eo volumine loca desumpta profert, quæ promiscue cum aliis Scripturis ab ipso laudantur. Meminit etiam Ecclesiastici ut divina firmitate prædita tomo 32. Commentariorum in Joannem: *Scriptum est*, inquit, *& hoc quoque (ne comprimas cum eo in catino)*. Nec oblitus est inspirationis divinæ, cujus auspiciis scriptus fuit Judithæ liber. *Volo* (ait ille homil. 19. in Jeremiam) *exemplum dare a Scriptura justi fœdera revocantis . . . . Judith fœdera fanciverat cum Holoferne, &c.* Ex gemino Machabæorum codice redarguit Valentinianos, *Hom. in cap. 5. Epist. ad Rom.* qui neminem in veteri Testamento pro Deo mortem oppetere ausum esse effutiebant; eos potissimum refellit exemplo matris, & septem filiorum ex libris Machabæorum deprompto; ne vero quis dicat, libros Machabæorum ab Origene ita citatos fuisse, ut tamen ipse non indicet, eos fuisse de Scripturarum numero, Origenem audiamus lib. II. periarchon cap. 1. „ Ut autem „ ex Scripturarum authoritate hæc ita se habere docea„ mus, audi quomodo Machabæorum libris, ubi ma„ ter septem martyrum unum ex filiis cohortatur ad „ toleranda tormenta, ait ei; Rogo te, fili, &c. "

Cap. 31. Eccl.

Quod si singula, quæ e nostris Deutero-Canonicis veluti e divina Scriptura desumpsit Origenes, consectaremur, in immensum crescret istud opus, & ultra circumseptos lucubrationi huic cancellos excurreret. Fatendum etiam, quædam de Origene referri, quæ primo aspectu divinam veteris Testamenti Deutero-Canonicorum authoritatem non nihil labefactarent, nisi æqua accurati judicii lance textus integer perpenderetur: ista vero eruuntur ex cap. 25. lib. 6. Hist. Eccl. quam Eusebius

sebius Cæsareensis adornavit. De Origene ita loquitur: „ Cæterum in expositione primi Psalmi, librorum veteris Testamenti indicem exhibet: ita scribens ad „ verbum: sciendum est, veteris Testamenti libros duos „ esse ac viginti, sicuti ab Hebræis traditur: qui numerus etiam literarum apud eos habetur .... sunt autem viginti duo libri juxta Hebræos hi: primus, qui „ a nobis Genesis dicitur, ab Hebræis autem ex ipsius „ libri initio desumpta appellatione vocatur Beresith „ &c. " Enumeratis viginti duobus libris, quos Canon Hebræus complectitur, subjungit: „ Extra horum censum sunt libri Machabæorum, qui inscribuntur Sarbet, Sarbaneel, &c. "

Verum frustra ex eo loco, & consimilibus Scriptoris ejusdem testimoniis adversus divinam nostrorum Deutero-Canonicorum authoritatem præsidium arcessunt Hæretici. Codices in Canone Hebræo contentos recenset Origenes; mirum igitur videri non debet, si Deutero-Canonicos silentio prætereat, cum Hebræi in suo Canone nusquam eos constituerint. Beveregius inter Protestantes author non ignobilis in suo de Canonibus Apostolicis judicio art. 16. nostræ responsioni ita suffragatur: „ Is (Origenes) apud Eusebium hist. Ecclesiasticæ lib. 6. cap. 25. postquam vigintiduos veteris „ Testamenti libros juxta Hebræos recensuisset: protinus hæc addit, quæ Valesius sic vertit, extra horum censum sunt libri Machabæorum ..... verum „ quomodocumque ista Origenis verba intelligantur, „ aperte saltem ex iis, ut etiam Tertulliani, Clementis Alexandrini, aliorumque ejusdem ætatis libros „ Machabaicos passim laudantium, scriptis conficitur, „ aliquot Machabæorum libros 22. Hebraicis tunc temporis subjunctos esse ". Dixerat antea Beveregius: „ Quin etiam Origenes .... tres Machabæorum libros „ reliquis sacræ Scripturæ libris non obscure subjungere „ videtur ".

Quod si quis huic solutioni contradicat, alteram accipere non pigebit. Origenes in eo Canone de nostris Deutero-Canonicis tacet, quia eas Scripturas duntaxat appellat Canonicas, quas Ecclesia universalis in suo Canone tunc recipiebat: ætate porro Origenis Ecclesia universa nondum Tobiam, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum, geminumque Machabæorum codicem inter Canonicos collocarat: quod tamen non vetat, quin Origenes divinam eis authoritatem tribuerit; quippe, ut sæpius monuimus, liber in se potuit esse divinus, licet canonicus ab Ecclesia declaratus nondum fuerit.

Eusebius Historicus. Divinæ nostrorum Deutero-Canonicorum inspirationi patrocinatur Eusebius. Extat quidem lib. 1. adversus Marcellum Ancyranum pro libro Sapientiæ consignatum testimonium: ex capite enim 7. libri Sapientiæ tanquam e sacra Scriptura authoritatem desumit Eusebius, ut probet adversus Marcellum, Dei filium esse vivam Patris sui imaginem: „ Hoc & Scriptura testatur inquiens „ (verba sunt Eusebii) lucis æternæ est emanatio, & „ speculum immaculatum Dei operationis, & imago „ ipsius bonitatis ". Lib. 2. adversus eundem Marcellum ita laudatur Baruchus sub Jeremiæ nomine. „ In „ progressu demum cum Jeremias de Servatoris Incarnatione diceret: post hæc in terris visus est, & cum „ hominibus conversatus est, &c. " Quæ quidem e cap. 3. prophetiæ Baruch derivata sunt. Hæc sunt, quæ Eusebii fidem circa veteris Testamenti Deutero-Canonicos demonstrant: non potuit ille Sapientiæ librum Scripturæ titulo insignire, nec Baruchum sub Jeremiæ vocabulo laudare, quin fuerit arbitratus, utrumque codicem suggerente Spiritu Sancto fuisse exaratum.

Edit. Valesianæ. Elicitur difficultas ex cap. 25. lib. 3. historiæ Eusebianæ. Postquam Eusebius de Proto-Canonicis novi Testamenti affirmavit, quod communi omnium consensu recepti sint, subjungit de nonnullis, quos Deutero-Canonicos vocamus: „ Ex iis vero, quæ in dubium revo„ cantur, a multis tamen commemorari videmus, est „ Epistola, quæ dicitur Jacobi, & quæ Judæ, secunda „ Petri .... pro spuriis etiam habendi sunt Actus Pau„ li, & liber Pastoris titulo conscriptus, &c. " Ex his efflorescit illud argumentum. Deutero-Canonici Testamenti novi non tantum dubiæ fidei olim extiterunt, sed etiam spuriæ, quales reputabantur Actus Pauli, liber Pastoris, &c. a fortiori Deutero-Canonici, qui veteri Testamento assignari solent.

At argumentum illud veri tantum specie esse fucatum, vel hebes oculus percipit. 1. Eusebius nusquam asseruit, Novi Testamenti Deutero-Canonicos fuisse dubiæ fidei, sed *a quibusdam in dubium revocari, a multis vero commemorari*. 2. In textu Eusebiano adverbium *etiam* parit duntaxat difficultatem propositam. Quod si redundet, statim evanescet objectio. Illud autem esse superfluum indicat textus Græcus; Ἐν τοῖς νόθοις καταστέλλω τὰ τῶν Παύλε πράξεων ἡ γραφή: *ideſt, & in ſpuriis habenda eſt Scriptura actuum Pauli.*

CAPUT V.

De Sancto Epiphanio, Græcisque aliis Patribus.

SAnctus Epiphanius hæresi 76. nostris Deutero-Canonicis non uno in loco favet: unum aut alterum e multis seligam: ut verbi divinitatem adversus Aetium propugnet, non solum ad Proto-Canonicos, sed etiam ad Deutero-Canonicos tanquam sacræ Scripturæ libros provocat: „ Etenim, inquit Confutatione 5. si a Spiri„ tu Sancto genitus esses, facere te illud oportebat, „ ut sacris omnibus codicibus pervolutis, a Genesi ad „ Estheris tempora, qui sunt septem & viginti libri „ veteris Testamenti, & viginti duo numerantur: tum „ sacrosanctis quatuor Evangeliis, & sancti Pauli qua„ tuordecim Epistolis, & Apostolorum Actis, Catho„ licis item Epistolis Jacobi, Petri, Joannis, Sapien„ tiæ quoque libris, hoc est Salomonis, & filii Sirach; „ omnibus denique percursis temetipsum damnares ". Nihil eo testimonio dilucidius reperiri potest: utrumque Sapientiæ, & Ecclesiastici librum in eodem authoritatis gradu cum Proto-Canonicis reponit. Præter utriusque Testamenti Proto-Canonicos a sancto Epiphanio recensitos, supponit sanctus Præsul, alios esse Scripturæ libros: *Omnibus*, ait, *denique Scripturæ libris percursis &c.* quid clarius? Ut isti, scilicet Tobias, Judith, &c. inter Scripturas sacras a sancto Epiphanio collocati dicantur. Prius huic veritati suffragatus fuerat sanctus Doctor, cum veluti Spiritus Sancti placitum laudavit hanc sententiam ex cap. 3. Sapientiæ desumptam: *Beata ſterilis incoinquinata, quæ neſcivit torum in delicto, & ſpado, qui non operatus eſt manibus ſuis iniquitatem*. Cæteris sancti Epiphanii locis referendis supersedeo: clara sunt quæ ex eo laudavi, nullumque de divina nostrorum Deutero-Canonicorum authoritate dubium patiuntur. *S. Epiphanius hær. 76.*

Unus nobis objicitur sancti Epiphanii locus e libro de ponderibus, & mensuris desumptus num. 4. Primum quidem sanctus Doctor viginti duos, quos Canon Hebræus complectitur, libros recenset: deinde hæc de quibusdam veteris Testamenti codicibus subjicit: „ Quod „ ad duos illos attinet, qui versibus distincti sunt, Sa„ lomonis videlicet Sapientiam, quæ Panæretus inscri„ bitur, & Jesu filii Sirach librum.... tametsi utiles, „ ac fructuosi illi sint, in Scripturarum numerum ne„ quaquam referri solent: unde nec in Testamenti Ar„ ca collocati sunt ". In eo testimonio duo notatu digna sunt. 1. Sanctus Epiphanius e Deutero-Canonicis veteris Testamenti duos tantum Sapientiæ & Ecclesiastici libros enumerat; de cæteris autem silet. 2. Nullatenus innuit, eos ab authoribus divino *afflatu* præditis fuisse elaboratos; sed ex ea tantum *parte* illos commendat, qua *ſunt utiles, ac fructuoſi*.

Brevis, & sufficiens huic difficultati præberi potest responsio. Agitur eo loci de Hebræorum Canone, in quo nostri Deutero-Canonici non apparent: at nihil inde adversus divinam eorum originem adstrui potest: sanctus Epiphanius librorum indicem, quos septuaginta senes græcæ fidei tradiderunt, computat: verum catalogum Scripturarum, quæ ab Ecclesia recipiuntur, nec texuit, nec texendi consilium ejus fuit.

Levius, & mollius urget, quod subnectitur, utrumque Sapientiæ, & Ecclesiastici librum utilem, ac fructuosum a sancto Epiphanio haberi, nec in Canone collocari. Hoc scilicet unum demonstrat sanctus Doctor, quod in Scripturarum Canone, quem Ecclesia tum condiderat, hosce libros non comparuisse: & sane S. Epiphanius scribens eos in Scripturarum numerum nequaquam referri solere, innuit, a quibusdam saltem Ecclesiis peculiaribus jus istorum codicum habitandi in Canone fuisse agnitum. Quod si sanctus Doctor utilitatem ex utroque Sapientiæ, & Ecclesiastici libro percipiendam commendet; non idcirco divinam utriusque inspirationem negat. Locus ille sancti Epiphanii paulo obscurior clarioribus ejusdem authoris testimoniis elucidari debet: porro sanctus Præsul divinæ authoritatis prærogativam libris Sapientiæ, & Ecclesiastici superius concessit; quid ni illud hujus sententiæ patronum arbitramur?

Theodotus Ancyranus Episcopus in Ephesina Synodo asseruerat, *Deum hominem ita factum esse, ut maneret Deus, & Verbum*. Nestorianos, ut moris est hæreticis, quinam ista possent fieri scisitantes, divinæ Omnipotentiæ, & miraculorum commemoratione reprimit. „ Quomodo, inquis, & qua ratione? Non sicut „ cogitando assequi tu potes; sed ut ille (Deus) ad „ miracula facienda est idoneus: nam cum miraculum „ dico, omitte rationes, &c. " Deinde miracula e sacris Scripturis (ut asserit) petita recenset, quibus factum ipsum sine effectionis ratione constat: ut quod Ægypti fluvius Mosis imperio in cruorem conversus sit; *Theodotus p. 523.*

quod

quod cum lux esset Israelitis, id ipsum nox fuit Ægyptiis: quod in camino ardenti tres pueri læti canticum Deo cecinerint, & fornacis Babylonicæ flamma ros eis facta sit. Quæ, ut dixi, in eum finem e Scripturis adduxit potissimum Theodotus, ut doceret, non Mysteriorum, quæ gesta sunt, rationem esse inquirendam. Existimavit itaque Theodotus, historiam, & hymnum trium puerorum in fornace, ejusdem authoritatis esse ac Exodum, unde cætera desumpsit miracula. Fuit quoque hæc sententia Patrum Ephesinorum, qui istis comparationibus e Scriptura sacra desumptis annuerunt: nec etiam Theodotus quoad divinam hymni trium Puerorum authoritatem dissentientes habuit Nestorianos, quorum errorem miraculis supra laudatis impugnabat: qui tamen nihil non tentarunt, ut Catholicorum rationes, & argumenta elevarent, & pessumdarent.

Sanctus Joannes Damasce-nus.

Patribus Græcis, quos hactenus laudavi, addere mihi liceat S. Joannem Damascenum, quem in Doctorum Catholicorum albo collocat Ecclesia. Is pluribus in locis divinam Baruchi authoritatem comprobat, præsertim lib. 4. de fide orthodoxa cap. 6. *Quod si*, inquit, *in divinis quoque Scripturis dicitur, post hæc in terra visus est, & cum hominibus conversatus est*, &c. Hæc leguntur Baruchi cap. 3. Ad commendandam cælestem libri Sapientiæ originem apprime facit quod capite 3. ejusdem codicis citat sanctus Doctor: *Dominus dicit, quod justorum animæ in manu Dei sint, nec mors eos attingat.* Nec minorem historiæ trium puerorum in fornace tribuit authoritatem: quippe hanc historiam cum plurimis e sacra Scriptura petitis lib. 4. de fide orthodoxa cap. 24. adducit. Oratione de iis, qui in fide dormierunt, librum 2. Mach. divinam Scripturam θείαν γραφὴν nuncupat. In parallelis sacris, quæ a sancto Joanne Damasceno adornata sunt, innumeræ occurrunt sententiæ ex Ecclesiastico aliisque Deutero-Canonicis desumptæ, proferuntur autem passim cum aliis, quæ ex Proto-Canonicis excerptæ reperiuntur; eas sigillatim referre nec vacat, nec opus est: sat erit dicere, sua multitudine legenti cursim obvias fieri.

Lib. 4. de fide orthodoxa cap. 15.

Daniel. cap. 3.

Obiter monendum est, quod S. Joannes Damascenus lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 17. in sacrarum Scripturarum Canone Deutero-Canonicos veteris Testamenti non constituat: cujus quidem omissionis ratio hæc legitima videri debet, quod Joannes Damascenus integrum sancti Epiphanii de ponderibus, & mensuris locum transcribat, in quo nostri Deutero-Canonici non deprehenduntur. Epiphanius autem hoc unum sibi proposuit, ut Hebræorum Canonem publici juris faceret, non Christianorum: unde subjungit, Sapientiam Salomonis, & Ecclesiasticum, *tametsi sint fructuosi, & utiles, in Scripturarum numerum nequaquam referri, nec in Aron, seu Testamenti Arca collocari.* Ubi voce *Aron* armarium significatur, quod in Synagogis Judæorum erat usitatum. Hujus armarii Tertullianus meminit lib. de cultu fœmin. in quo librum Enoch non esse sacrum ostendit, quod nec *in armarium Judæorum admittatur.*

Ad armarium Judæorum libenter referrem originem secretarii, quod in nonnullis olim Ecclesiis inserviebat recondendis sacris, & Ecclesiasticis libris. Sanctus Paulinus Ep. 12. ad Severum meminit duorum secretariorum ad utrumque sanctuarii latus collocatorum, quorum unum inserviebat ad recondendam sacram Eucharistiam, ut quibusdam visum est, vel, ut est aliorum opinio, erat ipsa quæ nunc vocatur Sacristia: alterum vero secretarium asservandis sacris, & Ecclesiasticis libris erat destinatum: testatur enim Paulinus se, quod ad lævam erat, secretarium hoc inscripsisse districho:

Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas:
Hic poterit residens sacris intendere libris.

Sed hæc breviter dicta sint.

CAPUT VI.

De Tertulliano, S. Cypriano, plurimisque Patribus Latinis divinam nostrorum veteris Testamenti Deutero-Canonicorum authoritatem astruentibus.

SAtis e jam dictis manifestum arbitror, quid de veteris Testamenti Deutero-Canonicorum authoritate senserint Patres Græci: ordo jam me eo vocat, ut Patrum Latinorum de eadem veritate mentem exponam, eorum præsertim, qui in suis operibus nullum Scripturarum indicem posteritati reliquerunt.

Tertullianus.

A Tertulliano, qui Apostolorum temporibus proximus floruit, duco initium. Hic lib. de *Monogamia* cap. 17. Monogamiam laudat; secundas autem improbat nuptias exemplis e Scriptura repetitis, *imprimis Isaac Monogami, & Judithæ filiæ Merari.* Lib. de præscript. Hæreticorum cap. 7. Librum Sapientiæ commendat ex eo, quod, ut ipse putat, a Salomone conscriptus fuerit. *Ipse* (Salomon) *tradiderat Dominum in simplicitate cordis esse quærendum*, quod habetur Sap. cap. 1. v. 1. Ad probandam cælestem libri Ecclesiastici inspirationem non minoris virtutis est, quod ex cap. 15. ejusdem libri profert Tertullianus: *Sicut scriptum est: ecce ego posui ante te bonum, & malum, gustasti enim de arbore agnitionis.*

Lib. de exhort. Cast. cap. 12.

Tertullianum excipit S. Cyprianus lib. de Mortalitate: sententiam ex cap. 4. Sapientiæ decerptam ita laudat: „ Sed & per Salomonem docet Spiritus Sanctus, „ eos, qui Deo placent, maturius isthinc eximi, & ei„ tius liberari; ne dum in isto mundo diutius immoran„ tur, mundi contactibus polluantur. Raptus est, in„ quit, ne malitia mutaret intellectum illius, &c. “. Eadem loquendi ratione utitur, cum Epistola 65. ad Rogatianum Ecclesiastici mentionem facit: „ Sed & Salo„ mon in Spiritu sancto constitutus testatur, & docet „ quæ sit Sacerdotalis authoritas, & potestas dicens: „ ex tota anima tua time Deum, & Sacerdotes ejus „ sanctifica “. Et libro de Opere, & Eleemosynis: „ Loquitur in Scripturis divinis Spiritus sanctus, & di„ cit .... sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna „ extinguit peccatum. “ Consimilis est citatio libri Tobiæ libro de opere, & eleemosynis, ubi ait Sanctus Cyprianus: „ Loquitur in Scripturis divinis Spiritus „ sanctus, & ait: eleemosynis, & fide delicta purgan„ tur “. Et lib. 3. ad Quirinum Scripturis ostendit sanctus Doctor, homines a Deo tentari ut probentur. „ De hoc ipso, inquit, in Machabæis; Abraham non„ ne in tentatione inventus est fidelis, & deputatum est „ ei ad justitiam? “ Liber ille tertius sancti Cypriani ad Quirinum capitula duntaxat complectitur de Scripturis sacris excerpta, *præcepta dominica*, & Magisteria Divina.

S. Cyprianus.

Eccl. cap. 7.

Eccl. cap. 3.

Lib. 1. Mach. cap. 2.

Si quis igitur ad locorum Tertulliani, & sancti Cypriani contemplationem animum adjungere velit, intelliget sane, eam fuisse II. & III. sæculo Ecclesiæ Africanæ mentem, ut nostri Deutero-Canonici velut divinæ authoritatis libri spectarentur. Ad illam traditionem respectarunt Patres Concilii Carthaginensis, cum Canoni Scripturarum veteris Testamenti Deutero-Canonicos adscripserunt: id etiam nosse visi sunt Heterodoxi, qui in exponendo Tertulliano, vel Cypriano ubi de nostrorum Deutero-Canonicorum authoritate agitur, ingenia sua numquam macerarunt. Senserunt optime utriusque Patris Africani authoritate nimium se premi, quocirca id unum effutiere, Tertullianum æstu disputationis abreptum lineas necessariæ veritatis excessisse.

Si per consequentes ætates nostra decurrat disquisitio, offerent sese statim Lucifer Calaritanus, sanctus Ambrosius, sanctus Optatus Milevitanus, sanctus Fulgentius, innumerique alii, qui in variis suorum operum locis divinam nostrorum Deutero-Canonicorum authoritatem prædicabunt. Sed ex iis utpote passim obviis, nos pauca tantum seligemus, ne lectori fastidium ferant. Primus occurrit animo sanctus Ambrosius lib. de Tobia cap. 1. „ Lecto, inquit, prophetico libro, qui inscri„ bitur Tobias, quamvis plene vobis virtutes sancti „ Prophetæ Scriptura insinuaverit, &c. “ Lib. *de Viduis* prolixum Judithæ ita adornat elogium: „ Sed ut „ discas maturæ viduitatis affectum, seriem ipsam per„ sequere Scripturarum. A diebus enim viri sui, quibus „ ille defunctus est, vestem jucunditatis deposuit Judith, „ mœroris assumpsit; per omnes dies intenta jejunio, „ sabbato sacrarumque temporibus Feriarum, non refe„ ctioni indulgens, sed Religioni deferens &c. “ Lib. 3. *de Spiritu sancto* cap. 19. „ Authoritatem requirunt „ (Pneumatomachi) ut lectione doceamus, quia non „ peccavit Spiritus sanctus, sicut de Filio lectum est, „ quia peccatum non fecit: & hoc accipiant Scriptura„ rum authoritate nos docere. Scriptum est enim: quia „ in Sapientia est Spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, „ .... immaculatus. Immaculatum dicit Scriptura: „ nunquid mentita est de Filio, ut de Spiritu credas „ esse mentitam “? Triplex illud sancti Ambrosii testimonium aperte demonstrat ejusdem Doctoris mentem in asserenda cælesti nostrorum Deutero-Canonicorum origine; si quis in favorem libri Ecclesiastici, & utriusque Machabaici, testimonium sancti Ambrosii desideret, adeat pro Ecclesiastici codice librum de bono mortis cap. 8. & librum 4. de Fide cap. 4. Pro astruenda utriusque libri Machabæorum divina authoritate, legat librum 2. de Jacob, & vita beata, cap. 10. 11. 12. nec silentio omittendus erit liber primus de officiis cap. 40. & 41.

Cap. 7. Sap.

Ad vindicandam nostrorum Deutero-Canonicorum dignitatem, suus etiam erit Optato Milevitano locus. Libro 4. contra Parmenianum Donatistam insignis locus, ac notatu, si quis alius in Optato, dignissimus legitur: „ Et illud quod in Salomone Propheta lectum

„ esse

„ esse dixisti, filios adulterorum inconsummatos, & „ spuria vitulamina altas radices dare non posse “. Hæc habentur Sap. cap. 3. v. 16. & cap. 4. v. 3. ubi sanctus Optatus & suam, & Donatistarum, quos impugnat, sententiam de divina libri Sapientiæ inspiratione aperte designat. Libro 3. *Deinde scriptum est: quemadmodum aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum*. Id desumptum est ex cap. 3. Ecclesiastici cap. 33. Testimoniis aliis ex sancto Optato, Fulgentio, &c. desumptis posset ostendi, quod nostri Deutero-Canonici afflatu Sancti Spiritus fuerint elucubrati: sed pedem in agrum illum ulterius inferre supervacaneum foret, in quo tot seduli operarii mihi nec messem, nec spicilegium reliquerunt: lectores itaque hujusce probationis expositionem longiorem inquirentes, consulant eruditum Cardinalem Bellarminum, Natalem Alexandrum, Frassenium, complureſque alios, qui in defendendo sacrarum Scripturarum Canone desudarunt.

Ex dictis satis apertum arbitror, Patres, quos in 3. & 4. Sectione appellavi, esse totidem fidejussores venerationis, & divinæ authoritatis, quæ nostris Deutero-Canonicis antiquitus tributa est. Prodiit tamen nuper libellus Frickio authore, qui divinam hanc prærogativam nostris Deutero-Canonicis abjudicare ausus est. Suo operi Frickius titulum fecit, *De cura Ecclesiæ veteris circa Canonem sacræ Scripturæ, & conservandam codicum puritatem, commentatio Theologico-Critica*. Ulmæ anno 1728. edita est. Caput 2. hujus operis eo collimat, ut venerationem, qua sacras Scripturas Patres antiqui prosequebantur, integram in Proto-Canonicos transferat, nostris Deutero-Canonicis nullam omnino ascribere videatur. Sed quam iniquum illud sit judicium, facile recognoscitur ex Patribus in 3. & 4. Sectione laudatis, quos veteris Testamenti Deutero-Canonicorum divinæ inspirationi propugnandæ veluti fœderatos exhibuimus. De mente vero sanctorum Cyrilli Hierosolymitani, Athanasii, Gregorii Nazianzeni, &c. quos in sui erroris patrocinium advocat Frickius, inferius suo loco disseretur.

SECTIO QUINTA.

Ex eo, quod nostri Deutero-Canonici in Missis, & antiquis olim Officiis lecti fuerint, divina eorum authoritas demonstratur.

NON inutile erit statim e limine hujus Sectionis rem summopere necessariam perspicue docere, quo facilius nostra probatio procedat, sensusque ejus aperiatur: scilicet ex Missalibus, & Breviariis venerandæ antiquitatis, in quibus Deutero-Canonici nostri legendi in Ecclesia præscribuntur, eorumdem divinam authoritatem demonstrare aggredimur. Ut vero certa cum methodo disputemus. 1. Non abs re erit breviter ostendere, semper e Scripturis, non ex aliis libris desumptas fuisse lectiones, quæ in Missis celebrandis recitandæ præcipiuntur. 2. E nostris Deutero-Canonicis usu antiquissimo in Missalia, & Breviaria lectiones transmissas fuisse.

CAPUT I.

Semper e sacris Scripturis desumptæ tantum sunt lectiones, quæ in Missalibus ad Missas, & quæ in Breviariis ad primum Nocturnum recitandæ præcipiuntur.

LEctio sacrarum Scripturarum ex utroque Testamento antiquitus semper facta est, & in omnibus Officiis præscripta: hunc usum suo tempore invaluisse declarat Tertullianus: „ Coimus ad divinarum litterarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere “. Sanctus Chrysostomus, vetereſque Liturgiæ meminere duntaxat operum utriusque Testamenti, quorum partes laceræ intra Missarum solemnia legebantur:

Hom. de spect. David, & Saul.

„ Non expaveſcis, inquit Chrysostomus, dum iisdem „ auribus audis obscœna, & Prophetam, Apostolumque ad arcana Scripturæ introducentem “. Usum Ecclesiæ Africanæ testatur sanctus Augustinus lib. 3. de Civ. Dei cap. 8. „ Salutavi, inquit, populum; facto „ tandem silentio, divinarum Scripturarum sunt lecta „ solemnia “. In antiquis Missalibus duæ reperiuntur lectiones in Missæ Sacrificio dicendæ; prima e veteri Testamento, e novo altera petita est. Geminam hanc lectionem ab Orientalibus Ecclesiis fuisse decantatam Pachimeres diserte ostendit. „ Per lectores, inquit, divinarum Scripturarum, Prophetarum, Apostoli, & „ divini Evangelii lectio fit “. Hæc consuetudo legendarum duntaxat Scripturarum intra Missas celebrandas clarior evasit sæculis, quæ sanctum Augustinum, & sanctum Chrysostomum subsecuta sunt. Musæus, teste Gennadio, singulis anni diebus debitas lectiones e Scripturis tantum decerptas assignaverat. „ Hortatu, inquit, san- *De viris illustribus cap. 79.*
„ cti Venarii Episcopi sui excerpsit e sacris Scripturis „ lectiones totius anni, festivis aptas diebus “. Ubi Gennadius ex istis lectionibus excludit eas, quæ ex Patrum operibus in Missalia transcribi potuissent: contendit enim, illas duntaxat lectiones singulis *totius anni* diebus a Musæo fuisse assignatas, quas Musæus ex sacris Scripturis excerpserat. Non minus clarum est, quod refert Anastasius in vita Benedicti III. qui medio circiter IX. Sæculo summum gessit Pontificatum. Restituit, teste Anastasio, lectionarium, „ in quo erant „ Scripturarum lectiones, quæ a Subdiaconibus more „ solito leguntur, per cunctas Ecclesiarum stationes “.

Fuit quidem mos ille vetustissimus, ut lectiones intra Missarum solemnia legendæ ex Epistolis sancti Pauli tantum peterentur: hinc in antiquissimis Liturgiis nomen *Epistolæ* lectionibus impositum est. Hinc in Liturgia sancti Basilii legitur, *cumque lecta fuerit Epistola Pauli coptice, dicet orationem sequentem secreto*. *Renaud. tom. 1. liturg. S. Basil.*

Deinceps variæ pro variis temporibus, variisque circumstantiis Missæ ordinatæ sunt, quibus Epistolæ Paulinæ, ob pauciorem numerum, sufficere non potuerunt: quocirca confugere necesse fuit ad vetus Testamentum, ex quo derivatæ sunt lectiones, quæ in Missarum celebratione legerentur.

Nec tantum in Missarum solemniis, sed etiam in Breviarii recitatione lectiones primi nocturni, ut ajunt, e sacris Scripturis semper desumptæ sunt. Ratio, quæ meam mentem huic sententiæ devinctam tenet, petitur ex Honorio Augustodunensi Presbytero; floruit ille ineunte XII. Sæculo; plurima opera Philosophica, & Theologica scripsit, inter quæ illud merito recensetur, quod Gemmam animæ nuncupavit: complectitur iste codex libros quatuor de divinis officiis, & antiquo ritu Missarum, &c. lib. 4. cap. ultimo monet, quid de Scripturis divinis annuatim Clericis legendum incumbat. Juvat illius referre testimonium: „ Hi libri sunt authentici, & hi sunt in divinis officiis legendi. In se„ ptuagesima usque in Passionem legatur Pentateuchus, „ quem scripsit Moyses, & liber Josue, quem ipsemet „ scripsit, & liber Judicum, & Ruth, quos Gedeon, „ & Samuel scripsisse dicuntur. A Dominica Passionis „ Domini usque in Cœnam ejus legatur Jeremias Pro„ pheta, quem ipse scripsit. Tribus diebus ante Pa„ scha legantur Lamentationes ejusdem. Ab octava Pa„ schæ per tres hebdomadas legatur Apocalypsis, quam „ scripsit Joannes Apostolus. Deinde per duas septima„ nas legantur canonicæ Epistolæ, quas *scripserunt* „ Jacobus, Petrus &c. Ab Ascensione Domini usque „ in Pentecostem legantur Actus Apostolorum, quos scri„ psit Evangelista Lucas. Ab Octava Pentecostes usque „ in Kalendas Augusti legantur libri Regum; quorum „ primum scripsit Samuel, secundum Nathan, tertium, „ & quartum Jeremias; & duo libri Paralipomenon, „ quos Sapientes Synagogæ scripserunt. A Kalendis „ Augusti usque in Septemb. legantur Parabolæ Sa„ lomonis, & Ecclesiastes, & Cantica Canticorum, „ & liber Sapientiæ, quos omnes Salomon scripsit, „ & Ecclesiasticus, quem Jesus filius Sirach compo„ suit. A Kalendis Septembris per duas septimanas „ legatur liber Job, quem ipsemet scripsit: deinde per „ unam septimanam liber Tobiæ, quem ipse scripsit: „ deinde per unam hebdomadam legatur liber Judith, „ quem ipsa vel Achior scripsit: deinde per unam le„ gatur liber Esther, quem Mardochæus composuit, „ sed potius ab Esdra scriptus creditur, & ipsius Es„ dræ liber recitetur, quem ipsemet edidisse non ignora„ tur. A Kalendis Octobris usque ad Kalendas No„ vembris legantur libri Machabæorum. A Kalendis „ Novembris, usque in Kalendas Decembris legantur „ Ezechiel, Daniel, & duodecim minores Prophetæ, „ qui a Senioribus Synagogæ scripti dicuntur, sed me„ lius ab ipsis editi creduntur. Ab Adventu Domini, „ usque in Nativitatem Domini legatur Esaias, quem „ ipse scripsisse non dubitatur. Post Octavam Epipha„ niæ legantur Epistolæ Pauli Apostoli usque in Se„ ptuagesimam “. Huc usque Honorius Augustodunensis, quem latius adhuc retulissem; sed ne nimium in citando Lectori tædium procrearem (quod ne tamen aliquando contingat metuo) curiosiores ad Honorium ipsum remitto.

Si quis tamen dicta Honorii bene pensitaverit, sibi facile persuadebit, 1. ex sacris Scripturis primas divini Officii, quod Matutinum vocant, lectiones fuisse decerptas. 2. Nostros Deutero-Canonicos authenticarum, & divinarum Scripturarum titulo, ab Honorio Augustodunensi fuisse insignitos. Sic enim omnium Galliæ Ecclesiarum

rum ferebat uſus; & hæc de noſtris Deutero-Canonicis fides, ex antiquo tempore, in Gallorum animis radices altiores egerat, cum Honorius iſtos codices veluti authenticos, & in divinis Officiis legendos confidenter præſcribat.

CAPUT II.

E noſtris veteris Teſtamenti Deutero-Canonicis, uſu antiquiſſimo, in Miſſalia, & Breviaria lectiones tranſmiſſæ ſunt.

MIſſalia non ſunt unius Doctoris voces, ſed Eccleſiarum, quarum uſui deſtinata ſunt: legis illa vim obtinent, qua, ſi ſacras literas excipimus, major nulla reperiri poteſt: nec id recenter excogitatum fuit, cum precum Eccleſiæ, ſeu Liturgiarum, ac Miſſalium teſtimoniis ſanctus Auguſtinus Pelagianos confutaverit, ut a Cœleſtino ſummo Pontifice, & aliis compluribus peractum eſt. Ita quidquid potiſſimum in Miſſali cujuſdam Eccleſiæ legitur, teſtimonium ejuſdem Eccleſiæ eſt; ſcire, verbi gratia, vellem, num Eccleſiæ Orientales recte antiquitus de præſentia reali corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia ſenſerint: ad earum Liturgias & Miſſalia provocare poſſum: in quibus cum deprehendo, conſecratione panem fieri corpus, & vinum fieri ſanguinem Chriſti, quin illæ rectam & catholicam de præſentia reali fidem tenuerint, dubitare non poſſum.

Cum tanta ſit Miſſalium authoritas, nemo, opinor, moleſte feret, quod ad eam confugiamus, ut veteris Teſtamenti Deutero-Canonicorum inſpiratio poſſit demonſtrari.

Pariſiis in Bibliotheca ſanctæ Genovefæ num. 878. aſſervatur Miſſale manuſcriptum, quod XII. Sæculo Eccleſiæ Pariſienſis uſui conſecratum erat. In eo autem Miſſali ad Miſſam ſabbati tertiæ hebdomadis in quadrageſima legitur integra Suſannæ hiſtoria, qualis a Daniele refertur. Pariter in Miſſa ſancti Joannis Baptiſtæ annotatur inſtar Epiſtolæ, lectio ex cap. 2. Eccleſiaſtici petita, quæ ſic incipit: *Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius, &c.* In octava SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli altera lectio deſignatur: deducitur e capite 44. Eccleſiaſtici: illius hoc eſt exordium: *Hi ſunt viri miſericordiæ, &c.* Miſſæ, quæ in celebrandis ſanctorum Martyrum diebus feſtivis decantari ſolent, repræſentant varias lectiones, quæ ex cap. 5. Sapientiæ petuntur: inter quas ſæpius hæc citatur: *Stabunt juſti in magna conſtantia, &c.* Cum Miſſa pro defunctis celebratur, prædictum Miſſale in Bibliotheca San-Genovefana depoſitum, præſcribit lectionem, *Vir fortiſſimus Judas &c.* cap. 12. lib. 2. Machab.

In eadem Bibliotheca num. 843. vetus Miſſale manuſcriptum oſtenditur, quod XIII. Sæculi canitiem ſuperare veriſimile eſt: in quo eædem e noſtris Deutero-Canonicis deſumptæ lectiones imperantur in iiſdem Miſſis recitandæ.

Extat etiam in eadem Bibliotheca Miſſale manuſcriptum, quod XIV. Sæculo exaratum eſt; notatur num. 841. ſunt eædem numero lectiones, eædem pro eodem loco, iiſdemque Miſſis appoſitæ: nec ullum obſervatur diſcrimen inter lectiones, quæ in Miſſalibus ſupra dictis deſignatæ ſunt, & illas, quas codex iſte exhibet.

Alterum in Bibliotheca ſanctæ Genovefæ Miſſale conſpicitur num. 862. Circa finem XIII. ſæculi fuiſſe exaratum conjectare licet; repræſentat Miſſarum ordinem, quem antiquitus Eccleſia Conſtantienſis obſervabat, e qua ſuos etiam ritus olim ſuſcipiebant Canonici Regulares ſancti Laudi Rothomagenſis, quorum manibus detritum illud Miſſale eſt. Feria quarta hebdomadis ſecundæ in quadrageſima, lectio habetur petita ex cap. 13. Heſteræ Deutero-Canonico. En illius lectionis initium: *Oravit Mardochæus &c.* In ſabbato hebdomadis 3. Suſannæ integra hiſtoria legitur. Lectiones ex libris Sapientiæ, Eccleſiaſtici, utriuſque libri Machabæorum paſſim in eo Manuſcripto occurrunt, quæ Miſſis ſive propriis, ſive ut vocant communibus alligatæ ſunt. Eas recenſere poſſem, niſi quod mihi laboris compendium hic eſſe faciendum Lector admoneat: adeſt in Bibliotheca ſanctæ Genovefæ Miſſale iſtud manuſcriptum, a curioſis ſi vacat facile conſulendum.

Cernitur in eadem Bibliotheca manuſcriptum Miſſale num. 842. in quo ritus, & ordo Miſſarum in Eccleſia ſanctæ Genovefæ celebrandarum præſcribuntur: dignum ſane, quod propter ſuam vetuſtatem in noſtrorum Deutero-Canonicorum vindiciis locum aliquem ſibi vindicet. Miſſa pro defunctis lectionem e cap. 12. lib. 2. Machabæorum ſibi aſſumit, ſcilicet, *vir fortiſſimus Judas, &c.* In Miſſa pro pace obtinenda deſignatur lectio, quæ cap. 1. lib. 2. Machab. ita legitur, *orationem faciebant Sacerdotes, &c.* Feſtum ſancti Auguſtini ſuam lectionem Miſſale mutuatur ex cap. 44. Eccleſiaſtici: *Ecce Sacerdos magnus &c.*

Lectorem non pigeat audire me ſemper citantem Miſſalia quæ Bibliotheca ſan-Genoveſana diligenter aſſervat: dives illa eſt in ejuſmodi codicibus & haud ſcio an ulla ſit ditior: quod quidem non ad vanam, & inanem oſtentationem a me dicitur; ſed ut eruditis iſtorum codicum indagatoribus detegatur locus, in quo Theſaurus ille pretioſus reperiri, & uſurpari facile poſſit. Quæ ſuperius enumeravimus Miſſalia, cum aliis non paucis perhumaniter ſuppeditabuntur: quippe recenſitis Miſſalibus conjungimus illud, quod ex Abbatia Beatæ Mariæ de Parco in Normandia in noſtram Bibliothecam advectum eſt: notatur num. 808. Alterum etiam ſanctæ Genovefæ comparet num. 840. deinceps alia computantur ſuis, propriiſque numeris indicata, quæ in ſuo Miſſarum ordine varias ex veteris Teſtamenti Deutero-Canonicis lectiones deſignant. Horum Miſſalium poſtremum eſt, quod exaratum legitur anno 1404. Cernuntur in eo lectiones eædem ex noſtris Deutero-Canonicis derivatæ, quæ hodie in Miſſis juxta uſus Eccleſiæ Romanæ celebratis vel recitari, vel decantari ſolent.

Quid de veteris inſtrumenti Deutero-Canonicis Hiſpaniarum Eccleſia olim ſenſerit, demonſtrat ſatis Miſſale, quod *Mozarabes* nuncupari conſuevit. Dominica in Ramis ad Miſſam deſignatur lectio petita e cap. 3. Jeſu Filii Sirach, ideſt Eccleſiaſtici; en illius exordium: *Judicium Patris audite Filii dilecti, &c.* Feria quinta in cœna Domini in Miſſa cantatur lectio, quæ cap. 1. lib. Sapientiæ hiſce verbis initialibus comparet: *Fili, Deus mortem non fecit, &c.* Quæ vero in Miſſa pro defunctis *Vir fortiſſimus Judas, &c.* aſſignatur, ſuam etiam in eo Miſſali ſedem obtinet. *Lib. 2. Macb. cap. 12.*

E libris, qui vulgo Breviaria dicuntur, alterum erui poteſt argumentum, quo divina noſtrorum Deutero-Canonicorum authoritas propugnetur: una enim omnium vox eſt, quod lectiones primi Nocturni ex ſacris Scripturis ſemper excerptæ ſint; id ita certum eſt, ut is, qui Breviaria vel a limine ſalutavit, id ignorare non poſſit. Hæc ea fuit ſemper Eccleſiæ mens, ut in primi Nocturni lectionibus Scripturas ſacras Clericis legendas proponeret, & imperaret. Porro e noſtris Deutero-Canonicis lectiones primi Nocturni ſæpius repetiit olim Eccleſia. Hujus rei teſtem advocare fas mihi ſit Honorium Auguſtodunenſem, cujus locum uberiorem cap. 1. hujuſce Sectionis protuli. Is, cum divinum Officium a Clericis rite perſolvendum ordinat, inter Scripturas ab ipſis ſuo tempore in divino officio recitandas commemorat noſtros Deutero-Canonicos. Vetus admodum eſt Breviarium Mozarabes, nec ſterilem largitur probationem, qualem eam pro noſtris Deutero-Canonicis expetimus. Prima die jejuniorum Kalendarum Januarii lectionem ex cap. 13. Sapientiæ in divino Officio recitandam præſcribit. Ita orditur: *Fili, benedictum eſt lignum, &c.* Dominica quinta poſt Octavam Epiphaniæ ſuam pro matutinis lectionem ex cap. 1. Eccleſiaſtici deſumit; ecce ejus initium: *Omnis ſapientia a Domino Deo eſt, &c.* Lectiones ex utroque libro Sapientiæ, & Eccleſiaſtici recitandæ deſignantur Feria quinta poſt ſecundam Dominicam in Quadrageſima; ſabbato poſt Dominicam quintam in Quadrageſima; & Feria tertia poſt Dominicam Palmarum.

Non nemo forſan & hac objectione contra ſententiam noſtram pugnaturus eſt, quædam ſcilicet ex libris, qui divini non ſunt, in divina officia tranſiiſſe. Eccleſia enim introitui, qui Feria tertia Pentecoſtes ad Miſſam canitur, inſeruit illud, quod cap. 2. lib. 4. Eſdræ legitur: *Accipite jucunditatem gloriæ veſtræ gratias agentes Deo, qui vos ad cæleſtia regna vocavit:* nemo tamen dixerit, librum hunc inſpiratione ſancti Spiritus conſcriptum fuiſſe. Notum omnibus eſt, e Sedulio Poeta excerptum eſſe, quod diebus Beatæ Mariæ Virginis feſtivis initio Miſſæ decantari ſolet: *Salve Sancta Parens, &c.* Quocirca infirmum omnino eſt, ac luſcum illud argumentum, quod e divinis Officiis petitur, ut veteris Teſtamenti divina authoritas ſtabiliatur.

Haud operæ pretium eſſe duco, objectionis hujus vanitatem deprimere, quæ nihil firmi, nihilque etiam ſpecioſi continet. Non diffiteor, introitus, gradualia quoque, & offertoria deduci aliquando ex operibus, quibus divina authoritas non competit; at de iſtis Miſſæ partibus non agitur, has enim non adhibeo, ut noſtrorum Deutero-Canonicorum cæleſtem originem oſtendam: mea conquieſcit tantum probatio in Epiſtolis, & lectionibus, quæ ab ortu Miſſalium ad hanc uſque ætatem e Scripturis ſemper deſumptæ ſunt: uſus ille illæſus ſemper manſit, ac illibatus; interruptum vero, aut cuidam mutationi fuiſſe obnoxium, nemo, opinor, demonſtrabit.

SE-

SECTIO SEXTA.

Solvuntur objectiones, quas Heterodoxi adversus veteris Testamenti Deutero-Canonicos e Patribus eruere conantur.

RARI apparent Patres, & Theologi, qui divinam nostrorum Deutero-Canonicorum authoritatem vel negaverint, vel in dubium revocaverint: si qui sint, hi absque dispendio pacis, & unitatis Ecclesiasticæ suam sententiam propugnarunt: parati tamen ut eam deponerent, si contraria sententia definiretur authoritate Ecclesiæ, vel graviori rationum pondere vindicaretur. Quod S. Augustinus de sancto Cypriano, & Episcopis, qui Hæreticos ad Ecclesiam redeuntes rebaptizandos esse contendebant, id Patribus quibusdam, quos nobis opponunt hæretici, applicare mihi liceat. *Lib. 5. de Baptis. cap. 2.* „ Illud erratum „ cooperiebat unitatis Charitas, quandiu inerat ista „ non diabolica dissensio, sed humana tentatio; donec „ eis, sicut dicit Apostolus, si quid aliter sapiebant, „ Dominus revelaret “. Si quidam Patres de nostris Deutero-Canonicis non ita recte senserunt, eorum error innocuus fuit. Nec mala fide egerunt nonnulli ante Synodum Tridentinam Theologi, qui divinam eorum authoritatem in dubium revocaverunt: „ Hoc autem fecit „ sanitas pacis, ut cum diutius aliqua obscuriora quæ„ runtur, & propter inveniendi difficultatem diversas „ pariunt in fraterna discrepatione sententias, donec ad „ veram perveniatur, vinculum permaneat unitatis, „ nec in parte præcisa remaneat insanabile vulnus erro„ ris “. Ita ante Ecclesiæ definitionem, quæ potissimum in Concilio Tridentino peracta est, controversia de Deutero-Canonicis veteris Testamenti diversas in fraterna discrepatione pepererat sententias: donec ea difficultas hinc, & inde disputationibus pertractata ad veritatem definitam a Patribus Tridentinis perducta fuerit.

CAPUT I.

Hæretici Patrum authoritatem sibi incassum arrogant.

IN cæteris fidei quæstionibus authoritatem Patrum parvi pendunt Heterodoxi: in assignando autem Scripturarum sacrarum numero ad Patrum traditionem confugiunt. Ut enim Deutero-Canonicos e veteri Testamento excludant, nihil non moliuntur, ut in sui patrocinium erroris numerum Patrum augeant: versant eorum libros, non veritatem, si forte occurreret, amplexaturi, sed quo sanctos Doctores etiam obtorto collo suam in sententiam trahant, & Patres ipsorum potius discipuli, quam magistri esse videantur.

Verum etsi Patres tanquam magistros in præsenti quæstione consulerent, id mirum & paradoxum nobis semper videretur: quid enim certi Calvinistæ reperirent apud eos? quorum libri, & sensus, uti contendunt, nulli certo possunt innotescere: nihil dico, quod ipsorum scriptis consignatum non extet. Dallæum audiamus. Is libro 1. *de vero Patrum usu*, integris undecim capitibus statuit, ægre constare posse, quid circa nostras de religione controversias Patres senserint. Cap. 4. ostendere conatur argutulus ille Patrum censor, certo non posse Theologos assequi, quæ vera, & genuina fuerit Patrum sententia, eo quod temporum injuria, rudium imperitia, fraudibus tum piis Christianorum, tum malignis Hæreticorum, germana Sanctorum Patrum opera variis in locis immutata, & adulterata fuerint. Nonnullas ejusmodi interpolationes Dallæus Dionysio Exiguo tribuit, quem reum facit, quod suppresserit Canonis Concilii Laodiceni partem, quæ librorum Canonicorum utriusque Testamenti indicem continet.

Quocirca si suis velint Calvinistæ inhærere principiis, incassum confugiunt ad Canonem Laodicenum, ad scripta Melitonis, Origenis, Gregorii Nazianzeni, & cæterorum, quos suæ sententiæ circa Scripturarum numerum Patronos tam ambitiose, quam falso venditant. Ubique testantur, quod eorum oculos mentiumque aciem fugiat vetus, & sincera Patrum lectio; frustra igitur Patrum scripta evolvunt, ut suam de Canonicis libris sententiam persuadeant.

Præterea alterum nobis suppetit argumentum, quo invicte demonstramus, sanctos Patres non posse in gratiam Calvinistarum de libris Canonicis militare. Prædicant ubique Heterodoxi spiritum illum internum, quo tamquam lapide lydio, & unico Scripturæ ad fidelium notitiam pervenire possint: hunc arbitrum, & judicem constituunt, ut contentiones componat, ut verum Scripturæ sensum, & sacrorum librorum numerum definiat: hic ille est apud Calvinistas solus controversiarum arbiter, ex cujus unctione, & lumine fidei oracula suspensa sunt. Ut quid ergo Heterodoxi, ubi agitur de recensendis Scripturæ libris, Patrum opera tam sedulo inquirunt, & ad eorum præsidium tam diligenter convolant?

Tam pugnantes inter se Hæreticorum sententias retulisse huc saltem juverit, ut probe innotescat omnibus, quam inique in sui patrocinium advocent veterum Patrum authoritatem; tum quantum intersit inter Catholicos, qui suis semper stant principiis, & Hæreticos, qui ubique instabiles in suis erroribus evulgandis vacillant, & inermes remanent.

Antequam divinam nostrorum Deutero-Canonicorum originem ex Patribus, qui subsequuntur, probare aggrediar: id Lectoris animo defixum volo: scilicet, cum de authoris, vel operis cujuspiam statu dijudicando movetur quæstio, non ad paucas utrobique periochas respectum habeamus, sed complures inter se comparemus, quarum aliæ sunt aliarum interpretes. *Quocirca non aspiciamus* (ut sapienter monet Facundus) *in furtivas sententiarum particulas, quas ideo præcidunt Hæretici, ut in eis non appareat intentio dicentis.* *Lib. 9. pag. 383.* Nostra igitur hæc erit methodus, ut non ex Patrum operibus decerptis, aut decurtatis sententiis judicium feramus, sed ex continenti illorum oratione, ac mente, eorumque proposito, quod per universi operis corpus, tamquam succus quidam vitalis diffunditur.

CAPUT II.

De Melitonis, S. Cyrilli Hierosolymitani, SS. Amphilochii, & Gregorii Nazianzeni sententia circa veteris Testamenti Deutero-Canonicos.

RAynoldus Anglus prælectione 36. de libris apocryphis, opponit nobis authoritatem Melitonis, qui Sardium Episcopus extitit; *Vir*, inquit ille, *vetustate antiquissimus, authoritate gravissimus, judicio, doctrina, & sanctitate præstans.* *Pag. 323. 324. 325.* Hos omnes titulos Melitoni non negamus. Quid scripserit adversus nostros Deutero-Canonicos non refert Raynoldus; id igitur ex Gerhardo accipiamus. „ Extat (verba sunt Gerhardi) apud Eu„ sebium lib. 4. Hist. Eccles. cap. 25. Epistola Meli„ tonis Sardensis Episcopi ad Onesimum, in qua me„ morat, se ad Ecclesias Judææ hoc fine profectum, ut „ de Canonis sinceritate certi quid cognosceret; is „ eumdem omnino Canonicorum librorum numerum „ cum nostris Ecclesiis recenset. Rogatus erat hic Me„ lito ab Onesimo, ut veterum librorum certam summam „ præscriberet, quo illi sint numero, & quo ordine „ dispositi; illi igitur inter alia sic scribit: Diligens „ in hoc fui, ut tibi id præstarem .... Ego igitur „ cum in Orientem profectus essem .... Veteris Te„ stamenti libros diligenter didici, eorumque *indicem* „ infra subjectum ad te misi: est autem *ejusmodi*. Mo„ sis libri quinque, Genesis, *Exodus*, Leviticus, Nu„ meri, Deuteronomium, Jesus Nave, Judices, Ruth, „ Regnorum libri quatuor, Paralipomenon duo, Psalmi „ Davidis, Salomonis Proverbia, quæ, & Sapientia, „ Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Job; Prophetarum Isaiæ, Jeremiæ, & 12. Prophetarum liber unus; „ Daniel, Ezechiel, Esdras .... Magni igitur faciendum hoc Melitonis testimonium, ait Gerhardus, cui „ quod obvertant Pontificii, non habent, nisi quod li„ brum Sapientiæ Canonicis annumerarit, quem tamen „ nostræ Ecclesiæ pro Canonico non agnoscunt “. *Loco 1. De script. pag. 34.*

Verum quod e Melitone nobis objicit Gerhardus, vereor ne sagacioribus veritatis indagatoribus persuadere non possit. Quippe Melito eos duntaxat recenset libros, qui omnium Ecclesiarum consensu recepti erant in Canone; id superius de Melitone monuerat Eusebius. „ Universos, inquit ille Historicus, veteris Testamenti „ libros, qui omnium consensu recepti sunt, statim in „ principio operis recenset Melito, quem quidem indi„ cem hoc loco apponere necessarium putavi, &c. Eu„ sebio in exponenda Melitonis mente suffragatur Nice„ phorus Callistus lib. 4. Hist. cap. 10. „ In iis autem, „ inquit, quas scripsit (Melito) eclogis, & Scriptu„ rarum compendiis statim a principio .... veteris in„ strumenti extra controversiam positos libros recen„ set “. *Lib. 4. Hist. cap. 26.*

Eusebius & Nicephorus Callistus asserere non potuerunt, Canonem librorum, qui *extra controversiam erant positi*, a Melitone fuisse contextum, quin suppposuerint, tempore Melitonis, & sua ætate recensitos fuisse libros alios, quibus plurimi divinam authoritatem tribuerent, licet nonnulli Patres hanc prærogativam forsan ipsis negarent. Numquam affirmavi, unanimem extitisse olim sanctorum Patrum de nostris Deutero-Canonicis sententiam; fuerunt enim qui illæsa unitate Ecclesiæ circa sacram veteris Testamenti Deutero-Canonicorum prærogativam penduli, & ancipites visi sunt; quia nondum

lux integra huic quæſtioni affulſerat, nec Eccleſiæ acceſſerat judicium. Divinum illud jus librorum Deutero-Canonicorum olim paulo obſcurius, deinceps diſputationum ſtudiis evolutum eſt: ipſius cognitio provectioris ætatis uſu, ac meditatione concocta, tandem Eccleſiæ univerſæ patuit, & in Concilio Tridentino inconcuſſe aſſerta.

Authoritate ſancti Cyrilli Hieroſolymitani confidenter utitur Raynoldus prælectione 36. pag. 328. 329. Ne lectori verba dediſſe videar, textum Heterodoxi neceſſarium refero: „ Cyrillus ubi expoſuit, qui libri ſint Ca„ nonici, admonuitque lectorem, ne quidquam legeret „ apocryphum: Lege, inquit, divinas Scripturas, ideſt „ viginti duos libros veteris Teſtamenti; tum obiter „ quibuſdam inſertis recurrit eodem: hos ergo lege vi„ ginti duos libros. Cum apocryphis autem nihil habe „ negotii, ſed divinas Scripturas meditare, quas in Ec„ cleſia confidenter legimus; multo te prudentiores, & „ religioſiores fuerunt Apoſtoli duces veritatis, qui hos „ nobis libros tradiderunt; tu cum filius ſis, ne tranſ„ gredere præcepta Patrum tuorum. Hi autem ſunt li„ bri, quos legere oportet. Ita recenſet libros ſigilla„ tim, ſubjicitque veteris Teſtamenti libros his omni„ bus omiſſis, de quibus controvertitur; iterum incul„ cat 22. illos libros eſſe legendos, audiendos, medi„ tandos, cæteros autem reſpuendos “.

Dura ſunt hæc, fateor, quæ Raynoldus e catecheſi 4. ſancti Cyrilli num. 33. &c. adverſus noſtros Deutero-Canonicos objicit: nec invitus conceſſerim, a ſanctiſſimo Præſule ut dubios ſaltem fuiſſe ſpectatos: quoſdam tamen, ubi ſe dedit occaſio, laudavit: quippe catecheſi 9. num. 2. & 16. nonnullas e Sapientiæ libro ſententias mutuatus eſt: & catecheſi 6. num. 4. ſicut 13. num. 8. Eccleſiaſtici verba adhibuit. Idem arbitror Cyrillo contigiſſe, quod nonnullis Patribus, qui noſtros Deutero-Canonicos nec pro divinis, nec pro Canonicis certo habuerunt, eo quod ab omnibus Eccleſiis, ut divini non reputarentur: attamen cum de eorum bonitate, & utilitate certa traditio haberetur, de eorum vero divinitate non ita eſſet explorata; factum eſt, ut quidam e Patribus codices Deutero-Canonicos, nunc tanquam utiles, nunc tanquam divinos laudarent: cæterum expectabant quid in poſterum hac de re pronunciandum ab Eccleſia foret, ut in ejus oraculo acquieſcerent, cujus ex voce fidei definitiones ſuſpenſæ ſunt.

S. Amphilochius. Optandum foret ut ſanctus Amphilochius Iconenſis Epiſcopus veteris Teſtamenti Deutero-Canonicis divinæ inſpirationis prærogativam evidenter tribuiſſet; quod quoniam optare fas eſt, ſperare certe non licet: ut mens Amphilochii facilius innoteſcat, locum ex ejus Epiſtola Jambica deſumptum ſubjicere non pigebit:

Non tuto cuivis eſſe credendum libro,
Qui Biblici prænomen auguſtum ferat:
Quandoque falſo nominati ſunt libri.
Quidam intermedii, vel propinqui terminis
(Ut ſic loquar) ſunt veritatis dogmati:
Quidam ſpurii, periculoſi admodum.

Deinde paulo poſt adjungit:

. . . . . Tibi ſingulos
Divinitus inſpiratos numerabo libros,
Primumque priſci fœderis ſcripta eloquar
Moſaica, Pentateuchum, Geneſim, Exodum.
Et cæt.

Atque ita omnes libros in Canone Hebræorum incluſos computat, omiſſis his, de quibus Catholicos inter, & Heterodoxos controvertitur. Homiliis etiam, quas græce & latine edidit Combefiſius, loca ex noſtris Deutero-Canonicis veluti e libris divinis accepta non inſeruit Sanctus Amphilochius. Nec idcirco criticum Raynoldi acumen triumphabit: abeſt enim plurimum ſanctus Præſul a ſententia quorumdam Heterodoxorum, qui noſtros Deutero-Canonicos, ut periculoſos admodum, ac ſpurios reprobant. Amphilochius vero de illis pronunciat, quod *terminis, & veritatis dogmati ſint propinqui*: ideſt quod ad divinarum Scripturarum authoritatem proxime accederent. Hæretici innumeros errores propugnant, homines pertinaciſſimi, & veritati nunquam ceſſuri: Amphilochius in cæteris orthodoxus, in errore nondum condemnato hæſit dubius, manumque veritati daturus, ſi fuiſſent, qui erroris ipſum convinciſſent, vel Eccleſia decretorie definiiſſet.

S. Greg. Nazianzenus. Raynoldus præl. 36. pag. 332. alterum Eccleſiæ lumen nobis opponit, ſanctum ſcilicet Gregorium Nazianzenum, qui carmine 33. Librorum ſacrorum Canonem adornavit; eo indice extorres fecit noſtros Deutero-Canonicos, quos deinde inter dubios Scripturarum codices repoſuit; ſuum etenim poſtquam clauſit Canonem, ita loquitur:

. . . . . Sunt hæc
Omnia divinæ germana volumina chartæ.
Quidquid præterea eſt, haud inter certa locandum.

„ Omiſit igitur, inquit Raynoldus, libros, de quibus „ nunc controvertitur . . . . id autem adeo manifeſtum „ eſt, ut Jacobus Billius annotationibus in hunc locum „ fateatur, multos libros hic e verorum, & genuino„ rum catalogo excludi, quos tamen Eccleſia ſancta ad„ mittit, & velut natalibus ſuis reſtituit “.

Verbis ſancti Gregorii ne quid ambigui, vel obſcuri hæreat, fateri non vereor, dubiam ſancti Doctoris mentem ortam tantum fuiſſe ex eo quod in Scripturarum Canone noſtri Deutero-Canonici ab Eccleſia univerſa non fuiſſent tunc collocati. Dubium tamen ejuſmodi dubitare non patitur, quin ævo ſancti Gregorii Nazianzeni plurimi extiterint, qui noſtris Deutero-Canonicis divinam firmitatem conceſſerint; quin & ſanctum Doctorem de eorum authoritate non ſemper inceſſit dubia mens: ipſe enim e noſtris Deutero-Canonicis, præſertim ex utroque Sapientiæ, & Eccleſiaſtici volumine ſententias petitas citat, quas modo Scripturæ, modo Salomonis authoris titulo inſignivit. Oratione 34. duplicem locum, unum ex cap. 39. Jeremiæ, alterum ex cap. 1. Sapientiæ deſumptum expreſſis verbis adducit: „ Jam „ vero quomodo illud tueri poterimus, quod ait Scri„ ptura, Deum omnia pervadere, atque implere juxta „ illud, nonne Cælum, & terram ego impleo, dicit „ Dominus? Et ſpiritus Domini replevit orbem terra„ rum “. Ubi uterque & Jeremiæ, & Sapientiæ locus indiviſim ſub Scripturæ nomine laudatur: quod ſanctus Doctor non perageret, niſi utrique eadem competeret authoritas. Oratione 49. ut doceat, verbum eſſe Dei inviſibilis imaginem, unum ex Pſalmo 35. & alterum e cap. 7. Sapientiæ teſtimonium decerpit, *vel cum Salomon dicit candor eſt lucis, & ſpeculum ſine macula, &c.* Nec aliter ſanctus Gregorius eadem oratione, Proverbiorum codicem nuncupat, quem Salomoni authori tribuit. Inde non levis conjectura ducitur, hanc fuiſſe ſancti Doctoris mentem, quod ſicut Proverbiorum liber a Salomone divinitus afflato fuerit elaboratus, ita & Sapientiæ codex.

CAPUT III.

De Concilio Laodiceno, & ſancto Athanaſio.

STapletonus tomo 1. controverſia 5. lib. 9. cap. 6. contendit, in Canone Synodi Laodicenæ numerari Sapientiam, Eccleſiaſticum, Baruchum, Epiſtolam Jeremiæ, orationem Azariæ, hymnum trium Puerorum, Suſannæ, & Draconis Belis hiſtoriam. En illius verba: „ Concilium quoque Laodicenum prædictos omnes „ libros (exceptis Machabæorum libris, Tobiæ, & „ Judith, & Joannis Apocalypſi) inter Canonicos re„ cenſet, eoſque legi, & in authoritatem recipi opor„ tere decernit “. Hæc gratis aſſerta dici poſſunt, atque e penu Stapletonis deprompta: quælibet Synodi Laodicenæ editio conſulatur; libri Sapientiæ, & Eccleſiaſtici oculatioribus non comparebunt. Neque etiam expreſſe legitur, quod orationem Azariæ, hymnum trium Puerorum, hiſtoriam Suſannæ, & Draconis Belis, Concilium illud in ſuo Canone poſuerit, niſi Danielis nomine contineri dicantur. *Conc. Laodic.*

Dionyſius Exiguus, cætera magnus, natione Scytha, profeſſione Monachus, Romæ degens, ingenti doctrinæ fama florebat: nam & Græcorum Conciliorum Canones latino idiomate donavit, & Epiſtolas plurium ſummorum Pontificum in unum codicem coegit. Ex ejus interpretatione Canones Concilii Laodiceni ad nos uſque pervenerunt, quam ultra Canonem 59. non proſecutus eſt. Omiſit ille ſexageſimum Canonem, in quo ſacrorum librorum catalogus deſcribitur. Dionyſii Exigui expoſitionem ſubſequitur ea, quam Iſidorus Mercator elaboravit: Canonem ſexageſimum edidit, in quo tamen expreſſam de Barucho, & Epiſtolis mentionem non fecit; forſan nonnullos remotioris ævi Patres ſecutus, haſce Scripturas nomine Jeremiæ complexus eſt.

In Epitome Conciliorum Carrançæ Evangelium ſancti Lucæ non legitur, quæ quidem omiſſio in errorem librarii potius, quam in Patrum Concilii Laodiceni culpam refundenda eſt. Etenim in editione Colonienſi, in qua elaboranda ore, & calamo deſudavit Severinus Binius, inter novi Teſtamenti Canonicos diſerte computatur; debitum etiam ordinem obtinet in manuſcriptis codicibus, qui e vetuſta ætate ad noſtram uſque incolumes tranſierunt.

His de Concilio Laodiceno præmiſſis, occurrit nunc difficul-

Loco 1. de Script. pag. 33. 34. difficultas, quam Gerhardus adversus nostros Deutero-Canonicos ex eadem Synodo inquisivit. Illius Canon 59. prohibet quidem, ne vulgaria, aut privata carmina decantentur, neve alii legantur, quam sacri, & Canonici libri, quos Canon 60. recenset; attamen e suo computo libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum excludit, vel saltem oblivioni dedit.

Verum ictus ille nostram de veteris Testamenti Deutero-Canonicis sententiam intactam, & inconcussam relinquit. Satis quippe est, nihil Laodiceæ adversus divinam eorum authoritatem fuisse definitum. Hæreticis hoc proprium, & singulare est, ut Ecclesiæ definitionibus præfracte reluctari ausint; cum tamen per insignem moderationem Ecclesia Christi, dum res nondum ei omnino innotescunt, suum soleat suspendere judicium, donec pleniori luce divinus eam Spiritus dignetur collustrare: neque censet temere præveniendum, sed sagaciter potius expectandum Dei beneplacitum, quo omnis ambiguitas dispellatur: quemadmodum post Laodicenæ Synodi tempora prælucente Deo constabilita est Deutero-Canonicorum authoritas, de quibus hactenus in Ecclesia dubitatum fuerat.

Quid quod infelix Calvinistarum patronus evadit Gerhardus, cum ad rejiciendos nostros Deutero-Canonicos suorum gregalium nomine ad Concilium Laodicenum provocat. Canonem enim 60. istius Concilii suscipit Gerhardus? Contra se & Calvinistas facit; ipse enim cum istis Baruchum, & Epistolas Jeremiæ rejicit, dum Concilium Laodicenum illos codices sacris Scripturis accenset. Eo igitur Gerhardi patrocinium recidit, ut sibi, & Calvinistis contradicat, dum ad Concilii Laodiceni authoritatem pro reprobandis omnibus veteris Testamenti Deutero-Canonicis confugit.

S. Athanasius. Locum ex Epistola Festali sancti Athanasii, ut suæ causæ conducibilem profert Raynoldus præl. 37. p. 339. ea sancti Doctoris verba exscribit: „ Sunt veteris Te„ stamenti libri omnes numero viginti duo ..... Gen. „ Exod. Lev. Num. Deut. Jesus Nave. Judices, Ruth, „ Regnorum libri quatuor, quorum primus, & secun„ dus in unum librum connumerantur, tertius, & „ quartus similiter in unum. Post Paralipomena, Es„ dræ primus, & secundus similiter in unum librum „ connumerati; Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Canti„ ca, Job, & reliqui Prophetæ, &c. Ad hos usque „ consistit vetus Testamentum “. Tum enumeratis libris novi Testamenti: „ Hi sunt, inquit sanctus Atha„ nasius, fontes. In his solis pietatis doctrina annun„ ciatur, nemo his addat &c. Sed extra hos sunt alii „ non in Canonem redacti: sed quos legi a Patribus „ decretum est iis, qui nunc accedunt, & volunt in „ pietatis, verique cultus ratione initiari. Sapient. Sal. „ Sirach, Esther, Judith, & Tobias, &c. Adeo ma„ nifestum est, ait Raynoldus, Athanasium non solum „ rejecisse hos libros e Canone, sed & quasi prævidis„ set futurum, ut aliqui illos Canonicis immiscere con„ tenderent, diligenter præmonuisse auditores suos, ut „ caverent sibi, ne deciperentur, quin pro Canonicis „ tantum haberent eos libros, quos a Patribus acceptos „ fuisse constaret “.

Hæc sancti Athanasii de nostris Deutero-Canonicis doctrina a vulgari quidem Theologiæ nostræ ratione non mediocriter abhorret; non tamen Heterodoxis omnino suffragatur. Sanctus enim Doctor nusquam apocryphorum censura nostros Deutero-Canonicos notavit, in quo a recentioribus hæreticis plurimum discrepat, qui sacros illos codices inter spurios, & apocryphos amandare non verentur.

Quod si sanctus Athanasius prædictum loquendi modum de nostris Deutero-Canonicis usurpaverit, id sane ortum est ex eo quod eorum divina inspiratio nondum Ecclesiæ pateret universæ; non ausus ille est in Scripturarum Canonem illos referre libros, quos Ecclesia nondum retulerat.

CAPUT IV.

De sancto Hieronymo.

CRescunt cum Patribus difficultates: adest sanctus Hieronymus, cujus mentem de nostrorum Deutero-Canonicorum inspiratione facile non est detegere. Conatur Raynoldus suum de veteris Testamenti Deutero-Canonicis errorem integumento Hieronymi involvere, ut *Prælect. 38. pag.* 349. in lectorum animos facilius obrepat;

Ad Nat. Alex. Suppl. P. I.

. . . . . *Veri sub imagine falsum*
Influit, & sensim turbatas occupat aures.

(1) Ambrosius Catharinus, (2) Sixtus Senensis, (3) Andradius, complurésque alii Catholici Theologi varias tentarunt vias, ut sanctum Hieronymum in præsenti quæstione suffragatorem haberent, rati scilicet deseri non posse Hieronymum, ubi agitur de nostris Deutero-Canonicis, quin veritati Catholicæ magnum columen detraheretur. Hac de causa, & scribendi instituto excitatus ad disputationem accedo, quadam spe non temere concepta de patrocinio Hieronymi veteris Testamenti Deutero-Canonicis conciliando.

Præfatio, quam libro Tobiæ præposuit sanctus Hieronymus, posset nobis persuadere, quod sanctus Doctor Tobiam in Canone collocaverit, aut saltem a plurimis Episcopis ut liber ille divinus tum fuerit agnitus. *Arguunt*, inquit, *nos Hebræorum studia: & imputant nobis contra suum Canonem latinis auribus ista* (Tobiam) *transferre: sed melius esse judicans Pharisæorum displicere judicio, & Episcoporum jussionibus deservire, institi, ut potui.* Præfatione in Judithæ librum occurrit locus, qui divinam, & canonicam authoritatem huic codici decretorie vindicat: *Hunc librum*, ait sanctus Hieronymus, *Synodus Nicæna in numero sacrarum Scripturarum legitur computasse.* Novi textum hunc difficile conciliari cum aliis sancti Doctoris textibus, ubi de codice Judithæ differit; sed de eo inferius, & uberius.

Quid senserint Judæi de lib. Tobiæ clare aperit sanctus Doctor in ejusdem libri Præfatione: *Librum Tobiæ*, inquit, *quem Hebræi de catalogo Scripturarum divinarum secantes, his, quæ hagiographa memorant, manciparunt.* Et Præf. in Juditham: *Apud Hebræos liber Judith inter hagiographa legitur.* Sedent de utriusque loci sensu genuino varii interpretes. Humfredus Hodi lib. 4. cap. 4. *de Librorum Bibliorum numero, & ordine*, censet genuinum locum mendo esse contactum; scilicet pro *hagiographa*, legendum esse *apocrypha*. Mendum illud antea conjectaverant author Glossæ ordinariæ Petrus Comestor, Hugo Cardinalis, Author Præfationis Bibliorum una cum Glossa ordinaria, & Lyrano editorum, adstipulantibus etiam Driedone, Catharino, Simonio, aliisque sacræ Scripturæ Interpretibus. In Biblio quodam MSS. Lambeth. ad prologum Judith, notatur in margine manu supra 200. annos vetusta: *Apocrypha, est verior lectio.* Neque desunt, teste Humfredo, exemplaria canitiei venerandæ, in quibus loco istius vocis *hagiographa*, legitur *apocrypha*. Nempe in prologo Judith alterius Biblii Lambethani 2. vol. legitur *apocrypha*; sicut in Biblio Bodlejano (fol. 3. 25.) in utroque prologo comparet vox *apocrypha*.

Negant alii in utroque sancti Hieronymi loco mendum deprehendi; nec sibi contradicere sanctum Doctorem asserunt, cum refert, *libros* Tobiæ, & Judithæ ut hagiographos ab *Hebræis* fuisse spectatos, licet utrumque codicem in suo Scripturarum indice numquam constituerint. Non satis attendunt, qui existimant nulla apud Hebræos extra Canonem esse hagiographa: ista enim apud Judæos duplicis erant conditionis: erant hagiographa, quæ Hebræi dictata per Spiritum Sanctum arbitrabantur; & hæc in Canone referebantur; id testatur Maimonides in more Nevochim parte 2. cap. 25. Verum post solutam Captivitatem nobiliore hujusce prophetiæ gradu desito, ut putant Hebræi, eo usi sunt, quem filiam vocis nuncupant, cujus ope alias ediderunt scriptiones, & quidem hagiographas, & a Deo inspiratas. Quoniam autem genus hoc Prophetiæ inferius habebatur iis, propter quæ libri sacri in Canone fuerant inclusi; ideo aperire Canonem, eumque resignare non ausi sunt Judæi, ut Proto-Canonicis Scripturis Tobiam, & Juditham, &c. adjungerent; qui quidem libri, ut Judæi putaverunt, inferiori genere inspirationis scripti sunt.

Prop. 4. Demonst. Evang. de lib. Judith. Huic solutioni, quam ex doctissimo Huetio fere totam desumpsimus, juvat comitem addere responsionem Isaaci Vossi *ad iteratas P. Simonii objectiones* 370. sic vero loquitur: „ In emendando gemino Hieronymi lo„ co, ubi libros Tobiæ, & Judithæ inter hagiogra„ pha ab Hebræis recenseri scribit, nec in hoc quidem „ eruditorum suffragio donabitur Simonius. Putat nem„ pe vocem *hagiographa* istis in locis mutandam esse „ in *apocrypha*; sed profecto criticæ periti norunt, notiora „ vocabula a Librariis non permutari ignotioribus: si „ omnia, quotquot reperiuntur, antiqua consulat exem„ plaria, ubique conspirantem cum vulgatis libris le-

(1) *In examine dogm. excerpt. a Cajet.* (2) *Lib. 1. Sect. 1.*
(3) *Defensio Fidei Trident. lib. 3.*

„ ctionem inveniet. Itaque manifeſtum eſt, iſtam hagio-
„ graphorum vocem latius apud Judæos Interpretes pa-
„ tuiſſe, quam Canonicorum librorum appellationem ;
„ & duplicis apud illos generis fuiſſe hagiographa, alia
„ quidem Canonica, alia vero extra Canonem, ſeu
„ ἀπαναγίσα “.

Hæc conjectura roboratur teſtimonio Joſephi lib. 1. contra Appionem. Duos ille, & viginti libros in Canone Hebræorum repoſuit ; deinde ſic proſequitur :
„ Ab imperio Artaxerſis ad noſtram uſque memoriam
„ ſunt quidem ſingula literis mandata ; ſed nequaquam
„ tantam fidem, & authoritatem meruerunt, quantam
„ ſuperiores ii libri, quia minus explorata fuit ſucceſ-
„ ſio prophetarum “. Quaſi diceret, poſt Artaxerxem deſiit nobilius Prophetiæ genus ; ſed fuerunt identidem Scriptores, qui Spiritu Sancto afflante ſingula literis mandaverunt : at cum iſta inſpiratio in minori gradu haberetur, nec tam certo, ac antea detegeretur, ideo eorum ſcripta tantam reſpectu noſtri authoritatem non meruerunt, quantam Canonici ; licet maximam, & quidem ſacram, & hagiographam quoad ſe ſibi vindicent.

Inter veteſtos Scriptores, quotquot lectionem, *hagiographa*, de libris Judithæ, & Tobiæ germanam eſſe crediderunt, ii ſtatuunt vocem, *hagiographa*, largiori ſenſu eſſe uſurpandam : ita ut libros Tobiæ, & Judithæ tamquam hagiographos ſpectaverint, qui tamen nondum erant Canonici : ita Dionyſius Carthuſianus ; & in 3. quodam Biblio MSS. Biblioth. Bodlej. (fol. 107.) ad vocem *hagiographa* in prologo Tobiæ notatur illud, *hagiographa dicuntur large*. Ibidem in prologo Judithæ ſupra vocem *hagiographa*, advertitur hæc nota interlinearis, *large*.

Hic vero non erit extraneum ſolutionem doctiſſimi Bellarmini apponere : extat lib. 1. cap. 1. his concepta verbis : „ Ad locum Hieronymi dico, duo genera ha-
„ giographorum Judæos habuiſſe, quædam intra arcam,
„ & quædam extra arcam, ut docet Epiphanius lib.
„ de Menſ. & Pond. Quæ erant intra arcam, hagio-
„ grapha dicebantur, ad diſtinctionem Hiſtoricorum, &
„ Propheticorum voluminum, & hæc Canonica habe-
„ bantur : & de his loquitur Hieronymus in Prologo
„ Galeato : quæ autem erant extra arcam, dicebantur
„ hagiographa, ad diſtinctionem Canonicorum, & ſa-
„ crorum, & de his loquitur Hieronymus in Præfatione
„ Tobiæ, & Judith “. Antiqua igitur illa eſt inter Canonicos, & hagiographos libros diſtinctio, quæ authoritate ſancti Epiphanii nititur ; hic ſancti Hieronymi amicus ab ejus ſententia in doctrina, & opere numquam diſceſſiſſe viſus eſt ; merito igitur ut ſancti Hieronymi interpres in locis obſcurioribus haberi debet.

Præf. in Tob. Quamquam quod ſanctus Hieronymus dixit de Tobiæ codice, quem invitis Judæis, & jubentibus Epiſcopis ſtylo latino credidit, ſatis indicat, librum hunc ut hagiographum ab ipſo fuiſſe ſpectatum : idem pari jure de libro Judith judicium tulit, cum teſte ſancto Do-
Præf. in Jud. ctore *Synodus Nicæna in numero ſanctarum Scripturarum computaverit*.

Rixantur adverſarii eoquod ſanctus Hieronymus non unico, ſed pluribus evertat teſtimoniis illud, quod ſuperius ſtabilire tentavimus. Quippe negat in Prologo Galeato librum Judith eſſe hagiographum, quem inter apocryphos cum noſtris Deutero-Canonicis referendum expreſſe decernit. Ad cap. 1. Aggæi e Scripturis divinis librum Judith expungit. Ep. 115. ſuam non ſolum, ſed etiam Eccleſiæ ſententiam aperit his verbis : *Judith, & Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter Canonicas Scripturas non recipit*.

Verum *de lana caprina rixantur* Heterodoxi. Vox hæc (apocrypha) apud ſanctum Hieronymum non ſemper id denotat, ut, quidquid inter apocrypha cenſetur, ſtatim id *adulterinum*, aut κίβδηλον, aut ψευδεπίγραφον, aut ſequiori ævo fictum cenſendum ſit. Eo etenim loci vox (apocrypha) opponitur duntaxat Canoni Hebræorum ; at S. Hieronymi mens ea non fuit, ut voce (apocrypha) veteris Teſtamenti Deutero-Canonicis divinam authoritatem negaret : id unum voluit, quod illi in Canone ſuo tempore repoſiti non fuerint. Ut ſolutionis veritas dilucide pateat, textum ſancti Doctoris ſubjicio : „ Quidquid extra hos (Canonicos) eſt, in-
„ ter apocrypha ponendum eſt. Igitur Sapientia, quæ
„ vulgo Salomonis inſcribitur, & Jeſu Filii Sirach li-
„ ber, & Judith, & Tobias, & Paſtor non ſunt in
„ Canone. Machabæorum librum primum hebraicum
„ reperi, ſecundus græcus eſt “. Itaque ne quis in malam partem acciperet vocem hanc (apocrypha), ſubjecit ſtatim de noſtris Deutero-Canonicis, *quod non ſint in Canone*. En ſancti Hieronymi ratiocinium : Tobiam, & Juditham, &c. apocryphos nuncupo, quia *non ſunt in Canone ;* at perperam inferretur, quod divina authoritate præditi non ſint ; licet illa lateat pluribus ignota, aut a quibuſdam neglecta. Hoc ratiocinium menti ſancti Doctoris eſſe conſonum facile deprehendet, qui ipſius locum attente legerit, non raptim, curſimque peragraverit, ut ſolent præjudiciis, aut rebus aliis occupati.

Inquirunt curioſius nonnulli, unde ſanctus Hieronymus ſumpſerit, quod Nicænum Concilium inter libros Canonicos Judithæ codicem conſtituerit ; præſertim cum ſanctus Athanaſius in Epiſtola Feſtali, ſanctus Gregorius Nazianz. in ſuo de ſacris Scripturis carmine, ſanctus Amphilochius in ſua ad Seleucum Epiſtola, cæterique Patres, qui poſt Synodi Nicænæ celebrationem Canonem Scripturarum adornarunt, librum Judith, & cæteros Deutero-Canonicos e Canone amandent. His adde, neque ſtudioſiſſime conquiſita olim per Dalmatium Cyzici Epiſcopum Nicæni Concilii acta quidquam de libro Judith, vel de librorum ſacrorum Canone prodidiſſe.

Hæc difficultas aliquid negotii faceſſere poteſt, præſertim cum vetuſta caligine circumfuſa ſit, quam diſpellere non ſine labore plurimi conati ſunt. Quod ſi in tenebris micare liceat, originem iſtius ſancti Hieronymi opinionis revocabo ad quoſdam librorum ſacrorum indiculos, qui ſub nomine Concilii Nicæni quarto inclinante ſæculo falſo comparuerunt. Indiculi, qui vulgo Nicænæ Synodo tribuebatur, meminit Caſſiodorus lib. *De Inſtit. Divin.* cap. 4. ubi potiſſimum diſſerit de ſancti Hieronymi Bibliis, ac de librorum ſacrorum Canone & diviſione : „ Licet multi Patres, inquit, ſanctus Hila-
„ rius, Rufinus, ſanctus Epiphanius, Synodus Nicæ-
„ na, & Chalcedonenſis non contraria dixerint, ſed di-
„ verſa ; omnes tamen per diviſiones ſuas, libros divi-
„ nos ſacramentis competentibus aptaverunt “. Quin & verba ſancti Hieronymi ſatis indicant, ſibi numquam fuiſſe certo perſuaſum, quod Nicæna Synodus Canonem Scripturarum adornaſſet, in quo liber Judithæ fuiſſet collocatus : ſic enim loquitur : *Synodus legitur computaſſe librum Judith in numero ſanctarum Scripturarum* : hæc porro ſunt dicta viri dubitantis, vel ex more vulgi loquentis, non certo affirmantis fuiſſe a Concilio Nicæno ſacrorum Librorum indicem confectum. Cum eo tamen dubio optime concinit ſententia, quam de Deutero-Canonicorum divinitate S. Hieronymo tribuimus : cum, ut ſæpius docuimus, liber aliquis potuerit eſſe divinus, qui in Canone olim non fuerit poſitus.

Witacherus objicit, ſanctum Hieronymum præfatione *Diſput. de Script. Quæſt. 3.* in libros Salomonis teſtari, quod nullum Religionis dogma ex Judith, Tobia, &c. demonſtrari poſſit. Porro ſi Deutero-Canonici ad arcem divinæ authoritatis aſſurgerent, ex iis firma pro fidei articulis comprobandis authoritas produceretur : ſanctum Doctorem audiamus : „ Sicut Judith, & Tobiæ, & Machabæorum libros le-
„ git Eccleſia, ſed eos inter Canonicas ſcripturas non
„ recipit : ſic hæc duo volumina legat ad ædificationem
„ plebis, non ad authoritatem eccleſiaſticorum dogma-
„ tum confirmandam “.

Verum quidem illud eſt, ævo ſancti Hieronymi ex libris Deutero-Canonicis invictum pro defenſione fidei Catholicæ petitum non fuiſſe argumentum ; quia Scripturarum Canoni nondum ab Eccleſia univerſa adſcripti erant : id tamen authoritati ejus, quæ a Sancto Spiritu primo authore dependet, nihil derogat : quocirca quod catalogo de Scriptoribus Eccleſiaſticis aſſeruit Hieronymus, nimirum ſancti Jacobi Epiſtolam *paulatim tempore* procedente obtinuiſſe authoritatem Canonicam ; id etiam pari jure veteris Teſtamenti Deutero-Canonicis applicari poteſt, qui vetuſtate, & uſu meruerunt, ut in Scripturarum indice locum ſibi debitum tandem obtinerent.

Demum opponitur nobis locus ex procemio commentariorum S. Hieronymi in Danielem. „ Unde, inquit
„ ſanctus Doctor, & nos ante annos plurimos cum ver-
„ teremus Danielem, has viſiones obelo prænotavimus,
„ ſignificantes eas deeſſe in Hebraico : & miror quoſdam
„ μεμψιμοίρους indignari mihi : quaſi ego decurtaverim
„ librum : cum & Origenes, & Euſebius, & Apolli-
„ naris, aliique Eccleſiaſtici viri, & Doctores Græ-
„ ciæ, has, ut dixi, viſiones non haberi apud Hebræos
„ fateantur, nec ſe debere reſpondere Porphyrio pro
„ his, quæ nullam Scripturæ ſanctæ authoritatem præ-
„ beant “. Quæ quidem aperte indicant, ſancti Hieronymi ætate utramque Suſannæ & Belis hiſtoriam in Canone nondum extitiſſe.

Nec illud diffitemur ; quippe ut ſæpius ad nauſeam notavimus, IV. & V. ſæculo Eccleſia ad arcem Canonicæ authoritatis veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos nondum erexerat : id tamen non prohibuit, quominus plurimi ſancto Hieronymo indignati eſſent, eo quod geminam hanc Hiſtoriam ad Scripturarum catalogum non revocaverit : habemus ſanctum Hieronymum fatentem ſe hujus omiſſionis authorem ; quid plura deſideramus ?

Cona-

Conatur quidem ſanctus Doctor ſuum emollire nævum exemplo Origenis, qui, teſte Hieronymo, aſſerit in libro adverſus Porphyrium elaborato, hiſtorias Suſannæ, & Belis in Hebræis fontibus non reperiri; unde concludit ſanctus Doctor, eas *nullam habere Scripturæ ſanctæ authoritatem*. At liber ille, qui adverſus Porphyrium ab Origene ſcriptus dicitur, non ita certus eſt: ſcripſit quidem Origenes adverſus Celſum, ipſum autem contra Porphyrium ſcripſiſſe ſancto Hieronymo affirmanti, nonniſi timidam, & vacillantem fidem tribuimus. Suis non caruit nævis ſanctus Doctor; de noſtris Deutero-Canonicis non eodem ſemper modo in ſuis operibus locutus eſt; nec ita recte, dum nimio impetu adverſus verſionem ſeptuaginta virorum, quæ illos continebat, ferebatur: ſic qui citatiori curſu rapiuntur, etiam abripiuntur ultra metas; ubi vero paſſu moderato gradiuntur, intra præſcriptos limites juſte conſiſtunt.

CAPUT V.

De ſancto Hilario Pictavienſi, Rufino, & ſancto Philaſtrio.

S. Hilarius. IN ſuæ hæreſeos de noſtris Deutero-Canonicis confirmationem adducit ſanctum Hilarium Gerhardus loco 1. de Scriptura ſacra pag. 36. Extat prologo in Pſalmos iſtud ſancti Doctoris teſtimonium de Scripturarum Canone. „ Et ea cauſa eſt, ut in 22. libros lex veteris „ Teſtamenti deputetur .... ut Moyſi ſint libri 5. Jeſus Nave ſextus; Judicum, & Ruth ſeptimus; primus & ſecundus Regnorum in octavum; tertius & quartus in nonum; Paralipomenon duo in decimum „ ſint; ſermones dierum Eſdræ in undecimum; liber „ Pſalmorum in duodecimum; Salomonis proverbia, „ Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum in tertium decimum, in quartum decimum, & quintum decimum; „ duodecim Prophetæ in ſextum decimum; Eſdras deinde, & Jeremias cum lamentatione, & Epiſtola, „ ſed Daniel, & Ezechiel, & Job, & Eſther viginti, & duum librorum numerum conſumment. Quibuſdam autem viſum eſt additis Tobia, & Judith viginti quatuor libros ſecundum numerum Græcarum „ literarum connumerare “. Hæc ad verbum ſanctus, & eruditus Prælul, qui veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos nullatenus in ſuo Canone recenſet.

Incaſſum ſuas in partes ſanctum Hilarium pertrahunt Heterodoxi: dum ſancti Præſulis authoritate, & armis adverſus noſtros Deutero-Canonicos militant, ita ſe ipſos exercent, ut inſtar Madianitarum, *unius ſemper gladius in alterum obvertatur*: nonnulli etiam inſtar Saulis, *in ſuos ipſorum gladios incumbant*. Quapropter ſanctus Hilarius nedum Deutero-Canonicorum authoritatem divinam evertat: imo variis in locis eam ſtabilit. Ac primo quidem in loco, qui nobis opponitur, non læditur eorum authoritas: quippe, ſi doctiſſimis e Congregatione ſancti Mauri Benedictinis credatur, ſanctus Hilarius Scripturarum Canonem pro Hebræorum more tantum deſcripſit: aut, ſi mavult Lector, ſanctus Hilarius in Canone eos duntaxat enumeravit libros, qui tunc in Eccleſia univerſa Canonici reputabantur. Nihilominus ſanctus Doctor divinæ Deutero-Canonicorum authoritati plurimis in locis teſtimonium perhibuit. Commentarius in Pſ. 115. librum Judith inter legis libros recenſet. Tobiæ quoque liber ut divinus citatur in Pſ. 118. num. 6. Librum Sapientiæ ut Propheticum agnovit ſanctus Hilarius, cum ex eo tamquam e Prophetia divina plurima laudaverit teſtimonia, in primis lib. 1. de Trinit. num. 7. in Pſ. 118. num. 8. nec non in Pſ. 135. num. 11. Idem profecto tulit judicium de Eccleſiaſtico, quem vulgo adſcribi Salomoni Regi, & Prophetæ teſtatus eſt ſanctus Præſul in Pſ. 140. Tandem in Pſ. 68. num. 19. Jeremiæ nomine Baruchum laudavit. Citaverant Ariani locum ex Hiſt. Suſannæ tamquam e Scriptura depromptum, quem ejuſdem eſſe authoritatis ad finem lib. 4. de Trinitate agnoſcit ſanctus Hilarius.

Jud. cap. 7. Lib. 1. Reg. cap. 31.

Notis ad Prologum

Num. 5.

Dan. 3. v. 4.

Rufinus. Rufini auſpiciis noſtros impugnant Deutero-Canonicos Rayno ldus præl. 38. pag. 357. &c. & Gerhardus loco 1. de Scriptura ſacra pag. 36. Rufinus in ſymboli expoſitione, quæ ſancto Cypriano minus recte tributa eſt, hæc ſcripſit: „ Quæ ſunt novi, ac veteris Teſtamenti „ volumina, quæ ſecundum majorum traditionem per „ ipſum Spiritum Sanctum inſpirata creduntur, & in „ Eccleſiis Chriſti tradita, competens videtur in hoc „ loco evidenti numero, ſicut ex Patrum monumentis „ accepimus, deſignari “. Recenſitis Proto-Canonicis ſubjungit: „ Hæc ſunt, quæ Patres intra Canonem „ concluſerunt, & ex quibus fidei noſtræ aſſertiones „ conſtare voluerunt: ſciendum tamen eſt, quod & alii „ libri ſunt, qui non Canonici, ſed Eccleſiaſtici a majoribus appellati ſunt; id eſt Sapientia, quæ dicitur „ Salomonis, & alia Sapientia, quæ dicitur filii Sirach „ .... Ejuſdem vero ordinis libellus eſt Tobiæ, & „ Judith, & Machabæorum libri .... quæ omnia legi quidem in Eccleſia voluerunt, non tamen proferri „ ad authoritatem in eis fidei confirmandam: cæteras „ vero Scripturas apocryphas nominarunt, quas in Eccleſia legi noluerunt. Ubi videtis, inquit Raynoldus, „ quam ille convenienter Hieronymo etiam de Patrum „ ſententia teſtetur, hos (Tobiam, Juditham, &c.) „ in Eccleſia Occidentali libros ſejunctos fuiſſe a Canone “.

Hoc argumentum, quod prima fronte aliquid momenti habere videtur, in nihilum facile recidit; plurima enim occurrunt, quæ noſtrorum Deutero-Canonicorum authoritati non parum favent: 1. quidem Rufinus affirmat, ea tantum in Canone enumerari volumina, quæ ex traditione Patrum conſtanti, per Spiritum Sanctum inſpirata creduntur. Tritum illud eſt ſancti Auguſtini, *Diſtribuite tempora, concordabit Scriptura*. Quod ille de circumſtantia temporis locutus eſt, id poteſt latius accipi; etenim diſtribuantur non ſolum tempus, ſed loca, perſonæ, & cauſæ; tunc concordabunt in Rufino, & Patribus, quæ noſtris Deutero-Canonicis videntur adverſari. Rufinus veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos in Scripturarum indice non conſtituit, quia ſuo tempore non certo apud omnes conſtabat, utrum Spiritu Sancto inſpirante eſſent exarati; quia de eorum cæleſti origine quædam peculiares Eccleſiæ dubitabant, nec iſta quæſtio ad ſupremum orbis Chriſtiani tribunal perducta fuerat, ut inconcuſſo judicio definiretur; non vero eo quod divinam eorum authoritatem negaverit. 2. Teſtatur Rufinus, noſtros Deutero-Canonicos in omnibus olim Eccleſiis lectos, fidelibuſque erudiendis propoſitos fuiſſe:

De verbis Apoſtoli ſerm. 16.

Nam licet elingues, docto ſermone magiſtri
Vera docent, Cælique edunt oracula.

Hinc illud Eccleſiaſticorum librorum nomen, quod illis impoſitum antiquitus fuit; hinc illa populorum veneratio, qui ſuam operam bene collocatam eſſe putaverunt, ſi in Eccleſia, ſi domi veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos manibus tererent. 3. Rufinus eoſdem ab apocryphis accurate ſecernit, nec opus eſt ipſius verba iterum exarare, quæ in textu laudato id ſatis indicant. Iſta igitur Rufiniani textus expoſitio aperte demonſtrat, nihil Gerhardo, nihil Raynoldo, cæteriſque Heterodoxis ſuppetere, unde in rejiciendis noſtris Deutero-Canonicis de Rufini authoritate glorientur.

Sanctus Philaſtrius. Sanctus Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus V. floruit ſæculo. Cap. 40. & 41. de Hæreſibus ſcripſit nonnulla, quæ Raynoldus Prælect. 39. pag. 362. catholicæ de veteris Teſtamenti Deutero-Canonicis ſententiæ opponit: „ Statutum eſt, inquit Philaſtrius, ab Apoſtolis, & „ eorum ſucceſſoribus, non aliud in Eccleſia Catholica „ legi debere, niſi legem, & Prophetas, Evangelia, „ & Actus Apoſtolorum, & Pauli 13. Epiſtolas .... „ Scripturæ autem abſconditæ, id eſt apocryphæ, etſi „ legi debent morum cauſa a perfectis, non ab omnibus legi debent, qui non intelligentes multa addiderunt, & tulerunt, quæ voluerunt Hæretici. Nam „ Manichæi apocrypha B. Andreæ Apoſt. ideſt actus, „ quos fecit veniens de Ponto in Græciam, quos conſcripſerunt tunc Diſcipuli ſequentes Apoſtolum: unde & habent Manichæi, & alii tales Andreæ Beati, & Joannis actus Evangeliſtæ &c. “. Ex his ita concludit Raynoldus: „ Philaſtrio igitur abſconditæ ſunt „ Scripturæ, ideſt apocryphæ, quæ non comprehenduntur his libris legis, & Prophetarum, his (inquam) „ quos Judæi in Canone habuerunt “.

Ex eo ſancti Philaſtrii teſtimonio adverſus noſtrorum Deutero-Canonicorum authoritatem nihil certo erui poteſt, cum inter apocryphos codices nullum e Deutero-Canonicis recenſeat. Apocryphorum enim nomine deſignare duntaxat videtur adulterinos illos actus, qui SS. Petro, Joanni, & Andreæ maligne tributi ſunt; quippe, ut putat Philaſtrius, ex hæreticorum officina prodiere.

Urget Raynoldus: „ Philaſtrius cap. 9. de Prodinia„ tis (Prodianitis, ut per errorem excudit Typogra„ phus) ait, eos illud adjeciſſe ad priorem hæreſim, „ quod uterentur Sapientia Sirach illius, qui ſcripſit „ poſt Salomonem “.

Quamvis deſeri difficile debeat S. Philaſtrius, celare non poſſumus, ipſum non ita accuratum fuiſſe, ubi de numero Scripturarum ſcripſit. Contendit verbi gratia ſanctus Præſul, Epiſtolam ad Hebræos non tantum non eſſe Canonicam, ſed etiam in Eccleſia non legi ſolitam: quod non congruit Synodis Laodicenæ & Carthaginenſi, Patribuſque hactenus laudatis, qui conſenſu unanimi prædicant, eam in Eccleſiis lectam fuiſſe,

ſuum-

ſuumque in Canone locum obtinuiſſe. Quod ſi Philaſtrio non aſſentiuntur Heterodoxi in iis, quæ de Epiſtola ad Hebræos conſcripſit, cur ſancti Doctoris ſuffragium per tranſennam dictum aſſumunt, ut veteris Teſtamenti Deutero-Canonicis divinam originem abjudicent? Quin & Philaſtrius Hæreſi poſt Chriſtum 90. Hæreticis liberaliter accenſet eos, qui verſioni ſeptuaginta Interpretum aliam aliquam prætulerint. Quis tamen ſibi perſuadeat, Hæreticum fuiſſe ſanctum Hieronymum, qui novam e fontibus Hebræis verſionem latinam juſſu Damaſi Papæ adornavit? Hæc ſane editio Hieronymiana ante Philaſtrii tempora plurimis Catholicis allubeſcere cœpit: ipſe Auguſtinus, cui ſtatim non arridebat, illam deinde commendavit. Lib. 18. de Civit. Dei cap. 48. „ Quamvis non defuerit, inquit, temporibus noſtris „ Presbyter Hieronymus, homo doctiſſimus, & trium „ linguarum peritus, qui non ex Græco, ſed ex He„ bræo in Latinum eloquium eaſdem Scripturas conver„ terit ". Concludere igitur liceat, definiendo Scripturarum numero imparem eſſe Philaſtrium: cum ubi de Epiſtola ad Hebræos, & verſione ſancti Hieronymi agitur, tantopere a ſanctorum Patrum mente receſſerit.

Commentatio Theologico-Critica de cura &c. cap. 2.

Frikchium in ſexta hac Sectione ad pugnam non provocavi, quamvis ille nuper in ſuo opere authoritate SS. Baſilii, Athanaſii, Gregorii Nazianzeni, Hilarii, Hieronymi, &c. uſus fuerit, ut divinam noſtris Deutero-Canonicis authoritatem negaret: nihil ille dixit, quod in ſcriptis Raynoldi, Gerhardi, &c. qui noſtros Deutero-Canonicos impugnaverunt, conſignatum non extet: nihil attulit præter recoctas veterum Hæreticorum objectiones, quas fuſius diluere patientia Lectoris non pateretur. Abſtineo igitur a refellendis argumentis quæ e SS. Baſilio, Athanaſio, &c. adverſus veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos deſumpſit Frikchius; nam hominibus eruditis, & bonæ voluntatis, quæ de illorum Patrum authoritate dicta a nobis ſunt, ſufficere debent: pertinacibus vero Hæreticis integra volumina non ſatisfacerent. Iſtud itaque caput claudere mihi liceat præclara Quintiliani ſententia, qua ſanctus Hieronymus in caſu non diſſimili uſus eſt: *Felices artes, ſi de iis ſoli artifices judicarent.*

SECTIO SEPTIMA.

Solvuntur cæteræ objectiones, quas Heterodoxi, nonnullique Catholici adverſus veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos proponere ſolent.

HOſtes noſtrorum Deutero-Canonicorum, præter difficultates e quibuſdam Patribus petitas, nonnulla alia objecta proponunt, quæ cum ipſe perpenderim, viſa mihi ſunt infirma prorſus, & in argumentum vix ducenda. Quoniam tamen a viris inter Proteſtantes eruditis proferuntur, non incommodum duxi in medium illa adducere, ut de iis Lector ipſe judicium ferat.

CAPUT I.

Declaratur adverſus Heterodoxos veneratio, qua Judæi veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos proſecuti ſunt.

NOrunt omnes, quanto impetu Hæretici ad teſtimonium Judæorum confugiant, ut veteris Teſtamenti Deutero-Canonicis debitam authoritatem detrahere poſſint. Deſtituuntur, inquiunt, Deutero-Canonici illi Eccleſiæ Iſraeliticæ teſtimonio; nec Joſephus, cum librorum Judæorum meminit, ad eorum quidem nomina attingit: affirmat tantum, apud Judæos eſſe duo & viginti volumina; at de veteris Teſtamenti Deutero-Canonicis altum ſervat ſilentium.

Lib. 1. contra Appionem.

1. Reſpondet Brianus Waltonius Prolog. 9. num. 13. veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos cum reliqua Scriptura e Judæis ad nos fuiſſe tranſmiſſos. Etſi Waltonius non ita antiquam horumce librorum verſionem Græcam faciat, ut ad 70. Seniores eam eſſe referendam exiſtimet; contendit tamen, vix credibile eſſe, quod Judæi Helleniſtæ, qui Græcam linguam melius quam Hebræam callebant, noſtros Deutero-Canonicos Græco idiomate conſcriptos tempore Joſephi Hiſtorici non habuerint, cum hiſtoriam gentis Judaicæ complectantur. Et ſane Clemens Romanus in ſua ad Corinthios Epiſtola loca quædam e noſtris Deutero-Canonicis deſumpta laudat, ut obſervat Grotius Epiſtola ad Gallos 154.; & Joſephus libro contra Appionem nonnulla ex his libris Græco idiomate honorifice citat. Author Judæus orationis panegyricæ in Machabæos fratres, quæ Joſepho Hiſtorico tribui ſolet, clare teſtatur, hiſtoriam tum Danielis in ſpecu leonum, tum Puerorum in fornace poſitorum eſſe partem Scripturæ ſacræ. Author vero hujuſce operis Machabæos juvenes a patre ſuo in divinæ legis ſcientia inſtitutos loquentes ſic refert: „ Ille nos docuit ſu- *Circa finem operis.*
„ perſtes adhuc legem, & Prophetas. Abelem a Cai„ no occiſum prælegit nobis, Iſaacum victimæ loco ſa„ crificatum, Joſephum carceri incluſum. Narravit no„ bis zelotem Phineam. Edocuit nos res geſtas Ana„ niæ, Azariæ, & Miſaelis in ignem conjectorum. „ Laudavit & Danielem in ſpecu leonum, quem beatum „ prædicavit. Nobis in memoriam revocavit Iſaiæ Scri„ pturam dicentem, &c. "

Martianæus tractatu hiſtorico gallice conſcripto de Canone librorum ſacræ Scripturæ cap. 2. part. 3. Deutero-Canonicos veteris Teſtamenti refert acceptos Judæis Helleniſtis, e quibus ad Eccleſiam Catholicam tranſmiſſi ſunt. Quippe Helleniſtæ etſi parem Deutero-Canonicis, ac Proto-Canonicis venerationem non tribuebant; magno tamen cum honore, & diligentia eos aſſervabant, eo quod in illis plurimis & fidei conſervandæ, & ſanctitati populorum procurandæ utilia deprehenderent. Nec ſua certitudine caret iſta ſolutio, cum Joſephus lib. 1. contra Appionem de noſtris Deutero-Canonicis mentionem honorificam feciſſe videatur: „ Cæterum, „ inquit, ab imperio Artaxerſis ad noſtram uſque me„ moriam, ſunt quidem ſingula literis mandata, ſed „ nequaquam tantam fidem, & authoritatem meruerunt, „ quantam ſuperiores ii, propterea quod minus explo„ rata fuit ſucceſſio Prophetarum ". Quid clarius ad noſtrorum Deutero-Canonicorum commendationem? Eos fide, & authoritate dignos agnoverunt olim Judæi: aucta in animis Judæorum fuiſſet iſta authoritas, eoque proceſſiſſet, ut Deutero-Canonicos in Canonicorum claſſe conſtituiſſent, ſi ipſis Prophetarum, ſeu Scriptorum divinitus inſpiratorum ſucceſſio innotuiſſet. Nobis deinceps de horumce librorum origine, & divina authoritate major, ac certior cognitio contigit; nihil igitur vetat, quin ad librorum ſacrorum indicem revocentur.

Ut autem appareat, quam æquitate cauſæ meæ confidam, volo illud Joſephi teſtimonium tam luculentum, tam grave, tam certum, infirmum tamen, & leve videatur, volo prope irritum, volo nullum. Profectum ſit e Scriptore, quem odio, & deſpectu proſequuntur Judæi. En Judæos alios teſtes profero: hoſtile illud teſtimonium eſt, minimeque ſuſpectum. Liber Sapientiæ in *Gemara* inter libros agiographos computatur; eumdem Salomoni tribuit Buxtorfius pag. 342. *Biblioth. Rabbinicæ*. Ejuſdem libri honorificam fecit mentionem Rabbi Moſes Bar-Nachman *in Præfatione Commentarii ſui in legem*. Judæi utrumque librum Machabæorum inter ſacros habent, teſte Eraſmo in Præfat. quam verſioni latinæ libelli de Machabæis, qui Joſepho adſcribi ſolet, a ſe adornatæ præmiſit. A Judæis cæteri libri propter ſuam canitiem venerandam græcæ fidei redditi ſunt. Conſulatur hac de re D. Ganz. Tzemach David ad annum 1448. pag. 66. Hæc autem omnia aperte denotant, a Judæis Deutero-Canonicos veteris Teſtamenti ſemper in veneratione habitos fuiſſe. Unde vero eam hauſerunt venerationem? Profecto non ab Eccleſia Catholica, cujus authoritati bellum perpetuum indixere; ergo ab antiqua Synagoga. Adeo verum eſt illud ſancti Irenæi lib. 4. cap. 14. oportere ab omnibus etiam adverſariis accipere teſtimonium; & eſſe judicium in ſalutem quidem credentium, in condemnationem autem non credentium.

Difficultatem alteram magna cum fiducia proponit Gerhardus loco 1. de Scriptura ſacra cap. 6. num. 7. Hæc ita adornatur. Illi libri inſpirati non ſunt, qui lingua ſacra, quæ hebræa erat, non fuerunt primum exarati: atqui Deutero-Canonici veteris Teſtamenti non fuerunt, &c. Ante captivitatem Babylonicam geminum apud Judæos extitiſſe characterem contendit Gerhardus; hodiernum ſcilicet, quem ſacrum Judæi nuncupant, & quo libri Canonici deſcripti ſunt; communem alterum, ſive prophanum, quem Judæi in civilibus negotiis uſurpabant.

Quod de ſancto, & profano charactere tam confidenter proponit Gerhardus, vereor ut ſagacioribus veritatis indagatoribus perſuadere non poſſit. Primo quidem hanc opinionem ſuſpectam facit altum de utroque charactere tum in Scripturis, tum in Philone, & Joſepho ſilentium. Joſephus enim, ut de librorum Canonicorum authoritate judicet, non confugit ad linguam, in qua conſcripti illi fuerunt; ſed authores, ſed tempus, quo illi editi ſunt, ſedulo perpendit: ut ſatis claret famoſo eo teſtimonio, quod ex libro contra Appionem deſumptum ſæpius citavimus.

2. Geminus apud Judæos character ſimul non viguit: mutationem paſſa eorum lingua eſt, dum captivi a Chaldæis detinerentur. Ex diuturno inter Chaldæos incolatu, & commercio factum eſt, ut linguæ patriæ uſum paulatim remitterent, & chaldaice loqui incipe-

rent:

rent : vel ſi qui forſan hebraicæ notitiam retinerent, legendi tamen ſcribendive hebraice peritia apud eos fere exolevit, utpote diverſis characteribus apud Chaldæos receptis jam diu aſſuefactos. Veteres enim Hebræorum characteres, quibus ante captivitatem Babylonicam utebantur, alios fuiſſe ab illis, quibus hodie utimur, apud eruditos in confeſſo jam eſt. Quo melius itaque ſacra Scriptura populo innoteſceret, Prophetæ illius temporis, qui extra Judæam ſcripſerunt, Chaldaice etiam ſcribendum putaverunt. Hinc maxima Danielis pars Chaldaico idiomate exarata eſt; hinc & libri Eſdræ pars potior Chaldaice conſcripta: quin & poſt reduces e captivitate Judæos, Eſdras, quem divino motum afflatu norunt omnes, ut ignorantiæ populariam, qui linguam pariter & characterem Hebraicum Chaldaico commutarunt, ſaltem ex parte ſubveniret, ſacram Scripturam Chaldaicis literis exarandam curavit: depoſitis antiquioribus hebraicæ linguæ characteribus, qui populi notitiam jam effugerant.

CAPUT II.

Mens Theologorum Scholaſticorum circa veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos exponitur.

RAynoldus prælectione 40. Martianæus cap. 3. part. 2. de Canone Scripturarum, &c. & author diſſertationis cujuſdam gallicæ manuſcript. provocant ad veteres Theologos, quaſi divinæ noſtrorum Deutero-Canonicorum authoritati non fuerint ſuffragati.

Hugo Victorin. Ac primum quidem Hugo ſancti Victoris Pariſienſis Canonicus Regularis non eam de noſtris Deutero-Canonicis induit ſententiam, qualem huic affingunt noſtri adverſarii. Floruit ille XII. ſæculo: Scripturas, & Scriptores ſacros prænotationibus elucidatoriis illuſtravit: cap. 6. poſtquam Canonicos libros pari modo enumeravit, quo eos recenſuit ſanctus Hieronymus in prologo Galeato, tum ſubjicit: „ Sunt præterea alii qui„ dam libri, ut Sapientia Salomonis, liber Jeſu filii Si„ rach, & liber Judith, & Tobias, & libri Macha„ bæorum, qui leguntur quidem, ſed non ſcribuntur in „ Canone “. Iſta Hugonis verba indicant quidem, nondum in Scripturarum Canone, quem Eccleſia univerſa probat, noſtros Deutero-Canonicos fuiſſe collocatos; at non negat, eos fuiſſe in peculiaribus Canonibus, quos de ſacris Scripturis plurimæ Eccleſiæ tunc condiderant. Quamquam Hugo Victorinus Deutero-Canonicis antiqui inſtrumenti ineſſe divinam authoritatem exiſtimavit, cum eos veluti ſacræ Scripturæ codices in variis operum ſuorum locis commendet. Novem libros allegoriarum veteris Teſtamenti elaboravit ille Theologus: in Prologo iſtius operis præmonet, ex myſteriis rerum geſtarum in Scripturis a ſe allegorias confici: porro inter Scripturas divinas, ex quibus ſuas ſubduxit allegorias, codices, qui ſequuntur memorat. *Nonus*, inquit, *earum allegoriarum liber tractat de myſteriis, quæ continentur in libro Eſther, Tobiæ, Judith, & Machabæorum*. Lib. 7. *in cœleſtem hierarchiam* cap. 7. locum hunc e cap. 15. Sapientiæ petitum ita citat: *Audi, quod ſcriptum eſt, habentem omnem ſaporem, & omne delectamentum ſuavitatis*. Demonſtravimus autem Sect. 4. cap. 2. hunc citandi morem, *Scriptum eſt*, a SS. Patribus & Theologis fuiſſe uſurpatum, ut ſacras Scripturas denominarent. Supereſt igitur ut eo loci liber Sapientiæ tanquam ſacer ab Hugone Victorino habitus fuerit. Adde quod Hugo de libris apocryphis diſſerens cap. 11. nullatenus noſtros Deutero-Canonicos eorum numero adſcribat.

Joannes Sarisb. Eadem Joannis Sarisberienſis ſententia exiſtit. Hic natione Anglus creatus eſt Epiſcopus Carnotenſis anno 1172. Epiſtolas 303. ſcripſit. Epiſtola 172. fidem univerſalis Eccleſiæ circa Scripturarum Canonem expoſuit. *Sicut conſtat*, inquit, *eſſe viginti duas literas Hebræorum, ſic viginti duos libros veteris Teſtamenti in tribus diſtinctos ordinibus indubitanter credo*. De Proto-Canonicis veteris inſtrumenti loquitur. De noſtris vero Deutero-Canonicis ita diſſerit: *Liber vero Sapientiæ, & Eccleſiaſticus, Judith, Tobias, ut idem* (Hieronymus) *aſſerit, non reperiuntur in Canone, ſed neque Machabæorum liber, qui in duo volumina ſcinditur*. Hæc ſane denotant, Joannem Sarisberienſem credidiſſe, quod nullus ſuo tempore ab univerſa Eccleſia Canon acceptus exiſteret, qui noſtros Deutero-Canonicos complecteretur: at perperam inde argueretur, quod iſti codices a Joanne Sarisberienſi Scripturarum authoritate donati non fuerint; etenim inferius poſtquam diſputationem inſtituit de genuinis authoribus, qui Proto-Canonicos, & Deutero-Canonicos ſcripſerunt, ſic concludit: Hæc de numero, & authoribus librorum veteris Teſtamenti. Porro noſtri Deutero-Canonici non poſſunt eſſe de numero, atque ex authoribus librorum veteris Teſtamenti, quin ſint libri divini; Ergo, &c.

Gloſſa ordin. Nec divinam Deutero-Canonicorum veteris Teſtamenti authoritatem labefactabit, quod opponitur ex *Gloſſa ordinaria* Bibliorum, & Gloſſa juris Canonici. Gloſſa quidem ordinaria prologo in Scripturas ſatis indicat, *pari veneratione non eſſe reverendos, & adorandos omnes libros, qui in Bibliis continentur*. Verum mens ipſius hæc eſt, quod Eccleſia decreto Œcumenico Deutero-Canonicos nondum in Canonem Scripturarum retulerit. Abſentia autem eorum ex Canone univerſalis Eccleſiæ non mediocriter imminuebat eam venerationem, quæ jure divino noſtris Deutero-Canonicis, ſicut & Proto-Canonicis debetur. Quod vero author Gloſſæ ordinariæ attendat duntaxat ad eorum abſentiam ex univerſali Scripturarum indice, ut diſcrimen aliquod Proto-Canonicos inter & Deutero-Canonicos ſtatuat, id evidenter eruitur ex præfatione, quam ſingulis Deutero-Canonicis appoſuit; cujus illud eſt initium: *Incipit liber Tobiæ, qui non eſt in Canone; incipit Eccleſiaſticus, qui non eſt in Canone*. Ubi claret, differentiam inter utroſque aſſignandam proficiſci ex eo, quod Eccleſia univerſalis in Scripturarum indice Proto-Canonicos collocaverit, non vero Deutero-Canonicos; quibus tamen author Gloſſæ ordinariæ divinam authoritatem nunquam negavit.

Gloſſa Juris Canonici. Author Gloſſæ juris Canonici in C. Canones, diſt. 15. in verb. *Apocrypha*, ſic commentatur: „ Apocrypha, „ id eſt ſine authore, ut Sapientia Salomonis, liber „ Jeſu filii Sirach, qui dicitur Eccleſiaſticus, & liber „ Judith, & liber Tobiæ, & liber Machabæorum, hi „ apocryphi dicuntur, & tamen leguntur, ſed forte non „ generaliter “.

Defenſio fidei Trid. lib. 3. Andradius elevat, ac deprimit hoc Gloſſatoris teſtimonium. „ Ineptiſſime, inquit, a Gloſſatore fuit tra„ ditum in capite Canones diſt. 15. apocrypha illa ap„ pellari, quæ ementitum præferunt authorum nomen, „ & incerto ſunt authore prodita: nam ita non ſolum „ Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Tobiæ, &c. quos ille hac „ de cauſa apocryphos ineptiſſime facit; verum Jobi „ etiam univerſam hiſtoriam, duos libros Paralipome„ non, &c. quæ in ſacris Eccleſia ſemper habuit, in „ apocryphis numeravit “.

Raynoldus præl. 40. nimium ſevere carpit illud Andradii de Gloſſatore judicium; atque hæc reprehenſio, licet extra juſtitiæ limites non excurreret, Gloſſatorem tamen propitium non faceret ſententiæ Raynoldi de noſtris Deutero-Canonicis. Quippe cum Gloſſator inter apocrypha volumina noſtros Deutero-Canonicos collocavit, ad vocabuli vim, & naturam reſpexit, potius quam ad invidiam nominis. Apocryphi enim libri, *ſi vis* nominis ſpectetur, ſunt libri abſconditi, & occulti, vel quia ſunt *ſine certo authore*, vel quia in publicis Eccleſiæ Conventibus eos legere *minime* licebat: utramque hanc rationem adoptare videtur Gloſſator, ut noſtris Deutero-Canonicis denominationem apocryphorum tribuat. 1. Quidem eos apocrypha volumina nuncupat, id eſt, inquit, ſine authore. 2. Quia in omnibus Eccleſiis *generaliter non legebantur*. Nec recentem ſenſum vocabulo *apocrypha* tribuimus: fuit ille vetus, & legitimus, olim ab Eccleſiaſticis authoribus ita intellectus. Unde hanc opinionem in animadverſionibus Euſebianis pag. 99. Joſephus Scaliger ſancto Epiphanio tribuit. Non itaque divinæ librorum authoritati ſemper derogat vox illa, *apocrypha*; præſertim cum ſano, & legitimo ſenſu, uti a nobis expoſita eſt, uſurpatur.

Raynoldus prælect. 43. & Gerhardus loco 1. de Script. cap. 6. num. 95. complures alios Theologos citant, qui ante Synodum Tridentinam noſtros Deutero-Canonicos inter apocrypha rejecerunt. Ex illis potiſſimum unum ſeligimus Toſtatum Abulenſem Epiſcopum; claruit ille, ut Sixto Senenſi placet, circa annum 1440. Ipſum vero noſtris Deutero-Canonicis patrocinatum fuiſſe eo loci oſtendimus; nec ab ejus ſententia diſcedunt cæteri Theologi, qui nobis a Raynoldo, & Gerhardo opponuntur. Prodeat igitur ſimplex, & inelaborata Epiſcopi Abulenſis expoſitio: prodeat, & offuſam mendaciſſima Raynoldi obtrectatione caliginem ſua luce diſſipet. Ecce Toſtatus loquitur, comm. in Hieronym. præf. Galeatam in Reg. Qu. 28. „ Dicitur, quod non „ eſt iſte liber (Sapientiæ) in Canone; quia Judæi il„ lum inde ſecuerunt a principio, tamen in Canone „ recipiebant . . . . Nos tamen Eccleſiæ authoritate, „ inter libros authenticos illum ſuſcipimus . . . . . Li„ brum Eccleſiaſtici quamquam Judæi nunquam habue„ rint in Canone Scripturarum, Eccleſia tamen ſuſce„ pit, atque legit . . . . Etiam liber Judith non eſt in „ Canone, ſed oportet poni ſecundum præcedentia in„ ter apocrypha . . . . Hæc autem ſunt vera ſecundum „ Hebræos: apud nos ſecus eſt: nam liber Judith in„ ter authenticos libros receptus eſt, cum approbaverit

„ il-

„ illum Ecclesia in Synodo Nicæna, & receperit in „ numero sanctarum Scripturarum .... Alioquin enim „ Ecclesia non legeret illum in divinis Mysteriis, sicut „ leguntur cæteri libri authentici “.

Quæst. 29. „ Cum dicitur hic, quod non est Tobias in Canone, intelligendum est secundum Hebræos, „ & tamen Ecclesia suscepit eum in canone suo, cum „ legat eum in divinis Mysteriis “.

Relatis iis, quæ veteris Testamenti Deutero-Canonicorum authoritatem Canonicam spectant, hanc sibi Tostatus difficultatem proponit: „ Sed tunc dicet aliquis, „ quid proficit nobis hoc quod de Canone dicitur, „ quia non est idem Canon Scripturarum apud nos, & „ Hebræos, quia pleraque ipsi improbant, quæ nos „ tanquam authentica habeamus “?

„ Respondendum, quod proficit ad hoc, ut sciamus, „ in quo possumus habere argumentum efficax contra „ Hebræos, & in quo non “.

Ex eo, quem fusius retulimus, Tostati loco satis elucescit ipsius de veteris Testamenti Deutero-Canonicis sententia: aperte, & sæpe declarat, se non assentiri Hebræis, qui divinos illos codices in suo Scripturarum indice non posuerunt; quin etiam evidenter docet, hanc fuisse fidelium sui temporis communem doctrinam, ut in librorum Canonicorum, & authenticorum numero haberentur.

CAPUT III.

An Ecclesia ante Synodum Tridentinam de nostrorum Deutero-Canonicorum authoritate divina dubitaverit.

VEteris Testamenti Deutero-Canonicis sua semper fuit divina dignitas, quæ nulla temporum iniquitate eripi potuit; latuit illa quidem antiquitus nonnullis ignota, & a quibusdam neglecta: perperam tandem inde concluderetur, Ecclesiam de divina nostrorum Deutero-Canonicorum authoritate dubitasse: suum quidem suspendit judicium, at minime dubitavit: aliud porro est dubitare; aliud suspendere, vel differre suum judicium. Ecclesia universa ante Concilium Tridentinum circa veteris Testamenti Deutero-Canonicorum authoritatem nullum decretum ediderat; eos nondum omnino probaverat ut Canonicos, aut saltem de approbatione certo non constabat; ut propterea opus esset subsecuturo Ecclesiæ judicio, quæ rem nondum omnibus compertam definiret.

Hæc recte elucidantur a doctissimo Serario proleg. Biblioth. cap. 8. Quæstiuncula 6. „ Ecclesia (inquit „ ille) librum aliquem vel immediate ab ejus authore „ accipit, vel ab alio. Si ab authore, dupliciter; „ vel enim exploratissima est authoris hujus divina in„ spiratio, vel non; si est, alio libri examine opus „ non est; & de eo statim testificari potest Ecclesia: „ si ab authore, cujus non item explorata sit divina „ inspiratio, & cognita, seu ab authore alio, quam „ ab authore primo, librum accipit; examine opus est „ antequam de illo testificari possit Ecclesia eum esse „ divinum: & tunc vel examen istud statim adhibet, „ veritatemque statim comperit, & de ea testificatur: „ vel examen non statim adhibet, quia nihil in mora „ periculi, aut detrimenti: vel adhibet quidem statim „ examen, sed libri ejusmodi veritatem, seu divinita„ tem non statim comperit, ideoque nec statim de eo „ testificatur; sed testificationem suspendit, ac differt “. Suspendebat ergo Ecclesia, ac suum olim judicium de nostris Deutero-Canonicis differebat, non anceps dubitabat.

Etenim si Ecclesia dubia olim de veteris Testamenti Deutero-Canonicorum authoritate extitisset, non posset hodie ex antiquis Patribus, suisque vetustis Scriptoribus testimonia mutuari, ut illorum codicum probaret Canonicitatem: frustra adhiberet argumentum illud, quo usus est S. Augustinus lib. 28. contra Faustum cap. 2. „ Sicut ego (ait S. Doctor) credo, illum librum esse „ Manichæi, quoniam ex ipso tempore, quo Manichæus „ in carne vivebat, per discipulos ejus certa successio„ ne præpositorum virorum ad vestra usque tempora cu„ stoditus, & perductus est; sic & istum librum crede „ esse Matthæi, quem ex illo tempore, quo Matthæus „ ipse in carne vixit, non interrupta serie temporum, „ Ecclesia certa connexionis successione usque ad ista „ tempora perduxit “. Non potuisset Ecclesia Tobiam, Judith, Ecclesiasticum, &c. Canonicos declarare, si eorum authoritatem in dubium quondam revocasset; eo quod in hypothesi adversariorum a plurimis Patribus, ut libri divini, nec certa, nec interrupta temporum serie spectati fuissent.

Primum illud objiciunt adversarii; de illorum codicum authoritate saltem dubitavit Ecclesia, quos olim Patres e syllabo Scripturarum expunxerunt, vel in dubium revocaverunt: atqui plurimi Patres Deutero-Canonicorum veteris Testamenti authoritatem in dubium revocavere; id superius abunde demonstratum est.

Esto quod quidam Patres dubitaverint, an nostris Deutero-Canonicis divina competeret authoritas; hæc eorum sententia tribui non debet Ecclesiæ, quia hujus, vel illius, vel nonnullorum Patrum sensus censeri non debet Ecclesiæ placitum; sicut errorem sancti Cypriani, Firmiliani, & cæterorum tum Africanorum, tum Orientalium de rebaptizandis hæreticis universali Ecclesiæ adscribere nefas foret.

Alterum hoc a Witachero cuditur argumentum: „ Qui „ dubitat, non acceptat; qui vero non acceptat, re„ pudiat: quid, quæso, interest inter non acceptare, ac „ repudiare? Plane nihil. Qui enim Deum non acce„ ptat, is eum repudiat: & sic quidem Ecclesia Scri„ pturas illas, quas non acceptavit, olim plane repu„ diavit. Quæro enim, quare eas non acceptaverit? „ Ratio sane hæc fuit, quia adulterinas eas esse judica„ vit: in quo sane falli potuit “. *Disp. De Sacra Script. q. 3.*

Sed nebulas hasce, quas Lucifuga ad obscurandam veritatem obducere nititur, fugare difficile non est. 1. Quidem gratis supponitur, non probatur, nihil interesse *inter non acceptare, & repudiare*. Plurimi enim infideles nihil de Incarnatione Verbi, de Sacris Scripturis, de Primatu summi Pontificis audierunt, hos fidei articulos non acceptant; ergo eos repudiant: vitiosa sane consequentia. Alioquin nullum extaret discrimen inter eos, qui audito Dei Evangelio illud rejiciunt, & inter eos, ad quorum notitiam Evangelii gratia nondum pervenit. De prioribus ad Rom. cap. 10. loquitur Apostolus, *non omnes obediunt Evangelio*. Et sane cum Christus Judæis dicebat: *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo*; quod, quæso, peccatum nuncupabat Christus, nisi magnum illud infidelitatis positivæ flagitium, quo audientes credere noluerunt, seu quo Christi doctrinam repudiarunt? Idem profecto peccatum non admisere, qui verbum Evangelii audire non potuerunt, adeoque non acceptarunt. Ipse Christus Dominus affirmat, Judæos ab ejusmodi peccato futuros fuisse immunes, si ipsius prædicationem non audivissent: excusantur ergo qui audire non potuerunt, non ita tamen ut salutem æternam consequi possint, sed rei non fiunt peccati, quod in Scholis, *infidelitas positiva*, denominari solet. Constat itaque, plurimum esse discriminis inter non acceptare veritatem Evangelii, & veritati cognitæ resistere, eamque repudiare; illorum incredulitas, quæ *negativa* dicitur, non est peccatum novum, sed peccati originalis pœna: horum incredulitas, peccatum *horrendum est, & quo tenentur cuncta peccata*: ut docet sanctus Augustinus sermone 11. de verbis Domini, & Tractatu 89. in Joannem. *Joan. cap. 15.*

2. Revera qui Deum non acceptat, censetur eum negare, quia nullo monitore ex intimis hominum animis erumpit Dei existentis notitia, quæ attendenti statim affulget: ita omnibus ratione præditis apertum est, Deum existere, ut nullus excusandæ superstit ignorantiæ locus. Id constanter docuerunt antiqui Scripturarum Interpretes, Patres, & fidei Christianæ Apologistæ. Hos inter eminet Tertullianus cap. 17. Apolog. Origenes lib. 1. contra Celsum circa initium; Minutius Felix in Octavio, innumerique alii, quos prima Ecclesiæ ætas tulit ingenio, & doctrina notissimos. At præteriri silentio non debet sanctus Augustinus, cujus verba describere mihi liceat: *Hæc est*, inquit, *vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omnino, ac penitus possit abscondi*.

Cognitio autem sacrorum librorum non ita aperta est; ea Pastoribus Ecclesiæ a natura insita non fuit, nec ex intimis hominum pectoribus erumpit. Quæstio de authoritate divina Deutero-Canonicorum olim nonnulla caligine involvebatur. Porro hæc est Ecclesiæ prærogativa, eo certe nomine commendanda, quod ea diducat, & evolvat, quæ apud veteres compressa & involuta latebant. Unde Ecclesia universa, quæ istam de nostris Deutero-Canonicis quæstionem antiquitus non expenderat, in Canonem Scripturarum hosce libros non retulerat: sed lapsu temporum, sacrarum Synodorum authoritate, summorum Pontificum decretis, Patrumque testimoniis inter Canonicos libros computati sunt: non quod ab hominibus authoritatis divinæ momentum acceperint; sed quia in variis disputationibus paulatim evoluta est eorum authoritas; traditionem enim de libris Deutero-Canonicis consuluit Ecclesia, sanctorum Patrum mentes, & opera scrutata est, ac tandem maturo examine habito libros Deutero-Canonicos in Scripturarum Canone certo, & inconcusse retulit Concilium Tridentinum; nec tamen egit, ut libri, quibus nulla competeret

teret authoritas, divina deinde pollerent authoritate; ſed declaravit, divinam hanc prærogativam a ſua origine noſtris ineſſe Deutero-Canonicis. Lapis lydius non facit aurum, ſed probat, ſed declarat.

CAPUT IV.

Solvuntur variæ objectiones a ſe invicem disjunctæ.

CÆteras adverſariorum querelas paucis in eo capite refellere aggredior; longa enim confutatione non egent. Id primo ſtomachum eis, ac præſertim Gerhardo movet, quod noſtri Deutero-Canonici *Oracula de Chriſto, qui in veteri Teſtamento promittitur, non contineant*: atqui liber quilibet Canonicus antiqui Teſtamenti Oracula de Chriſto venturo complectitur: Ergo Tobias, Judith, & cæteri Deutero-Canonici immerito repoſiti ſunt in Canone.

Loco 1 de Script. cap. 6. n. 71.

Verum facile eſt hanc araneæ telam dirumpere. 1. Quidem in libro Ruth nullum de Chriſto Oraculum delineatum videtur; huic tamen codici tum Catholici, tum Proteſtantes divinam authoritatem communi ſuffragio decernunt. 2. Non omnis liber Canonicus abſolute complecti debet aliquod de Chriſto Oraculum. Præter hanc Scripturarum utilitatem, alia inſuper commoda ſacris paginis aſſignat Apoſtolus. *Omnis Scriptura*, inquit, *divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia*. Scriptura itaque utilis 1. eſt *ad docendum*, ſcilicet ſanam doctrinam; 2. *ad arguendum*, nimirum hæreticos; 3. *ad corripiendum*, ideſt ad correctionem, qua Catholicos a vita Chriſtiana aberrantes poſſis emendare; 4. *ad erudiendum in juſtitia*, qua ſcilicet erudiamus alios ad quamlibet morum honeſtatem, ſanctimoniam, & perfectionem.

Epiſt. 2. ad Timoth. cap. 3.

Demum ſi liber aliquis inter Canonicos collocari deberet, quia de Chriſto continet Oraculum; ſane in ſyllabo Canonicorum codicum reponendus erit liber 4. Eſdræ, in quo quædam de Chriſto prædicta leguntur: videant Heterodoxi, an libro 4. Eſdræ jus habitandi in Canone Scripturarum largiantur?

Urget Gerhardus. Omnis liber Canonicus veteris Teſtamenti a Chriſto, & Apoſtolis in novo Teſtamento ad confirmationem dogmatum adducitur. Conſtat enim Chriſti, & Apoſtolorum praxi; quod ad Prophetarum ſcripta in ſuis adverſus Judæos concertationibus provocaverint; conſulantur enim acta Apoſtolorum cap. 26. & Apoſtolus ad Rom. cap. 3. Atqui libri Deutero-Canonici a Chriſto vel Apoſtolis in dogmatum Catholicorum confirmationem non adducuntur: Ergo, &c.

Loco cit. n. 72.

Reſpondeo, iſtud Gerhardi ratiocinium non pluris altero eſſe pendendum. Si quid enim roboris huic argumento ineſſet, illud ſane eodem jure militaret adverſus libros Ruth, Regum, Eſdræ, Nehemiæ, Prophetias Abdiæ, Amoſi, &c. Libros Proverbiorum, & Cantici Canticorum: qui a Chriſto, vel Apoſtolis nuſquam laudati ſunt. Quamquam non paucæ e noſtris Deutero-Canonicis ſententiæ in novum Teſtamentum tranſierunt; quas doctiſſimus Huetius *propoſitione* 4. *Demonſtrationis Evangelicæ* collegit. Addam, Judith, Tobiæ, &c. libros Deutero-Canonicos a Chriſto, vel Apoſtolis ſilentio prætermiſſos forſan fuiſſe, eo quod in concertationibus, quas cum Judæis habebant, non ejuſdem ab iſtis haberentur authoritatis ac Proto-Canonici; fruſtra enim invictam ab illis libris petiiſſent Apoſtoli authoritatem, quibus Judæi eundem authoritatis gradum negaſſent.

Num. 95. Inſtat Gerhardus: *Prologus Galeatus Hieronymi omnibus Bibliis latinis etiam iis, quibus Pontificii utuntur, præfixus eſt: jam vero in eo diſerte traditur diſtinctio Canonicorum, & apocryphorum*. Ut quædam lux huic difficultati affulgeat, mori ſcholaſticorum obſequens, ſic adorno argumentum. Prologus ſancti Hieronymi Galeatus in apocryphorum numero veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos conſtituit; atqui in vulgata noſtra editione prologus ille præmittitur Scripturis, tamquam teſſera tutiſſima, qua libri Canonici ab apocryphis diſtinguantur: Ergo &c.

Nec in ea difficultate Gerhardi acumen triumphabit. 1. Mentem ſancti Hieronymi de noſtrorum Deutero-Canonicorum authoritate divina expoſuimus ſuperius Sect. 6. cap. 4.

2. Etſi Gerhardo gratis daremus, a ſancto Hieronymo Prologi Galeati authore noſtros Deutero-Canonicos apocryphis libris fuiſſe annumeratos, nihil certi inde adverſus noſtram ſententiam erueret. Prologus enim Galeatus ex authoritate Eccleſiæ & Concilii Tridentini ad frontem Bibliorum appoſitus non fuit; id duntaxat factum eſt ex arbitrio Editorum, vel Typographorum, quibus tamen non contradixit Eccleſia, ea lege, ut Tridentinus Scripturarum Canon tamquam certiſſima norma a Theologis ſumeretur, cum de numero librorum ſacrorum diſputarent. Quocirca in Bibliis, quæ quotidie a Catholicis eduntur, catalogus librorum Canonicorum a Synodo Tridentina confectus reperiri ſolet.

Piget me in ſolvendis iſtis objectionibus poſitæ jam operæ: inſulſæ enim adeo ſunt, ut vel nemine refellente evaneſcant, ſibique fidem abrogent. Quid futilius ea difficultate, quam Heterodoxi ad nauſeam uſque decantant? *Traditio, & Canon Judæorum*, inquiunt, *numquam veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos agnovit*.

1. Mirum ſane videri debet, quod ad Canonem, & traditionem Judæorum provocent Heterodoxi, qui Eccleſiæ Chriſtianæ traditiones aſpernantur, & rejiciunt; pluris igitur faciunt Judæorum, quam Patrum authoritatem; & tamen Chriſtiani, Apoſtolorum, Patrumque ſucceſſores haberi & eſſe volunt Calviniſtæ, ac Lutherani. 2. Quis non videt, Eccleſiam Catholicam Canoni Judæorum non ita fuiſſe adſtrictam, ut eos duntaxat in Canone libros collocaret, ad quos Judæi veluti ad Canonicos reſpectarent? Adſunt in primis SS. Auguſtinus, & Iſidorus, qui refragantur: ille lib. 18. de Civit. Dei cap. 36. *Machabæorum libros non Judæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet*. Hic lib. Prooemiorum de libris veteris, & novi Teſtamenti: *Machabæorum libri duo, licet non habeantur in Canone Hebræorum; tamen ab Eccleſia inter divinorum voluminum hiſtorias annumerantur*.

3. Ad authoritatem Eccleſiæ, non ad Hebræorum Canonem confugiebant SS. Patres, ut de numero Scripturarum legitime judicarent. Huc pertinet celebre dictum ſancti Auguſtini: *Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret authoritas*.

Contra Epiſt. fundamenti cap. 5.

4. Judæi magna ſemper veneratione noſtros Deutero-Canonicos proſecuti ſunt: quæ quidem reverentia non mediocriter inſervire poteſt, ut Eccleſiæ agendi ratio a quovis Catholico & laudetur, & propugnetur, eo quod in Canone Scripturarum noſtris Deutero-Canonicis locum perpetuum dederit.

5. Demum, eſto veteris Teſtamenti Deutero-Canonici, aut quivis alius liber in Canone Hebræorum non extiterint, quantulum iſtud eſt, ut propterea a traditione, & definitione univerſalis Eccleſiæ recedatur? Una hæc ratio ſufficere poteſt, quod Apoſtoli peculiari revelatione doctrinam aſſecuti ſint pleniorem, quam olim Synagoga: adeoque etſi Synagogam latuiſſent libri aliqui Canonici, non debent propterea latuiſſe Apoſtolos. Itaque Eccleſia non debuit Canoni Judæorum eo uſque adſtringi, ut non potuerit in ſuo Canone non habere quoſdam veteris Teſtamenti libros, quos Judæi minime agnoverunt.

CAPUT V.

Mens Patris Martianæi circa veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos exponitur, & confutatur.

NUllatenus ambigo, quin Patris Martianæi authoritas, ubi de Scripturis agitur, permagnum apud eruditos habeat pondus. Ea tamen exiſtimatio ad librum, quem de Canone Scripturarum gallice conſcripſit vir doctiſſimus, porrigi non debet. Plurima in ejus opere, quæ Scripturarum Canonem ſpectant, mihi viſa ſunt nec accurate ſcripta, nec traditioni veterum Patrum conſona. Quin & Martianæus quoddam patrocinium videtur præſtare argumentis, quibus utuntur Hæretici, ut Canonem Scripturarum a Synodo Tridentina confectum impugnent.

Martianæus cap. 2. part. 2. tractatus Hiſtorici de Canone ſacrarum Scripturarum duplicem diſtinguit Canonem; unum, quem conſecratum vocat, alterum vero, quem deſignatum nuncupat. Canonis conſecrati nomine intelligit eum, qui libros ejuſdem authoritatis complectitur; at Canon deſignatus in hypotheſi Martianæi ille eſt, qui libros, qui eumdem authoritatis gradum non habent, indiſcriminatim complectitur, „ Poſita ea „ diſtinctione, meminiſſe debemus, in Eccleſia uſque ad „ Concilium Tridentinum nullum extitiſſe Canonem „ conſecratum; Canones autem Scripturarum a Syno„ dis tum Laodicena, tum tertia Carthaginenſi confectos, „ licet plurimis in rebus diſcrepent, fuiſſe tamen ſim„ plicem librorum enumerationem, & collectionem de„ ſignatam “. Hæc Martianæus.

1. Inanis illa eſt diſtinctio inter Canonem conſecratum, & Canonem ſimpliciter deſignatum: ignota ſemper illa fuit Catholicis Theologis: etenim ante Synodi Tridentini tempora fiebat Canonis diſtributio inter Scripturarum Canonem imperfectum, & perfectum: at Canon imperfectus numquam dictus eſt ſimplex librorum catalogus, ſive ut ſacri proponerentur, ſive non. Quod enim Canoni imperfecto ſacrorum librorum acceſſerint

libri, quos Deutero-Canonicos vocamus; id non prohibet, quominus ante iſtam acceſſionem quidam Scripturarum Canon extiterit conſecratus. Norunt omnes, a Concilio Nicæno 1. Catholicorum dogmatum indicem, ſeu fidei Symbolum fuiſſe conditum, & conſecratum; huic tamen deinde alia fidei dogmata acceſſerunt. Quod teſtatur Synodus Chalcedonenſis in Proſphonetico ad Marcianum Auguſtum: affirmat enim, „ poſt novos quoſ„ que errores ab Hæreticis inductos, Symbolo Nicæno „ adjectiones ab aliis poſtea Synodis factas fuiſſe, non „ tamquam fidei novas regulas, ſed veluti novas vetu„ ſtæ fidei explanationes “. Nemo tamen dixerit, Symbolum Nicænum quantumvis imperfectum fuiſſe duntaxat ſimplicem indicem dogmatum, quæ a Concilio Nicæno fidelibus credenda non proponerentur: ergo a pari affirmare nemo poteſt, ab utraque Synodo Laodicena, & Carthaginenſi Canonem Scripturarum non fuiſſe ſtatutum, & propoſitum tamquam indicem, qui indifferenter complecteretur libros cujuſdam authoritatis, ſive illi a viris inſpiratis elaborati crederentur, ſive non.

2. Si ante Synodi Tridentinæ tempora index Scripturarum fuiſſet duntaxat ſimplex librorum enumeratio, quorum divina authoritas ab authoritate aliorum codicum non fuiſſet diſtincta, Scriptura olim haberi non potuiſſet ut una e fidei noſtræ regulis: incaſſum Patres, ut confutarent Hæreticos, adhibuiſſent Canonem Scripturarum tamquam normam inconcuſſam, quæ complures eorum errores everteret.

3. Si Concilia Laodicenum, & Carthaginenſe in uno eodemque Canone indifferenter, & ſine diſcrimine enumeraverunt libros, qui non ſunt ejuſdem authoritatis; rectam, & accuratam definitionem conficere non potuerunt: conglobatim enim in uno eodemque indice enumeraſſent libros omnes & dubiæ, & divinæ authoritatis: porro conſtat ex S. Auguſtino, qui, teſte Martianæo, Concilio Carthaginenſi interfuit, Patres hujus Synodi in Canone Scripturarum determinando accuratam confeciſſe definitionem. Audiatur ſanctus Doctor, cujus verba, quia potiſſimum ad rem noſtram faciunt, deſcribere hic non pigebit: deprompta ſunt ex lib. 2. contra Creſconium cap. 31. quem S. Auguſtinus an. 406. elucubravit. „ Neque, inquit, ſine cauſa tam ſalu„ bri vigilantia Canon Eccleſiaſticus conſtitutus eſt, ad „ quem certi Prophetarum, & Apoſtolorum libri per„ tineant; quos non omnino judicare non audeamus, „ & ſecundum quos de cæteris libris vel fidelium, vel „ infidelium libere judicemus “.

In eo S. Auguſtini teſtimonio quot verba, tot ſunt adverſus Martianæum fulmina. 1. Quidem, ut teſtatur Martianæus, S. Auguſtinus ad Canonem Concilii Carthaginenſis alludit. 2. Aſſerit ſanctus Doctor, ſalubri vigilantia conſtitutum fuiſſe Canonem, ad quem certi Prophetarum, & Apoſtolorum libri pertineant; ergo Canon Concilii Carthaginenſis erat *conſecratus*. 3. Librorum Prophetarum nomine intelligit Codices veteris Teſtamenti tum Proto-Canonicos, tum Deutero-Canonicos; ſicut librorum Apoſtolorum nomine novum Teſtamentum integrum denotat; etenim, teſte Martianæo, ſanctus Doctor proculdubio de Scripturarum Canone, quem Synodus Carthaginenſis confecit, loquitur; in quo omnes libri Proto-Canonici, & Deutero-Canonici recenſentur. 4. Addit, *quos omnes judicare non audeamus, ſecundum quos de cæteris libris .... judicemus*. Ubi ſanctus Doctor aperte demonſtrat, Canonem Scripturarum ſua ætate fuiſſe legem inconcuſſam, quam conſulere debebant Epiſcopi, cum de ſacris Paginis ageretur. Itaque quidquid dicat Martianæus, non exiſtimavit S. Auguſtinus, in Scripturarum Canone extitiſſe libros, quorum quidam invictæ, quidam dubiæ authoritatis fuiſſent, cum aſſerat, libros omnes in Canone contentos, ne uno quidem excepto, fuiſſe cæterorum regulam.

Alterum Martianæi paradoxum legitur parte 2. de Canone Script. cap. 2. §. 3. pag. 194. cujus hæc ſunt verba: „ Ætate Innocentii, & Gelaſii, Concilii Car„ thaginenſis, & Romani de authoritate, & veritate „ Deutero-Canonicorum non agebatur: hoc unum ſum„ mi Pontifices, & Patres utriuſque Concilii intende„ bant, ut libros genuinos a ſuppoſititiis ſecernerent, „ prioreſque in indicem librorum Canonicorum refer„ rent: interim arbitrio fidelium permittebant, ut diſ„ crimen Canonicorum ab aliis peragerent “.

Verum id non eſt Innocentii I. Gelaſii, & Conciliorum Canones de Scripturis exponere; ſed occupatam ſemel opinionem velle quocumque modo defendere. Sane Martianæus non attendebat, cum docuit, in condendis Scripturarum Canonibus eam non fuiſſe ſummorum Pontificum, & Conciliorum mentem, ut noſtros Deutero-Canonicos inter Scripturas referrent, ſed duntaxat ut eos ab adulterinis, & ſuppoſititiis operibus diſtinguerent. *Interim arbitrio fidelium permittebant, ut illud diſcrimen peragerent*: ideſt utrum libri forent Canonici, necne. Quis ſibi perſuadeat, Eccleſiam olim arbitris fidelibus reliquiſſe, ut Canonicos libros ab apocryphis ſecernerent? Ab una igitur Eccleſia, quæ tam ſacri depoſiti cuſtos eſt fidelis, non repetebatur tunc vera, ac genuina ſacrorum librorum notitia? Errabat itaque Auguſtinus lib. 1. contra Creſconium cap. 33. contendens *Scripturarum a nobis teneri veritatem, cum hoc faciemus, quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ?* Potuitne aliquid eſſe conſtans ac certum in Religione, ſi ex libidine, & nutu fidelium penderet librorum Canonicorum fides? Hæc Martianæi doctrina patronos ſibi vindicabit in caſtris Heterodoxorum, qui in dignoſcendis genuinis Scripturis ſpiritu privato tamquam certa, & fixa regula diriguntur. Martianæo gratulari debent, quod in remota antiquitate repererit Pontifices, Patreſque in Synodis congregatos, qui libertatem, qua gaudent Calviniſtæ in rejiciendis, vel admittendis nonnullis Scripturarum libris, ſua authoritate confirmarunt.

Nec ſuam hanc de vetuſto Scripturarum Canone ſententiam deinceps emollivit Martianæus: etenim quaſi ſua mens ſatis jam explicata, & evidens non eſſet, ſubjungit: „ Gelaſii Papæ intentionem numquam extitiſſe, „ ut Scripturarum Canonem conſecraret; nec ſummum „ hunc Pontificem voluiſſe legem Catholicis imponere, „ ut Scripturas in Canone collocatas tamquam divini„ tus inſpiratas ſpectarent “. Quippe unum hoc fuit propoſitum Gelaſii, Romani Concilii, & Patrum, qui Canones Scripturarum condiderunt, ſi Martianæo credatur, ut Tobiam, Juditham ab adulterinis, & hæreticis libris ſeponerent; at de eorum divina authoritate definienda non cogitarunt: ergo Concilium Tridentinum uti non potuit antiqua traditione, ut ſuum de divinis Scripturis indicem conficeret: quo pacto Patres, & concilia conſuluiſſet, cum, teſte Martianæo, nihil de librorum ſaltem Deutero-Canonicorum divinitate in ſuis Canonibus vel dixerint, vel definierint?

Mirum ſane quod Martianæus hæc ſuæ doctrinæ incommoda non præviderit; ex ipſius tamen principiis ſponte fluunt, omnibuſque ſunt obvia.

Martianæus dum contendit, nullum ante Synodum Tridentinam conſignatum fuiſſe Scripturarum Canonem, patrocinatur Witachero. Hic quippe *diſput. de Scriptura adverſus Stapletonum quæſt.* 3. ita ratiocinatur: „ Sed velim ut reſpondeat (Stapletonus) utrum Scri„ pturæ Canon fuerit antea conſtitutus, necne. Con„ ſtitutum fuiſſe negare non poteſt; nam & prius con„ feſſus eſt ex Auguſtino; & Concilia etiam quædam „ nobis objiciunt Papiſtæ, in quibus ajunt, Scripturæ „ Canonem conſignatum fuiſſe. Si ergo fuerit Scriptu„ ræ Canon antea conſignatus; certe nec mutari Ca„ non tanta authoritate ſtabilitus, ac conſtitutus, nec „ iſte, aut alius liber quiſquam in Canonem introduci „ poteſt “.

Vana profecto illa eſt difficultas, quæ nullo fundamento nixa, prona in exitium ruit. Reipſa Canon ſemel ab Eccleſia univerſa conſignatus mutari non poteſt, eo ſenſu quod nihil ei detrahi poſſit. At abſurdum eſſe nequit, ſi liber divina authoritate exaratus, qui ut talis conſecutis temporibus agnoſcitur, deinceps in Canonem ſacrorum codicum introducatur; non ſecus ac in Symbolum articuli fidei, qui ſucceſſive fuerunt definiti, relati olim fuere.

Nec Witachero tantum patrocinatus eſt Martianæus, proxime etiam acceſſit ad Kemnitium, præſertim ubi agitur de ſententia S. Auguſtini circa libros Deutero-Canonicos: quæ enim Martianæus de S. Doctoris mente dixit, hæc ſumpta videntur ex Kemnitio, *Exam. Concil. Trid. pag.* 52. *col.* 2. Antonius quoque de Dominis *lib.* 7. *de Rep. Eccl. cap.* 1. *pag.* 16. nonnulla Martianæo ſuppeditare mihi viſus eſt; ſicut Gerhardus *loco* 1. *de Script. Sacra cap.* 6. *num.* 103. ab ejus ſententia non multum recedit.

Plurima ſunt in eo opere, cui Martianæus titulum hunc fecit *Canon des Ecritures, &c.* quæ fuſiorem confutationem mererentur. Quædam notavi *Sect.* 3. *Capp.* 1. 2. & 3. ac potiſſimum *Cap.* 2. ubi expoſui, quo pacto Martianæus S. Auguſtinum, alioſque Patres, qui Scripturarum Canones poſteritati tranſmiſerunt, perperam expoſuerit. Parco cæteris, quæ vel nemine reſellente evaneſcunt, ſibique fidem abrogant.

SE-

SECTIO OCTAVA.

De ſenſu Decreti, quod de Canonicis Scripturis Synodus Tridentina Seſſione Quarta confecit.

INcidit non ita pridem in manus meas quædam de libris Canonicis Diſſertatio Gallica MSS. Illius authoris mens una illa eſt, ut doceat, veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos non eſſe ejuſdem authoritatis cum Proto-Canonicis, & divinam hanc prærogativam a Synodo Tridentina Deutero-Canonicis tribui non potuiſſe: hoc fuerat commentum Raynoldi, Gerhardi, complurium Heterodoxorum, quos excripſiſſe videtur Diſſertator. Patiatur vir eruditus, & κριτικότατος ſuam a me ſententiam, ac rationes urbaniter impugnari; ut autem illud certa cum methodo peragatur, ſit

CAPUT I.

Concilium Tridentinum parem Deutero-Canonicorum cum Proto-Canonicis authoritatem vere ac recte definiit.

GEmina in eo capite veritas incumbit demonſtranda: Prima quidem, utrum Tridentina Synodus Proto-Canonicos, & Deutero-Canonicos authoritate æquales vere definierit; ſecunda an ejus hac de re definitio legitima ſit.

Prima Veritas.

1. Arduum non eſt oſtendere, in Decreto Tridentino & Proto-Canonicis, & Deutero-Canonicis parem aſſignari authoritatem: etenim ſi verba, phraſes decreti, menſque Concilii in illo condenda ſpectentur; nullum ſane diſcrimen in utrorumque librorum authoritate a Synodo ſtatutum fuiſſe reperietur. En Concilii definitionem ſubjicio: „ Sacro-ſancta Œcumenica, & Generalis Synodus Tri„ dentina .... Orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, „ omnes libros tam veteris quam novi Teſtamenti, „ cum utriuſque unus Deus ſit author, nec non tradi„ tiones tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, „ ipſas tamquam vel ore tenus a Chriſto, vel a Spiri„ tu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccle„ ſia catholica conſervatas, pari pietatis affectu, ac re„ verentia ſuſcipit, ac veneratur; ſacrorum vero libro„ rum indicem huic decreto adſcribendum cenſuit; & „ ne cui dubitatio ſuboriri poſſit, quinam ſint, qui ab „ ipſa Synodo ſuſcipiuntur; ſunt vero infra ſcripti. „ Teſtamenti veteris, quinque Moſis .... Joſue, Ju„ dicum, Ruth, quatuor Regum ... Tobias, Judith, „ Eſther, Job ..... Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaias, „ Jeremias, cum Baruch .... duo Machabæorum pri„ mus, & ſecundus, &c. Si quis autem libros integros „ cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia catholi„ ca legi conſueverunt, & in veteri vulgata editione „ latina habentur, pro ſacris, & Canonicis non ſuſce„ perit, & traditiones prædictas ſciens, & prudens „ contempſerit, anathema ſit “. Iſtud Concilii Triden-tini Decretum latum eſt Seſſ. 4. quæ die 8. Aprilis anno 1546. celebrata narratur: ubi adverſus Heterodoxos nonnulla occurrunt attentione digna: ſcilicet Sectarii geminum circa libros ſacros invexerant errorem; 1. quidem integros aliquot e ſacrarum Scripturarum Canone expunxerant, nimirum Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Baruchi, & Machabæorum codices. 2. Cæteros veteris Teſtamenti libros ſuſcipiebant Heterodoxi; at nonnullos magnopere decurtabant, eo quod partes illæ, quas rejecerunt, in Hebræis, aut Chaldæis voluminibus non habeantur. Id potiſſimum videre eſt in ſeptem ultimis Eſtheræ capitibus, & in libro Danielis, in cujus capite 3. leguntur continui ſexaginta ſeptem verſus, quos Novatores ex opere Danielis eradere tentarunt. Pariter explodere moliti ſunt 13. & 14. caput ejuſdem Danielis, ubi Suſannæ, Draconis Belis, carceriſque ipſius Danielis, & translationis Habacuch hiſtoriæ referuntur. Quare ſacra, & Œcumenica Synodus Tridentina huic Novatorum circa ſacras Scripturas errori judicavit occurrendum, quando anathema vibravit in eos, qui *ſacros codices integros cum ſuis omnibus partibus pro ſacris, & Canonicis non ſuſciperent.*

2. Theologi, qui Concilio Tridentino interfuerunt, vel illud proxime ſubſecuti ſunt, teſtantur, hanc fuiſſe Synodi mentem, ut par, & eadem authoritas Proto-Canonicis, & Deutero-Canonicis tribueretur. Satis nobis ſit quoſdam laudare Theologos, & Præſules, quorum agmen ducet Stanislaus Hoſius Cardinalis S. R. E. & Concilii Tridentini Præſes. Is lib. 3. de authoritate ſacræ Scripturæ non diffitetur: „ dubitatum olim fuiſ„ ſe de libris Judith, Tobiæ, Sapientiæ, Eccleſiaſti„ co, duobus primis Machabæorum, & Baruch; at „ non ideo perpetuo eſſe dubitandum .... Et ex quo „ tempore totius Eccleſiæ conſenſu recepti ſemel, & „ inter Canonicos in Concilio Tridentino numerati „ ſunt, dubitari amplius deinceps non debere “. Melchior Canus, qui Julio III. Summum Pontificatum gerente Concilio Tridentino adfuit, ordinem, quem noſtri Deutero-Canonici inter ſacras Scripturas obtinent, aperte ſic declarat: „ Tobiam, Judith, Sapientiam, Eccleſia- *Lib. 2. de locis Theol. cap. 9. con-cl. 2.*
„ ſticum, duoſque Machabæorum libros a Canone re„ jicere, multo magis erroneum eſt, ne dicam hæreti„ cum “. Doctiſſimus Didacus Payva ab Andrada, ſeu Andradius noſtræ ſententiæ patrocinatus eſt, cum in- *Defſ. Conc. Trid. lib. 4.*
dicis Scripturarum a Tridentinis Patribus confecti, & verſionis vulgatæ defenſionem adverſus Hæreticos ſuſcepit: ac licet inter Theologos tantum recenſitus ſit, fuit tamen magna cum opinione ſapientiæ auditus. Eandem quoque præ ſe tulit ſententiam Scriptor alter religioſiſſimus in Synodo Tridentina Epiſcopi Abulenſis vices gerens, Gaſpar, inquam, Cardilus; præſens enim argumentum in ſua adverſus Fabricium Montanum A- *Tom. 14. Conc. col. 1912. ed. Labbè.*
pologia nitide pertractavit. Confluunt ad me certatim complures alii Theologi, qui vel Concilio Tridentino interfuerunt, vel ejus ætati vicini admodum extitere; illos inter enumerare poſſe Iſidorum Clarium Benedictinum, Petrum de Soto Dominicanum, Alphonſum Salmeronem Societatis Jeſu Presbyterum, Gentianum Hervetum Cardinalis a Lotharingia Theologum, Michaelem Medinam Minoritam, &c. quorum opera non leve momentum ſententiæ, quam propugnamus, conferunt.

3. Hæretici norunt optime, hanc fuiſſe Concilii Tridentini mentem, ut par Deutero-Canonicorum, & Proto-Canonicorum definiretur authoritas. Id agnoverunt Raynoldus, Witacherus, Molinæus, Gerhardus, &c. Hic ſcilicet *loco* 1. *de Scriptura ſacra num.* 103. contendit, *Concilia Florentinum, & Tridentinum nimis eſſe recentia*, ut in ſuis indicibus divinam noſtris Deutero-Canonicis authoritatem decernerent. Concinunt etiam ineptæ Bibliaci Canonis diviſiones, quæ ex Hæreticorum officina prodiere. Primæ diviſionis artifex creditur Kemnitius: *Canon*, inquit, alius *infallibilis*, alius *fallibilis*: 2. a Junio profecta eſt, quæ Cont. cap. 10. Canonem diſtribuit in *proprium*, & *improprium*; ſeu (ut ante ipſum dixerat Witacherus 16.) in *germanum* & *improprium*. Recenſent Hæretici alias diviſiones, quæ ab ipſis idcirco confectæ ſunt, ut Scripturarum Canoni, quem Synodus Tridentina condidit, opponerentur. Eam ſane mentem a Tridentino Scripturarum indice alienam non induerunt Hæretici, niſi quod iſta Synodus noſtros Deutero-Canonicos pares Proto-Canonicis declaraverit: complures enim Hæretici Tobiam, Judith, Eccleſiaſticum, &c. magna authoritate præditos agnoſcebant: id quidem faſſus eſt Gerhardus, quem Sect. 1. hujuſce opuſculi, nota 1. in Confeſſiones Hæreticorum citavimus: at divinam eis authoritatem negabant: ab ipſis Scripturarum index Tridentinus petebatur: ajebant, prioribus Eccleſiæ ſæculis ita completum, & conſignatum fuiſſe ſacrorum librorum Canonem, ut augeri amplius non poſſet; quocirca Patres Tridentinos ut reos ſuperſtitionis exagitabant, eo quod Hebræorum Canoni aliquos veteris Teſtamenti libros addiderint. Quis igitur non videt, Hæreticos arbitratos etiam fuiſſe, quod Synodus Tridentina utriuſque Teſtamenti Deutero-Canonicos cum Proto-Canonicis æquales authoritate declaraverit?

Unum hic remoram injicit, quod Melchior Canus Hæ- *Lib. 2. de locis Theol. cap. 9.*
reticis non audeat eos accenſere, qui libros veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos e Scripturarum ſyllabo rejiciunt. De Prophetia Baruch dixerat, *eſſe erroneum eximere librum hunc e Canone: at*, inquit, *hæreſim non audeo vocare*. Sixtus Senenſis in eo opere, cui, *Bibliotheca ſancta*, nomen fecit, ſex poſtrema Heſteræ capita inter Scripturas nedum recenſeat, imo ea *ut aſcititia, & apocrypha negligit*. Liberum itaque fuit poſt Synodum Tridentinam veteris Teſtamenti Deutero-Canonicis divinam negare authoritatem, aut ſaltem ſine hæreſeos nota in dubium revocare.

Ut recte, & omni ambage ſemota argumento propoſito occurram, nego, poſt Synodum Tridentinam Theologis fas adhuc fuiſſe ſine hæreſi de noſtrorum Deutero-Canonicorum authoritate divina ambigere. Revera Melchior Canus non auſus eſt Hæreticos nuncupare, qui Baruchum e Canone eximebant, quia, quo tempore hæc ſcripſit, nondum erat abſolutum, ac promulgatum Concilium Tridentinum: obiit enim anno 1560., at Synodo finis duntaxat impoſitus eſt anno 1563. Tunc omnia Synodi Tridentinæ decreta chirographis Patrum omnium munita ſunt. Nec Canus Concilio intererat, cum Scripturarum index adornatus eſt: adfuit quidem deinde ſub Julio III.: verum aberat, quando antea Pau-

lo III. Pontifice ſacrorum librorum catalogus confectus eſt.

Sixti Senenſis nævus fuit, dum ſex poſtrema Eſtheræ capita rejecit: hunc & complures alios Poſſevinus in ſuo apparatu recte notavit. Unde doctiſſimus Dupin, qui hanc ſententiam in ſua *Bibliotheca* aſſeruerat, ab Illuſtriſſimo Harlejo Pariſienſium Archiepiſcopo hunc errorem compulſus eſt revocare, declaratione data: *J' avois crû pouvoir ſoutenir*, inquit, *après Sixte de Sienne que l' on pouvoit douter de la canonicité de ſix derniers chapitres d' Eſther, & dire avec lui, que c' étoit une addition au livre d' Eſther, la quelle n' étoit pas compriſe dans le Canon du Concile de Trente. Mais comme l' on m' a fait connoître que l' on ne pouvoit pas appliquer cette ſolution aux termes précis du Concile qui admet tous ces livres contenus dans ſon catalogue pour Canoniques entierement, & dans toutes leurs parties ... j' ai changé de ſentiment & les reconnois pour canoniques: d' autant plus que l'Egliſe en a tiré des Epitres pour ſon Office* &c. Jus tamen illud & Sixto Senenſi, & Elliæ Dupin tribuendum eſt, quod de ceteris veteris Teſtamenti Deutero-Canonicis catholice ſenſerint. Sixtus enim in Præfatione, quam Bibliothecæ ſanctæ præpoſuit, Hæreticis ſceleratis annumerat, qui Tobiam, libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici, &c. e Canone Scripturarum eliminare aggreſſi ſunt; quod etiam lib. 8. Biblioth. ſanctæ peregit. Si quis vero Elliæ Dupin ſententiam hac de re ſcire deſiderat, conſulat neceſſe eſt illius Diſſertationes gallicas, quas *præliminares* nuncupari voluit.

Secunda Veritas.

Diſſertator Gallus in ſuo MSS. nonnulla ſcripſit, quæ Tridentino Scripturarum Canoni non ita ſunt conſona. Gallicum idioma referam, ut nuda, & aperta prodeat ipſius ſententia. *Le Canon des livres divinement inſpirez doit neceſſairement être appuyé ſur le conſentement unanime des Peres: à moins que de vouloir tomber dans une contradiction manifeſte; & il ne ſerviroit de rien d' alleguer que le canon des livres ſacrez donné par le Concile de Trente eſt le même que celui du troiſieme Concile de Carthage tenu ſur la fin du quatrième ſiecle. Car, quand il ſeroit certain que ce Canon auroit été veritablement fait, & publié dans ce Concile; on ne le pourroit entendre dans un autre ſens que celui de S. Auguſtin, qui a été bien eloignè de faire tous les livres compris dans ce Canon de la même autorité*, paris authoritatis; *quiſqu' il établit trois differens ordres de ces livres, les uns d' une plus grande autorité que les autres.* Num. 54. *Outre cela, il y a deux livres qui ſont Judith & Tobie dans la Vulgate qui ſont entierement differens de ceux que l' ancienne Egliſe tant Orientale qu' Occidentale a eu; en ſorte qu' il paroit que les livres, qui ſont dans la Vulgate, & les anciens ſont d' Auteurs fort differens.* Illud diſcrimen conatur oſtendere Diſſertator comparatione inſtituta inter verſionem Græcam, & Latinam Tobiæ, ac Judith: quædam enim ex utraque verſione refert teſtimonia, ut demonſtret, unam eſſe alteri longe diſſimilem. Cæteris vero Criticis alia ſubit ſententia: aſſerunt enim, filiam numquam melius forma ſua matrem referre, aut germanos fratres eſſe ſimiliores, quam verſio latina Tobiæ, & Judith ſit Græcis fontibus ſenſu & genere dicendi ſimilis.

Num. 53.

Num. 56. ad Concilii Tridentini de ſacris Scripturis Canonem hæc refert: *Cependant pour faire une telle deciſion, un Concile général eſt obligé de conſulter les monumens de la Tradition, autrement il tomberoit dans la prévarication du Concile d' Arimini, comme le ſoutient Vincent de Lerins dans ſon* Commonitorium cap. 42. Ejus loco relato, ita concludit: *Suivant ces principes un decret ſeroit nul, auſſi bien que les anathemes qui y ſeroient joints, comme l' aſſure Vincent de Lerins;* quæ quidem eo fine docet Diſſertator, ut Scripturarum Canonem Tridentinum emolliat, vel etiam elevet, ac deprimat.

Ad calcem Diſſertationis id ſtatuit illius author: *Nous devons toûjours revenir à cette grand maxime que la Tradition touchant les Livres Canoniques doit être appuyée ſur le temoignage clair, & net de SS. Peres, l' Egliſe ne devant, & ne pouvant point faire ou produire des livres ſaints, mais les conſerver fidelement ainſi que la Foy .... Il ſemble donc que le plus ſûr ſoit de rejetter toutes ces nouvelles découvertes qu' on pretend faire dans les dogmes, & qu' on donne pour Traditions Apoſtoliques, ſans qu' on puiſſe prendre prétexte que l' Egliſe ſe perfectionne dans la foy comme dans le reſte.* Huc uſque Diſſertator, qui ſuam hanc ſententiam authoritate Vincentii Lirinenſis incaſſum nititur confirmare: ſui enim conatus vanitatem inferius demonſtrabo.

Interim duo mihi videtur intendiſſe author Diſſertationis, aut noluiſſe, aut non potuiſſe Synodum Tridentinam conficere aliquem Scripturarum Canonem, in quo noſtri Deutero-Canonici, & Proto-Canonici pares tum authoritate, tum origine declararentur, niſi in manifeſtam Ariminenſis Concilii prævaricationem incideret, ad traditionem SS. Patrum non reſpectando. Genuinus itaque Diſſertatori ſenſus tribui poteſt. 1. Concilium Tridentinum veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos pares authoritate cum Proto-Canonicis non definiit. 2. Si definiit, Patrum veterum traditionem non conſuluit, adeoque *in Patrum Ariminenſium prævaricationem incidit*. Siccine vel ſentit, vel loquitur Catholicus de Concilio Œcumenico, in quo collectum fuerat, quidquid ſapientia, authoritate, prudentia excellebat? Cui celebrando, & abſolvendo viros in ſuis ditionibus præſtantiſſimos deſtinarunt Pontifices, Reges, Principes innumeri, ac Dynaſtæ. Cujus arbitrio cauſam ſuam adverſus Hæreticos Deus ipſe permiſit. An prævaricator extitit ille Antiſtitum conventus, qui dictantis, & loquentis Sapientiæ reſponſa reddebant, quorum judicium utpote inconcuſſum, eodem ac divinum loco habendum cenſent omnes genuini Catholici? Sane non attendebat author Diſſertationis; cui, ſi ſemel demonſtravero, antiquam Patrum traditionem a Synodo Tridentina fuiſſe enucleatam, antequam Scripturarum Canonem conderet, cadat ejus ſententia neceſſe eſt.

Quid hac in re peregerit Concilium Tridentinum, non aliunde certius derivari poteſt, quam ex ejus actis, vel authoribus, qui illius hiſtoriam adornarunt.

1. Quidem acta ſuperius laudavimus; horum initio profitetur Synodus, ſe ſecutam fuiſſe *exempla orthodoxorum Patrum*, quando Scripturarum indicem confecit. Traditioni igitur antiquæ ſtuduerant Patres Tridentini; hanc ut ducem & ſui decreti moderatricem ſibi propoſuerant; ſuam ergo diligentiam in ea perpendenda, ſuamque operam in ejus monumentis contemplandis collocaverant.

2. Eminentiſſimus Cardinalis Pallavicinus lib. 6. Hiſt. Conc. Trid. cap. 11. refert, Cervinum Cardinalem plurima de noſtris Deutero-Canonicis diſſeruiſſe; potiſſimum vero dixiſſe, „ ad comprobanda ea volumi„ na, quæ Canonica cenſerent, invitari Patres Triden„ tinos exemplo, & Canone poſtremo Apoſtolorum, „ ac Trullano Concilio, in quo illorum pleraque re„ cenſentur, & Laodiceno eadem plane commemoran„ te, ac tertio Carthaginenſi, quod libros Judithæ, To„ biæ, & Apocalypſis inter divinos agnoſcit: conſimi„ lem etiam ſyllabum fuiſſe confectum a SS. Athana„ ſio, & Gregorio Nazianzeno, a 4. Synodo Toleta„ na, ab Innocentio I. & Gelaſio Romanis Pontifi„ cibus, ac denique a Concilio Florentino “. Ad finem iſtius capitis ſic proſequitur Pallavicinus: „ Cer„ vinus, cum advertiſſet, librum illum (Baruch) ab a„ liquo etiam Catholicorum in dubium revocari, admo„ nuit, nihil obſtare ſyllabo ſacrorum voluminum a „ Synodo Florentina confecto, inter ea ibi connumera„ tum eſſe Baruch, tametſi a pleriſque antiquorum „ de ipſo mentio non ſit habita; illorum ſiquidem men„ tem fuiſſe, non hunc librum excludere, ſed compre„ hendere in libro Jeremiæ, cujus amanuenſis fuerat „ Baruch “.

Pallavicino hac in re conſentit Suavis Polanus, licet in plurimis contrarius: lib. 2. Hiſt. Conc. Trident. refert, Patres Tridentinos in eo unanimes extitiſſe, ut inſtar Concilii Laodiceni, ac Concilii tertii Carthaginenſis, catalogus quidam librorum Canonicorum inſtitueretur, in quo fixam haberent ſedem ſacri libri, qui a Judæis non fuerunt admiſſi. De modo conficiendi iſtius indicis fatetur quatuor natas eſſe opiniones: primæ opinionis patroni cenſebant, duo in Scripturarum indice latercula eſſe deſcribenda, quorum primum libros ab omnibus ſemper receptos, alterum vero libros, de quibus dubium olim motum fuerat, exhiberet. Relata deinde 2. & 3. ſententia, quarta tandem ſuperior, & victrix decernebat, nullum inter utroſque codices admittendum eſſe diſcrimen, idque a Concilio Carthaginenſi aliiſque Conciliis & Patribus fuiſſe peractum. Poſtrema hæc ſententia, teſte Suavi Polano, ſtatuebat, libros Proto-Canonicos, & Deutero-Canonicos authoritate æquales eſſe declarandos.

Tandem cum dies Seſſioni 4. celebrandæ determinata veniſſet, Archiepiſcopus Turretinus peroravit, decretaque confecta legit: horum primum ſpectabat indicem librorum divinorum, quem ſuperius laudavimus. Huic decreto, ſicut cæteris, quæ in Seſſione 4. lata ſunt, *cuncti abſolute conſenſerunt*, inquit Pallavicinus lib. 6. hiſt. cap. 16. Quod ſi nonnulli refragari viſi fuerint, hi ſane noſtrorum Deutero-Canonicorum authoritatem non impugnarunt. Etenim „ Epiſcopus Caputaquenſis, ut „ notat Pallavicinus, dixit, placere ſibi decretorum ſen„ tentiam, oblique ſignificans titulum non placere. Fe„ ſula-

De Saſſari.

Lib. 6. hiſt. cap. 16.

„ ſulanus conſuetam de inſcriptione ſchedulam protulit: „ Pacenſis, & Petrus Auguſtinus Oſcenſis reſponderunt, „ ea ſibi probari, modo liberum eſſet Concilio epigra- „ phem addere, repræſentantis Eccleſiam univerſalem „ ubi ipſi videretur “. Porro iſtæ difficultates nullum authoritati Canonicæ Tobiæ, Judithæ, Sapientiæ &c. detrimentum inferre poſſunt; ſed potius in declaranda Canonica eorum authoritate unanimem Patrum Tridentinorum ſententiam evidenter demonſtrant.

Hanc de Tridentino Scripturarum indice controverſiam hic ſecare omnino juvaret, niſi difficultates quædam occurrerent, quas diluere non erit operoſum.

CAPUT II.

Tridentini Scripturarum indicis æquitas defenditur, ſimulque difficultates, quæ proponi ſolent, ſolvuntur.

COmplures in eo opuſculo adverſus noſtros Deutero-Canonicos difficultates ab Heterodoxis propoſitas pro modulo noſtro jam ſolvimus: ſuperſunt eæ duntaxat diluendæ, quæ Scripturarum indicem a Synodo Tridentina confectum impugnant. Opponunt ſcilicet adverſarii, noſtros Deutero-Canonicos in Concilio Tridentino authoritate pares Proto-Canonicis non potuiſſe declarari, quin nova Patribus Tridentinis adfuerit revelatio: abſurdum porro eſt arbitrari, novæ revelationis luce mentes Patrum in Concilio collectorum illuſtrari, dum Chriſtus integram omnium fidei noſtræ dogmatum revelationem Apoſtolis fuiſſe apertam teſta- *Joann. cap. 14.* tur. En ejus Oraculum: „ Paracletus autem Spiritus „ Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille „ vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcum- „ que dixero vobis “.

Ni me vana fides aut mendax ludat imago;

agnoſco, conſimilem ab erudito Diſſertatore fieri difficultatem. Etenim poſtquam fuſius probare tentavit, traditionem authoritati divinæ Deutero-Canonicorum veteris Teſtamenti non favere, ita ſuam diſſertationem concludit. *Il ſemble donc que le plus ſûr ſoit de rejetter toutes ces nouvelles découvertes qu' on pretend faire dans les dogmes, & qu' on donne pour traditions Apoſtoliques ſans qu' on puiſſe prendre le prétexte que l' Egliſe ſe perfectionne dans la foy, comme dans le reſte.* In hujus ſententiæ patrocinium advocat Vincentium Lirinenſem, cujus teſtimonium ex cap. 28. Commonitorii deſumptum laudat.

Verum eo argumento, quod a multis ſæpius obtritum eſt, leviter admodum pulſantur Catholici. Etenim non concedunt, Synodo Tridentinæ novas adveniſſe revelationes cum Scripturarum Canoni Deutero-Canonicos comites addidit. Fatentur tamen, a Patribus Tridentinis auxilio Spiritus Sancti adjutis peractas ſuiſſe novas fidei explicationes, novaſque dogmatum declarationes, & definitiones in Synodo Tridentina fuiſſe prolatas; quæ quidem dogmata a Chriſto vel Spiritu Sancto Apoſtolis revelata ſunt, & eorum ſucceſſoribus continua ſucceſſione tradita, quamvis non perfecte pleneque prioribus Eccleſiæ ſæculis explicata.

Miror quod author Diſſertationis ſibi vindicet Vincentium Lirinenſem, quem tamen ipſi adverſari facile judicabit lector, ſi in cap. 29. & 30. Commonitorii oculos etiam rapide conjiciat: „ Chriſti, inquit Vincen- „ tius, Eccleſia ſedula, & cauta depoſitorum apud ſe „ dogmatum cuſtos, nihil in his unquam permutat, „ nihil addit, nihil minuit; non amputat neceſſaria, „ non apponit ſuperflua, non amittit ſua, non uſurpat „ aliena: ſed omni induſtria hoc unum ſtudet, ut vetera fideliter ſapienterque tractando, ſi qua illa ſunt „ antiquitus informata, & inchoata, accuret, & po- „ liat; ſi qua jam expreſſa, & enucleata, conſolidet, „ firmet; ſi qua jam definita, & confirmata, cuſtodiat. „ Denique quid unquam aliud Conciliorum decretis „ eniſa eſt, niſi ut quod ſimpliciter credebatur, hoc „ idem poſtea diligentius crederetur; quod antea lentius prædicabatur, hoc idem poſtea ſolicitius excoleretur? Hoc, inquam, ſemper .... Hæreticorum novitatibus excitata Conciliorum ſuorum decretis Catholica perfecit Eccleſia; niſi ut quod prius a majoribus „ ſola traditione ſuſceperat, hoc idem poſteris etiam „ per Scripturæ chirographum conſignaret “. Hæc Vincentius diſerte, copioſe, & ita dilucide in noſtræ ſententiæ defenſionem, ut nihil clarius & appoſitum magis laudari poſſit.

Alterum petunt adverſarii argumentum ex traditione, quam veluti inſufficientem nobis exhibent, ut ea rite perſpecta Concilium Tridentinum inter ſacras Scripturas potuerit noſtros Deutero-Canonicos referre: unanimem enim & clarum de divina Deutero-Canonicorum authoritate conſenſum in vetuſtis Patribus deſiderant; cum autem ille Deutero-Canonicis deſit, contendunt, Patrum traditionem, quam in eo opuſculo adornavimus, non fuiſſe legitimam regulam, quam Patres Tridentini in conficiendo Scripturarum Canone ſecuti fuerint. Authori Diſſertationis arriſit illud argumentum: *Quelle apparence*, inquit, *y a-t il donc de declarer pour canoniques des livres, que l' ancienne Egliſe n' a point reconnus ou lus, & dont l' origine eſt entierement incertaine .... Nous devons toûjours revenir à cette grande maxime que la tradition touchant les livres canoniques doit être appuyée ſur le temoignage clair & net des ſaints Peres.* Unde concludit author Diſſertationis, Deutero-Canonicos veteris Teſtamenti in Scripturarum Canonem non eſſe referendos. *Num. 55.*

Illud Diſſertatoris ratiocinium, quod ipſi cum Heterodoxis commune eſt, mihi renovat memoriam declamatoris Vectii, de quo Juven. cum,

Eadem cantaret verſibus iiſdem,
Occidit miſeros crambe repetita magiſtros. *Satyr. 4.*

Quæ enim fuſius Raynoldus adverſus veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos, hic brevius retulit, ſeu potius quod Gerhardus latino idiomate, hic gallico deſcripſit: ſicut enim Raynoldi, & Gerhardi mens ea fuit, ut oſtenderent, vetuſtam traditionem veteris Teſtamenti Deutero-Canonicis adverſari, ita & Diſſertationis author ad eundem conſequendum finem ſuam omnem operam collocavit, ſed infauſto admodum exitu. Quæ enim in plurimis iſtius opuſculi Sectionibus diximus, aperte demonſtrant, Canonicam, divinamve authoritatem a majori ſanctorum Patrum parte noſtris Deutero-Canonicis fuiſſe conceſſam; quod Synodo Tridentinæ ſatis erat, ut in Scripturarum Canonem eos referret: neque enim unanimis de quodam dogmate traditio requiritur, ut Eccleſia certo poſſit de eo judicare. Conſtat, unanimem non fuiſſe Patrum traditionem circa valorem Baptiſmi ab hæreticis collati: S. Cyprianus in Africa cum quibuſdam Eccleſiæ Africanæ Conciliis, & Firmilianus in Oriente cum duabus Synodis, decreverant, Baptiſmum hæreticorum eſſe irritum; dum S. Stephanus, & Occidentales Epiſcopi ejus valorem aſſererent: nihilominus, teſte S. Auguſtino, Concilium plenarium definiit valorem Baptiſmi ab Hæreticis collati ad fidem pertinere. *Lib. De Baptiſm. cap. 7.*

At ne quis exiſtimet, in uno duntaxat Baptiſmi hæreticorum negotio unanimem Patrum traditionem requiſitam non fuiſſe, ut ratus declararetur; legat quid de Deutero-Canonicorum controverſia Nicephorus ſcripſerit: *Lib. 2. hiſt. cap. 46.* „ Sed enim libri illi, *inquit*, Epiſtola ſcilicet Ja- „ cobi, altera Petri, unica Judæ, altera, & tertia „ Joannis, & Epiſtola ad Hebræos; tametſi contro- „ verſi ab antiquis ſint habiti, poſtea in omnibus, quæ „ ſub cælo ſunt, Eccleſiis authoritatem Sacro-ſanctam, & irrefragabilem obtinuerunt “. Quod de Epiſtolis SS. Jacobi, Judæ, &c. dixit Nicephorus, id potiori jure de veteris Teſtamenti Deutero-Canonicis cenſendum eſt.

Dicet aliquis, Vincentium cap. 3. Commonitorii hanc ſtatuere regulam: „ In ipſa Catholica Eccleſia „ magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubi- „ que, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt: „ hoc eſt enim proprie, vereque Catholicum, quod ipſa „ vis nominis, ratioque declarat “. Atqui hæc Vincentii regula genuina non foret, ſi unanimis traditio non requireretur, ubi potiſſimum agitur de fidei dogmatibus traditionis auxilio probandis; quocirca concludere fas erit, periclitari dogmata, niſi clara, & unanimi Patrum traditione nitantur.

Sed hæc anguſtæ mentis concluſio eſt, quaſi vero Vincentius Lirin. unam hanc fidei noſtræ dogmatibus regulam proponeret. Equidem hæc illa regula eſt, quam adhibuit Vincentius, ubi dogmata, quæ aperte in Scripturis, & traditione revelata continentur, probare voluit. Hanc illam uſurpavit, ubi Verbi divinitatem adverſus Arium, unam in Chriſto perſonam adverſus Neſtorium, geminam in Chriſto naturam adverſus Eutychetem propugnavit; quippe ea dogmata fide ſemper explicita credita ſunt, & ad nos uſque clara, ac unanimi Patrum traditione pervenerunt. Verum quando agitur de fidei dogmatibus, quæ in Scriptura ſacra deliteſcunt, aut Patrum traditione non ita unanimi, & clara nituntur, ad aliam confugit regulam, quam cap. 4. Commonitorii hiſce commendat verbis: „ Si in ipſa „ vetuſtate duorum, aut trium hominum, vel certe „ civitatis unius, aut etiam Provinciæ alicujus error „ deprehendatur; tunc omnino curabit, ut paucorum „ temeritati, vel inſcitiæ univerſalis Concilii decreta, „ ſi qua ſint, præponat. Si tale aliquid emergat, ubi „ nihil ejuſmodi reperiatur, tunc operam dabit, ut collatas

„ latas inter ſe majorum ſententias conſulat, interro-
„ getque eos duntaxat, qui diverſis licet temporibus,
„ & locis, in unius tamen Eccleſiæ Catholicæ commu-
„ nione, & fide permanentes, magiſtri probabiles exti-
„ terunt; & quidquid non unus, aut duo, ſed omnes
„ pariter eodem conſenſu aperte, frequenter, perſeve-
„ ranter tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognoverit, id ſi-
„ bi quoque intelligat abſque ulla dubitatione creden-
„ dum". Iſtam Vincentii normam ſecuti ſunt Patres Tridentini, cum veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos in Scripturarum Canone poſuerunt: ad examen varias de illis Deutero-Canonicis Patrum ſententias revocarunt; antiquos Scriptores conſuluerunt, interrogaverunt; obſcura eorum loca colluſtrarunt; ac tandem neglecta veterum quorumdam ſententia, qui de noſtris Deutero-Canonicis non ita recte cogitabant, cæterorum Patrum authoritate abrepti certam, & immobilem ſedem in Scripturarum ſyllabo Deutero-Canonicis tribuerunt.

CAPUT III.

Diluuntur poſtremæ difficultates, quæ mentem Concilii Tridentini in condendo Scripturarum Canone ſpectant.

QUÆ Capite 1. iſtius Sectionis dicta ſunt, aperte declarant, hoc unum Patribus Tridentinis fuiſſe propoſitum in conficiendo Scripturarum indice, ut veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos pares authoritate Proto-Canonicis definirent. Ut autem difficultas, quæ huic veritati opponitur, clarior pateat; fas ſit mihi in ea proponenda Scholarum morem uſurpare. Pallavicinus, inquiunt adverſarii, lib. 7. hiſt. Concilii Tridentini cap. 10. refert, Patres Tridentinos declaraſſe, fore ut in ſuis decretis abſtinerent a definiendis quæſtionibus, quæ inter Theologos agitari ſolent: atqui quæſtio de divina, & canonica librorum veteris Teſtamenti Deutero-Canonicorum authoritate inter Theologos ante Synodum Tridentinam controvertebatur: liberi quippe tunc noſcebantur Theologi ut negarent, vel affirmarent, hoſce codices eſſe Canonicos; ergo Concilium Tridentinum nunquam ſibi propoſuit, ut noſtris Deutero-Canonicis debitam eſſe authoritatis divinæ prærogativam decerneret.

Argumentum illud, quod ſpecioſum videtur, nullius eſſe ponderis, multa ſunt quæ certo demonſtrant. 1. Cardinalis Cervinus, unus e Patribus Tridentinis fatebatur quidem, veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos, *non ab Hæreticis modo, ſed ab aliquo Catholicorum in dubium vocatos fuiſſe*; at ſimul affirmabat, *incompertum eſſe, undenam ea dubitatio exorta fuerit: ac veriſimile eſſe, illam exhauſtam ex hæreſeos cloacis*. Porro Cervinus non ita locutus fuiſſet de ſententia Theologorum, qui Deutero-Canonicorum authoritatem in dubium revocaſſent, ſi eorum divina origo in utramque partem fuiſſet tunc agitata. Saltem nonnullos expertus fuiſſet Theologos adverſarios. Cum igitur nemine contradicente ita ſuam de libris Deutero-Canonicis ſententiam expoſuerit, facile concluditur, quod & omnium Theologorum illa extiterit.

Pallavicinus lib. 6. hiſt. Conc. Trident. cap. 11.

2. Pallavicinus narrat: „ Re ad ſuffragationis for-
„ mam redacta, Patres de cunctis ſacræ Scripturæ li-
„ bris recipiendis concorditer conveniſſe: in eo, inquit,
„ diſcordabant Patres Concilii, an affigendum anathe-
„ ma cuicumque eos recuſanti, quo audacia comprime-
„ retur quorumdam etiam Catholicorum adverſantium,
„ inter quos Cajetanus quoque connumeratus". E quibus ſic argumentari licet. Cajetanus ante Concilium Tridentinum obiit: Patres Concilii decreverunt *concorditer*, in veteris Teſtamenti Deutero-Canonicis eamdem eſſe agnoſcendam authoritatem, ac in Proto-Canonicis: anxii & dubii duntaxat fuerunt, utrum Cajetani operibus anathema affigendum foret, eo quod Deutero-Canonicorum divinæ authoritati non patrocinentur: ergo ante Synodum Tridentinam non ea erat Theologis conceſſa libertas, ut pro arbitrio quamlibet de noſtris Deutero-Canonicis complecterentur ſententiam.

Lib. 6. hiſt. Conc. Trid. cap. 11.

Ibid.

3. Pallavicinus aſſerit, die 22. Februarii „ Tria in
„ peculiaribus cœtibus propoſita fuiſſe: 1. An omnia
„ utriuſque Teſtamenti volumina eſſent comprobanda:
„ 2. An ea comprobatio per novum examen peragen-
„ da: 3. A Bertrando, & Seripando propoſitum, an
„ expediret ſacros libros in duas claſſes partiri; alteram
„ eorum librorum, qui ad promovendam populi pieta-
„ tem pertinent, ut Sapientiæ, Eccleſiaſtici, &c. alte-
„ ram eorum, quibus fidei dogmata innituntur: ſed
„ hæc diviſio, (pergit Pallavicinus) nec ſua ſpecie Pa-
„ tres allexit, nec nacta eſt laudatorem". Porro nanciſci potuiſſet laudatorem aliquem, ſi præciſe ante Synodi Tridentinæ definitionem Theologi de divina Deutero-Canonicorum noſtrorum authoritate libere diſceptaſſent, ergo &c.

4. Suavis Polanus lib. 2. Hiſt. Concilii Tridentini ad annum 1546. refert, Theologos ex operibus Lutheri hunc decerpſiſſe articulum; ſcilicet *inter libros veteris Teſtamenti, eos duntaxat eſſe computandos, qui in Hebræorum Canone leguntur*. Porro articulus ille a Theologis ideo deſumptus eſt ex Lutheri codicibus, ut a Synodo Tridentina damnaretur, ergo, &c.

5. Nec Theologi plurimis ante Synodum Tridentinam annis hanc ſibi veniam permiſerunt, ut de authoritate Deutero-Canonicorum veteris Teſtamenti libere diſceptarent. Eraſmus vir liberioris ingenii in rebus Theologicis ante Synodi Tridentinæ tempora floruit; nec tamen auſus eſt illorum codicum authoritatem in dubium apertum revocare. Etenim catecheſi 4. Symboli ſub finem veteris Teſtamenti Canonem exponens, de noſtris Deutero-Canonicis ita differit: *An Eccleſia receperit hos libros eadem authoritate qua cæteros, novit Spiritus Eccleſiæ*. Equidem divinæ authoritati Deutero-Canonicorum non multum patrocinatur; imo ſi conjecturis uti liceat, adverſatus ei fuiſſet Eraſmus, ſi tunc temporis ea libertate donati fuiſſent Theologi. Verum ætate Eraſmi aderat conſenſus Theologorum, qui inter Scripturas ſacras veteris Teſtamenti Deutero-Canonicos referebant; aderat unanimis Scriptorum Catholicorum, qui tunc florebant, ſententia, quæ inſtar legis erat, & quam diſſenſu ſuo nullus tunc temerare poterat. Ad hunc ſane Theologorum conſenſum vetuſta traditione nixum reſpectavit Albertus Pighius, cum in opere de traditionibus humanis, quod anno 1542. prodiit in lucem, Deutero-Canonicos veteris Teſtamenti inter ſacras Scripturas enumeravit. „ Quod autem, (inquit Controverſia 2.) vana non fue-
„ rit hæc eorum fides, divina Scriptura comprobat....
„ in Samuele, Davide, Ezechia, Eſdra, Juditha, Eſ-
„ her, Machabæis, &c.

Erunt fortaſſe, qui nihil me profeciſſe exiſtimabunt, niſi argumentum alterum, quod eo proponunt modo, elucidem. Habetur in decreto Tridentino, Scripturas ſacras, ac traditiones *æquali pietatis, ac reverentiæ affectu recipiendas*. Notat Pallavicinus lib. 6. cap. 14. *Hanc æquationem quibuſdam, ac præſertim Bertano non fuiſſe probatam*. Decretum tamen communi omnium ſuffragio deinceps receptum eſt, ac comprobatum: Porro, ajunt nonnulli, ſi index Tridentinus Scripturis a Deo inſpiratis duntaxat conſtaret, Concilium Tridentinum nunquam ſtatuiſſet, ut libris in indice contentis, & traditionibus eadem veneratio impertiretur: quis ſibi perſuadeat Patres Tridentinos voluiſſe, ut in eodem honoris, & dignitatis gradu haberentur ſacræ Scripturæ, & traditiones? *Seſſ. 4.*

Reſpondeo 1. hanc difficultatem nullius eſſe momenti: peccat enim vitio, quod in Scholis ita ſolet argui; *Qui nimis probat, nihil probat*. Illud autem argumentum oſtenderet, in Tridentino Scripturarum indice nullum eſſe librum divinitus inſpiratum: ſiquidem Synodus traditiones libris omnibus in eo ſyllabo incluſis indiſcriminatim exæquat: quocirca in hypotheſi adverſariorum Geneſim, Exodum.... quatuor Evangelia, &c. veluti codices Deo afflante elaboratos in ſuo indice Concilium Tridentinum non collocaſſet; cum in veneratione, & pietate, quæ eis debentur, æquales eis adjungat comites traditiones. Quam abſurdum ſit hoc argumentum, nemo ſane non videt.

2. Synodus Tridentina traditionum nomine non tam intelligit ſanctorum Patrum opera, quam quædam fidei dogmata, quæ in ſacris paginis ſcripta non reperiuntur, ſed tamen Patrum ſubſidio ad nos uſque pervenerunt. Genuinam eſſe iſtam ſolutionem teſtatur decreti Tridentini tenor, cujus hæc verba ſunt: „ Omnes libros tam
„ veteris, quam novi Teſtamenti, cum utriuſque unus
„ ſit Deus author, nec non traditiones ipſas tum ad fi-
„ dem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus
„ a Chriſto, vel a Spiritu Sancto dictas, vel continua
„ ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas, pari pie-
„ tatis affectu, ac reverentia ſuſcipit, & veneratur (Sy-
„ nodus)". Quænam porro illæ ſunt traditiones, quæ *oretenus a Chriſto, vel a Spiritu Sancto dictæ ſunt*, niſi articuli quidam fidei in Scripturis vel minime delineati? Hos inter recenſeri poſſunt, numerus ſacrorum librorum, valor Baptiſmi hæreticorum, ſeptenarius Sacramentorum numerus, &c. qui in Conciliis Patrumque operibus inconcuſſe, & certo aſſervantur: unde Patrum ſcripta ad Concilii Tridentini mentem dici potius deberent traditionis cuſtodes fidi, & incorrupti, quam traditiones ipſæ, quæ a Chriſto uſque ad nos tranſmiſſæ ſunt.

Nonnulla levioris momenti diluenda adhuc ſuperſunt, quæ mihi ad finem properanti ſuperflua videntur. Quod ſi ex feſtinatione mihi quid humanitus acciderit; ſi in aliorum ſententiis referendis cæſpitaverim; aut ubique ſumma diligentia uſus non fuerim, (etſi fere uti volui) erit æquitatis lectoris, id quale eſt mihi condonare, vel ſaltem amica manu corrigere. Interim illud teſtatum velim, me in Eccleſia Catholica, Apoſtolica, & Romana natum ſemperque educatum vixiſſe: cujus authoritati, & cenſuræ non has modo veteris Teſtamenti Deutero-Canonicorum vindicias, ſed & ſi quæ forſan opera alia ſum editurus, libenter ſubjicio.

DE

DE
LEGALI PASCHATE

A J. C. peracto, ad eorum defensionem quæ habet Concilium Tridentinum Sess. XXII. cap. I.

DISSERTATIO

P. NICOLAI AUGUSTINI CHIGNOLII O. P.

In Taurinensi Academia olim Prof.

ADVERSUS PP. TOURNEMINIUM S. J., ET LAMIUM ORAT. PRESB.

CELEBRASSE Christum legale Pascha, omnium primus negasse legitur Marcion Hæresiarca; Mosaicam etenim legem Diabolo authori adscribens, ad quam destruendam Christus in phantastica carne venisset, quid mirum, si præcipuum hoc veteris legis caput prætermissum, & posthabitum a Christo fuisse, contenderet? Etsi a Marcionis errore de Mosaicæ legis authore procul abesset Joannes Philoponus agnomine Grammaticus, a quo Tritheitæ sæculo sexto enati sunt, negavit tamen perfeciisse Christum postremum Judaicum Pascha, quem errorem sæculo nono instaurarunt Græculi quidam, quos inter Anonymus *in disputatione adversus Judæos*, & alter ignotus Scriptor in libro, cui titulum fecit *de Sancto Paschæ Festo*, multis probare conati sunt, Christum in mortis suæ pervigilio legalem cœnam non peregisse, inepte tamen, & infeliciter; eodem enim ferme tempore Photius Græcorum doctissimus, licet in Latinos pessime animatus, veritate tamen testimonium extorquente Bibliothecæ suæ codice 116. scripsit, temere, & inconsulto id ab eis fuisse prolatum, „ quoniam Chrysostomus, & Ecclesia „ docent, Christum Dominum pridie, quam pateretur, „ legitimum Pascha perfeciisse, antequam mysticam in„ stitueret cœnam “.

Primus inter Latinos in hanc Græcorum opinionem concessit Marcus Antonius de Dominis, quem postea excepit Hugo Grotius, & cum eo plerique ex Arminianis, & Socinianis. Dolendum est, Catholicos quosdam eosque doctrina, ac pietate spectabiles placitum hoc præposterum, atque falsum adoptasse. Apud Italos illud invehere molitus est Hieronymus Vecchiettus Florentinus in libro *de anno primitivo ab exordio mundi ad annum Julianum accommodato*, infaustis tamen avibus; vix enim prodiit male consarcinata scriptiuncula, ut a supremis Judicibus proscripta fuit, & flammis adjudicata, ejusque imprudens author in vincula datus, inter quæ ærumnis, & squallore confectus obiit. E Gallis vero illud præ cæteris avide arripuerunt, & constabilire conati sunt Bernardus Lamy Gallicani Oratorii Presbyter tum in peculiari, quam de hoc argumento edidit, Dissertatione, tum in aliis suorum operum locis, Augustinus Calmet in Dissertatione *de novissimo Jesu Christi Paschate*, in qua non omnem solum falsitatis, & novitatis notam a sententia hac abstergere nititur, sed æqualem ei authoritatis, firmitatisque gradum tribuit, quem opposita inter Catholicos receptissima semper habuit, Pater denique Tourneminus in suis Theologicis Thesibus, quas anno 1691. & 1692. Parisiis vulgavit, & in ea, quam ad Patrem Honoratum a Sancta Maria dedit, Epistola.

Etsi Pater Suarez in Commentariis ad tertiam Divi Thomæ partem quæst. 50. sect. 3. hæc habeat: „ Statuendum primo est, Christum Dominum ante pas„ sionem suam legalem cœnam cum Discipulis celebras„ se, agnumque Paschalem ritu Judaico immolasse, ac „ comedisse, quæ res tam aperta est in Evangelistis, „ ut mirum sit, non defuisse hoc tempore Hæreticos, „ qui eam negarent; hæc sententia est plane hæreti„ ca “; ab hac tamen censura abstinemus, quum nolimus Ecclesiæ judicium antevertere, neque Patrem Lamy reprehendimus, quod in secunda parte Tractatus historici *de veteri Judæorum Paschate* probandum sibi sumpserit, quæstionem hanc fidei caput non esse, & imprudentes illos Theologos sectetur, qui fidei definitiones ad arbitrium cudunt, & catholicis Scriptoribus, quibus Ecclesia hactenus pepercit, hæreseos notam inurunt. Quid vero? Eidemne Lamy dabimus, quod minus religiose ille scribit, quæstionem hanc, cum in earum numero collocanda non sit, quæ ad fidem, moresque spectant, iis accensendam esse, in quibus integrum cuique est a communi Patrum sensu recedere? Stamus imo ex adverso, & contendimus esse illam, si non hæreticam, falsissimam tamen, nec temeritate vacare; si enim temeraria adsertio (ut eam definit Melchior Cano) ea est, qua quidpiam effertur confidenti audacia, & jactatione superba, etsi non contra Fidem, contra Ecclesiasticæ tamen modestiæ regulam, an non habet Lamy, Tournemini, aliorumque opinio superbam Ecclesiasticæ regulæ contemptionem, quam a Hieronymo Vecchietto olim inductam summi Fidei Judices confixerunt, quod videretur illa *contra sacrarum litterarum Fidem, contra Ecclesiæ universæ authoritatem, contra Sanctorum Patrum doctrinam adserta?* Singula Romanæ hujus censuræ capita totidem propositionibus confirmanda suscipimus.

PROPOSITIO I.

Patris Lamy, aliorumque opinatio a sacrarum litterarum fide videtur aliena.

TRium Evangelistarum Matthæi, Marci, & Lucæ idem iisdem ferme verbis narrantium testimonia excribenda sunt, ut propositionis nostræ veritas perspecta fiat: *Prima die azymorum*, ait Matthæus cap. 26. *accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha? At Jesus dixit: ite in Civitatem ad quemdam, & dicite ei, Magister dicit, tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum Discipulis meis; & fecerunt Discipuli, sicut constituit illis Jesus: & paraverunt Pascha. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim Discipulis suis, & edentibus illis dixit* &c. Gemina habet Marcus cap. 14. scribens: *Et primo die azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli, quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha? Et mittit duos ex Discipulis .... & paraverunt. Vespere autem facto venit cum duodecim, & discumbentibus* &c. Non absimiliter rem gestam cap. 22. describit Lucas: *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & misit Petrum, & Joannem dicens, euntes parate nobis Pascha, ut manducemus .... paraverunt Pascha; & quum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo, & ait illis, desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Quis hæc legens non sibi videre videtur Christum statuta die, atque hora cum Discipulis legali mensæ accumbentem, atque agnum Paschalem ex legis præscripto edentem? Pressius tamen rem urgere volumus, atque ex Evangelicis verbis hanc (de qua agimus) veritatem ratiocinando conficere.

Christum die legitima de manducando typico Paschate serio cogitasse, ejusque parandi provinciam duobus Discipulis demandasse extra litem est; clariora enim sunt Evangelistarum verba, quam ut ulla tergiversatione eludi possint; vere ergo comedit legale Pascha, quod comedere propoluerat, quodque Apostoli ab eo jussi paraverant; alioquin Discipulis suis illusisse dicendus erit, quibus feriam celebrandi ex veteri instituto Paschatis voluntatem significavit, quosque ad paranda omnia consulto miserit, si, quod animo propoluerat, quod se velle declaraverat, quod parari jusserat, non implevit; quis autem ne fingere quidem possit citra impietatem, Christum quidpiam per simulationem egisse, & Discipulos, & Patrem familias, apud quem Pascha parari jusserat, fefelliisse? Rursum, quis negare, aut in dubium vocare possit, diem, qua Apostoli de parando Paschate solliciti Dominum interrogarunt de loco, in quo vellet illud sibi, suisque parari, diem fuisse Mosaicæ legis sanctione immolando, & edendo Paschati addictam, quum Marcus, & Lucas scribant, *prima die azymorum, quando Pascha immolabant, in qua necesse erat occidi Pascha*, dixisse Jesu Discipulos: *ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Si ergo ea die Christus legale Pascha non edit, peccavit in legem, quam tamen ipse, etsi

etſi legis Dominus, non venerat *ſolvere*, *ſed adimplere*, imo Diſcipulis ſuis ejus violandæ author fuit; non enim aliam ea *die* cœnam Apoſtoli celebrarunt præter illam, quam una cum Magiſtro ſuo egiſſe leguntur in Evangelio; quare ſi illa legalis cœna non fuit, legem tranſgreſſus eſt Chriſtus, ſecumque Apoſtolos in tranſgreſſionem induxit.

Fac etiam, Chriſtum a Moſaici Paſchatis celebratione die illo legitimo abſtinuiſſe, num Principes Sacerdotum, & Scribæ, qui omnem perdendi Jeſu occaſionem anxie quæritabant, a Juda proditore certiores facti de violato recenter ab eo præcipuo hoc legis capite omiſſent inter cætera criminationis capita, quæ illi per ſummam calumniam, ut ejus necem urgerent, coram Pilato, & Herode affinxerunt, recentiſſimam tanti præcepti tranſgreſſionem objicere? Commentitia ergo & hæc de prætermiſſo a Chriſto ſupremo Paſchate opinio. Poſtremo: *veſpere facto*, *facta hora* Chriſtum cum duodecim non diſcubuiſſe ſolum, ſed una cum eis cœnaſſe, atque ediſſe ſcribunt Evangeliſtæ, Matthæus quidem narrans, hoc proditorem indicio a Chriſto cæteris Diſcipulis deſignatum: *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet;* Marcus vero: *Unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum:* quid porro eſt: *Qui intingit mecum manum* &c. niſi qui & diſco eodem, unde ego ſumo, cibos ad edendum petit? Quid eſt: *Qui manducat mecum* &c. niſi qui cum me ſimul edente manducat? Suprema itaque nocte cœnavit cum Diſcipulis Jeſus; quum ergo integra Evangelicæ narrationis ſeries non alios, de quibus cum Apoſtolis ederit Chriſtus, cibos exhibeat, quam qui fuerant a Petro, & Joanne jubente Chriſto parati, quum hi non alios cibos inſtruxerint, quam quos prima azymorum die apponi, comedique jubebat lex, niſi velimus temerariam vim ſacris litteris inferre, negare non poſſumus, Chriſtum Euchariſtiæ inſtitutioni Judaici Paſchatis celebrationem præmiſiſſe.

Audiendus nunc Tourneminus hæc in memorata ad Patrem Honoratum Epiſtola habens: „ Evangeliſtarum „ nullus diſerte ſcribit, a Chriſto propediem morituro „ celebratum legale Paſcha “. Lepide vero. Aliquem ne proferet Tourneminus, qui prætermiſſam ab eo hujus Paſchatis celebrationem affirmet? Quid ſi contenderet aliquis, Chriſtum nullo mortalis vitæ ſuæ anno Judaicum Paſcha peregiſſe, quia Evangeliſtarum nullus conceptis verbis id tradit? Nonne ſolide reponeret Tourneminus, nefas eſſe ex Evangeliſtarum ſilentio falſam hanc conſecutionem inferre? Etſi enim Evangeliſtæ non omnia, quæ Chriſti ſunt, articulatim retulerint, ex iis tamen, quæ litteris mandarunt, alia plura legitime, & neceſſario ducuntur; quare ſi nemo abſque ſacrilegio adfirmarit, neglectum fuiſſe a Chriſto apud Judæos agente legalis Paſchatis ritum, quia ipſe non ad ſolvendam, ſed ad implendam legem ſe veniſſe teſtatur, quia autem legalia religioſe ſervaſſe, perſæpe legitur, quia numquam a Phariſæis, & Scribis etſi profeſſis ejus hoſtibus id ei poſitum fuit in crimine, quomodo & ſibi perſuadere potuit, & aliis voluit Tourneminus, Chriſtum jamjam agendum in crucem a noviſſimi Paſchatis celebratione abſtinuiſſe, quia nullus Evangeliſtarum id expreſſe memorat? An non Chriſtiano, cordatoque homini ſatis ſuperque eſſe debuerat, ea a tribus Evangeliſtis diſtincte notari, quæ inter probandum expendimus, ex quibus neceſſario conſequitur, Chriſtum etiam ſuprema vitæ ſuæ nocte, potiſſimo huic legis mandato obtemperaſſe?

Pergit Tourneminus: Chriſtus Paſchalem agnum edere non potuit, niſi veſpere quartæ decimæ diei Niſan, feria ſcilicet ſexta ad veſperam, qua die, & hora a cæteris edebatur; atqui ea feriæ ſextæ hora ſpiritum jam in cruce tradiderat; agnum ergo Paſchalem edere non potuit: quidquid de hoc Evangeliſtæ ſcripſerunt, ſi legitime intelligatur, ac explicetur, fidem facit, non celebraſſe illum legalem cœnam: habet itaque in Evangelio fundamentum opinio mea. Ruinoſum eſt tamen hoc fundamentum, quia principii loco ponit Tourneminus, quod in quæſtione eſt, & veluti certum ſumit, quod non ambiguum ſolum, ſed plane falſum eſt, quinta ſcilicet feria illa, quæ Chriſti necem præceſſit, & cujus veſpere a Chriſto cœnatum eſt, incœpiſſe lunam, ſeu diem menſis Niſan quartamdecimam, nec niſi ſequenti feria ſexta poſt Chriſti obitum deſiiſſe; in lib. enim de ratione temporum cap. 45. ſcribit Venerabilis Beda: „ Quod Dominus quintadecima luna feria ſexta „ crucem aſcenderit, & una ſeu prima ſabbatorum, „ ideſt die Dominica reſurrexerit a mortuis, nulli licet du„ bitare Catholico, ne legi, qua agnum Paſchalem de„ cimaquarta die primi menſis ad veſperam immolari „ præcepit, pariter & Evangelio, quod Dominum ea„ dem veſpera tentum a Judæis, & mane ſexta feria „ crucifixum, & ſepultum prima ſabbati reſurrexiſſe per„ hibet, videatur incredulus “. Si ergo Catholicorum nemini dubitare licet, luna quintadecima menſis primi eo anno in feriam ſextam incidente Chriſtum in crucem fuiſſe ſublatum, nonne fallitur Tourneminus Chriſti obitum luna quartadecima, quæ eo anno cum feria ſexta conjuncta fuerit, deſinente conſignans? Si vero in lunæ quintædecimæ exitu Chriſtus certo mortuus eſt, præcedenti ergo veſpere, quo cœnaſſe cum Apoſtolis legitur, vere Paſchalem agnum ab Apoſtolis paratum edit, qui & veteri inſtituto luna quartadecima ad exitum vergente, & ad quintamdecimam accedente immolandus, atque edendus erat.

Cæterum ne quidquam adverſus Bedam cauſetur Tourneminus, Evangeliſtarum teſtificationem iterum advocamus. *Primo die azymorum*, ait Marcus, *quando Paſcha immolabant*, vel ut habet Syriaca verſio, *quando ſacrificant Judæi Paſcha*, vel ut legit Perſica, *quo Judæi Paſcha mactant: venit dies azymorum*, inquit Lucas, *in qua neceſſe erat occidi Paſcha*: prima itaque azymorum die Diſcipulos Chriſtum interrogaſſe, ubi Paſcha ſibi parare vellet, eodemque die cœnatum a Chriſto cum Diſcipulis in diverſorio, in quo Paſcha paraverant, exploratum eſt: azymorum autem ſolemnitatem, ſeu primum azymorum diem cum luna menſis Niſan quintadecima concurriſſe Levitici 23. manifeſte docemur: *Menſe primo quartadecima die menſis ad veſperam Paſcha Domini eſt, & quintadecima die menſis hujus ſolemnitas azymorum Domini eſt*. Quem porro latet, Judaicas ſolemnitates a veſpera ad veſperam duci, ſeu, ut in laudato Levitici loco habet Hebraica & Samaritana lectio, *inter duas veſperas*, & Chaldaica *inter duos ſoles* celebrari? Quare azymorum ſolemnitas, ſeu prima azymorum dies a die decimaquinta, non quartadecima, & a luna quartadecima non incipiente, ſed exeunte ducebat initium. Si ergo primo azymorum die inſtante Diſcipuli Paſcha pararunt, ſi eo poſt ſolis occaſum jam incipiente cum Chriſto cœnarunt, jam quartadecima luna, ſeu dies declinabat, in cujus clauſula immolandum erat, atque edendum Paſcha, jam quintadecima illuceſcebat, a cujus initio azymorum ſolemnitas, ſeu prima dies capiebat exordium. Hæc vero preſſa demonſtratio adverſus Tourneminum exurgit: Chriſto a Diſcipulis paratum eſt Paſcha prima azymorum die, eademque die cum Diſcipulis ab eo cœnatum: ita tres Evangeliſtæ: prima azymorum dies non quartadecima menſis Niſan, ſed quintadecima eſt: ita Levitici 23.; errat ergo, qui Chriſtum ante quartædecimæ diei terminum, & quintædecimæ initium morte ſublatum eſſe ſcriptitat.

At ſi Chriſtus Paſcha peregit, prima azymorum die id implevit: quomodo autem ea die legale hoc perficere potuit, quod ante primam azymorum diem Levitici lege implendum fuerat? Hac tamen difficultate non permovebitur, qui animadvertet, quartamdecimam diem, cujus ſecundis veſperis celebrandum erat Paſcha, ſimul fuiſſe primæ azymorum diei poſt ſolis occaſum illuceſcentis initium, ideoque vocari primam azymorum diem, nempe ineuntem, quia quo tempore Judæi typicum agnum edebant, excluſo prorſus fermentato, azymis panibus veſci incipiebant, quorum uſus ad ſeptem ſolidos dies, a veſpera ſcilicet diei quartæ decimæ menſis primi *uſque ad diem vigeſimam primam ejuſdem menſis ad veſperam* protrahebatur, ut legere eſt Exodi 18.; ſi quis autem a veſpera diei vigeſimæ primæ Menſis Niſan ad quartædecimæ ejuſdem menſis veſperam calculos ineat, ſeptem inveniet integras dies, quibus apud Judæos vetitus erat fermentati uſus, deprehendetque evidentiſſime, azymorum ſolemnitatem ſeptiduo apud Judæos celebrem a quartædecimæ diei veſpera initium habuiſſe, ita ut veſpera eadem & quartædecimæ diei, qua agnus edebatur, clauſula fuerit, ſimulque quintædecimæ initium, quæ erat prima dies, & ſolemnitas azymorum incipiens. Intrante itaque prima die azymorum diſcipuli de loco parandi Paſchatis Dominum interrogarunt, & in deſignato cœnaculo epulum inſtruxerunt, *factaque hora*, facto ſcilicet veſpere, quo dies quartadecima claudebatur, & quintædecimæ fiebat initium, Paſcha celebrarunt.

Regerit Tourneminus: quorſum nonnulli Chriſtum ſuprema vitæ ſuæ nocte vetus Paſcha ediſſe contendunt, quod Chriſtus ipſe a ſe non edendum aperte teſtatus eſt? Ita enim eum diſcipulos alloquentem Lucas inducit: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum; dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei*, quibus verbis duo Paſchata denotavit, alterum, quod edere concupiverat, alterum, quod comeſturus non erat, & cujus figura in regno Dei complenda erat: primum, ſi Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Chryſoſtomum, alioſque plures audimus, non aliud ab Euchariſtia fuit, interprete Hippolyto Martyre in tract. de Paſchate. Verum

rum quum integra narrationis ſeries, quam ex Evangeliſtis jam dedimus, dubitare non ſinat, quin Diſcipuli legitima die Moſaicum Paſcha pararint, quin *hora facta* ad illud edendum cum Chriſto accubuerint, ea Chriſti verba: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*, ad quod Paſcha referre ſapiens, & prudens poteſt, niſi ad illud, ad quod ab Apoſtolis paratum celebrandum una cum Diſcipulis Chriſtus tunc recumbebat? Nonne tò *hoc Paſcha* manifeſte illud deſignat, de quo ſolo in antecedentibus fuit ſermo, de quo ſcilicet parando Apoſtoli ſolliciti fuerant, quod in commonſtrata ſibi domo inſtruxerant, & cujus edendi jam hora advenerat? Recte ne tò *Paſcha* ad Euchariſtiam traxeris, de qua ne verbum quidem hactenus Lucas habuerat? Quum Grammaticis omnibus ratum ſit, pronomen *hoc* rem præſentem demonſtrare, quomodo verbis iis *hoc Paſcha* indicare Chriſtus Apoſtolis potuit Euchariſtiam, quam nondum eis manifeſtaverat? Pronomen ergo *hoc* Euchariſtiam nondum inſtitutam denotare non potuit, agnum vero legalem præſentiſſimum demonſtrabat, quem vere cum Apoſtolis Chriſtus tunc comedebat.

Quis autem ferat Tournemini fidentiam ea Chriſti verba: *Dico autem vobis, quia ex hoc non manducabo illud*, ita interpretantis: Dico autem vobis, quia ex hoc non manducabo aliud Paſcha, ideſt poſt inſtitutam Euchariſtiam Paſcha legale non comedam? Hæc vero Scripturæ verba ad alienos ſenſus marte ſuo torquere licet? Cum pronomen *illud* ad idem omnino ſpectet, quod Chriſtus *hoc Paſcha* mox appellarat, nonne legitimus verborum Chriſti ſenſus menti ſtatim occurrit, præſens hoc Paſcha, quod vobiſcum edere deſideraveram, quodque nunc ſimul peragimus, non amplius manducabo, cum pronomina *hoc*, & *illud* ad idem omnino Paſcha, de quo Chriſto tunc erat ſermo, ſpectare, tam perſpicue ex verbis ejus appareat, ut apertam eis vim inferat, quiſquis alium iis ſenſum affingit? Quid etiam eo falſius, quod idem addit, hujus Paſchatis nomine memoratos Patres ſolam Euchariſticam cœnam intellexiſſe, quum iidem ii Patres, ac Interpretes celebraſſe Chriſtum ſupremum Paſcha diſerte ſcribant, & laudata Chriſti verba de Moſaico Paſchate interpretentur? Referunt ea quidem, & recte, etiam ad Euchariſticam cœnam, quia Chriſtus eadem nocte cœnam utramque peregit, &, ut ait eleganter Sanctus Leo Magnus, *antiquam obſervantiam novo excluſit Sacramento, vetus teſtamentum conſummavit, & novum Paſcha condidit*, magno idcirco celebrandi ultimi Paſchatis, quod in multo ſanctius, & ſalubrius commutare decreverat, ardebat deſiderio, quoniam, ut ſcribit Theophylactus in Lucam, *legali* cœna peracta, magna myſteria Diſcipulis traditurus *erat*. Quam denique inſcite Hippolyti Martyris interpretationes protegat Tourneminus, propoſitione tertia patebit.

Poſtremo urgenti illi, obeſſe poſitioni noſtræ Evangeliſtarum narrationem, qui tradunt celebratam a Chriſto, & Apoſtolis diſcumbentibus cœnam, quæ ſi legalis fuiſſet, celebranda erat a ſtantibus, ſicut Exodi 12. mandatum legitur, reponimus cum Buxtorphio, & Grotio apud Matthæum Polum in ſua Criticorum Sacrorum Synopſi, primo ſentire multos, ſtationem in agno edendo non in perpetuum fuiſſe præceptam, ſed pro eo inſtantis exitus de Ægypto tempore: ita Cajetanus, Baronius, Tremellius, & Beza, omneſque Hebræi tum antiqui, tum recentiores: ſecundo quum in celebratione Paſchatis duplex Judæis uſitata eſſet cœna, *Sacramentalis*, in qua agnum edebant, & *vulgaris*, in qua aliis cibis veſcebantur, Chriſtum primo ſtantem comediſſe agnum, deinde ad vulgarem cœnam accubuiſſe, & in hoc ſuo accubitu Euchariſtiam inſtituiſſe, & miniſtraſſe, ſicut etiam Chryſoſtomus interpretatur.

PROPOSITIO II.

Eadem opinio univerſæ Eccleſiæ authoritati contraria eſt.

QUamquam plurima in promptu ſint momenta, quibus evincitur, hanc quam exagitamus opinionem ab univerſæ Eccleſiæ conſenſu alienam eſſe, ideoque redundare temeritate; paucula tamen ſeligimus cæteris validiora, magiſque perſpicua. Primum ex Quartadecimanorum errore petitur, qui vergente ad exitum ſecundo ſæculo pugnaciſſime ſentiebant, dominicum Paſcha luna quartadecima, in quamcumque hebdomadæ diem incidiſſet, Judaico more celebrandum eſſe, unicum opinionis ſuæ fundamentum in hoc collocantes, quia Chriſtus, & Apoſtoli luna quartadecima Paſcha peregerant, & Polycarpus Smyrnæorum Epiſcopus Joannis Apoſtoli auditor, aliique plures Apoſtolorum ævo propiores idem in more habuerant: Aſianis ergo perſuaſum erat, Chriſtum morti proximum legale Paſcha perfeciſſe, cum exemplo Chriſti, Apoſtolorum, & Apoſtolicorum hominum conſuetudini ſuæ auctoritatem, firmitatemque prætexerent. Quid adverſus eos Romani Pontifices, ſancti præſertim Anicetus, Pius, & Victor, reliquæ Orientis, & Occidentis Eccleſiæ, Magni denique Nicæni Concilii Patres, a quibus hæc controverſia certo judicio dirempta eſt? Num, quod intemperantes quidam Scriptores ab Apoſtolorum ætate remotiſſimi incredibili licentia auſi ſunt, repoſuit aliquis, falſum, aut ſaltem incertum eſſe, Chriſtum cum Apoſtolis legitimum Paſcha celebraſſe? Quam fuiſſet id ad refellendos Quartadecimanos, eorumque conſuetudinem profligandam expeditum, & efficax? Nemo tamen id negaſſe, aut in dubium vocaſſe legitur: eccur vero? Quia omnes in ea perſuaſione erant, legale Paſcha vere a Chriſto morti proximo ex veteri inſtituto celebratum fuiſſe; quare cum nihil ſit antiquiſſima hac Latinæ, Græcæque Eccleſiæ conſenſione magis teſtatum, nonniſi temere pauculi, recentiſſimique Scriptores ab ea recedere ſibi fas eſſe duxerunt.

Alterum conſtantis hujus, perpetuique conſenſus, & publicæ Eccleſiæ profeſſionis argumentum ducitur ex Tridentino Concilio, ex ejuſdem Concilii catechiſmo, & ex publicis precibus, quibus in Corporis Chriſti ſolemniis, quid de capite hoc crediderit hactenus, atque credat, teſtatum facit Eccleſia; Tridentinum namque Concilium ſeſs. 22. (quæ de Miſſæ ſacrificio eſt) cap. 1. hæc habet: *Chriſtus celebrato veteri Paſchate, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſrael immolat, novum inſtituit Paſcha, ſeipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum* &. Gemina habet Catechiſmus ejuſdem Concilii appendix, & explicatio part. 2. cap. 4. num. 2. *Celebrata*, ajens, *cum Diſcipulis agni Paſchalis cœna &c.* Quid iis demum inſignius, quæ in laudatæ ſolemnitatis hymnis canit Eccleſia? *In ſuprema nocte cœnæ recumbens cum fratribus obſervata lege plene cibis in legalibus, cibum turbæ duodenæ ſe dat ſuis manibus .... Noctis recolitur cœna noviſſima, qua Chriſtus creditur agnum, & Azyma dediſſe fratribus juxta legitima priſcis indulta Patribus: Poſt agnum typicum expletis epulis, Corpus Dominicum datum Diſcipulis &c.* Cum ergo, quæ ſemper fuerit, ſitque adhuc univerſæ Eccleſiæ perſuaſio, publica hæc, omniumque maxime authentica monumenta ſatis, ſuperque declarent, an non cum Eccleſiæ authoritate aperte pugnat adverſariorum opinio? Nequit iccirco a temeritatis labe purgari.

Nihil non agunt Lamy, & Tourneminus, ut ſe turpi hac nota liberent, noſtrorumque momentorum firmitatem infringant; quoniam vero eos maxime urit laudatum Tridentini teſtimonium, ambo in illud elevandum, aut eludendum præſertim incumbunt. P. Lamy tum in tract. de Paſchate, tum in *reſponſo ad epiſtolam Tillemontii* reponit: „ *Nemo eſt*, qui ambigat, „ canones tantum *Tridentini Concilii*, quibus hæreſes „ anathemate percelluntur, fidem noſtram neceſſario po„ ſtulare: *porro locus hic in canonibus non continetur* ..... Quamquam etiam confiterer, Doctores, „ qui huic Concilio interfuerunt, ab opinione mea diſ„ ſenſiſſe, quod nullo negotio credo, quid tandem iſ„ huc rei eſſet? Cum loquerentur illi de re, in qua „ non erat illis propoſitum veritatem ſcrutari, pro cer„ to id poſuerunt, quod nemini controverſum erat, „ quodque paſſim apud omnes obtinuerat: non eſt au„ tem cur illos redarguamus; ſed etiam id ſequitur, „ cum res hæc minime fuerit ab eis examinata, atque „ obiter tantum memorata, nihil inde colligi poſſe, „ niſi communem temporum illorum opinionem tuliſſe, „ quod Chriſtus poſt celebratum legitimum Paſcha Eu„ chariſtiam inſtituerit “. Hæc Lamy, qui a clariſſimo Boſſueto commonefactus reſponſum hoc ſuum paulo petulantius, & religioſo homine indignum emolliens, & quadantenus corrigens, in parergo Tract. de Paſchate inter errata addidit, quæ ſequuntur: „ Mihi vi„ ſa fuerat opinio optime conſtituta, qua ſcripſeram, „ ſolos Tridentini canones ejuſdem deciſiones contine„ re; at iis, quæ mihi ante oculos objicere placuit „ Jacobo Benigno Boſſuet, perſuaſum, ut ſentiam, ſic„ ut canones damnant, quæ credenda non ſunt, ita ca„ pita præcedentia docere, quæ ſunt credenda “.

Quid vero, ſi P. Lamy prioris reſponſi ſui petulantiam viſus eſt temperaſſe? Cum in ſua opinione tamen perſtiterit, nec in communem Eccleſiæ ſententiam deſcenderit, manifeſtæ, neque excuſandæ temeritatis ſua illum confeſſione revincimus. Si acerbiori Suareſii ſenſu utentes P. Lamy, aliorumque opinionem plane hæreticam pronuntiaremus, non eſſet, cur de nobis ille conquereretur; cum enim ſcribat ipſe, perſuaſum ſibi a Boſſueto, capita Tridentini Concilii canonibus præmiſſa docere, quæ ab omnibus credenda ſunt, ſi hoc

universim, & absolute sit verum, quis aperte hæreticam opinionem ejus esse non videat, quippe quæ directe pugnat cum iis, quæ laudato capite Tridentina Synodus credenda propoluit? Cæterum cum nobis generatim, & absolute non prohibetur, spectare scilicet ad fidem, & credenda esse omnia, quæ capitibus Canonum editioni præfixis Tridentinum declarat, solius temeritatis Lamianam positionem arguimus, hocque vel solo nomine a Catholico viro non posse innoxie propugnari contendimus. Doctores, & Patres Tridentinæ Synodi ab opinione sua dissentire confessus, addit: Quid tandem isthuc rei esset? Quid rei est? Insignis temeritatis est crimen in opinione persistere, cui oppositam sensisse nosti Patres omnes in Concilio Œcumenico congregatos. Das communem ejus temporis opinionem tulisse, nonnisi post legalis Paschatis celebrationem institutam a Christo Eucharistiam, nec tamen quidquam tibi negotii faceſſit communis, & notissima sententia, quam sponte concedis fuisse tunc temporis receptissimam? Nihil ergo te Ecclesiæ universæ consensus movet, nihil defers tot Episcoporum, Doctorumque auctoritati, qui in laudato capite numquam certe id veluti ratum, exploratumque constituissent, nisi veritas hæc a primis Ecclesiæ sæculis ad ea usque tempora pervulgata, & translatitia fuisset traditione deducta? Quæ porro temeritas erit, si hæc non est?

Neque hanc labem abstergere potest Lamy ajens: Tridentinos Patres eo loci de re sermonem habere, cujus veritatem penitius scrutandam sibi non sumpserant, quamque diligenti examini non subjecerant, sed obiter tantum attigerant; illud enim extra litem est, quod Lamy, aliique concedunt, Tridentinos Patres in eo capite de explicanda, atque illustranda Eucharistiæ institutione sollicitos certæ, & ab omni controversia remotæ rei loco constituisse, Christum nonnisi post Judaici Paschatis esum novum condidisse Pascha ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, opus iccirco non fuisse, ut rem omnibus testatissimam, nec a quoquam eo tempore in dubitationem adductam accuratiori indagatione disquirerent; si ergo id erat Tridentinis Patribus persuasum, si ea tum sententia ubique obtinebat, si Ecclesiæ consensus non alio locupletiori teste probari potest, quam Œcumenico Concilio, innoxie ne dissidere adversarii possunt ab hoc Ecclesiæ consensu, & singulare placitum adoptare, quod Tridentinorum Patrum sensui aperte repugnare ipsi probe intelligunt? Soli ne sapient adversarii, quotquot vero ad habendum Tridenti Concilium ex universo Occidente confluxerunt Episcopi, atque Doctores, pietate, litteris, & Ecclesiasticarum rerum peritia spectatissimi, errasse dicendi erunt, falsamque opinionem retinuisse, atque vulgasse? Si hoc temeritate vacat, non video, in quem temeritatis culpa conferri jam possit.

Meliorane vero Tourneminus? „ Angelorum natura, ait ille, corporis expers cum hoc aspectabili mundo facta sit, nihilo legitur in decretis quarti Concilii „ Lateranensis tam perspicue saltem, quam sententia „ meæ opposita in Tridentino Concilio; sancti tamen „ Thomas, & Bonaventura, licet paulo post ejusdem „ Concilii celebrationem scripserint, diserte tradunt, „ neutrum caput ad fidem pertinere, quia, ut animadvertit Suarezius, Concilium non ex instituto ad definiendum, sed obiter, & quasi aliud agens id dixit; „ & Vasquezius adnotat, Concilium his opinionibus „ certitudinem non contulisse, sed majorem tantum probabilitatis gradum, cum Ecclesia eam controversiam „ definire tunc nollet: idem de opinione a me propugnata &c. “ Totus tamen hic Tournemini saltus est extra stadium: sicut Lateranensis quarta Synodus ceu fidei articulum non definivit, Angelos suapte natura incorporeos, atque una cum hoc visibili mundo a Deo fuisse conditos; ita ultro concedimus, Tridentinum inter fidei capita non retulisse, novissimum Pascha fuisse celebratum a Christo: quid porro? Sicut Angelos cum aspectabili hoc mundo cœpisse, & corporis omnino expertes esse, licet fidei dogma non sit, post tamen eam Lateranensis Concilii declarationem eo authoritatis, majoriſque authoritatis, utraque hæc sententia deducta est, ut sola ei opponatur inconsiderata temeritas, quemadmodum cum Melchiore Cano censent plurimi, gravissimique Theologi, ita etsi divina fide ratum non sit, peregisse Christum ultimum legale Pascha; post luculentum tamen Tridentini testimonium, quo sensus universæ Ecclesiæ declaratur, abesse a temeritate non possunt, qui oppositum constanter sentiunt.

Æque futilia sunt, quæ adversus Catechismi Romani, hymnorumque, qui in Corporis Christi solemniis Ecclesiæ in usu sunt, authoritatem regerunt adversarii, plura scilicet Catechismum habere, quæ sapientibus merito non probantur, quod sint illa vel ex Aristotelicæ Philosophiæ principiis, vel ex Scholæ suæ opinionibus a Catechismi authoribus in eum derivata, laudatos hymnos Divi Thomæ Aquinatis, ideoque privati Doctoris opinionem suam a priscis Scholasticis hausam experimentis fœtum esse. Esto enim aliud sentire liceat, quam quod ex Scholæ præjudicio Catechismi editoribus quandoque visum est, temere tamen ea quis rejicit, quæ cum Tridentini doctrina apprime conveniunt, imo ipsam Concilii doctrinam exhibent, inter quæ certissime locum habet sententia, quam tuemur. Cum etiam eos D. Thomæ hymnos in sacris precum officiis usurpet Ecclesia, ejus quoque sententiam hymnis iis probasse censenda est. Ii certe non sumus, qui certitudinem, & veritatem omnibus velimus adserere, quæ in Romano Breviario lectitantur: hoc tamen caput merito excipiendum esse contendimus; non enim mera facti historici quæstio est, ad quod rerum genus definiendum nec majestatem suam demittit Ecclesia, nec judicium interponit, sed nonnihil dogmatis admixtum habet, quippe quod e sacris litteris haud obscure colligitur, in quod Patrum traditio conspirat, quodque ad vindicandam Latinæ Ecclesiæ de azymorum usu in Eucharistiæ celebratione disciplinam mirifice confert; quare etsi nonnulla ad res pure historicas adtinentia minus certa, minus etiam vera in publicas Ecclesiæ preces irrepsisse, non abnuamus, negamus tamen, idem de propositione hac nostra censeri absque piaculo posse, cum unanimem, & perpetuam Ecclesiæ sententiam præferat, quemadmodum ex dictis patet.

PROPOSITIO III.

Eadem opinio cum sanctorum Patrum doctrina aperte pugnat.

PAtres in duas classes tribuimus juxta accuratam temporum seriem, atque a Græcis exorsi primum appellamus Origenem hom. 9. in Levit. & hom. 35. in Matth. diserte scribentem: *Apostolos secundum Mosaicæ legis præceptum Pascha cum Domino proxime morituro manducasse.* Secundus adest Eusebius Cæsariensis, cujus insigne fragmentum e Chronico petitum in fine Chronici Paschalis exhibet Ducangius in hæc verba: *Cum una cum Discipulis umbratile Pascha comedisset Dominus noster, inducto alio authentico Paschate feria quinta hebdomadis, in qua erat luna quartadecima &c.* Idem non uno suorum operum loco tradit Chrysostomus hom. præsertim 81. in Matth., in qua quæstionem, *cur Christus Pascha servare voluerit*, dirimens ait: *Ut omnibus semper usque ad ultimum Passionis diem ostenderet, se legi non adversari*; hom. quoque 82. & 83. in eundem difficultatem expediens, quæ ex iis Evangelistæ verbis enascitur: *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim &c.* hæc habet: *Quomodo si Pascha comedebant, adversus legem recumbentes manducabant? Sed dicere possumus, quia postquam comederunt Pascha, ad cœnandum recubuerunt.* Epiphanius Chrysostomo coævus in lib. adversus hæreses hæresi 30. Ebionitas carnium usum damnantes argumento e Christi Domini exemplo ducto refellit, quia scilicet Dominus Judaicum *Pascha comedit, quod constabat agno, & panibus sine fermento subactis.* Cyrillus Alexandrinus Epiphanio suppar in epist. ad Patres Carthaginenses Concilii scribit: *Dominus noster Jesus Christus una die conjunxit agnum Judæorum, & verum manna, quando benedixit panem, & vinum dicens: hoc est corpus meum, & sanguis meus.* Missis denique aliis pluribus, qui e Græcis laudari possent, Proterius in Alexandrina sede Cyrilli successor a Leone I. Imperatore de ratione celebrandi Paschatis interrogatus in hæc verba respondit: *Dominum Jesum quinta feria, quintadecima luna mensis primi in cœnaculo cum Discipulis Pascha manducantem paullo post a Juda traditum, & sequenti die, luna quintadecima crucifixum &c.*

Inter Latinos agmen ducit Tertullianus lib. 4. adversus Marcionem cap. 42. scelestissimum illum Mosaicæ legis adversarium cum aliis argumentis, tum hoc potissimum retundens, *quod Dominus ipse Pascha a Mose promulgatum servavit*, eaque recitans, quæ Lucæ 22. Christus dixisse legitur: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum &c.* ironice sic exclamat: *O legis destructorem, qui concupierat etiam Pascha servare!* Idem sentiunt Ambrosius in epist. ad Episcopos Æmiliæ, Augustinus epist. 36. Hieronymus lib. 4. in Matth. cap. 10. Quorsum vero alios singillatim recenseamus, & compellemus ex nomine, cum ipse Lamy præfat. in tractatum de Paschate fateatur ingenue, sententiam nostram totius antiquitatis suffragio fultam esse, suam vero omni prorsus præsidio destitutam? „ Quia opinio, „ ait ille, quam tueri aggredior, in universum deserta „ erat, congredi cogor cum Theologis, Scripturæ in-

„ ter-

„ terpretibus, Hiſtoricis Eccleſiaſticis, Chronologis, & „ generatim cum iis omnibus, qui ſive inter Catholi„ cos, ſive Heterodoxos eruditione præſtiterunt. Cun„ cti adverſarii mei ſunt, quos partim adorior, partim „ refello, ut de me dici poſſit, quod de Iſmaele ſan„ ctæ litteræ tradunt, *manus ejus contra omnes, &* „ *manus omnium contra eum*". Hæccine Chriſtianam modeſtiam ſapiunt? Hæccine digna viro religioſo gloriatio? Conqueri jam ergo ille non poterit, opinionem ſuam communiter temeritate notari, quam fatetur ipſe a ſanctorum Patrum, ac Interpretum doctrina abhorrere.

Ab unanimi porro Patrum, Sapientumque ſententia gravibuſne, ſolidiſque momentis abſtractus eſt Lamy? Licere ſibi, ait, a Patrum traditione recedere, quod nemo illorum cauſam hanc accurate diſcuſſerit, penituſque expenderit, integrum iccirco ſibi jus eſſe, ab eorum ſententia appellandi, atque petendi, ut cauſa iterum cognoſcatur. Origenes hac de re ſcripſit obiter, Hieronymus de hoc capite non diſputavit, ſed verbo, ut ita dicam, uno curſim tranſgreſſus eſt, Ambroſius id pro certo poſuit nullis adhibitis probationibus, Auguſtinus eadem ratione ſe geſſit, nec quæſtioni huic operam conſulto dedit &c. Verum qui fieri potuit, ut non ſecum animo reputaverit Lamy, ſuum hoc reſponſum non in Patres ſolum contumelioſum eſſe, ſed & Catholicæ Eccleſiæ infeſtum, & percommodum novatoribus? Si Lamy iis Chriſti Domini verbis: *Hoc eſt corpus meum*, realem ejus in Euchariſtia præſentiam adverſus Calvinianum adſereret, hic vero ad ſolam figuram ea verba torqueret, nonne Lamy ad traditionem provocans longiſſimum Patrum ſyllabum inſtrueret, qui ab Apoſtolorum ævo ad hoc noſtrum teſtes ſunt, Eccleſiam Chriſti non de figura, ſed de veritate ea verba interpretatam eſſe, quod argumento eſt, ſenſum hunc a Chriſto ipſo Apoſtolis traditum, & continua ſibi invicem ſuccedentium ſæculorum teſtificatione ad nos uſque traductum? Quid ſi Calvinianus reſponſum Lamy arripiens reponeret: *Eccleſiaſticos authores id ponere, non probare, de capite hoc obiter, & ſine probationibus loqui, eorum, qui inter Eccleſiæ Patres jure cenſentur, neminem proferri poſſe, qui de hoc argumento libros ediderit, illudque ſibi ſumpſerit accurate explicandum*? Hæreret aqua Lamy, tumque intelligeret, quam inſcite, & imprudenter, ne temere dicam, & arroganter, reſponſum hoc ſuum Patrum teſtimoniis opponat, & vincendam fidei cauſam Eccleſiæ adverſariis exhibeat.

Tourneminus in ſua ad P. Honoratum epiſtola perſuadere legentibus volens, dari ſibi vitio non poſſe, ſi Patrum teſtimoniis a præconcepta opinione ſua non deducitur: „ illud, ait, initio animadverte, nullum „ ex Patribus ante Origenem dixiſſe, Chriſtum poſtre„ mo vitæ ſuæ anno Paſcha celebraſſe; non ignoramus „ autem, qua eſſet Origenes authoritate, ut nullus ſit „ admirationi locus, traxiſſe illum in ſententiam ſuam, „ quotquot illum ſequuti ſunt, & Scripturarum expli„ cationes ab eo mutuarunt ..... Satis tamen erit in „ rem meam trium Eccleſiæ Doctorum Origene anti„ quiorum authoritas, Clementis ſcilicet Alexandrini, „ S. Apollinaris Hieropolitani Epiſcopi, & S. Hippo„ lyti Portuenſis Epiſcopi, & Martyris, quorum teſti„ monia Chronicon Paſchale Heraclio imperante con„ fectum ad nos uſque traduxit. Patres hi in tractati„ bus adverſus Hæreticos quartadecimanos rem ea, qua „ decebat, accuratione excutientes Chriſtum extremo „ vitæ ſuæ anno Paſchalem agnum comedere non po„ tuiſſe teſtantur, & probant": Excandeſcit in hoc reſponſum Joannes Harduinus ejuſdem Societatis Scriptor, illudque acerbiſſimo ſtylo divexat. Fervidiſſimi ingenii hominem non imitabimur, neque cenſuram, & convicia adoptabimus, quibus Tournemini, aliorumque opinionem laceſſit. Solas receptiſſimæ, ſanioriſque criticæ regulas tenentes mitiori quidem, efficaciori tamen ſtylo hoc Tournemini reſponſum profligabimus.

Quæcumque de Chronici Paſchalis authore ferenda ſententia ſit, certo certius eſt, falſo, & per ſupinum errorem ab eo laudari Clementis Alexandrini, Apollinaris Hieropolitani, Hippolyti Portuenſis, Petri Alexandrini teſtimonia de prætermiſſa a Chriſto noviſſimi Paſchatis celebratione; quis enim exempli gratia non deprehendat, Petro Alexandrino, qui Diocletiano imperante Martyr occubuit, falſo adſcribi librum, in quo Conſtantini Magni, Nicæni Concilii, & S. Athanaſii poſt Nicænam Synodum Alexandrini Patriarchæ fit mentio? Quis, ut alia argumenta mittamus, de ſuppoſitione non dubitet teſtimoniorum, atque operum Hippolyti, Clementis Alexandrini, atque Apollinaris, cum Calmetus ipſe, oppoſitæ licet opinionis approbator, in diſſertatione de Paſchate ſcribat, neceſſe fore, ut inter omnes conveniat, loca hæc eorum non eſſe Scriptorum, quibus adjudicantur? Hæc cum ita ſint, an non quaſcumque prudentiæ, & ſanioris criticæ leges poſthabuit Tourneminus nolens ſententiæ ſubſcribere, quam plurium græcæ latinæque Eccleſiæ Patrum ſuffragio fretam eſſe fatetur, oppoſitam vero arripiens, a qua paucos ſtare contendit, quorum teſtimonia, atque opera, ſi non certiſſime falſa ſunt, vehementer ſaltem falſitatis, & ſuppoſitionis ſuſpicionem eruditis omnibus commovent? Si Cicerone teſte gravitatis, & conſtantiæ ſapientis indignum eſt aut falſum ſentire, aut quod non ſatis explorate perceptum ſit, ſine ulla dubitatione defendere, ſapientes ne Tourneminus, aliique, qui græcorum, latinorumque Patrum teſtimoniis ipſorum etiam confeſſione certiſſimis lubrica, & ambigua præferunt, & ſolo novitatis amore illud rejiciunt, quod veterum Patrum pleriſque conſtitutum fuiſſe fatentur, idque ſine ulla dubitatione defendunt, quod non ſatis explorate perceptum eſt, an alicui priſcorum Patrum umquam in mentem venerit? Eſt certe, cur *majorem* in Lamy, Tournemino, eorumque *aſſeclis* & modeſtiam, & prudentiam deſideremus.

JACOBI BENIGNI
BOSSUET
EPISCOPI MELDENSIS
TRACTATUS
DE DOCTRINA CONCILII TRIDENTINI

Circa dilectionem in Sacramento Pœnitentiæ requisitam.

CUM in Ecclesiasticis & solemnibus collationibus nostris, per annos proxime elapsos sæpe multumque quæsitum sit de dilectione Dei, præsertim ea, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ requiratur: Nos quidem, rogantibus Fratribus & Compresbyteris nostris, polliciti sumus futurum, ut quæ de tanta re per diversos conventus viva voce responsa protulimus, eadem scripto traderemus ad rei memoriam. Itaque otium nacti liberamus fidem nostram, & conscientiam gravi onere relevamus. Sane quæstionem totam, si opus fuerit, ex altissimis traditionis fontibus repetemus: hic autem ne nostra in immensum tractatio excurrat, eo omne studium conferemus, ut Sacro-Sancti Concilii Tridentini expressa decreta, quanta fieri poterit brevitate ac simplicitate sermonis, accurate exponantur. Sic autem procedimus.

Ac primum præmonemus quædam, quæ ad rei intelligentiam necessaria videantur, quæque apud omnes jam in confesso sint: nempe illud, divino de dilectione mandato directe imperari ipsum per se diligendi actum. Sane non defuerunt, qui docerent, imperari tantum, ut diligendi habitum, charitatis infusæ & habitualis opera, per dispositiones ad id requisitas, comparare, sive potius impetrare studeamus. Sed id stare non potest, cum, ut cetera omittamus, sufficiat istud, quod relato illo summo de charitate mandato: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, subdat ipse Dominus: *Hoc fac, & vives:* quo directe & perspicue ipse actus, ipsum diligendi exercitium imperatur. Itaque ab Alexandro VIII. hæc prolata censura est, quam ad verbum referimus, ut nuperrime Romæ est typis edita Innocentii XII. vere optimi ac maximi Pontificis jussu: *Sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc (finem ultimum scilicet) homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ moralis.* Qua de re Pontifex sic censuit: *Hæc propositio est hæretica: die Jovis 24. Aug. anno 1690.* Quod autem quidam, loco vocis *Hunc*, alii reposuerunt *Hinc*, eundem sensum, eandem censuram effert, neque de hac re litigare est animus.

In eam hæresim impingunt, qui negant, verbo *Diliges*, respondere specialem dilectionis actum, qui a Deo imperetur. Sane extiterunt qui dicerent, *præceptum amoris Dei & Proximi, non esse speciale, sed generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem satisfit.* Quam propositionem alii aliter exprimunt; nempe sic, ut mandato charitatis imperetur tantum dilectio illa, quam *effectivam* vocant, in executione omnium mandatorum contenta; non autem imperetur dilectio *affectiva*, sive specialis actus & affectus diligendi Dei propter suam excellentissimam dignitatem atque bonitatem. Hæc autem doctrina a sacra Facultate Theologica Parisiensi, erroris, impietatis, & repugnantiæ cum mandato maximo condemnata, nec defendi, nec tolerari potest. Nam dari aliquem specialem dilectionis actum, vel hæc Davidis probant: *Diligam te Domine:* & in Oratione Dominica illud: *Sanctificetur nomen tuum*, quo Dei glorificandi studium continetur: & illud: *Adveniat regnum tuum*, quo Deus non tam regnare nos facit, quam ipse in nobis regnat: denique illud: *Fiat voluntas tua*, quæ est humanæ voluntatis cum divina, ut est inter cælites, mira & perpetua consensio: atque is est ipsissimus dilectionis actus. Neque omittendum illud: *Dimitte nobis ..... sicut dimittimus*, qui est expressissimus fraternæ dilectionis actus, cum Dei dilectione necessario conjunctus. Cum ergo detur specialis dilectionis actus, eum designari voce, *Diliges*, nemo pius diffitetur. Ac revera non potest Deus toto corde diligi, si nullus unquam specialis ac proprius actus dilectionis elicitur, nullaque ejus actus obligatio agnoscitur. Unde hæc propositio: *In rigore loquendo, non videtur, quod homo teneatur unquam per totam vitam suam elicere actum amoris Dei*, a sacra Facultate Lovaniensi, *ut impia, & primam legem Christianæ vitæ evertens*, proscripta est, rite interrogantibus & approbantibus Episcopis: & clare inducit hæresim ab Alexandro VIII. condemnatam, quam memoravimus.

Nec minus necessario damnatæ propositiones istæ. Prima: *Præceptum amoris Dei per se tantum obligat in articulo mortis.* Altera: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Denique: *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.* Revera enim nulla causa subest, cur per quinquennium is actus supprimatur, potius quam semel editus omnino prætermittatur. E contra si vel semel obligat, obligat centies, obligat millies, obligat nullo termino numeroque: neque anxie disputandum, quo præcise tempore & loco, quod ex variis circumstantiis, inspirationibus ac tentationibus pendet; sed eo enitendum est, ut tanta diligentia curemus tantæ necessitatis actum elici, ut nullum sit in omittendo aut negligendo periculum.

Eo igitur nos adigunt tot damnatæ a celeberrimis Academiis, imo vero a summis Pontificibus, propositiones: nec refert qua decreti formula; cum in eam damnationem & ipsa rei natura, & totius Ecclesiæ consensio nos inducat.

Unde etiam merito reprobatur hæc propositio: *Tunc solum obligat de Deo diligendo mandatum, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus:* quasi Deus se velit diligi tantum a peccatoribus, non autem a justis; aut tanti præcepti observantia ad justificationis gratiam impetrandam tantum, non autem ad conservandam, augendamque pertineat: quo neglecto, ipsa incuria, gratiam justificationis amittant.

Hæc igitur erronea & hæretica procul a fidelium mentibus propulsanda sunt. Quantum autem, & quanto sub discrimine oporteat tantum actum frequentare, ipsa Dominica oratio, quæ quotidiana dicitur, satis docet, quippe quæ vero & pleno sensu sine actu dilectionis proferri non possit; cum hæc ipsa vox, *Pater noster*, si recte, & ut a Christo pronunciata est, dicitur, teste Apostolo, inducat *Spiritum non timoris, sed adoptionis & charitatis, in cordibus nostris clamantem, Abba, Pater.*

Sin autem objicitur illud æque impium ac nugatorium de præceptis positivis, non semper iis teneri nos, atque adeo nunquam, vel vix unquam: eo res recidit nobis, ut omnis intercidat fidei & spei exercendæ obligatio, imo Dei metuendi, cogitandi de Deo, ac de salute sua aut fide; ex quo vita Christiana oblivioni Dei, atque inde consecutæ omni injuriæ ac nequitiæ relinquatur. Quem in gurgitem jam demersi sunt, qui hæc dicunt: *Homo nullo unquam suæ vitæ tempore tenetur elicere actum fidei & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale secundum se. Satis est actum fidei semel in vita elicere.*

His igitur generatim præmissis de mandato diligendi Dei, jam quæ sint ejus partes ad justificandum impium, maxime in Sacramento Pœnitentiæ, ex decretis Tridentinis explicare aggredimur. Quam disputationem ita partiemur, ut primum agamus de Sacramentorum, quibus justificamur, efficientia; quo loco demonstrabimus ad illa non requiri eam dilectionem, quæ cum Sacramentorum suscipiendorum voto semper justificet. Deinde tractabimus de incipiente dilectione saltem ad justificationis gratiam in Sacramentis impetrandam omnino necessaria. Denique ex certis principiis difficultates resolvemus; atque is erit hujus Tractationis finis.

PARS I.

PARS I.

AC primum, Sacroſancta Synodus de Sacramentorum, quibus juſtificamur, effectu ſive efficientia, hæc tradidit: *Hanc diſpoſitionem ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur.* Quæ verba ſancta Synodus ſubdit poſt expoſitam præcedente capite illam diſpoſitionem ſeu præparationem, quæ in fide, atque inde profecto *divinæ juſtitiæ timore, in ſpe propter Chriſtum, atque in ipſo incipientis dilectionis* motu reponatur; *ex quo peccatorum odium ac deteſtatio* exiſtat, *per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet: denique in propoſito ſuſcipiendi Baptiſmi, inchoandi novam vitam, & ſervandi divina mandata.*

Non ergo hæc omnia juſtificationem includunt; non fides, non ſpes, non illa dilectio incipiens, non illud ex dilectione odium ac deteſtatio peccatorum, non illa pœnitentia, aut illud ſuſcipiendi Baptiſmi propoſitum ac votum, quamvis cum novæ vitæ propoſito, & quadam etiam inchoatione conjunctum: non illa, inquam, omnia, optima licet & ſancta, juſtificationem includunt, ſed ſunt ejuſmodi, ex quibus, teſte Sacro-ſancto Concilio, *ipſa juſtificatio conſequatur.*

Huc accedunt ex eodem capitulo verba ſequentia: *Inſtrumentalis item cauſa* (juſtificationis,) *eſt ipſe Baptiſmus, qui eſt Sacramentum fidei.* Quibus verbis conſtat, ipſum Sacramentum, non acceptæ juſtitiæ ſigillum, ut Hæretici volunt, ſed ejus accipiendæ atque adipiſcendæ cauſam & inſtrumentum eſſe.

Id autem luculentius ac firmius docet alterum capitulum ex Seſſionis VII. procœmio repetitum, quod eſt ejuſmodi: *Ad conſummationem ſalutaris de juſtificatione doctrinæ, conſentaneum viſum eſt de ſanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis agere, per quæ omnis juſtitia vera vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur.* Ex quo conſtat, quædam ſane Sacramenta ea eſſe, per quæ juſtitia jam antea per ſuſceptum Sacramentum accepta tantum augeatur; quæ nos Sacramenta vivorum ſive juſtorum appellamus: ſed alia etiam Sacramenta ea eſſe, per quæ *juſtitia incipiat, vel amiſſa reparetur*, ſive recuperetur: qualia omnino ſunt Baptiſmi ac Pœnitentiæ Sacramenta; quæ ſane peccatoribus dentur, & mortuis, ſed per eadem Sacramenta cum fide ſuſcepta revicturis. Quo etiam pertinent ex eadem Seſſione ſeptima Canones VI. VII. & VIII. ubi ſub anathematis pœna prohibetur, ne quis dixerit, eadem Sacramenta *ſigna quædam eſſe ac notas jam acceptæ juſtitiæ, non vero in iiſdem gratiam contineri, dari, & reipſa conferri: idque ex opere operato, quantum eſt ex parte Dei, ſi rite ſuſcipiant, nec obicem ponant.*

Quæ dogmata atque decreta, ſive ut vocant, principia generalia, ut Sacramento pœnitentiæ applicentur, eadem Sacro-ſancta Synodus docet: *Etſi contritionem hanc*, quam deſcribit, *aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Quo liquet, non id ſemper, aut ex natura rei fieri, ſed tantum *aliquando contingere*, ut illa contritio *charitate perfecta ſit*; unde ſubdit, quamcunque aliam contritionem, eum eſſe *motum, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat, quique ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Cæterum contritionem eam, quæ ſtatim Deo reconciliet, etiam ante ſuſceptum actu Sacramentum, eam eſſe tantum, *quam aliquando charitate perfectam eſſe contingat;* atque adeo alios eſſe caſus, eoſque vulgatos atque communes, quibus abſolutio Sacerdotis hominem adhuc reperiat obligatum lethalibus culpis, neque juſtificatum ſupponat, ſed faciat.

Huc ſpectat etiam ejuſdem Seſſionis Canon IX. *Ne quis dixerit, abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi & declarandi remiſſa eſſe peccata*: quod non ſatis pro ſancti Concilii intentione fixum haberetur, ſi omnis abſolutio actu ſuſcepta hominem jam juſtum, jamque Deo gratum ac reconciliatum reperiret, idque ex natura rei, ſive ex inſtitutione divina, fieri oportere, pro certo crederetur: ſic enim Sacramenta, quibus juſtificari credimus, opus juſtificationis ac remiſſionis peccatorum jam perfectum ſupponerent, hominemque nullius alterius rei indigentem, quam ut ei jam remiſſa eſſe annuntiaretur ac declararetur. Ipſa quoque abſolutionis formula, quod abſit, mendax eſſet, ſi nunquam peccata ſolveret, ſed ſoluta reperiret; nec miniſtri Chriſti vere unquam exercerent conceſſam ſibi ligandi ac ſolvendi, remittendi ac retinendi poteſtatem, ſi nunquam ſolverent, atque remitterent: ſed ſemper ſoluta vincula, ſemper dimiſſa peccata ſupponerent. Et quemadmodum ad vere exercendam ligandi ac retinendi poteſtatem, intelligere debemus non ſupponi ligatos, & actu judiciali ſub nexu retentos, ſed effici, ut vere ligati, vere & poſitive ſub nexu retenti habeantur; ita de poteſtate ſolvendi ac remittendi credendum eſt, nec ſupponi tantum jam ſoluta & dimiſſa, ſed vere effici, ut actu ſolvantur, ac remittantur.

Quæ omnia in hunc ſyllogiſmum concludi poſſunt. Qui ſpecialis eſt Sacramenti effectus, is ante Sacramentum actu ſuſceptum non neceſſario ſupponitur, ſed per illud efficitur. Atqui in Baptiſmo & Pœnitentia, ſpecialis Sacramenti effectus eſt ipſa juſtificatio, ſeu remiſſio peccatorum. Ergo juſtificatio, ſeu remiſſio peccatorum in Baptiſmo & Pœnitentia actu ſuſceptis non neceſſario ſupponitur, ſed per illud efficitur. Ergo ulterius, quod *aliquando* id fiat, non eſt neceſſarium, ſed caſuale & accidentarium, nempe *cum contritionem* charitate perfectam eſſe contingit, ut ex Tridentino diximus.

Hæc ergo dogmata circa Sacramentorum efficaciam ſive efficientiam, non niſi læſa fide Tridentina, negari poſſunt. Quare diligentiſſime cavit ſanctiſſima & doctiſſima Synodus, ne quam tanta authoritate ac perſpicuitate aſſeruit virtutem ac vim, eandem, quod abſit, evertere videretur. Itaque, cum clare definierit, uti prædiximus, & mox luculentius declarabimus, ad juſtificationem in Sacramentis requiri, ut ad eam moveamur non ſolo timore pœnæ, ſed etiam dilectione juſtitiæ; ne tamen putarent, eam dilectionem ſaltem cum voto Sacramenti ſtatim eſſe vivificam, ſive reconciliatoriam, ac juſtificantem, eam certis characteribus, a viva & reconciliatoria, ſive juſtificante contritione diſcrevit; quod hæc quidem ſit, ut diximus, *charitate perfecta*; illa autem ſit dilectio tantum *incipiens*, nec ad eum deducta finem, ut charitate perfecta ſit. Unde etiam fit, ut ſit præparatoria, non perficiens, aut juſtitiam inducens, ſed ea, quam ipſa juſtitia conſequatur, ut ſit denique non nova vita, quod eſt opus contritionis charitate perfectæ, ſed novæ vitæ propoſitum, ejuſdemque inchoatio quædam.

Quos incipientis dilectionis characteres nunc explicare aggredimur: atque hæc erit ſecunda pars noſtræ diſputationis, haud obſcurioribus aut inferioribus Sacro-ſancti Concilii firmata decretis, & pari utique fide retinenda.

PARS II.

PLacet igitur primum ex Seſſione VI. cap. VI. ſequentia recitare: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia .... libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt; atque illud imprimis, juſtificari impium per gratiam ejus ..... & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, a divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur; fidentes, Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt.* Quibus verbis neceſſariæ diſpoſitiones tres diſtincte & ordine proponuntur: primum *fides*, eique conjunctus divinæ juſtitiæ *timor*: deinde *ſpes* per Chriſtum: tertio ipſa *dilectio*, ſed tantum *incipiens*. Quarum diſpoſitionum ſi quis vel unam detraxerit, tanti Concilii integram perfectamque doctrinam truncaſſe judicetur.

Quid ſit autem illud, quod *Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiant*, facile intelliget, qui illam juſtitiam, quæ Deus eſt, per ſe ac propter ſe diligendam, ac nobis communicandam per Chriſtum, noſque efficienter juſtificantem conſideraverit, quemadmodum ait Paulus: *Ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum, qui eſt ex fide Jeſu Chriſti.* Diligitur ergo *Deus ut fons juſtitiæ*, cum diligitur ut juſtus atque juſtificans: quam juſtitiam nos eſurire ac ſitire oportet, dicente Domino: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam*, atque inde præparari ad juſtitiam capeſſendam, cum eam eſurire & ſitire pœnitentes incipimus: quod eſt piæ & ſanctæ dilectionis initium, juſtificandis hominibus penitus neceſſarium: ne ſcilicet, quod ait idem Apoſtolus: *Ignorantes juſtitiam Dei, qua ipſe* juſtus eſt, atque juſtificans; *& ſuam*, id eſt, operum ac meritorum ſuorum, *volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non eſſent ſubjecti.* Qua voce jubemur veræ juſtitiæ ſubjacere libera voluntate, & in eam conſentire; quod ſine aliquo incipientis ſaltem dilectionis voluntario ac libero motu eſſe non poterat.

Stante ergo illo, fideique ac ſpei diſtincte ſuperaddito incipientis dilectionis ſenſu, quid inde conſequatur, ſacra Synodus docet his verbis: *Ac propterea* (eo ſcilicet quod Deum juſtitiæ fontem diligere incipiant) *moveantur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante baptiſ-*

baptiſmum agi oportet; ut inde exoriatur peccati odium & deteſtatio, quod author juſtitiæ Deus diligi ac placere incipiat: qua in re ſita eſt illa pœnitentia, ſine qua prævia neminem juſtificari poſſe, aut unquam juſtificari potuiſſe, conſtat.

Summa autem hujus rei eſt, quod homo peccator, poſt peccata commiſſa, hoc eſt, poſt tot dicta, facta, & concupita contra legem æternam, in quo, poſt B. Auguſtinum, omnes Theologi rationem peccati conſtituunt, jam incipiat convertere ſe ad ipſam juſtitiam, quæ Deus eſt, hoc eſt ad legem æternam, quæ eſt ſuper omnia, ac præſidet rebus humanis; nec tamen ei perfecte conjungi, qui eſt ipſe juſtificationis effectus; ſed tamen ad eam aſſurgere, eamque rebus omnibus velle anteponere: unde incipit quæri & reduci ille ordo, quem, eodem Auguſtino teſte, *lex æterna obſervari jubet, perturbari vetat*.

Subdit ſancta Synodus: *Denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata*: quod confirmat ſancta Synodus, etiam relato hoc Chriſti mandato: *Euntes docete omnes gentes, &c. Docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis*: quo fiat etiam illud: *Præparate corda veſtra Domino*.

Eſt igitur, teſte Scriptura ſacra, Synodo interprete, omnino neceſſarium, quo ad juſtificationem homines præparentur, ut corde gerant non inane, ſed firmum ac verum propoſitum ſervandi *omnia* mandata quæcunque Chriſtus impoſuit: quibus omnibus maxime comprehendi primum illud ac maximum omnium mandatorum, quo Dominum Deum noſtrum diligere toto corde, tota mente, totis viribus, hoc eſt, propter ipſum ac ſuper omnia jubeamur, nemo ſanus negaverit. Hujus ergo tanti præcepti niſi quis veram ac ſinceram executionem & obſervationem firmo propoſito intendat, nec ſervare mandata, omiſſo omnium maximo, nec juſtificari vult: ut profecto conſtet, juſtificationis propoſitum nullum eſſe poſſe, niſi cum vera Dei ſumme ac ſuper omnia diligendi voluntate conjunctum: quo ſanctæ dilectionis ſaltem aliquod initium continetur; nec fruſtra Synodus *novæ vitæ inchoandæ propoſitum* ineſſe oportere decernit, quod mox ſuo loco ex ejuſdem Synodi ſententia perpendemus. An autem ſine aliquo incœptæ & inchoatæ dilectionis initio ſtare poſſit voluntas implendi divini de ſumma dilectione mandati, certiſſime credimus dubitare poſſe neminem.

Hæc ex ſexto capite ſextæ Seſſionis. Septimum vero ſic incipit: *Hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur; quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum, unde homo ex injuſto fit juſtus, & ex inimico amicus*. Nemo ergo vereatur, ne præmiſſæ a Concilio tot ac tantæ diſpoſitiones ac præparationes juſtificationem contineant; cum eadem Synodus aperte præcaveat ne id ſentiamus, ac monitos nos velit, has eſſe præparationes ac diſpoſitiones tantum, quas ipſa juſtificatio conſequatur.

Jam illa verba perpendant: *Juſtificatio non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum, quibus homo efficitur ex injuſto juſtus, & ex inimico amicus*. Quæ ſi conſideraverint, profecto intelligent, in ipſo renovationis interioris actu ineſſe liberum actum, qui ſit *voluntaria ſuſceptio gratiæ*. Addit, *& donorum, unde homo ex injuſto fit juſtus, & ex inimico amicus*. Ut certum omnino ſit, dum juſtificamur, atque interius renovamur, plane conſentire nos in ipſam juſtitiam atque amicitiam ipſa juſtificatione reparatam ac redintegratam: quod nihil aliud eſſe poſſit, quam fructus & actus veræ ac perfectæ dilectionis ex ipſa juſtificationis gratia conſecutæ: cum præſertim ſancta Synodus illam ipſam juſtitiam in charitate collocet, *quæ*, inquit, *diffunditur in cordibus eorum, atque ipſis inhæret*; quod etiam clare ac ſub anathematis pœna repetitum & inculcatum ejuſdem Seſſionis canone XI.

Hanc doctrinam ex ſancto Thoma depromptam eſſe, imo ex ejus verbis pene contextam poſtea demonſtrabimus. Nunc ne diſtrahatur animus, mox relata verba Concilii notatu digniſſima paulum penſitanda ſunt. Nam reſpiciunt animam ſub ipſa gratiæ infuſione, in ipſo juſtificationis ac renovationis inſtanti conſtitutam; actu enim ſuſcipit gratiam non modo peccata remittentem, ſed etiam interius renovantem ac ſanctificantem; actu, inquam, hanc ſuſcipit. Quid autem? An mortuo modo? Imo, inquit, *voluntaria ſuſceptione gratiæ*; hoc eſt, libera & actuali conſenſione in illam ut actu inhærentem.

Hæc eſt enim Concilii mens, hoc eſt fidei Catholicæ ab Hæreticorum perverſa credulitate diſcrimen. Nec tacet Concilium. Eſt enim illa *ſuſceptio voluntaria gratiæ & donorum*. Cujus autem gratiæ, quorumve donorum? Horum certe, quibus homo fit *ex injuſto juſtus, & ex inimico amicus*. Hæc eſt ergo illa actualis & voluntaria conſenſio in amicitiam Dei, hoc eſt, profecto in ipſam inter nos & Deum mutuam charitatem. Nihil enim eſt aliud iſta amicitia, ex conſenſu Theologorum, quam mutua charitas. Fit ergo conſenſio in ipſam inter nos & Deum mutuam charitatem. An ſine ullo charitatis actu? Quis hoc vel cogitare poſſit? Addit vero Synodus, eſſe conſenſionem in gratiam, ex qua *homo fit de injuſto juſtus*. Quomodo autem juſtus? Nempe ut ex Synodo diximus, *diffuſa intus charitate per Spiritum Sanctum*, atque animis *inhærente*. Conſenſio autem libera & actualis in illam habitualem inhærentemque charitatem, eſt ipſe elicitus charitatis actus. Quare juſtificatio non ſine habituali & actuali ſimul charitate tranſigitur.

An igitur neceſſe eſt, ut omnes juſtificati inhærentem & habitualem charitatem diſtincte cogitent, cum tot ſint veri pœnitentes, qui ne has quidem voces intelligant? Recte, ſi de vocibus, non autem de ipſis rebus ageretur. Non enim, ſi tam multi ſunt, qui neſciant prope *inhærere* quid ſit; ideo ignorare oportet pœnitentes, fieri aliquid in eis operatione divina per Spiritum Sanctum quo excitetur animus intus, fiatque vere ſanctus ac juſtus, non imputata ab extrinſeco Chriſti juſtitia, ut Hæretici ſomniant, ſed vere communicata & infuſa, imo etiam ſtabili ac permanente, unde habitualis dicitur. Non ergo voces illæ theologicæ, ſed ipſa ſumma rerum cogitanda eſt pœnitentibus, *ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis*: ne cæcam, infructuoſam, totque acceptorum in ipſa juſtificatione donorum ac beneficiorum immemorem agamus pœnitentiam.

Verum ulterius procedendum eſt: neque enim ſtatim, ac nulla congrua diſpoſitione prævia, fit tranſitus ad ipſam charitatem habendam & exercendam; imo vero neceſſe eſt, ipſum habitum aliquid antecedat per modum diſponentis atque tranſeuntis; quæ eſt ipſa diſpoſitio a Synodo agnita dilectionis illius incipientis ſupra memoratæ: ſic ſane, ut illud diſponens, atque incipiens, in verum, fixum, perfectumque actum deſinat connaturali progreſſu, fiatque ſimul in nobis, & exerceatur charitas, quam ultro & libere juſtificati ac renovati ſuſcipimus.

Hæc ſane vera ſunt, & ex Concilii clara definitione certa. Verum profecto nobis hic id vel maxime cogitandum eſt, non quod juſtificationem comitetur aut conſequatur, ſed quod antecedat ac præparet; hoc eſt ipſe conſenſus liber ac voluntarius in futuram juſtitiam & charitatem in cordibus diffundendam eiſque inhæſuram. Quam autem ſit libera illa conſenſio, jam quidem ex Cap. VI. Seſſionis VI. retulimus, dicente Concilio: *Diſponi ad juſtitiam, dum libere moventur in Deum*. Verum id ex capitis V. antecedentis adhuc clariore & expreſſiore doctrina repetendum. Verba autem Sanctæ Synodi hæc ſunt: *Nempe*, inquit, *ipſius juſtificationis exordium in adultis a Dei per Chriſtum Jeſum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur: ut qui per peccata a Deo averſi erant, per ejus excitantem & adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam juſtificationem, eidem gratiæ libere aſſentiendo & cooperando, diſponantur: ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere poteſt, neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit*. Quod item ejuſdem Seſſionis Canone IV. & IX. confirmatum omnes norunt.

Sic quam libera fuit ac voluntaria ſuſceptio gratiæ actu juſtificantis atque renovantis, tam liberam & voluntariam eſſe oportet *converſionem* hominis *ad ſuam juſtificationem futuram*, tam libero motu *ad juſtitiam*, hoc eſt ex antedictis, ad amicitiam atque charitatem *movere ſe*, Deique vocationi *libere aſſentiri & cooperari*, neceſſe eſt. Hæc Sancta Synodus claris verbis decernit. His autem actibus illud comprehenditur, ut pœnitentis animus vocanti *ad gratiam, ad juſtitiam, ad amicitiam, ad ipſam charitatem* Deo ſe præparet liberrimo motu, vera electione, & Spiritui Sancto ad juſtitiam, hoc eſt, ad ipſam charitatem moventi & excitanti, ſe totum libere ſubdat. His etiam efficitur, animam pœnitentem eidem Spiritui Sancto adducturo juſtitiam, ac diffuſuro intus in cordibus charitatem, ultro occurrere, & aſſentiendo cooperari, venturam charitatem arripere, inhæſuræ aptare ſe, invitantem & oblatam eligere, acceptare, complecti; quæ ſine aliquo jam incipientis ſive tranſeuntis ac diſponentis dilectionis motu non fiunt.

Huc accedit illud ex ejuſdem Seſſionis VI. cap. VII. repetitum; nempe ut ii, qui ſe ad juſtificationem præpara-

paratos volunt, *petant fidem*, non illam *mortuam & otiosam*, quam Jacobus memorat, sed vivam & actuosam, de qua dicit Paulus: *In Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium; sed fidem, quæ per charitatem operatur*. Hoc enim attestatur idem Concilium Tridentinum, cum his recitatis Apostoli verbis, subdit: *Hanc fidem ante Baptismi Sacramentum, ex Apostolorum traditione Catechumeni ab Ecclesia* (docente & orante) *petunt, cum petunt fidem vitam æternam præstantem*: petunt, inquam, fidem eam, quæ per charitatem operatur vivam & salvificam, quam petere & expectare nonnisi ex quodam ejusdem initio possumus, quod est illud a Synodo prædicatum, piæ post fidem ac spem præparatoriæ dilectionis initium.

Hæc igitur nobis ex sexta Sessione deprompta sint, maxime ex capite sexto, cui respondet Canon III. his verbis: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*. Sane constat ex perpetua sacri Concilii consuetudine, ita Canones institutos, ut singuli ad singula quædam decreta referantur. Hunc ergo Canonem ad caput hoc VI. referri oportere, & confitentur omnes, & ipsa verborum demonstrat series. Ecce enim hujus capitis decreto distincte & ordine memorantur, ut vidimus, primum fides, deinde spes, tertio ipsa dilectio, qua *incipimus diligere Deum, ut omnis justitiæ fontem*: ex qua denique *ea pœnitentia* consequatur, *quam ante Baptismum agi oportet*. Hæc ergo quatuor eodem ordine recensita Canone III. pro more Concilii in pauca contrahit, & solita brevitate complectitur; decernitque, ut cuicunque *justificationis gratia conferatur*, eundem *oporteat* credere, sperare, diligere, his tribus actibus in unum pœnitentiæ actum recollectis, neque unquam a se in ipsa justificationis præparatione divulsis.

Dicent, hæc tam plana, tam liquida, tam ex intimo Concilii spiritu prompta, de Baptismo quidem esse tradita, nec pertinere ad Pœnitentiam, quasi ad hanc minora requirantur: sed hoc stare non potest. Primum enim, qua ratione id statuunt? Nulla prorsus. Quid enim? An quod ex parte Dei major sit Pœnitentiæ, quam Baptismi virtus, ut propterea ad illam, quam ad hunc minor ex parte nostra dispositio requiratur? Sed contra: virtus Baptismi ex parte Dei major & uberior, quippe cum simul omnem & culpæ & pœnæ reatum absorbeat; quod Pœnitentiæ non est concessum. Est sane Pœnitentia secundus Baptismus, ad quem minora requiri, quam ad primum, nulla vel levis conjectura suadet. Unde sacra Synodus utriusque Sacramenti differentiam bis assignans, Sess. VI. cap. XIV. & adhuc expressius Sess. XIV. cap. II. de hoc discrimine ex obligatione incipientis dilectionis orto nequidem cogitat. Clarum istud. Extant duo capita, alterum sub hoc titulo: *De lapsis & eorum reparatione*, Sess. VI. in quo utriusque Sacramenti discrimen traditur: alterum Sess. XIV. sub hoc titulo: *De differentia Sacramenti Pœnitentiæ & Baptismi*. Utraque accurate relegantur: circa dispositiones nullum discrimen invenies: cum id eo loco vel maxime memorato oporteret. At si in alterutro Sacramento majora requirerentur, pro Pœnitentia judicandum esset, in qua jam violato Baptismo, major injuria, majore proinde studio reparanda.

Huc accedunt verba Christi pronuntiantis: *Cui plura donantur, eum magis diligere*. In Pœnitentia autem plura dimittuntur, cum ipsum violati Baptismi facinus dimittenda augeat. Eo ergo exoritur major diligendi obligatio, nedum ex parte dilectionis aliquid imminutum esse intelligatur. Quanquam enim allegata Christi sententia ad consequentem dilectionem directe pertinet; æquo jure referenda est ad præparatoriam; cum petentis & expectantis remissionem haud alia sit ratio, quam de impetrata gratia agentis.

Denique, quid causæ esset, cur a Pœnitentia potius quam a Baptismo dilectionem illam abesse oporteret? An quia illa dilectio per sese justificationem inferret, vacuo postea Sacramento, aut saltem suum effectum jam supponente? Atqui de Baptismo idem dicendum esset, cui remissionis & justificationis effectus haud minus efficacibus verbis a Scriptura, Patribus, Conciliisque, adeoque ab ipso Tridentino tribuatur. Quare hæc opinionum ludibria procul a Scholæ gravitate & authoritate amandari deceret; ac revera certum, responsionem hanc, ne quid dicam gravius, haberi improbabilem ac temerariam, nullo quem sciam hujus authore nominato.

Quærunt, quare igitur sancta Synodus Sess. XIV. de Pœnitentiæ Sacramento tractans, dicta de Baptismo circa dilectionis initium non iterat? In promptu causa est, ideo factum, quod semel dicta sufficiant: neque metuendum videbatur, ne de Baptismo dicta ad Pœnitentiæ Sacramentum prono velut ac suo cursu deduci non possent. Quin ipsa Synodus in procemio Sessionis XIV. id ultro præmonuit his verbis: *Quamvis in decreto de Justificatione multus fuerit de Pœnitentiæ Sacramento, propter locorum cognationem, necessaria quadam ratione sermo interpositus: tanta nihilominus circa illud, nostra hac ætate, diversorum errorum est multitudo, ut non parum publicæ utilitatis retulerit, de eo exactiorem & pleniorem definitionem tradidisse*. Quibus verbis duo videmus: Primum, illud ipsum de Justificatione decretum communis fundamenti loco esse positum. Deinde, propter multiplices errores, e re videri, ut de eo argumento plenior tractatio habeatur, ad errores scilicet detegendos, ut ipsa Synodus profitetur, communi, ut diximus, fundamento stante: quod etiam a nobis mox ordine perpendetur, ubi ad eum locum nostra disputatio devenerit.

Id interim observabimus, in utrisque decretis & Sess. VI. & XIV. æquo jure postulari *vitæ novæ propositum & inchoationem*. Id autem ita explicatur Sess. VI. ut in illo proposito expresse intelligatur contineri voluntatem, qua quisque proponat *servare divina mandata*: quod licet Sess. XIV. prætermissum, tamen in Pœnitentia valere nemo negaverit; ut profecto clarum sit, duo illa decreta non inter se opponenda, quod absit, sed alteri ex altero quærendam lucem; & Sessionem VI. pro Sessionis XIV. certo ac stabili fundamento habendam.

Jam absoluta Sessione VI. veniamus ad Sessionem XIV. ubi de Sacramento Pœnitentiæ specialis tractatio instituitur. In hac autem statim notavimus ex ipso procemio id, quod ad Sessionis VI. quæ fundamenti loco ponitur, commendationem pertinet. Nunc autem in decretis observamus primum illud, ex cap. 1. *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria*. Quo ex loco claret, præire omnino in hoc quoque Sacramento eam pœnitentiam, quam ex Sess. VI. ante Baptismum agi oportet, ut supra memoravimus: cui quidem pœnitentiæ inesse necesse sit illud credere, illud sperare, illud diligere, atque inde profectam peccati detestationem eam, in qua ex eadem Sessione VI. præeuntis pœnitentiæ ratio collocetur.

Deinde ex capite secundo notamus *differentiam Sacramenti Baptismi & Pœnitentiæ*, nulla mentione discriminis circa antedictas dispositiones, ut profecto easdem in utroque Sacramento pariter retineri ac requiri necesse sit, quemadmodum supra memoravimus. Interim de utriusque Sacramenti æqua necessitate, ita est definitum: *Ut sit hoc Pœnitentiæ Sacramentum lapsis post Baptismum æque necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus*; hoc est, necessarium non modo necessitate præcepti, verum etiam necessitate medii.

Postea ex capite tertio: *Rem & effectum hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim & efficaciam attinet, reconciliationem esse cum Deo*. Quare hoc Sacramentum merito definire possis, redintegratæ gratiæ ac reconciliatæ amicitiæ Sacramentum, quod nemini, nisi optanti & volenti Dei amicitiam, & cum eo gratiam, concedi posse liquet, ut supra diximus: unde etiam addidimus, huic Sacramento demi efficaciam, si quid his detraxeris, neque in pœnitente Dei amicitiam, hoc est, charitatem ipsam efflagitante, aliquid agnoveris, unde Deum ipsius gratiæ justificationis auctorem amare jam cœperit.

Hactenus apparuit, Sessionem XIV. Sessioni VI. veluti fundamento superstructam esse. Sed res erit clarior, si caput quartum, hoc est, illud ipsum, quod vel maxime nobis objicitur, diligenter perpenderimus. Sic autem habet: *Contritio, quæ primum locum inter pœnitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*. Ac paulo post: *Declarat Sancta Synodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere*. Quis autem negaverit, novæ vitæ firmo validoque proposito contineri firmam de observando primo & maximo diligendi ex toto corde, hoc est, super omnia, Domini Dei nostri, voluntatem? De quo præcepto dicit Dominus: *Hoc fac, & vives*: ne quis novam vitam absque charitate esse posse præsumat. Unde Sacra Synodus in novæ vitæ proposito, nihil minus quam Dei super omnia diligendi propositum potuit intelligere; neque tantum exigit *vitæ novæ propositum*, sed etiam *inchoationem*; eo quod amaturo Deum, idque jam firmiter apud se proponenti ac volenti, ipsum illud propositum non nisi vitæ novæ inchoatio quædam atque initium sit: cum quo, teste Synodo, anteactæ vitæ turpis illius, ac vero pioque amore destitutæ, simul

mul inordinato amore laborantis, odium conjungatur.

Sane obſervavimus, hanc vitæ novæ inchoationem in Sacramento Pœnitentiæ requiſitam præceſſiſſe in Baptiſmo, ex Seſſione VI. Cap. VI. atque ita eſſe conſtitutam, ut conjuncta intelligatur cum propoſito ſervandi omnia mandata divina, adeoque vel maxime illud primum. Quod ſane propoſitum implendi omnia mandata, niſi alte ac firmiter animo conſtitutum atque infixum geras, nulla juſtificatio eſt.

Ex his igitur verbis facile intelligimus, quam fuerit illud neceſſarium, fidei ac ſpei ſuperadditum, ſecundum Synodum, dilectionis initium: cum abſque illo, in Baptiſmo, ac Pœnitentia æquo jure requiſitum obſervandi omnia mandata, & omnia peccata deteſtandi propoſitum nec intelligi poſſit.

Fixum ergo, firmumque eſt, vere pœnitenti ac juſtificationem expectanti id ineſſe propoſitum, quo Dei amorem velit: item amicitiam Dei quærat & velit, eamque cuivis amicitiæ anteponat; ejuſdem juſtitiæ ſe ſubdat, Deumque ejus fontem diligere incipiat: reconciliatam cum Deo gratiam plus omnibus bonis optet: Dei charitatem animo ſuo inhæſuram ultro advocet & accerſat, eamque petat fidem, quæ per charitatem operatur. Quæ ſi quis negaverit cum voluntate quadam Dei toto corde & ſuper omnia diligendi eſſe conjuncta, ibique omnino ineſſe aliquid charitatis, atque actum aliquem, qui in eam virtutem & ex ſeſe tendat, & ad eam neceſſario reducatur, etſi nondum ſit illa contritio, quam *charitate perfectam*, atque adeo juſtificantem eſſe contingat: ille ſe abſurdum, atque a ſeipſo diſſentientem, & ab omni charitatis officio alieniſſimum ſe præbeat.

Antequam ulterius progrediamur, hic tantiſper ſiſtamus gradum, ut ſerio conſideremus jam totam hanc abſolutam eſſe quæſtionem, niſi quodam litigandi ſtudio teneamur. Rogo enim, an illud propoſitum vitæ novæ inchoandæ a Sancta Synodo in Sacramento Pœnitentiæ requiſitum, non ſit illud ipſum in Baptiſmo requiſitum propoſitum, quod in Seſſione VI. Cap. VI. complectatur voluntatem omnia implendi divina mandata, juxta illud Dominicum: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos .... docentes ſervare omnia quæcunque mandavi vobis*. Rem plane putamus ſupra jam a nobis clare eſſe confectam, neque quemquam exiſtimamus futurum, qui negare poſſit, per illud propoſitum in Pœnitentia æque ac in Baptiſmo requiſitum, haberi expreſſiſſimam implendi omnia Chriſti mandata, neque unquam adverſus illa peccandi voluntatem. Hoc firmum, hoc fixum eſt. Tota ergo quæſtio jam in eo verſabitur, an inter mandata, quæ implere volumus ac firma voluntate proponimus, contineatur illud mandatum, quod eſt omnium primum; quod ſi negaverint, credo bona fide, ipſi ſibi erubeſcent.

Nec tamen diſſimulandum eſt quid reponant. Quærunt enim & ipſi a nobis, an igitur nulla futura ſit Pœnitentiæ, nulla Baptiſmi vis, quantum ad juſtificationem attinet, niſi de omnibus ſingulatim præceptis actu & expreſſe cogitetur? Non ita, inquiunt; ſed ſufficit confuſe & implicite velle ſervare mandata: ac ſi de aliquibus ſpecialiter cogitandum, ſane de iis tantum, contra quæ peccaveris.

Mirum autem illud, quia poſſibile non ſit de ſingulis quibuſque mandatis cogitari ſemper, ex eo inferre nec de illo primo diſtincte cogitandum, cum e contra ſic potius argumentandum eſſet: Ex eo quod omnia & ſingula divina mandata ſimul cogitare, nec ſæpe poſſibile ſit, nec neceſſarium; ideo requiri ſaltem ut illud præceptum animo & voluntate complectamur, quo, teſte Domino, ipſa præceptorum ſumma conſiſtat.

Quod autem fateris, ea ſaltem expreſſe cogitanda præcepta adverſus quæ peccaveris, arripio ut meum, cum plane nemo peccet niſi ex eo fonte, quod non dilexerit.

Dices, peccatores omnes violare illud de dilectione mandatum implicite tantum, eo quod cætera mandata contemplerint, quibus implendis illa continetur dilectio Dei, quam effectivam dicunt.

Contra, illa, ut vocant, effectiva dilectio facit obſervari mandata propter ipſum Deum, tanquam propter finem ultimum, non interpretative, ſed proprie; & id negare eſt hæreticum, ut ab initio, Alexandro VIII. auctore, diximus. Ergo in eo peccas vel maxime, quod mandata propter Deum implere nolueris ſive neglexeris. Quam ſane injuriam reſarcire non potes, niſi firmiter ſtatuas, propter ipſum Deum implere mandata, hoc eſt, effectivam exercere dilectionem.

Jam attente conſiderantibus compertum erit nobis, æque fide certam obligationem noſtram ad ſpecialem ac proprium dilectionis actum. Nam pro explorato ac fide certo poſuimus, ita ut contrarium hæreticum haberetur, vi mandati hujus, *Diliges*, omnino teneri nos ad illum ſpecialem ac proprium dilectionis actum; ad id, inquam, teneri nos, nec ſemel in vita, nec per ſolidum ſaltem quinquennium, ſed per annos, per dies, ita ut ejus uſus ſit frequentiſſimus, imo vero tam frequens, ut familiaris nobis ac velut quotidianus eſſe videatur: cum abſque illo nec orationem Dominicam, quæ velut quotidiana eſſe debeat, ſuoque vero ſenſu intelligere aut proferre poſſimus. Quo poſito, ſi rem altius ſcrutemur, atque intimos reſecemus tantæ veritatis ſenſus; certum item erit nobis, inde exortam eſſe ipſam effectivæ, ſive mandata propter Deum adimplentis dilectionis ceſſationem, quod effectivam ſuo loco & tempore æque neceſſario ſervandam omiſerimus. Hinc tota mali labes. Hinc peccandi principium, ac recte Auguſtinus: *Per hanc dilectionem peccata ſolvuntur. Hæc ſi non teneatur, & grave peccatum eſt, & radix omnium peccatorum*. Nec immerito; ex hoc enim debent ſolvi peccata, ex cujus defectu orta ſunt. Si enim, ut fieri oportebat, debitum affectum in Deum provocaſſes, neque omiſiſſes tam neceſſarium ſanctæ dilectionis exercitium, profecto nec effectivæ & mandata propter Deum adimplentis dilectionis officium intercidiſſet. Peccas ergo, quiſquis es, contra ipſum debitæ dilectionis affectum; quod ut reſarcias, ipſam voluntatem, ipſum propoſitum ſpecialis & propriæ ſive affectivæ dilectionis exercendæ excitari oportet.

Dices id nimiæ ſubtilitatis eſſe, neque vulgaribus hominibus venire in mentem. Contra; nam has voces, *affectivum*, *effectivum*, aliaſque ſimiles vulgares homines neſciunt; ſed rem ipſam, hoc eſt & præcepta omnia implenda eſſe propter Deum, & ipſam quoque dilectionem ſingulari ſtudio in Deum incitandam, idque divino de dilectione mandato cautum eſſe, tenere omnes, omnes docere debent; nec omitti poteſt tanta res ab eis, qui Deo placere volunt.

Ac revera, ſi quis attendat tot poſt pœnitentiam lapſus, facile deprehendet horum eſſe fontem, quod de Deo diligendo nec in frequentanda pœnitentia cogitent, frigidamque & exſuccam agant pœnitentiam. Hæc illa eſt pœnitentia, quam *indifferenter*, nulloque vero ac ſincero affectu *actam* Synodus Nicæna improbavit, fontem & altricem peccatorum, non verum ac firmum eorum remedium.

Jam ut accuratius perpendamus diſtinctionem impliciti & expliciti: illa ipſa eſt, qua præceptum charitatis abſolute eluditur ab iis, quos inter Hæreticos computari diximus. Nempe ajunt, ipſum diligere, nihil aliud eſſe, quam impleri ſingula divina præcepta; quibus impletis præcepto charitatis ibidem implicite contento ſatisfacias, ac nihil neceſſe ſit, ut de illo explicite cogites. Sic eludunt præcepti vim, cujus erroris gratia ab Eccleſia merito condemnantur. Quare diſtinctionem illam ſuſpectam ac periculoſam habere nos oportet, cum in illa diſtinctione errorem exitioſiſſimum, quique ad tollendam præcepti maximi obligationem pertineat, latere conſtiterit.

Ut ergo is error in ipſo Pœnitentiæ Sacramento retegatur, rogo, quid ſit illud, quod voluntate ac propoſito implendi mandata, ipſum dilectionis mandatum comprehendi quidem, ſed tantum implicite velis. Rogo, inquam, quid ſit illud implicitum? Nempe, inquies, illud vocamus implicitum in aliquo actu contineri, cum, verbi gratia, rogati an volendo implere divina mandata, ea voluntate contineri intelligamus ipſum de Dei dilectione mandatum, ſtatim reſpondemus omnino id velle nos. Sic enim interpretari ſolent illud implicitum. Ajunt omnes uno ore Philoſophi ac Theologi, ideo nos in omni actu velle beatitudinem ſaltem implicite, quod roganti quid velimus in unoquoque actu ſtatim reſpondeamus nos velle eſſe beatos, idque a nobis maxime intendi. Eſto, ſi velis, aliud exemplum familiarius ac magis obvium. In profectione Romana, etſi non ſemper, nec omni, ut ajunt, paſſu, Romam actu expreſſo cogites, tamen certum omnino eſt ipſam Romam implicite velle te, cum rogatus quo pergas, nihil niſi Romam retuleris. Itaque quod implicite volumus, revera & ſumme volumus, tametſi non ſemper eam voluntatem reflexe & formaliter exprimamus. Ergo ſic interpretandum, cum in Pœnitentia implicite volumus implere præceptum de diligendo Deo, illud reipſa & ſumme velle nos, licet non exprimamus, aut ullum ea de re actum reflexum aut expreſſum elicere cogitemus, quod recte intellectum fortaſſe ſufficiat.

Quid quod ſi illud implere ita velis, ut rogatus, an velis, ſtatim reſpondeas velle te; nihil eſt, quod Confeſſionis Miniſter id rogare gravetur, aut quod pœnitentem ſeipſum rogare pigeat. Cur enim verearis idipſum clare confiteri, quod jam intus mente conceptum geras? aut quis eſt Chriſtianus, qui de Chriſto amando non ſe admoneri gaudeat, vel uſque adeo alieno eſt

ani-

animo a Chriſto, ut nec admonitus amare nitatur? Et hunc Chriſtianum aut pœnitentem vocas? Abſit. Cur ergo hic taces, & ab amore ſuadendo ceſſas? Quaſi metuas ne citius amet quam oporteat, aut ne juſtificetur ante ſuſceptum actu Sacramentum. Quo vel uno argumento litigantium ac in re graviſſima tam vana reſpondentium ora concludere ac velut opprimere poſſis.

Sed fortaſſis alio modo illud implicitum intelligas; quo ſenſu nimirum dicuntur antiqui ante Chriſtum juſti, Deo miſericordi ac remuneratori credentes, pariter credere in Chriſtum, ſed implicite tantum, cum ipſum neſciant. Huc ergo recidet omnis ratiocinatio, ut Chriſtianus, iſque pœnitens ac profeſſus ſe recuperandæ divinæ amicitiæ ſtudioſum, haud magis de Dei amicitia cogitet, quam antiqui juſti de Chriſto cogitabant, quem nondum noverant.

Verum id & per ſeſe eſt abſurdiſſimum, & quocunque te vertas, fruſtra eris. Semper enim occurret illud ex Seſſione VI. Cap. VI. ut credas, ut ſperes, ut diligere incipias: neque aliter quam a Synodo explicetur, diſtincte & expreſſe, diſtinctis & expreſſis actibus; neque magis dilectionem habebis implicitam, quam ipſam fidem ac ſpem. Illud etiam ex Seſſ. VI. Canone III. certum erit, quemdam eſſe modum quo credere, ſperare, diligere oporteat juſtificationis gratiam adepturos: quibus verbis, diſtinctos actus, ut credendi, ac ſperandi, ita diligendi eſſe neceſſarios, luce meridiana eſt clarius.

Neque illud minus clarum, a quovis Pœnitente diſerte poſtulari, ut Dei amicitiam, reconciliatam gratiam, hoc eſt, ipſam in cordibus diffuſam charitatem, denique fidem eam, quæ per charitatem operatur, optet ac velit: quæ ſi quis implicita tantum eſſe contenderit, jam eo nobis redibit res, ut in pœnitentia nihil actuale, nihil vividum, verumque habeatur, ſed confuſa omnia & interpretativa: quo etiam fiat, ut paſſim peccatores inani aut etiam noxia, nec tollente aut eradicante, ſed potius alente peccatum, pœnitentia perfungantur: quibus profecto credimus cauſam eſſe finitam.

Ne tamen objiciant, a nobis prætermiſſam Tridentinorum decretorum potiſſimam partem, quæ eſt de attritione, eam integram referimus, & ex antedictis jam eſſe explicatam oſtendimus. Sic autem habet: *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, declarat non ſolum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo Pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat.* Quæ plane valeant adverſus Lutheranos, qui pœnarum metum non modo ut inutilem rejicere ſolebant, ſed etiam ut noxium & ex carnali ſenſu, non ex Spiritus Sancti motu & impulſu venientem. Fixum ergo, immotumque ſit, ex pœnarum metu attritionem ortam a Spiritu Sancto movente & impellente eſſe, eadem adjuvari, non gravari pœnitentes, eadem parari viam ad juſtitiam; neque quidquam amplius: quod & Synodus decernit, & omnes confitentur.

At enim vim faciunt maximam in ſequentibus verbis: *Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Hic ergo ſiſtimus: attritionem illam ad juſtitiam diſponere profitemur, ſanctæque Synodi verbis atque ſententiis ut nihil detrahi, ita nihil addi volumus.

Fateamur ergo, hoc timoris metu adjuvari nos: viam parari nobis ad ipſam juſtitiam, ad eandem nos diſponi: hoc firmum, hoc ſtabile. Addamus, ſi placet, eodem authore Concilio: *Pœnarum timore utiliter concuti Pœnitentes*, ex Seſſ. VI. eodem timore *utiliter concuſſos eſſe Ninivitas*, ex Seſſ. XIV. atque ex cognatis locis ſelecta ac ſtudioſe repetita verba penſemus, neque ultra proſilire conemur. Adſtringunt enim nos toties inculcata, imo etiam ſelecta verba *utilitatis, adjumenti, præparationis ac diſpoſitionis:* ubi illud *ſufficere*, quod erat obvium, ſi Patres Tridentini ita ſenſiſſent, non modo ubique tacetur, ſed etiam ſtudioſe devitatur, ut oſtendit ipſe verborum tenor, & geſta Concilii mox referenda pandent.

Nec dicant illud *diſponere*, eſſe vocabulum, quod ſufficientiæ æquivaleat: non enim vocem tam obviam, tam neceſſariam Synodus refugiſſet, ſi ſuæ intentioni reſpondere, ſuis verbis æquipollere videretur.

Quin ipſa Synodus mentem ſuam & intentum, ut vocant, jam inde a proœmio Seſſ. XIV. palam profitetur, nempe propter multiplices errores exactiorem & pleniorem definitionem tradi oportuiſſe, ut ſupra retulimus.

Quos autem errores? Illos Lutheranorum ſcilicet, qui malum, qui noxium, qui carnalem putarent eſſe pœnarum metum. Eum autem errorem Tridentini Patres, ſtabilita ejuſdem timoris utilitate, pietate ex Spiritu Sancto profecta, ipſaque præterea tam utili, tam neceſſaria ad juſtitiam impetrandam præparatione ac diſpoſitione ita confutarunt, ut nihil aliud requiratur. Sin autem ad illud decurrunt, hic omiſſam dilectionem, ac tantum expreſſam *ſpem veniæ*: jam reſpondimus, non proinde excluſa, ſed potius ſuppoſita fuiſſe cætera ex Seſſ. VI. An enim excluſam putant ibi requiſitam ſervandi omnia præcepta voluntatem, cujus hic nulla mentio eſt? An vero ipſam fidem, quam Synodus non magis expreſſit? Abſit. Hæc ergo ſuppoſita ut aliunde certa & alibi definita. *Spes* autem *veniæ* exprimitur, quippe quæ pertineat ad exprimendam timoris illius naturam, qui abſque ſpe veniæ triſtis omnino eſſet, & anxius nimis, ac deſperationi quam timori propior.

Synodi autem exponendæ rationem ac regulam tradimus eam primum, quæ hæreat proprietati ac ſimplicitati verborum: cui ſcilicet, *parare*, *diſponere*, ſit parare, diſponere: non autem ſufficere. Tum, quæ Synodi mentem intentumque reſpiciat, ut modo fecimus. Tertio, quæ Synodi dicta non disjungere, & inter ſe colidere, ſed coaptare & conciliare intendat; quod huc uſque præſtitimus. Quarto, quæ ejuſdem Synodi geſtis per optimos relatores, Sede Apoſtolica probante, digeſtis fidem adhibeat: quod mox præſtabimus, teſte doctiſſimo Cardinale Pallavicino. Denique, quæ exempla ab eadem Synodo propoſita, quidve ex iis elici velit, diligenter attendat: neque ſupponat, verbi gratia, Ninivitas ſolo *timore concuſſos*, aut per *pœnitentiam* ſolis *terroribus plenam*, nullo interveniente actu charitatis, *ad Jonæ prædicationem miſericordiam a Domino impetraſſe*: quod eorum temporum ratio ne cogitare quidem ſinit.

Hactenus ex tenore verborum: nunc ipſa Synodi geſta ex prædicti Cardinalis hiſtoria relegamus. Neque neceſſe eſt, ut hujus authoritatem commendemus, cum id abunde ſufficiat, quod Sedis Apoſtolicæ juſſu hanc hiſtoriam ſuſceperit, ejuſdem approbatione ediderit, viſis perpenſiſque actis Synodalibus munierit; eo præſertim conſilio, ne falſa & aliena tantæ Synodo ſupponerentur: qui etiam futurus eſt hujus tractationis fructus.

Quo in argumento ita verſari nos oportet, ut a Cardinalis ſententia, ipſa Synodi geſta diligentiſſime cernamus, cum illa ſit, magni licet, ſed tamen privati Doctoris, hic ipſe Concilii ſenſus.

Ergo ad Seſſionis VI. cap. VI. hoc dignum obſervatu refert: timore & fiducia conſtitutis, eo proceſſum eſſe a Patribus, ut hoc adderent, quod nempe his poſitis, *incipiunt diligere Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem, & propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem.* Cæterum narrat Cardinalis, *quod ad dilectionem attinet, in prima formula nullam hujus actus mentionem factam; ſed admonitos Patres a quatuor graviſſimis authoribus, ut adderetur etiam aliquis charitatis actus, idque ita approbatum & confectum fuiſſe.* Ex quo plane conſtat, voces illas de diligendo Deo ut juſtitiæ fonte, *ad quemdam charitatis actum apponendum*, ex Patrum inſtituto fuiſſe additas: adeo non refugerunt, quod nunc recentiores faciunt, quin in juſtificationis diſpoſitionibus aliquem actum charitatis agnoſcerent, ut eum potius ſtudioſe apponendum curarent.

Quam ſententiam a viginti tribus Patribus expreſſe approbatam, cum aliis non placeret, memorat Cardinalis acriter *a Theologis fuiſſe defenſam, qui hoc etiam ſcriptum reliquerunt, non ibi actum de ipſo habitu charitatis; ſed quia in illa parte, ubi de Pœnitentia* (diſponente ad juſtificationem) *agebatur, nulla erat amoris facta mentio, viſum eſſe, cum actis fidei & ſpei, addendum etiam dilectionis actum aliquem, cum Pœnitentia, ſi tota timoris eſſet ſine amore juſtitiæ, aut dolor de peccatis totus eſſet ex metu, & non ex Dei offenſa*, infructuoſa eſſet. Certum ergo eſt, ſtudioſe additum *de amore juſtitiæ*, qui ad actum charitatis pertineret, ac ſine illo actu irritam ac ſterilem Pœnitentiam futuram fuiſſe: quo quid eſt clarius?

Quin etiam Cardinalis id firmat ex actis in Caſtello ſancti Angeli diligenter aſſervatis, in quibus hæc verba reperiuntur: *Similiter propoſitum eſt, an peccatorum deteſtatio in præparatione ſpem præcedat? & poſt accuratiſſimum rei examen, fuit concluſum, quantumvis aliqua peccatorum deteſtatio ſpem præcedat, nihilominus ſequi poſtea eam peccatorum deteſtationem, quæ ad juſtificationem diſponat; de qua Seſſ. VI. cap. VI. eo quod ſine aliqua ſpe ac dilectione fieri non poſſit.*

His ergo clare liquet, in ipſa Tridentina Synodo nemini dubium fuiſſe, quin actus ille dilectionis in Deum

ut omnis juſtitiæ fontem ad aliquem charitatis actum per ſeſe referretur, idque omnino conſtare ex intento Patrum, & Theologorum defenſionibus, atque ex ipſius Concilii geſtis.

Procul ergo faceſſant illa recentiorum Theologorum objecta: dilectionem illam ad amorem concupiſcentiæ ſeu ſpei ablegandam eſſe; imo Tridentini Patres aliquem dilectionis actum ab ipſa ſpe contradiſtinctum decernunt & agnoſcunt. Ac revera Theologi, cum de dilectione abſolute loquuntur, nihil aliud quam illam in charitatis actu repoſitam intelligunt. Quin Patres Tridentini nulla unquam amoris illius ſpei & concupiſcentiæ mentione dilectionem agnoſcunt, non eam, quam cum ſpe confundant, ſed eam quam ſpei addant, ac diſtincte ſuperponant.

Faceſſat etiam illud a quibuſdam inventum, de dilectione Dei, ut eſt fons juſtitiæ, non poſſe pertinere ad charitatem, cum hæc ſpectet Deum ut in ſe perfectum, nullo reſpectu ad nos. Quod ita a Theologis intelligi conſtat, ut nos ipſos propter Deum; non autem Deum propter nos diligamus, omniaque noſtra ad eum, ut in ſe eſt abſolute & propter ſe, referamus: non autem ut ab amandi cauſis ſive motivis excludamus ea, quæ nos adjungunt Deo, Deumque noſtrum faciunt. Nam nemo negaverit, ad Deum ex charitate diligendum pertinere illud Davidicum: *Diligam te, Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentum meum & refugium meum, Deus meus.* Quas voces ex intimo ſenſu mandati charitatis: *Diliges Dominum Deum tuum*, depromptas eſſe conſtat: ac proinde ab amandi cauſis non niſi per manifeſtum errorem ſecludi ea quæ ad nos etiam ſpectent: quaſi etiam iſtud: *Deum tuum*, in ipſo dilectionis mandato tam expreſſe, tam directe ab ipſo initio poſitum, non referatur ad nos: quæ tam abſurda ſunt ac toties confutata, ut jam nec memoratu digna ſint.

Quin ex antedictis conſtat, Tridentinos Patres ad ipſum charitatis actum retuliſſe celebratiſſimum illum ex ſancto Auguſtino *amorem juſtitiæ*, quo nempe diligatur Deus ut ipſa juſtitia, atteſtante Propheta: *Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter, ſive juſtitia noſtra.* Et iterum; *Benedicat tibi Dominus pulchritudo juſtitiæ.* Eſto forte de templo, propter inhabitantem Deum: quanto magis de ipſo Deo dictum? Denique illud: *Nomen meum ſol juſtitiæ:* hoc eſt profecto fons luminis: lumen ipſum idemque illuminans, juſtus atque juſtificans, ut ſupra ex Apoſtolo retulimus.

De Seſſionis XIV. actis primum illud ex doctiſſimo Cardinale referemus: inter articulos ſive Hæreticorum errores, de quibus deliberandum eſſet, iſtum recenſeri: *Contritionem, quæ diſponitur per examen, per recollectionem, aut per peccatorum deteſtationem, non diſponere ad gratiam Dei, nec remittere peccata, ſed potius facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, eamque contritionem eſſe dolorem coactum, non liberum.* Hic igitur diligentiſſime obſervandus eſt ipſe hæreticorum error, quem Synodus damnare voluit, ut ſcopo quo tendebat cognito, totam ejus mentem facile aſſequamur.

Id autem altera obſervatione firmamus ex ipſis Cardinalis verbis; nempe ita memorat: *Revera quantum ex actis comperit Theologorum intentum fuiſſe, ut damnarent Hæreticorum ſententiam, qui pœnæ metum ut malum reprobarent, non autem ut deciderent quæſtionem ſcholaſticam, an talis timor non ſolum ſine contritione perfecta, de qua vix ulla contentio fuerit, verum etiam ſine ullo ſtudio excitandi amorem imperfectum ſufficiat ad impetrandam in ipſo Sacramento remiſſionem peccatorum.* Unde conſtat in hac Seſſione XIV. a Synodo vix dum eſſe tractatam, nedum definitam putemus eam de qua nunc agimus quæſtionem.

Tertio obſervamus ex iiſdem geſtis, in ea Seſſione adeo temperatum fuiſſe *ab eo articulo, ut vix aliqua hujus ſignificatio fuerit in duabus ſingularibus & oppoſitis opinationibus: altera quæ amorem negabat neceſſarium; altera ad aliud extremum oppoſita, quæ contritionem perfectam neceſſariam ſtatueret.* Quo perſpicuum eſt, procul a vero aberrare eos, qui ſuæ de ſufficientia ortæ ex metu attritionis opinioni hujus decreti authoritatem obtendunt.

Quartum & ultimum, idque manifeſtiſſimum ex eodem Cardinale accipimus iſtud: in decreto de doctrina primum fuiſſe poſita duo: alterum, *contritionem eam, quam Theologi attritionem dicerent, eo quod imperfecta eſſet, conceptam eſſe ex ſola conſideratione turpitudinis peccati, aut gehennæ metu:* alterum, *eandem attritionem eſſe ſufficientem ad Pœnitentiæ Sacramentum*: quæ duo in ipſa Synodi definitione ſublata ſunt: cum, loco illius ſententiæ: *ex ſola conſideratione turpitudinis peccati aut gehennæ metu concipi attritionem;* ipſa Synodus non ex ea conſideratione *ſola*, ſed ex ea *communiter* concipi in ſua definitione repoſuerit. Quod autem attritionem *ſufficere* eſſet poſitum, id a ſancta Synodo adeo eſſe rejectum, ut illud *ſufficere* in ipſum *diſponere* fuerit commutatum.

Ex his ergo perſpicue demonſtrantur duo, quæ jam aſſeruimus: primum, ut mentem atque intentionem Synodi aſſequamur, ſpectandos eſſe errores Lutheranos, quos Patres condemnare voluerunt: alterum, ſtudioſe evitatum fuiſſe ipſum *ſufficientiæ* in attritione vocabulum: quæ quidem manifeſta erant ex tenore decreti: nunc autem ex actis a doctiſſimo Cardinale relatis, ad certiſſimam & ineluctabilem demonſtrationem adducta ſunt.

Verum ad majorem rei evidentiam placet referre quaſdam ſententias in ipſa Synodo dictas. Prima eſt Jacobi Lainez ad Sacramentum requirentis *pœnitentiam, timorem, dilectionem, contritionem, abſolutionem*: quo ſatis indicat dilectionem timori additam, & inde profectam contritionem, quippe ex aliqua dilectione conceptam.

Clarius a Ferruſio Hiſpano Epiſcopi Segovienſis Theologo dilectio requiſita ex verbis Dominicis: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* ubi vox illa, *dilexit*, præterito tempore antecedentem dilectionem infert. Addebat Ferruſius, eodem pertinere illam Pauli *ſecundum Deum*, hoc eſt ſecundum Deum amatum *triſtitiam: unde*, inquiebat, *Auguſtinus negaret abſque amore dari gratiam: primam occurrere fidem ipſam, ex qua peccati deteſtatio; mox erectus animus in ſpem, tum amare incipiat; unde prima gratia*, ſeu prima juſtitiæ infuſio. Hæc ſumma doctrinæ Ferruſii.

Ajebat alius, *primum dolere homines propter pœnam, exinde propter Deum, poſtea confiteri.* Alius requirebat *ut rem neceſſariam, primo pœnæ timorem, deteſtationem, fidem, ex qua ſpes oriatur, & ex hac dilectio.* Cæteri in eundem fere morem. Et quidem duæ tantum extitere ſupra memoratæ ſententiæ ſingulares, quarum altera amorem excludebat omnem: altera perfectum neceſſario repoſcebat. Queis conſtat, uno forte demto requiri ab omnibus ipſam timori, fidei, ac ſpei dilectionem ſuperadditam, eam aſſidue in ore Theologorum ac Patrum haberi; ejus frequentiſſimam, imo perpetuam in hac quoque Seſſione, ut etiam in ſexta, fuiſſe mentionem.

Quæ cum ita ſint, ex optimo actorum relatore conſtat, quod de dilectione in Seſſionis XIV. decreto taceatur, non inde ortum eſſe, quod ea prætermitteretur, ſed quod ſupponeretur; nec opus fuiſſe, ut hic de ea ſpecialis quæſtio ſive tractatio haberetur, nempe alibi tranſacta re: neque ex pœnitentiæ natura, ſed ex communioribus de juſtificatione decretis ac principiis repetenda.

Nec Patres metuerunt, ne, ſi dilectionem præparatoriam ut neceſſariam admitterent, juſtificatione jam per illam inducta, Sacramentorum efficientiæ detrahere viderentur, aut eam hæreticorum more, ut acceptæ gratiæ pignus, non ut accipiendæ cauſam agnoſcerent. Non id, inquam, metuebant, qui dilectionem illam ubique ſonarent, atque inculcatam vellent. Quo metu ſi tenerentur, primum ipſi Baptiſmo metuendum eſſet, pari utrimque incommodo, parique futuro errore, ſi Pœnitentiæ tantum, non autem ipſi Baptiſmo conſulerent. Atque hæc ſunt, quæ ex geſtis Pallavicini Cardinalis repetenda eſſe duximus.

Auditis Synodi decretis ac perquiſitis geſtis, ad introſpiciendam penitus ſancti Concilii mentem, Catechiſmi quoque Romani ad Parochos ejuſdem juſſu editi ſententiam recenſemus; nec immerito, cum ipſe titulus Catechiſmi ſatis indicet, doctrinam vel maxime neceſſariam ibidem eſſe traditam. Hæc igitur habet ſub titulo, *de Pœnitentiæ Sacramento:* quæ nos ex editione Romana exſcripſimus, ea quæ poſt confectam Synodum prima eſt edita.

1. Ac primum fundamenti loco ponit ipſam nominis notionem, ubi illud legitur: Pœnitentiam eam, quam *tertiam* vocat, haberi: *cum*, inquit, *non ſolum admiſſi ſceleris cauſa intimo animi ſenſu dolemus; vel ejus doloris externum etiam aliquod ſignum damus; verum unius Dei cauſa in eo mœrore ſumus.* Atque hanc, inquit, *tertiam* Pœnitentiam, *tum ad virtutem pertinere, tum Sacramentum eſſe dicimus.* Ubi notanda illa verba, *unius Dei cauſa*, quæ ex ſequentibus declarantur.

2. His ergo generatim de Pœnitentiæ & virtute & Sacramento dictis, jam illud de Pœnitentia, ut eſt virtus, ſecundo ſtatuit: *Quia hujus virtutis actiones tanquam materiam præbent, in qua Pœnitentiæ Sacramentum verſatur, ideo niſi prius quæ ſit Pœnitentiæ virtus recte intelligatur, Sacramenti vim ignorari neceſſe eſt.*

3. Unde tertio docet; *Intimam animi pœnitentiam, quam*

quam virtutem dicimus, esse illam, cum ad Deum nos ex animo convertimus.

4. Quid sit autem illud, *ex animo converti*, & *quibus gradibus ad hanc divinam virtutem liceat ascendere*, quarto loco commemorat. Primum nos præveniri a Deo corda nostra convertente. Tum adesse fidem, *qua ad Deum animo tendimus*. Hinc *motum timoris consequi suppliciorum acerbitate proposita*. Deinde, *accedere spem impetrandæ a Deo misericordiæ*. Quibus constitutis subdit: *Postremo charitate corda nostra accenduntur, ex qua liberalis ille timor probis & ingenuis filiis dignus oritur: atque ita illud unum vereri, ne qua in re Dei majestatem lædamus, peccandi consuetudinem omnino deserimus*. Unde concludit: *Hisce quasi gradibus ad hanc præstantissimam Pœnitentiæ virtutem perveniri*. Huc ergo pœnitentem contendere necesse est, ut profecto constet ex mente Catechismi, non nisi horum conjunctione haberi integram veramque Pœnitentiam, quam præire oportet ad Sacramenti fructum.

5. Sic ergo explicata illa quam dixit *intima pœnitentia*, sive *animi conversione*, quinto pergendum erat *ad externam, in qua*, inquit, *Sacramenti ratio consistit*, docendumque per eam *haberi externas quasdam res sensibus subjectas, quibus declarantur ea, quæ interius in anima fiant*, hoc est profecto, *illud intimum* anterius positum, quod fide, spe, & charitate constaret. Quod confirmat his verbis: *Deinde quod caput est, cum illa quæ extrinsecus tum a pœnitente, tum a Sacerdote fiunt, declarent ea quæ interius efficiantur in anima:* nisi ergo vere insunt uti declarantur, fides, spes, charitas, vanam & falsam Pœnitentiam esse constiterit.

6. Neque propterea credendum est, ante absolutionem vi contritionis semper condonata esse peccata: imo sexto statuendum est, hanc formulam, *Ego te absolvo*, non minus vere pronuntiari a Sacerdote de illo etiam homine, *qui ardentissimæ charitatis vi, accedente tamen confessionis voto, peccatorum veniam a Deo consecutus sit*: ubi notandum est, illum ex voto Sacramenti justificationis effectum referri *ad ardentissimam charitatis vim*: ut profecto constet, aliis, qui non statim ex ipsa contritione gratiam consequuntur, defuisse non contritionem cum incipiente *charitate sive dilectione* conjunctam; sed tantum *ardentissimam contritionis illius vim*, quam non *incipientem, sed charitate perfectam* a Synodo appellatam sæpe vidimus.

7. Hinc septimo subdit: *Quanquam si id minus consequi nobis liceat ut perfecta sit, vera tamen & efficax contritio esse potest*: ubi vera contritio a perfecta perspicue distinguitur.

8. Et ultimo illud concluditur: *Ex fidei catholicæ doctrina omnibus credendum & constanter affirmandum: si quis ita animo affectus sit ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare constituat, etsi ejusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit; ei tamen, cum peccata Sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium scelera omnia remitti ac condonari*: quod & Patrum traditione certa & Concilii Florentini decreto sancitum sit.

Hæc igitur Catechismi Romani summa doctrinæ est: unde liquet, in eo diligentissime esse versatum, ut Sacramento sua constaret efficientia, idque sedulo actum, ne in Pœnitentiæ Sacramento requiri videretur illa completa ac perfecta contritio, quæ statim justificet: quare charitas ea, quam scilicet cum virtute Pœnitentiæ præire voluit, incipiens, inchoata, non proinde necessario perfecta sit. Cæterum de attritionis ex solo timore conceptæ sufficientia nullum verbum, in quo nunc omnem reponunt Sacramenti efficaciam: & tamen prætermissum in ea tractatione, in qua ea quæ essent populo prædicanda ut maxime necessaria tradi oportuisse vidimus.

Hæc igitur doctrina est, quam in Catechismis Christianæ plebi tradi necesse sit: præire oportere cum fide & spe motum propter Deum ex ipsa charitate, non tamen necessario perfecta illa & ardentissima, quæ sola justificet cum Sacramenti voto: sed quæ tamen ad Deum summe & unice diligendum impellat; & ideo quoque peccata detestetur, quod, ipso Catechismo teste, *ut maxime diligendus est Deus, ita quæ nos alienant a Deo, maxime detestari debeamus*.

Hic autem ultro confiteor, non omnes Catechismos ita esse compositos, ut hanc doctrinam explicent: nec deesse qui solo terrore contenti, spem etiam prætermittant a Synodo Tridentina, Sessione quoque XIV. tam diligenter expressam, his vocibus: *cum spe veniæ*. Quare negare non possumus, in ipsis Catechismis interdum prætermissa quædam imprimis necessaria, neque tantum in hoc argumento, sed in aliis vel maximis: eo quod in illa doctrinæ summa puerilibus animis vulgaria quæque & capitalia tradenda susciperent, quibus intenti quædam reservarent aliis, iisque amplioribus tractanda documenta. Nec pudeat confiteri quamdam forte intelligentiam accuratiore opera sarciendam. Nunc autem diligentiores Episcopi hæc etiam addunt, eam formam secuti, quam Romanus ille, ac totius velut Ecclesiæ Catechismus, auctore Concilio, ad ejus mentem ediderit.

Contraria vero sententia, quæ in suscipiendo Pœnitentiæ Sacramento nihil doceat intervenire charitatis, sive castæ dilectionis propter Deum ejusque justitiam sempiternam, præter alia, quæ diximus, duobus insuper laborat incommodis. Primum ut Christianus non modo nullo unquam vel semel edito charitatis actu, sed etiam nulla Dei toto corde diligendi cura, nullo vero conatu, nulla hujus rei consequendæ voluntate, possit fieri non modo justus, verum etiam salvus: quo omnis omnino & in Sacramento, & extra Sacramentum obligatio diligendi Dei solvitur, tantumque mandatum, non ad vitæ Christianæ necessitatem, sed ad consilium & ad perfectionis memoriam in lege & in Evangelio remaneat. Alterum incommodum: *ut non sit illicitum in Sacramentis conferendis, sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore*: quod utrumque, & ex se est pessimum, & decretis Pontificiis ex adverso pugnat.

Ecce enim quæritur, quisnam dolor de peccatis sit materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ: an ille ex solo gehennæ metu: an ille etiam ex incipiente saltem dilectione ortus: unde, teste Synodo Tridentina, exoriatur motus adversus peccata per odium aliquod ac detestationem? Ergo de ipsa Sacramenti materia quæritur. Sequenda ergo pars tutior. Tutius autem est diligere incipere: nullum in eo periculum. Ergo vel id sequendum: vel in Innocentiani decreti perspicuam condemnationem incurris.

De primo autem incommodo, circa ipsum de Dei summa dilectione mandatum, hæc subjungimus. Quæ doctrina illius mandati obligationem solvit, aut etiam eam ad paucos actus redigit, eam vidimus ex Alexandro VIII. non modo esse falsam, sed etiam hæreticam. Atqui huc tendit sententia, quæ a Pœnitentiæ Sacramento omnem etiam incipientem dilectionem excludit. Quod ut perspicue pateat, placet hanc unam proponere quæstiunculam: an ab obligatione communi diligendi Dei eximantur ii, qui per peccata mortui gratia exciderunt?

Si eximi putas: rogo iterum paucis, quo jure? quo titulo? An eo quod peccaverint, non sunt Christiani, non sunt saltem res Dei, non sunt opus Dei, creaturæ Dei, ad eum diligendum a Deo institutæ? Absit. Ergo lege teneri, necesse est ut dicas.

An forte respondebis, teneri quidem ex se, sed peccatis irretitos ad tam sublimem actum non posse consurgere? Atqui tum locum habet Tridentinum illud ab Augustino, atque ab omni Patrum traditione repetitum: *Et facere quod possis, & petere quod non possis, adjuvat, ut possis*.

Ne vero suspiceris, nullos occurrisse casus, quo positivum amoris actum exercere teneretur. Id velim cogites, laxissimos authores concessisse saltem, ne ultra totum rigorose quinquennium ab amore cessaretur. Atqui ille peccator tot annis obduruit, ut nihil ex Evangelio terere videatur præter illud Apocalypsis: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*: & illud: *Sus lota, in volutabro luti*. Ergo dum hic luto hæret, vel centies adfuerit oportet casus obligationis ad amandum Deum. Ergo & casus & tempus vel amandi Dei, vel petendi amorem. Ac si ad extremum urgeas illud de præcepto positivo, nempe id fiet, ut nec credere, nec sperare, nec judicia divina contremiscere, nec horrere seipsum, aut de Pœnitentia curare debeat: nisi positivos inter actus unum amorem seligas, ad quem liceat nobis esse tardissimos, cum contra sit. Rogo autem, cum illa obligatio semper incumbat, cur tempus illud excipias, quo ad Ecclesiæ claves, & ad Pœnitentiæ Sacramentum accedit, & pro peccato suo cogitare cœpit. Non potest, inquies. Potest ergo magis excitare gehennæ metum: nec ideo provehendus est Spiritus Sancti motu & impulsu speciali, ut est a Tridentina Synodo definitum? Nempe, inquies, impellit Deus ad illum timorem, cui resisti sine gravi culpa non potest. Non ergo Deus ad amorem ipsum impellit Pœnitentes? Non corda intus ciet? Aut vero Pœnitens ad id unum obsurduit? Quin ipsi Doctores, nedum ad amandum erigant, magis deprimunt mentes, cum docent lege amoris non teneri. Id quidem quid est aliud quam cæci cæco ducatum præstent? Quod cum sit absurdissimum, interdum inculco: vel amet vel amorem petat, & petendo amare incipiat, ut Synodus statuit.

At nimis laboriosum est. Ad id respondere piget. Sed ultro respondent omnes: hoc actu nihil dulcius, quo omne jugum leve, omne onus suave fiat. Imo cum Pœnitentia laboriosus sit Baptismus, ideoque primis sæculis Ecclesia Catholica tot ac tantos labores, tam-

tamque diuturnos imponeret pœnitentibus ; eo magis neceſſarius, qui tantum onus levaret, ſanctæ dilectionis fructus.

Nunc, ne quid effugiat inquiſitionem noſtram, diligentius conſiderandum eſt, quid ſit illa quam ſæpe memoravimus incipiens dilectio, & quomodo ſecernatur ab ea contritione, quam Synodus vocat *charitate perfectam*. Multum enim inter illas intereſſe diſcriminis, vel hinc conſtat, quod incipiens illa dilectio ad juſtificationem *præparare* dicatur tantum; quæ per contritionem charitate perfectam jam plena & tota inducatur.

Sane incipit diligere qui deſiderat, qui petit, qui enititur ut dilectionem habeat. Neque enim quis fidem aut petit aut deſiderat, aut ad eam enititur, niſi ex quibuſdam fidei initiis : ita de dilectione dicendum eſt. An autem jam habeat dilectionem qui cupit, vult, & petit : quis ſapiens, & intelliget hæc? Habet enim ſuo modo, quippe deſiderans, petens, & enitens ex quibuſdam ſane dilectionis initiis. Nondum autem habet, ut habere oportet ad juſtificationem actu obtinendam. Nondum enim plene habet, qui deſiderat, qui petit, qui enititur, ut habeat. Quis ergo ejus ſtatus? Nempe is quem ex ſacro Concilio delineavimus. Nam & petit, quod nondum poteſt, nempe ut diligat ; & facit quod poteſt, deſiderare enim optat, enititur: necdum plene fruitur amore juſtitiæ, ſed ad eam tamen præparatur.

An autem is impleat ſummum illud de dilectione mandatum? Implet, & non implet: ſed diverſo ſenſu. Implet ſane ſuo modo, qui cum omnes adhibeat quas tunc habet vires, & jam totis viribus diligit, & tamen non plene diligit, cui vires ad id præſtandum deſint. Is ergo & intelligit præcepti neceſſitatem, & adeo conatur, ut impleat : & ſuo modo implet qui quod poteſt, jam incipit : & ad juſtitiam capiendam ſe accingit ac præparat. At is qui nihil tale cogitat, ſolo pœnarum timore concuſſus, nec ſe ad implendum ſummum de dilectione mandatum diſponit ut debet, qui nec deſiderat, nec conatur, nec petit, adeoque nec ſe præparat, ut in eo fiat illa, quam a Synodo poſtulari vidimus, *voluntaria ſuſceptio donorum, quibus homo efficitur ex injuſto juſtus, & ex inimico amicus.*

An ergo vult ille noſter dilectionem ſummam? Vult plane, ad quem enititur totis quas tunc habet viribus; non vult autem, qui adhuc & deeſſe ſentit, & habere deſiderat. Denique in motu eſt ad amandum, potius quam ab ipſo amore poſſidetur, qui firmo licet amorem habendi & exequendi propoſito, eum & vult & habet per modum cujuſdam tranſeuntis diſpoſitionis, nondum autem per modum fixi jam, ſtabiliſque habitus, quæ plena juſtitia eſt. Etſi enim, quod diligentiſſime obſervari volumus, illa diligendi & mandatum charitatis implendi voluntas ſuo quodam modo firma ſit, non tamen ad eam pervenit firmitudinem, quæ ſit habitualis. Unde firma eſt, ſane in ratione propoſiti, deſiderii, niſus, ſive incipientis voluntatis ; non autem in ratione jam comparati & conſtabiliti habitus. Quo loco valere videtur illa Scholæ diſtinctio; aliud eſſe virtutem quandam, puta dilectionem, in fieri, ſive in motu, ut diximus; aliud in facto eſſe; quo etiam pertinet illud dominicum : *Si quis diligit me, diligetur a patre meo, & ego diligam eum :* quod ſane ſit illius jam factæ dilectionis, quæ ipſam juſtificationem, hoc eſt, ſummam cum Deo conjunctionem inducat per charitatem illam, quæ, Apoſtolo teſte, *nunquam excidit :* quippe quæ in ratione habitus firmiſſima, ad id valet, ut nos in æternum conjungat Deo, niſi ab ea ſponte deficimus.

Contingit autem, ut volens & enitens, & petens, rem ipſam interdum neſcius aſſequatur ; contingit, inquam, ut *concupiſcens deſiderare juſtificationes* prono velut curſu revera deſideraret : & ut hic quoque valeat notum illud ac tritum Gregorii Magni, nempe ut, *dilata deſideria creſcant, & creſcentia capiant*. Sic autem ex igniculis occulte ſerpentibus, ac velut hac illac diſcurrentibus, flammeſcit verus ignis, qui jam intima corda corripiat, his inſideat, hæc poſſideat, ſolo Deo teſte: atque hæc illa contritio eſt vera, & ſtabili charitate perfecta, quæ ſtatim juſtificet cum ſolo Sacramenti voto. Quando autem id contingat, aut quomodo, quam expedito a concupiſcentia & inolitis cupiditatibus animo, aut quam intenſo, quam fixo dilectionis gradu ſciri nec poteſt nec expedit. Sufficit autem ut fieri certa fide credamus, neque ulterius progredi cæci & curioſi conemur. Sic teſte Joanne: *Perfecta charitas foras mittit timorem*, eum, *qui pœnam habeat*, ſive inquietudinem & anxietatem quandam : certum iſtud. Quo autem & quam intenſo gradu is effectus conſequatur, nos fugit, ac Deo ſuum opus inſpicienti relinquendum. Hanc doctrinam ante Synodum Tridentinam S. Thomas tradidit. Primum, in Supplemento Summæ ex 4. in Sententias repetito. Tum in ipſa Summa 1. 2. Denique in tertia parte.

Ergo in Supplemento hæc tria ſtatuit : primum in Sacramento Pœnitentiæ contritionem amoris expertem eſſe non poſſe, probatur ex his locis : Primus, *attritionis principium eſt timor ſervilis : contritionis autem, timor filialis*, quem charitatis eſſe conſtat, q. 1. art. 3. ſed contra : quin etiam ſupra inter objectiones dicit, & in reſponſione ſupponit : *attritionem non eſſe actum virtutis :* ſubditque *: ut ab omnibus dicitur*, ut hæc ſententia nemine diſcrepante, ut certa valeat : at vero q. 1. art. 2. objectione 2. *Contritio eſt actus virtutis ;* ibid. ſed contra.

Secundus locus, q. 1. art. 1. *ſed contra : Pœnitens .... non dolet de pœna ; & ſic contritio, quæ eſt dolor pœnitentialis, non eſt de pœna*. Et in corpore : *De malis pœnæ poteſt eſſe dolor, ſed non contritio* pœnitentialis illa, & ad virtutem Pœnitentiæ pertinens : alio ergo motivo concepta.

Eſſe autem charitatis hæc probant tertius & quartus locus. *Omnis dolor in amore fundatur : ſed amor charitatis, in quo fundatur dolor contritionis, eſt maximus*, q. 3. art. 1. *ſed contra :* & iterum art. 3. object. 3. *De peccato præcipue eſt contritio, ſecundum quod avertit a Deo*, quod eſt charitatis, & in reſponſione conceſſum manet.

Hoc primum ex Supplemento. Alterum : non omni contritione, quæ ſit ex amore, remitti peccata. Primus locus, iſque evidentiſſimus : *Quæ intenſio contritionis poteſt attendi dupliciter : uno modo ex parte charitatis ..... & ſic contingit tantum intendi charitatem in actu, quod contritio inde ſequens merebitur non ſolum culpæ remiſſionem, ſed etiam abſolutionem ab omni pœna* ; q. 5. art. 2. in corp. item q. 10. a. 5. c. *Contingit autem quandoque, quod per contritionem præcedentem peccatum aliquod deletum eſt, quoad culpam ;* ergo iterum atque iterum *contingere* docet id quod non ſemper eveniat. Qua etiam voce in eundem finem uſos eſſe Tridentinos ſuo loco obſervavimus : ſed ex ſequentibus maxime ſtabilitur inter ſanctam Synodum & ſanctum Thomam doctrinæ cognatio.

Sit ergo hoc tertium ex ſancto Doctore conſtitutum : inde contingere, ut non omnis contritio juſtificet, quod amor in ea contentus ad perfectionem non pervenerit : pro quo eſt hic locus evidentiſſimus ac longe certiſſimus : *Dolor eſſe poteſt adeo parvus, quod non ſufficiat ad actum contritionis, ut ſi minus diſpliceret ei peccatum, quam debeat diſplicere ſeparatio a fine : ſicut etiam amor poteſt ita eſſe remiſſus, quod non ſufficiat ad rationem charitatis* ; q. 5. a. 3. c. En amor non juſtificans, nec conterens, eo quod ad rationem charitatis non devenerit : non quidem quod ſit alterius generis aut alterius objecti : ſed quod in eodem genere & eodem objecto ſit remiſſus. Ergo non perfectus, ſed tantum incipiens : quæ noſtra, imo ſacri Concilii ſententia eſt.

Sic ergo omnia conſtant : nempe & contritionem charitate fundari, & peccata remittere : non aliter tamen, quam ſi tantus ſit amor, ut ad rationem charitatis, adeoque & contritionis devenerit. Mitto alios locos eod. art. ad 1. & q. 10. art. 1. c. & alibi paſſim.

Jam ex 1. 2. q. 113. ubi de juſtificatione agitur, pauca ſed illuſtria ſumimus, imprimis illud : *Ita infundit donum gratiæ juſtificantis, quod etiam ſimul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum, in his qui ſunt hujus motus capaces* ; a. 3. c. En illa acceptatio ſive ſuſceptio libera gratiæ, quam Tridentina Synodus decernebat. Gratia autem juſtificans, de qua hic agitur, neceſſario cum charitate conjuncta eſt, ſine qua non poteſt eſſe juſtitia. Ergo illa ſuſceptio eſt actualis & libera ſuſceptio & acceptatio charitatis, in eamque conſenſio : qui motus charitatis eſt.

Sed ne ratiociniis ſit opus, ſanctus Doctor clare exprimit charitatem, his verbis : *Quod motus fidei non eſt perfectus, niſi ſit charitate informatus : unde ſimul in juſtificatione impii, cum motu fidei, eſt etiam motus charitatis*. Art. 4. ad 1. ſubdit : *Movetur autem liberum arbitrium in Deum ab hoc, quod ei ſe ſubjiciat : unde etiam concurrit actus timoris filialis, & actus humilitatis*. Sic actus charitatis, & ex ea profectus actus timoris filialis cum actu fidei concurrit ad juſtificandum hominem.

Tertius locus : *Quod per cognitionem naturalem homo non convertitur in Deum, in quantum eſt objectum beatitudinis & juſtificationis cauſa*. Ibid. ad 2. Ad charitatem autem pertinet moveri in Deum, ut eſt objectum beatitudinis, ut ſanctus Doctor aſſerit, 2. 2. q. 23. quæ eſt de charitate : & in ea quæſtione centies. Nec minus eſt charitatis reſpicere Deum *in quantum eſt juſtificationis cauſa*, hoc eſt, in quantum *eſt*

ſons

fons omnis juſtitiæ, ut ſancta Synodus loquitur. Quod etiam incidit in illud Apoſtoli, in quantum *eſt juſtus, atque juſtificans eum qui ex fide eſt*, ut ſupra diximus.

Denique eadem quæſt. 113. art. 5. quæritur: *Utrum ad juſtificationem impii requiratur motus liberi arbitrii adverſus peccatum*. Reſpondetur autem, requiri expreſſiſſimum motum charitatis: *eo quod ad eundem actum pertinet, proſequi unum oppoſitorum & refugere aliud: & ideo, ſicut ad charitatem pertinet diligere Deum, ita etiam deteſtari peccata, per quæ anima ſeparatur a Deo*. Ibid. ad 1. Hactenus ex 1. 2.

Jam ex tertia parte, quo loco expreſſe tractatur de Sacramento Pœnitentiæ, deque Pœnitentia ut eſt virtus prævia ad illud Sacramentum, hæc habemus: Primum, *quod Pœnitentia virtus eſt ſpecialis*: in qua quippe ſit *ſpecialis ratio actus laudabilis, ſcilicet operari ad deſtructionem peccati præteriti, in quantum eſt Dei offenſa*: ac poſtea, *quod Pœnitens dolet de peccato commiſſo, in quantum eſt offenſa Dei*: id autem eſt charitatis. Unde art. 5. in corp. enumerantur ſex actus pœnitentis. *Primus* eſt animi cooperantis cum Deo *convertente: ſecundus eſt fidei; tertius timoris ſervilis; quartus ſpei, ſub ſpe* ſcilicet *veniæ: quintus charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundum ſe ipſum, & non jam propter ſupplicia: ſextus timoris filialis propter reverentiam Dei*. Ergo ex ſancto Doctore, in Pœnitentiæ virtute, actus charitatis eique conjunctus filialis timoris actus intervenit. Atqui ſine Pœnitentiæ virtute, Pœnitentiæ Sacramentum eſſe non poteſt. Ergo ſine charitate, eique conjuncto timoris filialis actu, Sacramentum illud eſſe non poteſt. Unde ſubdit: Ad 1. *quod peccatum prius incipit diſplicere peccatori propter ſupplicia, quæ reſpicit timor ſervilis, quam propter Dei offenſam vel peccati turpitudinem, quod pertinet ad charitatem*. Ergo iterum Pœnitentiæ virtuti, adeoque Sacramento actus quidam charitatis adjungitur: non autem ille actus perfectæ charitatis, qui ſtatim juſtificat, ut dictum eſt. Ergo incipiens & præparatorius, qualem ſæpe memoravimus.

Hinc articulo 6. in corp. idem ſanctus Thomas docet: *quod actus & habitus charitatis ſimul ſunt tempore cum actu & habitu Pœnitentiæ*: Subdit: *Nam, ut in ſecunda parte habitum eſt, in juſtificatione impii ſimul eſt motus liberi arbitrii in Deum, (qui eſt actus fidei per charitatem formatus) & motus liberi arbitrii in peccatum*, (ut eſt offenſa Dei, ut vidimus:) *qui eſt Pœnitentiæ actus*. Ergo iterum ac tertio, non eſt Sacramentum iſtud ſine charitatis actu.

Quæſtione vero 86. ejuſdem tertiæ partis art. 3. in c. *Peccatum mortale non poteſt ſine vera Pœnitentia remitti, ad quam pertinet deſerere peccatum, in quantum eſt contra Deum*, & quidem *contra Deum ſuper omnia dilectum*, ut habetur in ſequentibus.

Denique ejuſdem quæſtionis 86. art. 6. item in c. *Sicut remiſſio culpæ fit in Baptiſmo, non ſolum virtute formæ, ſed etiam virtute materiæ, ſcilicet aquæ, principalius tamen virtute formæ, ex qua & ipſa aqua virtutem recipit: ita etiam remiſſio culpæ eſt effectus pœnitentiæ, principalius quidem ex virtute clavium, quas habent Miniſtri, ex quorum parte accipitur id, quod eſt formale in hoc Sacramento*, (*ut ſupra dictum eſt:*) *ſecundario autem ex vi actuum Pœnitentis*, quos inter enumeratus eſt Pœnitentiæ virtutis actui conjunctus charitatis actus.

Idem autem ad 1. Nempe, inquit, in juſtificatione *non ſolum eſt gratiæ infuſio & remiſſio culpæ: ſed etiam motus liberi arbitrii in Deum, qui eſt actus fidei formatæ, & motus liberi arbitrii in peccatum, qui eſt actus Pœnitentiæ*.

Ex his igitur patet, concurrere ad juſtificationem, liberi arbitrii actum ex charitate perfectum, eique tribui minus quidem principaliter, ſed tamen conjunctim & neceſſario, remiſſionem peccati, ut dictum eſt.

Sane fatendum eſt, videri ſanctum Doctorem de iis actibus locutum, qui juſtificationis actum comitentur, non qui antecedant, & præparent. Verum id ſufficit. Nam primum certum erit, ſine actu charitatis juſtificationem non poſſe tranſigi, quod illi refugiunt. Deinde ex illo actu veræ ac plenæ charitatis cum juſtificatione conjuncto, certa erit conſecutio ad anteriorem actum, quo anima præparetur, ne fiat tam ſubita ſine congrua diſpoſitione mutatio. Denique illa diſpoſitio congrua in eo eſt, quod amor imperfectus, necdum ad rationem perveniens charitatis, antecedat ac præparet perfectum in ipſa juſtificatione futurum charitatis actum, ut ſuperiori capite ex ſancto Doctore retulimus.

Non ergo immerito diximus, tantam eſſe ſacro-ſanctæ Synodi Tridentinæ cum ſancto Thoma doctrinæ conſenſionem, ut ex hac illa quodammodo contexta eſſe videatur. Nam ut alia omittamus, quæ non ſunt ad hunc locum neceſſaria, quæque diligens lector per ſeſe facile recognoſcet, in id concinunt, ut cum Sacramento Pœnitentiæ ſimul Pœnitentiæ virtutis actus conjungendus ſit, in quo actu Pœnitentiæ ineſſe neceſſe ſit aliquid charitatis, quo anima pœnitens & ad gratiam ſe moveat, & eam voluntarie ſuſcipiat & acceptet: neque tamen propterea omnis illius dilectionis actus ſtatim juſtificet etiam cum Sacramenti voto, ſed id contingat tantum, cum perfecta eſt charitas. Itaque ex Sancto Thoma, in juſtificatione impii neceſſario intervenit & voluntaria ex libero arbitrio per motum charitatis ſuſceptio gratiæ, & prævius quidam, nec ſtatim juſtificans imperfectioris dilectionis ſenſus: quæ ſunt præcipua, quantum ad hunc attinet locum, fidei Tridentinæ capita.

Hactenus S. Thomam Synodo contulimus; neque difficilis eſſet ejuſdem ſancti Doctoris cum Catechiſmo Tridentino collatio: ſed nobis eam ſupra indicaſſe ſufficerit. Cæterum de varietate quadam Operis in Sententias ac Summæ, locutione magis quam re, non eſt hic differendi locus.

Nunc ex antedictis aliquot corollaria, quæ huic operi lucem afferant, colligemus.

Primum illud: omnia quæ communi Theologorum ſententia ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponunt, ſanctum & caſtum ſpirare amorem.

Incipimus autem ex fide, cujus hæc ſumma eſt: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Hæc ergo fides Chriſtianorum: hæc fides in Jeſum Chriſtum, quam totam magiſter diligendi Joannes Apoſtolus recollegit ac inſtauravit in hoc verbo: *Et nos credidimus charitati, quam habet Deus in nobis*. Hæc igitur fides ex ſeſe in Dei charitatem provocat: dicente eodem Apoſtolo: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos*. Quare jubemur Chriſtiani, non tantum credere Deo, quod credere Deum, *& Dæmones credunt & contremiſcunt*, quæ eſt fides mortua: ſed credere in Deum, qui omni theologia atteſtante, poſt ſanctos Auguſtinum & Thomam, eſt affectus pius animæ ex dilectione tendentis in Deum, ſeque conjungentis Deo: ut ipſa fidei ratio ex ſe apta nata ſit ad inſpirandam dilectionem caſtam.

Nec minus ad eundem affectum concitandum ſpes apta nata eſt: parique, imo etiam majore affectu ſperamus in Deum, atque in illum credimus. Hæc igitur omnia charitatem ſpirant, ut profecto, qui nullam piæ dilectionis, idem nullam quoque fidei ac ſpei rationem habeat; ſterili & infructuoſa pœnitentia.

Ipſa etiam oratio, quam fideles omnes peccata confitentes in ipſum ſinum Sacerdotis effundunt, *pium* tibi ac vehementiſſimum ex ſancta *dilectione* dolorem ſonat. Hoc enim dolore *percita fidelis* anima primum advocat ſuorum graviſſimorum peccatorum teſtes, non modo ipſum Deum cordium ſcrutatorem, ſed etiam Sanctos omnes, imprimis autem cum Paulo electos Angelos, totamque cœleſtem aulam, Maria ipſa duce: quod facit & ad verecundiam, & ad opem, mox eoſdem adhibitura apud Deum optimos precatores: tum ad illud devenit: *quia peccavi nimis mea culpa*: bis terque illud ingeminans tunſo ſimul pectore. Sic autem imitatur *peccavi* illud Davidicum, quo ſtatim ejus peccata translata ſunt: tanquam cum eodem Davide diceret: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper: tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci*: ſic enim explicatur, & in Dei amorem vertitur illud ipſum *peccavi*. Nec minus imitatur dolorem Publicani illius percutientis pectus, Deumque exorantis, ac ſtatim juſtificati, quo nos etiam eniti par eſt, nec minus propterea fiſos Eccleſiæ clavibus, quæ, quod deſit, ſupplent. Hæc igitur, nulla licet dilectionis expreſſæ mentione, tamen dilectionem inſinuant. Hic enim agi omnia non vocibus, ſed rebus & affectibus, & David, & Publicanus ille, & illa Peccatrix ad Domini pedes, & alii vere Pœnitentes teſtantur: nec ullum in Scripturis reperitur exemplum peccatoris abſque dilectione reconciliati Deo.

Quin etiam fateri nos oportet, ad amorem excitandum, terroris gehennæ maximam eſſe vim: imminuta quippe per incuſſos terrores concupiſcentiæ vi, facilius juſtitia diligitur. Ergo ipſe peccator, quo vehementius agente & impellente Spiritu Sancto, per metum commovetur, tanto eſt aptior ad concipiendos dilectionis actus. Hoc enim illud eſt a ſancto Auguſtino dictum, nempe ut ipſe timor pœnæ, tanquam ſera linum, amorem juſtitiæ introducat. Quare cum hi terrores invaleſcunt, tum tempus eſt opportuniſſimum, concuſſis jam peccati radicibus, inſinuandi dilectionem, quæ tum prono curſu in animum influat. Quare iſta

cogna-

cognata ſunt, & gehennæ metus & amandi cupido, nec a ſe dividenda: verumque eſt illud ejuſdem Auguſtini de Deo, qui ſolus timeri ſine amore non poteſt: amore timorem proxime inſecuto, atque ejus veluti extrema premente veſtigia.

Ipſa denique Synodus Tridentina id ſuadet, & attritionem ad charitatem trahit, cum ſtatuit, eam ex duobus *communiter concipi, nempe ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ pœnarumque metu*. Atqui turpitudo peccati præter innatam ſibi probroſam infamiam quam animus ex ſeſe horreat, alio quoque motivo odio haberi poteſt, nempe oppoſito illi turpitudini pulchri & honeſti ſtudio, cujus Deus & fons & regula eſt. Gehennæ quoque & pœnarum metus, ſi quantus eſſe poſſit elicitur, id habet luctuoſiſſimum, quod nos alienet a Deo, quod ipſa per ſe charitas reformidat. Unde fit illud jam ex Catechiſmo Romano recenſitum, ut quemadmodum debemus illud Deo, ut illum diligamus, ita peccata, quæ a Deo alienant, eique adverſantur, maxime deteſtari debeamus; qua parte nulla eſt attritio, quæ non in ſe habeat cauſas dilectionis admixtas.

Quod autem nunc affectant quidam, ut inter attritionis motiva ſive incentiva & cauſas, etiam referant ſalutis, beatitudinis, gloriæ deſiderium; primum quidem id faciunt nulla Concilii Tridentini authoritate fulti, cum non alia ejus motiva commemoret, quam peccati turpitudinem & pœnarum metum: cæterum gloriæ deſiderium ſuo velut curſu ad charitatem ducit, atteſtante Concilio, id recti ſanique moris eſſe, ſi Chriſtiani *ſuam ipſi ſocordiam excitando, & ſeſe ad currendum in ſtadio cohortando, cum hoc, ut imprimis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam*: qui finis expreſſiſſime ad charitatem ſpectat.

Addamus & iſtud ex ſancti Thomæ expreſſa doctrina, fidem ac ſpem ab ipſa dilectione præciſas, ac per mortale peccatum *informes* jam factas, nec eſſe virtutes. Eundem Angelicum præceptorem mox docentem audivimus: *attritionem non eſſe virtutis actum*, idque *ab omnibus dici*: nec dolorem ex pœnarum metu ortum *pœnitentialem eſſe*. Ergo ex illis præciſe motivis, ſecluſo diligendi ſtudio, ſtare non poteſt virtus pœnitentiæ, quam tamen in Sacramento præire oportere, & omnes Theologi ſentiunt, & ſacroſancta Synodus ſæpius definivit, ut diximus.

Denique in animo ſemper habere debemus Apoſtolicum illud, *Finis præcepti charitas*: quo conſtat, omnia præcepta ut reginæ ſuæ ac fini ultimo charitati ſervire: quare ex omni parte cauſis amandi circumdati, amandi ſtudium omittere non poſſumus. Hæc doctrina quam tradimus: jam vero procedamus ad tertiam partem hujus opuſculi, atque objecta ſolvamus.

PARS III. ET ULTIMA.

OBjiciunt primo ſic: attritio ea eſt, quæ ſolo metu concepta voluntatem peccandi excludat. Atqui ea excluſio ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam ſufficit. Ergo ad eam ſufficit attritio. Majorem probant ex ipſius Conc. Trident. verbis. 2. Ex authoritate ſancti Auguſtini ſæpe id aſſerentis: puta cum dicit: *Non bona deſideras, ſed mala caves, ſed ex eo quod mala caves, corrigis te, & incipis bona deſiderare. Cum bona cœperis deſiderare, erit in te timor caſtus:* multaque in hunc ſenſum. 3. Ex ratione certa, nempe ex diſcrimine inter metum ab hominibus, & metum ex Deo ſive divini judicii. Cum enim homines non penetrent arcana cordis, non niſi externos actus cohibere poſſunt: Deus autem omnia cordis arcana pervadit. Ergo metus ex Deo cordis quoque motus occultiſſimos & intimas cogitationes cohibet, ac peccati voluntatem in ipſo fonte extinguit, hoc eſt, in ipſis intimis cordis penetralibus. Sic majorem probant: minorem vero ſic: ſublato enim obice, ſua remanet Sacramento efficacia, cum ex Tridentino *gratiam conferat non ponentibus obicem, & quantum eſt ex parte Dei*: Seſſ. VII. can. VI. & VII. Atqui excluſa voluntate peccandi obex tollitur: *Iniquitates enim veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum*. Et iterum: *Conſiderans enim & avertens ſe ab omnibus iniquitatibus ſuis, quas operatus eſt, vita vivet*. Ergo ſua conſtat Sacramentis efficacia: adeoque plenus per Sacramentum juſtificationis effectus.

Magna mihi copia eſt differendi de attritionis natura, & ſecundum antiquiores Theologos, & ſecundum recentiores: & quærendi imprimis, an ut metu concipitur ex ſua ſola vi, an ex comitantibus & adjunctis peccandi voluntatem excludat: an tantum ex ejus vi id fiat, quod ait Auguſtinus, ut *volentem peccare*, hoc eſt profecto ex ipſa jam voluntate peccantem, *interiorem animum non ſinat*: hoc eſt, non ſinat in actus exteriores ſeu magis expreſſos prorumpere; & an, ſi excludat peccandi voluntatem, id efficere poſſit durabili ſtatu ſine ea triſtitia, quæ *ſecundum Deum ſtabilem*, ex Apoſtolo, ac firmam *Pœnitentiam* operetur: an tantum diſpoſitione mobili & fluxa, peccantibus in vitia prono ac prompto animo relapſuris. Sed ne eat in longum noſtra diſputatio, quam brevem & præciſam eſſe, ac ex Concilii Tridentini decretis conſtare volumus, utcunque habeat major propoſitio, minorem negamus, nempe ſufficere excluſam peccandi voluntatem, cum ipſa Synodus talem excluſionem *non ſufficere*, ſed *diſponere* ac *viam parare* dixerit, ut toties præmonuimus, nec tantum ex geſtis, verum & ipſo tenore verborum, quibus decreta contexta ſunt.

De obice, quod dicunt, vanum eſt. Duplex enim obex in peccato: primus ex averſione a Deo, alter ex converſione ad creaturam: & hanc quidem excluſa peccandi voluntas forte ſuſtulerit; averſionem vero a Deo non niſi converſio ad Deum, hoc eſt, ipſa dilectio. Non ergo excluſa peccandi voluntas tollit obicem, quin imo non tollit maximum: eſt enim obex maximus averſio Dei, ſive peccatum in quantum eſt offenſa Dei: quod ſic probat ſanctus Thomas: *Quia homo debet magis Deum quam ſeipſum diligere; ideo plus debet odire culpam, in quantum eſt offenſa Dei, quam in quantum eſt nociva ſibi*. Quare ad tollendum verum maximum obicem, neceſſe eſt ut aliquid dilectionis interveniat.

Inſtabis: excluſa peccandi voluntate, manere ſane averſionem a Deo, ſed habitualem, ad quam tollendam dilectio habitualis per Sacramentum infundenda ſufficit. Reſpondeo: ſufficit non in quantum eſt habitus, ſed in quantum certis actibus ſanctæ dilectionis comitata procedit. Si enim charitas tantum daretur ut habitus, daretur mortuo modo, qualis eſt in dormientibus. Atqui non ſic datur in juſtificationis actu: nam ibi debet eſſe voluntaria ſuſceptio ſive acceptatio infuſæ charitatis, ut ſupra ex Tridentino & ex ſancto Thoma diximus: ex quodam actuali motu liberi arbitrii ſe convertentis ad Deum. Ergo charitas habitualis, non ut eſt habitualis, ſed ut eſt conjuncta cum actu, ſufficit ad tollendam averſionem a Deo.

Jam ad Scripturæ locos: ſolæ iniquitates dividunt inter nos & Deum: ſane. Ergo ſufficit excludi peccandi voluntatem: quatenus quidem dividit, & eſt offenſa Dei diſſolvens amicitiam, quod ex antedictis ſine aliquo dilectionis motu eſſe non poſſit: fatemur; & ſic objectus Scripturæ locus nobis commodo vertit.

Ex Ezechiele autem: *Avertens ſe ab omnibus iniquitatibus quas operatus eſt, vita vivet*. Fateor; ſi & illud adjungat ibidem poſitum, atque a Tridentina Synodo allegatum: *Projicite a vobis iniquitates veſtras, & facite vobis cor novum & ſpiritum novum*; inducto quodam ſaltem dilectionis initio.

Cum vero, teſte Pſalmiſta, his duobus juſtitia Chriſtiana conſtet: *Si declinemus a malo, & faciamus bonum*; ad illud quidem voluntas non peccandi forte ſufficiat: ad hoc autem requiritur, ut ſaltem incipiamus diligere juſtitiam, ejuſque fontem Deum.

Neque vero metuendum eſt, ne evacuetur Sacramenti efficacia, ſi præmitti oporteat aliquem incipientis illius dilectionis effectum. Fruſtra ergo objiciunt illud de Sacramentorum efficacia, & Synodum cum Synodo pugnare faciunt, magno veritatis ac Eccleſiaſticæ dignitatis damno.

At enim, inquiunt, habent charitatis actus non ex gradu, ſed ex natura, ut & peccatum expellat, & animum conjungat Deo. Sic Patres; ipſe Auguſtinus pro juſtis habet indiſtincte, qui amore juſtitiæ teneantur. Nos autem ad ea objecta ex antedictis facile reſpondemus, imo etiam ſæpe reſpondimus. Neque enim ſanctus Thomas voluit juſtificari peccatorem ex ea dilectione, quæ quidem, eo quod ſit remiſſa, ejuſdem licet generis, non tamen ad rationem charitatis & perfectæ contritionis aſſurgat: neque, quod majus eſt, Concilium Tridentinum peccatorem ſtatim juſtificatum docet per incipientem dilectionem illam, ſed profecto per eam, quæ ſit charitate perfecta. Etſi enim dilectio ex ſeſe ad id tendit, ut nos conjungat Deo, non proinde omnis id efficit ad dilectionem niſus, licet ille niſus ſit aliqua dilectio, ſed incipiens, non juſtificans; inchoata & præparatoria, non conſummans, ut ſæpe diximus, imo vero ut ſancta Synodus decernit. Ac ſi res altius perſcrutanda eſſet, non equidem crediderim, omnis dilectionis expertem fuiſſe eum, qui vitæ æternæ cupidus, ac de mandatis a Domino interrogatus, magna fiducia reſpondit: *Magiſter, hæc omnia obſervavi a juventute mea*. Neque id ab eo ficto animo dictum fuiſſe ſatis indicant verba Evangelii: *Jeſus autem intuitus eum, dilexit eum*: videbat enim in illo aliquod piæ ac ſanctæ dilectionis initium: interim quam ſuis pecuniis

jam

jam tum animo inhæreret, quippe his prohibitus ne vocantem Dominum ſequeretur, ſequentia declarant. Procul ergo a juſtitia abeſſe videbatur. Quid ille, qui tanta vi, tanto affectu dixit: *Bene, Magiſter, in veritate dixiſti, quia unus eſt Deus: & ut diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum tanquam ſeipſum, majus eſt omnibus holocautomatibus & ſacrificiis?* Hic ergo veritatem illam tenebat mente penitus comprehenſam, & in illam inclinabat animus, cui tamen nihil aliud Dominus reſpondebat, niſi illud: *Non longe es a regno Dei*: ut acceſſiſſe tantum, non tamen perveniſſe videatur. Nec ſi quis alicujus ſtudio tenetur ob ejus merita & præclaras virtutes, ideo amicus ejus aut eſt aut futurus eſt. Etſi enim illud ſtudium ejuſdem generis eſt, ac ipſa amicitia jam pectori infixa, nondum eam firmitatem & ſtabilitatem obtinuit, quæ amicitiæ nomine commendetur. Atque, ut alia ejus fere generis exempla referamus, non ſi quis caſtæ virginis honeſto quodam amore accendi cœpit, eam propterea deperire, aut connubio ſtabili jungi ſibi velit. Nec ſi ſanctus Auguſtinus pro juſtis habet eos, qui amore, qui delectatione juſtitiæ teneantur, propterea neceſſe eſt ſtatim atque incipit Deus placere, dulceſcere, delectare, ut idem Doctor loqui amat, uno velut ictu confectam eſſe rem, ac perfectum opus juſtificationis noſtræ; habent enim iſta quandam latitudinem & pro actuum perfectione & gradu ſuos effectus. Quin in omni virtute aliud eſt ejus actus tranſiens ac diſponens, aliud actus firmus & ſtabilis, tantæque virtutis, ut ſtatim in habitum vertat. Homo autem juſtificatus non eſt tantum homo juſte agens diſpoſitione & actu mobili, ſed ſtabili modo: nec ſtatim uno actu ad habitum motus, niſi ſit ille actus ea vi præditus, qua aptus natus ſit, Deo bene vertente, ut tranſeat in habitum juſtitiæ, cujus generis actus nec Philoſophia ignorat, nec Theologia refugit. Sit ergo dilectionis actus ſtatim juſtificans, is qui eſt ejuſmodi, ut quaſi ſuo jure poſtulet habitum charitatis infundi; non autem id poſtulat quivis dilectionis actus, ſed is tantum qui firmo & valido conſiſtit gradu.

At enim, inquies, is actus, quem ponimus, validus ac firmus eſt, quippe cum, ut ſæpe diximus, validum ac firmum inducat propoſitum implendi mandata, ac diligendi Dei. Certe: ſed diſtinximus: firmum ac validum in ratione propoſiti ac deſiderii: non proinde in ratione habitus conſiſtentis. Eſt enim ille amoris actus prævius ſive incipiens, per ſeſe & in ratione amoris exilis & tenuis, ac facile mutabilis; ſed fide ſuſtentatus, ac timore vallatus, fractis cupiditatibus ac vitioſis habitibus, velut illiſis fluctibus, ſe tuetur, & ipſi charitati habituali & perfectæ libereque acceptandæ viam parat.

Atque hæc quidem alibi diligentius expendemus, quæremuſque, quid ſit illud a beato Auguſtino toties inculcatum: *Omnes amare aliquid:* quo proinde neceſſe ſit, ut nullo vel tenui momento interpoſito, aut in amore creaturæ tanquam in luto hæreamus, aut ad diligendum Deum ſaltem initiali quodam amore adſurgere incipiamus. Nunc autem cum in eo ſimus, ut Tridentina decreta certa per ſe ſe & firma penſemus, ab aliis abſtinemus, nec neceſſe habemus hic quidem recludere Traditionis fontes.

Quod autem dicatur omnis charitatis actus ex ſeſe & natura ſeu vi ſua nos Deo conjungere, ex eodem Concilio ita interpretamur, ut præter vim natura inſitam charitati, ſimul ex ſpeciali inſtitutione Chriſti adjungendum intelligatur Pœnitentiæ Sacramentum, idque non tantum neceſſitate præcepti, ſed etiam neceſſitate Sacramenti & medii, reſque ita ex Concilii decretis temperanda, ut incipienti dilectioni proviſerit Deus per neceſſarium Sacramenti actu ſuſcepti præſidium, contritioni vero charitate perfectæ reſervavit, ut adjuncto Sacramenti voto ſtatim hominem Deo reconciliaret.

Ne tamen, vetante Paulo, contendamus verbis ad ſubverſionem audientium: ſi quis recuſarit aliam vocare charitatem, quam eam quæ diffuſa ſit in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, atque his inhæreat, ſitque habitualis, quæ facile ex habitu gratiæ concomitantis auxilio, actus perfectæ charitatis eliciat: haud iniquo animo ferimus. Sane admonuimus ex Concilii geſtis, plurimos e Patribus atque Theologis in explicando illo prævio incipientis dilectionis actu non reformidaſſe charitatis vocem. Nec prætermiſimus Sancti Thomæ locum, in quo abſtinere ab ea voluiſſe viſus. Utcunque eſt, certum illud, ne de vocibus litigetur: modo ne extinguant in pœnitentibus per gratiam revicturis illos actus, quos poſt ſanctam Synodum memoravimus, aut eos, incipientes licet ac præparatorios ſive diſpoſitivos, ad Deum ſumme ac ſuper omnia diligendum ferri, idque omnino velle, atque adeo ad ipſam reduci charitatem, ut ſupra eſt expoſitum, nemo negaverit.

Poſtremo quidam objiciunt Alexandri VII. decretum, feria V. die 5. Maji 1667. quo, auditis votis ſacræ Inquiſitionis, ad conſervandam pacem, hæc habet. Primum exponit ſententias duas, quarum altera *attritioni ex metu gehennæ conceptæ, ac excludenti voluntatem peccandi cum ſpe veniæ, in Sacramento Pœnitentiæ requirat inſuper aliquem actum dilectionis Dei, aſſerentibus quibuſdam, & negantibus aliis, & invicem adverſam ſententiam cenſurantibus.*

2. Vetat, ne quivis, etiam Epiſcopi, imo & Cardinales, ſi eo de argumento ſcribant, *prædicent, aut doceant, libros aut ſcripturas edant, pœnitentes aut ſcholares erudiant, audeant alicujus Theologicæ cenſuræ, alteriuſve injuriæ aut contumeliæ nota inurere alteram ſententiam ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione, ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem, donec ab hac ſancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum.*

3. Interſerit: *Sententiam negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis hodie inter Theologos communiorem videri.* Hactenus Alexandri VII. decretum.

Nos autem nihil hic agimus de ejus formula: ſed tantum reſpondemus, nihil nocere nobis. Quid enim? Vetat Pontifex, ne ſe invicem *cenſurent, taxent*, Theologicas cenſuras, &, ut ajunt, qualificationes inurant; neve injuriis & contumeliis mutuo ſe proſcindant: jubet ut charitatis vinculum ſervent. Id quidem vel maxime pertinet ad eos coercendos, qui quotidie noſtram, hoc eſt Tridentini Concilii, de incipientis dilectionis neceſſitate doctrinam paſſim infament, tanquam eam, quæ purum putumque Lutheraniſmum aut Calviniſmum inducere, aut redolere videatur. Sane contrariam partem a talibus quoque abſtinere oportet. Hæc quidem Alexander VII. non propterea, quod abſit, prohibet Epiſcopos, ne ſanam doctrinam aſſerant, doceant, ſua authoritate ac prædicatione confirment, eamque non tantum libris editis, ſed etiam alio quovis ſcripti genere commendatam, tutam ac munitam præſtat.

At enim indicat Pontifex, *ſententiam negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei hodie inter Scholaſticos communiorem videri. Videri* ſane, non eſſe: *opinionem*, non autem Scholæ decretum aut dogma: *communiorem*, non proinde ſtabilem ac certam: *hodie*, non ab antiquo: inter *Scholaſticos* hodiernos certe, non Patres: quid tum poſtea? Melchior Canus, vir doctiſſimus libro de locis Theologicis, de loco ab opinione eaque communi tractans, clare pronuntiat, nemine repugnante, aliud eſſe Scholæ decreta ac firma dogmata: aliud opiniones mobiles ac fluctuantes. Nunc autem confitendum eſt, multas invaluiſſe opiniones, quæ ab anteactæ ætatis authoritate deficiant, pronis ad laxiora ingeniis, & ad nova prurientibus auditorum auribus. An propterea putemus, illi nunc quidem forſitan communiori opinioni aliquam conciliatam eſſe vel tenuiſſimæ probabilitatis authoritatem? *Abſit*: alioqui non ſatis caveremus ab extrinſeca illa probabilitate: qui nunc inter novitios Caſuiſtas omnis laxitatis & corruptelæ fons eſt. Quin ipſe Alexander VII. in celeberrimo illo & omnibus acceptiſſimo decreto feriæ 5. die 24. Septembris 1665. de illis corruptelis ita fatur: *Summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles ſequerentur, ingens irruptura eſſet vitæ Chriſtianæ corruptela.* En ſubinde *& in dies excreſcentem ſummam luxuriantium ingeniorum licentiam.* En non tantum reprehenſas aliquot laxiores ſententias; *ſed modum ipſum opinandi alienum ab Evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina irrepſiſſe.* En ex hoc fonte ingentem Chriſtianæ vitæ corruptelam, non ſecuturam tantum, verum etiam facile ac facto velut impetu irruptúram, quam cohibere vix poſſis. Hæc Alexander VII. An hoc rerum ſtatu communiorum hodie in ſchola opinionum habere nos aliquam rationem is Pontifex velit? Abſit, inquam, abſit. Non enim tantum a perverſis aliquot opinionibus, ſed ab ipſo opinandi modo cavendum eſt: ubi nempe non quæritur de vero & falſo, deque juſto & injuſto, quod erat rei caput; ſed de probabili, quod novis quotidie commentis augeatur.

Ne ergo nos moveant communiores hodie, ſi forte opiniones, cum etiam liceat oculis intueri, gliſcente licentia quot prava quotidie communiora fiant: quæ quidem nobis quaſi majoris numeri authoritate deterritis diſſimulanda non ſunt: imo vero quo magis invaleſcunt, eo validius confutanda. Ipſa certe minoris probabilitatis aſſertio tam nova eſt, ut ultro confitentibus illius authoribus, vix demum anteacto ſeculo in hac temporum fæce natam eſſe conſtet; antiquioribus ac ſanctis

ctis Scholaſticis, Thomæ, Bonaventuræ, Antonino, cæteriſque plane ignotam & inauditam. An ergo eo quod pronis in laxiora ac paradoxa animis communior hodie videatur; an, inquam, propterea eam invaleſcere ſinant Epiſcopi, non autem omni ope propulſandam ac profligandam curent? Ita de excluſa incipientis dilectionis neceſſitate dicendum. Neque enim tanta in re hominum opinionibus, ſed Eccleſiæ fide regi jubemur. Nec ſi vel maxime felicis memoriæ Alexander VII. decreto validiſſimo, notaque & omnibus acceptiſſima Sedis Apoſtolicæ authoritate prolato vetuiſſet, ne illam ſententiam ulla Theologica cenſura prohibeamus: ideo nos tantam veritatem, tam clare, tam perſpicue a ſacroſancta Tridentina Synodo declaratam tacere debemus: imo vero, quo a pluribus impugnatur, tanto magis, modeſte quidem ac pacifice, ſed interim magno animo aſſerenda eſt: ut adverſari Concilii Tridentini decretis, ſi non Theologica qualificatione, veridica tamen aſſertione dicatur.

Nec fas eſt, Epiſcopos, tanto accepto depoſito judicare ſecundum aliorum communiorem licet forte ſententiam; quod nihil aliud eſſet, quam ut illis auctoribus per inanem probabilitatis ſpeciem falſa ſecuritas induceretur, & contra Domini interdictum traditiones ac mandata hominum invaleſcere ſinerentur.

Liceat & illud reverenter addere, utcunque Alexander VII. ab inferendis neganti ſententiæ cenſuris propter bonum pacis continendos exiſtimavit Epiſcopos, certe noluiſſe eam opinionem a ſucceſſorum quoque ſuorum Innocentii XI. & Alexandri VIII. decretis ac notis præſtare ſalvam: in quas incidiſſe, dum amandi obligationem generatim ſolvunt, dumque in Sacramentorum materia probabilem tantum, non autem tutam ſequuntur ſententiam, ſupra demonſtravimus.

Hæc igitur ex antedictis concludimus.

I.

Conſtat, Pœnitentiæ Sacramentum lapſis æque ac Baptiſmum omnibus, etiam adultis nondum regeneratis, eſſe neceſſarium, hoc eſt non tantum neceſſitate præcepti, verum etiam neceſſitate medii, (cum voto).

II.

Conſtat, utrumque Sacramentum non acceptæ gratiæ aut juſtitiæ ſignum, ſed accipiendæ cauſam inſtrumentalem eſſe.

III.

Neutrum eorum Sacramentorum dum actu ſuſcipitur, etiam voto Sacramenti conjunctum, ſemper ſupponit jam acceptam juſtitiam & gratiam: his contrariæ ſententiæ Concilio Tridentino adverſantur.

IV.

Non minores aut inferiores diſpoſitiones requiruntur ad juſtificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, atque in ipſo Baptiſmo cum adultis traditur: contraria ſententia eidem Concilio & ſanæ Theologiæ repugnat.

V.

De amore in Baptiſmo extat canon expreſſus e Concilii Arauſicani cap. 25. *Hoc etiam ſalubriter profitemur, & credimus, quod ipſe Deus nobis, nullis præcedentibus meritis, & fidem & amorem ſui prius inſpirat, ut Baptiſmi Sacramenta fideliter requiramus, & poſt Baptiſmum, cum ejus adjutorio ea, quæ ſibi ſunt placita, implere poſſimus.* En ad recipiendum Baptiſmum amor neceſſarius, ad minimum incipiens, ut tradit Concilium Tridentinum.

VI.

Supponuntur ergo in utroque Sacramento diſtincti actus præparatorii fidei, ſpei, ac dilectionis, qua Deum ut omnis juſtitiæ fontem diligere incipimus.

VII.

In utroque Sacramento pariter requiritur propoſitum firmum ac validum implendi præcepta omnia quæcunque Chriſtus tradidit, adeoque vel maxime primum illud de Deo toto corde ac totis viribus diligendo, hoc eſt, ſuper omnia.

VIII.

In utroque Sacramento pari neceſſitate, petenda eſt fides, quæ per dilectionem operatur.

IX.

In utroque Sacramento æque requiritur voluntaria ſuſceptio gratiæ, & donorum, quibus homo efficitur ex injuſto juſtus, & ex inimico amicus; æque neceſſarius conſenſus in juſtitiam inhærentem, quæ eſt ipſa charitas: æque voluntario motu quærenda, volenda, procuranda Dei amicitia. Contrariæ ſententiæ ejuſdem Concilii decretis adverſantur.

X.

Neque tamen omnis etiam incipiens Dei propter ſe dilectio ſtatim juſtificationem inducit, ſed ea tantum contritio, quam charitate perfectam eſſe contingat.

XI.

Qui ſolvit obligationem Dei ſuper omnia diligendi per ſpeciales actus, aut ad certum numerum redigit, hæreſim docet, aut inducit.

XII.

Qui negaret, hoc præcepto teneri etiam peccatores, etiam Pœnitentes, eandem hæreſim induceret.

XIII.

Neque pœnitentes a conatu ſaltem eximendi, cum jubeantur & moneantur & facere quod poſſint, & petere quod non poſſint, Deo adjuturo ut poſſint.

XIV.

Qui docent Pœnitentes, ſufficere attritionem ex ſolo metu conceptam, non tantum diſponere aut parare viam ad juſtitiam, Concilio Tridentino addunt, eoſque periculoſe fallunt.

XV.

Iidem niſi Pœnitentes provocent ad dilectionem præparatoriam, eamque tanquam non neceſſariam ſi negligant, in Sacramentis conferendis de valore Sacramenti ſequuntur opinionem probabilem, relicta tutiore: probabilem autem non ex vera, ſed ex ſua ſententia.

Hæc igitur ſunt capita, quæ a Tridentino Concilio accepta, ut vera, ut tutiora, ut certa ab Epiſcopis doceri, ab iiſdem contraria prohiberi debeant.

Hæc nos, ſecuti doctiſſimos ac maximos in Italia, Gallia, aliiſque provinciis Epiſcopos, fratribus & Compresbyteris noſtris Eccleſiarum rectoribus, aliiſque ibidem verbum & Sacramenta adminiſtrantibus, Epiſcopalis reſponſi loco, in manus docenda & utenda tradimus: his ab univerſa fraternitate obediri oportere admonemus, ne ſchiſmata in Eccleſiis fiant, neve falſa ſecuritate ſimplices animæ deludantur.

DIS-

DISSERTATIO DOGMATICA

DE GERMANO AC AVITO SENSU SANCTORUM PATRUM,

UNIVERSÆ SEMPER ECCLESIÆ, AC SACROSANCTÆ PRÆSERTIM TRIDENTINÆ SYNODI

CIRCA CHRISTIANAM CONTRITIONEM ET ATTRITIONEM.

Admodum Reverendis, Ampliſſimis, Nobilibus Dominis, Dominis,

PRÆPOSITO, DECANO, CANONICIS,

Exemptæ Eccleſiæ Cathedralis ſancti Bavonis Gandavenſis:

ADM. REVERENDI, AMPLISSIMI, NOBILES DOMINI

GENERALES *Eccleſiæ Synodos in deviæ ſuæ mentis patrocinium detorquere, atque ita incruſtare calumniis, eſt antiqua Errantium machina & conatus. Etenim Apollinarius Laodicenſis in prima Syria Epiſcopus, dum ex Nicænæ fidei verbis,* Conſubſtantialem Patri, *humanæ ac Divinæ in Chriſto Domino naturarum confuſionem ſtabilit, magnum Athanaſium in literis ad Epictetum Corinthiorum Epiſcopum coegit cum ſtomacho exclamare:* Quis infernus iſta eructavit? *Neque enim adſumptum hominem, ſed adſumens Verbum eſſe Patri conſubſtantiale definierat ſacroſancta Synodus Nicæna. Longe majorem injuriam paſſa ſunt glorioſa Sancti Cyrilli, Patriarchæ Alexandrini, adverſus Hæreſiarcham Neſtorium Capitula, eorumque comprobatrix & confirmatrix ſacroſancta Epheſina Synodus, dum ipſa non Errones aut Hæretici, nec ſolus cum cætera Joannis Antiocheni Patriarchæ inquieta Factione Theodoretus Cyrenſis in Euphrateſia Provincia Epiſcopus, ſed etiam cum magnis in orthodoxo dogmate & pace Collegis S. Gennadius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, adſertæ in Chriſto Domino confuſionis infamavit, atque ita & Arianis & Apollinariſtis præbuit fomenta, Œcumenicam Synodum reddidit ſuſpectam prævaricationis, ac ſemetipſum ſtatuit ejuſdem inimicum & defenſorem. Eumdem hodie impetum patitur ſacroſancta Synodus Tridentina. Caſtam Dei dilectionem eſſe unicum novi a vetere Teſtamenti diſcrimen, unicam Chriſtianæ vitæ regulam, unicum legis & Prophetarum finem, unicum Dominici Sanguinis & Paſſionis fructum, unicam Juſtitiæ & peccatorum remiſſionis obtinendæ januam, cujus ſervilis gehennæ aut aliarum pœnarum metus ſit quidem quandoque utile, quandoque neceſſarium, ſemper tamen extrinſecum duntaxat exordium, ex Apoſtolica & perpetua omnium ſub cælo Eccleſiarum traditione docet laudata Synodus, & declarat diſertiſſime; & ecce a quibuſdam, ſimplicitate aut imperitia circumſcriptis, in Eccleſiæ nobis pace dilectis Fratribus dicitur & proclamatur ſolum ſervilem gehennarum metum, adeoque ſolum judaicæ ſervitutis ſpiritum, quem Apoſtolus ac ipſe in Evangelio Dominus conteſtantur infirmum, impetrandæ per mortuorum Sacramenta Juſtitiæ adſerere ſufficientem: Adſerere, quod ipſa adverſum Martini Lutheri calumnias nunquam ſenſiſſe ac docuiſſe palam proteſtata eſt, peccatores ſine bono converſæ mentis, ſeu caſtæ in Deum dilectionis motu per Pœnitentiæ Sacramentum juſtificari. Non eſt quæſtio de tribus capellis, aut de lana caprina. Solo namque ſervili metu actos peccatores eſſe marſupia vacua, ac vivificantibus Domini noſtri Jeſu Chriſti Signaculis perperam inſigniri, olim ad ſanctum Petrum, Eccleſiæ Alexandrinæ Patriarcham & Martyrem, iſtiuſmodi Catechumenos ex cauſſis baptizantem, clamavit a ſancto Sophronio, Patriarcha Hieroſolymitano, in Prato ſpirituali laudatus Angelus:* Quamdiu huc mittitis marſupia iſta, ſignata quidem, inania autem prorſus, vacua, & nihil intus habentia? *Et quidem hunc, quandoquidem evenire oportuerit, ſimplicitatis lapſum,* Viri Adm. Reverendi, *gaudeo in creditam vobis Eccleſiam irruiſſe. Hæc enim non ſuper arenam, ſed ſuper ſolidiſſimam Evangelicæ Prædicationis & veſtri Apoſtolici Pectoris petram ædificata circumferri non metuit omni vento doctrinæ: Nullus motus, nullus fluctus, nullus impetus, nulla inferorum porta ſperet adverſus ipſam prævalere. Hæc eſt Eccleſia, quæ Francorum olim ſub Carolo magno & ejus pio Filio Ludovico Epiſcopis, ſacras imagines definito per ſeptimam Synodum cultu partim ſpoliantibus, partim cum Claudio Taurinenſi damnantibus uti idola, & frangentibus, conſtantiſſima reſtitit, laudataſque Synodum ac imagines multorum ſuorum Clericorum & Monachorum ſanguine defendit. Quæ Philippi*

primi Burgundiæ Ducis, Principis ſui, & Philippi ſecundi Tornacenſis ſui Epiſcopi, Pſeudo-Clementis ſeptimi Factionem & Schiſma ſequentium, maculoſam communionem abjecit intrepida, & proprium ſibi Epiſcopum, Urbani ſexti legitimi Pontificis & Paſtoris verba audientem, elegit & conſecravit. Quæ inter varias fœdiſſimarum hæreſeon in Flandria procellas ſemper ſtetit illæſa, Romanæque communioni ac fidei immota adhæſit. Abſit ut talis, quam ſpiritus unctione doctam lucet, Eccleſia egeat literis foris ſonantibus. Quocirca quorumdam duntaxat circumſcriptæ ſimplicitati inſtruendæ, & ſacroſanctæ Tridentinæ Synodo a pravis ipſorum ſuſpicionibus liberandæ conflavi Scriptum hoc ex antiquis Eccleſiæ Patribus, de quibus ad neotericos ſui temporis Doctores comparatis inſigniter ſcripſit ad Pharitium, Habendonenſis Cœnobii Abbatem, in literis apud Lucam Dacherium exſtantibus, Theobaldus Stampenſis:

„ De nativitate ſententiarum hoc ſolum vobis reſpondeo, quia multo magis gratulor imitari „ non errabunda priorum Doctorum vigilantium veſtigia, quam modernorum dormitantium „ ſequi falſas opiniones & ſomnia. Quod enim veteres Doctores vix pertingere potuerunt „ vigilando, hoc quoque juniores docere præſumunt dormitando. Vigilantes autem Docto- „ res dicuntur, qui ſane referunt quod a ſanctis Patribus rationabiliter audierunt. Doctores „ vero dormitantes appellantur, qui ex parte ſua ſemper aliquid novitatis adferre laborant. „ Unde Hilarius Pictavienſis ait in libro, quem de Trinitate compoſuit: *Optimus quidem „ Lector eſt qui refert*. Sciatis igitur me, non de afferentibus, ſed de referentibus eſſe; & „ quamdiu vita comes fuerit in hoc diligenter perſeverare". *Studium hoc meum boni conſulere, & comprobare dignemini*, Viri Ampliſſimi & Admodum Reverendi, *quos Deus opt. max. ad Eccleſiæ tutelam & lumen dudum cuſtodiat*. Dabam Lovanii, Kalendis Juniis, Anno Domini 1666.

Minimus veſter in Domino famulus,

Fr. Christianus Lupus.

DISSERTATIO DOGMATICA
DE CHRISTIANA
CONTRITIONE
ET ATTRITIONE.
CAPUT PRIMUM.

Exponitur definitio Contritionis generatim ſumptæ, tradita per ſacroſanctam Synodum Tridentinam: *Contritio eſt dolor animi ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.*

Seſſ. 14. cap. 4.

INIQUI cordis pœnitentiam & converſionem ad Deum, quam nos Latini paſſim Contritionem, Græci Metanojam vocant, Martinus Lutherus aliud non eſſe vult quam novam vitam, juxta vocem popularem: *Optima Pœnitentia eſt nova vita.* Senſum ſuum edicit in ſermone de Pœnitentia: *Plus tibi diſcutiendum confeſſuro, quantum diligas Juſtitiam, quam quantum odias peccatum, multoque majore, immo ſolo hoc labore tibi cogitandum eſt, quomodo futuram vitam agas bonam, quam quomodo odias aut deſeras præterita mala. Veriſſimum eſt enim proverbium, & omni doctrina huc uſque de Contritionibus tradita præſtantius:* OPTIMA PŒNITENTIA EST NOVA VITA. Et in ſuorum a Leone X. Pontifice damnatorum articulorum Apologia ſcribit in ſuos adverſarios: *Mirum, quid illis acciderit, ut contra omnium ſenſum & ſententiam audeant damnare* jam dictam totius mundi paræmiam. Fluctuat tamen, & in omne ſe verſat latus, modo adſerens veram Contritionem non eſſe aliud quam novam vitam, modo ipſam duntaxat non poſſe eſſe ſine nova vita, id eſt, ſine veterem hominem innovante ac reformante charitate. *Plane*, inquit, *Apoſtolus docet omnia vana eſſe, niſi ſimus nova creatura in Chriſto: At pœnitentia, quæ ſine amore Juſtitiæ agitur, vetus adhuc eſt creatura, non plus valens quam circumciſio aut præputium.* Errorem vero reſorbet in ſuarum reſolutionum prima concluſione: *Non ergo in uſu Scripturæ Pœnitentia dolor dicitur, ſed mutatio mentis & conſilii.*

Error Lutheri de Contritione.

Art. 7.

Hoc ergo novæ doctrinæ monſtrum everſura ſacroſancta Tridentina Synodus ſancit Contritionem generatim ſumptam non tantum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum ac inchoationem, ſed veteris etiam odium & deteſtationem eſſe, atque ita incipit ejus definitionem: *Contritio eſt dolor animi.* Loquitur cum Tertulliano in libro de Pœnitentia: *Exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt, mandat animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit triſti tractatione mutare.* Ejus opus eſſe dicit *ingemiſcere, lacrymari, mugire dies noctesque ad Dominum Deum ſuum.* Quod ipſum in moralium ſententiarum regulis tradit magnus Baſilius ex facto Apoſtoli Petri, qui poſt negatum Dominum ſtatim exivit foras ex atrio Pontificis, & pœnitens flevit amare. Palmaris item, quam in incœſtuoſo Corinthio excitare conatus eſt Paulus Apoſtolus, Pœnitentiæ pars fuit mentis triſtitia, & quidem tanta, ut timuerit idem Apoſtolus, ne ipſa ille abſorberetur. Nihil frequentius ac ferventius quam lacrymas, & mœrorem divina Scriptura peccatoribus inculcat. Apud omnes olim ſub cælo Eccleſias prima Pœnitentium ac Pœnitentiæ claſſis fuit Flentium ac doloroſus Fletus. Et hinc in libris de Pœnitentia ſcribit ſanctus Ambroſius: *Qui agit Pœnitentiam, diluere lacrymis debet peccatum ſuum. Ergo lapſus noſtros mundemus fletibus, ut audiat nos Dominus noſter ingemiſcentes.* Et in literis ad Comitem Bonifacium ſanctus Auguſtinus: *Niſi egeris Pœnitentiam, ſalvus eſſe non poteris. Quomodo enim gaudebis te eſſe correctum, niſi doleas fuiſſe perverſum?* Et infra: *Habeant Donatiſtæ de præterito deteſtabili errore, ſicut Petrus habuit de mendaci timore, amarum dolorem.* Et Severo Milevitano Epiſcopo, qui Lutherano dogmati quid in ſpeciem ſimile inconſideratus ſcripſerat, reſpondet: *Quaſi non ſint dolenda quæ male geſta ſunt, etiamſi quantum poſſunt poſtea corrigantur.* Paradoxum & tot verbis indignum eſt iſtud Lutheri dogma: nam & ipſi hodie Lutherani illud abominantur.

Reg. 1. cap. 3.

Lib. 2. c. 5.

Ep. 50.

Ep. 240. Et odium peccati.

Pergit ſancta Synodus: *Et deteſtatio.* Alibi dicit: *Odium & deteſtatio peccati.* Rurſum loquitur cum Tertulliano in libro de Pœnitentia: *Pœniteat errorum reperta veritate; pœniteat amaſſe quæ Deus non amat, quando ne nos quidem ipſi ſervulis noſtris ea, quibus offendimus, non odiſſe permittimus.* Conſonat in regulis brevioribus magnus Baſilius: *Primum anima male ante actam vitam ſuam odiſſe debet, ejuſque memoriam abhorrere & deteſtari.* Loqui ſe adfirmat ex Regio Propheta: *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum.* Et in literis ad Ruſticum Monachum ſanctus Hieronymus: *Niſi oderimus malum, bonum amare non poſſumus.* Et quidem mali odium & boni amor gaudent correlativorum privilegio, ſe ſe mutuo ponunt & tollunt, remittunt & intendunt, atque ita in unum præ alio exaltare Martinus Lutherus eſt fruſtra conatus.

Seſſ. 6. cap. 6.

Cap. 4.

Reg. 11.

Epiſt. 4.

Proſequitur ſacroſancta Synodus: *De peccato.* Etenim peccatum eſt unicum & adæquatum veræ pœnitentiæ objectum, & actam de boni operis officio pœnitentiam eſſe peſſimam rei & nominis prævaricationem, recte ſcribit in libro de pœnitentia Tertullianus, declamans in Gentiles: *Quam in Pœnitentiæ actu irrationabiliter diverſentur, vel uno iſto ſatis erit expedire, cum illam etiam in bonis factis ſuis adhibent. Pœnitet fidei, amoris, ſimplicitatis, patientiæ, miſericordiæ: Prout quid in ingratiam accidit, ſemetipſos execrantur quia benefecerunt, eamque maxime pœnitentiæ ſpeciem, quæ optimis operibus irrogatur, in corde figunt, meminiſſe curantes ne quid boni rurſum præſtent; contra pœnitentiæ malorum levius incubant.* Etiam in ſequenti capite eleganter oſtendit nequaquam de bono, ſed de ſolo malo opere, ſeu peccato eſſe pœnitendum. Noto interim hæc verba, *Seipſos execrantur*; adfirmat pœnitentiam debere eſſe odium ac deteſtationem.

Cap. 2.

Contritio debet eſſe dolor. Cap. 9.

Addit ſacroſancta Synodus: *De peccato commiſſo.* Etiam hic cum Tertulliano loquitur in libro de Pudicitia: *Contendunt* Pſychici *non competere Ethnicis pœnitentiæ denuntiationem, quorum delicta obnoxia ei non ſunt, ignorantiæ ſcilicet imputanda, quam ſola natura ream Deo faciat. Porro nec remedia ſapere quibus pericula ipſa non ſapiant, illic autem conſtare Pœnitentiæ rationem, ubi conſcientia & voluntate delinquitur, ubi & culpa ſapiat & gratia; illum lugere, illum voluptari, qui ſciat & quid omiſerit, & quid ſit recuperaturus, ſi pœnitentiam Deo immolarit, utique eam magis filiis offerenti quam extraneis.* Orthodoxos calumnioſe appellat pſychicos ſeu animales, perperam de erroneo taxat dogmate, recte tamen adſeverat de naturalibus ſeu originalibus, ideoque non voluntaria actione commiſſis, ſed neceſſario contagio contractis peccatis non eſſe veram pœnitentiam ſeu Contritionem. Quod ipſum apud ſanctum Auguſtinum multis eleganter tradit Author libri de vera & falſa pœnitentia, ajens originalis peccati contagium dolendum omnino ac deteſtandum, at dolore qui ex intentata in noſmetipſos & proprium noſtrum opus vindicta non procedat, adeoque non ſpectet ad ſolius proprii facti deteſtatricem & deſtructricem pœnitentiam. In libro de Correptione & Gratia idem docet etiam ipſe ſanctus Auguſtinus. Ex hiſce fontibus ſacroſancta Tridentina Synodus ſanxit Contritionem oportere eſſe dolorem ac deteſtationem de peccato, non quovis, ſed commiſſo.

Esſe debet odium peccati actualis. Cap. 10.

Cap. 8.

Cap. 6. 14. 16.

Concludit definitionem: *Cum propoſito non peccandi de cætero.* Loquitur ex avito Eccleſiarum ritu, quo ipſi ſancti Apoſtoli baptizandos ac reconciliandos juſſerunt coram electis teſtibus ſolemniter diabolo, ejuſque cultui, pompis, & operibus renunciare, ac plenam ſub

Contritio debet eſſe propoſitum deinceps non peccandi.

Deo & Chriſto ejus obedientiam atque ſubjectionem profiteri. Eſſe Apoſtolicum inſtitutum adfirmat diſerte in libro de Spiritu Sancto magnus Baſilius, ac in libro de Corona Militis Tertullianus. Diaboli cultum & pompas eſſe idololatriam ac ſpectacula ſcribit in prima myſtagogica catecheſi ſanctus Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus, & addit de operibus: *Opera Sathanæ ſunt cujuſvis generis peccata, quibus te renunciare neceſſe eſt, ut cum aliquis fugit tyrannum, arma quoque illius vitare ſtudet. Omne igitur genus peccati ſub hoc operum diaboli nomine comprehenditur.* Eſſe noſtram cum Deo confœderationem, verba tremenda, horrendæ initiationis leges, pacta jurata, eiſque ejerari Epiſcoporum etiam vanitates, verba & cantica impudica, omne peccati genus & ſpeciem declamat frequenter S. Joannes Chryſoſtomus, & pergit in vigeſimaprima Homilia ad populum Antiochenum: *Sicut ſervos ementes, ipſos qui venduntur prius interrogamus, an nobis ſervire velint, ita facit & Chriſtus, quando debet te in ſervitutem capere. Prius interrogat, an velis illum crudelem tyrannum dimittere: Et ad fœdera ſuſcipit.* In oratione de Chriſti Domini Baptiſmo addit ſanctus Gregorius Epiſcopus Nyſſenus: *Pactum in traditione myſterii cum Deo homo facit, cum omnem pœnam, cruciatum, & voluntatem pro illius dilectione ſe neglecturum eſſe promittit.* Hæc igitur renunciatio aliud non eſt quam firma promiſſio, & ſtipulatorium cum Deo optimo maximo propoſitum deinceps ex nulla penitus cauſa, & in nullo penitus genere peccandi. Porro ipſam non in ſolo regenerationis, ſed & in reconciliationis Sacramento olim fuiſſe adhibitam, lucet ex regula, quam ſuis Canonicis ſcripſit ſanctus Crodogangus Epiſcopus Metenſis. Ejus, in Baptiſmo præſertim adhibitæ, cauſa cunctos fidelium lapſus nova & ſingulari malitia augeri adfirmant paſſim Patres, inſigniterque oſtendit in libris de laicali inſtitutione Jonas Epiſcopus Aurelianenſis.

Cap. 27.

Baptiſmales Renunciationes exponuntur.

Olim fiebant etiam ante Reconciliationem.

Cap. 32.

L. 1. c. 3.

Hinc item Eccleſiæ Patres paſſim adſeverant utrumque jam a Tridentina Synodo laudatum actum omnino requiri ad Contritionem. In oratione de Sancto Philogonio Patriarcha Antiocheno ſanctus Joannes Chryſoſtomus: *Diſcede*, utique per gemitus & fletus, *a malo, deſiſte a pravitate, pollicere te poſthac iſta non commiſſurum. Ego teſtificor & fidejubeo fore, ut ſi quis recedens a priſtinis malis, ex animo promittat Deo ſe nunquam ad illa redituram, nihil aliud requirat Deus ad excuſationem majorem.* Et in libro de fide & operibus ſanctus Auguſtinus multis probat ad Pœnitentiam requiri veteris expoliationem ſeu deteſtationem, ac novæ vitæ indumentum, ſeu *diſceſſionem a peccatis, quam baptizandi profitentur.* Et in Homilia ſuper Evangelia Gregorius Magnus: *Pœnitentiam vere agere eſt perpetrata mala plangere, & plangenda*, ſaltem promiſſione & propoſito, *deinceps non perpetrare.* Quem locum ſuis de laica inſtitutione libris, & ſuis ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum literis inſeruerunt, & inſigniter exponunt Jonas Aurelianenſis Epiſcopus, & ſanctus Bernardus. Quare eorum, qui de uno duntaxat e pluribus commiſſis peccato dolent, fraternum odium in corde retinent, aut quovis alio ex capite plenum deinceps non peccandi propoſitum non habent, Pœnitentiam uti falſam merito damnarunt in quinta & ſeptima ſua Romana Synodo Gregorius VII. Pontifex, in Synodis Melphitana, Placentina, & Claromontana Urbanus II. & Innocentius II. in Synodo ſua Lateranenſi. Et hinc recte dicit Tridentina Synodus de Contritione: *Voluntatem peccandi excludat.* Et iterum: *Ac propterea moventur adverſus peccata ſua per odium aliquod & deteſtationem.* Declarat Contritionem eſſe oportere, non de uno duntaxat aut altero, ſed de cunctis commiſſis mortalibus peccatis. Dico, *Mortalibus*: Agitur enim hic de ſola illius, quæ Sacramenti Pœnitentiæ eſt eſſentialis pars, Contritionis neceſſaria materia, quam conſtat eſſe ſola mortalia peccata.

Etiam Patres ad Contritionem requirunt dolorem de peccatis, & propoſitum emendationis.

Cap. 911. Hom. 34.

Ep. 42.

Seſſ. 14. c. 4.

Seſſ. 6. c. 6.

Propoſitum illud eſſe debet de ſolis peccatis mortalibus.

Porro de mortalium peccatorum deteſtatione & odio ſcribit in libris de nuptiis & concupiſcentia ſanctus Auguſtinus: *Multum fallitur homo, qui conſentiens concupiſcentiæ carnis ſuæ, & quod ille deſiderat decernens facere & ſtatuens, putat ſibi eſſe dicendum*, NON EGO OPEROR ILLUD, *etiamſi oderit quia conſentit. Simul enim eſt utrumque: Et ipſe odit quod malum eſſe novit, & ipſe facit quia facere ſtatuit.* Et tales pravæ ſuæ voluntatis & operationis oſores novimus multos. Verum iſta deteſtatio, illudque odium nequaquam ſufficiunt ad Contritionem. *Multum intereſt*, inquit in libris de Sermone Domini in monte laudatus Auguſtinus, *quali Pœnitentiæ ignoſcat Deus.* Eorum, qui ſtatim ſe peccaſſe fatentur, & ita ſibi ſuccenſent ut peccaſſe ſe vehementer nollent, & tamen quampiam iniquitatis ſuæ affectionem retinent, pœnitentiam damnat graviſſime, eſſe dicens non fidelis Chriſtiani, ſed Judæ proditoris. Quod ipſum alii Patres inculcant frequentiſſime, atque ex eadem regula requirit etiam Tridentina Synodus, ut germana Contritio peccatum mortale non duntaxat oderit, ſed & excludat omnem ejus affectum.

Excludere debet affectum omnis peccati mortalis.

L. 1. c. 22.

Dico rurſus, *Affectum peccati mortalis.* Quod enim charitas illa, quæ nobis Chriſtum Dominum ponit in fundamento, ideoque & ad juſtificationem omnino ſufficit, ligna, fœnum, ſtipulas, id eſt, leviores creaturæ amores & ad venialia peccata affectus ſibi compatiatur, manifeſta eſt Apoſtoli in prioribus ad Corinthios literis doctrina. Quis non ſolum Catechumenus aut Pœnitens, ſed & electus fidelis ſemetipſum, propriam vitam aut famam, uxorem, filios, poſſeſſiones, aut alium quemvis humanum diem adfixiva etiam, quæ ſine dolore fruſtrari non poſſit, cupiditate non diligit? Nec perfecta hujus vitæ charitas poſſit omnem iſtum, ſaltem volaticum, adſenſum excludere, adeoque ſi ea excluſio ſit de Contritionis eſſentia, omnes adhuc ſumus in peccatis noſtris, nulluſque aut certe rariſſimus adultus per regenerationis ac reconciliationis Sacramenta juſtificatur. Et hinc in libro de decem chordis declamat S. Auguſtinus: *Quotidiana peccata non poſſunt non ſurrepere in animam propter fragilitatem humanam. Aliud eſt ubi mutes, aliud ubi toleres vitam. Illa mutanda eſt, ſi eras mœchus, noli eſſe mœchus, &c.* A quovis mortali purgandum, in quibuſdam venialibus amoribus ac peccatis dicit vitam patienter tolerandam, iſtudque eſſe notabile inter iſta peccata diſcrimen. Porro patientia non eſt ſine odio & dolore. Et hinc venialibus iſtis amoribus omnino debemus iſtud ipſum, quod involuntariis libidinum motibus nos debere ſcribit in libris de nuptiis & concupiſcentia idem Auguſtinus: *Ut nec ipſi ſint velle debemus, etiamſi in corpore mortis hujus id obtinere non poſſimus.* Motus iſtos debemus deteſtari, & in illos clamare cum Apoſtolo: *Quod odi illud facio, Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et hinc Contritio eſſe omnino debet etiam de venialibus peccatis & ad illa affectibus dolor, deteſtatio, odium, ſed quod ipſos excludi ſolummodo optet & expoſcat, cunctos non excludat. Item eorumdem omnium cavendorum nobis eſſe nequit efficax propoſitum, ſed deſiderium ſolummodo & votum. Et hinc Græci illis, dum ſola ſubjiciuntur clavibus, non ſacramentalem abſolutionem, ſed ſolam admonitionem impendunt: Quod nempe ipſa aliis etiam præter abſolutionem viis remitti Dominus conceſſerit, & concepta de illis Contritio ex jam dictis cauſis quandoque vacillet. Quare nos Latini Sacerdotes, dum ipſa ſola nobis aperiuntur, ſedulo agamus ut adſit firma Contritio, firmum ipſa deinceps vitandi propoſitum, plenaque cuncti ad ipſa affectus excluſio: Hæc enim omnia ſpectant ad Contritionis eſſentiam, ideoque & ad eſſentiam Pœnitentialis Sacramenti.

Non omnis peccati venialis.

Cap. 11.

L. 1. c. 11.

Græci peccatis venialibus non impendunt abſolutionem.

Quomodo ſit a Latinis impendenda.

CAPUT II.

Exponuntur Contritionis neceſſitas, & virtutes adnexæ.

UNdecimus Martini Lutheri per Leonem decimum Pontificem damnatus articulus eſt hic; *Nullo modo confidas te abſolvi propter tuam Contritionem, ſed propter Verbum Chriſti*, QUODCUMQUE SOLVERIS. *Hoc, inquam, confide, ſi Sacerdotis obtinueris abſolutionem, & crede fortiter te eſſe abſolutum, & abſolutus vere eris, quidquid ſit de Contritione.* Hinc quidam exiſtimant quod ad obtinendam peccatorum remiſſionem negarit Contritionem eſſe neceſſariam. Falluntur. Lucet ex articulo duodecimo: *Si per impoſſibile confeſſus non eſſet contritus, ſi tamen credat ſeſe abſolutum, veriſſime eſt abſolutus.* Exponit articulum ipſe Lutherus in Apologia. *Dixi, per impoſſibile. Quia ſatis ſupra dictum eſt fidem ſine Contritione eſſe non poſſe, cum gratia non infundatur ſine magna concuſſione animæ. Volui enim fidei virtutem declarare, quoniam ſola faciat remiſſionem peccatorum. Quod dico, ne quis me putet Contritionem ſeu turbationem illam cordis in cogitatione peccatorum ſuſcitatam negare. Volo eam, ſed dico eam non operari juſtificationem ſeu remiſſionem peccatorum. Fides enim ſeu Verbum Dei juſtificat & purgat.* Ecce in juſtificationis opere neceſſitatem Contritionis nequaquam negat, ſed ſolam cauſſalitatem, hanc plene adtribuens ſoli fidei, qua divinæ, per hæc verba, *Quodcumque ſolveris*, factæ promiſſioni fidis, & ejus vigore credis te abſolutum. Hinc & Leonis Pontificis diploma arguit, quod *doceat ſuper arenam ædificare, & abjecta fide, ſuper Contritionem, opus hominis, pluſquam ſuper Dei Verbum confidere.* Adſtipulatur in Inſtitutionum libris etiam Joannes Calvinus:

Error Martini Lutheri.

Et Joannis Calvini L. 3. cap. 4.

vinus: *Dicimus & nos quodam loco cum pœnitentia obvenire remiſſionem peccatorum, ſed ſimul addidimus pœnitentiam non eſſe cauſſam remiſſionis peccatorum.*

Seſſ. 14. cap. 4. Adverſum ambos Errones edixit ſacroſancta Synodus Tridentina: *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius.* Definit non quovis modo, ſed ad impetrandam, utique incongrue meritorii ac diſponentis principii genere, peccatorum veniam ſemper fuiſſe neceſſariam, ideoque ejus non ſolam neceſſitatem, ſed & cauſſalitatem ſpectare ad immobile dogma Chriſtianum. Ejus dignitatem ac meritoriam cauſſalitatem exponit eleganter in libro de Pœnitentia Tertullianus: *Quam ineptum, quam iniquum, pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum ſuſtinere? Hoc eſt, pretium non exhibere, & ad mercem manum emittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere inſtituit, hac pœnitentiæ compenſatione redimendam proponit impunitatem. Si ergo qui venditant, prius nummum, quo paciſcuntur, examinant, ne ſcalptus, neve raſus, ne adulter, etiam Dominum credimus Pœnitentiæ probationem prius inire; tantam nobis mercem, perennis ſcilicet vitæ, conceſſurum.* Nequaquam de Pœnitentium ſatisfactione agit, ſed de Catechumenorum Contritione. Quod ipſum in libro de *Cap. 5.* Æthiopis Baptiſmo tradit ſanctus Fulgentius, ajens ad peccatorum veniam requiri & Contritionem & Baptiſma, & hoc illius eſſe mercedem: *Ideo quiſque dignus Baptiſmo judicatur, quando præcedit fidei confeſſioniſque meritum, cui tanquam in mercedem ſancti Bap-* *Cap. 14.* *tiſmatis debeat tribui Sacramentum.* Et iterum: *Qua ille juſtitia, qui credulitatis & confeſſionis perſolvit officium, non conſequeretur ſanctæ regenerationis effectum?* Quæ omnia adeo clara ſunt, ut in libro de duabus animabus ſcribat ſanctus Auguſtinus: *Vox eſt iſta naturæ, nullum ſtultum rei hujus notitia deſeruit. Hoc nobis etiam niſi penitus inſitum eſſet, periremus. Poteſt aliquis dicere ſe non peccare, non autem ſibi eſſe, ſi peccaverit, pœnitendum, nulla Barbaries dicere audebit.*

Contritio debet procedere ex fide. Porro Contritioni huic, ut ad peccatorum remiſſionem præparet, ſacroſancta Synodus mandat adeſſe varias virtutes. Prima eſt *concepta ex auditu fides*, qua credamus *vera eſſe quæ divinitus revelata ſunt & promiſſa, atque illud in primis, a Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Licet iſtic de ſola Catechumenorum Contritione loquatur, eandem tamen fidem in Pœnitentibus palam ſupponit. Loquitur adverſus Martinum Lutherum, blaterantem a nobis abjici fidem ac Dei verbum, confidi in humano Contritionis opere, ideoque ſuper arenam ædificari. Ait fidem eſſe primum Contritionis exordium & imum fundamentum, proindeque nec iſtam a nobis abjici, nec hanc eſſe arenam humani operis, ſed cordibus noſtris per Jeſum Chriſtum a Deo infixam petram ſolidiſſime charitatis.

Et habere adjunctam ſpem. Seſſ. 6. cap. 6. Altera Contritionis comes debet eſſe ſpes veniæ, & divinæ miſericordiæ fiducia, qua fidamus *Deum propter Chriſtum fore nobis propitium.* Loquitur Synodus ex prima ad Corinthios Epiſtola, ubi Apoſtolus linguarum, Prophetiæ, virtutum, aliorumque id genus chariſmatum gratias gratis datas adſeverat eſſe duntaxat uſque ad firme plantatam ac radicatam Eccleſiam temporales, ideoque ſuo tempore ceſſaturas, at vero fidem, ſpem, charitatem eſſe excellentiorem, perpetuam, & immobilem totius Eccleſiæ viam, quæ ſemper maneant, & ſine quibus nec acquiri valeat juſtitia, aut peccatorum remiſſio, nec conſervari. Et hinc ad impetrandam peccatorum veniam, non ſolam pœnitentiam *Cap. 20.* requirit in libro de fide & operibus ſanctus Auguſtinus, ſed & illam de divina bonitate fiduciam, qua *omnium omnino præteritorum remiſſionem in Baptiſmo non dubites te accepturum.* Ejus abſentia fratricidæ Cain & Judæ proditoris Pœnitentiam demutavit in intolerabilem conſcientiæ torturam, & laqueum temporalis ac ſempiternæ damnationis. Hinc Fletui, primo Pœnitentiæ gradui ſolemnem deprecationem veniæ, firmæque in Deum & Eccleſiam ſpei profeſſionem primitivus Patrum Canon merito adjunxit.

Et votum Sacramenti. Tertia Contritionis comes debet eſſe propoſitum ſervandi omnia Dei mandata. Tertia Contritionis comes debet eſſe *votum præſtandi reliqua, quæ ad rite ſuſcipiendum* Pœnitentiæ ſeu etiam Baptiſmatis *Sacramentum requiruntur.* Utique dum & Catechumeni & Pœnitentes *proponunt inchoare vitam novam, & ſervare divina mandata.* Loquitur Synodus ex ſancti Matthæi Evangelio, ubi Dominus mandat Apoſtolis, ut baptizandos doceant omnia ſua præcepta. Et hinc quod antiqua baptizandorum profeſſio non ſolum hæc, *Renuncio Diabolo, omnibuſque ejus pompis & operibus*, ſed & hæc contineret verba, *Et conjungor Chriſto*, teſtatur in pluribus locis ſanctus Joannes Chryſoſtomus. Omnem Chriſti legem plene ſervandam ſolenni pacto ac ſtipulatione ſpondebant. Et hinc quaſdam Eccleſias, profeſſionem iſtam non plene exigentes, de Sancto canibus dato & grandi Apoſtolicæ diſciplinæ neglectu culpat graviter & merito in libro de fide & operibus ſanctus Auguſtinus. Ex eodem principio Contritionem paſſim appellat converſionem cordis, quod nempe per ipſam mens noſtra a creaturæ dilectione transferri debeat, non ſolum ad peccati dolorem, odium, deteſtationem, & melioris vitæ deſiderium, ſed etiam ad puram Dei charitatem, & firmam de ejus mandatis exequendis conteſtationem & votum, de quo ſcribit in literis ad ſanctum Paulinum. *Noſtrum votum maximum eſt, quo nos novimus in Chriſto eſſe manſuros.* *Ep. 59. quæſt. 5.*

Quarta comes eſt deſiderium Sacramenti. Quarta tandem Contritionis comes eſſe debet firma voluntas & ardens deſiderium ſuſcipiendi Baptiſmatis, aut reconciliationis, de quo ſacroſancta Synodus: Catechumeni *proponunt ſuſcipere Baptiſmum.* Et lapſorum Pœnitentia *continet non modo ceſſationem a peccatis, & eorum deteſtationem, aut cor contritum, & humiliatum,* *Seſſ. 6. cap. 6.* *verum etiam eorundem ſacramentalem Confeſſionem, ſal-* *Seſſ. 14.* *tem in voto, & ſuo tempore faciendam & Sacerdotalem* *cap. 4.* *abſolutionem.* Loquitur ex ſancti Auguſtini ad Vitalem *Ep. 107.* Carthaginenſem Epiſtola, laudante Eccleſiam, orantem ſolemniter pro Catechumenis, *ut eis regenerationis deſiderium*, atque ita inchoatæ Contritionis plenitudinem *inſpiret.* Et in libris de Baptiſmo adverſum Donatiſtas *Lib. 4. cap.* ſcribit idem Auguſtinus: *Baptiſmus poteſt ineſſe ubi* *25.* *converſio cordis defuerit; converſio autem cordis poteſt ineſſe non percepto Baptiſmo, ſed contempto non poteſt. Neque enim ullo modo dicenda eſt converſio cordis ad Deum, cum Dei Sacramentum contemnitur*, id eſt, negligitur, ac non deſideratur. Et ad Regii Prophetæ verbum, *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum*, ſcribit in explanationibus Pſalmorum: *Non* *Pſal. 41.* *male intelligitur vox eſſe eorum, qui cum ſint Catechumeni, ad gratiam ſancti lavacri feſtinant. Unde & ſolemniter*, utique in Sabbatho Sancto ad regenerantis fontis conſecrationem, *cantatur hic Pſalmus, ut ita deſiderent remiſſionem peccatorum, quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum.* Hocce deſiderium adeo neceſſarium ſemper judicavit Eccleſia, ut ſupremam Catechumenorum claſſem ex Apoſtolico inſtituto vocarit *Competentes*, id eſt, unum aliquid ſimul petentes, de quo laudatus Auguſtinus in Sermonibus de diverſis: *Serm. 8.* *Quid eſt illud unum, quod petunt vel concupiſcunt?* *cap. 1.* *Baptiſmi Sacramenta: ut qui erant vaſa Diaboli, mereantur eſſe vaſa Chriſti.* Parem ſemper de reconciliationis Sacramento fuiſſe rationem, lucet ex ſancto Cypriano, multis in locis adſeverante ipſum nulli lapſorum poſſe impendi, niſi qui ejus diſpenſatricem & cuſtodem Eccleſiam ferventer ac frequenter pulſaſſet. Rationem dant in libro de Baptiſmo Tertullianus, & in laudatis de eodem Sacramento libris laudatus Auguſtinus, adſerentes regenerationis, adeoque & reconciliationis Sacramenta ex Chriſti Domini inſtituto eſſe fidei & Contritionis veſtem, ſubſidiarium auxilium, & neceſſariam noſtræ juſtificationis concauſam, adeoque ſine ejus ſaltem voto & deſiderio nullum poſſe eſſe Contritionis effectum, nullam veram Contritionem.

CAPUT III.

Exponitur Contritionis actus fundamentalis, de quo ſacroſancta Tridentina Synodus: *Deum tamquam omnis* *Seſſ. 6. cap.* *Juſtitiæ fontem diligere incipiunt*, &c. *6.*

Omnis Contritio eſſentialiter eſt Dei dilectio. Seſſ. 14. cap. 4. OMnem veram, licet imperfectam, quæ paſſim Attritio dicitur, Contritionem eſſe eſſentialiter puram Dei charitatem, lucide edicunt verba iſta. Et licet de ſola Catechumenorum contritione loquantur, eandem tamen eſſe de Pœnitentium Contritione rationem, lucet ex ejuſdem Synodi de ipſa verbis: *Continet ceſſationem a peccatis, & eorum deteſtationem.* Utique deteſtationem ortam ex juſtitiæ dilectione. Item ex hiſce verbis: *Quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Utique proxime & ſufficienter. At vero proximam, & licet non niſi cum Sacramento ſufficientem iſtiuſmodi diſpoſitionem debere eſſe charitatem definit alibi eadem Synodus: *Si quis dixerit, ſine* *Seſſ. 6.* *præveniente Spiritus Sancti inſpiratione atque ejus adju-* *Can. 3.* *torio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Voces, *Sicut oportet*, deſumptæ ſunt ex Sancti Auguſtini Enchiridio: *Omnis præcepti finis eſt charitas, id eſt, ad charitatem refertur omne præceptum. Quod vero ita fit vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam chari-*

charitatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus noſtris, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur. Eundem in ſenſum exponit eaſ-
Cap. 25. dem voces in libro adverſus ſermonem Arianorum. Quocirca quemadmodum oportet pœnitere eſt ex fide & charitate peccatum odiſſe ac deteſtari, quod quicumque necdum fecerit, juſtificationis gratia necdum eſt dignus. Dicit namque Sanctus Joannes Apoſtolus: *Qui non diligit, manet in morte.*

Probatur ex Scripturis. Contritionem omnem eſſe eſſentialiter Dei dilectionem clamant Scripturæ omnes Canonicæ, omnes Eccleſiæ Patres, omnes Synodi, quorum omnium cuncta teſtimonia ſi velim adducere, oportebit grandia volumina complere. Et in re lucida piget & memetipſum & Lectorem quaſi fruſtra fatigari. Nonne Propheta dicit
Et quia omnis Dei lex eſt de charitate. voculam, *Dilige*, eſſe breve verbum, in quo omnem legis ſuæ amplitudinem Deus concluſit? Hinc frequentiſſime edicit Auguſtinus: *Dilige, & fac quod vis.* Eandem fuiſſe Sancti Joannis Apoſtoli adſiduam atque extremam vocem adfirmat Sanctus Hieronymus in commentariis Epiſtolæ ad Galatas. Et ipſe Dominus dicit: *Qui non diligit, ſermones meos non ſervat.* Dei & proximi dilectionem ait eſſe unicum ſuum Præceptum, unicum ſuæ prædicationis & paſſionis finem & fructum, unicum ſuarum ovium ab hœdis diſcrimen, & in illo omnem pendere Legem ac Prophetas. Et Apoſtolus Paulus: *Plenitudo legis eſt dilectio. Qui diligit, legem implevit. Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus*, ABBA, PATER. Quæ plurima iſtiuſmodi loca conſiderans Ter-
Cap. 12. tullianus ſcribit in libro de Patientia: *Dilectio ſummum fidei Sacramentum, Chriſtiani nominis theſaurus, quem Apoſtolus totis viribus Sancti Spiritus commendat.* Sine hac nullam impleri legem, nullum ſervari Domini mandatum, nullum mentis noſtræ opus aut motum eſſe quemadmodum oportet bonum clamat adſidue ſanctus Auguſtinus. Cum Apoſtolo adfirmat antiqui & novi Teſtamenti palmare diſcrimen eſſe timorem & amorem, ideoque cunctos, qui Deum adhuc uti Dominum duntaxat metuunt, & non uti Patrem caſte diligunt, etiamnum errare & hærere in veteri teſtamento, ac eſſe carnales minarum ſervos, a Divinæ, quæ ſola dilectione acquiritur, adoptionis & filiationis, ſeu Chriſtianæ juſtificationis gratia multum alienos. Et hinc Dominicam, *Pater noſter*, quam laudata Apoſtoli verba, *Abba Pater*, omnino reſpiciunt orationem non fuiſſe in veteri Teſtamento, & a ſolis Deum caſte diligentibus poſſe veraciter dici, frequenter leges apud Sanctum Joannem Chryſoſtomum. Proinde & per timorem non ſolum citra charitatem de peccatis concepta Contritio eſt Contritionis fucus, non eſt quemadmodum oportet, Evangelicæ Pœnitentiæ legem non adimplet, eſt dolor ſervilis & judaicus, non filialis & Chriſtianus.

Probatur ex Baptiſmali profeſſione. Quod Baptiſmatis effectum ſine caſta Dei dilectione non poſſe accipi docuerint conſtanter Apoſtoli, lucet ex Baptiſmalibus per ipſos inſtitutis profeſſionibus, per quas omnis baptizandus ſolemniter profiteri debet ſe credere, non tantummodo Deum, aut Deo, ſed etiam in Deum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Profeſſionem iſtam frequenter laudat & exponit ſanctus Auguſtinus:
Pſal. 77. *Credere in Deum plus eſt quam credere Deo. Nam & & homini cuilibet plerumque credendum eſt, quamvis in eum non ſit credendum. Hoc eſt ergo credere in Deum, credendo adhærere ad bene operandum operanti Deo*, QUIA SINE ME, *inquit*, NIHIL POTES-
Pſal. 33. TIS FACERE. Et iterum: *Omnes qui credunt in Chriſtum, ſic credunt ut diligant. Hoc eſt enim credere in Chriſtum, diligere Chriſtum, non quomodo dæmones credebant, ſed non diligebant, & ideo, quamvis crederent*, QUID NOBIS ET TIBI, FILI DEI?
Pſal. 77. Hinc etiam ſcribit de carnali Judæorum populo: *Credidit Deo, ſed non credidit in Deum.* Et in tractati-
Tract. 29. bus ſuper ſancti Joannis Evangelium: *Dei opus eſt ut credatis in eum, quem Deus miſit, ut credatis in eum, non ut credatis ei. Sed ſi creditis in eum, creditis ei, non autem continuo qui credit ei, credit in eum. Nam & dæmones credebant ei, & non credebant in eum. Rurſus etiam de Apoſtolis ipſius poſſumus dicere, Credimus Paulo, ſed non credimus in Paulum: Credimus Petro, ſed non credimus in Petrum. Quid eſt ergo credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari. Ipſa eſt fides, quam de nobis exigit Deus, & non invenit quod exigat, niſi donaverit quod inveniat. Non qualiſcumque fides, ſed quæ per dilectionem operatur.* Et
Serm. 60. cap. 2. in Sermonibus de verbis Domini: *Multum intereſt, utrum quis credat ipſum eſſe Chriſtum, & utrum credat in Chriſtum. Nam ipſum eſſe Chriſtum & dæmones crediderunt, nec tamen in Chriſtum crediderunt. Ille enim credit in Chriſtum, qui & ſperat in Chriſtum & diligit Chriſtum. Nam ſi fidem habet ſine ſpe ac ſine dilectione, Chriſtum eſſe credit, non in Chriſtum credit. Qui ergo in Chriſtum credit, credendo in Chriſtum, venit in Chriſtum, & quodam modo unitur in eum, & membrum in ejus corpore efficitur. Quod fieri non poteſt, niſi & ſpes accedat & charitas.* Ex quibus lucide vides eos, qui Baptizandis ſine Dei dilectione promittunt remiſſionem peccatorum, longiſſime abire a doctrina Patrum atque Apoſtolorum, qui ſuo a cunctis Catechumenis ante Baptiſmum reddendo Symbolo dedere hoc caput: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Eadem eſt ratio Contritionis ad Reconciliationis Sacramentum requiſitæ: Quod enim etiam hoc præcedere olim conſuerit ſimilis fidei profeſſio, nobis ſupra dixit ſanctus Epiſcopus Crodogangus.

Quod ipſum lucidiſſime patet ex natura iſtius Sacramenti, ex natura præſertim ſacramentalis confeſſionis & abſolutionis, quam præfiguravit Dominus, dum ſua virtute ſuſcitatum e mortuis Lazarum Diſcipulis tradidit a cadaverinis inſtitis & ligamentis ſolvendum. Confeſſionem a ſolo jam per Deum vivificato ac ſuſcitato peccatore fieri poſſe tradit ſanctus Auguſtinus in Sermo-
Et ex natura Sacramenti Pœnitentiæ. Serm. 8. cap. 1. nibus de verbis Domini: *Quare jam confiteris in accuſatione peccati tui, niſi quia ex mortuo vivus factus? Scriptura quippe ait:* A MORTUO, QUASI QUI NON SIT PERIT CONFESSIO: *Si perit a mortuo confeſſio, qui confitetur, vivit. Et ſi peccatum confitetur, utique a morte revixit. Si peccati confeſſione revixit a morte, quis eum ſuſcitavit? Spiritu mortuum quis ſuſcitavit, niſi qui remoto lapide clamavit*, LAZARE VENI FORAS? *Quid eſt autem foras prodire, niſi quod occultum erat foras prodere? Qui confitetur, foras prodit. Foras prodire non poſſet, niſi reſuſcitatus eſſet.* Et in explicatione Pſalmorum: *Do-*
Pſ. 102. *minus Lazarum voce de ſepulcro ſuſcitavit, ipſe clamando animam reddidit, ipſe terrenam molem terreno ſepulcro impoſitam vicit, & proceſſit ille vinctus. Fit hoc in corde Pœnitentis. Cum audis hominem pœnitere peccatorum ſuorum, jam revixit: Cum audis hominem confitendo proferre conſcientiam, jam de ſepulcro eductus eſt, ſed nondum ſolutus eſt.* Et in alio de
Ser. 44. cap. 6. Domini Verbis ſermone: *Vide genus reſuſcitationis. Proceſſit Lazarus de monumento vivus, & ambulare non poterat. Et Dominus ad diſcipulos:* SOLVITE EUM, ET SINITE ABIRE. *Ille ſuſcitavit mortuum, illi ſolverunt ligatum.* Pergit de quibuſque Pœnitentibus: *Reſurrexerunt jam iſti. Revixerunt quibus diſplicet quod fuerunt. Sed reviviſcentes ambulare non poſſunt. Hæc ſunt vincula ipſius reatus: Opus eſt ergo ut qui revixit ſolvatur, ut abire permittatur. Hoc officium Diſcipulis dedit quibus ait*, QUÆ SOLVERITIS IN TERRA, SOLUTA ERUNT IN CŒLO. Quæ eſt frequentiſſima & conſtantiſſima ſancti Auguſtini doctrina. Eandem in litteris ad Franconem Tungrenſem Epiſcopum ſequitur Nicolaus primus Pontifex: *Poſtquam vivificante gratia te foras vivificatum* *Ep. 43.* *per confeſſionem exeuntem adſpicimus, quem introrſus labe mortuum putabamus, incomparabiliter exultamus.* Et in litteris ad Lotharingiæ Epiſcopos: *Waldrada*, *Ep. 65.* Lotharii II. Regis pellex, *merito inter mortuos reputata eſt, quæ nimirum neque ut viva vocem prædicantium audit, neque in ſuis penetralibus occultata, immo jam fœtida jacens, per confeſſionem foras egreditur.* Apud Baldricum Noviomenſem Epiſcopum in Eccleſiæ Cameracenſis hiſtoria exſtat eruditiſſima Epiſtola, qua Gerardus Cameracenſis Epiſcopus ſcribit ad Archidiaconos Eccleſiæ Leodienſis: *Tunc vera eſt abſolutio Præ-* *Lib. 3. cap. 28.* *ſidentis, cum interni arbitrium ſequitur Judicis. Quod bene quatriduani mortui reſuſcitatio illa ſignificat, quæ videlicet monſtrat, quia prius mortuum Dominus vocavit & vivificavit dicens*, LAZARE VENI FORAS, *& poſtmodum qui vivus egreſſus fuerat, a Diſcipulis eſt ſolutus. Illum porro Diſcipuli viventem ſolvunt, quem Magiſter reſuſcitavit mortuum. Si enim Diſcipuli Lazarum mortuum ſolverent, fœtorem magis oſtenderent quam virtutem. Ex qua conſideratione intuendum eſt, quod illos nos debemus per paſtoralem auctoritatem ſolvere, quos Auctorem noſtrum cognoſcimus per reſuſcitantem gratiam vivificare. Quo contra conſiderandum eſt noſtro non poſſe arbitrio ſolvi, quos internus arbiter nullo ſpiritu ſatisfactionis animavit.* De verbo ad ver-
Lib. 1. cap. 6. bum hæc deſumpſit ex undecima ſancti Eligii Noviomenſis ſeu Tornacenſis Epiſcopi ad Pœnitentes homilia, quæ & ipſe Eligius adfirmat ſe a Sancto Gregorio Magno mutuatum. Quoad ſubſtantiam extant apud Gre-
Lib. 21. cap. 9. gorium in morali expoſitione Prophetæ Job, de verbo autem ad verbum in ſancti Paterii Collectaneis ſuper Evangelium ſancti Joannis. Eodem exemplo & doctrina utuntur in libris de Lotharii Regis divortio etiam
Lib. 2. cap. 16. Hincmarus Metropolita Remenſis, & in litteris ad Gouberium Bonæ Spei Presbyterum ſanctus Ivo Epiſcopus Car-

Carnutensis. Hanc a solo Domino resuscitati, & per Apostolos soluti Lazari allegoriam esse etiam sancti Ambrosii in libris de Pœnitentia, ab omni semper Ecclesia fuisse probatam, ideoque hæreticas Joannis Wicleffi nugas etiam ab ipsa efficaciter expugnari, insigniter & ample ostendit in opere de Sacramentis Thomas Waldensis. At vero vitam illam, quam non Discipuli per Ecclesiæ claves, sed secreto suæ Majestatis opere solus in Pœnitentibus operatur Deus, esse castam Divinæ justitiæ dilectionem, natamque inde peccati detestationem & odium, tradit in Psalmorum Commentariis Sanctus Augustinus: *Vita nostra dilectio est*. Adsidua & nimium manifesta est hæc ejus doctrina, desumpta ex sancto Joanne Apostolo: *Qui non diligit, manet in morte*. Qui ergo diligit, jam vivere cœpit. In tractatu de utilitate jejunii dicit id esse adeo lucidum, ut etiam diabolus sciat *& sentiat vitam nostram esse charitatem*. Hanc doctrinam non penetravit auctor aut conflator horum a Pio V. Pontifice justissime proscriptorum articulorum: *In peccato sunt duo, actus & reatus. Transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam. Unde in Sacramento Baptismi aut Sacerdotis absolutione proprie reatus peccati duntaxat tollitur, & Ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu. Peccator Pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui Pœnitentiam suggerens & inspirans vivificat eum & resuscitat, ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur*. Vera animæ nostræ vita est illi & per actualem charitatem, & per habitualem gratiam unitus Deus: Habitualis gratia, quia non a solis pœnæ, sed etiam a culpæ reatibus liberat, plenamque confert remissionem peccatorum, est unio, inhabitatio, & vita principalior; atque ita peccator, quod illa per Sacramentum diffundatur in nostris cordibus, nequaquam vivificatur a solo Deo, sed etiam a ministerio Sacerdotum. Solus sine adsumpto in ministeriale adjutorium Sacramento Deus solam actualem suæ dilectionis & contriti cordis vitam peccatoribus inspirat, recipiendæ jam laudatæ habituali vitæ dispositionem penitus necessariam: Atque ita lucet sine hac ad istam nemini patere ingressum.

Probatur rursum ex Tridentino Concilio.

Eamdem veritatem palam prædicat sacrosancta Tridentina Synodus, definiens Contritionem esse dolorem, odium, & detestationem de peccato commisso. Esse debet non de incurso peccati supplicio, aut ejus reatu, sed de ipso peccato, adeoque Dei ac Justitiæ dilectio. Etenim odium infamiæ ex dilectione famæ, morbi odium ex sanitatis dilectione, odium captivitatis aut servitutis ex dilectione libertatis, & generatim quodvis cujusvis mali odium nascitur ex dilectione oppositi boni. At vero bonum commisso peccato directe adversum est Divina justitia, seu animam nostram sua inhabitatione justificans Deus, adeoque iniquitatis detestatio & odium nasci non possunt, nisi ex ipsius casto amore. Et hinc ad nescio quem Anastasium scribit beatus Augustinus: *Inimicus Justitiæ est qui pœnæ timore non peccat, amicus autem erit, si ejus amore non peccet. Tunc enim vere timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit*. Est Regii Prophetæ Philosophia: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi*. Pergit Augustinus: *Tantum peccatum odit, quantum Justitiam diligit*. Et in libris de Dei Civitate scribit: *Quod quis sine illiciente amore non habuit, sine urente dolore non perdit. Ex ejus amissione tantum necesse est ut urat dolor, quantum hæserat amor*. Et de fidelibus Romanis, qui in Gothica urbis deprædatione amiserant sua omnia, ait in alio ejusdem operis libro: *Quantum hæc amando peccaverint, perdendo senserunt. Tantum quippe doluerunt, quantum se doloribus inseruerunt*. Loquitur ex Apostolo: *Omnium malorum radix est cupiditas, quam quidam appetentes inseruerunt se doloribus multis*. Dolor & odium sunt proprius, parenti inseparabiliter nexus, & adæquate semper commensuratus, dilectionis fœtus, ideoque commissæ iniquitatis dolorem, detestationem, & odium ex Justitiæ dilectione & nasci oportet, & ejusdem cum ipsa esse modi, ponderis, mensuræ. Adeo fundata est definitio Tridentina. Quod sola Dei dilectio Domini Discipulos & filios a mundi seu diaboli discipulis ac filiis discernat, quod sola ab hœdorum sinistra ad ovium dextram transferat, quod sola nobis Sacramenta prodesse faciat, atque ita illam esse palmarem & fundamentalem Contritionis & pœnitentiæ actum, incessanter Augustinus, Patres omnes, ac res ipsa clamant; verum in re lucida nolim ego Lectorem pluribus fatigare.

Ep. 228. Lib. 2. cap. 7.

C. 143. 144.

Psal. 54.

Cap. 8.

Ep. 144.

Lib. 21. cap. 16.

Lib. 1. cap. 10.

CAPUT IV.

Sacræ Synodi verba, *Deum tamquam omnis Justitiæ fontem diligere incipiunt*, largius exponuntur.

OMnibus fidelibus immo omnibus hominibus nihil magis in voto est quam Deum optimum maximum, licet non intueri, saltem apprehendere, & nihil nobis est magis impossibile. Hanc infirmitatem adjuturus S. Augustinus, nescio cui fratri Consentio suadet prius concipere Justitiam, & ad ejus tunc speciem seu similitudinem concipere Deum. At ecce hinc novus error. *Mihi*, respondit ille, *qui subtilitatem disputationis tepido percipere corde vix possum, videbatur nihil vivum secundum substantiam inesse Justitiæ, ideoque non possum adhuc Deum, id est, viventem naturam, Justitiæ similem cogitare, quia Justitia non in se, sed in nobis vivit, nisi forte non hujus humanæ æquitatis, sed illa, quæ Deus est, sola afferatur esse Justitia*. Existimavit Justitiam non esse vivam atque incommutabilem substantiam, sed inhærens nobis accidens & mobilem qualitatem, ideoque illi cum Deo nihil esse similitudinis aut paritatis. Repostuit vero S. Augustinus aliam esse participatam & cuivis homini propriam, aliam supremam & omni homini communem Justitiam, cujus æquali aut inæquali participatione æqualiter aut inæqualiter justi aut justa sint justi omnes & justa omnia: Eam esse incommutabilem, ac mente nostra longe superiorem omnium justorum regulam, de qua nemo possit, & secundum quam omnes debeant judicare. *Est plane*, inquit, *ille summus Deus vera Justitia, vel ille verus Deus summa Justitia, quam profecto esurire, & sitire, ea est nostra in hac peregrinatione Justitia, & qua postea saturari, ea nostra est in æternitate plena justitia*. Esse dicit & vitam quandam, quæ essentialiter vivat, & sui participatione vivere faciat viva omnia, quæ sit omnis vitæ fons & vita vitarum. Dari item quandam supremam, substantialem, atque incommutabilem bonitatem, pietatem, veritatem, temperantiam, castitatem, sanctitatem, pulchritudinem, cujus participatione & dono sint bona, pia, vera, temperantia, casta, sancta, pulchra, quæcumque sunt talia, & de quibus nemo judicet, sed secundum quas judicari oporteat de istis omnibus, est sublimis & constans sancti Augustini Theologia. Eam non intellexerunt etiam Sophistæ illi, qui apud Matthæum Parisiensem docuerunt *multas ab æterno fuisse veritates, quæ non sunt Deus*. Propositionum, quas Dialectici vocant æternæ veritatis, multitudo dedit ansam errori. Recte vero reposuerunt synodaliter adunati Episcopi: *Hunc errorem prohibemus, & assertores ejus ac defensores excommunicamus. Firmiter enim credimus & adserimus, quod una sola veritas fuit ab æterno, quæ Deus est, & nulla quæ non sit Deus*. Ea est incommutabilis ac suprema veritas, quæ omnes laudatas propositiones sui participatione facit ab æterno veras.

Ep. 228. 222.

Deus est suprema Justitia.

Deus est suprema vita, & omnis virtus.

Et suprema veritas.

Anno 1243.

Omittere nolim quædam sancti Augustini verba in libro de vera Religione: *Quærendum est cur nos offendat, si duabus fenestris non super invicem, sed juxta invicem locatis, una earum major minorve sit, cum æquales esse potuerint, si vero super invicem fuerint, ambæque de medio quamvis impares, non ita offendat ista inæqualitas, & cur non multum curemus, quanto sit una earum aut major aut minor, quia duæ sunt. In tribus autem sensus videtur expetere, ut aut impares non sint, aut inter maximam & minimam ita sit media, ut tanto præcedat minorem, quanto a majore præceditur*. Plures adducit ædificiorum ac fabricarum figuras & proportiones, quarum congruitate aut incongruitate ipse statim sensus delectatur aut offenditur, judicatque rectas esse aut vitiosas. Judicari id dicit ex quadam suprema supra omnem intellectualem creaturam lucente regula & arte, de qua concludit: *Ambigendum non est incommutabilem naturam, quæ supra rationalem animam sit, Deum esse, & ibi esse primam vitam, & primam essentiam, ubi est prima sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium recte dicitur, & ars omnipotentis artificis*. Hanc artem, hanc veritatem, hanc justitiam, hanc castitatem, hanc quamvis regulam adeo nulla humana iniquitas aut machina possit evertere, ut etiam grandes in propriis oculis Theologi, dum quidquam adversum illas conantur facere probabile, revincantur a simplicibus rusticis & imperitis cerdonibus, utique per lumen istud, de quo scriptum est: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Quocirca Deum optimum maximum tamquam omnis justitiæ fontem diligere est lumine isto adflari, suprema justitiæ & bonorum operum

Cap. 50.

Cap. 31.

Quid sit diligere Deum ut o-

omnis justitiæ fontem.

rum regula delectari, amplecti, & sequendam decernere, omniaque adversus illam facta a nobis flagitia seu facinora odisse, & detestari. Hoc, inquam, est Deum Patrem diligere, ejusque cum Spiritu Sancto Divinum Verbum, de quo ad Corinthios scribit Apostolus: *Qui factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, sanctificatio, & redemptio.*

Epist. 1. cap. 1.

Ea est vera Dei dilectio.

Hanc esse veram & germanam Dei dilectionem tradit frequentissime laudatus Augustinus. In libris ad sanctum Pontificem Bonifacium: *Quid est boni cupiditas, nisi charitas?* Et in libris de sanctissima Trinitate: *Quid est dilectio vel charitas, quam tantopere Scriptura commendat, nisi boni amor?* utique non boni Angeli, boni hominis, bonæ animæ, aut cujusvis alterius privati, sed generalis & supremi boni, de quo pergit: *Amandus est Deus, non hoc vel illud bonum, sed ipsum bonum. Quærendum enim bonum animæ, non cui supervolet judicando, sed cui hæreat amando. Et quid hoc nisi Deus? Non bonus animus, non bonus Angelus, aut bonum cælum, sed bonum bonum.* Hoc est, ipsum supremum & incommutabile bonum, fontem omnis boni & bonitatis. Hunc amorem alibi vocat dilectionem & suavitatem justitiæ, bonam voluntatem, amorem honesti, dilectionem gratis amplectendæ pulchritudinis, veri concupiscentiam, amplexum castitatis. Omnia sunt ejusdem rei varia duntaxat nomina: Sunt vera & casta Dei dilectio, at secundum aliud & aliud ejus attributum seu perfectionem. Opera nostra, ut bona sint & Dei legem impleant, ex fontium istorum quopiam debent omnino procedere.

L. 2. c. 9. L. 8. c. 10.

Cap. 3.

Sufficit & requiritur ad implendam Dei legem.

Quæstio est, An talis dilectio sufficiat etiam ad Contritionem? Quæro, *Ad Contritionem?* Quod enim ad cuncta extra Contritionem bona opera, Divinarumque de ipsis legum adimpletionem sufficiat, non possum hærere vel dubitare. Et hinc eos, qui expressam Dei sub explicita Dei ratione dilectionem requirunt, existimo falli. Eorum unus fuit Joannes de Rockyzana, Hussitarum in Bohemia Princeps, ajens hominem omni temporis momento, incessanter & sine interpolatione, sub præcepto teneri ad Deum elicito & expresso actu contemplandum ac diligendum. Eamdem Divinæ contemplationis ac dilectionis perpetuitatem in literis apud Lucam Dacherium exstantibus admodum commendat Odo, vir insigniter eruditus & sanctus, nescio cujus in Gallia cœnobii Clericus Regularis, scribitque: *Hoc quod dico senserunt esse verissimum, qui dixerunt fornicationem esse momentaneum a Christi contemplatione recessum. Perfecti etenim viri internæ dulcedini tanto dilectionis ardore per contemplationem adhærent, ut cum per desidiam, seu per negligentiam, vel modicum ab ea recesserint, fornicatos se judicent.* Scribit ex Divina S. Augustini Patris sui doctrina, recteque adjungit: *Sed hujusmodi castitatem tenere fragilitati nostræ est valde difficile, & pene impossibile.* Eam hac in vita esse dicit rem optationis & voti, non nostrarum virium, aut Divini Præcepti. Joanni item Rockyzanæ in Synodo Basileensi recte respondit Fr. Joannes Raguſinus, Ordinis Prædicatorum tunc Procurator generalis, postea Basileensis Episcopus, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis: *Hoc est proprium Angelorum & Comprehensorum in patria.* Sufficere adserit supremi justi aut boni dilectionem virtualem, quæ quid sit exponi non possit uno verbo, nec est hujus loci. Expressam tamen Dei dilectionem requiri adfirmo ad Contritionem. Requiritur enim expressa professio, qua Catechemenus credere se contestetur in Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, qua expresse contestetur se conjungi Christo, & legem ejus in perpetuum servare; qua tamquam filius prodigus revertatur ad Patrem. Et hinc diserte ait sacrosancta Tridentina Synodus: *Deum diligere incipiunt.*

Sufficit licet non sit expressa.

Tom. 2.

Epist. 1.

Ad Contritionem requiritur expressa Dei dilectio.

Verum quare addit, *Tanquam omnis justitiæ fontem?* Respondeo quod velit dilectionem illam esse gratuitam & castam, de qua in Psalmorum commentario sanctus Augustinus: *Deus noster laudetur voluntate, ametur charitate. Gratuitum sit & quod amatur, & quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, & non propter aliud. Si enim laudas Deum, ut det tibi aliquid aliud, jam non gratis amas Deum. Erubescres, si te uxor tua propter divitias amaret, & forte, si tibi paupertas contingeret, de adulterio cogitaret. Cum ergo te a conjuge gratis amari velis, tu Deum propter aliud amabis? Quod præmium accepturus es a Deo, o avare? Non tibi terram, sed seipsum servat, qui fecit cælum & terram.* Quis Judæus, quis Samaritanus, quis Platonicus, quis Marcionista non amat Deum? Verum de judaico amore dicit Regius Propheta: *Velut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Exponit in libris de Dei civitate laudatus Augustinus: *Velut pecus*, seu jumentum, *dicit, utique non intelligens. Ea quippe a te desiderare debui, quæ mihi cum impiis non possunt esse communia. Tamen ego semper tecum, quia etiam in carnalium rerum desiderio Deos alienos non quæsivi.* Canis dominum adeo diligit, ut ipsi non solum adsit semper & adhæreat fidelissime, sed & in invasores pro ipso pugnet usque ad sanguinem. Nempe offam sibi diligit, & a domino sperat, ideoque illum non diligit, sed seipsum. Eodem modo idola fugit, & apud Domini altare fidus mansit carnalis Judæus: Ut pecus ob terrena gaudia & semetipsum, non ut homo ob bona rationalia & ipsum Deum, quem proinde tractabat non uti supremum suum Dominum, sed uti satellitem suarum cupiditatum. Eodem modo illum diligunt Platonici, Marcionitæ, immo & Calviniſtæ, Lutherani, & cuncti generatim Hæretici, qui sanctorum Angelorum in futuro sæculo æqualitatem, & alia spiritalia bona ab ipso quidem sperant, verum ad illam formam, de qua in libris de libero arbitrio sanctus Augustinus: *Qui æqualitatem Angelorum desiderant propter inanem gloriam suam, non ideo volunt esse æquales Angelis, sed Angelos sibi. Itaque in tali voluntate perseverantes æquabuntur supplicio prævaricatoribus Angelis, potestatem potius suam, quam Dei omnipotentis diligentibus. Talibus enim ad sinistram constitutis, quia non quæsierunt Deum per humilitatis januam, & immisericorditer superbeque vixerunt, dicetur:* ITE IN IGNEM ÆTERNUM, QUI PRÆPARATUS EST DIABOLO ET ANGELIS EJUS. Æqualitatem istam ambiunt, non ut Deo, in quem rebelles & blasphemi sunt, per ipsam plene subjiciantur & serviant, sed ut curiosæ ac elatæ suæ mentis libidinem expleant, ideoque semetipsos diligunt, non Dominum Deum, eumque & ipsi demutare conantur in ministrum & executorem suarum cupiditatum. Non castam benevolentiam, sed impurissimam avaritiam & concupiscentiam esse istiusmodi dilectionem ostendit eleganter in libris de vita contemplativa Julianus Pomerius: *Qui amicum propter commodum quodlibet amat, non amicum amare convincitur, sed commodum. Et ideo Deus, quo nihil est majus aut melius, propter quid diligitur? Propter seipsum perfecte diligitur. Si vero saltem propter illa, quæ præstat, amatur, non utique gratis amatur, quia jam illud, propter quod diligitur, ei, quod dictu quoque nefas est, antefertur.* Quam germane Christianam doctrinam in litteris ad fratres Carthusienses multum prædicat, & insigniter elucidat etiam S. Bernardus. Hinc ergo sacrosancta Tridentina Synodus illum diligendum definit, non propter nostrum temporale vel æternum commodum, sed propter illummetipsum, tamquam omnis Justitiæ fontem, tamquam supremam & incommutabilem, cui nos plene subjiciamus & perpetuum servire profiteamur, disciplinæ & vitæ humanæ regulam, & ex hac dilectione concipiendum commissorum peccatorum odium & detestationem: Hæc est pœnitentia, quam agi oportet ante Baptismum.

Etiam vita æterna potest carnaliter diligi.

L. 3. c. 9.

L. 3. c. 25.

Ep. 11.

Psal. 53. Deum ut omnis justitiæ fontem diligere & ipsum diligere gratis.

Carnalis & judaica Dei dilectio expositur.

CAPUT V.

Exponuntur varii Divinæ dilectionis gradus seu species.

VArias Divinæ dilectionis classes seu gradus distinguit in libro de natura & gratia sanctus Augustinus, dicens aliam charitatem esse inchoatam, aliam provectam, aliam magnam, aliam perfectam. In quinto & sexto super Joannis Apostoli literas tractatu distinguit charitatem natam, nutritam, adultam, robustam, & perfectam. Adultam, robustam, ac perfectam laudat in literis ad Anastasium: Nunc hanc, nunc illam laudat ubique passim. Etiam nata seu inchoata charitas est illi duplex; Nempe & prima, qua legi Dei secundum interiorem hominem condelectari incipimus, charitatis scintilla, seu prima & adhuc bonæ voluntatis exordia; nec non & prima Divinæ bonitatis super omnia, non quoad vires, & effectum, sed quoad solum affectum dilectio. Grande est inter hasce charitates discrimen, utramque tamen quandoque ex aliis & aliis principiis vocat natam duntaxat & inchoatam. Priorem subinde etiam vocat solummodo conceptam.

Cap. 70. Diversi Divinæ dilectionis gradus.

Ep. 144.

Dei item super omnia charitatem in eam, quæ viribus & effectu, & in eam quæ solo adfectu talis sit, distinguit admodum frequenter, præsertim in libro de gratia & libero arbitrio: *Qui vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam; poterit autem, cum magnam habuerit ac robustam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc est, magna charitate fecerunt, de qua charitate ipse Dominus ait:* MAJOREM HAC CHARITATEM NEMO HABET, QUAM UT ANIMAM

Alia quoad vires & effectum, alia quoad solum affectum est super omnia.

MAM SUAM PONAT PRO AMICIS SUIS. *Ipſam charitatem Apoſtolus Petrus nondum habuit, quando temere ter Dominum negavit. Et tamen quamvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino:* ANIMAM MEAM PRO TE PONAM. *Putabat ſe poſſe quod ſe velle ſentiebat.* Dei ſuper omnia quoad ſolum adfectum dilectio eſt illa, qua Deo ſervire, obedire ejus mandatis, & mori potius quam in eorum prævaricationem labi volumus & ſpondemus; qua item mandata illa, dum nulla fortioris tentationis illecebra aut violentia nos pulſat, omnino adimplemus, verum tentationum iſtarum vincendarum vires necdum habemus. Aptiſſimum ad hæc exponenda eſt ſancti Petri Apoſtoli exemplum. Etenim in noviſſima cœna, dum pedes ſeu leviores delictorum reſtantium reliquias a Domino ablutus ſpondebat cum eodem in carcerem & in mortem ire, Dominum ſuper omnia omnino diligebat; verum adfectu tantum, necdum viribus & effectu: Quod enim quæ volebat ac ſpondebat necdum poſſet ſeu valeret, oſtiaria judaici Pontificis ancilla oſtendit. Eandem diſtinctionem ſanctus Auguſtinus laudat in libro de Paſtoribus: *Attendite illos homines volentes bene vivere, jam ſtatuentes bene vivere, & minus idoneos mala pati, ſicut parati ſunt bona facere.* Et de ſancti Petri promiſſione rurſum dicit in ſermonibus de tempore: *Petrus necdum vires acceperat, quibus impleret promiſſum.* Et iterum in alio ſermone: *Fuit quidem* Domini dilectio *in voluntate, ſed non fuit in virtute, ſicut ipſe Dominus dixit,* SPIRITUS QUIDEM PROMPTUS EST, CARO AUTEM INFIRMA. Etiam apud ſanctum Paulum Apoſtolum alia velle duntaxat, alia gratia in nobis operatur & perficere; alius adhuc infirmus eſt in fide, alius autem adhuc robuſtus & firmus, ut neque mors, neque vita, neque infernus, neque Angelus, neque Poteſtas, neque ullius creaturæ amor aut metus ſeparare poſſit a charitate, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Et hinc ſacroſancta Tridentina Synodus rectiſſime in fidei Canonem recepit hæc Auguſtini verba: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Hæc charitatis diſtinctio eſt bene notanda.

Quid ſit Dei ſuper omnia dilectio quoad ſolum adfectum.

Cap. 6.

Serm. 149. cap. 2.

Serm. 127.

Quas nutritæ charitati vires ſanctus Auguſtinus præciſe adſcribat, longa eſt diſcuſſio, & noſtro propoſito non neceſſaria. Adultam vero & robuſtam charitatem patenter exponit in literis ad Anaſtaſium Epiſcopum, de Apoſtoli verbis: *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ, ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad immunditiam, ita nunc exhibete membra veſtra deſervire juſtitiæ ad ſanctificationem,* ſcribens in hunc modum: *Quid eſt ſicut illud, ita & hoc, niſi quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, ſed ipſius libido, voluptaſque peccati, ſic ad juſte vivendum non vos ſupplicii metus urgeat, ſed ducat delectatio charitaſque juſtitiæ. Et hæc quidem, quantum mihi videtur, nondum eſt perfecta, ſed quodammodo adulta juſtitia.* De verbis, *Humanum dico*, pergit: *Non fruſtra præmitteret Apoſtolus,* HUMANUM DICO PROPTER INFIRMITATEM CARNIS VESTRÆ, *niſi quia plus aliquid dicendum fuit, ſi jam illi,* Romani, fideles, *ferre potuiſſent. Plus quippe ſervitutis debetur juſtitiæ, quam peccato ſoleant homines exhibere. Nam pœna corporis, etſi non a voluntate, tamen revocat ab opere peccati. Nec facile quiſquam eſt qui committat quo immundam percipiat voluptatem, ſi cruciatus vindictæ certum eſt continuo ſecuturos. Juſtitia vero ſic amanda eſt, ut ab ejus operibus etiam pœnæ corporales nos cohibere non debeant, atque inter manus crudelium inimicorum luceant opera noſtra coram hominibus, ut quibus placere poſſunt, glorificent Patrem noſtrum, qui in cœlis eſt. Sicut ergo ille eſt nequiſſimus, quæ nec pœnæ corporales deterrent ab immundis operibus ſordidæ voluptatis, ita ille juſtiſſimus, qui nec pœnarum corporalium terrore revocatur a ſanctis operibus luminoſiſſimæ charitatis.* Eam, quæ ſolas mundi ſuaves libidines, adultam; quæ inſuper tormentorum quorumvis atque ipſius etiam mortis terrores & violentias ſuperare poſſit, ait eſſe charitatem robuſtam. Denſiſſima & lucidiſſima eſt hæc Auguſtini doctrina, cujus teſtimonia omnia qui deſcribere voluerit, implebit grande volumen. Et hanc charitatem habuere Martyres omnes, habereque debent Eccleſiæ Paſtores, utpote quorum ſit pro fratribus animas ponere, & habere non vana martyrii deſideria, ſed fidem Martyre dignam.

Quid ſit adulta charitas, quid robuſta.

Ep. 144.

Noſtro in corpore robuſta ætas ſemper ſupponit ac includit adultam, nemoque eſt plene validus, niſi plene adultus. Non ſic in charitate. Plures enim eſſe ac fuiſſe mulieres, quæ martyres eſſe poſſint, & tamen nequeant Virgines permanere, advertit in libro de bono conjugali, & in libro de ſancta virginitate B. Auguſti-

Subinde inter ſe varie commiſcentur. Cap. 23. Cap. 44. 47.

nus. Quoſdam item in equuleo, ungulis, cataſta, & aliis exquiſitis gentilium tormentis fuiſſe conſtantiſſimos, ad Regii autem fiſci minas, & inde ſecuturam ſuarum prolium perpetuam paupertatem defeciſſe a Divini nominis confeſſione, authentica Martyrum Acta teſtantur. Et adverſus Dioſcorum, qui Orthodoxos Epiſcopos ſub impoſitæ hæreſis fuco tamquam Orthodoxiæ Præſes damnarat in Epheſino latrocinio, in Synodo Chalcedonenſi exclamavit Baſilius Seleucienſis Epiſcopus, Iſaurorum Metropolita: *Si apud Judices habuiſſem, martyrium ſuſtinuiſſem.* Quod ipſum ad Conſtantium Auguſtum dixit Sanctus Hilarius Epiſcopus Pictavienſis. Maluiſſent a gentilibus tyrannis tamquam Chriſtiani trucidari, quam a ſimulantibus Orthodoxiam Epiſcopis aut Regibus tamquam hæretici damnari: Vita quam fama inique ſpoliari. Ejuſmodi varias adultæ & robuſtæ charitatis permixtiones in humanis mentibus figit ex occultis ſuæ providentiæ rationibus Divina Majeſtas, ſcribitque de illis in libro de Sancta Virginitate Beatus Auguſtinus: *Latent iſta in facultatibus animorum, tentatione panduntur, experientia propalantur.*

Act. 2.

Cap. 47.

Perfectam hujus vitæ charitatem exponit idem doctor in tractatibus ſuper Epiſtolam ſancti Joannis Apoſtoli: *Sunt homines qui cum patientia moriuntur, ſunt autem quidam perfecti, qui cum patientia vivunt. Quid dixi? Qui adhuc deſiderat iſtam vitam, quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem. Luctatur adverſum ſe, ut ſequatur voluntatem Dei, & hoc potius agit animo quod eligit Deus, non quod eligit voluntas humana. Ex deſiderio vitæ præſentis fit lucta cum morte, & adhibet patientiam & fortitudinem, ut æquo animo moriatur. Iſte patienter moritur. Qui autem deſiderat, ſicut dicit Apoſtolus, diſſolvi & eſſe cum Chriſto, non patienter moritur, ſed patienter vivit, & delectabiliter moritur.* Et in libro de Paſtoribus: *Numquid frumenta timent ne mittantur in horreum? Immo optant vehementer ac deſiderant. Nunquid oves timent ne ponantur ad dexteram? Immo nihil eis tam tardum eſt, quam donec fiat.* Et in commentariis Pſalmorum: *Si veniat tentatio martyrii ducendi.* Perfecti *quid dicunt ex hac opportunitate? Bonum eſt mihi diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Alacres currunt, aut nihil aut modice de terrena fragilitate contriſtantur.* Loquitur ex Apoſtolo loquente ad Philippenſes: *Deſiderium habeo diſſolvi, & eſſe cum Chriſto multo magis melius, permanere autem in carne neceſſarium propter vos.* Et hæc charitas tam adultam quam robuſtam ſemper includit. Etenim qui omnia mundi delectabilia & terribilia cum delectatione & deſiderio perdit ac ſubit, nulla eorum cupiditate aut metu poſſit a Dei dilectione ſuperari.

Quid ſit perfecta charitas. Tract. 9.

Cap. 6.

Pſal. 80.

Idem in libro Apologetico tradit Tertullianus: *Nos* Chriſtiani per quævis mundi hujus mala *nullo modo lædimur, quia nihil noſtra refert in hoc mundo, niſi de eo celeriter excedere.* Et in libro de ſpectaculis: *Mori cum voluptate debemus. Nam quid eſt aliud votum noſtrum, quam quod & Apoſtoli, exire de ſæculo, & recipi ad Dominum?* Et hinc primitivos fideles, quod admiranda hac flamma paſſim arderent, a Gentilibus appellatos fuiſſe dicit *Expeditum mortis genus.* Integras ſane civitates quandoque ad martyrium ſe obtuliſſe, & quaſi ad ſolennes epulas gaudenter properaſſe, ſcribit in libro ad Scapulam, & plures alii authentici Scriptores confirmant. Chriſti Domini Sanguis in ipſorum præcordiis tunc bulliebat: ideoque cum Apoſtolis gaudebant, quoniam digni habebantur pro nomine Jeſu contumelias, carceres, mortem pati. Abſtruſum iſtud & admirabile gaudium animalis homo non percipit: Solus expertus poteſt credere quid ſit Jeſum diligere. Quod item in terræ motibus, horrenda mortis cauſſa, parentes noſtri non timerent, ideoque gentilibus admirationi eſſent, adſerit in ſecunda Apologia Martyr Juſtinus. Defunctum fratrem ſuum Satyrum, ut ſeſe brevi ad Dominum ſequi impetret, obteſtatur S. Ambroſius. Et ad Eccleſiæ Theſſalonicenſis Clerum de defuncto nuper eorum Epiſcopo S. Acholio ſcribit: *Cupiebat Apoſtolico Spiritu jam dudum terras relinquere, ſed tenebatur votis univerſorum, ſicut de Apoſtolo legimus, quia remorari eum diutius in carne erat Eccleſiæ neceſſarium.* Et in literis ad Horontianum Epiſcopum: *Ubi perfecta charitas, ibi omnis fides, omnis ſpes. Hanc charitatem habens nihil timet. Non poteſt timere martyrium.* Inſigniter id oſtendit.

Cap. 4.

Cap. 18.

Epiſt. 22.

Epiſt. 44.

Patienter vivere eſt ad ipſam omnino neceſſarium: Futuræ vitæ deſiderium debet iſta patientia, quam patenter requirit & Apoſtolus, eſſe omnino temperatum. Et hinc ad ſanctum Antonium, cæleſtis regni longe cupidiſſimum, apud ſanctum Hieronymum dixit S. Paulus Eremita: *Non debes quærere quæ tua ſunt, ſed quæ aliena. Expedit quidem tibi, ſarcina carnis abjecta, Agnum ſequi; ſed & cæteris expedit fratribus, ut tuo inſtituantur exemplo.* Et ad Ancyranam Eccleſiam de defun-

Patienter vivere omnino requiritur ad perfectam charitatem.

Epist. 61. defuncto ejus Episcopo Athanasio scribit Basilius Magnus: *O quoties animum meum non nihil contra hunc virum indignationis subiit, quod totus hoc desiderio tenebatur, ut dissolveretur & esset cum Christo, nec hoc pluris faciebat, ut diutius propter nos in carne maneret.* Et hinc ad lacrymosas filiorum voces: *Cur nos Pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis? Salva sunt tibi præmia, nostri potius miserere quos deseris*, respondit jam cælo vicinus sanctus Martinus: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.* Juxta Apostolum charitas patiens est, & omnia suffert, ideoque nimium Christi Domini & futuræ vitæ fine laudata jam patientia desiderium nescio quid vitii aut imperfectionis habet. Quærit quæ sua sunt, & oritur ex proprio sui amore, qui est venenum charitatis. Esse nos oportet imitatores sancti Salvii Albigensis Episcopi, quem defunctum e cæli gaudiis ad Gallicanas, quod illis a sanctis Angelis judicaretur necessarius, Ecclesias ac vitæ præsentis ærumnas prompte
Lib. 7. c. 1. rediisse laudat in Francorum historia sanctus Gregorius Episcopus Turonensis. Esse item imitatores Apostoli, qui pro fratribus suis Judæis paratus erat separari a futura in perpetuum beatitudine, & a Christo esse anathema: Ita locum istum, adseverans fuisse excessivam charitatem, sanctus Joannes Chrysostomus adsidue exponit. Perfecta charitas est perfecta sub Deo obedientia, ideoque ad omnem ejus nutum debet esse expedita.

Perfecta charitas excludit omnem adfixivum creaturæ amorem. Lib. 1. c. 4. Omnem adfixivum creaturæ amorem non solummodo vincere, sed etiam excludere a nobis debet atque exstinguere. Adfixivum porro amorem exponit sanctus Augustinus in libris de doctrina Christiana: *Frui est amore alicui rei inhærere propter seipsam.* Et in trigesimaseptima homilia: *Ad usum adsumenda sunt* bona temporalia, *non eis vinculo amoris quasi glutino inhærendum. Non faciat tibi membra, quæ cum cœperint præcidi, dolebis atque cruciaberis.* Et in libris de libero arbitrio: *Inhæremus ac implicamur subditi eis rebus, quas nobis subditas esse oportet, quia eis conglutinamur, atque velut membra animi facimus, quod fit amando.* Adfixivus ergo amor est ille, quo possessis seu speratis temporalibus rebus, contra Regii Prophetæ mandatum, cor apponimus, quo eas menti nostræ adglutinamus, & quasi membra facimus, ideoque perdere aut non adipisci non possumus sine dolore. Ejusmodi rerum amissio est quasi animæ ex abscisso membro vulnus, ideoque illa statim gemitus aut lacrymas fundit quasi suum sanguinem, atque ita indiget medicina officiosæ consolationis. Est Apostoli ad Corinthios doctrina, amores istos eleganter vocantis ligna, fœnum, stipulas. Divino nostro fundamento superædificata seu adfixa, ideoque per pœnalem nati ex ipsorum amissione doloris ignem exurenda. Istiusmodi amores omnes perfectæ charitati repugnare, & ab ipsa, ut perfecta sit, debere absumi, non solus Augustinus docet, aut Apostolus Paulus, sed res ipsa clamat: Ea namque charitas debet delectabiliter mori, ideoque non solum aurum, argentum, uxorem, filios, possessiones, sed & propriam vitam cum gaudio & desiderio deponere, quod fieri non possit, nisi extinctus sit omnis amor adfixivus.

Perfecta charitas expellere debet omnem timorem servilem. Cap. 33. Et hinc in prima sua Epistola scribit etiam sanctus Joannes Apostolus: *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Bonorum ac malorum temporalium timorem, de quo Augustinus in libro de Agone Christiano: *Perfecta charitas nec cupiditatem habet sæculi, nec timorem, id est, nec cupiditatem ut acquirat res temporales, nec timorem ne amittat. Per quas duas januas intrat & regnat inimicus, qui prius Dei timore, deinde charitate pellendus est.* Notanda sunt verba, *Prius Dei timore, deinde charitate pellendus est.* Per Dei quippe timorem intelligunt servilem gehennarum metum, adfirmant-
Tract. 9. que etiam illum pelli a perfecta charitate. Quod ipsum lucidius idem Augustinus adseverat in tractatibus supra laudatam S. Joannis Epistolam, & adjungit causam: *Perfecta charitas facit perfectam justitiam, & non habet quare timeat, immo habet quare desideret, ut transeat iniquitas, & Regnum Dei.* Dat omnium peccatorum remissionem, ideoque & bonam ac securam conscientiam, cui firma sit in Deum fiducia, proindeque nullus metus servilis gehennarum. Est porro alius timor castus, quem in sæculum sæculi permanere adfirmat Regius Propheta: Est charitatis non ministeri, sed propria germana proles, ideoque ab illa nequaquam pellitur aut evacuatur.

Volaticos creaturæ amores non excludit. Dixi solos rerum temporalium adfixivos amores pelli a perfecta hujus vitæ charitate. Volaticos enim, quorum objecta sine doloris sensu amittimus, illa non pellit. Quis enim hujus vitæ justus necessariam alimentorum mensuram quandoque non excedit? Quis amœna aura, eleganti fabrica, picto prato, aliisque elegantissimis Dei operibus quandoque non delectatur? Nemo adeo sanctus est, qui vario venialium peccatorum pulvere in dies non maculetur, & singulis momentis ad cælestem Patrem gemere non debeat: *Dimitte nobis debita nostra.* Etiam in bono nos immobiliter & indeclinabiliter non figit hic perfecta dilectio, ideoque qui per ipsam stat, adsiduus vigilare debet ne cadat; cum timore & tremore operari salutem suam, ne quando irascatur Dominus, & pereamus de via justa. Et hinc ad præsentem vitam rediturо sancto Salvio Dominus merito promisit & fecit mali istius securitatem: *Ego sum custos tuus, donec reducam te in hunc locum.* Inter nostram, licet perfectam, & vitæ futuræ charitatem est grandissima distantia: Hæc nos non solum a volaticis etiam amoribus, seu ingeneratæ nobis concupiscentiæ adsensibus levissimis, sed insuper ab ejus motibus integre liberabit, ideoque erit plenissima ex toto penitus corde. Adeo firme nos Deo ac ejus legibus adfiget, ut ipsas infringere nec volituri simus, nec valituri. Et has & alias utriusque charitatis differentias insigniter & ample illustrant sanctus Augustinus, sanctusque Bernardus. Verum hæc necessaria non sunt proposito præsenti.

CAPUT VI.

Quanta & qualis charitas requiratur ad Contritionem generatim sumptam.

Aliqui ad Contritionem requirunt charitatem robustam, Homil. 21. QUidam requirunt charitatem robustam. Fundare se possint in sancti Joannis Chrysostomi ad populum Antiochenum homiliis, dicentis de prærequisita ad Baptismum Pœnitentia: *Pœnitentiam agens non eadem amplius attingit negotia, quorum pœnituit, ideoque jubemur dicere*, ABRENUNCIO TIBI SATHANA, *ne amplius ad eum revertamur.* Per Baptismum deleri dicit sola peccata seu culparum reatus, nequaquam vitia aut vitiosas consuetudines, ideoque illas longa virtutum ante Baptismum exercitatione delendas, parandasque vires, quibus percipiendam in Baptismo gratiam & vestem nuptialem custodire valeamus. Easdem vires in homilia de non contemnenda Dei Ecclesia ac Divinis *Tom. 7.* Mysteriis requirit ad legitime percipiendam Eucharistiam, utpote ignem cælestem & arcanam flammam, de qua pergit in homilia de sancto Philogonio Patriarcha Antiocheno: *Ne igitur accesseris stipulam adferens, non ligna, non fœnum, ne augeat incendium, exurasque animam, sed accedens feras lapides pretiosos, aurum, argentum, quo puriorem reddas materiam, multoque cum lucro discedas.* Et in homiliis supra primam ad Corinthios Epistolam mandat communicationem esse a cupiditatibus immunem. At vero a ligno, fœno, stipulis, seu adfixivis creaturæ amoribus immunis, soloque bonorum operum auro, argento, & pretiosis lapidibus ornata charitas est patenter ad minus robusta. Et ipsa profecto naturalis ratio portandum in vase fictili thesaurum nemini credat, nisi qui habuerit prudentiam & vires illius ab omni periculo conservandi. Et hinc Regi, qui volens committere bellum adversus alium Regem, sedens prius computat sumptus necessarios, si possit cum decem millibus occurrere millibus viginti, ne fœdam postea pacem cogatur supplicare, Baptizandum comparat in Evangelio Dominus, mandatque illi ad pugnandum cum diabolo & ejus Angelos expugnandos adesse non solummodo voluntatem & adfectum; sed etiam robur & vires. Parabolam istam Sancti Ecclesiæ Patres ita passim exponunt, & nominatim in literis ad Hilarium Syracusanum sanctus Augustinus. Hinc item *Epist. 89. quæst. 4.* Catechumenos & Pœnitentes multis per annos probationibus exercuit olim & scrutata est Ecclesia, ut nempe illis validam, qua percipiendum donum custodirent, charitatem conciliaret. Hinc item proxime ante doni impartitionem illos Sathanæ & ejus operibus renuntiare, & cum Deo Patre ac Filio ejus JESU CHRISTO solenniter coram multis testibus stipulari jussit, non solum de prompta ad Evangelicæ vitæ custodiam voluntate, sed & de futura ejus sub horrendis reatibus custodia. Quæ stipulatio palam videtur supponere sufficientes vires. Quis enim stipuletur rem, cujus sibi non speret adesse potestatem? Et hinc illos, qui postea lapsi declararunt laudatas vires sibi stipulantibus defuisse, Sanctus Cyprianus & alii Patres passim dicunt solis verbis, & non factis, adeoque dolose & mendaciter renuntiasse. Hinc item Godescalcus, monachus miserabilis, sacratissima & verissima Exorcismi, Baptismi, Chrismatis, Eucharistiæ, & manus impositionis Sacramenta illis, qui post eorum perceptionem pereunt, dixit frustratorie & perfunctorie fuisse data, ipsosque per illa nec justificatos, nec redemptos. Ita eum adseruisse scribit in litteris per Jacobum Sirmondum publicatis sanctus Amulo Archiepiscopus Lugdunensis. Et apud sanctum Augustinum incognitus, vetustus tamen, de salutaribus documen-

mentis libri Author ſcribit: *Charitas, quæ deſeri poteſt, non fuit vera.* Exponit in litteris ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum ſanctus Bernardus: diſtinguens fidem mortuam, ſeu vivificantis dilectionis anima orbam, probatam, ſeu in bonis operibus finaliter perſeverantem, & fictam de qua pergit: *Fictam ego arbitror illam vocari fidem, quæ ſuſcepta quidem ex charitate moveri vita incipit ad operandum, ſed non perſeverans deficit ac moritur tamquam abortiva. Eo utique ſenſu fictam dixerim nominatam, quo vaſa figuli vocamus fictitia, non quia utilia non ſint quamdiu durant, ſed quia fragilia cum ſint, diu minime durant. De hac fidei fictione puto illos notari, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Ex hoc principio ſcribit in Præſcriptionum libro Tertullianus: *Nemo Chriſtianus, niſi qui ad finem uſque perſeveraverit.* Fragilis ergo, licet adfectu ad omnem Dei legem prompta, ſine viribus & robore charitas eſt etiam ficta, & nunquam videtur fuiſſe vera, id eſt, ſufficiens ad effectum Sacramenti.

Cap. 7. *Ep. 42.* *Cap. 3.*

Sufficit quævis licet ſolo adfectu, Dei ſuper omnia charitas.

Reſpondeo tamen omnino ſufficere. Etenim ſanctum Petrum Apoſtolum, dum cum Domino in carcerem & mortem ire ſpondebat, & pedes ablutus Euchariſtiam a Domino perceperat, quis dubitet fuiſſe in vera charitate, & ejus virtute in Baptiſmo juſtificatum? Quod tamen fragilis, parva, infirma, & ſolo adfectu, non robore & viribus ſuper omnia fuerit, ſupra audivimus a ſancto Auguſtino, adfirmatque ipſe Dominus; *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Eidem infirmitati omnes uſque ad acceptum in Pentecoſte Spiritum Sanctum fuiſſe ſubjectos Apoſtolos, conſtantiſſime laudatus Auguſtinus tradit, & vario documento poſſit lucide oſtendi. Non ſolis aurum, argentum, ac lapides pretioſos, ſed & ligna, fœnum, ſtipulas ſuperædificantibus, varieque adhuc infirmam charitatem habentibus, Chriſtum Dominum eſſe fundamentum, id eſt, juſtitiæ & ſempiternæ vitæ per Sacramenta ſua impartitorem, ſcribit ad Corinthios Apoſtolus Paulus. Et Regius Propheta cantat: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur.* Exponit in libris de Baptiſmo laudatus Auguſtinus: *Sicut in Sacramentis veteris Teſtamenti vivebant quidem ſpiritales, ad novum ſcilicet teſtamentum, quod tunc occultabatur, occulte pertinentes; ſic & nunc in Sacramento novi Teſtamenti, quod jam revelatum eſt, plerique vivunt animales. Qui proficere ſi nolunt ad percipienda quæ ſunt Spiritus Dei, ad vetus Teſtamentum pertinebunt. Si autem proficiunt, & antequam capiant ipſo profectu & acceſſu ad novum pertinent, etſi prius, quam ſpirituales fiant, ex hac vita rapiuntur, cuſtoditi per Sacramenti ſanctitatem in terra viventium computantur, ubi eſt ſpes noſtra & portio Dominus. Nec invenio, quid verius intelligatur in eo, quod ſcriptum eſt,* IMPERFECTUM MEUM VIDERUNT OCULI TUI, ET IN LIBRO TUO OMNES SCRIBENTUR. Solum proficiendi ſtudium & promptum adfectum requirit, non robur aut actualem profectum. Iſtud vero proficiendi ſtudium & charitatis adfectum eſſe Baptizandis ac reconciliandis penitus neceſſarium affirmat palam & in hoc ipſo loco, & in aliis infinitis. Eandem ſemper fuiſſe univerſalis Eccleſiæ immobilem fidem edicunt ac evincunt Baptiſmales renuntiationes, quas ex caſto in Deum & ejus legem adfectu oportere, ac ſemper oportuiſſe fieri, nemo Chriſtianus auſit vel ambigere, longe minus inficiari. Et hinc de Catechumenis dicit ſacroſancta Synodus Tridentina: *Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſus peccata, utique omnia, per odium aliquod & deteſtationem.* Hanc dicit eſſe pœnitentiam, quam ante Baptiſmum oportet agi.

Lib. 1. cap. 15.

Et omnino requiritur.

Sanctus Joannes Chryſoſtomus exponitur.

Sancti Joannis Chryſoſtomi in oppoſitam partem adducta teſtimonia continent conſilium, non præceptum. Loquitur ex illis principiis, ex quibus parvulorum & Clinicorum Baptiſma non plene probavit, quod ambo paſſim tepide viverent poſtmodo, & a percepta gratia frequenter laberentur, utique ob non peracta Catechumenatus exercitia, perceptumque Sacramentum ante roboratam ac valide radicatam Dei ac divinæ legis dilectionem. Et quidem Clinicos eodem ex fundamento ſuſpectos olim habuit omnis ſub cælo Eccleſia, ideoque irregulares cenſuit, & arcuit a Clero. Eveniebat enim paſſim ipſis, quod evenire hodie videmus illis monachis, quibuſcum diſpenſatur in tempore aut rigore Novitiatus. Eos tamen fuiſſe, licet cum infirma & quoad ſolum adfectum ſuper omnia charitate, fructuoſe Baptizatos ac reconciliatos, donatoſque pleno utriuſque Sacramenti effectu, palam agnoſcit laudatus Chryſoſtomus, multis oſtendit in litteris ad Magnum Epiſcopum ſanctus Cyprianus, crediditque ſemper Eccleſia univerſa. Memoratum Chryſoſtomi conſilium quidam hodie Pœnitentiales Presbyteri æmulantes, grandes peccatores ſibi confeſſos ad reconciliationis, ac præſertim ad Euchariſtiæ gratiam non ſtatim admittunt, ſed prius in meliori vita roborari, a ſemetipſis in illo robore probari, & tunc ad ſuas aures & manus reverti jubent. Quæ diſciplina eſt omnino probanda: opus tamen omnino eſt etiam ſpiritu diſcretionis.

Et ab hoc conſilio & ſenſu, longe abfuit miſerabilis monachus Godeſcalcus, redargutus graviter a laudato Amulone Archiepiſcopo Lugdunenſi. Redargutus fuit delirare cum impuro Joviniano, adverſus quem ſcribit ſanctus Hieronymus: *Secunda Joviniani propoſitio eſt, eos, qui fuerunt baptizati, a diabolo non poſſe tentari. Et ne hoc ſtulte dicere videretur, adjecit: Quicumque autem tentati fuerint, oſtendi eos aqua, & non ſpiritu baptizatos. Quod & in Simone mago legimus.* Fundamentum ejus erat male intellectus ſanctus Joannes Apoſtolus: *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet; & peccare non poteſt, quia ex Deo natus eſt.* Quem errorem Joviniano adſcribit in libro de hæreſibus etiam ſanctus Auguſtinus. Eos ergo, qui poſt Baptiſma tentantur & cadunt, non ſolum robuſta, ſed omni penitus charitate & juſtitia caruiſſe ſemper, homo imperitus deliravit. Et hinc ſancti Auguſtini de victrice Dei gratia & efficaci Prædeſtinatione doctrinam de eodem errore infamare nitens Semipelagiana Gallorum factio, ei apud ſanctum Proſperum impegit hunc articulum: *Quod ab eis, qui non ſunt prædeſtinati ad vitam æternam, non auferat percepta Baptiſmi gratia originale peccatum.* Eandem infamiam, quin & omnem tunc nati Prædeſtinatiani erroris fabulam, Auguſtini diſcipulis improperare perrexit ejuſdem factionis progenies, atque hinc aliqui impactam volunt etiam miſerabili Godeſcalco. Eſt quæſtio inter eruditum Gilbertum Manguinium & Ludovicum Cellotium acriter agitata. Ex ipſa quicumque illorum vincat, nihil educi poſſit adverſus meam adſertionem.

Et Godeſcalcus.

CAPUT VII.

Exponuntur verba ſacroſancti Tridentini Concilii: *Etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare priuſquam Pœnitentiæ Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſa nihilominus reconciliatio ipſi Contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſt adſcribenda.*

AN ſola ſine actuali Sacramento contritio quandoque juſtificet, donetque Catechumeno aut Pœnitenti remiſſionem peccatorum, eſt antiqua quæſtio, de qua in generali totius mundi hiſtoria ſcribit, de Valentiniano II. Imperatore agens, Otto Epiſcopus Friſingenſis: *Hic eſt Valentinianus, qui a Sancto Ambroſio Catechumenus factus, antequam gratiam Baptiſmi perciperet, morte præventus eſt. Qua de re prædictus Epiſcopus Epiſtolam lugubrem dictavit. In qua ab eodem reperitur dictum:* QUIA QUEM IN CHRISTO REGENERATURUS ERAM, AMISI, IPSE VERO GRATIAM, QUAM POPOSCERAT, NON AMISIT. *Ex qua authoritate quidam noſtri temporis Theologi divinantur poſt promulgatam ſententiam Evangelii qua dicitur,* NISI QUIS RENATUS FUERIT &c. *aliquos ſine Sacramento Baptiſmi, vel effuſione Sanguinis ob teſtimonium Paſſionis Chriſti, vel atteſtatione Dominica poſſe ſalvari, ſic ratiocinantes, quod non alligavit Dominus Sacramentis potentiam ſuam. Non bene conſiderantes quid ſecundum quid loquuntur auctores, quid opinando, quid aſſerendo, quid ex magnitudine doloris ſemet conſolando. Quod tamen etſi verum ſit, Dei potentiam regulis Eccleſiaſticis vel Sacramentis non cohiberi, mihi tamen, qui Chriſtiana regula ſtringor, neceſſarium erit credere, præter hoc neminem poſſe ſalvari. Quare quamvis Deo, tanquam omnipotenti, judæum vel gentilem, vel non baptizatum ſine effuſione ſanguinis vel atteſtatione propriæ poſſibile, & ita divina potentia in talibus, non ſibi, ſed mihi alligatur. Et mirum, ſi hoc pietate ducti dicunt, quare non eadem pietate hoc de parvulis ſentiunt. Quod ſi objiciant, quod iſti tanquam adulti credere poſſunt, quod non illi; audiant quod illi ſolo delicto originali obligati tenentur, quod non iſti. Reſtat ergo ut nos cum illis, & illi nobiſcum divinam admirentur in talibus, non diſcutiamus potentiam, exclamantes cum Apoſtolo* O ALTITUDO. Loquitur adverſus ſanctum Bernardum, qui ex laudato ſancti Ambroſii ſermone, & ſancti Auguſtini de Baptiſmo libris, tanquam ex duabus Chriſtiani dogmatis immobilibus columnis, oppoſitam ſententiam in litteris ad Hugonem de ſancto Victore conſtanter defendit. Verum uterque Doctor de

Lib. 4. cap. 18.

Otto impugnat Sanctum Bernardum Ep. 78.

ſolo mortis articulo, & obtinenda tunc per ſolam ſine actuali Sacramento Contritionem juſtificatione diſputat, atque ita & anterioribus & poſterioribus temporibus mota fuit & alia quæſtio, An detur quæpiam adeo perfecta Contritio, quæ ſola ſine Sacramento ex ſtata Dei lege juſtificet, donetque remiſſionem peccatorum.

Error variorum hæreticorum. Apud Tertullianum in libro de Baptiſmo Cajani, apud ſanctum Auguſtinum Manichæi, & apud Theodoretum in quarto hæreticarum fabularum libro Meſſaliani ſacroſanctum aquæ Sacramentum exſufflarunt uti ſuperfluum, ſalvari nos & juſtificari volentes ſola fide & charitate. Errorem reſumpſit Almaricus, Theologus Pariſienſis, qui tria tempora, primum veterum, ſecundum novorum Sacramentorum, ſine Sacramentis tertium diſtinguens, ſuis diebus dixit currere tertium, ideoque Baptiſmum, Confeſſionem, Euchariſtiam, aliaque externa ſalutis adjutoria ceſſare, & homines juſtificari *A.* 1209. per ſolam charitatem. Ita in Philippi Auguſti, Francorum Regis, vita ſcribit Rigordus. Et ſeptimus Joannis Wicleffi per Synodum Conſtantienſem damnatus articulus eſt: *Si homo debite fuerit contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſuperflua & inutilis.* *C.* 147. Errorem latius exponit Thomas Waldenſis. Etiam Petrus Oſma, per Sixtum IV. Pontificem damnatus, ſacramentalem peccatorum confeſſionem garriit eſſe humani duntaxat juris, ideoque ſolam Contritionem juſtificare. Et ab hiſce fabulis Martinus Lutherus & Joannes Calvinus admodum modice recedunt: Baptiſmi enim & Pœnitentiæ Sacramenta omni in noſtram juſtificationem cauſalitate ſpoliare conantur, eamque tranſcribere ſolam fidem.

Opinio quorundam Theologorum. Quidam porro hodie in Eccleſia Theologi, licet laudata Sacramenta profiteantur media neceſſaria, Catechumenos tamen ac Pœnitentes quavis, quæ Dei dilectionem adfectu ſuper omnia & ſuſcipiendi ſuo tempore Sacramenti votum includat, Contritione exiſtimant ſtata atque infallibili lege juſtificari, & hanc eſſe quam ſacroſancta Tridentina Synodus dicit eſſe charitate perfectam. Fundant ſe in variis divinæ Scripturæ teſtimoniis. In Regii Prophetæ pœnitentiali voce, *Peccavi Domino*, cui ſtatim Propheta Nathan ſubjunxit: *Dominus tranſtulit peccatum tuum.* Et trigeſimo primo Pſalmo: *Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei.* Ex Eſaja *Cap.* 18. Propheta juxta ſeptuaginta editionem: *Si reverſus ingemueris, tunc ſalvus eris.* *Cap.* 30. Ex Propheta Ezechiele: *Si impius averterit ſe ab injuſtitia ſua, iniquitatum ejus non recordabor amplius.* *Cap.* 8. Epiſt. 1. cap. 4. Ex Proverbiis: *Ego diligentes me diligo.* Ex ſancto Petro Apoſtolo: *Univerſa delicta operit charitas*: Ex ſancti Joannis Apoſtoli litteris: *Translati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Ex Domini verbo apud ſanctum Lucam Evangeliſtam: *Remittuntur ei peccata multa, quo-* *Cap.* 7. *niam dilexit multum.* Ex alio ejus apud ſanctum Joannem verbo: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.* Adducunt loca ſimilia plura, atque ex illis ſibi perſuadent nullam eſſe veram Dei ſuper omnia charitatem, cui ſtatim Deus non retribuat remiſſionem peccatorum.

Quædam Dei charitas ſine Sacramento omnino juſtificat. Dari talem charitatem, omnino profiteor. Diſerte enim ſacroſancta Tridentina Synodus docet definitam a ſe Contritionem aliquando eſſe charitate perfectam, hominemque per ipſam Deo reconciliari priuſquam Pœnitentiæ Sacramentum actu ſuſcipiatur. Notanda eſt vox, *Aliquando*: Edicit perfectionem iſtam non ſemper Contritioni, ſeu non omni, quæ veram tamen Dei ſuper omnia charitatem includere debet, Contritioni adeſſe. Dei ſuper omnia quoad affectum dilectio ineſſe debet ac ſemper ineſt etiam imperfectæ ex gehennarum aut aliarum pœnarum ſervili metu conceptæ Contritioni, quam tamen ſine Sacramento non juſtificare, eadem Synodus diſerte definit. Et quod aliquando duntaxat fit: raro fit. Quæ omnis doctrina eſt ſancti Auguſtini. Etenim in libris de Baptiſmo adverſum Donatiſtas dicit quoſdam Catechumenos eſſe *Divina charitate flagrantes;* in libro de fide & operibus ſcribit pleroſque diebus illis, quibus catechizantur, exorcizantur, ſcrutinia ſubeunt, & præſertim quibus ſacrum Fontem competunt, eſſe vigilantiſſimos, charitatis ſtudio ferveOſtenditur ex D. Auguſtino. re, omni cura pendere ab ore Sacerdotum; in Confeſſionum libris collegam ſuum Alipium laudat tanta divinæ dilectionis flamma caluiſſe, ut juvenis nobilis & Afer, frigoris per naturam impatiens, glaciatum Mediolanenſis territorii ſolum per omnem quadrageſimam auſu inſolito calcaret & ambularet nudis pedibus; etiam ſeipſum adfirmat fuiſſe amariſſima cordis Contritione donatum, ſagittatum Dei charitate, liberatum fœdis cupiditatibus, & antea tenaciter dilectas ſuavitates *Cap.* 19. cum gaudio dimiſiſſe; in ſexto adverſus Julianum Pelagianiſtam libro ait Catechumenos plures eſſe correctos a vitiis & recte vivere; in quarto ſuper Sancti Joannis Evangelium tractatu adſeverat quoſdam abſtinere ab omni concubitu, vale facere ſæculo, renunciare poſſeſſionibus in pauperes diſtributis, eſſe inſigni Eccleſiaſticorum dogmatum peritia inſtructos, & multis fidelibus per omnia meliores: Multos etiam cum Catechumenatu etiam monachiſmum percepiſſe, & eundem cum Chriſtianitate fuiſſe profeſſos in Baptiſmo, laudati Auguſtini, Paulini Nolenſis Epiſcopi, & aliorum exempla demonſtrant. Quin & plures certaſſe uſque ad mortem pro Chriſto Domino, fuiſſeque glorioſos, ac in Dei dilectione non ſolum adultos, ſed & robuſtos Martyres quis Theologus ignoret? Et tamen de hiſce cunctis in adducto ſuper Sancti Joannis Evangelium tractatu pergit laudatus Auguſtinus: *Omnia peccata ſuper illos ſunt, & niſi venerint ad ſalutarem Baptiſmum, ubi peccata ſolvuntur, cum omni ſua excellentia non poſſent intrare in regnum cælorum.* Et in tertio decimo tractatu: *Quantumcunque Catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis ſuæ portat, non illi dimittitur, niſi venerit ad Baptiſmum.* Et in laudato adverſus Julianum libro pergit de Catechumeno: *Necdum per remiſſionem peccatorum eſt liberatus.* Et in libris de Symbolo ad *Lib.* 1. Catechumenos: *Catechumeni quamdiu ſunt, ſuper illos* *cap.* 8. *ſunt omnia peccata illorum.* Etiam ſemetipſum, quem divina dilectione & peccatorum Contritione inſigniter arſiſſe jam audivimus, non niſi in Baptiſmo fuiſſe a peccatorum maculis ſeu reatibus liberatum, palam profitetur in libris Confeſſionum. Lucida ſunt ejus verba: *Lib.* 9. *Ea* per ſuperius laudatam charitatem operans fides *me* *cap.* 4. *ſecurum non faciebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per Baptiſmum tuum remiſſa nondum erant.* Et iterum: *Nonne & hoc peccatum cum cæteris horrendis & funereis in aqua ſancta ignoviſti, & remiſiſti mihi?* Et rurſum: *Baptizati ſumus, & fugit a nobis ſollici-* *Cap.* 2. *tudo vitæ præteritæ.* Utique propter illic primitus perceptam remiſſionem peccatorum. Hic eſt enim magnus Baptiſmi effectus, quem etiam reconciliationis Sacramento adſcribit Sacroſancta Tridentina Synodus: *Res* *Seſſ.* 14. *& effectus hujus Sacramenti eſt reconciliatio cum Deo,* *cap.* 3. *quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conſcientiæ pax & ſecuritas cum vehementi ſpiritus conſolatione conſequi ſolet.* Pergit Auguſtinus in quarto ſuper Sancti Joannis Evangelium tractatu: *Quomodo non caruit populus Iſrael populo Ægyptiorum, niſi cum veniſſet ad mare rubrum, ita preſſuris peccatorum nemo caret, niſi cum ad Sanctum Baptiſma pervenerit.* Et in libro de fide & operibus: *Non ſufficit profeſſio receſſionis* a peccatis morta- *Cap.* 11. *libus, niſi etiam lavacro regenerationis cuncta præterita, quæ velut perſequuntur, peccata deleantur: ſicut non ſuffecit Iſraelitis recedere ab Ægypto, niſi ea, quæ inſequebatur, hoſtium multitudo ejuſdem maris fluctibus interiret, qui Dei populo tranſituro, liberandoque patuerunt.* Qua allegoria frequentiſſime utitur non ſolus ipſe, ſed omnis Sanctorum Patrum chorus, conſtanter adſeverans Catechumenorum reatus, ad Ægyptiorum perſequentium exemplar, nonniſi in aquis mori & ſuffocari.

Datur ratio a priori. Palmare hujus veritatis fundamentum produtit ſanctus Auguſtinus in libris de Baptiſmo adverſum Donatiſtas adſerens cordis converſionem & Baptiſmatis Sacramentum eſſe duas invicem neceſſarias humanæ juſtificationis concauſas, & adjungens: *Alterum ſine altero parum eſt, utrumque perficit æternæ* poſſeſſionis *hæredem.* Et in libris adverſus Petilianum Conſtantinenſem *Lib.* 4. Donatiſtarum Epiſcopum: *Alterum ſine altero non per-* *cap.* 21. *ducit ad regnum cælorum.* Et in libro de unitate Eccleſiæ: *Utrumque neceſſarium eſt ad Dei regnum capeſ-* *Lib.* 3. *ſendum, & Baptiſmus & Juſtitia.* Ambas concauſas *cap.* 56. ait eſſe Evangelicam divinæ Majeſtatis legem, ideoque *Cap.* 22. ſine juncto utriuſque concurſu neminem regulariter juſtificari. Et jure merito. Etenim qui dixit: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum*, etiam dixit, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Quo argumento adſidue utitur ſanctus Auguſtinus. Quod ipſum adverſus Cajanos, garrientes, hominem ſola fide juſtificari tradit in libro de Baptiſmo Tertullianus: *Ubi fides* *Cap.* 13. *aucta eſt credendi in Nativitatem, Paſſionem, Reſurrectionemque* Chriſti Domini, *addita eſt ampliatio Sacramento, obſignatio Baptiſmi, veſtimentum quodammodo fidei, quæ retro* in antiquo Teſtamento *erat nuda, nec poteſt jam* juſtificare *ſine ſua* additi Baptiſmi *lege.* Et in libro de Spiritu Sancto magnus Baſilius: *Fides ac* *Cap.* 12 *Baptiſma ſunt duo modi parandæ ſalutis, inter ſe cognati & inſeparabiles. Nam fides perficitur per Baptiſmum, Baptiſmus vero fundamento fidei nititur, & utraque res per Evangelicas* trium divinarum perſonarum invocatrices *voces impletur.* Et in tertia catecheſi ſanctus Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus: *Neque ſi quis aqua baptizatur atque Spiritu, perfectam habet gratiam,*

tiam, neque si quis etiam bene compositis probisque sit moribus, non recipiat autem signaculum per aquam, intrabit in Regnum cælorum. Audax est hic sermo, sed non meus: Jesus enim est, qui hanc tulit sententiam. Vario id divino testimonio confirmat. Et illis qui adolescentem Æthiopem, non per Baptismatis Sacramentum, sed per prævia Catechumenorum mysteria, seu cæremonias volebant fuisse justificatum, respondit Ferrandus Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus: *Magna sequitur absurditas, ut putetur, illis tantum mysteriis sufficientibus & plenam salutem conferentibus, aqua fontis æterni non renasciturum suscipere, sed renatum.* Adolescens ille plene catechizatus, ac insigniter contritus, antequam ad sacrum Fontem perveniret, ex morbi violentia incidit in mentis impotentiam, in ipsa fuit baptizatus, & defunctus. Hinc quidam, Baptisma in amente operari non posse rati, illum per laudatos Catechumenorum mysterioſos ritus opinati sunt justificatum. Necessariam Baptismi causalitatem crediderunt ab his suppletam. At credulitatem istam uti absurdam, utpote quæ non renasciturum, sed jam renatum suscipi a sacro fonte doceret, abjecit Ferrandus, istamque abjectionem sanctus Fulgentius omnino probavit: *Ea mysteria, quæ ante Baptismum in Ecclesia geruntur, concipi spiritualem hominem faciunt, non renasci. Hinc est quod perveniet ad salutem, si quem secunda nativitas educet ad lucem. Ad quam lucem illis homo mysteriis præparatur, sed Baptismatis Sacramento perducitur. Hoc est, quod superius dixi, illis mysteriis esse salutis officium, ut Baptismate salutis effectum.* Actualis Sacramenti causalitatem impetrandæ justificationi docet adeo necessarium, ut a nullo Vicario possit suppleri. Et hinc parvulorum, qui per solum sine propria fide & charitate Baptismum, & quorumdam agonizantium adultorum, qui per solam sine Baptismo aut reconciliatoria absolutione Contritionem justificantur ob extremam necessitatem, justificationem esse quasi heteroclytam, irregularem, privilegiatam, & singularem gratiam, multis in laudato adversum Donatistas libro ostendit S. Augustinus. Et hanc esse avitam & unanimem omnium sub cælo Ecclesiarum doctrinam, possit etiam ex aliis lucidis principiis demonstrari.

Cap. 9.

Sola perfecta charitas justificat sine Sacramento.

Quocirca charitas, quæ etiam sine actuali Sacramento hominem Catechumenum aut Pœnitentem infallibili lege donet remissione peccatorum, easque vires etiam Contritioni communicet, est sola charitas perfecta, quæ vivit patienter, delectabiliter moritur, & omnem rerum creatarum adfixivum amorem in nobis exstinguit. Hanc enim solam patenter laudat sacrosancta Tridentina Synodus, audiens Contritionem aliquando esse charitatem non solum adultam aut robustam, sed etiam perfectam, ideoque tunc hominem Deo, etiam ante susceptum Sacramentum reconciliare. Loquitur ex sancto Augustino in commentario sexti Psalmi: *Perfecta nostra conversio paratum invenit Deum, sicut Propheta dicit,* TANQUAM DILUCULUM PARATUM INVENIMUS EUM. *Dum enim nos convertimur, id est, mutatione veteris vitæ resculpimus spiritum nostrum, durum sentimus & laboriosum ad serenitatem & tranquillitatem divinæ lucis a terrenarum cupiditatum caligine retorqueri, & in tali difficultate dicimus,* CONVERTERE DOMINE, *id est, adjuva nos, ut perficiatur in nobis conversio, quæ te paratum invenit, & fruendum te præbet dilectoribus tuis. Et ideo postquam dixit Propheta,* CONVERTERE DOMINE, *addidit:* ET ERUE ANIMAM MEAM, *tanquam inhærentem perplexitatibus hujus sæculi, & spinas quasdam dilacerantium desideriorum in ipsa conversione patientem.* Aliam, quæ Deum paratum ad nobis donata peccatorum remissione & reddito suæ fruitionis jure miserandum faciat, aliam cordis conversionem seu Contritionem, quæ illum ad gratias istas mox impartiendas non inveniat aut faciat paratum, palam distinguit Augustinus, & istam dicit esse solam conversionem perfectam, quæ animam eruat ab omni adfixiva cupiditate. Quousque ad gradum istum non pertingit anima, quamvis gemebunda & contrita ad peccatorum remissionem anhelet, addit Deum, licet non donet, non esse crudelem, quod nondum anima tam perfecte oret, ut ei dicat: *Adhuc loquente te, dicam, Ecce adsum.* In nono super sancti Joannis Apostoli literas tractatu dicit non ab inchoata, sed a sola perfecta charitate pelli omnem, etiam gehennarum & futuri divini judicii timorem, & dat causſam: *Perfecta charitas perfectam facit justitiam, & non habet quare timeat, immo habet quare desideret, ut transeat iniquitas, & veniat regnum Dei. Perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor tormentum habet. Torquet cor conscientia peccatorum? Nondum facta est justificatio. Est ibi quod titillet, quod pungat. Ideo in Psalmo de ipsa perfectione justitiæ quid dicit?* CONVERTISTI LUCTUM MEUM IN GAUDIUM MIHI: CONSCIDISTI SACCUM MEUM, ET CINXISTI ME LÆTITIA, UT CANTET TIBI GLORIA MEA, ET NON COMPUNGAR. *Quid est,* NON COMPUNGAR? *Non sit quod stimulet conscientiam meam.* Peccatorum remissionem stata atque infallibili lege semper dari Contritioni perfectæ non possit lucidius pronunciare. Perfectam charitatem esse perfectam justitiam adfirmat etiam in libro de natura & gratia, item frequenter aliis in libris adversum Pelagianos. Eandem esse dicit laudatam a sancto Petro Apostolo *bonam conscientiam, & spem in Deum*, id est, conscientiam ab omni peccatorum reatu liberam, quæ cum fiducia expectet a Domino vitam æternam. Ex eodem principio Dominicam orationem, non a Catechumenis aut Competentibus, sed a solis jam per sanctam aquam regeneratis dici permisit antiqua Ecclesia. Quod nempe articulus, *Adveniat regnum tuum*, summum perfectæ charitatis votum, secure dici non possit, nisi a donatis remissione peccatorum. Et hinc articulos varios, qui perfectam charitatem seu Contritionem sine peccatorum remissione, seu cum peccatorum reatu adserebant posse consistere, optimo jure Pius quintus Pontifex damnavit, abolevit, circumscripsit.

Caſ. 70.

Recte vero sacrosancta Tridentina Synodus addit: *Ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Loquitur rursum ex sancto Augustino in libris de Baptismo adversum Donatistas: *Deus sanctificat Sacramentum suum, ut homo, sive antequam baptizetur, sive cum baptizatur, sive postea quandocumque ad se veraciter converso idipsum valeat ad salutem, quod ad perniciem, nisi converteretur, valeret.* Cordis conversionem, & Baptismatis, adeoque & Reconciliationis Sacramentum dicit esse duas justificationis nostræ necessarias concaussas, istamque mutuam necessitatem esse tantam, ut etiam illi, qui ante aut post susceptum Sacramentum justificantur, justificentur per ipsum quod necdum est aut jam præteriit: quia nempe nulla cordis conversio quidquam prodest sine ipsius voto. Hocce adseverat esse adeo necessarium, ut etiam bono latroni non possit defuisse. An actu baptizatus ille fuerit, fatetur ambiguum, definit tamen *sine Sacramenti sanctitate non fuisse, quia non ejus accipiendæ voluntas defuit, sed non accipiendæ forsan necessitas adfuit.* Baptismi susceptio est solemnis ac divinitus instituta Dominicæ Passionis profitendæ formula, ideoque ejus saltem votum omni penitus Contritioni, uti nobilis portio, debet esse incluſum. Etiam Contritioni Catechumenorum Martyrum. Hinc enim ad sanctam aquam, tamquam cervi ad fontes, semper ardentissime anhelarunt, & ipsam sibi per summa licet discrimina impendi procurarunt etiam intra carceres. Plurimis exemplis id possit ostendi. Martyrium non est nisi Baptismi Vicarium, ideoque ejus per votum adjutorio habet omnino opus. Vicarium sine Principalis influxu nequit operari.

Perfecta Contritio, ut justificet, requirit Sacramenti votum.

L. 6. c. 25.
L. 4. c. 23.

CAPUT VIII.

Quæstiones quædam circa justificationem per solam sine actuali Sacramento Contritionem.

PRima quæstio est, An imperfecta Contritio nunquam ante susceptum actualiter Sacramentum conferat remissionem peccatorum? Respondeo adfirmative. Etenim Sacramentorum effectus quandoque sine ipsorum concursu dari a solo Deo, multis tradit in quæstionibus super Numerorum librum, in libris adversus Parmenianum, & in libris adversus Petilianum, qui sola Pontificiæ manus impositione dixerat Spiritum Sanctum inseri, Sanctus Augustinus. Factum id adfirmat & in veteri, & in novo Testamento. Et singulariter de peccatorum remissione dicit in libro Homiliarum: *Qui dimittit per hominem potest dimittere & præter hominem. Neque enim minus idoneus est per se dare, quam per alium.* Et ita frequenter, immo semper adultis factum fuit in veteri Testamento: *Retro*, inquit in libro de Baptismo Tertullianus, *erat salvus per nudam fidem ante Domini Passionem.* Per hanc addit fidei, utique per dilectionem operanti, accessisse Sacramentum tanquam vestimentum: Vestimentum efficax, quod fidei ad hominem Christo Domino induendum ac ejus justitia vestiendum infirmæ atque insufficienti præberet adjutorium ex opere operato. Antiqui ergo ante Domini in carne adventum homines erant in statu illo, in quo Pœnitentes quosdam posuit in libro de Pudicitia lapsus *ad* Montanum Tertullianus: *Et nos pœnitentiam deberi agnoscimus, sed veniam Deo reservamus.* Debebant de peccatis

Contritio imperfecta sine Sacramento quandoque justificat. Quæst. 84. L. 2. c. 15. L. 2. c. 35. Hom. 23. c. 10.

Frequenter id fecit in antiquo Testamento. Cap. 13.

Cap. 19.

catis per charitatem & varia satisfactionis opera conteri, at nullus erat in terris Sacerdos, nullum Sacramentum aut Sacrificium, quod eis daret veniam, quam sibi soli Deus reservabat. Perfecta per statam legem, imperfecta Contritio eos per arbitrariam, cujus consilia nemo hominum penetrat, Divinæ Bonitatis gratiam justificabat, uti factum existimo in Rege David, homicida & adultero, quem in charitate perfectum non fuisse plures existimant, nec sine fundamento. Et peccati translatio, & translationis factæ revelatio fuerunt illi Dei beneficium singulare. Et hinc novi, quod infirmæ nostræ contritioni Baptismi, & Reconciliationis Sacramenta, obtinendæ justificationis efficacia & infallibilia adjutoria providit; per JESUM CHRISTUM Testamenti gratia est incomparabiliter magna.

Quandoque etiam in novo. Quæstio secunda est, An aliqui etiam in novo Testamento fuerint per solam sine actuali Sacramento Contritionem imperfectam justificati? Respondeo affirmative. Quidam id probant ex muliere Samaritana, Zacchæo, Maria Magdalena, bono latrone, & aliis id genus, quos Dominus omnino videtur sine Sacramento justificasse. Res tamen incerta est, & in utramque contradictionis partem ab antiquis Ecclesiæ Patribus disputatur. Quidquid sit, ad propositum nostrum non faciunt exempla ista, duas ob causas. Primo, quod Pœnitentium istorum Contritioni, licet non alicujus Sacramenti, tamen Divinæ vocis, *Hodie mecum eris in Paradiso; Remittuntur tibi peccata tua*, adjutorium accesserit, omnino æquivalens Sacramento. Deinde, nec-
l. 2. c. 15. dum tunc, uti in libris adversus Parmenianum sanctus Augustinus advertit, erat *constitutus ordo Ecclesiæ:* Ex arbitrio, non ex regula Dominus Jesus agebat. Quocirca quærendum est, an post institutum istum ordinem, fixosque nobis novorum Sacramentorum Divinos Canones aliqui unquam fuerint justificati per solam sine Sacramento actuali imperfectam Contritionem? Et respondeo affirmative. Pergit enim laudatis adversus Parmenianum libris S. Augustinus: *Constituto jam ordine Ecclesiæ, Centurionem Cornelium ante ipsum Baptismum, ante impositionem manus, cum eis qui secum aderant, Spiritu sancto repletum Petrus ipse miratus est.* In Cornelio hoc distinguenda sunt duo tempora; primum a prima ejus fide usque ad accersitum & præsentem Apostolum Petrum, secundum a præsente Apostolo usque ad actualem Baptismum: Nequaquam in primo, sed ad secundi duntaxat temporis exordium fuisse peccatorum remissione donatum, est constans doctrina sancti Augustini. Et tamen non sine fundamento donum istud Petrus Apostolus & omnis cum illo novella Ecclesia sunt admirati: Quod nempe extraordinarium, & Divini novelli Canonis dispensatorium esset, tantæque dispensationis causas & laudata Ecclesia, & ipse etiam Apostolus ignorarent. Nullus usque tunc incircumcisus fuerat donatus Baptismo, & e fidelibus Judæis plures circumcisionem esse necessariam ad Baptisma viam opinabantur, ideoque errorem sanaturus Deus optimus maximus Cornelio cuncta Christianitatis charismata impartivit ante Baptismum, atque ita ostendit circumcisionem illi non debere præmitti. Hanc fuisse germanam istius dispensationis causam lucide tradit in libris de sanctissima Trinitate, *Lib. 13. c. 19.* in commentario Psalmi nonagesimi sexti, & in vigesima tertia Homilia laudatus Augustinus, *Cap. 12.* eique alii Patres constanter adstipulantur, atque ita asseverant ab ipso Deo factam Divini Canonis ex tanta totius Ecclesiæ communi causa dispensationem non posse a nobis in regulam verti. Nihilominus Dominum Deum hac dispensatione fuisse etiam ex minoribus quandoque causis usum suadent varia per varios gravissimos Scriptores laudata exempla, quibus alibi producendis ego nec velim nec ausim refragari. Domini miserationes sunt super omnia opera ejus. Sunt interim dispensationes atque exceptiones, atque ita laudatam superius Evangelii regulam stabiliunt ac firmant. Et hinc in eruditis ad Theodosium Episcopum de Pythonissa litteris recte scribit sanctus Gregorius Episcopus Nyssenus: *Tom. 2.* *Postremum caput propositarum quæstionum, quomodo Spiritus ante Baptismum adveniat, ampliori indiget disquisitione atque consideratione.* Quod nempe non regulare, sed dispensatorium sit opus istud, ideoque non fiat passim, sed raro ex gravibus causis.

Tertia quæstio est, An in mortis articulo pius Dominus Deus per specialem quandoque misericordiam suppleat necessariam causalitatem sine culpa nostra deficientis Sacramenti, nosque justificet & salvet ex sola imperfecta Contritione? Antiquissima est hæc quæstio, orta vel potius aucta insigniter ex errore sancti Cypriani, volentis datum in hæresi Baptisma esse irritum & exsufflandum, ac insuper fatentis quod exsuflandi ac repetendi mos ab Agrippino Antecessore suo per Tertullianum, qui Presbyter ejus fuisse existimatur, persuaso & circumscripto originem duxisset. Hinc enim quæstio Jubajani Episcopi: *Quid fiet de his, qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes sine Baptismo admissi sunt?* Damnatos esse & periisse videntur in erronea Cypriani Synodo docuisse Nemesianus Tubunensis, Sedatus Tuburbensis, & Secundianus Episcopus Tambeensis, utique ex Evangelica regula, quæ cordis conversionem & Baptismatis Sacramentum sanxit esse necessarias ac individuas humanæ justificationis causas. Ad eandem sententiam ex eodem fundamento accedit in oratione adversum morosos Baptismi in vitæ finem dilatores sanctus Gregorius Nyssenus Episcopus, argumentum ipsorum, quo susceptum in viridi ætate Sacramentum a se lapsibus maculandum formidare allegabant, refutans: *In electione malorum magis est eligendum, ut salutare lavacrum adsecutus, rursum sit in peccato, quam ut gratiæ expers vitam finiat. Nam peccatum quidem veniam fortasse consequetur aut clementiam, cujus magna est spes apud bonos; alteri autem est omnino vetita salus ex certa & definita sententia. Nam cum audiero vocem, quæ non mentitur, dicentem,* AMEN, AMEN, DICO VOBIS, NISI QUIS NATUS FUERIT DESUPER, NON POTEST VIDERE REGNUM DEI, *nihil boni possim exspectare eis, qui mysteriis non sunt initiati. Quamnam enim revera veniam æquum est impartiri eis, qui Regis gratiam adsecerunt contumelia, æris alieni non admittentes rescissionem, nec amplectentes libertatem, quæ sua sponte ad eos e cælo descendit, per doni autem contemptum, eum qui donavit probro & dedecore adsecit? Animam minime illuminatam, & Regenerationis gratia non ornatam, nescio an Angeli suscipiant, postquam fuerit separata a corpore. Quomodo enim, cum non sit obsignata, nec ullum ferat signum sui Domini, quam est verisimile per aerem ferri errantem & vagantem, & minime quæsitam, ut quæ Domino careat, quærentem quietem & locum in quo maneat, & non invenientem, frustra deflentem, & inutiliter pœnitentem, non secus atque divitem qui induebatur purpura & byssо, quemque lautus & delicatus omnis generis cibus alebat, materiam ignis, qui non potest extingui.* Agit in nobilem virum & strenuum militem Archiam, natum apud Ponticos in civitate Comanorum, qui Catechumenus ex inita adversum Scythas Nomadas pugna lethaliter læsus pro communi patriæ salute, & in extremis clamans, *Montes & sylvæ baptizate, arbores & rupes date gratiam*, sine Baptismi gratia fuerat defunctus. Et adjungit Gregorius: *Quas miserabiles voces cum rescisset Comana, pro cujus salute pugnabat, civitas eas magis deflevit, quam casum belli.* Quod nempe crederet Archiam per solam Contritionem suam, licet ardenti Baptismatis desiderio vestitam, non potuisse in extremo mortis articulo salvari. Pergit Gregorius: *Huic similes sunt ii quoque, qui a morbis repente opprimuntur*, qui oppressi sanctam Aquam, Sacerdotem, aliaque ad Baptismum necessaria inclamantes sine ipso exstinguuntur. Hinc ut omnes illuminationis Sacramentum sani accipiant suo tempore, concludit & serio hortatur. Favet item in libro de adolescentis Æthiopis, qui post peractos exorcismos, scrutinia, catechismum, post acceptum cum Dominica Oratione Symbolum, adeoque & post competitum Sacramentum subito ex infirmitate obmutuerat, amiserat sensum, atque ita baptizatus obierat; in libro, inquam, de hujus adolescentis Baptismo favet sanctus Fulgentius, Ferrando Ecclesiæ Carthaginensis Diacono roganti: *Ergo salvus esset*, per propriam utique Contritionem & peractos in ipso laudatos ritus Sacramentales, *si nec* *Cap. 8.* *ad ipsam corporis tinctionem perveniisset*, respondens: *Ne quis dicat quod ille salvus esset, si nec ad ipsam tinctionem corporis perveniisset, cum utique non dicamus illum sine Baptismi Sacramento sola confessione potuisse salvari.* QUI ENIM CREDIDERIT ET BAPTIZATUS FUERIT, SALVUS ERIT. *Illum utique adolescentem, quia credidisse & confessum fuisse novimus, ideo per Sacramentum Baptismatis salvum fuisse firmamus. Qui si non baptizaretur, non solum nesciens, sed etiam sciens, nullatenus salvaretur. Via enim salutis fuit in confessione, salus in Baptismate.* Et in libro de fide ad Petrum scribit: *Firmissime tene,* *Cap. 30.* *& nullatenus dubites, exceptis illis qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non hic a malis fuerit per fidem pœnitentiamque conversus, & per Sacramentum fidei & pœnitentiæ*, id est, Baptismum, *liberatus.* Eandem sententiam tutatus est ille, de quo ad Hugonem de sancto Victore rescripsit sanctus Bernardus: *Scribis quemdam adserere, ex quo primum dictum* *Ep. 77.* *a Domino legitur*, NISI QUIS RENATUS FUERIT EX AQUA & SPIRITU SANCTO, NON INTRABIT IN REGNUM CÆLORUM, *ex eo neminem absque eodem actualiter percepto Sacramento, vel ejus vice martyrio, ullatenus potuisse salvari. Sed*

etsi

etsi forte illud quispiam cum vera fide & Contritione cordis expeteret, sed præventus mortis articulo adsequi quod cuperet, non valeret, tamen omnino damnari. Doctor ille videtur fuisse Otto Episcopus Frisingensis, a quo notatum fuisse sanctum Bernardum, est supra dictum. Ambo fuerunt Cistercienses Ordinis grandia luminaria, at non per omnia concordes. Et videtur Otto Catechumenis aut Pœnitentibus, cum sola imperfecta Contritione sine actuali Sacramento morientibus, æternam salutem definitive non negasse, sed uti de re incerta & intra Divinæ miserationis secretissimos thesauros occultata duntaxat hæsitasse. Duram tamen a sancto Bernardo memoratam opinionem videntur omnino tenuisse nescio qui Doctores, quos in literis ad Cremonensem Episcopum, apud Gregorium IX. exstantibus, Innocentius III. Pontifex reprehendit. *Lib. 3. tit. 43. cap. 2.*

Imperfecta Contritio sine actuali Sacramento justificat in articulo mortis.

Ad nostram ergo, etiam sibi propositam a dicto Episcopo, quæstionem respondet laudatus Innocentius affirmative: *Presbyterum, quem sine unda Baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in sanctæ Matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, & cælestis patriæ gaudia esse adeptum adserimus incunctanter. Lege super octavo libro Augustinum de Civitate Dei, ubi inter cætera legitur:* BAPTISMUS INVISIBILITER MINISTRATUR, QUEM NON CONTEMPTUS RELIGIONIS, SED TERMINUS NECESSITATIS EXCLUDIT. *Librum etiam sancti Ambrosii de obitu Valentiniani idem adserentis evolve. Sopitis igitur quæstionibus Doctorum, Patrum sententias, & in Ecclesia tua juges preces hostiasque Deo offerri jubeas pro Presbytero memorato.* Circa Augustini locum, qui non in libris de Dei civitate, sed in libris de Baptismo adversum Donatistas exstat, eruditissimus Pontifex fuit memoria lapsus. Ejus autem definitioni non solus Augustinus & Ambrosius adstipulantur, sed & sanctus Cyprianus, Jubajani Episcopi, quid de hæreticis pœnitentibus, & sine Baptismo usque ad Agrippini Episcopatum in Ecclesiam admissis credendum esset, interrogationi respondens: *Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare, & eos qui simpliciter admissi in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesiæ suæ muneribus non separare.* Quod Responsum magnis encomiis sanctus Augustinus in suis adversum Donatistas Scriptis frequenter exornat. Laudat & aliam sancti Cypriani doctrinam, qua ex boni latronis, cui non baptizato dictum est, *Hodie mecum eris in Paradiso*, salute concluſit Baptismi vicem aliquando suppleri a martyrio, & adjungit in laudatis de Baptismo libris: *Quod etiam atque etiam considerans, invenio non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest.* Latronem illum nequaquam Martyrem, sed duntaxat Confessorem fuisse ostendit insigniter, & pergit: *Sed tunc impletur invisibiliter, cum ministerium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Eadem Evangelica lex, quæ Contritionem & Baptismum sancit esse duas humanæ salutis necessarias concaussas, per solum sine propria Contritione Baptismum dignatur salvare parvulos, & hanc exceptionem statuit in aliam legem. Hinc similem etiam miserationem impendi imperfecte contritis, & Sacramenti copiam non habentibus moribundis adultis solide Augustinus concludit. Amborum justificationem fieri dicit aliquid necessarium per singularem misericordiam *complente Deo*, atque ita esse privilegiatam quasi irregularem, aut certe factam ex regula speciali. Quam omnem doctrinam in laudatis ad Hugonem Victorinum literis eximie illustrat & confirmat sanctus Bernardus. *Lib. 4. cap. 23.* *Lib. 4. cap. 22.* *Epist. 77.*

Cap. 79. Confirmat & quarta Synodus Carthaginensis: *Pœnitentes, qui attente leges Pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.* Et prima Vasensis: *Pro his, qui Pœnitentia accepta in bonæ vitæ cursu satisfactoria compunctione viventes, sine communione inopinato nonnumquam transitu in agris aut itineribus præveniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera ac deinceps memoriam Ecclesiastico affectu prosequendam.* Et secunda Aurelianensis: *Oblationes defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere censemus, si tamen non ipsi sibi mortem probentur propriis manibus intulisse.* Quales Canones adduci possunt multi. Quod istud in substantia ipsum pro Catechumenis defunctis fieri possit, & recte fiat, circa Valentinianum II. Imperatorem docuit S. Ambrosius verbo & exemplo. Neque adversatur prima Bracharensis Synodus: *Placuit ut Catechumenis sine Baptismi redemptione defunctis neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium. Nam & hoc per ignorantiam usurpatum est.* Nequaquam pro illis sacrificia aut alia Ecclesiæ suffragia vetat, sed duntaxat ipsorum nomina, quod certum adversari antiquo Canoni, recitari. Neque id existimo factum a sancto Ambrosio. Nec item pro Presbytero non baptizato fieri jussum ab Innocentio III. Etenim etiam hodie ipsum non facit Ecclesia Romana. Alia est Catechumenorum causa, alia Pœnitentium. Hi quandoque obtulerunt, perceperunt Eucharistiam, & plena communione fuere gavisi, ideoque tamquam in eamdem per extremam in vitæ extremo Contritionem, & a Divina miseratione adjunctum deficientis Sacramenti supplementum restituti, possint facta ad recitatum ipsorum nomen oblatione honorari; at vero Catechumeni morientes, licet eadem via justitiam acquirant, non acquirunt characterem Baptismalem, omnium Sacramentorum januam, ideoque pro ipsis offerri non licet, seu ipsorum nomen in sacrificio recitari. Quidquid sit, adducti Canones lucide confirmant nostram hic adsertionem. *Cap. 2.* *Cap. 15.* *Cap. 3.*

Effectus hic videtur non dari infallibiliter.

Quarta quæstio est, An istud deficientis Sacramenti supplementum Divina miseratio per statam atque infallibilem legem faciat omni Contritioni imperfectæ, cunctisque Catechumenis ac Pœnitentibus, licet tantum imperfecte, contritis? Hæc est quæstio inter Ottonem Frisingensem Episcopum & sanctum Bernardum mota præsertim, cujus hic adfirmativam partem tenuit, ille negativam. Nec aliud sensisse existimo S. Fulgentium, aut sanctum Gregorium Nyssenum. Agit enim hic adversum morosos Baptismi ultra consuetum Catechumenatus terminum dilatores, & de ipsorum duntaxat, licet converso ad Deum corde Sacerdotem & Sacramentum moribundi inclament, salute se multum dubitare dicit, ipsam eis diserte non abjudicat. Et quomodo sanctus Fulgentius, cujus tamen verba duriora fateor, possit a sancto Augustino discordare? Sanctus quippe Augustinus pro solis illis, quos non contemptus seu gravis neglectus, sed mera citra culpam necessitas Sacramento spoliat, in supra adductis locis definit, adeoque de negligentibus, licet in extremis negligentiam purgent, & ex animo ad Dominum clament, videri possit etiam ipse dubitasse. Sane in literis ad Honoratum Tabennensem Episcopum docet hostilis incursionis tempore, quo plurimi Contritione ad Deum conversi Regenerationem aut Reconciliationem, omnes consolationem solent exposcere, Sacerdotes ac alios Ecclesiæ Ministros non posse fugere, & adjungit causam: *Si Ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt?* Eos a vita æterna non excludit, sed ad Divinæ miserationis incertum duntaxat suspendit. Etiam in literis ad Theodorum Forojulienſem Episcopum scribit de infirmis Pœnitentiæ actionem & Reconciliationis gratiam simul poscentibus, & ante hujus perceptionem defunctis, S. Leo Magnus: *Non necesse est nos eorum, qui sic obierint, merita actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ Justitiæ reservaverit, ita potestatem suam timeri volens, ut hic error omnibus prosit, & quod quibusdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali supplicatione solvatur.* In Synodalibus item ad sanctum Cornelium Papam literis omnes lapsos instante nova persecutione reparandos & reconciliandos censuit sanctus Cyprianus, addiditque causam: *Si quis relictis omnibus rebus suis fugerit, & in latebris atque solitudine constitutus in latrones forte incurrerit, aut in febribus aut in languore decesserit, nonne nobis imputabitur, quod tam bonus miles, qui omnia sua dereliquit, & contempta domo, & parentibus, ac liberis, sequi Dominum maluit, sine pace & sine communicatione discessit?* Acriter urget ejusmodi Confessores, licet insigni charitate contritos, mori cum damnationis periculo, ideoque eorum, qui forsan perierint, animas a durioribus, Reconciliationis Sacramentum illis opportune denegantibus, Episcopis in Divino Judicio requirendas. Neque refert quod in aliis ad Thibaritanam Ecclesiam literis adfirmet fugitivos istos Confessores, ac in fuga morientes, esse vere ac plene Martyres: Loquitur enim de fugitivis integris, quibus Reconciliatione non sit opus. Quare videtur incerta esse hæc res, neque profunde nimis inquirenda. Omni cura satagere nos oportet, ut neque sine necessario Sacramento ad Dominum abeamus ipsi, & nemo per nostram negligentiam abire cogatur. *Epist. 180.* *Epist. 91.* *Epist. 54.* *Epist. 59.*

Imperfecta Contritio in mortis articulo semper justificat.

Attamen apud Lucam Dacherium exstat Theobaldi Stampensis, qui sub Paschali II. Pontifice floruit, ad Lincolnienſem Episcopum non inerudita Epistola, cujus hoc exordium: *Si quis prædicat, & prædicando temere*

temere diffiniat aliquem non posse salvari, quacumque hora manus suas Pœnitentiæ dederit, fallitur, nec Catholice sentit. De consequenda per solam sine Sacramento in extremo vitæ spiritu Contritionem salute palam agit, suamque adsertionem vult esse certam, & adeo universalem, ut adjungat: *Augustinus de Sodomitis in lacu submersis tractans dicit, quod quidam ex illis salvati sunt, per bonam compunctionem, & verum cordis gemitum, quia non solum superfluæ cogitationes, sed etiam pravæ actiones ante vim compunctionis fugiunt.* Verum non memini me istud in Augustino legisse. Multo interim Patrum testimonio omnia hæc confirmat Theobaldus, & concludit: *Patet quod quicumque bonam voluntatem habebit in terris, pacem indubitanter & gloriam consequetur in cælis. Amen. Si quis hanc Epistolam improbare voluerit, & hos præfatos Doctores Catholicos recipere noluerit, lapide percutiatur, percussus comminuatur, comminutus in pulverem redigatur.* Eandem sententiam in opusculo de forma sacramentalis Absolutionis tradit Joannes Gerson, & in supra laudatis ad Cremonensem Episcopum literis Innocentius III. Pontifex videtur supponere. Quidquid sit, pium hunc de Divina in nos peccatores clementia sensum passim omnes hodie tenemus.

CAPUT IX.

Discutitur doctrina Eminentissimi Domini Cardinalis Roberti Bellarmini.

Exponitur sententia Cardinalis Bellarmini.

DOminus Cardinalis Robertus Bellarminus, Ecclesiasticæ non solum dignitatis, sed etiam eruditionis ac omnis scientiæ eminentissimo gradu illustrissimus, nostræ, qua solam charitate perfectam contritionem sine suscepto actualiter Sacramento justificare dicimus infallibili extra Martyrii etiam aut extremæ necessitatis articulum lege, adsertioni plene concordat, agens adversus Martinum Kemnitium, hominem Lutheranum, & nescio quem alium in Catholica Ecclesia Doctorem ante annos paucos, *qui in libro, quem de charitate conscripsit, adversus communem sententiam docuit Catechumenis & Pœnitentibus, quamvis perfecte conversis, & charitate flagrantibus, non remitti peccata, sive reatum mortis æternæ, nisi cum vel baptizantur, vel reconciliantur ministerio Sacerdotum, nisi forte in articulo mortis.* Etiam nos improbamus Doctorem istum, ejusque dogma detestamur, atque ideo cum Domino Cardinali plene convenimus. Quia tamen inter veram, flagrantem, & perfectam, seu inter natam, nutritam, adultam, robustam, & perfectam charitatem, varioque isto ejus gradu varie formatam Contritionem laudatus Antistes aperte & diserte non distinxit, sed ex quibusdam verbis videri possit confudisse, labendi quasi ansam quibusdam præbuit, ideoque omnino opus est, ut ejus argumenta, quæ ad lapsum illum purgandum pondere & fundamento non penitus carent, adducam, enodem, aut potius exponam, ostendamque Dominum Cardinalem solis verbis, non sensu mihi adversari.

Exponitur Augustini locus ex 13. tractatu super Joannem. Tom. 3. Contr. 4. l. 2. c. 14.

Ad productum ergo S. Augustini ex tertio decimo super sancti Joannis Evangelium tractatu locum respondet Dominus Cardinalis: *Dico Augustinum loqui de eis Catechumenis, qui negligunt ad Baptismum accedere. Tales enim, quantumvis proficiant, numquam sunt vere justificati, cum nec in re, nec in voto Sacramentum Baptismi habeant, nec vera charitate flagrent. Vera enim charitas, & verum Baptismi votum non permittunt hominem esse negligentem, aut Baptismi contemptorem. Quare locum Augustini,* QUANTUMQUE CATECHUMENUS PROFICIAT, ADHUC SARCINAM INIQUITATIS SUÆ PORTAT, NON EI DIMITTITUR, NISI CUM VENERIT AD BAPTISMUM, *intellige de re aut ardenti & vero desiderio. Nam apud Deum animus pro facto reputatur. Quare idem Augustinus scribit latronem, qui cum Christo crucifixus fuit, non caruisse Baptismo, quia non ejus accipiendi voluntas defuit, sed non accipiendi necessitas adfuit.*

Aug. l. 1. de orig. anim. c. 9.

Responsio latronis illius: *de quo nonnumquam præjudicium captatur, sive tentatur contra Baptismatis Sacramentum,* Baptisma esse incertum. Variat non solus Augustinus, sed Patres passim omnes. Ut ut sit, non facit ad rem præsentem. Ejus enim, qui in Dominum Crucis maledicto adfixum, & omni ludibrio expositum credidit, fidem mire & merito extulit semper omnis Ecclesia, credidit perfectam fuisse, ideoque aptam justificare sine Sacramento. Deinde, Domini ad illum gratiosa vox, *Hoc die mecum eris in Paradiso*, Sacramenti vicem possit omnino suppleviſse. Præterea, necdum tunc erat constitutus ordo Ecclesiæ, ideoque nec Baptisma obligabat. Addo de Baptismi contemptoribus aut neglectoribus Augustinum nequaquam loqui: Loquitur enim de Catechumenis Divina charitate flagrantibus, in operum justitia insigniter proficientibus, & multos fideles præcedentibus, quorum justitia jam superet Scribarum ac Pharisæorum justitiam, & cui ad capessendum regnum cælorum desit solum Sacramentum. At vero *in contemptore Baptismi*, inquit in libro de unitate Ecclesiæ, *non potest esse justitia.* *Cap. 22.* Et in quæstionibus super Exodum: *Contemptor Sacramenti inviſibiliter sanctificari nullo modo potest.* *Q. 84.* Nequit habere charitatem, aut veram Contritionem: quod ei Sacramenti votum sit omnino pars essentialis. Longe minus possit charitate flagrans esse, aut in operum justitia fideles superare. Immo Augustinus loquitur etiam de Competentibus, quos novimus tamquam cervos ad sanctum Fontem anhelare. Et boni operis votum, non nisi dum facti deest facultas, pro facto reputatur. Notanda sunt Augustini verba, *Quantumcumque Catechumenus proficiat:* Ajunt solam, quæ necdum perfecta sit, tendentem adhuc & proficientem charitatem sine actuali Sacramento passim non justificare.

Exponitur Augustini locus ex libris de Baptismo.

Pergit Dominus Cardinalis de aliis sancti Augustini locis: *Ad secundum dico Catechumenum charitate flagrantem non carere remissione peccatorum. Quod autem desit illi Baptismi susceptio ad capessendum regnum cælorum, non ideo est quia non habeat remissionem peccatorum, sed quia tenetur Baptismum suscipere, nisi necessitate aliqua excludatur. Et si contempserit vel neglexerit accipere, reus est, & damnabitur, non quia* *Psal. 54.* *nunquam habuerit remissionem peccatorum, sed quia Sacramentum contempsit, in cujus virtute & voto justificatus erat. Ita Augustinus ibidem inquit:* VERUNTAMEN CORNELIUS, SI ETIAM SPIRITU SANCTO ACCEPTO BAPTIZARI NOLUISSET, CONTEMPTI TANTI SACRAMENTI REUS FIERET. Respondeo Catechumeno peccatorum remissionem habenti nihil deesse ad capessendum Dei regnum. Sola enim peccata separant inter hominem & Deum, & ab ejus regno excludunt. Profiteor Baptisma esse ab ipso suscipiendum, & sine grandi crimine non posse negligi, longe minus contemni, verum antequam ita delinquat, & quamdiu charitate flagrat, quid ei, si peccatorum remissionem habeat, ad capessendum Dei regnum possit deesse? Aliquid tamen Baptismo acquirendum deesse adfirmat constanter sanctus Augustinus: Utique remissionem peccatorum. Quare hæc Augustini verba: *Catechumenum charitate flagrantem*, rectius exposuerunt nostri olim Scholiastæ Lovanienses: *Augustinus charitatem generatim accipit pro dilectione, qua Deum tamquam omnis Justitiæ fontem, summumque bonum diligimus, cujusmodi & ante justificationem requirit Concilium Tridentinum. Eamdem tamen a charitate distinguens, ut quæ sit amicitia cum Deo, qua eum puro corde in nobis jam habitantem, ut Patrem nostrum, summumque ac beatificum bonum diligimus. Hæc justorum tantum est & filiorum Dei, quosque jam tota Trinitas inhabitat. Non ergo ante justificationem reperiri potest vel in Pœnitente, vel in Catechumeno, cui ad capessendum regnum cælorum desit adhuc peccatorum remissio, Absolutione vel Baptismo conferenda.* *Ad l. 4. de Bapt. c. 21.* Habitualem & actualem charitatem distinguunt, & hanc licet flagret, dummodo adulta duntaxat aut robusta, & nondum perfecta sit, adfirmant in Pœnitente aut Catechumeno esse ante & circa remissionem peccatorum.

Ad adducta sancti Augustini e Confessionum libris loca Dominus Cardinalis hæc scribit: *Ad locum ex Confessionibus dico, merito Augustinum ante Baptisma nunquam fuisse securum, quia non certo sciebat severam charitatem & Contritionem habere. Nec fecerat totum quod poterat ad remissionem peccatorum accipiendam. Cum autem dicit* PECCATA MEA NONDUM REMISERAS, *loquitur secundum suam conscientiam: Ipse enim ita existimabat, nec poterat homo pius & humilis aliter existimare. Non tamen propterea sequitur id verum fuisse. Nam & plerique Sanctorum dicunt se maximos peccatores esse, & dignos gehenna. Et licet mendaces non sint, quia dicunt quod sentiunt, falsum tamen sine dubio dicunt.* Respondeo Augustinum de vera sua charitate & Contritione fuisse omnino certum. Adfirmat id ipse in octavo Confessionum libro: *Dicebam hæc, & flebam amarissima Contritione cordis mei.* *Cap. 12.* Et in sequenti libro: *Sagittaveras tu cor meum charitate tua:* *Cap. 2.* Et in libro de fide & operibus: *An usque adeo dissimulamus a sensibus nostris, ut vel nos ipsos non recordemur, quam fuerimus attenti atque soliciti, quid nobis præciperent a quibus catechizabamur, cum Fontis illius Sacramenta peteremus, atque ob id* COMPETENTES *etiam vocaremur?* *Cap. 6.* Et in Soliloquiorum Catechumenatus tempore scriptis libris, illustratæ divinitus rationi ajenti,

Mul-

Lib. 1. cap. 11. *Multum profeciſti*, reponit: *Quamquam tibi reſpondere non poſſim, nunquam tamen mihi perſuadebis, ut hac affectione mentis, qua nunc me eſſe ſentio, nihil me profeciſſe arbitrer*. De ſua igitur vera in Deum charitate & Contritione erat certus ac ſecurus. Quocirca dum peccata ſua ante Baptiſmi ſuſceptionem ſibi necdum fuiſſe remiſſa, ſcripſit poſtea Epiſcopus, nequaquam ex errante olim privata conſcientia, ſed ex communi totius Eccleſiæ ſenſu ſcripſit, ex quo & prædicavit: *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis ſuæ portat, non ei remittitur, niſi dum venerit ad Baptiſmum*. Et ſane, fletus, cilicia, cineres, nudi pedes & cervices, ſubſtrationes, ſcrutinia, manus impoſitiones, & iſtiuſmodi varia plurium annorum duriſſima paratura, quam uti neceſſariam peccatorum remiſſioni accipiendæ præparationem, & juſtum tantæ mercis pretium exegit & a Catechumenis & a Pœnitentibus olim Eccleſia, lucide evincunt, quod tantum donum ad quemvis imperfectæ charitatis ſeu Contritionis actum dari ipſa non cenſuerit, adeoque & Auguſtini conſcientia nunquam errarit. Hinc & ſupra laudatam cum ſemetipſa pacem, quam eſſe effectum remiſſionis peccatorum definit Sacroſancta Tridentina Synodus, illa non ſenſit, niſi poſt egreſſum e ſalutaribus aquis.

CAPUT X.

Examinantur alia Domini Cardinalis fundamenta.

PAlmare Domini Cardinalis fundamentum ſunt ſuperius adducta, & alia plura ſimilia Divinarum literarum teſtimonia, quæ ad converſum peccatorem affirmant ſtatim converti etiam Divinam miſericordiam, & omnem veraciter pœnitentem ac diligentem rediligi mox a Domino Deo, adeoque & donari remiſſione peccatorum. Reſpondeo omnia ejuſmodi loca exponi a ſancto Leone Magno in literis ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum: *His, qui in tempore neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia, præſidium Pœnitentiæ & mox Reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec Reconciliatio deneganda, quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempore definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera converſio*. Epiſt. 91. c. 3. Nullas patitur veniæ moras, non ut ipſa per ſemetipſam ſtatim conſequatur remiſſionem peccatorum, ſed ut in ſupremæ neceſſitatis gratiam mox veſtiatur Sacramento, per quod iſta remiſſio detur. Omnia, inquam, Divinarum Scripturarum, contritis & ad Deum diligendum converſis peccatoribus dandam mox peccatorum veniam promittentium adducta teſtimonia ſoli, ſi quidem imperfecta ſit, Evangelicis novorum Sacramentorum veſtibus adjutæ charitati & Contritioni promittunt: Ea quippe ſola eſt quemadmodum in novo Teſtamento oportet. Aliam expoſitionem in libro de gratia & libero arbitrio adverſum Pelagianos, hocce Divino teſtimonio, *Si volueris conſervabis mandata*, ad errorem ſuum abutentes, tradit ſanctus Auguſtinus: Per Jeſu Chriſti gratiam fit, *Ut bona voluntas, quæ jam eſſe cœpit, augeatur, & tam magna fiat, ut poſſit implere Divina mandata quæ voluerit, cum plene perfecteque voluerit. Ad hoc enim valet, quod ſcriptum eſt*, SI VOLUERIS CONSERVABIS MANDATA, *ut homo, qui voluerit & non potuerit, nondum ſe plene velle cognoſcat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata. Certum eſt enim nos mandata ſervare ſi volumus, ſed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit, & volendo faciamus*. Sola robuſtiſſima ac plena voluntas eſt valida ad omnes Dei leges. Etenim montium translatio, & alia fidei per Dominum Jeſum promiſſa chariſmata fieri non poſſunt, niſi ab ampla illa quam in ſæculi fine vix inveniendam idem Dominus prædixit. Ita & peccatorum remiſſio eſt fructus & effectus nudæ etiam charitatis & Contritionis; non cujuſcumque, ſed ſolius perfectæ: Imperfecta omnis etiam adulta & robuſta, eget adjutorio actualis Sacramenti. Solius nobilioris ſpeciei dignitatem in totum genus tranſcribere eſt genus probatiſſimæ locutionis.

Laudatam ſancti Leonis Epiſtolam, hæc præſertim ejus verba, *Nullas patitur veniæ moras vera converſio*, adducit etiam pro ſe Dominus Cardinalis. Reſpondeo antiquum, qui Pœnitentiæ pro gravibus peccatis actionem ſeu ſatisfactionem non una cum data Abſolutione imponi poſtea adimplendam, ſed ante ipſam plene expleri juſſit, Eccleſiæ rigorem fuiſſe quoad moribundos mitigatum a tertio decimo Canone Nicæno, mandante nullum deinceps neceſſario, quod tribus antea peccatis fuerat uſque tunc negatum in quibuſdam Eccleſiis, poſtulatæ Reconciliationis viatico deinceps fruſtrari. Verum rigidiores quidam Epiſcopi mandari dixerunt de ſolis Pœnitentibus, qui ſani maternam Eccleſiæ pietatem imploraverant, Pœnitentiam acceperant, & diligenter peregerant uſque ad infirmitatis adventum, ideoque ad alios, quos ſolus mortis timor ad Dominum coegerat, Lapſos gratiam iſtam non poſſe extendi: Eis Pœnitentiæ actionem & Reconciliationis donum non poſſe ſimul impendi, ſed quædam interſtitia etiam ab his eſſe ſervanda. Fundabant ſe in ſancto Cypriano, qui pacem Lapſis moribundis dum dandam ſanxit, ſanxit de ſolis qui vivi Eccleſiæ fores ad miſericordiam pulſarant flentes, addens in Epiſtola ad Antonianum Epiſcopum de cæteris: *Non eſt dignus in morte accipere ſolatium, qui dum vixit non cogitavit ſe moriturum*. Hanc duritiem improbat & proſcribit ſanctus Leo, dicens veræ, quæ etiam in taliter Pœnitentibus præſumi debet aut ſperari, converſioni nullas a Deo optimo maximo fieri veniæ moras, non ut ipſa per ſemetipſam ſine Sacramento accipiat veniam, ſed ut ſatisfactionis & Reconciliationis, a quibus illam accipiat, Sacramento & adjutorio veſtiatur. Veſtimentum illud & adjutorium ait illi eſſe adeo neceſſarium, ut dum non per contemptum aut gravem negligentiam, ſed per improviſam neceſſitatem adhiberi non potuerit, laudatæ converſionis fructus & ſucceſſus ſit nobis incertus, & Divino judicio reſervatus. Proinde ſanctus Leo palam eſt nobiſcum.

Etiam totius Eccleſiæ conſenſum producit Dominus Cardinalis, & ſcribit: *In Eccleſia ſæpe conceduntur a Pontificibus indulgentiæ habentibus Contritionem peccatorum ſuorum cum propoſito Confeſſionis Sacramentalis ſuo tempore faciendæ. Et eædem Indulgentiæ a fidelibus toto orbe libenter & cum gratiarum actione ſuſcipiuntur. At certum eſt indulgentias hoc requirere, ut qui eas ſumit jam ſit in ſtatu gratiæ, & liber a reatu mortis æternæ, & ſolum pro temporalibus pœnis ſatisfacere teneatur. Indulgentiæ enim a temporalibus pœnis homines liberant, ſi tamen prius ab æternarum reatu liberati fuerint. Quare univerſa Eccleſia credit per Contritionem cum voto confeſſionis a reatu peccati mortalis hominem liberari, atque in gratiam cum Deo redire*. Reſpondeo aliud eſſe indulgentiam, aliud ejus fructum ſeu effectum. Eam poſſe in ſtatu peccati mortalis donari atque acceptari, nemo dubitavit unquam: Eam enim ante Reconciliationem paſſim dedit Eccleſia antiqua, Sacramentales ſatisfactiones uti paſſim ante Reconciliationem impoſuit atque expleri juſſit, ita quoque indulſit & relaxavit. Verum tam expletionis quam relaxationis fructus ſeu effectus non niſi poſt remotum reatus ſeu peccati obicem in Reconciliatione, & per ipſam dato gratiæ ſtatu ſumebatur. Eodem modo fit etiam in laudatis per Dominum Cardinalem indulgentiis.

Dominus Cardinalis adducit etiam varia ſancti Auguſtini loca, ſimilia huic in quinto ſuper ſancti Joannis Apoſtoli literas tractatu: *Si quis in corde ſuo invenerit charitatem, ſecurus ſit quia jam tranſiit a morte ad vitam, jam in dextera eſt*. Et adjungit: *At num in dextera eſſe dici poteſt, qui adhuc reus eſt gehennæ & filius iræ ac perditionis?* Adducit & alium ex laudato tractatu locum: *Dilectio ſola diſcernit inter filios Dei & filios diaboli*. Et hæc omnino adſidua eſt ſancti Auguſtini doctrina. Reſpondeo primum cum aliis ſimilibus locum intelligendum & de perfecta charitate, & de imperfecta. Quod enim quævis etiam hæc, præſertim ſi adfectu fit ſuper omnia, peccatorem reſuſcitet, vivere faciat, adeoque & a morte ad vitam transferat, ſuper ex authenticis teſtimoniis oſtendi. Transfert a morte, non quidem ad habitualem remiſſionis peccatorum, tamen ad actualem fidei & boni operis vitam. Eadem, licet non ſola, tamen per Sacramentum, quod Auguſtinus nequaquam excludit, adjuta, omnino transfert a ſiniſtra ad dexteram. Poſſit tamen & ſolam perfectam charitatem ſanctus Auguſtinus in iſtis verbis reſpicere. Quod enim perfectæ charitatis laudes & vires toti generi frequenter adſcribat probatiſſimum Canonicæ etiam locutionis genus, dixi jam ſupra, & eſt manifeſtum. Alium a Domino Cardinali adductum locum exponit frequenter ac patenter ipſe Auguſtinus dicens Dei filios a diaboli filiis nec per Sacramenta, nec per Eccleſiaſticas dignitates, nec per gratis data chariſmata, ſed diſtingui per ſolam charitatem, quod nempe alia omnia ſine hac ſint inutilia, & non proſint. Quocirca exinde non probes quamvis ſolam ſine Sacramento charitatem juſtificare, ſed ſine charitate neminem ab ullo juſtificari Sacramento, quod hoc in Scripto præſertim nitor perſuadere.

Pergit & urget Dominus Cardinalis: *Qui charitatem habet, legem implet, ut Auguſtinus oſtendit ex verbis Apoſtoli*, PLENITUDO LEGIS EST DILECTIO. *At nemo recte vivere, & legem implere poteſt, niſi regeneratus, & juſtificatus, & filius Dei effectus, dicente Au-*

te Auguſtino: NON BENE VIVUNT HOMINES, NISI EFFECTI FILII DEI. *Sequitur igitur, ut qui charitatem habent, liberi fiant a peccato, quandoquidem ſancti ſint, & legem impleant, quod nemo poteſt, niſi a peccato juſtificatus.* Reſpondeo hæc Apoſtoli verba: *Qui diligit, legem implevit, Plenitudo legis eſt dilectio*, eſſe non cujuſcumque, ſed ſolius, utpote quæ ſola totius legis adimplendæ vires habeat, perfectæ charitatis encomium. Etenim Divina, quam in hac vita a nobis completam oportet, lex eſt, *Poſt concupiſcentias tuas non eas*, ſeu nulli cupiditati adſenſum, adfixivum præſertim, præbeas: Quod lucet fieri non poſſe, niſi per perfectam charitatem, quæ ſit patiens, fortis, benigna, non agat perperam, non cogitet malum, omnia ſufferat, credat, ſperet, & quam neque mors, neque vita, nec ulla creaturæ dilectio poſſit a Chriſto Jeſu ſeparare. Quare omnino profiteor legem adimpleri, ſeu integre obſervari non poſſe, niſi a regeneratis ac juſtificatis. Quiſquis enim legem adimplet, jam perfectam charitatem habet, adeoque eſt juſtificatus. Verum quod longe aliud ſit legem adimplere, ſeu totius legis adimplendæ viribus pollere, aliud recte vivere, ſupra abunde offenſum eſt, & res ipſa clamat. Petrus quippe Apoſtolus, licet viribus iſtis nondum inſtructus, uſque ad ancillæ oſtiariæ interrogationem & metum recte omnino vixit. Quinimmo plurimi, quos nempe a tentationibus infirma ſua charitate fortioribus cuſtodit Divina protectio, uſque ad extremum ſpiritum recte ſine illis agunt, ſancte moriuntur, feliciterque decedunt, licet non plene puri, tamen purgandi, ad Dominum Deum & ejus regnum. Et de illis ait Auguſtinus in libris adverſus Julianum: Poteſt homo *eſſe correctus, & recte vivere, necdum tamen remiſſione peccatorum liberatus.* Quoſdam Catechumenos multis fidelibus vivere ſanctius, aperte docet in nonageſimi Pſalmi commentario, in quarto tractatu ſuper ſancti Joannis Evangelium, ac aliis in locis, & adjungit: *Et tamen omnia peccata ſuper illos ſunt, & niſi venerint ad ſalutarem Baptiſmum, ubi peccata ſolvuntur, cum omni* vitæ & morum *excellentia ſua non poſſint intrare in regnum cœlorum.* Quod nempe iſta excellentia ſit duntaxat bona citra juſtam de gravibus lapſibus querelam vita, necdum totius legis adimpletio, ſeu perfectio charitatis. Et talis jam eſt filius Dei: Non per peccatorum remiſſionem, ſed per actualis exordia charitatis. Varia apud antiquos Eccleſiæ Patres eſt Dei filiatio, variique ipſius gradus: Nam & Hæretici ſunt illis filii Dei, ſed rebelles.

Lib. 6. c. 19.

Audiamus & ultimum Domini Cardinalis argumentum: *Poſtremo opponimus id, quod etiam adverſarius*, ſupra memoratus neſcio quis Doctor Catholicus, *admittit, in articulo mortis, ſi non adſit qui reconciliet Pœnitentem vel baptizet Catechumenum, poſſe eos per veram Contritionem cum deſiderio Sacramentum percipiendi, non ſolum juſtificari, ſed etiam continuo ad æternam gloriam pervenire. At certe non eſt articulus mortis, qui homines juſtificat, ſed vera converſio & cordis contritio cum deſiderio Sacramenti percipiendi. Articulus enim mortis a prævaricatione præcepti excuſat, & facit ut non ſit reus Sacramenti non percepti, qui ideo Sacramentum non habuit, non quia noluit, ſed quia non potuit. Ergo ubicumque eadem cauſſa reperietur, id eſt, vera contritio cum voto Sacramenti ſuſcipiendi, idem etiam continuo ſequetur effectus.* Reſpondeo neceſſitatis articulum nec plenam eſſe, nec partialem noſtræ juſtificationis cauſſam, ſed eſſe occaſionem ſeu rationem Divinæ diſpenſationis & gratiæ, qua noſtrum figmentum miſeratus Deus optimus maximus legi ſuæ quaſi deroget, ſuppleatque Sacramenti per neceſſitatem ſine culpa noſtra deficientis cauſſalitatem. Deus enim, uti providus familiæ Pater, in Evangelicis ſuis legibus non ſolet ſine competenti cauſſa diſpenſare. Egregia & omni laude digniſſima eſt hæc Domini Cardinalis confeſſio: *Multæ ſunt objectiones & graves adverſum ea, quæ diſputata ſunt.* Sunt omnino graviſſimæ atque irrefragabiles; verum quæ per adductos variæ charitatis gradus, vires, ſeu ſpecies facillime concilientur. Gradus iſtos quiſquis cum Auguſtino bene diſtinxerit, non poteſt nobiſcum non ſentire.

CAPUT XI.

Elucidantur quædam per Dominum Cardinalem adducta loca ſacroſancti Concilii Tridentini.

DOminus Cardinalis adſertionem ſuam fundat etiam in tribus locis ſacroſanctæ Synodi Tridentinæ. Primus eſt ex Seſſionis ſextæ capite quarto: *Concilium Tridentinum declarat poſt Evangelium promulgatum neminem juſtificari ſine Baptiſmo aut ejus voto; quo loco admittit poſſe hominem per veram Pœnitentiam cum voto Baptiſmi Deo reconciliari antequam Baptiſmum corpore recipiat.* Reſpondeo id omnino poſſe fieri, & actu fieri in caſu martyrii, in extremæ neceſſitatis caſu, in caſu perfectæ charitatis, & in quibuſdam etiam caſibus charitatis imperfectæ. Extra iſtos dico votum non ſufficere, ſed actuali Baptiſmatis aut Reconciliationis Sacramento eſſe omnino opus. Actuale Sacramentum cunctis imperfecte contritis judicatum olim ſemper fuit adeo neceſſarium, ut de laudata per ſanctum Jacobum Apoſtolum, *Confitemini alterutrum peccata veſtra*, Sacramentali oris Confeſſione ſcribat ad Lincolnienſem Epiſcopum etiam Theobaldus Stampenſis: *Hac auctoritate, ſicut quidam putant, non lædimur, quia hoc tantum ſane de valentibus & confiteri nolentibus intelligitur. Quia nimirum ſi aliquis pro aliqua infirmitate, ſive etiam ab ipſa nativitate confiteri ore impotens efficiatur, cum bonam & diſcretam confitendi ore habeat voluntatem, ſi corde confiteatur, diſcretorum judicio prorſus alienus a ſalute non judicatur.* Notanda ſunt verba, *ſicut quidam putant:* Agunt in illos, qui laudatam confeſſionem homini lapſo in quovis penitus eventu & ſtatu cenſebant indiſpenſabiliter neceſſariam, ſoloſque naturalis impotentiæ aut extremæ neceſſitatis caſus audet Theobaldus facere exemptos. Et dat rationem ex ſancto Hieronymo: *Quidquid vis, & non potes, Deus factum computat. Sicut enim deliberatio cum molimine vitiorum damnatur, ſic quoque bona voluntas, cum deeſt copia agendi, remuneratur; quia non ſecundum hoc, quod quiſque non potuit, vel non licuit, ſed ſecundum hoc, quod fuit, & propoſuit ex conſcientia, accuſatur vel defenditur, cum Deus judicabit occulta hominum.* Hoc eſt, nequaquam ſemper, ſed duntaxat ubi faciendi copia deeſt, votum & voluntas æquivalent facto. Et ſacroſancta Tridentina Synodus dicens, *Sine Baptiſmo aut ejus voto*, nequaquam inducit alternativam, aut locum facit electioni, ſed definit adverſus Cajanam & Wicleffiticam a Martino Luthero reſuſcitatam hæreſim, hunc præſertim ejus a Joanne Cochlæo memoratum articulum: *Baptiſmus neminem juſtificat, nec ulli prodeſt, ſed fides in verbum promiſſionis, cui additur Baptiſmus.* Definit ac firmat antiquam Eccleſiæ fidem, quæ actuale Baptiſma in ordinariis, ejus autem votum in extraordinariis eventibus credidit ſemper & docuit eſſe Contritioni neceſſarium auxilium, & concauſſam ad impetrandam a Domino remiſſionem peccatorum.

A. 1521.

Alter a Domino Cardinali adductus locus eſt in quartæ decimæ Seſſionis quarto capite: *Concilium diſertis verbis docet Contritionem charitate perfectam reconciliare hominem Deo, antequam Sacramentum Pœnitentiæ actu ſuſcipiatur.* Reſpondeo locum hunc eſſe noſtræ adſertionis palmare fundamentum. Iſtam enim ſine actuali Sacramento reconciliandi virtutem nequaquam natæ, nutritæ, adultæ, aut robuſtæ, ſed ſoli per charitatem perfectæ Contritioni adſcribit Synodus diſertis verbis, quos charitatis gradus ſeu ſpecies, earumque diſtinctionem quiſquis non callet aut advertit in hac materia, non poteſt non cæſpitare, immo & labi. Et ex ſola perfecta plenam & perfectam, ex quavis autem imperfecta, licet adulta aut robuſta, charitate imperfectam duntaxat Contritionem ſeu Attritionem naſci, quis non videat? Ipſa vocabula id clamant. Attritio enim carnale veteris aut lapſi hominis cor, regnanteſque in illo adfixivas cupiditates duntaxat atterit, frangit, ac vincit; Contritio conterit, redigit in nihilum, & exſtinguit: Quod ſine perfecta charitate fieri non poſſe novit omnis qui perfectæ charitatis ingenium & naturam novit. Porro nullam imperfectam Contritionem ſine actuali Sacramento juſtificare definit diſertis verbis Tridentina Synodus, ideoque definit noſtram adſertionem.

Tertius a Domino Cardinali adductus locus eſt in tertiæ decimæ Seſſionis capite ſeptimo: *Concilium declarat ad præparationem Euchariſtiæ confeſſionem Sacramentalem eſſe neceſſariam iis, qui conſcientiam habent peccati lethalis, & ſimul excipit eos, qui forte Miſſam celebrare tenentur, nec habent Sacerdotem cui peccata ſua confiteantur. Eis enim Contritionem cum propoſito confeſſionis ad Euchariſtiam non indigne ſuſcipiendam ſufficere judicavit. Itaque Concilium illud credidit per veram Contritionem, etiam ante Sacerdotis abſolutionem, & citra mortis articulum, peccata remitti. Neque enim ſuſpicari fas eſt, in illo caſu Catholicum Concilium permiſſurum fuiſſe, ut cum conſcientia peccati mortalis ad Sacramentum Euchariſtiæ accederetur.* Reſpondeo etiam locum iſtum patenter facere pro nobis. Iſtam quippe ſine prævia Confeſſione & Abſolutione celebrationem in ſolo illius, qua curatus Sacerdos, Confeſſorem non habens ad manum, ex officio celebrare tenetur, neceſſitatis articulo permittit ſacroſanc-

ta Sy-

ɛta Synodus, in alio quovis eventu diſerte ac ſevere vetat : *Quantumcumque ſe contritum homo exiſtimet*. Quia nempe cenſet a ſola imperfecta Contritione paſſim non dari remiſſionem peccatorum. Eadem de cauſſa curato Presbytero, qui ex dicta neceſſitate ſine prævia Confeſſione & Abſolutione celebrarit, rigide mandat ut quamprimum confiteatur. Ut Confeſſarii occurſum non exſpectet, ſed illum quærat ſtatim, & accedat. Optimo jure Beatiſſimus Pater noſter Alexander ſeptimus per hoſce dies damnavit duos hoſce libertinæ moralis Theologiæ articulos : *Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quam primum, eſt conſilium, non præceptum. Illa particula*, QUAM PRIMUM, *intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur*. In perpetua apud omnes ſub cælo Eccleſias benedictione erit laudatus, & nunquam ſatis laudandus Pater noſter Beatiſſimus, qui Evangelicam Chriſtianæ vitæ, Eccleſiaſticam præſertim, diſciplinam ab injectis per libertina & ſordidis hominibus placere geſtientia ingenia peſſimis maculis ac rugis inſigniter purgare jam cœpit, & adhuc pergit. Sacroſancta, inquam, Synodus curato Sacerdoti ob dictam neceſſitatem ſine prævia Confeſſione & Abſolutione celebrare permittit, non quia illum ſola ſua Contritione imperfecta juſtificatum cenſeat, ſed quod fidelem populum ob Paſtoris ſui culpam & defectum credat neceſſario ſibi ſacrificio non privandum. Divinam, quæ percipiendæ Euchariſtiæ præviam peccatorum confeſſionem & Abſolutionem requirit, legem cenſet & ſancit iſto caſu per epikejam in fidelis populi gratiam non obligare. Hinc addidit, ut ejuſmodi Sacerdos ſtatim confiteatur. Utique juxta antiquum Eccleſiæ Canonem, ex quo quæſtioni huic, *Si puellus Catechumenus, utpote ſeptem annorum, vel homo etiam perfectus, dum fieret oblatio, opportune adfuerit, ejuſque neſcius particeps ſit factus, quid debeat de eo fieri*, reſpondit Timotheus Patriarcha Alexandrinus : *Debet illuminari. A Deo enim vocatus eſt*. Euchariſtiam enim adeo venerandam jubet divina JESU-CHRISTI Lex, ut neceſſaria per acceptam in Baptiſmo aut reconciliatione peccatorum remiſſionem præparatio, dum ex caſu vel cauſſis præmiſſa non fuerit, ſtatim ſubjungatur. Et hinc illorum, qui Tridentinam de ſtatim confitendo legem ſolis jam dictis Sacerdotibus, non autem aliis extra iſtam neceſſitatem ſine prævia Confeſſione & Abſolutione, ideoque palam indigne communicantibus imponi exiſtimant, opinionem erroneam arbitror & minime tutam. Hoſce ad quam primum confitendum exiſtimo longe ſtrictius obligari. Carent enim etiam fuco illo, ex quo Sacerdotes iſtos caſtigati per Beatiſſimum Patrem noſtrum Alexandrum VII. Theologi voluerunt non obligari. Eos, quod legitime & ſine peccato celebraſſent, dixerunt a ſacroſancta Euchariſtia juſtificatos, ac peccatorum remiſſione donatos per accidens, ideoque in primam opportunitatem poſſe ab ipſis Confeſſionem differri.

Euchariſtia datprimam gratiamper accidens.

Hæc enim eſt omnino ratio, ex qua Sacerdotes iſtos ſine prævia Confeſſione & Abſolutione in dicta neceſſitate celebrare ſacroſancta Synodus permiſit. Eos nequaquam per ſuam imperfectam Contritionem, ſed per ſumendam Euchariſtiam ſperavit in tali caſu juſtificandos. Quod enim vivorum Sacramenta, Euchariſtia præſertim, legitime quandoque ſumantur a peccatoribus, & primam gratiam conferant per accidens, eſt antiquiſſima Theologia. Etenim Serapioni, civi Alexandrino, nuper in perſecutione lapſo, Pœnitentiam & alia extrema Sacramenta rogatus media nocte Parochialis Presbyter, quod per infirmitatem lecto adfixus non poſſet accedere, Euchariſtiam miſit per puerum, mandans ut madefactam Serapioni in os infunderet : quod & puer fecit. Atque ita Serapion eſt pie in Domino defunctus. De ipſo enim ad Fabium Antiochiæ Patriarcham ſcribit apud Euſebium Cæſareenſem Epiſcopum in Eccleſiaſtica hiſtoria ſanctus Dionyſius Patriarcha Alexandri-

Lib. 6. cap. 36.

nus : *An non igitur ſatis conſtat Serapionem fuiſſe reſervatum, & uſque eo in vita manſiſſe, quoad eſſet penitus culpæ vinculis ſolutus, & ita labe, qua erat idolis immolando adſperſus, omnino deleta, poſſet pro multis bonis, quæ geſſiſſet in vita, in numerum Confeſſorum referri*. Palam adſeverat eum per Euchariſtiam ſine prævia confeſſione & abſolutione fuiſſe donatum remiſſione peccatorum. Et de ſancto Maximiano Monacho, Syracuſæ poſtmodum Epiſcopo, ejuſque variis ſociis, Monachis & ſæcularibus, quos inter haud dubie quidam erant maculoſi, in mari Adriatico horrende periclitantibus, in Dialogorum libris ſcribit ſanctus

Lib. 3. cap. 36.

Gregorius magnus : *Tunc in eadem nave reſidentes ſibimet pacem dederunt, Corpus & Sanguinem Redemptoris acceperunt, Deo ſe ſinguli commendantes, ut eorum animas*, remiſſione peccatorum donatas *benigne ſuſciperet, quorum corpora in tam pavenda morte tradiderat*. Et ad quinquageſimum Canonem Trullanum ſcribit de nobis peregrinantibus Theodorus Balſamon : *Latini Azyma adſidue in ſinu ferentes, etiamſi ſint laici, ea non ſolum ſibi ut Sacramenta impertiunt, ſed etiam aliis*. Et antiquus adverſum Græcos Tractatus, repertus in Conſtantinopolitano Conventu Patrum Prædicatorum : *Latini ſanctam Euchariſtiam negligentiſſime ſpectant. Nam qui caſtra ſequuntur, in marſupio ponunt, portant in veſtibus, in pileis*. Eam ita portabant adverſus mortis periculum, ut in Sacerdotis abſentia ipſi ſibi tunc darent, atque ita a Deo acciperent remiſſionem peccatorum. Notanda ſunt Theodori Balſamonis verba, *Azyma ut Sacramenta impertiunt*. Homo ſchiſmaticus ſpernit & damnat noſtram in Azymo Euchariſtiam, vultque non eſſe verum Sacramentum. Iſtam igitur antiquam Patrum Theologiam ſequitur ſacroſancta Tridentina Synodus, jam memoratum neceſſitatis articulum cenſet eſſe ſufficientem, ut in fidelis populi gratiam curatus tunc Sacerdos ſine prævia mortalium peccatorum Confeſſione & Abſolutione celebret, ipſumque ſperat Euchariſtia tunc juſtificandum.

Verum unus ex hujus Decreti conditoribus Melchior Canus, ex ſacro Prædicatorum Ordine Epiſcopus Canarienſis, in eruditiſſimo de locis Theologicis opere recte tradit omnia & ſingula generalium Synodorum Decreta non ſemper eſſe neceſſaria ac firma fidei dogmata, & pergit : *In Concilio Tridentino, Seſſione habita undecimo Octobris, anni milleſimi quingenteſimi quinquageſimi primi de Euchariſtiæ Sacramento definitum eſt, Confeſſionem Sacramentalem Euchariſtiæ præmittendam eſſe, ſi conſcientia peccati mortalis gravat. Et protinus*, SI QUIS, *ait Synodus*, CONTRARIUM DOCERE, PRÆDICARE, VEL PERTINACITER ASSERERE, SEU ETIAM PUBLICE DISPUTANDO DEFENDERE PRÆSUMPSERIT, EO IPSO EXCOMMUNICATUS EXISTAT. *Sed hoc propter periculum cautum eſt. Erat enim opinio contraria perniciosa. Ideoque excommunicatio illa ad publicam doctrinam vel maxime refertur. Nam quod ſententia Cajetani non fuerit pro hæretica condemnata, & nos teſtes ſumus, qui Concilio interfuimus, & contextus ipſe demonſtrat. Habet enim Canon undecimus, idemque poſtremus in hunc modum* : SI QUIS DIXERIT SOLAM FIDEM ESSE SUFFICIENTEM PRÆPARATIONEM AD SUMENDUM SANCTISSIMÆ EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM, ANATHEMA SIT. *E veſtigio autem adduntur, mutata dicendi forma, hæc verba* : ET NE TANTUM SACRAMENTUM INDIGNE, ATQUE ADEO IN MORTEM ET CONDEMNATIONEM SUMATUR, STATUIT ATQUE DECLARAT IPSA SANCTA SYNODUS, ILLIS QUOS CONSCIENTIA PECCATI MORTALIS GRAVAT, QUANTUMCUMQUE ETIAM SE CONTRITOS EXISTIMENT, HABITA COPIA CONFESSORIS NECESSARIO PRÆMITTENDAM ESSE CONFESSIONEM SACRAMENTALEM. SI QUIS AUTEM CONTRARIUM DOCERE, PRÆDICARE, VEL PERTINACITER ASSERERE, SEU ETIAM PUBLICE DISPUTANDO DEFENDERE PRÆSUMPSERIT, EO IPSO EXCOMMUNICATUS EXISTAT. *Ubi vides Cajetani ſententiæ Anathema non dici, ſed quoniam non ſolum falſa, ſed noxia etiam erat, reprobari, & propter periculum publicam præſertim prædicationem & diſputationem interdici*. Thomas de Vio, Cajetanus, e ſacro Prædicatorum Ordine ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ad ſanctum Sixtum Presbyter Cardinalis, docuerat quavis vera Dei ſuper omnia charitate, & nata hinc Contritione juſtificari hominem, ideoque taliter contritum peccatorem ſine prævia Confeſſione & Abſolutione poſſe & communicare & celebrare. Hanc ſententiam, licet non uti hæreticam damnet, tamen uti falſam, noxiam, atque pernicioſam reprobat & proſcribit ſacroſancta Synodus, atque ita noſtram adſertionem uti neceſſariam ac penitus veram manifeſte confirmat. Nullum mortalis peccati reum vult deinceps ſine prævia Confeſſione & Abſolutione communicare, niſi ſolum curatum, qui ex officio celebrare tenetur, & Confeſſoris copiam non habet, Sacerdotem : Non quod illum ſua tunc Contritione, ſed ſumpta Euchariſtia ſperet juſtificandum. Dico, *Speret* : Neque enim id definit, ſed ex antiqua Patrum Theologia uti rem probatam, aut certe probabiliſſimam ſupponit. Quia tamen omnino certiſſima non ſit, ejuſmodi Sacerdoti rigide mandat ut quam primum confiteatur. Palam ergo cenſet nos a quavis Contritione, & quovis Sacramenti voto non ſemper juſtificari.

Lib. 5. cap. 5.

CAPUT XII.

Exponitur ſervilis gehennarum timor.

Variæ timoris ſpecies.

PEtrus Lombardus, Petrus Pictavienſis, ac ſanctus Thomas timorem dividunt in quatuor membra: In timorem mundanum, ſervilem, filialem, atque initialem. Sanctus Auguſtinus & ſeniores ejus diſcipuli proxime dividunt in duo duntaxat membra: In timorem caſtum ſeu filialem, ac in ſervilem. Quidam addunt & mercenarium. Recte vero laudati Doctores Scholaſtici ſervilem pœnæ, filialem timorem dicunt eſſe culpæ. *Timor ſervilis*, inquit Petrus Pictavienſis, *eſt quando aliquis ceſſat a peccato tantum propter timorem gehennæ, & non propter amorem Dei. Filialis eſt quando homo ceſſat a peccato tantum propter amorem Dei.* Loquitur ex ſancto Auguſtino in tractatibus ſuper ſancti Joannis Evangelium: *Eſt timor ſervilis, eſt & caſtus: Eſt timor ne patiaris pœnam, eſt alius ne amittas juſtitiam. Timor ille, ne patiaris pœnam, ſervilis eſt. Quid magnum eſt timere pœnam? Hoc nequiſſimus ſervus, hoc & crudeliſſimus latro. Non eſt magnum timere pœnam, ſed magnum eſt amare juſtitiam. Qui ergo amat juſtitiam, nihil timet? Timet plane: Non ne incidat in pœnam, ſed ne amittat juſtitiam. Amat aliquis veſtrum pecuniam; ex hoc ipſo quod amat, intelligit quod dico. Timet damnum. Quare timet damnum? Quia pecuniam diligit. Quantum amat pecuniam, tantum timet ne perdat pecuniam. Ergo invenitur aliquis amator juſtitiæ, qui plus in corde pertimeſcat damnum, qui plus extimeat ſpoliari juſtitia, quam tu pecunia.* Hoſce timores adſidue penes culpam & pœnam, uti penes objecta eorum materialia, diſtinguit, ſed non penes ipſa ſola diſtinguit, etiam penes ſervilitatem quam caſtus ſanet & extinguat, ſervilis timor compeſcat ſolummodo & frænet, ideoque uti doloſum in ſinu anguem permittat in cordis intimo latitare. Diſtinguit, inquam, penes fœdum animum, quo quis a conſpicuis peccatis ob adnexi illis mali pœnalis metum abſtinet, malens tamen & optans non fore juſtitiam, quæ peccata iſta vetaret aut certe puniret. Hunc animum merito appellamus ſervilitatem: Eſt enim ſervilis mentis vilitas, qua ſolent ſervi, non ex animo & bona voluntate, ſed ſubdole ſervire ſuis dominis & coacti, optantes ſui juris eſſe, & non ſervire.

Quid ſervilis timor, quid filialis.

Hic anguis omnino latet etiam ſub timore gehennæ. Latet voluntas longe nequior, qua mallet homo non eſſe vetitum quod ſibi ſentit eſſe libitum, ideoque divinæ legis ac juſtitiæ, quam apud hominum oculos obſervat, in cordis ſui ſecreto eſt oſor & inimicus. Eleganter hoc Auguſtinus docet in litteris ad Anaſtaſium: *Inaniter putat victorem ſe eſſe peccati, qui pœnæ timore non peccat. Quia etſi foris non impletur negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, ſi ſubtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt, qui vult facere quod non licet fieri, ſed ideo non facit, quia impune non poteſt fieri. Nam quantum in ipſo eſt, mallet non eſſe juſtitiam peccata prohibentem atque punientem. Et utique ſi mallet non eſſe juſtitiam, quis dubitaverit, quod eam ſi poſſet, auferret? Ac per hoc quomodo juſtus eſt talis juſtitiæ inimicus, ut eam, ſi poteſtas detur, auferat, ne comminantem vel judicantem ferat? Inimicus ergo juſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat; amicus autem erit, ſi ejus amore non peccet. Tunc enim vere timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipſum ſicut gehennas odit.* Et in ſermonibus de verbis Apoſtoli: *Hoc intereſt inter timorem tuum, & timorem latronis, quod latro timet leges hominum, & ideo facit latrocinium, quia ſe ſperat fallere leges hominum; tu autem leges ejus times, quem fallere non potes. Nam ſi fallere poſſes, quid non feciſſes? Ergo & concupiſcentiam tuam malam non amor tollit, ſed timor premit.* In nono ſuper Sancti Joannis Epiſtolam tractatu elucidat hæc per caſtæ & adulteræ uxoris exemplum: *Non poteſt melius explicari, quid interſit inter duos iſtos timores, ut ſi penes duas mulieres maritatas, quarum unam ita conſtituas volentem facere adulterium, delectari nequitia, ſed timere ne damnetur a marito. Timet maritum, ſed quia adhuc amat nequitiam, ideo timet maritum. Hinc non grata, ſed moroſa eſt mariti præſentia. Et ſi forte vivit nequiter, timet maritum, ne veniat. Tales ſunt, qui timent, ne veniat dies judicii. Fac alteram amare maritum, debere illi caſtos amplexus, nulla ſe adulterii immunditia maculare; optat viri præſentiam. Et quomodo diſcernuntur iſti timores? Timet illa, timet & illa: Interroga, quaſi unum reſpondent.* Ambæ enim rogatæ, An virum timeant, reſpondent ſe timere. *Una vox eſt, ſed diverſus animus. Jam ergo interrogentur, Quare? Illa dicit, Timeo virum, ne veniat & damnet; illa dicit, Timeo virum, ne diſcedat.* Caſto animo altera pudicitiæ & viri offenſam, altera laſciviam diligit, velit eſſe nullas pudicitiæ leges, viroque nullam vindicandi voluntatem aut poteſtatem. Licet forte caſtum corpus habeat, habet mentem adulteram atque impuram. Ita & gehennarum ſerviliter fugax animus velit eſſe nullas virtutum leges, nullas peccatis pœnas, nullam ipſarum intentatricem juſtitiam, ideoque hujus, id eſt, ipſius Dei optimi maximi eſt occultus inimicus & oſor. Quocirca Petrus Lombardus, ſanctus Thomas, aliique Doctores Scholaſtici, dum ſervilem ac filialem metum per pœnam & culpam definiunt ac diſtinguunt, intelligi debent hoc ſenſu: Servilis eſt ſolius pœnæ; filialis metus eſt etiam culpæ. Etenim & bonus filius pœnas, etiam temporales, omnino timet, ſed ex alio animi fonte. Utique ex charitate, quæ non ſolum Dominum Deum, ſed & ab illo inſtitutum in creatura, rationali præſertim, ordinem diligit, ideoque ipſum etiam odit ac metuit, uti per peccata, ita & per pœnas lædi aut turbari.

Ep. 144.

Serm. 18. c. 6.

Quis ſit metus vanus, quis non vanus.

Timorem ſanctus Auguſtinus etiam dividit in vanum & non vanum, utique ex Evangelico Domini verbo: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, ſed potius eum timete, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* At malorum temporalium, præſertim mortis, qui rectos in Paradiſo Protoplaſtos a peccato deterruit, metum quomodo Dominus dixit eſſe vanum? Quod ea peccatricis noſtræ voluntatis poteſtati ſubtracta jam timendo evitare non poſſimus, ideoque vane & inutiliter, caſſo ſtudio & nullo fructu nos adverſum illa muniamus, ac ſi abluamus æthiopem. At vero gehennas inviti non poſſumus incurrere, ſed eas evadere eſt noſtræ voluntatis opus, ideoque noſter de illis timor aut labor non eſt inanis. Earundem metus eſt omnino utilis; temporalium vero malorum metum, quod ejus impulſu frequenter in lapſum agamur, noxium ſanctus Auguſtinus paſſim appellat. Dico, *frequenter*. Nam frequenter etiam ad bonum cogit: Quis enim ignoret per patibuli, Regii enſis, Regiarum pœnalium legum, infamiæ, degradationis, aliorumque temporalium malorum metu frequenter homines a peſſimis viis non ſolum coerceri, ſed & emendari? Æquivocum pro vario intentantis hominis fine effectum habent iſta omnia: A Decio aut Diocletiano, Eccleſiam ad lapſum, a Conſtantino aut Theodoſio intentata Arianos, Donatiſtas, & alios hæreticos cogebant ad ſurgendum & ſtandum. Gehenna igitur, utpote a Deo optimo maximo ſemper incuſſa, temporalia mala quandoque duntaxat compellunt ad bonum. Et hanc doctrinam firmat ſacroſancta Tridentina Synodus, dicens de metu gehennarum: Catechumeni *Divinæ Juſtitiæ timore utiliter concutiuntur.* Et iterum: *Per gehennæ metum ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abſtinemus.* Et de utroque timore ſimul: *Attritio ex gehennæ, & pœnarum*, utique temporalium, *metu concipitur.* Et de ſolo temporalium malorum metu: *Hoc timore utiliter concuſſi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem Pœnitentiam egerunt.* Eos ſolo temporalium malorum per Regem intentato metu fuiſſe concuſſos docet adſidue ſanctus Auguſtinus. Et hic eſt germanus ac proprius fructus, quem per adjectos Decalogo terrores extortum carnalibus Judæis voluit olim Divina Majeſtas: Eos voluit concuſſos, atque ita ad ejus omnipotentem, ſine qua legi adimplendæ ſe agnoſcerent invalidos, miſericordiam compelli & accelerare. Eſt magnus ille fructus, ex quo Apoſtolus legem ait fuiſſe noſtrum, qui terroribus ad Chriſtum Dominum & Juſtitiæ dilectionem cogeret, pædagogum.

Seſſ. 6. c. 6. Can. 8.

Seſſ. 14. c. 4.

Et hinc patet ad famoſam quæſtionem, An ſervilitas a timoris ſervilis ſubſtantia diſtinguatur ac ſeparari poſſit, optimum eſſe Angelici Doctoris reſponſum: Si *ſervilitas eſſet de ratione timoris ſervilis, oporteret quod timor ſervilis eſſet ſimpliciter malus. Sed prædicta ſervilitas non pertinet ad ſpeciem timoris ſervilis, ſicut nec informitas ad ſpeciem fidei informis, & ideo timor ſervilis ſecundum ſuam ſubſtantiam bonus eſt, ſed ſervilitas ejus eſt mala.* Servilitas eſt fœdus ille animi adfectus, quo quis in bono opere tenetur invitus, quo cupiditates ſuas vellet nec prohiberi nec puniri, quo omnia ſibi libita vellet & licita. Eſt motus a timore non ſolum diverſus, ſed & adverſus: Alter enim concupiſcit & pugnat in alterum; alter alterum, licet non extinguat, compeſcit tamen & frænat. Quapropter ſervilitas a ſervili timore & ſeparari omnino poteſt, & per charitatem plene ſeparatur. Quare recte ſanctus Thomas ſervilem timorem ait eſſe non duntaxat utilem, ſed & ſubſtantia bonum. Loquitur cum ſancto Auguſtino in enarratione Pſalmorum: *Bonus eſt iſte timor.* Et

Pſ. 127.

in ſer-

in sermonibus de verbis Apostoli docet gehennas nec vane nec male timeri, & concludit: *Plane time, nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas.* Et in Enchiridio adfirmat hominem primum, in quo nullus fuit non rectus motus, a Deo sic muneratum fuisse libero arbitrio, ut tamen regeretur imperio, ac tam primæ quam secundæ mortis exitio terreretur. Et hinc illum non solum fide, spe & charitate fuisse per peccatum, sed & gehennarum metu spoliatum scribit diserte sanctus Prosper in libro adversus Collatorem. Attamen hic timor non fuit servilis, ideoque ejus bonitas non plene juvat rem præsentem.

Serm. 18. c. 8.

Cap. 25.

Cap. 19.

Exponitur timor initialis.

Audienda hic item sunt mens S. Thomæ & verba de timore initiali: *Timor initialis ex eo dicitur, quod est initium. Sed cum & timor servilis & timor filialis sint aliquo modo initium sapientiæ, utergue potest aliquo modo dici initialis. Sed sic non accipitur initialis secundum quod distinguitur a timore servili & filiali, sed accipitur secundum quod competit statui incipientium, in quibus inchoatur quidam timor per inchoationem charitatis. Non tamen inest eis timor filialis perfecti, quia nondum pervenerunt ad perfectionem charitatis. Et ideo timor initialis hoc modo se habet ad filialem, sicut charitas perfecta ad imperfectam. Charitas autem perfecta & imperfecta non differunt secundum essentiam, sed solum secundum statum. Et ideo dicendum est, quod etiam timor initialis, prout hic sumitur, non differt secundum essentiam a timore filiali.* Compendiosius exponit Petrus Pictavensis; *Initialis timor est, quando homo cessat a peccato partim virtutis amore, partim formidine pœnæ.* Est ergo quid ex servili ac filiali mixtum. Est servilis, qui charitatem imperfectam, unaque ab illa inseparabilem, & adæquate semper commensuratum filialem timorem introduxit. Est timor per introductam sapientiam seu charitatem a servilitate purgatus. Hoc locutionis genus in Christianas scholas introduxit Petrus Lombardus: ante ipsum nemo istam ex duplici timore mixturam videtur vocasse timorem initialem.

L. 3. c. 17.

CAPUT XIII.

Exponitur varia utilitas timoris servilis.

PRimam servilis timoris utilitatem jam audivimus a sacrosancta Tridentina Synodo. *Per gehennæ metum a peccando abstinemus.* A peccatis externis. *Timor iste*, inquit in sermonibus de Apostoli verbis sanctus Augustinus, *quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te, & sic volentem peccare animum interiorem non sinit. Est enim quidam custos timor, quasi pædagogus legis*, qui debet puerum non duntaxat ad magistrum ducere, sed & ejus carnalem animum ab adimplendis cupiditatibus cohibere. Latius hæc elucidat in eodem sermone: *Et latro timet malum, & ubi non potest, non facit, & tamen latro est. Deus cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile ovium, quærit invadere, jugulare, devorare. Vigilant Pastores, latrant canes, nihil poterit, nihil auferet, non occidit; sed tamen lupus venit, lupus redit. Nunquid quia ovem non tulit, ideo lupus venit, & ovis rediit? Lupus venit fremens, lupus redit tremens, lupus est tamen & fremens & tremens.* Eandem ad formam in quinto decimo sermone utitur exemplo leonis. Gehennarum metum dicit esse catenas, cataractas, ferreos compedes, quibus pravæ, Regum præsertim ac Magnatum humanas leges aut vindictas non metuentium, cupiditates intra cordis claustra, tanquam intra suas caveas aut fossas lupi, leones, tumultuantes aquæ coercentur, *Pœnarum timor*, inquit eleganter in libris de vita contemplativa Julianus Pomerius, *peccare volentes deterret a malo, & invitos tenet in bono.*

Sess. 6. Can. 8.

Serm. 18. c. 8.

Gehennæ timor coercet a peccatis externis.

Cap. 8. 9.

Cap. 6.

L. 3. c. 41.

Gehennæ timor aufert malas consuetudines.

Altera servilis timoris utilitas est, quod non solum externa peccata, sed & inveteratas etiam, sub quibus tanquam sub grandi lapide homo sepultus jacet & fœtet, ipsorum consuetudines auferat ac eradicet. Etenim de temporalium malorum timore scribit ad Vincentium Rogatistarum Cortennensem in Mauritania Episcopum sanctus Augustinus: *Homines salubriter excutit, ut tanquam de somno lethargico emergant, & in salutem evigilent.* Per eum dicit plurimos Donatistas ab inveterata & quasi incorrigibili facinorosi schismatis pertinacia evigilasse, & vivos ad Matrem Ecclesiam rediisse. Gehennarum timor est longe validior. Est quasi Domini clamor ad quatriduanum Lazarum: *Veni foras.* Hoc clamore non solum mortuos, sed & sepultos excitari scribit idem Augustinus in sermonibus de verbis Domini; etiam sese a pessima ac veternosa ad singula verba jurandi consuetudine resurrexisse adfirmat in sermonibus de verbis Apostoli, & adjungit modum: *Ex quo Deo servire cœpimus, & quantum malum sit in proximo vidimus, timuimus vehementer & veternosissimam consuetudinem timore frænavimus. Frænata restringitur, restricta languescit, languescens moritur, & malæ consuetudini bona succedit.* Quomodo ex nimio immaturarum uvarum esu quassati, & ad manducandum panem stupefacti dentes, reparantur pedetentim & reformantur per solam a dictis uvis abstinentiam, ita & ex nimio cupiditatum usu ad justitiam, veram suam escam, diligendam enervatus animus, per solam a peccatis externis abstinentiam pedetentim revigoratur. Ample hanc similitudinem in Psalmorum commentario Augustinus exponit.

Ps. 42. com. 2.

Serm. 28. c. 12.

Serm. 28. c. 9.

Tertia servilis timoris utilitas est, quod sit necessitas cogens ad bonum, de qua adagium populare: *Oportet de necessitate facere virtutem.* Exponit eleganter in libris de vita contemplativa Julianus Pomerius: *Licet voluntate impudicus sit qui necessitate pudicus est, tamen si & ille, quem timor in bono pudicitiæ tenet, vivere pudice consuescat, in virtutem plerumque de necessitate proficit, & paulatim ipsius pudicitiæ delectatione crescente pudicus veraciter fit, & ipsa proficit, ut jam non sermone, sed virtute sordes impudicitiæ detestans, non timore pœnæ carnalibus incentivis obsistat, quod est incipientium proprium, sed execratione peccati compescat inquietos carnis affectus, quod est castitatis consummatæ fastigium.* Gehennæ metum esse non minus, quam Evangelici verbi prædicationem, cui Deus non raro donet germanæ justitiæ incrementum, divinæ legis in mente nostra plantationem ac rigationem, in libris de vocatione gentium sanctus Prosper demonstrat. Est validissima illa justitiæ plantatio, quam laudat in Evangelio Dominus: *Compelle intrare.* Ejus modum in libris adversus Petilianum, pœnalium legum, quibus Donatistæ ad Ecclesiam cogebantur a Romanis Imperatoribus, pessimum osorem, insigniter exponit sanctus Augustinus, ajens per laudatas leges ac pœnas admoneri hominem, *Ut cogitet quare patiatur: Ut si pro justitia se pati perspexerit, idipsum bonum eligat pro justitia talia sustinere; si autem viderit iniquitatem esse, pro qua patitur, se infructuosissime laborare atque cruciari considerans, mutet in melius voluntatem, simulque careat & molestia sterili, & ipsa iniquitate.* Quod istam voluntatis mutationem extorqueat longe potentius etiam gehennæ timor, docet in innumeris locis. *Facit*, inquit in libris ad Pollentium, *ut quod erat necessitate cœptum, fiat charitate perfectum.* Et hæ sunt utilitates & fructus, ob quos timorem esse sapientiæ seu charitatis, quam quasi seta filum introducit, initium adfirmat Regius Propheta.

Et cogit ad bonam voluntatem.

Lib. 2. c. 17.

L. 2. c. 48.

L. 9. c. 19.

Porro sicuti prædicatio justitiam non solum plantat, sed & plantatam rigat, ita etiam timor: Introductæ a se atque initiatæ sapientiæ seu charitatis infirmitatem adversus tentationes illas fortiores roborat, a lapsu custodit, ad easdem superandas adjuvat, facitque victricem. Et hæc est quarta ejus utilitas, quam in Confessionum libris laudat sanctus Augustinus, de semetipso quibusdam adhuc cupiditatum reliquiis ligato dicens ad Dominum: *Tenebar, & instabas tu Domine in occultis meis severa misericordia flagella ingeminans timoris & pudoris, ne rursus cessarem, & non abrumperetur idipsum exiguum & tenue quod remanserat & revalesceret iterum, & me robustius alligaret.* Et in secunda super Psalmum sexagesimum secundum concione scribit de quibusdam infirmæ adhuc charitatis Martyribus: *Majore timore minora conteranimus. Quis non bibat tribulationis temporalis poculum, metuens ignem gehennarum?* Ad Martyrium passim robusta, qua saltem patienter mortem acceptemus, charitas requiritur, certumque etiam est & cum adulta, immo & cum nutrita aut nata duntaxat charitate quosdam ad gloriam istam pervenisse. Modum Augustinus exponit in commentario Psalmi vigesimi tertii. *Quomodo si videas avem jam cadere in muscipulam, facis majorem strepitum, & volat de muscipula. Sic & Martyrum jam forte aliqui intendebant collum in dulcedinem hujus vitæ: Dominus, qui erat in illis, fecit strepitum gehennarum, & erutus est passer de muscipula venantium.* Per Domini clamorem: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Gehennarum timor non est invalidior vanæ gloriæ cupiditate, per quam acceptari & superari posse crudelissima etiam tormenta ac mortem, & martyrii licet non veritatem, certe fucum consummari, plura nos Hæreticorum & Schismaticorum exempla docuerunt. Quæ omnia eleganti compendio in monasticarum institutionum libris complectitur Joannes Cassianus: *Principium nostræ salutis, ejusdemque custodia, timor Domini est. Per hunc enim & initium conversionis, & vitiorum purgatio, & virtutum custodia his, qui*

L. 8. c. 11.

Adjuvat imperfectam charitatem.

L. 4. c. 39.

qui imbuuntur ad viam perfectionis. Hinc cuſtos iſte hominem non deſerit. *Quouſque perveniat ad talem animum, ut plus amet Dominum, quam timeat gehennam, ut etiamſi dicat ei Deus, utere deliciis carnalibus ſempiternis, & quantum potes, pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, ſed mecum tantummodo non eris, exhorreſcat, & omnino non peccet, non jam ut in illud, quod timebat, non incidat, ſed ne illum, quem amat, offendat*. Hoc eſt, donec in illo fiat charitas perfecta, a qua ſola timorem uti ſuperfluum pelli ſanctus Joannes Apoſtolus adfirmat.

Aug. l. de catechiz. rudib. c. 17.

CAPUT XIV.

Exponitur varia imperfectio ſervilis timoris.

SErvilem gehennarum metum de imperfectione frequenter notat ſanctus Auguſtinus. In ſermonibus de verbis Apoſtoli: *Cum ideo adulter non eſſe cœperis, quia times ardere in igne ſempiterno, nondum laudandus es. Non quidem ita dolendus ut ante, ſed tamen necdum laudandus. Quid magnum eſt timere pœnam? Magnum eſt amare juſtitiam*. Et in alio ſermone: *Si timore gehennæ non facis malum, nondum es perfectus. Eſt quidem in te fides: Gaudeo fidei tuæ, ſed adhuc timeo malitiæ tuæ*. Utique malitiæ ſervilitatis. Habet timor iſte imperfectiones varias. Primam laudatus Auguſtinus adſignat in eiſdem ſermonibus: *Qui adhuc ideo bene agit, quia pœnam timet, Deum non amat, necdum eſt inter filios*. Et in alio ſermone: *Si timore gehennæ non facis malum, non amore juſtitiæ facis bonum*. Et in ſermonibus de tempore: *Ille timor, quem charitas foras mittit, propterea pungit animam, ne amittatur aliquid quod in creatura diligitur, vel ipſa ſalus & requies corporalis, aut aliquid tale poſt mortem. Propterea enim & apud inferos timentur pœnæ, & dolores, & tormenta gehennarum*. Prima, inquam, hujus timoris imperfectio eſt imperfectio, ſeu vitium radicis: Oritur enim, non ex caſto Dei ſeu juſtitiæ, ſed ex mercenario amore ſui ipſius, quo homo ſibi ipſi bene vult eſſe, non ſolum in hac vita, ſed etiam in futura. Porro ſui ipſius amorem, quo homo non in Deo, ſed in ſe ipſum diligit, eſſe fontem impurum, & omnis diſtorti adfectus primam radicem, eſt unum e fundamentis doctrinæ Catholicæ & Auguſtinianæ.

Servilis timor eſt imperfectus. Serm. 18. c. 7. 9. Serm. 19. c. 9. Oritur ex amore ſui. Serm. 13. c. 1. Serm. 19. c. 19. Serm. 214. c. 3.

Alteram timoris imperfectionem producit in libro de natura & gratia ſanctus Auguſtinus; hanc Domini, *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*, & hanc Regii Prophetæ, *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras*, de divinis mandatis quaſi invicem adverſantes voces exponens & concordans: *Utrumque verum eſt; duræ ſunt* Domini leges ſeu viæ *timori, leves amori*. Amor meus, pondus meum, illo feror, quocumque feror, etiam per aſperrima atque duriſſima, & quidem ſine labore, immo cum voluptate. Plenæ enim, quam amor donat, vel potius quæ eſt amor, voluntati nihil eſt difficile; at vero timor, quia originalem noſtram, cui ſoli, non autem naturæ rectæ, Divina lex eſt oneroſa, infirmitatem non tollit, ſed invitam compellit ad ejus cuſtodiam, laborem habet & difficultatem duriſſimam. Nihil durius aut difficilius opere, quod facis compulſa & renitente voluntate. Et hanc timoris imperfectionem non ſoli Patres inculcant frequentiſſime, ſed & ipſe ſanctus Joannes Apoſtolus: *Timor tormentum habet*.

Cap. 69. Dei legem non facit levem.

Tertia imperfectio eſt, quod per ſervilem timorem divina lex non plene adimpleatur. Lucide id Auguſtinus tradit in libro de fide & operibus: *Lex non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ completur*. Et in libro de ſpiritu & litera: *Mandatum ſi fit timore pœnæ, non amore juſtitiæ, ſerviliter fit, non liberaliter, & ideo non fit. Non enim fructus eſt bonus, qui de radice charitatis non ſurgit*. Et in Enchiridio: *Quod ita fit timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus noſtris, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quantumvis fieri videatur*. Et apud ſancti Proſperi ſententias: *Quantum ad opera attinet, quæ forinſecus aguntur, & qui timet pœnam, & qui amat juſtitiam, non facit contra mandatum, & ideo pares quidem ſunt manu, ſed diſpares corde. Similes actione, diſſimiles voluntate*. Et in quæſtionibus ſupra Deuteronomium: *Si forinſecus ea, quæ Deus jubet, manibus fiant, corde non fiant, nemo eſt tam inſulſus qui præcepta arbitretur impleri*. Deus enim optimus maximus non ſolo corpore, ſed & corde, utique caſto ſupremi atque incommutabilis recti, quod ipſe eſt, amore fieri mandat ſuæ legis opus; fieri mandat liberaliter, filialiter, prompta & ſpontanea voluntate. At vero qui ex timore facit, facit voluntate invita & averſa, cor ejus non eſt rectum cum Deo, eſt ex illis de quibus Regius Propheta: *Non cuſtodierunt teſtamentum Domini, & in lege ejus noluerunt ambulare*. Non dicit, *Non ambularunt*, ſed, *Noluerunt ambulare*. Supponit ambulaſſe, & tamen adjungit ambulare noluiſſe. Rationem dat in Pſalmi iſtius commentario ſanctus Auguſtinus. *Poterat putari lex operum quaſi ſufficere ad juſtificationem, cum ea, quæ præcipiuntur, forinſecus fiunt ab eis hominibus, qui mallent non præcipi, quæ non ex corde faciunt, & tamen faciunt, & per hoc quaſi videntur ambulare in lege Dei, ſed nolunt ambulare. Non enim ex corde faciunt. Ex corde enim nullo modo fieri poteſt, quod fit formidine pœnæ, non amore juſtitiæ*. Eos eſſe dicit pravam illam generationem, quæ quidem externa opera, ſed *cor ſuum non direxit*; quæ dimidiatum duntaxat legis opus fecit, ideoque ipſam non complevit. Et ex iſto commentario laudatam ſuam ſententiam, paucis mutatis verbis ſanctus Proſper deſumpſit.

Ps. 77.

Quarta iſtius timoris imperfectio eſt, quod adjunctam ſibi ſervilitatem, ſeu latentem in corde cupiditatem & peccandi adfectum non extinguat & ſanet, ſed compeſcat ſolummodo & frænet. Tradit hoc ſanctus Auguſtinus in literis ad Anaſtaſium: *Inaniter putat victorem ſe eſſe peccati, qui pœnæ timore non peccat, quia etſi foris non impletur negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult facere quod vetatur, ſi ſubtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt, qui vult facere quod non licet fieri, ſed ideo non facit quia impune non poteſt fieri*. Et in libro de natura & gratia: *Sub lege eſt qui timore ſupplicii, non amore juſtitiæ ſe ſenſit abſtinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi. In ipſa enim voluntate reus, qua mallet, ſi fieri poſſet, non eſſe quod timeat, ut libere faciat quod occulte delectat*. Quod gehennarum metus ſolam manum & alia membra compeſcat, non cor a pravis cupiditatibus expurget, ſed ipſas intra illius clauſtrum duntaxat liget, eſt ſupra abunde oſtenſum. Quod deſideria iſta ſolo Dei amore exſtinguantur, eſt etiam conſtantiſſima ſancti Auguſtini doctrina. Etenim ſcribit in libro contra legis & Prophetarum adverſarium: *Deſiderium peccandi non exſtinguitur, niſi contrario deſiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur*. Et in libro de gratia Chriſti: *Lex prohibendo auget peccati cupiditatem, niſi diffundat Spiritus charitatem*. Et in libro de Spiritu & litera: *Ubi ſanctus non adjuvat Spiritus, inſpirans pro concupiſcentia mala concupiſcentiam bonam, hoc eſt, charitatem diffundens in cordibus noſtris, profecto lex, quamvis bona, auget peccandi deſiderium*. Et in Enchiridio: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non eſt Dei charitas*. Et in literis ad Horontianum Epiſcopum ſanctus Ambroſius: *Charitas peccandi excludit adfectum*. Vocem, *Sola*, licet non exprimatur, certum & clarum eſt a ſancto Doctore omnino ſubaudiri. Laudatam a Regio Propheta legem, *Lex Domini immaculata convertens animas*, eſſe charitatem adfirmat in literis ad fratres Carthuſienſes ſanctus Bernardus, & adjungit: *Quod ſola videlicet ſit, quæ ab amore ſui & mundi avertere poſſit animum, & in Deum dirigere. Nec timor quippe, nec amor privatus convertit animam. Mutant interdum vultum*, ſeu actum externum, *affectum nunquam*. Veritatem iſtam inſigniter & copioſe demonſtrat.

Timor non excludit peccandi voluntatem. Ep. 141. Cap. 57. Eam extinguit ſolus Dei amor. L. 3. c. 7. Cap. 6. Cap. 4. C. 117. Epiſt. 44. Ep. 11.

Obſtare videtur in ſermonibus de Apoſtoli verbis ſanctus Auguſtinus, de homine ſub lege poſito, ſeu per legis timorem bene agente, ſcribens: *Non furatur, non adulterat, non dicit falſum teſtimonium, non facit homicidium, non concupiſcit rem proximi. Poteſt hoc, poteſt fortaſſis. Unde? Timore pœnæ*. Lucide dicit nos per gehennæ timorem, non ſolum ab externo opere, ſed & ab interna peccati concupiſcentia liberari. Etiam in tractatibus ſuper ſancti Joannis Epiſtolam ait: *Homo timendo corrigit ſe, vigilat adverſum hoſtes ſuos, id eſt, adverſus peccata ſua. Incipit reviviſcere interius, & mortificare membra ſua, quæ ſunt ſuper terram*. Quid eſt interius reviviſcere, niſi non concupiſcere? Conſonat in libris de vita contemplativa inſignis beati Auguſtini Diſcipulus, Julianus Pomerius: *Ad pœnam, quæ peccanti debetur, mens, antequam peccet, adſpiciat, & nihil eam peccati oblectat, nec ad peccandum ulla delectatio corporalis inclinat. Si eo tempore, quo quis peccare deliberat, ſana mente conſideret, quæ pœna exſpectet in ſuis facinoribus ac flagitiis deprehenſos, neſcio an poſſit quibuslibet vitiis accommodare conſenſum*. Palam adſeverare videtur per gehennæ metum evacuari internam peccati delectationem & conſenſum.

S. Auguſtini locus in ſpeciem contrarius. Serm. 15. c. 6. Tract. 9. L. 13. c. 11.

Reſpondeo in primo ſancti Auguſtini loco producendum eſſe totum contextum. Sequitur enim: *Quamquam qui timore pœnæ concupiſcit, puto quia concupiſcit.*

Exponitur.

ſcit. Quid eſt, *Non concupiſcit*, &, *Puto quia concupiſcit?* Diſtinguenda eſt duplex peccati cupiditas. Alia patens, & poſita quaſi in cordis ſuperficie; alia latens, & in cordis profundo ac intimo receſſu occultata. Patens cupiditas eſt mentis imperium ſeu decretum, quo quis conſentit & ſtatuit furari, mœchari, in pravis cogitationibus aut operibus volutari. Et hæc cupiditas per ſervilem timorem, non ſolum in hominibus, ſed etiam in lupis ac leonibus, omnino evacuatur. Per hujuſmodi metum quodvis animal ab externo opere abſtinet, ideoque & ab imperio ſeu decreto in ipſum prorumpendi. At vero latens peccati cupiditas eſt intima & ſecreta mentis præparatio, qua homo ſervili gehennarum metu frænatus mallet eſſe licitum, quod dolet vetitum, qua velit non eſſe legem peccata prohibentem aut certe punientem, qua optet non eſſe gehennas, quibus a cupiditatum ſuarum ſequela & adimpletione retardetur. Et hæc eſt cupiditas, quam Patres adſidue dicunt per ſolam charitatem evacuari. Lucet ex pluribus huc uſque adductis ſancti Auguſtini locis. Homo timore actus dividitur in duas invicem pugnantes voluntates: alteram a metu extortam, qua decernit agere, & agit quidquid agit; alteram metu priorem, & ab ipſo ſuperveniente frænatam & compreſſam, qua mallet aliud agere, ſi poſſet impune. Et hinc ex metu factum eſt ex voluntario & involuntario mixtum, abſolute tamen voluntarium, quia extorta per metum voluntas eſt validior, aliamque ſibi adverſam compeſcit, ligat, ac in intimo cordis penetrali cogit latitare, & ſilere. Et hinc eleganter dicit Auguſtinus: *Qui timore pœnæ non concupiſcit, puto quia concupiſcit*. Non concupiſcit patenter, latenter vero concupiſcit. Alter Auguſtini locus expoſitione non eget. Etenim homo per ſervilem metum incipit intus reviviſcere, quomodo incipit ſapere: Quia nempe *initium*, extrinſecum tamen, *ſapientiæ eſt timor Domini*. Eoſdem in ſenſus eſt Julianus Pomerius exponendus.

Latens ſub timore cupiditas eſt ex ſuo genere peccatum mortale. Cap. 36.

Et hinc oritur quæſtio, An latens iſta cupiditas ſit ex genere ſuo peccatum mortale? Rationem dubitandi præbet in libro de ſpiritu & litera ſanctus Auguſtinus, inter venialia fidelium peccata ponens etiam hoc: *Si quis in ipſo corde aliquid ita cogitet, ut mallet licitum quod male delectat, & per præceptum ſcitur illicitum. Etiam iſta quippe conſenſio ad peccatum eſt, quæ utique fieret, niſi pœna terreret*. Reſpondeo tamen adfirmative. Diſertis verbis id tradit in Apoſtolicæ ad Romanos Epiſtolæ commentario ſanctus Joan-

Homil. 5. nes Chryſoſtomus: *Tam miſere animati, adfectique ſumus, ut niſi gehennæ timor eſſet, ne propoſitum quidem nobis ſit bono aliquo opere defungi. Quapropter ſi nullam aliam ob cauſſam, certe ob hanc unam gehenna digni ſumus, quod videlicet plus gehennam, quam ipſum Chriſtum timeamus*. Gehennæ metus ex proprio ſui ipſius amore naſcitur, adeoque qui ob illam ſolam, & non Chriſtum Dominum a gravi peccato abſtinet, non ſolummodo plus illam timet, ſed & ſeipſum ſupra Dominum diligit: quod eſſe etiam cogitatu horrendum ſupra nobis Julianus Pomerius dixit. Gehennæ metus male agendi cupiditatem duntaxat compeſcit & frænat. Quod autem frænata & laxata cupiditas ſint fere ejuſdem fœditatis & noxæ, tradit Auguſtinus frequenter, exponitque patenti exemplo leonis aut lupi: ait lupum terrore paſtorum a vorandis ovibus frænatum eſſe adhuc lupum, & tam trementis quam frementis lupi animum eſſe ferocia penitus eundem. In litteris ad Anaſtaſium ait a latente iſta cupiditate conſtitui juſtitiæ oſorem ac inimicum, & quidem tantum, ut eam, ſi poſſet, auferret. Qui fratrem ſuum odit, & ablatum velit, homicida eſt, reuſque peccati mortalis: quanto magis tantus ſupremæ ac incommutabilis juſtitiæ, id eſt, ipſius Divinæ Majeſtatis adverſarius & hoſtis? Adductus in contrarium locus agit de venialibus juſtorum peccatis, de adfixivis, levioribus tamen, creaturæ amoribus, qui ſolo, quod imperfecta charitas ipſos non exſtinguat, ſervili timore preſſi, in ſimiles cogitationes & adfectus, ob materiæ levitatem duntaxat veniales, non poſſunt aliquando non ebullire.

Quinta tandem timoris hujus imperfectio eſt, quod ſit quidem ſapientiæ initium, ſed extrinſecum. Etenim ſapientia iſta aliud non eſt quam juſtitia noſtra, & ſupremæ incommutabilis juſtitiæ caſta dilectio, cujus partem intrinſecam non eſſe gehennæ ſervilem metum clamat res ipſa, & lucide tradit ſanctus Auguſtinus in libris ad ſanctum Pontificem Bonifacium: *Tunc bonum concupiſci incipit, quando dulceſcere incipit; quando autem timore pœnæ, non amore juſtitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum*, adeoque intrinſeca juſtitiæ exordia necdum cœperunt. Divinæ juſtitiæ metus ſervilis, ejuſdemque juſtitiæ ſeu ſupremi & incommutabilis boni caſta dilectio ſunt extrema veterem finientia, & novum hominem inchoantia confinia, ideoque neutrum poſſit alteri eſſe intrinſecum, aut ad ipſum uti pars pertinere. Quæ eſt adſidua Auguſtini doctrina, inſigniter elucidata per Petrum Pictavienſem: *Servilis timor aliter dicitur initium ſapientiæ, aliter timor initialis. Quia timor ſervilis eſt initium ſapientiæ, id eſt, ad ſapientiam; initialis vero eſt initium ſapientiæ, id eſt, in ſapientia, quia eſt quaſi pars ſapientiæ, qui habetur cum charitate. Sed timor ſervilis eſt quaſi ſeta, quæ ducit filum per foramen, quia ipſe præcedit charitatem*. Loquitur ex magiſtro ſuo Petro Lombardo, qui & ipſe ſervilem ac initialem timorem docens aliter & aliter eſſe ſapientiæ exordium, pergit: *Servilis ideo dicitur initium ſapientiæ, quia præparat locum ſapientiæ, & ducit ad ſapientiam; initialis vero dicitur initium ſapientiæ, quia eſt inchoata ſapientia: Quem cum quis habere incipit, ſapientiam & charitatem habere incipit*.

L. 3. *c.* 19.

Lib. 3. *Diſt.* 34.

CAPUT XV.

An ob iſtas imperfectiones ſervilis gehennarum metus ſit peccatum?

DE timore mundano ſcribit Petrus Pictavienſis: *Nulli dubium eſt, quin ſit malus. De ſervili autem dubitatio eſt, & ubi eſt dubitatio, conſtituenda eſt diſputatio. Ideo de iſto agendum eſt*. Adſerere videtur quoſdam ſuo tempore, fallacibus argumentis nixos, pro parte adfirmativa ſtetiſſe. Quidquid ſit, fallacia cum nato ex ipſis errore argumenta pertinaciſſime in dogma adſumpſit Martinus Lutherus. Favere videtur in libris de vita contemplativa Julianus Pomerius, qui poſt inſigniter expoſita ſervilis ac filialis timoris diſcrimina, adverſum Stoicos, omnem omnino timorem de vitio damnantes, adjungit: *Non omnis timor haberi debet in vitio, ſed ille tantum, de quo ſcriptum eſt*, QUIA TIMOR TORMENTUM HABET. Hoc eſt, timor ſervilis gehennarum. Fundat ſe Martinus Lutherus in ſancto Auguſtino, palam adſerente ſervilem gehennarum metum eſſe proprii, lucide vitioſi, amoris fœtum, ideoque vult illum non poſſe non eſſe vitioſum. Neque hic ſtetit hominis temeritas. Etenim ſextus ejus per Leonem X. Pontificem damnatus articulus eſt hic: *Contritio, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & acquiſitionem æternæ damnationis. Hæc Contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem*. Non ſolum gehennæ metum, ſed & conceptam ex illo Contritionem imperfectam, ſeu Attritionem blaterat eſſe peccatum. Et in ſua adverſus laudati Pontificis Bullam apologia mordaciſſime id defendit.

Lib. 3. *c.* 18.

Lib. 3. *cap.* 31.

Lib. 3. *cap.* 32.

Adverſus primum errorem ſtatuit ſacroſancta Tridentina Synodus: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere, anathema ſit*. Quidam non de pure ſervili, ſed de initiali ſeu mixto, adeoque & ab adjuncta ſervilitate purgato metu exiſtimant ſtatui a Synodo: Et opinio non caret fundamentis. Ego credo ſtatui etiam de pure ſervili. Eum quippe eſſe non ſolummodo utilem, ſed etiam bonum audivimus ſupra a ſancto Thoma & ſancto Auguſtino, qui omnino nuſquam eum dixit peccatum, malum, vanum, aut vitioſum. Et hinc Juliani Pomerii pro ſuis de vita contemplativa libris verba, *Sanctum Auguſtinum pro poſſibilitate ſecutus ſum*, de ſolo ſenſu, non de ſententia ſeu loquendi formulis ſunt accipienda. Eis concordat Petrus Pictavienſis: *Bonum multipliciter dicimus. Bonum meritorium, bonum utile, bonum de genere bonorum. Servilis autem timor bonus eſt, id eſt, utilis, quia introductorius eſt ad charitatem. Sed non eſt bonus, id eſt, meritorius*. Dicit etiam eſſe bonum de genere bonorum, id eſt, officio, ſeu ut ſanctus Thomas ſupra locutus eſt, ſubſtantia bonum. Eſt ſimilis charitati illi, de qua in populari ſermone ſanctus Auguſtinus: *Licita eſt humana charitas, qua uxor diligitur. Et qua filii & alii conſanguinei diliguntur. Humana eſt, ſed licita. Non ſolum ita licita eſt, ut concedatur, ſed ita licita eſt, ut ſi defuerit reprehendatur. Sed videtis iſtam charitatem poſſe eſſe & impiorum, id eſt, Paganorum, Judæorum, Hæreticorum. Quis enim eorum non diligit uxorem, filios, fratres? Hæc ergo humana eſt*. Addit eam *non reprehendi*. Eſt tamen humana, ſeu humani arbitrii opus, non Divina, ſeu infuſum Dei donum, *quod nos perducat ad regnum*. Et hinc in alio ſermone dicit eam eſſe carnalem, & necdum laudandam. *Non enim laudandus eſt qui amat filios*,

Gehennæ metus non eſt peccatum. Seſſ. 6. *Can.* 8.

Lib. 3. *cap.* 15.

Serm. 52. *de temp. c.* 1. 2.

Homil. 38. *c.* 1.

filios, ſed deteſtandus qui non amat. Quod ipſum in vigeſima ſeptima ſuper Evangeliis Homilia tradit Gregorius magnus: *Sunt nonnulli qui diligunt proximos, ſed per affectionem cognationis & carnis, quibus tamen in hac dilectione ſacra eloquia non contradicunt. Sed aliud eſt quod ſponte impenditur naturæ, aliud quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientiæ. Hi nimirum & proximum diligunt, & tamen illa ſublimia dilectionis præmia non adſequuntur: quia amorem ſuum, non ſpiritaliter, ſed carnaliter impendunt*. Eſt amor licitus, bonus, irreprehenſibilis, at ſolo officio & ſubſtantia, non fine & radice. Nec enim eſt propter Deum, ſed propter proprium ſanguinem; neque ex caſto Dei, ſed ex privato ſui amore procedit. Hinc humanus & carnalis eſt, non Divinus & ſpiritalis, nec meritorius regni. Radix ſeu origo iſta eſt omnino aliquid vitii, ſed quod nequeat inficere, aut malum reddere ipſum officium, ſed ſubſtantiam actus. Et hinc Julianus Pomerius, ſervilem gehennæ metum dicens eſſe in vitio, non eſt bene locutus.

Supponit fidem.

Hinc item laudatus timor, licet infuſum ac ſupernaturalem fidei actum frequenter præſupponat, non eſt tamen ipſe actus infuſus aut ſupernaturalis. Quod fidem iſtam frequenter ſupponat, diſerte tradit ſanctus Auguſtinus in ſermonibus de verbis Apoſtoli: *Si timore gehennæ non facis malum, eſt in te fides, quia times futurum eſſe Dei judicium. Gaudeo fidei tuæ, ſed adhuc timeo malitiæ*, ſeu ſervilitati *tuæ*. Et in ſermonibus de verbis Domini: *Evangelium eos ſolos terret, qui fidem habent, eos autem non terret, qui fidem non habent*. Et in tractatibus ſuper ſancti Joannis Epiſtolam: *Cœpit aliquis credere diem judicii. Si cœpit credere, cœpit & timere*. Et in libro contra Collatorem ſanctus Proſper lapſos in Paradiſo Protoplaſtos dicit fuiſſe ſpoliatos non ſola fide, ſpe, & charitate, ſed nec gehennarum illis manſiſſe metum, *Ut ab interdictis vel metu caverent pœnæ, qui abſtinebant amore juſtitiæ*. Quod nempe ſine aliqua fide timor iſte non poſſit eſſe. Et hinc de Catechumenis dicit ſacroſancta Tridentina Synodus: *Diſponuntur ad ipſam juſtitiam, dum excitati Divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, Divinæ Juſtitiæ timore utiliter concutiuntur*. Palam dicit infuſam fidem a timore præſupponi.

Serm. 19. cap. 9.

Serm. 4. cap. 1. Tract. 9.

Cap. 19.

Seſſ. 6. Cap. 6.

Non ſemper ſupponit fidem infuſam.

Dico timorem hunc non poſſe eſſe *ſine aliqua fide*, & fidem infuſam ab ipſo *frequenter ſupponi*. Hæc enim non ſemper ſupponitur. Etenim Hæretici etiam, quin & quidam Pagani, a quibus remotiſſima eſt infuſa fides, gehennam omnino timent & timuerunt. Sufficit ergo animalis fides, & quævis humana credulitas aut perſuaſio, qualem carnalibus Judæis infuiſſe ſcribit in libro de ſpiritu & litera ſanctus Auguſtinus. Addo etiam illum, qui fidem infuſam præſupponit, non eſſe infuſum aut ſupernaturalem. Quod enim non ex ſpeciali Dei per Jeſum Chriſtum dono, ſed ex proprio ſui amore, adeoque ex puro libero arbitrio naſcatur, eſt ſupra oſtenſum ex ſancto Auguſtino. Et res ipſa clamat. Nam qui æque de infligenda peccatis ſuis per juſtum & optimum Deum gehenna, ac de infligendo per hominem Regem capitali ſupplicio non dubitat, utrumque malum non poteſt non æqualiter, immo iſtud longe magis fugere & horrere. Licet porro timor ille non ſit infuſus, eſt tamen a Deo incuſſus actus, quarum Divinarum cauſalitatum differentiam exponere non ſpectat ad quæſtionem præſentem. Gehennæ metum, uti ſanctum & Dei donum, laudari vario ſancti Auguſtini & aliorum Patrum teſtimonio novi. Nempe non omnis iſtius mali metus eſt ſervilis; aliquis etiam caſtus eſt, qualis fuit in Adamo ante lapſum, & in multis poſtea Sanctis, timentibus illud, non quia ipſis durum ſit, ſed quia intellectualis creaturæ a naturali ejus fine ſeparativum.

Cap. 32.

Nec ipſe eſt actus infuſus. Eſt tantum incuſſus.

Contritio imperfecta non eſt peccatum. Eſt Dei donum.

Adverſus alterum Martini Lutheri errorem ſacroſancta Tridentina Synodus emiſit hoc Decretum: *Illam Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, declarat* ſacroſancta Synodus *non ſolum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam Dei donum eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo Pœnitens adjutus ſibi viam ad juſtitiam parat*. Et hunc Canonem: *Si quis dixerit, eam Contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum ac utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam & magis peccatorem; demum illum eſſe dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium; Anathema ſit*. Diſtinguit duplicem pœnitentis animi motum: Gehennæ ac aliarum pœnarum ſervilem, ex quo imperfecta Pœnitentium Contritio communiter concipitur, metum, & ex ipſo conceptam Attritionem: Hanc definit eſſe motum, non duntaxat utilem, ſed & licet non perfectam, tamen veram Contritionem, Spiritus ſancti donum ac impulſum, actum non incuſſum, ſed infuſum, impetrandæ peccatorum remiſſioni præparationem cum Sacramento aptam & omnino ſufficientem. Quæ omnia cæce ac impie Lutherus impugnarat. Laudatos inter motus eſt grande diſcrimen, ſtatim exponendum.

Seſſ. 14. cap. 4.

Can. 5.

CAPUT XVI.

Quæſtiones aliquot circa ſervilem gehennæ metum.

Gehennæ metus non facit magis peccatorem.

QUæſtio prima eſt, An ſacroſancta Tridentina Synodus recte dicat, quod ſervilis gehennarum metus non ſolummodo peccatum non ſit, ſed nec hominem faciat magis peccatorem? Reſpondeo adfirmative. Etenim loquitur cum S. Auguſtino in ſermonibus de verbis Apoſtoli: *Cum ideo adulter non eſſe cœperis, quia times ardere in igne ſempiterno, necdum laudandus es. Non quidem ita dolendus ut antea, ſed tamen nondum laudandus*. Quare non ita ut antea dolendus? Certe non alia de cauſa, niſi quia minor es quam antea peccator. Et in libro de patientia idem Auguſtinus ſcribit: *Si quis non habens charitatem, in aliquo ſchiſmate conſtitutus, ne Chriſtum neget, patitur tribulationes timore gehennarum & ignis æterni, nullo modo iſta culpanda eſt, immo vero & hæc laudanda patientia. Non enim dicere poterimus, melius ei fuiſſet, ut Chriſtum negando nihil eorum pateretur, quæ paſſus eſt confitendo, ſed exiſtimandum fortaſſe ei tolerabilius futurum judicium, quam ſi Chriſtum negando cuncta illa vitaret; ut illud, quod ait Apoſtolus*, SI TRADIDERO CORPUS MEUM ITA UT ARDEAM, CHARITATEM AUTEM NON HABEAM, NIHIL MIHI PRODEST, *nihil prodeſſe intelligatur ad regnum cœlorum obtinendum, non ad extremi judicii tolerabilius ſupplicium ſubeundum*. Quia nempe iſte gehennarum timor facit minus peccatorem. Licet non interna, externa tamen peccata vitat, atque ita mediam Divinæ legis partem explet: quod quis non videt eſſe peccatum minus plena prævaricatione?

Serm. 18. cap. 7.

Cap. 26.

Lutheri argumentum ſolvitur.

Verum in ſua adverſus Leonis X. Pontificis Bullam apologia Martinus Lutherus objicit: Apoſtolus dicit legem fuiſſe gratia prævaricationis poſitam, & ut abundaret delictum; at vero per legem idem Apoſtolus intelligit palmarem ac fere unicum legis effectum, ab ipſa incuſſum gehennæ ac aliarum pœnarum metum; ergo etiam hic ad delicti abundantiam nobis incutitur, facitque nos magis peccatores. Reſpondeo falſam eſſe minorem. Etenim lex duos habet palmares effectus: Cognitionem peccati, & incuſſum pœnæ metum. Hinc peccatum & minuit & auget. Per datam ignoti antea peccati notitiam, ablatamque ignorantiam, ex ſimplici delicto facit prævaricationem, & quaſi intenſive auget; per incuſſum pœnæ metum graſſantes in vetere animo concupiſcentias, licet non auferat, tamen compeſcit ab externis operibus & frænat, ex media parte legem obſervat, peccati per multa extenſionem truncat & contrahit, atque ita palam nos facit minus peccatores. Cognitionis effectum doloſe in metum Martinus Lutherus tranſtulit, atque ita peſſime erravit.

Exponitur Canon Tridentinus.

Altera quæſtio eſt, cur ſacroſancta Synodus Canoni ſuo addiderit hæc verba: *Per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus?* Reſpondeo verba iſta eſſe combinanda cum his, *Si quis dixerit, gehennæ metum peccatum eſſe*. Et hinc quidam graviſſimi Doctores exiſtimant Synodum, non de pure ſervili, ſed definire de metu initiali, quem præſertim infamarat Martinus Lutherus. Nec loquuntur ſine fundamento. Etenim ſacroſancta Synodus definitas prius in ſuo fidei Decreto veritates rurſum poſtea ſuis in Canonibus ſeu Anathematiſmis paſſim repetit & confirmat, atque ita adducta octavi Anathematiſmi verba omnino correſpondent hiſce, de initiali timore palam agentibus, in ſexto capite Decreti: *A Divinæ Juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes ſibi Deum, propter Chriſtum, propitium fore, illumque tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſus peccata ſua per odium aliquid & deteſtationem, hoc eſt, per eam Pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet*. Purum ac plenum, cui adhuc

huc adnexa ſervilitas, ſervilem metum peccati quidem accuſavit, de ipſo tamen vix expreſſe diſputavit Martinus Lutherus, ideoque & ſancta Synodus videtur de ipſo nihil definiſſe. Fundata & probabilis eſt hæc opinio. Quod tamen adductus Anathematiſmus etiam de plene ſervili, & necdum purgato metu poſſit intelligi, & ſupra dixi, & rurſum hic adfirmo.

Exponuntur alia Synodi verba. Cap. 4.

Quæſtio tertia eſt, Cur ſacroſancta Tridentina Synodus Canoni adjunxerit etiam hæc verba, *Vel a peccando abſtinemus?* Reſpondeo iſta verba eſſe combinanda cum his: *Si quis dixerit, gehennæ metum peccatores pejores facere.* Eorum rationem adſignat in libro de ſpiritu & litera ſanctus Auguſtinus: *Ubi ſanctus non adjuvat Spiritus, lex, quamvis bona, auget prohibendo deſiderium malum, ſicut aquæ impetus, ſi in eam partem non ceſſet influere, vehementior fit obice oppoſito, cujus molem cum evicerit, majori cumulo præcipitatus, violentus per prona pervolvitur.* Et in literis ad Anaſtaſium: *Pœnæ corporis, etſi non a voluntate, tamen revocant ab opere peccati. Nec facile quiſquam eſt qui committat, quo illicitam & immundam percipiat voluptatem, ſi cruciatus vindictæ certum eſt continuo ſecuturos. Hinc ille eſt nequiſſimus, quem nec pœnæ corporales deterrent ab operibus ſordidæ voluptatis.* Et in ſermonibus de verbis Apoſtoli: *Minor erat concupiſcentia, quando ante legem ſecurus peccabas, nunc autem oppoſitis obicibus legis fluvius concupiſcentiæ quaſi frænatus eſt paululum, non ſiccatus. Sed creſcente impetu, qui te ducebat obicibus nullis, obruit te obicibus ruptis. Concupiſcentia tum minor erat, quando tuam movebat libidinem; omnis eſt, quando tranſcendit & legem. Vis noſcere quam magna ſit? Vide quid ruperis:* NON CONCUPISCES. *Non homo dixit, Deus dixit.* Servilis ergo gehennæ aut aliarum pœnarum metus, dum graſſantem in veteri corde libidinem frænare & cohibere non poteſt, omnino facit, duntaxat tamen occaſionaliter, aut potius oſtendit nos magis peccatores. Hinc addidit ſacroſancta Synodus: *Vel a peccando abſtinemus.* Notanda eſt disjunctio, *vel:* Definit duplicem gehennæ metum, & illum quo de peccatis dolendo ad Dei miſericordiam confugimus, & illum quo a peccando abſtinemus, nec peccatum eſſe, nec facere magis peccatores. At vero ille, quo ad Dei miſericordiam de peccatis dolendo necdum confugimus, ſed ab externis peccatis duntaxat abſtinemus, necdum eſt initialis, ſed palam adhuc plene ſervilis: Ergo etiam hunc ſacroſancta Synodus definit non eſſe peccatum.

Ep. 144.

Serm. 4. c. 5.

Quarta quæſtio eſt, Cur ſacroſancta Synodus conceptam ex ſervili pœnarum metu Contritionem laudans dicat, *Si quis dixerit, eſſe dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium; anathema ſit?* Reſpondeo dicere adverſus Martinum Lutherum, in ſua memorata Apologia, ac in ſermone de Pœnitentia peſſimas iſtas Donatiſtarum nugas ſine fronte reſuſcitantem. Conceptam ex ſervili metu Contritionem cum ipſo metu ac ejus ſervilitate confundit homo cæcus & doloſus, ideoque & hujus & iſtius, quorum externa bona opera & a peccatis externis abſtinentia ſunt veraciter compulſa & ſecundum quid involuntaria, imperfectiones & vitia in illam nequiter & Donatiſte tranſcribit. Reſuſcitat a ſancto Auguſtino memoratum errorem Petiliani, Conſtantinenſis ſeu Cirthenſis Epiſcopi Donatiſtæ: *Dixit Dominus Chriſtus*, NEMO VENIT AD ME, NISI QUEM PATER ATTRAXERIT. *Cur vos non liberum arbitrium unicuique ſequi permittitis?* Agit Petilianus adverſum leges imperiales, gravibus temporalium malorum terroribus Donatiſtas ad matrem Eccleſiam redire cogentes: Ejuſmodi reditum garrit non eſſe liberum ac voluntarium, ſed coactum. Eandem fuiſſe Gaudentii Thamugadenſis Epiſcopi, Creſconii Grammatici, ac totius Factionis opinionem, poſſit facile oſtendi. Magiſtros ſuos Lutherus agnoſcat. Petiliano autem reſpondit S. Auguſtinus: *Sicut fieri poteſt, ut quos in libero dimiſit arbitrio, attrahat tamen ad Filium Pater, ſic fieri poteſt, ut ea, quæ legum coercitionibus admonentur, non auferant liberum arbitrium. Quidquid enim homo durum ac moleſtum patitur, admonetur ut cogitet quare patiatur: ut ſi pro Juſtitia ſe pati perſpexerit, id ipſum bonum eligat pro Juſtitia talia ſuſtinere; ſi autem viderit iniquitatem eſſe, pro quo patitur, ſe infructuoſiſſime laborare atque cruciari conſiderans, mutet in melius voluntatem, ſimulque careat & moleſtia ſterili, & ipſa iniquitate.* Quod ipſum aliis & aliis verbis ſcribit etiam in libris adverſus Gaudentium, in literis ad Vincentium Rogatiſtarum Epiſcopum Cartennenſem; in libris adverſus Creſconium, in literis ad Donatum Presbyterum Donatiſtam, in literis ad Dulcitium Notariorum Tribunum, & alibi frequenter. In homine per ſervilem metum ad correctionem & Contritionem perducto diſtinguenda ſunt duo tempora. Primum, dum ſolo timore movetur; ſecundum, dum timor jam concepit ſapientiam ac peperit charitatem. Priori tempore fateor hominem eſſe invitum ac involuntarium. Quia enim timor veteres in ipſo cupiditates ſolum ligat & frænat, ejus voluntas adverſus ſemetipſam eſt in timorem & cupiditatem in invicem pugnantes diviſa, hinc volens effugere peccati pœnam, hinc ejus ſuavitatem ſectari, ideoque quidquid agit, agit invitus, quia contra alteram iſtarum invicem compugnantium voluntatum. Poſteriori autem tempore eſt plene liber ac voluntarius. Tunc enim introducta eſt timorem adjuvans charitas, & expulſa timori repugnans cupiditas, omniſque prior neceſſitas verſa eſt in virtutem ac liberam electionem. Neque enim uti frænans timor & frænata cupiditas, ita introducens timor ac introducta charitas in invicem pugnant, animam trahunt in partes adverſas, aut eam faciunt idem objectum velle ſimul & nolle. Trahunt diverſa vi, timor odio pœnæ, charitas ſeu Contritio dilectione juſtitiæ, trahunt tamen in eandem partem, ideoque nihil habent, quo hominem involuntarium faciant aut invitum. Lutherus & Donatiſtæ confuderunt hæc duo tempora: Hinc purum Evangelicæ prædicationis vinum miſcuerunt & inquinarunt fœtida aqua ſuarum fabularum.

Lib. 2. c. 84.

Lib. 1. c. 15.
Ep. 48.
Lib. 3. c. 51.
Ep. 204.
Ep. 61.

Imperfecta Contritio non facit hypocritam.

Conceptam ex ſervili metu Contritionem ſacroſancta Tridentina Synodus *declarat non facere hominem hypocritam aut magis peccatorem.* Et rurſum dicit: *Si quis dixerit, facere hominem hypocritam, aut magis peccatorem, anathema ſit.* Hinc quinta quæſtio hæc. Quo hæc tendant? Reſpondeo tendere in Martinum Lutherum, in ſermone de Pœnitentia & in jam ſæpius memorata Apologia errores iſtos, non ſolum de ſervili timore aut ejus ſervilitate, ſed & de concepta per iſtum Contritione garrientem, edicentemque ſua fundamenta & cauſas: *Ego hypocritam aliter definire non poſſum, quam eum, qui id, quod facit, non ex animo & ſincero corde facit. Animum autem talem & cor non dat natura, nec collectio peccatorum, ſed ſola charitas Spiritus.* Hypocriſis, inquam ego, non eſt aliud, quam ſimulatio juſtitiæ, ſeu juſtitia ſimulata; & hypocrita non eſt aliud, quam juſtitiæ ſimulator, ſimulatus juſtus, ſeu perſonatus juſtitiæ hiſtrio, & ſepulchrum dealbatum. Ita res ipſa clamat, plurimiſque in locis tradit ſanctus Auguſtinus. Quapropter vitium iſtud importat duo: Juſtitiæ carentiam, & ipſius mendacium ſeu fictionem. Eſt omnino, licet non oris, tamen operis genuinum mendacium, ideoque una ex ejus eſſentialibus partibus eſt voluntas fallendi. Et huic ſacroſancta Synodus voci, *Hypocritam*, ſemper addit, *magis peccatorem.* Loquitur ex ſancto Auguſtino, qui in libris de Baptiſmo adverſum Donatiſtas occultum Hæreticum aut Schiſmaticum dicit eſſe *tanto ſceleratiorem, quanto magis* hæreſeos aut ſchiſmatis pravitati *fallaciam ſimulationis adjungit.* Et in ſecundo ſermone de communi Clericorum vita occultos proprietarios Clericos aut Monachos dicit mortuos, manifeſtos autem apoſtatas eſſe duntaxat cæcos aut claudos. Omnem fictum juſtitiæ ſimulatorem eſſe mortuum ſcribit in libris adverſus Creſconium Donatiſtam. Aperta enim iniquitas eſt unicum duntaxat peccatum, at vero hypocriſis internæ iniquitati addit externam fictionem juſtitiæ, ideoque eſt peccatum duplex, & facit magis peccatorem. Porro ex pœnarum metu concepta Contritio neque carentiam neque ſimulationem includit juſtitiæ: Eſt enim, licet imperfecta, omnino tamen vera operis juſtitia, & germana ſpiritus charitas, operatur ex animo & ſincero corde, proindeque ex ipſis Lutheri principiis eſt remotiſſima ab hypocriſeos labe. Concipientem metum & conceptam Attritionem non diſtinxit cæcus & doloſus Lutherus, atque hinc adeo groſſe eſt lapſus.

L. 4. c. 16.

L. 2. c. 16.

Nec item ſervilis timor.

Sexta tandem quæſtio eſt, Cur ſacroſancta Tridentina Synodus, ſervilem gehennarum metum, quo a peccando ceſſamus, definiens non eſſe peccatum, nec magis peccatorem facere, non addiderit, quod de concepta per ipſum Attritione dixit, etiam non facere hypocritam? Quidam exiſtimant aliam concipientis timoris, aliam conceptæ Attritionis eſſe hac in parte rationem: Facta ex ſervili ante introductam charitatem timore bona opera exiſtimant hypocritica, & hanc eſſe radicem diverſæ iſtius locutionis. Hic namque timor hominem quidem formoſis exteriorum operum foliis ornat, at fœdum boni & recti odium, doloſam ſervilitatem & multam cupiditatem in corde relinquit, ideoque ſimulatam ſolummodo inducit juſtitiam, & facit ſepulchrum dealbatum. Et hinc eos, qui ſuam cum carnalibus Judæis, ex ſervili timore bona operantibus, juſtitiam ſtatuunt, in libris ad S. Bonifacium Pontificem S. Auguſtinus vocat fallaciter juſtos. Reſpondeo tamen nos a ſervili, cui adjuncta ſervilitas, timore non conſtitui hypocritas. Hypocriſis enim non quemvis internæ juſtitiæ defectum, ſed importat poſitivum operis mendacium, & hiſtrioni-

L. 3. c. 7.

cam simulationem, qua certum est omnem illum, qui ex solo timore operatur bona, non semper laborare. Recte enim in libro de patientia scribit sanctus Augustinus: *Cap. 28.* *Ecclesia tenet piam fidem, non eam, quæ per elationem aut timorem, sed eam, quæ per dilectionem operatur.* Distinguit triplicem bona operandi modum: Per Dei dilectionem, per timorem, per elationem, qua utique homo vult suam constituere justitiam, & apud homines justus apparere & glorioſus. Hæc quæstio videtur ad firmum ac immobile Ecclesiæ dogma non pertinere, ideoque ab illa definienda sanctum Concilium abstinuit.

CAPUT XVII.

Exponitur essentia Attritionis, seu Contritionis imperfectæ.

L. 4. Dist. 16. §. 9. Attritionis vocabulum est novum. *Attritionis nomen*, inquit Gulielmus Estius, *Scripturæ & Patribus incognitum, a Scholæ Doctoribus, distinctionis & doctrinæ gratia, fuit excogitatum, ad significandum dolorem de peccato, seu pœnitentiam quamdam imperfectam. Sicut enim in corporalibus attritum dicitur, quod aliquo modo, nempe forinsecus tantum, læsum est aut comminutum, contritum vero, quod totum intus & foris fractione in minima resolutum est; ita in spiritualibus Attritio ab illis dicta est quædam imperfecta, & aliquousque tantum progressa Pœnitentia, Contritio vero Pœnitentia intima & perfecta.* Hæc tamen nominum distinctio videtur antiquis non plene fuisse ignota. Etenim *cordis obtritionem*, quæ videtur esse ipsissima Attritio, laudat sanctus Augustinus in libris de sermone Domini in monte. Quidquid sit, hic non de servili gehennæ aut aliarum pœnarum metu, sed de concepta exinde Contritione agimus, quæ planum est insigniter distingui. Ejusmodi porro Contritionem laudat sanctus Augustinus frequentissime. In literis ad Honoratum Thabennensem Episcopum scribit barbarica incursione concussas urbes turmatim currere ad Ecclesiam: alios Baptismum petere, alios Reconciliationem, alios actionem pœnitentiæ, omnes consolationem, Sacramentorumque confessionem ac erogationem. Et in sermone de excidio Romanæ urbis. *Omnes ad Ecclesiam confugiunt, non cepit multitudinem locus, Baptismum extorquet quisque a quo potest. Non solum in Ecclesia, sed etiam per domos, per vicos ac plateas salus Sacramenti exigitur, ut fugiatur ira, non præsens utique, sed futura.* Et in libro de catechizandis rudibus ait plurimos velle fieri Christianos, *Ut non eant in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum cum Christo.* Per quendam terræ motum innumeros ad Baptisma partim, partim ad Pœnitentiam fuisse conversos scribit etiam ac laudat sanctus Joannes Chrysostomus. Et in libris de vocatione gentium sanctus Prosper: *Quam multos, qui in tranquillitate pacis Sacramentum Baptismatis suscipere differebant, ad aquam Regenerationis confugere instantis periculi metus impulit, & lentis tepidisque animis, quod diu exhortatio quieta non suasit, minax subito terror extorsit.* Et hinc similem Ninivitarum pœnitentiam sacrosancta Tridentina Synodus ex laudati Augustini libris adversus Gaudentium Donatistam, libris de civitate Dei, & literis ad sanctum Evodium Uzalensem Episcopum, merito canonizat.

Cap. 6. *Cap. 17.* *Tom. 9. f. 360. 361.* *L. 2. c. 33.* *L. 1. c. 25.* *L. 21. c. 24.* *Ep. 99.*

Est legitima ac vera. Et hinc conceptam ex metu servili Contritionem esse legitimam, sanctam, ac veram, non est ambigendum. Ante Martini Lutheri tempora negarunt id cum Donatistis, volentibus solo amore, non timore duci homines, Pelagiani, quorum Dux & Goliath Julianus edixit: *Ab intentione propria* mala *non debet homo ulla necessitate revocari.* Respondit vero sanctus Augustinus: *Cur Apostolus adhuc Saulus cædem spirans, & sanguinem sitiens, violenta corporis cæcitate, & terribili desuper voce a sua pessima intentione revocatur, & ex persecutore prostrato illius Evangelii, quod oppugnabat, laboriosior cæteris futurus Prædicator exigitur?* Quo argumento etiam in literis ad Bonifacium Comitem utitur adversum Donatistas, & adjungit: *Melius est quidem, quis dubitaverit, ad Deum colendum homines doctrina duci, quam pœnæ timore vel dolore compelli: Sed non quia isti meliores sunt, ideo illi, qui tales non sunt, negligendi sunt. Multis enim profuit prius timore vel dolore cogi, ut postea possent doceri, aut quod jam verbis didicerant opere sectari.* Multis ostendit hominem per timorem cogi, ac pedetentim introduci in justitiam & charitatem. Addit quod Apostolum Paulum deduxerit etiam ad charitatem perfectam. Ex metu conceptam in mortis lecto Contritionem & ipse & alii Patres frequenter habent suspectam: hinc enim Clinicos seu Grabatarios antiqua Ecclesia censuit irregulares. Quod tamen ipsorum Contritionem, Baptisma, ac Reconciliationem rata ac formata posse esse censuerit eadem Ecclesia, lucidum est, neque spectat ad rem præsentem.

L. 1. Oper. imperf. c. 95. *Epist. 30.*

Debet esse Dei super omnia dilectio. Hom. 4. Et hæc Attritio seu imperfecta Contritio, ut vera sit, omnino esse debet germana, & quidem adfectu saltem super omnia, Dei dilectio. Lucide id in secundæ ad Corinthios Epistolæ commentariis tradit sanctus Joannes Chrysostomus: *Cum peccaveris ingemisce. Non quod pœnas daturus sis, nihil enim hoc est; sed quod Deum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem, tam denique saluti tuæ appensum, ut Filium quoque suum tua caussa tradiderit.* Conceptam ex pœnarum metu Contritionem nullo pacto damnat: ait solum timorem servilem non sufficere, sed opus omnino esse, ut ex ipso concipiatur casta dilectio, qua Deum optimum maximum, tamquam summum Bonum & Justum, omnisque justitiæ & bonitatis fontem diligamus, ac ideo peccata nostra oderimus, detestemur, de ipsis pœniteamus & conteramur. Etenim imperfecta ex metu concepta Contritio est germana species sumptæ generatim, & superius per sacrosanctam Synodum definitæ Contritionis, quam sine laudata charitate non posse esse, est supra abunde ostensum. Addit de ipsa sanctum Concilium: *Si voluntatem peccandi excludat.* Hoc est, si ejus, a quo introducta est, timoris excludat servilitatem. Exclusionem hanc sancit esse de Contritionis essentia. Porro voluntatem seu servilitatem istam excludi non posse, nisi per veram, adfectu saltem super omnia, charitatem, etiam supra demonstratum est.

Ecclesia aliud nunquam docuit. Pergit sacrosancta Synodus: *Quamobrem falso quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre. Quod numquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit.* Agit adversus Martinum Lutherum, qui in sua adversus Leonis X. Pontificis Bullam apologia multis blaterat & calumniatur Contritionem, quæ solo pœnarum timore, aut solo naturali Dei amore constet citra infusam ac supernaturalem charitatem, a nobis prædicari uti sufficientem cum Sacramento ad justitiam, & adjungit: *Quasi si dixerint se loqui de Contritione in charitate facta, jam articulus*, a Leone Pontifice damnatus, *nihil ad me. Non enim unquam sic docui, immo qui ut meum damnant, de Contritione naturali & impia extra fidem loqui eos oportet, quam esse hypocrisin, satis jam ex dictis constare puto.* Maledicus & contumax Hæreticorum spiritus semper accusat Ecclesiam: ei imponit fœda & probrosa dogmata, ipsa impugnat, expugnatque aliquando, atque ita non de nobis, sed de suis calumniosis phantasmatibus stulte & nugaciter triumphat. Quod ipsum hic egit Martinus Lutherus, ideoque merito se purgat Ecclesia, synodaliter edicens se nunquam ita credidisse aut docuisse. Semper defendit & constanter tenuit hanc sancti Joannis Apostoli sententiam: *Qui non diligit, manet in morte.* Semper docuit sine Dei super omnia charitate neminem posse justificari, ideoque & semper docuit conceptam ex servili metu Attritionem charitate, licet non perfectam, oportere tamen esse formatam. Quocirca quicumque aliud hodie in Ecclesia forsitan cogitant, cogitant Martini Lutheri de Ecclesia verificare calumnias, & sacrosanctam Synodum reddere mendacem.

Et hoc sufficienter expressit. Verum inquies, Quare sacrosancta Synodus diserte non expressit ad imperfectam etiam Contritionem requiri Dei dilectionem super omnia, atque ita omnem hodiernis quæstionibus ingressum non præcluſit? Respondeo istud ipsum, quod olim Francorum Episcopis, de Synodo prima Constantinopolitana, cur suo Symbolo hanc vocem, *Filioque*, non addidisset, atque ita plurimas & miserandas Ecclesiarum lites non præfocasset, postulantibus respondit olim Pontifex Leo III. *Sicut non audeo dicere non bene feciſſe* laudatæ Synodi Patres, *si feciſſent, quia proculdubio sicut cætera, quæ vel omiserunt, scientes utique, & non tam humana, quam Divina illuminati sapientia fecerunt; ita quoque non audeo dicere istud eos nobis minus intellexiſſe, aut perpendiſſe, cur dimiserint.* Quin immo sacrosancta Tridentina Synodus non dimisit. Etenim imperfectæ Catechumenorum Contritioni diserte dixit necessariam atque essentialem esse eam charitatem, qua Deum uti omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ideoque peccata sua oderunt & detestantur. Hominem quemvis, ut ei justificationis gratia conferatur, dixit debere *credere, sperare, diligere, pœnitere, sicut oportet.* Hoc est, ex vera in Deum fide, spe, & charitate pœnitere. Generatim sumptam Pœnitentium Contritionem dicit esse peccati detestationem & odium cum proposito non peccandi de cætero: quæ omnia certum est non posse fieri sine vera dilectione. Perfectam Contritionem dicit esse charitate perfectam, hoc est, illam quæ includat perfectam charitatem, & ex ipsa procedat: Atque ita palam supponit tot esse Contritionis, quot charitatis classes seu species, & hanc in omni illa debere semper includi.

CA-

CAPUT XVIII.

Quæstiones aliquot de imperfecta Contritione.

QUæstio prima est, Quomodo imperfecta Contritio concipiatur ex servili pœnarum metu, per imperium ac emanationem, an per voluntatis conversionem? Inter voluntatis actus & motus est varia subordinatio & caussalitas. Alius ex alio quandoque concipitur & nascitur per physicum effluxum, tamquam rivus e fonte; quandoque per effluxum duntaxat occasionalem, tamquam de termino a quo conversionis. Uti lignum in ignem, & ligni forma in formam ignis transmutatur, adeoque hæc ex illa concipitur & procedit; ita quoque voluntas in voluntatem vertitur, adeoque una ex altera concipitur, tamquam ex termino istius conversionis. Et ita dico charitatem aut Contritionem concipi & procedere ex servili metu pœnarum. Diserte id tradit in litteris ad Bonifacium Comitem sanctus Augustinus, dicens de Apostolo Paulo: *Quem timor coegit ad charitatem, ejus perfecta charitas foras misit timorem.* Iste introducentis ad introducti ingressum exitus & cessio est evidens judicium conversionis, seu conceptionis per conversionem. Ad rivi namque fluxum non siccatur fons, ad frondium & florum germinationem non exaresçit radix, nullus effectus emanans possit perimere aut pellere caussam: Quin immo passim ab ipsa in conservari dependet. At vero charitate intrante incipit exire timor; illa crescens hunc diminuit, perfecta omnem pellit, adeoque lucet illius hunc non genuinam caussam esse, sed duntaxat occasionem. Etiam imperfectam, quæ utique aliud non est quam imperfecta charitas. Contritionem ita nasci tradit Augustinus in sermonibus de tempore, dicens *nos a timore cogi, ut transeamus ad dilectionem*. Et in libris de adulterinis conjugiis ait *Deo terrente & hortante, convertente & implente, humanum in melius mutari adfectum*. Et in libris adversus Petilianum adfirmat incussum a legibus imperialibus metum esse ansam, *Ut homo in melius mutet voluntatem*. Et hinc Catechumenos a Divinæ justitiæ timore ad considerandam Dei misericordiam, de ipsa sperandum, & diligendam justitiam converti dicit diserte Synodus Tridentina. Gehennarum metus & justitiæ dilectio sunt duo veteris ac novi hominis extrema confinia; ab isto in hoc transire est de necessitate in virtutem proficere, quod fieri non potest nisi per voluntatis transitum & conversionem.

Contritio ex metu concipitur, non emanat. Epist. 50.

Serm. 7.

L. 2. c. 19.

L. 2. c. 84.

Laudata sacrosancta Synodus dicit de imperfecta Pœnitentium Contritione: *Ex gehennæ aut pœnarum metu communiter concipitur*. At vero de Catechumenorum Pœnitentia generaliter atque indefinite dicit: *Peccatores se esse intelligentes, a Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertunt*. Et hinc nascitur quæstio secunda, Cur Pœnitentium Contritio duntaxat communiter, Catechumenorum autem Pœnitentia adseratur semper concipi ex timore servili? Respondeo rationem dari a Sapiente: *Qui sine timore est, non potest justificari*. Exponit in Psalmorum commentariis sanctus Augustinus: *Nisi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem*. Et in libro de catechizandis rudibus: *Rarissime accidit, immo vero nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus*. Et in tractatibus super sancti Joannis Epistolam: *Si nullus timor, non est qua charitas intret*. Et de Pœnitentibus Ninivitis scribit in libris adversus Gaudentium: *Nec curarent, nec crederent prædicta Divina, nisi territi Regis sui potestate terrena*. Homo vetus in parente Adamo amisit fidem, spem, charitatem, Dei dona omnia; quin ab illo apostatavit adeo longe, ut nec ipsum servilem Divinæ justitiæ metum retinuerit, neque vires ad Deo vel serviliter obediendum. Hinc uti excisa arbor, ita & excisa justitia, non subito, sed gradatim ac pedetentim debet recrescere in suam plenitudinem, incipiendo a primis rudimentis, seu a primo sapientiæ exordio, quod est Divinæ justitiæ timor servilis. Hinc introducendæ sapientiæ & charitati præparat locum. Et hunc nostræ reparationis modum adeo constanter servat Divina providentia, ut nec Apostolum Paulum, vas singularissimæ electionis, censuerit ab illo eximendum. Idem in Apostolicæ ad Philippenses Epistolæ commentariis tradit S. Joannes Chrysostomus: *Si quæ ad vitam hanc pertinent, sine timore recte acquiri non possunt, multo minus spiritualia. Cedo enim, quis literas sine timore didicit? Quis artem tenuit sine timore? Quod si ubi non imminet diabolus, sed sola negligentia impedimento est, tanto opus est labore, ut solam illam naturalem negligentiam vincamus, ubi tantum impendet bellum, tanta impedimenta, qui*

Catechumenorum pœnitentia semper, pœnitentium Contritio communiter concipitur ex metu.

Ps. 149. c. 17.

L. 2. c. 25.

Tract. 9.

Homil. 8.

fieri unquam poterit, ut sine timore salutem consequamur? Et in monastica doctrina Archi-Mandrita Dorotheus: *Fieri nequit ullo pacto, ut perfectus* seu filialis *timor aliter, quam per Isagogicum* seu servilem *introducatur*. Et iterum: *Perfectus timor nullo modo haberi potest, nisi Isagogicus præcesserit*. Porro filialis timor est proprius ac individuus charitatis fœtus & comes, ideoque sicut ipse, ita nec ista sine quasi obstetricante servilis timoris ministerio non potest introduci. At vero fideles lapsi passim in plenam originalis nostræ iniquitatis vetustatem non recidunt, sed ipsorum multi sunt similes Apostolo Petro, de quo in negationis peccatum lapso scribit in sermonibus de Dominica Passione sanctus Leo Magnus: *Vidit in te Dominus, non fidem fletam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam*. Ejus, qua pro Christo Domino mori & carcerari spoponderat, charitatem ait fuisse, non extinctam, sed a superveniente fortioris timoris cupiditate duntaxat superatam & suppressam. Ejusmodi lapsos, quod fidem, spem, ipsamque etiam actualem charitatem retineant, in Epistola ad Antonianum Episcopum sanctus Cyprianus vocat, non plene mortuos, sed semineces ac semivivos. In libro de Ecclesiæ unitate sanctus Augustinus appellat ramos infructuosos, necdum tamen præcisos. Has magnas amissæ justificationis & Divinæ gratiæ reliquias quandoque contingit statim a miserante Deo respici, & citra timoris servilis cooperationem ac excitationem in insignem & lacrymosam pœnitentiam resurgere ac ebullire. Etenim Petrum mox a lapsu respexit Dominus, atque hinc ille foras statim egressus flevit amare. Plurimos olim in gentilium persecutionibus per tormentorum violentiam lapsos fuisse mox a Deo respectos, ideoque sese statim ad Ecclesiarum valvas & omnium stantium fidelium pedes projecisse in solennem Pœnitentiæ fletum, docent testes irrefragabiles, præsertim sanctus Cyprianus. Et talia Pœnitentium exempla nostris etiam temporibus per Dei gratiam non desunt. Hinc igitur Catechumenorum semper, Pœnitentium autem Contritionem duntaxat communiter ex servili timore concipi, recte dicit sacrosancta Synodus Tridentina. Hocce Catechumenorum & Pœnitentium grande discrimen non intellexit marginalis Scholiastes ad superius adducta verba Archi-Mandritæ Dorothei: *Caute lege. Nam innuit nullo pacto haberi posse timorem filialem, quin præcesserit servilis. Ordinarie quidem ita evenit in peccatoris justificatione extra Sacramenta, ut habetur capite sexto Concilii Tridentini; at contingit interdum aliter, cum quis per Sacramenta justificatur, & in subitaneis & miraculosis justificationibus*. Respondeo Tridentinæ Synodi laudatum locum nequaquam de danda extra, sed omnino intra Baptismatis Sacramentum danda justificatione palam agere: eam non quandoque, sed indefinite, ideoque universaliter & semper inchoari dicit a servili timore. Conversiones subitaneas & miraculosas fateor posse esse extra regulam; addo tamen etiam S. Apostoli Pauli, quæ penitus subitanea & omnium miraculosissima fuit, conversionem omnino cœpisse a timore.

Cap. 4.

Ser. 9. c. 4.

Cap. 25.

De imperfecta Pœnitentium Contritione sacrosanctum Concilium recte dicit: *Communiter*. Etenim Abrahæ semen, seu Catholica Jesu Christi Ecclesia, non solum ut stellæ cœli, sed etiam ut arena maris, ex Divina promissione multiplicatum est. Spiritales, seu in justitia perfectos, qui ex casto Dei amore agant omnia, & cadant rarissime, plurimos; animales tamen & imperfectos, qui ex adjuto per timorem servilem imperfecto amore operantur justa, & frequenter labantur, habet longe plures. Porro eisdem animi viribus, quibus stetit in justitia, quisque passim a lapsu resurgit ac pœnitet, ideoque solo castæ dilectionis impetu excitantur ad resurgendum pauci, plurimi egent impulsu & adjutorio timoris. Hinc dicit sacrosancta Synodus imperfectam Pœnitentium Contritionem communiter concipi ex servili metu. Dicit in Martinum Lutherum, in memorata sua apologia erroris sui fundamenta subvertentem, garrientemque solis crassis, induratis, impiis, & omni conscientia exutis, aut ipsam necdum nactis peccatoribus esse opus isto adjutorio ac impulsu, ideoque non communiter, sed rarissime ita concipi Contritionem. Dico, *Erroris sui fundamenta subvertentem*: fatetur enim, licet rarissime, tamen quandoque servilem metum esse utilem, & ex ipso puram Dei dilectionem, veramque pœnitentiam generari. Quod ejus priori dogmati palam adversatur. Ex timore isto subinde, non tantum per successiva gradatim incrementa, sed & unico pleni germinis subito impetu procedit etiam perfecta charitas, perfectaque Contritio: Ita enim eveniisse Apostolo Paulo omnes credimus, diserteque in literis ad Bonifacium Comitem adfirmat sanctus Augustinus. Ast rarissimum est istud, uti in libris de vocatione gentium beatus Prosper recte advertit, Dei donum: Hinc sacrosancta Sy-

Cur dicatur communiter concipi.

Lib. 2. c. 22.

nodus ſolam imperfectam Contritionem adſerit naſci communiter ex timore.

Quæſtio tertia eſt, quare eadem ſacroſancta Synodus imperfectam Pœnitentium Contritionem dicat communiter concipi, non ſolum ex ſervili gehennarum, ſed etiam ex aliarum pœnarum metu, ex conſiderata item peccatorum turpitudine, numero, gravitate? Reſpondeo rationem dari a ſancto Auguſtino, agente de Ninivitis, ad pœnalia Regis ſui Edicta Pœnitentibus, in libris adverſus Gaudentium, Donatiſtarum Epiſcopum Thamugadenſem: *Quid opus erat Regis imperio, ut humiliter ſupplicaretur Deo, qui non intuetur ora, ſed corda, niſi quia erant in eis quidam, qui nec curarent, nec crederent prædicta Divina, niſi territi poteſtate humana? Iſta igitur juſſione Regiæ poteſtatis multis ad ſalutem præſtatur occaſio, quia etſi violenter ducuntur ad cœnam tanti Patris familias, & compelluntur intrare, intus tamen inveniunt unde ſe lætentur intraſſe.* Eorum enim Contritionem uti veram ac divinitus infuſam ipſa ſacroſancta Synodus laudat. Quis neſciat etiam Apoſtoli Pauli converſionem & pœnitentiam, non ex gehennarum, ſed ex fulminis ac inde imminentis temporariæ mortis metu fuiſſe conceptam? Ex intentatarum a legibus imperialibus pœnarum metu plurimos item Donatiſtas ad veram Pœnitentiam fuiſſe traductos, frequentiſſime prædicat S. Auguſtinus. Eadem via e peſſimis Judæis bonos fideles fecerunt quandoque Catholici Hiſpaniarum Reges, Reges Galliæ, Leo Iſaurus imperator, nec non & ſanctus Pontifex Gregorius Magnus. Et hinc de omni, quæ nobis per temporalia mala a Domino Deo præſertim irrogatur, diſciplina pulchre in Hieremiæ Prophetæ commentariis ſcribit Theodoretus: *Pœnitentiæ mater eſt.* Quocirca qui ſolum ſervilem gehennarum metum ſine introducta per ipſum charitate laudari uti impetrandæ peccatorum remiſſioni cum Sacramento ſufficientem exiſtimant a ſacroſancta Tridentina Synodo profiteri coguntur etiam patibuli aut Regii gladii metum eadem dignitate & viribus pollere.

Concipitur etiam ex metu malorum temporalium. Lib. 1. c. 25.

Cap. 6.

Quod vera Contritio etiam ex conſiderata peccatorum turpitudine, ſeu ex humanæ confuſionis dolore aut metu quandoque concipiatur, docet Regius Propheta: *Implе facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Et Eccleſiaſticus: *Eſt confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gratiam & gloriam.* Exponit in literis ad Vincentium Rogatiſtarum Cartennenſem in Mauritania Epiſcopum S. Auguſtinus: *Confuſio adducit peccatum, cum erubeſcit quiſque pravam mutare ſententiam, ne inconſtans putetur, aut diverſus a ſeipſo Judice teneatur. Confuſio autem adducit gratiam & gloriam cum erubeſcit quiſque de propria iniquitate, & pœnitendo in melius mutatur.* Et in Pſalmorum commentario: *In ſæculum ſæculi non conturbantur, qui quærunt nomen Domini, ſed reſpicientes ignominiam peccatorum ſuorum, ad hoc conturbantur ut quærant nomen Domini, per quod non conturbantur. Hi ad hoc confunduntur, ne confundantur in æternum.* Quod ipſum tradit in prima Concione ſuper Pſalmum trigeſimum. Eleganter item per ipſa ferme Tridentinæ Synodi verba jam pridem tradidit in literis ad Lincolnienſem Epiſcopum, exſtantibus in Spicilegio Lucæ Dacherii, Theobaldus Stampenſis: *Qui in ſe fremit, bona Dei & mala quæ ipſe reddidit computando, & in corde gemit ſeipſum de peccatis increpando, melius ſine voce loquitur, quam ſi voce ſine iſtis loqueretur.* Adfirmat & oſtendit iſtam eſſe veram Contritionem. Conſiderata peccatorum turpitudo facit hominem ſibi ipſi diſplicere & fœtere, cæcatos aut tenebratos mentis oculos aperit, ſternit viam ſapientiæ, juſtitiæ pulchritudinem facit diligi & appeti, atque ita iniquitatem odio haberi. Etiam hic adverſus Martinum Lutherum, huic item Contritionis origini nequiter & cæce infenſum, ſacroſancta Synodus eſt locuta. Et hæc quidem de Chriſtiana Contritione breviter dicenda duxi, quam ab omnibus hominibus plene cognoſci, & perfectam haberi donet Deus optimus maximus, præſertim a me peccatore infimo omnium Chriſtianorum.

Etiam ex pudore humano. Cap. 4.

Ep. 48.

Pſ. 82.

Tom. 3.

EPISTOLA FAMILIARIS

AD REVERENDUM AC EXIMIUM PATREM

HENRICUM NORIS,

VERONENSEM,

ORDINIS EREMITARUM SANCTI AUGUSTINI, SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOREM AC PROFESSOREM,

QUA

F. CHRISTIANUS LUPUS,

EODEM IN ORDINE S. THEOL. DOCTOR ET PROFESSOR,

QUIBUSDAM AD NONNULLA NUPERÆ SUÆ

DE CHRISTIANA

CONTRITIONE

DISSERTATIONIS CAPITA HÆSITANTIBUS,

Juxta Apoſtoli Mandatum, humiliter conatur dare rationes.

ADMODUM REVERENDO ET EXIMIO PATRI

P. HENRICO NORIS,

VERONENSI,

ORDINIS EREMIT. S. AUGUSTINI,

S. THEOLOGIÆ DOCTORI AC PROFESSORI, &c.

F. CHRISTIANUS LUPUS,

EJUSDEM AUGUSTINIANÆ FAMILIÆ ALUMNUS INUTILIS,

Et ſola Dei patientia in Alma Lovanienſi Univerſitate Doctor S. Th. ac Profeſſor, S. P. D.

ADMODUM REVERENDE AC EXIMIE CONFRATER.

Eccl. 6. AMICUS *fidelis, protectio fortis: Qui autem invenit illum, invenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio: Et non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vitæ & immortalitatis: Et qui metuunt Dominum, inveniunt illum.* Tali Amico, in cujus charitatem, præſertim ſæculi ſcandalis ſeſe fatigatum, cum cunctis ſuis cogitationibus & conſiliis totum projiceret ſecure illic quieturus, indiguiſſe fatetur etiam ſanctus Auguſtinus. Ego peccatorum meorum victrici gratiæ deputo, non duntaxat quod Dominum Deum timere ac diligere ſim conatus huc uſque, ſed & quod te, Clariſſimi Parentis tui, nec non Eruditiſſimi conterranei tui Onufrii Panvinii veſtigiis inſigniter inhærentem, ideoque non ſolum ſcholaſtica atque dogmatica Theologia, ſed & profana ac ſacra antiquitate inſtructum eximie, talem invenerim theſaurum. O quoties, primates almæ Urbis Baſilicas adeundo, de avitis & Reipublicæ & Eccleſiæ illic actis inſtruebas eruditiſſime? Certe quod in S. Hieronymo per Gallicanam & Græcam, in me per Italicam peregrinationem divina Clementia eſt operata. Reperi illic plures Gregorios Nazianzenos. Quæ omnia dum memoria revolvo, mente reportor in Italiam, acerbe dolens necdum adeſſe illam beati corporis dotem, quam in libris de Civitate Dei laudat S. Auguſtinus: *Ubi volet ſpiritus, ibi protinus erit & corpus.* Lib. 22. cap. 30. Quod ergo lingua nequeat, res noſtrates ambit hæc tibi Epiſtola notificare.

CAPUT PRIMUM.

Exponitur diſſertationis, nec non & hujus Epiſtolæ ſcribendæ ratio.

QUod Apoſtolica Sedes, & Dominus noſter Rex Catholicus numeroſiſſimos adhuc & ferventiſſimos Fideles in Belgio habeant poſt nuperum Lutheranæ & Calvinianæ hæreſeos diluvium, eſt adoranda ſolius Dei in nos Clementia, inſigniter uti dignata miniſterio hujus Almæ Scholæ Lovanienſis. Hæc enim utrique turbini adeo generoſe reſtitit, ut relatis a ſe ac impugnatis orthodoxis dogmatibus Lutherus paſſim adſcriberet hunc marginalem ſarcaſmum: *Lovanialiter*. Ita ſperabat Majorum noſtrorum ictus illudere. Et hinc utraque iſta crudeliſſima factio, dum colligata omnes ferme Belgii Civitates vaſtavit ac profanavit Eccleſias, hoc Lovanienſe, cui nullum humani munimenti robur, nunquam oppidum valuit pervadere: quod divina Clementia miſereri adhuc vellet genti noſtræ, atque ita reparandæ Fidei ſcholam hanc ſervaret. Quæ Patrum corda adhuc vivunt in Filiis: quidquid zizaniorum Dominico apud nos agro inimicus homo ſuperſeminavit hactenus, aut ſuperſeminaturus eſt, feliciter eradicarunt parentes noſtri, ſperamuſque ab omnipotente Dei gratia ſubminiſtrandas etiam nobis & noſtris uſque ad ſæculi finem poſteris vires, quibus eradicemus.

Duram nobis luctam nuper fecit Thomas Tamburinus, cujus *expedita*, uti inſcribitur, *Decalogi explicatio* huc deportata fuit, & typis vulgata apud Inſulas, oppidum Diœceſis Tornacenſis. Eſt compedita, non expedita explicatio: humanum genus non a multo, uti tentat, Divinarum ac humanarum legum jugo, ſed in miſerandum ipſarum contemptum ac libertinam prævaricationem expedit, nec unum de minimis, ſed multa etiam de maximis mandatis ſolvit, & ſic docet homines, atque ita Authorem ſuum cum omnibus in ejus errorem ſeductis facit eſſe minimos in regno cælorum. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, eſt ſummum ac primum, adeoque rigidum æternæ legis mandatum, ut mens noſtra, quæ ad inſtar cordis ſemper ſine feriis eſt in motu, ejus virtualem, quem mentis habitum ac animi præparationem ſanctus Auguſtinus paſſim appellat, actum nec ad unum temporis inſtans, ſiquidem antiquis Doctoribus credimus, poſſit interpolare. Quoties mentis ſupra ipſum reflexio obliget, eſt antiqua ſcholæ quæſtio: quorundam ſingulis duntaxat Dominicis diebus obligare opinantium ſententia a multis merito judicatur nimis laxa. At vero dictus Tamburinus nec in rationis ingreſſu, nec in mortis exitu, nulloque vitæ tempore aſſerit ipſum Divinæ Dilectionis actum eſſe neceſſarium: ait *Præceptum charitatis impoſitum fuiſſe ob Juſtificationem impii; ſolum igitur obligare, quando impius, quia Sacramentum Pœnitentiæ non eſt in promptu, non habet aliam viam, qua ſe juſtificet, niſi eliciat actum Contritionis, quæ ſemper aliquo tandem modo actum amoris Dei ſuper omnia dilecti involvit: Conſequenter igitur & indirecte, ratione ſuæ Juſtificationis, ad actum Charitatis fideles obligantur.* Eam, quæ nec in mortis exitu nos ad Deum diligendum obliget, ſententiam aſſeverat eſſe *probabilem & tutiſſimam*. Part. 2. cap. 3. para. 2.

Ad iſtas Siciliæ merces in memoriam nobis venit S. Gregorii Magni ad ſanctum Maximianum Syracuſæ Antiſtitem epiſtola: *Tanta nobis ſubinde mala, quæ aguntur in iſta Provincia, nunciantur, ut peccatis facientibus, quod evertat omnipotens Deus, celeriter eam perituram credamus.* A viro, omnia *ad majorem Dei gloriam* agere profeſſo, prodire tam monſtroſum dogma plurimi ſunt admirati. Hinc & ipſum conſtanter invaſerunt, adjuvitque divinitus inſpirata beatiſſimi Patris noſtri, cui det Deus annos de noſtris, Alexandri VII. ſollicitudo paſtoralis, anno 1665. damnans hunc articulum: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, Charitatis, ex vi Præceptorum divinorum ad eas virtutes ſpectantium.* Lib. 3. Ep. 12.

Ex eadem pharetra prodiit apud nos & Flandricus puerorum Catechiſmus, affirmans purum putum gehennarum ſervilem metum, eoque ſolo tinctum & formatum de peccatis dolorem eſſe cum Chriſtianæ regenerationis, ac præſertim reconciliationis Sacramento diſpoſitionem & cauſſam ſufficientem ad obtinendam divinæ miſericordiæ gratiam ac remiſſionem peccatorum. In opuſculo de Regia Inſtitutione Jonas, qui ſub Ludovici Pii Imperio floruit, Aurelianenſis Eccleſiæ doctiſſimus Epiſcopus ſcribit charitatem eſſe *decus Chriſtianitatis, totiuſque fidei noſtræ Summam, multorum in cordibus non regnare lamentatur*, & poſt multa ejus encomia adjungit: *Miſerabiliter plane decipiuntur plerique, qui ſine charitate aut Deo placere, aut ad eum ſe putant pervenire.* Hinc ſcabioſus ille, quod pueris cœpiſſet tradi, Catechiſmus gravia apud quoſdam litigia peperit, tandemque fuit merito abolitus & circumſcriptus. Nulla Cap. 9.

enim

enim circa fidem corruptela eſt facilior ac pejor, quam puerorum. Hæc tamen circumſcriptio non frænavit quorundam Concionatorum linguas: adverſus Dei charitatem perrexerunt declamare, & infirmas Chriſtianæ Plebis conſcientias duro ſcandalo percuſſerunt. Quid ad hæc cum tripudio dicant vicini & permixti nobis hæretici, perpendat veſtra Prudentia. Paucorum nugas derivant in cunctos: ab omni Papiſtica Eccleſia exiſtimant inferri bellum Divinæ, qua ſola Magiſter Deus veros ſuos diſcipulos diſcrevit a falſis, charitati. Jam pridem mihi placet quod ſancto Auguſtino ſcripſit ſanctus Hieronymus: *Si tuam vis vel exercere vel oſtentare doctrinam, quære juvenes & diſertos, qui poſſint & audeant tecum congredi.* Aliud non ambio, quam latitare in monaſterio, & antequam ad ſupremum evocer Tribunal, male impenſos adoleſcentiæ ac juventutis meæ dies plangere, ac totius vitæ peccata in ſilentio deplorare. Et quis hodie graſſantem, etiam in Chriſtiani dogmatis elucidatione, verborum pugnam & caninam facundiam non averſetur? Ne tamen Matri Eccleſiæ deeſſe, & acceptum a Domino talentum in terra aut ſub modio abſcondere viderer, magnorum Virorum conſiliis cedens ſcripſi dogmaticam Diſſertatiunculam, dictum dicti Catechiſmi articulum oſtendere conatus profanum, & unanimi SS. Patrum confeſſioni, Apoſtolicæque traditioni penitus adverſum: Doctoris miniſterium honorificare ſtudui, & non recedere ab hocce monito S. Nili Abbatis: *Satius eſt temere mittere lapidem, quam verbum.* Et multorum in cordibus laudatur Deus dediſſe aliquod incrementum.

Verum uti palato non ſano pœna eſt panis, ita ægro mentis oculo odioſa eſt veritatis lux. Hinc quidam pauca mea folia acerbe lacerarunt, ſpondentes brevi per Sedem Apoſtolicam damnanda. Et ſponſionem adimplere fuerint omnino conati. Verum noſti a Synodo Chalcedonenſi factas S. Pontifici Leoni Magno acclamationes: *Petrus per Leonem locutus eſt, Leoni vita, Leoni multos annos.* Eundem in modum Beatiſſimo Patri noſtro Alexandro VII. qui multos moralis Pſeudo-theologiæ libertinos, & Chriſtianæ diſciplinæ corruptivos articulos proſcripſit, & adhuc pergit proſcribere, acclamat nunc univerſa Eccleſia, ab omni ejuſmodi macula & ruga confidens ſe brevi liberandam. Acclamat & Eminentiſſimo Principi ac Reverendiſſimo Patri Franciſco Cardinali Barberino, Eccleſiæ Hoſtienſis Epiſcopo, & ſacri Collegii Decano, qui variis per D. Lucam Holſtenium nuper collectis & vulgatis antiquarum Synodorum, Apoſtolicarum Litterarum, & ſacrorum Canonum monumentis præfigere dignatus eſt hocce elogium: *Concors opinio eſt, multa in hac collectione reperiri, quæ orthodoxum dogma ſanciant, quæ Jura vetera Sedis Apoſtolicæ illuſtrent, quæ laxitatem obrepentem hodiernis moribus cinctu quaſi ſeverioris diſciplinæ veteris adſtringant, quæ denique pleriſque inquieti hujus & factioſi ſæculi malis, maxime autem prurigini novitatum, quæ cæterarum fere peſtium fons eſt, aptiſſimum remedium eſſe poſſint.* Abſit ut ea, quibus Apoſtolicum Chriſtianitatis dogma & avitam diſciplinam ex authenticis Evangelici Depoſiti archivis producimus, & adverſum novos inquietorum ingeniorum pruritus defendimus, ſub tanto Pontifice ac tanto ſacri Collegii Primate damnari, aut de damnatione periclitari metuamus.

Et hæc quorundam deſperatio peperit nobis ſpectaculum, quale in Carthaginenſi amphitheatro viſum a ſe teſtatur in libro apologetico Septimius Tertullianus:
Cap. 16. *Nova jam Dei noſtri in iſta civitate editio publicata eſt, ex quo quidam fruſtrandis beſtiis munerarius noxius picturam propoſuit cum ejuſmodi inſcriptione,* DEUS CHRISTIANORUM ONOCHOETES. *Is erat auribus aſininis, altero pede ungulatus, librum geſtans, & togatus. Riſimus & nomen & formam.* Quis vel qualis, quod ſine ſtatuis & imaginibus coleretur, eſſet Chriſtianorum Deus, ignorabat, ideoque & vivum & verum non arbitrata, ſpernebat cæca Gentilitas. Hinc in tantas blaſphemias prorupit. Peſſima blaſphemia eſt poſtmodum per hæreticos a Domino Deo in ejus Evangelicum dogma, fidoſque ejus defenſores traducta. Nonne enim Pelagianorum Goliath Julianus orthodoxum Eccleſiæ de originis peccato dogma peſſimis de damnatis nuptiis, de reducta duplicis Divinitatis fabula, de Deo authore peccati, de everſo libero arbitrio, de carnali animarum traduce, pluribuſque ejuſmodi calumniis circumvolvit, atque ita projecit in vulgus, clamans: *Ecce dogma Romanorum!* Nonne ejus defenſorem S. Auguſtinum ubique buccinavit eſſe Traducianum, Manichæum, Venuſtianum? Calumniæ ſpiritum cunctis ſemper infuiſſe hæreticis, poſſit lucide oſtendi. Quod ſuperbus & contumax hæreticorum ſpiritus ſemper Eccleſiam accuſet, alicubi recte ſcribit Facundus Epiſcopus Hermianenſis. Quin peſſimam ſcabiem affricuerunt hæretici etiam Catholicis, de quibus in Præfatione ad objectiones Vincentianas ſanctus Proſper Epiſcopus Rejenſis: *Quidam Chriſtianæ ac fraternæ charitatis obliti, in tantum exiſtimationem noſtram quoquo modo ſtudent lædere, ut ſuam ſe evertere nocendi cupiditate non videant. Contexunt enim, & qualibus poſſunt ſententiis comprehendunt ineptiſſimarum quarundam blaſphemiarum prodigioſa mendacia, eaque oſtendenda & ingerenda multis publice privatimque circumferunt, aſſerentes talia in noſtro eſſe ſenſu, qualia diabolico continentur indiculo, quæ falſo in nos ad excitandam invidiam jactitari, facile & ſufficienter ſubſcriptione unius probaremus anathematis, niſi malignitas eorum, qui ſe gravari putant, ſi de nobis bene ſentiatur, ipſam ſubſcriptionis noſtræ brevitatem ſuſpectam eſſet habitura.* Impii in circuitu ambulant: Impiorum præſertim caput diabolus, miſerum humanum genus conatus ſemper circumducere in eoſdem gyros erroris aut malæ voluntatis.

Meam neſcio quis de Chriſtiana Contritione Diſſertatiunculam multis circumveſtivit fœdorum errorum & calumniarum pannis, atque ita projecit in vulgus, vociferans me ſentire cum Cornelio Janſenio, Iprenſium nuper Epiſcopo, immo & cum Martino Luthero: quod dicam Chriſtianam Attritionem, ſeu imperfectam Contritionem, ut vera ſit, formari oportere ac procedere ex Dei Charitate, quæ licet non viribus, tamen affectu ſit ſuper omnia; quod talem Contritionem affirmem eſſe neceſſariam etiam per Baptiſmatis aut Pœnitentiæ Sacramenta adipiſcendæ Juſtificationis diſpoſitionem & cauſſam, adeoque ſine illa nullam eſſe ſpem ſalutis. Certe etiam S. Joannes Apoſtolus ſcribit nos, utique per Chriſtianæ regenerationis Sacramentum, eſſe *translatos de morte ad vitam, quoniam diligimus Fratres.* Hæc eſt definitiva ejuſdem ſententia: *Qui non diligit manet in morte.* Et ſanctus Paulus Apoſtolus prædicat charitatem omni chariſmate eſſe excellentiorem, ſine qua nec Angelicæ linguæ donum, nec Prophetia, nec largiſſima eleemoſyna, nec ullum Sacramentum, nec ipſum etiam Martyrium poſſit prodeſſe. Et ipſe Magiſter Deus clamat: *Qui non diligit, ſermones meos non ſervat.* Et ipſa Martini Lutheri damnatrix Tridentina Synodus ſtatuit: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei Juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Quid ergo ſupereſt, niſi ut quis rixator etiam hos omnes dicat fuiſſe Janſeniſtas ac Lutheranos? Novi ſui a vetere Teſtamento palmare diſcrimen Dominus JESUS ſanxit eſſe ſervilem timorem ac filialem amorem; quiſquis nos ſolo timore juſtificandos promittit, benedicti Sanguinis exſufflat pretium, ſuadetque nos e Chriſtianis fieri Judæos.

Seſſ. 6. Can. 3.

Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum. Exagitantis ſtili libido eſt *amari zeli* fœtus, cujus elogia non a me, ſed a ſancto Jacobo Apoſtolo malim audiri. *Deſurſum ſapientia eſt pudica, pacifica, modeſta, ſuaſibilis, plena miſericordiæ, non judicans:* Longe minus maledicens. Et hinc ad Remenſis Provinciæ Epiſcopos, qui in neſcio qua quæſtione Sueſſionenſis Eccleſiæ Clericos hæreſis aut ſacrilegii notarunt, recte ſcribit S. Ivo Epiſcopus Carnutenſis: *Habetis in Heptatico, quia in contentione duorum qui ad alterius pudenda manum miſerit, lapidibus obruatur. Quod quid eſt aliud dicere, niſi qui in aliqua diſceptatione in aliquem convitioſa verba protulerit, ab omnibus duriter arguatur.* Certe inter crimina, ob quæ ſanctum Joannem Chryſoſtomum damnavit Synodus ad Quercum, fuit & hoc: *Quod ſanctum Epiphanium*, utique in diſputatione, *delirum, & parvum dæmonium appellaſſet.* Joannem Ravennatis Eccleſiæ Metropolitam, quod vel famulos ſuos inconcinnis titularet elogiis, graviſſime increpavit ſanctus Gregorius Magnus. Nos interim Theologi Doctores gaudemus illo Epiſcoporum privilegio, de quo idem Pontifex ad Conſtantium Archiepiſcopum Mediolanenſem: *In corporali prælio fieri ſolet, ut is, qui in certamine vexillum portat, ipſum hoſtis vehementer impetat, quatenus ſi ipſe, qui a cæteris attenditur, vulnus acceperit, multitudo omnis citius diſperſa capiatur.* Sumus ſignum ad ſagittam, patemus multis invidiæ jaculis, & ad Emergardem Auguſtam de diabolo ſcribit apud Flodoardum Hincmarus Metropolita Remenſis: *Si non poſſit in alio, in hoc vult* etiam piorum hominum *intentionem fuſcare, ut eam faciat in indebita* de Sacerdotibus, quibus in miniſterii ac onerum partem & ſubſidium Eccleſia adjunxit publicos ſacræ Paginæ Profeſſores, *opinione ambulare.* Nobis figere, & adimplere debemus germane Chriſtianam legem, exſtantem in Codice Theodoſiano, quam ſibi ipſis ad Ruffinum, Orientalis Prætorii Præfectum, ſcripſerunt totius orbis Domini Auguſti, Theodoſius,

Cap. 3.
Ep. 83.
Lib. 4. Ep. 15.
Lib. 6. Ep. 14.
Lib. 3. cap. 27.
Lib. 9. tit. 4. cap. 1.

dosius, Arcadius, & Honorius: *Si quis modestiæ nescius, & pudoris ignarus, improbo petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum fuerit, eum pœnæ nolumus subjugari, neque durum aliquid nec asperum sustinere. Quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum est; si ex insania, miseratione dignissimum; si ab injuria, remittendum.* Ira viri, uti non operatur Justitiam, ita nec videt veritatem. Ad sanctum Augustinum, & Pascentium Comitem Arianum, de dogmate conlaturos, recte præfatus est clarissimus vir Laurentius: *De Deo disputans animus debet serenior inveniri, quia repulsis animositatis caliginibus, menti sese puræ ad intelligendam naturæ suæ magnitudinem facilius se offert.* Mentis nostræ oculus *ad contemplanda Divina infirmus ex contentione fit etiam turbulentus.* Recte tamen in primo adversus sanctum Hieronymum libro scripsit Presbyter Ruffinus: *Quamvis Christiano cætera crimina silendo depellere, exemplo Domini, sit gloriosum; sed tamen hoc in fide si fiat, maximum scandalum generat.* Et ad suum & Collegarum in Ephesino latrocinio lapsum excusandum dixit in Chalcedonensi Synodo Theodorus, Claudiopolitanus in Isauria Episcopus: *Unusquisque verebatur, ne ut hæreticus dejectus perderet quos baptizaverat. Et non ei solum erat periculum, sed baptizatis, & his qui in Christo crediderant. Et non oportuit quidem tunc tacere.* Etiam Doctor eruditionis suæ filios maculosi nominis scandalo non potest perdere, nec sustinere, ut credatur fideles animas stuprasse Lutheranismo. Possim tamen ego cecidisse in culpam illam, de qua in literis ad sanctum Hieronymum accusat semetipsum mansuetissimus Pater noster sanctus Augustinus: *Potius culpanda est negligentia mea, quia hoc,* quædam sensui necessaria verba, *non addidi, quam objurgatio tua.* Possun & ego sensa mea non satis declarasse. Justus in misericordia arguit: juxta Magnum Gregorium falsa justitia dedignationem habet, vera compassionem, ideoque nec manu percutit, nec lingua. Peccata mea meruere medicinam duriorem, ex cujus regulis ad sanctum Hieronymum scripsit sanctus Augustinus: *Utiliores esse plerumque inimicos jurgantes, quam amicos objurgare metuentes. Illi enim, dum rixantur, dicunt aliquando vera, quæ corrigantur; illi autem minorem, quam oportet, exhibent Justitiæ libertatem, dum amicitiæ timent exasperare dulcedinem.* Hinc de obortis suspicionibus cogor me in mansuetudinis spiritu expurgare breviter, addens tamen cum Facundo Episcopo Hermianensi: *Quoniam non est eadem quæstionis responsionisque conditio, nec quod breviter accusatur, etiam breviter excusari potest, sicut nec tanta maculandi & vulnerandi est difficultas, quanta nos in abluendo medendoque consequitur; necesse est nobis aliquanto impensius agere, maxime scientes quam difficile rejiciant obstinati, quod semel adsumserunt.* Quare vestra in me Benignitas & boni consulere hanc verbosam Epistolam, & meam miserari dignetur infelicitatem, qui ejusmodi in causa compellor *tempus expendere, cujus nemo potest recuperare jacturam.* Epistolæ sortem prosperet Divina Clementia, tantum donans fructum, quantum ex ejus compulsa scriptitatione sentio laborem.

Epist. 178.

Epist. 174.

Act. 1.

Lib. 10. cap. 1.

CAPUT II.

Lutheranus de Christiana Contritione error largius exponitur.

DE Contritione, quam a Pœnitentia distinguit & ejus alteram facit partem, in duodecimi sui per Leonem X. Pontificem damnati articuli apologia scribit Martinus Lutherus: *Satis dictum est fidem sine Contritione esse non posse, cum gratia non infundatur sine magna concussione animæ. Volui enim fidei virtutem declarare, quoniam sola faciat ad remissionem peccatorum. Quod dico, ne quis me putet Contritionem, seu turbationem illam cordis in cogitatione peccatorum suscitatam negare.* Notandæ sunt voces: *Cum gratia non infundatur sine magna concussione animæ.* Et voces: *Contritionem seu turbationem illam cordis in cogitatione peccatorum suscitatam.* Prima & originalis Augustana Confessio exponit: *Constat Pœnitentia proprie duabus partibus. Altera est Contritio, seu terrores incussi, agnito peccato; altera fides, quæ concipitur ex Evangelio seu Absolutione, & credit propter Christum remitti peccata, & consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat.* Et anno 1540. mutata ac meliorata Confessio: *Constat Pœnitentia seu impii conversio duabus partibus. Altera est Contritio, hoc est, terrores incussi conscientiæ, agnito peccato, in quibus & iram Dei agnoscimus, & dolemus nos peccasse, & peccata detestamur ac fugimus.*

Act. 12.

Altera pars est fides, quæ concipitur ex Evangelio seu Absolutione, & credit propter Christum recte remitti peccata, & consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat. Damnant illos, qui non docent remissionem peccatorum per fidem gratis propter Christum contingere, sed contendunt contingere propter dignitatem Contritionis, dilectionis, aut aliorum operum, & jubent dubitare conscientias in Pœnitentia, an consequantur remissionem, & affirmant hanc dubitationem non esse peccatum. Et Confessio Wirtembergensis: *Contritionem vocamus sensum Divinæ iræ, seu dolorem aut pavorem animi ex agnitione magnitudinis peccatorum, & gravitatis iræ Dei ortum. Talem Contritionem arbitramur quidem necessariam esse in vera Pœnitentia, quam Contritionem lex Dei in homine excitare solet. Sed docere eam mereri remissionem peccatorum coram Deo, existimamus ab Apostolica doctrina alienum esse.* Impetrandæ Justificationis meritum omne adscribunt soli fidei, de qua pergunt: *In agenda vera Pœnitentia nihil certius, nihil firmius judicamus, quam quod omnino necessaria sit fides, videlicet ut quod Evangelium Christi adnuntiat, credamus certo nobis remitti & condonari peccata gratis propter Christum Dominum nostrum. Non ignoramus quidem, quod si opera nostra respicimus, non tantum nobis dubitandum, verum etiam de salute nostra desperandum sit: quippe quod nostra opera, quantumvis bona videantur, non possint coram severo tribunali Dei consistere. Nec obscurum nobis est, quod carni nostræ in hac corporali vita semper adhæreat dubitatio de misericordia & clementia Dei; sed cum Deus promittit nobis gratuitam suam clementiam propter Christum Filium suum, & exigit, ut Evangelio Filii ejus obedienter credamus, exigit etiam eo ipso, ut dubitationem carnis nostræ mortificemus, ac certissimam de misericordia sua fiduciam concipiamus, ne nos ejus promissionem tanti mendacii accusemus, quantam de ea dubitationem habeamus. Et ut possimus certam fiduciam concipere, collocavit salutem nostram, non in meritis nostræ justitiæ, quæ est imperfecta, sed tantum in meritis Filii sui, Domini nostri, Jesu Christi, cujus Justitia, ut est perfectissima, ita & in Dei Judicio firmissima & constantissima.*

Inter Pœnitentiam & Contritionem est omnino grande discrimen. Etenim Pœnitentia etiam satisfactionis comprehendat opera, quæ adimplenda promittit & suscipit Contritio: Ista passim vocamus Pœnitentiæ actionem. Hoc in discrimine omnia fere jam dicta fundavit etiam Lutherus. Ejus dictum, *Optima Pœnitentiæ est nova vita*, non minus in satisfactiones, quam in Contritionem videtur processisse. Quidquid sit, & in ejus verbis, & in adductis Confessionibus varii miscentur errores. Primo, quod fidem adferat esse Pœnitentiæ partem. Esse Pœnitentiæ, & omnis Christianæ Justitiæ duntaxat exordium, radicem, & fundamentum docuit semper omnis sub cælo Ecclesia, cum qua ad istud Augustanæ Confessionis caput Dominus tunc noster Clementissimus Imperator Carolus V. & orthodoxi Germaniæ Principes, recte responderunt: *Hæc*, duas tantum partes adsignans Pœnitentiæ, *articuli pars admitti nequaquam potest, sicut nec ea, quæ asserit fidem esse alteram partem Pœnitentiæ, cum omnibus compertum sit fidem esse præviam Pœnitentiæ.* Alter error est, quod fidem, ex qua Pœnitens purgatur & justus vivit, garriat esse vanam istam & pertinacem de Domini Jesu Christi meritis, non fiduciam, sed præsumptionem. De Jesu Christi meritis etiam nos sine hæsitatione confidimus, & ab ipsis non solam peccatorum remissionem, sed & omnes tam præsentis quam futuræ vitæ promissiones exspectamus: Ad omnem precem, ad omnem gratiarum actionem adsidue supplicat & clamat Ecclesia, *Per Dominum nostrum Jesum Christum.* Verum nostras, a Deo Patre per eundem Dominum donatas, bonas voluntates, & ex ipsis profecta opera bona a dispositiva ac præparativa in Justificationem caussalitate excludere, & de solis alienis benedicti Domini meritis sine hæsitatione confidere, est præsumptio omnino pertinax & vana.

Error omnium pessimus, & pessime calumniosus est, quod adseverent Lutherani Contritionem esse solos ex agnito peccato incussos conscientiæ terrores, aut certe solum ex ejusmodi terroribus natum & formatum de peccatis dolorem. Adversus illum statuit sacrosancta Synodus Tridentina: *Si quis dixerit, duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio vel Absolutione, qua credit quis per Christum remissa peccata, anathema sit.* Et rursus: *Quamobrem falso quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ, absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit.* Pronuntiat adversus ipsum Martinum

Sess. 14. Can. 4.

Cap. 4.

num Lutherum, nec non adverſus melioratæ Auguſtanæ Confeſſionis Apologum, Philippum Melanchthonem, cujus hæc ſunt verba: *Intelligunt omnes boni viri utiliter & pie reprehenſam eſſe doctrinam Sophiſtarum, & Canoniſtarum de Pœnitentia. Nam hæc dogmata aperte falſa ſunt, & non ſolum aliena a Scripturis, ſed etiam ab Eccleſiaſticis Patribus: Quod per Attritionem mereamur gratiam: Quod ſuſceptio Sacramenti Pœnitentiæ ex opere operato, ſine bono motu utentis, hoc eſt, ſine fide in Chriſtum, conſequatur gratiam.* A Canoniſtis & Scholaſticis Theologis traditam Attritionem errant aut imponunt eſſe ſolum gehennarum ſervilem metum, aut ex ipſo ſolo natum de peccatis dolorem: eam recte addunt motum eſſe ſalutariter non bonum, ideoque iſtius doctrinæ probatricem Papiſticam Eccleſiam garriunt deviaſſe a Scripturis Canonicis & antiquis Patribus, utpote quæ doceat Pœnitentem ſine fide in Deum per ſolam operati in Sacramento operis virtutem Deo reconciliari. Et hiſce principiis nititur duodecimus per Leonem X. Pontificem damnatus articulus: *Si per impoſſibile confeſſus non eſſet contritus, ſi tamen credat ſe eſſe abſolutum, veriſſime eſt abſolutus.* Quod nempe a Luthero garriatur Contritio eſſe ſolus ſervilis gehennarum metus, motus ſupernaturaliter non bonus, ideoque juſtificantis gratiæ infuſionem comitari aut præcedere quidem poſſit, at nullo cauſſalitatis modo prævenire.

Quod dogma eſt varia lepra maculoſum. Prima eſt jam dicta calumnia. Dei namque Eccleſia, ac per ipſam probati, ſeu recentiores, ſeu antiqui Doctores de Attritione nihil tale umquam docuere. Altera lepra eſt, quod incuſſum conſcientiæ metum velint eſſe ipſam Contritionem, ac ſine ipſo fieri non poſſe infuſionem gratiæ: Eſt enim ſolum, & quidem extrinſecum, Contritionis exordium, ex quo iſta ſapientia, licet ſemper in Catechumenis, in Pœnitentibus tamen duntaxat communiter concipitur ac paratur. Nullo modo eſt pars Pœnitentiæ. Tertia lepra eſt, quod per fidem in Chriſtum, non caſta ejus dilectione formatum ac fœcundatum Chriſtiane credendi actum intelligant, ſed pertinaciam vanæ ſuæ præſumptionis: quo in puncto quantum diſcedant ab avito Patrum ſenſu, eſt in Diſſertatione oſtenſum. Quartam lepram exponit memorata Confeſſio Wirtembergenſis: *Demus operam, ut generalis peccatorum Confeſſio, quantum fieri poteſt & licet, in Eccleſiis noſtris conſervetur, idque duabus de cauſis. Altera, ut hac occaſione privatim audiatur Evangelium Chriſti de remiſſione peccatorum, quod Evangelium eſt vera clavis regni cælorum, & Abſolutio a peccatis: Et ut per auditum Evangelii ſeu Abſolutionis fides vel concipiatur, vel confirmetur.* Confeſſionem vel Abſolutionem negant eſſe verum, operis operati virtute validum, novi Teſtamenti Sacramentum, ſed pium duntaxat Pœnitentis cum Eccleſiæ Miniſtro colloquium, iterum parturiens aut plantans peccato ſopitam fidem in Chriſtum, id eſt, memoratam vanæ præſumptionis pertinaciam, qua ſola impetratur remiſſio peccatorum.

Et ab iſta peſſima calumnia non ſolum Tridentinum Concilium, ſed & ipſo priores aut coævi Scriptores Catholici Eccleſiam conſtantiſſime expurgarunt. Etenim ad hæc Wirtembergenſis Confeſſionis verba, *Contritionem vocamus ſenſum Divinæ iræ, ſeu dolorem & pavorem animi ex agnitione magnitudinis peccatorum*, in Catholicis ſuis Scholiis ſcribit magnum Ordinis Prædicatorum & totius Eccleſiæ lumen, Caroli V. Auguſti Confeſſarius, Petrus a Soto: *Adde*, ET EX VERA DEI DILECTIONE, IPSUM SUPER OMNIA BONA ÆSTIMANTE. *Sine hac vero, de qua dictum eſt*, DIMISSA SUNT EI PECCATA MULTA, QUIA DILEXIT MULTUM, *Contritio non eſt vera*. Et ad hæc verba, *Contritionem lex Dei in homine excitare ſolet*, pergit: *Immo revera ſola gratia concedere, juxta illud Pauli*, NEQUANDO DEUS DET ILLIS PŒNITENTIAM. *Sed hic oſtendunt iſti Doctores ſe non intelligere neque quæ loquuntur, neque de quibus adfirmant. Primo non intelligunt Catholicam doctrinam de Contritione, quam nos intelligimus veram illam converſionem cordis a peccato, quam petit ſibi dari a Deo, qui dicit*, CONVERTE ME DOMINE, ET CONVERTAR. *Et tam frequenter in Pſalmis:* CONVERTE NOS DEUS SALUTARIS NOSTER. *Ipſi vero Contritionem, vel certe dolorem huic conjunctum, humanum quoddam opus humanarum virium putantes, primum indigne ſentiunt de illa, quæ tam prædicata eſt, & tam neceſſaria. Deinde magni adſertores gratiæ non docent, gratiam quærere tunc, cum maxime neceſſaria eſt peccatori, ſcilicet cupienti remiſſionem obtinere peccati.* Et in Catholica Confeſſione. *Contritionem vocat Catholica Eccleſia perfectum animi dolorem de peccato, voluntati illi, qua peccare libuit, oppoſitum, frangentemque duritiam illam cordis, qua peccatores Divinis Præceptis & bonitati reſiſtimus. Dolor quidem imperfectus eſt, ex quantacumque & qualicumque fide procedens, & quantaſcumque lacrymas & ſenſum doloris habeat, quouſque ex Dei charitate, quæ veram fidem præcequirit, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo; charitate, inquam, dilectionæque illius ſuper omnia bona & amabilia procedat, atque ita peccata, tamquam Deo oppoſita, ſuper omnia, quæ odio habet, idque vere in Divinis oculis deteſtetur. Hæc Contritio ſemper, & ante legem, & ſub lege, & revelatæ gratiæ tempore, ad remiſſionem lethalis peccati neceſſaria eſt in adultis.* Iſtud ipſum, quod ego in Diſſertatione dixi, adſerit eſſe Catholicam totius Eccleſiæ Confeſſionem. Servilis gehennarum metus, ac ex ipſo ſolo natus de peccatis dolor revera per comminantem Dei legem excitatur in homine, eſt carnalis & Judaica legis juſtitia, opus humanarum virium. Ejuſmodi Contritionis fucum a recentioribus Scholarum Magiſtris tradi aut erravit aut finxit maledicus Lutherus; atque omnem in ipſis Eccleſiam peſſima calumnia fœdare tentavit.

Ejuſdem nobis per Auguſtanam Confeſſionem impactæ calumniæ ſecundum articulum eodem modo purgat ſtrenuus Franciſcanæ familiæ Theologus Joannes a Daventria: *Haud impari mendacio nugantur tradidiſſe Catholicos, quod ſuſceptio Sacramenti Pœnitentiæ ex opere operato, ſine bono motu utentis, hoc eſt ſine fide in Chriſtum, conſequatur gratiam. Sic autem tradiderunt, & quidem catholice, quod Sacramenta dent gratiam his, qui non ponunt obicem. Qui enim non credit, qui non ſtatuit ſecum vitam & mores corrigere, qui ex imo pectore non quærit gratiam, magnum plane gratiæ obicem ponit. Videant hic illuſtres Principes, & omnes cordati viri, iſtorum Cretenſium Mœcenates, qui forte his evidentiſſimis mendaciis ineſcati ſunt, & a Catholico ſenſu alienati, quam periculoſe ſtent, quam inſecure vivant, cum mendaciis nituntur.* Quæ ſaluberrima admonitio meis etiam Cretenſibus utinam inſerviat. Quiſquis enim Chriſtum Dominum animæ ſuæ per caſtam dilectionem non ponit in fundamentum, ſuper arenam ædificat, periculoſe ſtat ac inſecure vivit.

Pergit laudatus Joannes etiam ad primum articulum: *Quod per Attritionem mereamur gratiam, ſi recte intelligatur, certiſſimum eſt, multoque clariſſimum. Baptiſma cum fide & dolore de peccatis, & cum propoſito melioris vitæ, juſtificat & ſalvat. Sic & Sacramentum Pœnitentiæ, perpetuum in neceſſitate Baptiſmum, accipientibus Chriſtus promittit remiſſionem peccatorum. Pœnitentia vero, ſi tamen vera Pœnitentia eſt, non fit ſine Attritione. Attritio vero, ubi charitatem & gratiam acceperit, facit contritum.* Verum quæ & qualis charitas & gratia faciunt ex Attrito Contritum? Habituali ſanctificanti gratiæ prævia actualis adfectu ſaltem ſuper omnia charitas, de qua proſequitur laudatus Joannes: *Adverſarii antehac, licet ſolam fidem ſufficere dicerent ad remiſſionem peccatorum ſine omni opere, jam tamen in hoc aliquantulum ſe corrigunt. Nam aliquod opus a peccatore exigunt, videlicet dolorem, quem ſive ex* Dei *charitate, ſive ex* pœnarum *odio naſcatur, dicunt ſufficere ad juſtificationem, modo ſibi credat peccata dimitti. Catholici vero certiſſimi, quod nunquam remittantur peccata, niſi per juſtificantem gratiam, & per fidem charitate formatam, adſerunt gratiam gratum facientem & charitatem eſſe neceſſariam ad reconciliationem. Nunquam inimicus reconciliatur, niſi prius diligat eum, quem prius odio proſequebatur. Numquam ingratus agnoſcit beneficium, niſi prius male affectum animum exuat, id eſt, inimicus & ingratus non juſtificatur, niſi charitate & gratia intervenientibus. Ideo tradunt non ſufficere ad peccati remiſſionem, ſi tantum timeat, & peccatorum remiſſionem ſperet, ſed quod oporteat eum ex toto corde dolere, & converti ad Deum, ita ut non tantum timeat, ſed & diligat Deum.* Dilectionis neceſſitatem nervoſe exaggerat ac declarat.

Notanda ſunt verba: *Adverſarii antehac, &c.* Atteſtantur omnibus Hæreticis familiarem doctrinæ inſtabilitatem etiam Lutheranis infuiſſe. Etenim primæva Auguſtana Confeſſio cum ſuo Pſeudo-Duce Martino Luthero adfirmat Contritionem non eſſe aliud, quam ex agnito peccato incuſſos conſcientiæ terrores. Et adverſus iſtam fabulam olim a Carolo V. Imperatore rogata pronuntiavit ſacra noſtra Facultas: *Contritio eſt dolor de peccatis propter Dei offenſam ſuſceptus, cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi, non autem, ut quidam hoc ſæculo pernicioſe dicunt, terror conſcientiæ propter apprehenſum gehennæ ſupplicium.* Confirmavit Tridentina Synodus, definiens terrorem iſtum non eſſe partem Pœnitentiæ, hoc eſt, non eſſe Contritionem. At vero apud Auguſtam meliorata Lutherana Confeſſio fatetur Contritionem eſſe non nudos ejuſmodi terrores, ſed *in quibus dolemus nos peccaſſe, & peccata deteſtamur*

mur

mur ac fugimus. Ut nobis impacta de utili citra bonum utentium motum, ſeu citra fidem in Chriſtum, Pœnitentiæ Sacramento calumnia, maneat firma, adfirmat Contritionem nobis eſſe ex ſolo ſervili gehennarum metu natum ac formatum de peccatis dolorem, & pergit: *Damnant & iſtos, qui non docent remiſſionem peccatorum per fidem gratis propter Chriſtum contingere, ſed contendunt contingere propter dignitatem Contritionis, dilectionis, aut aliorum operum, & jubent dubitare conſcientias in Pœnitentia, an conſequantur remiſſionem, & adfirmant hanc dubitationem non eſſe peccatum.* Seriis & adſiduis parentum noſtrorum, veram Attritionem non ex ſolo ſervili metu, ſed ex caſta Dei dilectione conſtare, formari, & naſci oportere clamantium inſtantiſſime, apologiis moti tandem admiſerunt noſtræ purgationis aliquid, perſiſtentes interim in peſſima vanæ ſuæ de Chriſti Domini merito præſumptionis pertinacia, priſtinaque, non nihil tamen transfigurata, in nos calumnia, & adſeverantes non laudatam Contritionem, ſed ſolam iſtam fidem eſſe adæquate præparatoriam cauſſam remiſſionis peccatorum. Audi calumniæ transfigurationem: *Adverſarii dicunt peccatum ita remitti, quia contritus elicit actum Contritionis Dei, per hunc actum meretur accipere remiſſionem omnium peccatorum. Hoc nihil eſt niſi legem docere deleto Evangelio, & abolita promiſſione de Chriſto. Tantum enim requirunt legem & noſtra opera: Quia lex exigit dilectionem.* Ex ſervili gehennarum metu conceptam imperfectam Contritionem de hypocriſi & peccati augmento accuſare non audent, degradare tamen & circumſcribere nituntur ex alio principio: Eſſe duntaxat ex lege juſtitiam, ideoque non infuſum Dei donum, & ſupernaturaliter bonum motum volunt adeo contumaciter, ut etiam idipſum garrire non erubeſcant de ejus formatrice & genitrice caſta Dei dilectione. Eam eſſe volunt, quod etiam Lutherus dixit, duntaxat naturalem, revera legis effectum, & opus mere humanum. Audi fundamentum: *Non prius* ſupernaturalis & caſta *Dei dilectio adeſt, quam ſit fide reconciliatio facta. Lex enim non fit ſine Chriſto, juxta illud:* PER CHRISTUM HABEMUS ACCESSUM AD DEUM. Omnia ante juſtificationem opera volunt eſſe peccata, ideoque veram & caſtam, quæ non agit perperam, Dei dilectionem ante illam adſerunt non poſſe ineſſe. Ita nos gratis per ſolam de Chriſti Domini merito fiduciam, citra quamvis noſtram cooperationem, volunt juſtificari. *Contritionis* præſertim *dignitatem* volunt nullo pacto cooperari: ut Martinus Lutherus, qui nos ſuper eam, uti ſuper alteram impetrandæ juſtificationis cauſſam, ædificantes blateravit ædificare ſuper arenam, mendax non reperiatur. Adverſus quod dogmatis monſtrum recte exclamat laudatus Joannes Daventrienſis: *Audiſti abſurda, audi nunc abſurdiora. Adverſarii ſine charitate adſerunt peccatorem juſtificari, quia dilectio, ut eorum verbis dicamus, non adeſt, niſi prius facta ſit reconciliatio. Non video, an quidquam dici poſſit ineptius.*

Quæ omnia conſiderans, & inter ſe conferens laudatus Frater Joannes, recte adjungit: *Facile inter Adverſarios & Catholicos lis componeretur, ſi vellent illi ſibi ipſis conſtare, & Scripturis credere. Fidem faciunt alteram Pœnitentiæ partem, quam nos ex conſenſu Scripturarum eſſe Pœnitentiæ cauſſam probavimus. Nota hic quod dicunt de fide in Chriſtum, & deinde quod decernit ſanctus Auguſtinus, aliud eſſe credere Deo, aliud in Deum, quodque illud multorum etiam dæmonum, illud paucorum ſit, eorum ſcilicet qui fide in Deum tendunt. Fide autem tendere in Deum nihil aliud eſt, quam benefaciendo, obſecrando reconciliationem & unionem cum Deo quærere toto pectore, quod tunc demum continget, cum pœnitentibus & petentibus dabitur Spiritus Sanctus, per quem & charitas diffunditur in cordibus eorum.* Circa quæſtionem hanc adfirmat nos & Lutheranos diſtare modico intervallo: Omnem litem eſſe de ſignificatu harum vocum, *Fides in Chriſtum*. Illi pertinacem vanæ de ſolo Domini merito præſumptionis fiduciam, nos eſſe volumus caſtam Dei dilectionem, ſeu fidem tali dilectione formatam ac fœcundam. Hanc & ipſi admittant ſignificari iſtis vocibus, ac eſſe palmarem, & obtinendæ peccatorum remiſſioni quam maxime neceſſariam neceſſariæ Contritionis partem, erimuſque populus labii unius & ſermonum eorumdem. Erit pax etiam inter me & meos Accuſatores. Ex huc uſque dictis interim vides ab opinione illa, quæ Chriſtianam Contritionem in ſolo per ſolum ſervilem metum nato & formato de peccatis dolorem ſiſtens, adſerit Pœnitentem ſine caſta Dei adfectu ſaltem ſuper omnia dilectione poſſe reconciliari, impingi in Lutheranum Auguſtanæ Confeſſionis dogma, & peſſimam ab ipſa nobis adfrictam calumniam manifeſte verificari. Imitor ſanctum Patrem noſtrum Auguſtinum, qui a Juliano Pelagianiſta, ipſum accuſante de Manichæiſmo, demonſtravit Manichæum inſigniter adjuvari.

CAPUT III.

Quod caſta Dei adfectu ſaltem ſuper omnia dilectio ſit Chriſtianæ Contritionis pars eſſentialis & præcipua, demonſtratur ex orthodoxis Doctoribus, per quorum Scripta de Martino Luthero Eccleſia uſque hodie triumphat.

SINE caſta Dei adfectu ſaltem ſuper omnia dilectione eſſe non poſſe veram Contritionem, abunde nobis dixerunt Joannes Daventrienſis, & Petrus a Soto, addens adſertionem hanc eſſe unum ex immobilibus fidei Chriſtianæ fundamentis. Eximias hujus Petri laudes, ejuſque numquam ſatis prædicanda in omnem Eccleſiam merita videre poſſis in Nicolai Sanderi opere de Schiſmate Anglicano. Eiſdem adſtipulatur per Hermannum Archiepiſcopum celebrata adverſus Lutherum Colonienſis Synodus: *Prima Pœnitentiæ pars eſt Contritio, quam Eccleſia vocat vehementem animi amaritudinem, & intimum dolorem conſcientiæ, quæ Deum peccatis iraſci ſentit, & ſe peccaſſe graviter dolet, cum voto vitæ in melius commutandæ.* Eam ex ſervili gehennarum metu, ex conſiderata peccatorum fœditate ac multitudine, aut ex aliis ejuſmodi principiis dicit concipi, & proſequitur: *Neque tamen putandum eſt hunc timorem ſervilem, qui ex metu ſupplicii ducit originem, & horrorem incutit peccatorum, Pœnitentiam totam abſolvere. Quin potius is ſolus adeo non ſufficit, ut & exitialis ſit, quod deſperationem gignat, niſi proficiat ad ſpem per contemplationem miſericordiæ Divinæ, & ſuccedat fides illa ſecundum tertiam credendi rationem, quæ accedens demum facit, ut timorem ſervilem comitetur timor Filio dignus, cui commiſſa diſplicent, non jam quod pertrahant ad gehennam, ſed quod Patrem optimum, & ſic de nobis meritum offendant, quale videre eſt in filiis, qui graviter in parentes deliquerunt. Primum enim ex metu pœnæ ſeu plagarum oderunt peccatum, deinde paternæ pietatis memoria ſubeunte, ubi fiduciam reditus in gratiam ceperint, etiam ex amore præterita commiſſa deteſtantur, ſic ut etſi nullus deinceps immineat pœnæ metus, tamen ſcientes rurſus admittere nolunt, quod parentes illorum offendat.* Adverſus Lutheri, nos ſola in Chriſtum fide juſtificari quaſi ex Apoſtolo blaterantis inſanias, triplicem, qua Deum, Deo, ac in Deum credimus, fidem diſtinguit ex ſancto Auguſtino, & adjungit: *Prima credendi ratio ſeu fides, ſi ſolam accipias, infirma eſt, & velut adhuc mortua. Altera, qua Deo tantum credimus, necdum tamen erga Deum religioſa pietate adficimur, manca. Sed tertia, qua in Deum credimus, pioque adfectu in ipſum tendimus, ea demum vivida atque integra fides eſt.* Primam & ſecundam conſiſtere in intellectu, & ſpiritalis ædificii adfirmat eſſe exordia, pergitque de fide tertia: *Secundum tertiam credendi rationem etiam in voluntate eſt, quod actio fidei ſic acceptæ, quod eſt credere, fidere, & adhærere Deo, non ſolo intellectu, quem fides illuminat, ſed & voluntate, quam accedente charitate inflammat, perficiatur. Jam etſi fides, ſpes, & charitas ſint tria dona Spiritus, & ſingula ſuas diſtinctas habeant rationes, tamen hoc conſtat, eam fidem, qua in Deum credimus, quæ ſola efficax, ſincera, integra, & ſalutifera eſt, nec infundi, nec accipi ſine charitate.* Multis hæc confirmat. Et hanc tertiæ rationis fidem eſſe Contritioni eſſentialem adſeverat, atque proſequitur: *Hæc ergo fides, cum timore filiali conjuncta, veram Pœnitentiam a falſa ſeparat, & diſcrimen facit inter Contritionem impii, & vere pœnitentis. Impius enim concepto timore ſervili ex metu ſupplicii, atque ibi conſiſtens, in deſperationem adigitur, quod videre eſt in Cain, Pharaone, Saul, Achab, & Juda traditore. Sed quos in hoc dolore conſtitutos Deus clementer reſpicit, hi cum ex timore per fiduciam miſericordiæ ad timorem filialem fecerint gradum, tum demum ad veram Pœnitentiam contriſtantur. Vides ergo, quemadmodum conſideratis juſtitiæ & Judicii Divini, accedente fide hiſtorica,* qua Deum credimus, *Pœnitentiam inchoet, conſideratio vero bonitatis Divinæ, ex amoris adfectu procedens cum fiducia miſericordiæ, Pœnitentiam formet.* Adverſum Lutheri, ex ſervili metu conceptam Contritionem de hypocriſi & peccati augmento damnantis, fabulas adjungit: *Haud inficiamur ſanctiorem eſſe Pœnitentiam, quam timor filialis, in bonitatem Dei reſpiciens, inchoat & format; ſed quoniam hæc eſt fragilitas & imperfectio noſtra, ut non facile ad bonitatem Dei oculos noſtros attollamus, niſi prius iram ſenſerimus, idcirco ſanctis Patribus recte placuit*

F. 122. 123. 124.

Pœnitentiæ doctrinam a timore ſervili non inepte ordiri. Ex ſervili metu caſtam Dei dilectionem concipi, veramque ab ipſa formatam Contritionem eſſe impetrandæ juſtificationi penitus neceſſariam, ex Sanctis Auguſtino, Ambroſio, Baſilio magno, magno Gregorio, Hieronymo, & Caſſiodoro oſtendit inſigniter, & concludit: *Breviter in hanc ſententiam omnes pii deſcendunt*. Eam ſolam fideli populo prædicari mandat: ejuſmodi Contritionem ait eſſe infundendum a Deo donum, ideoque perſeveranti precum & lacrymarum ad Divinæ clementiæ januam pulſu poſtulandum per ſolo adhuc ſervili metu concuſſos peccatores. Ante ejus obtentum nemini vult divinæ Reconciliationis Sacramenta impendi. Et his omnibus non contenta Synodus refumit doctrinam ſuam, contrahitque in anacephalæoſin: *Hunc articulum, qui de Contritione eſt, ſemel abſolvamus. Multa ſunt quæ ad veram Contritionem requiruntur. Primo, neceſſe eſt ut homo concipiat odium peccatorum, non hujus vel illius, ſed omnium quæ Deum offendunt. Secundo, Contritionem amarulentam & gemebundam eſſe oportet, qualis fuit pœnitentia David. Tertio, non oportet leviter tranſmittere peccata præterita, ſed eadem agnoſcere, & memoriam eorum perſeveranter retinere. Quarto, ad Contritionem pertinet votum vitæ in melius commutandæ. Quinto, poſtquam de omnibus peccatis tuis graviter & ex animo dolueris, dieſque tuos in amaritudine animæ tuæ recognoveris, ac firmiter in corde tuo ſtatueris deſinere a malo & facere bonum, tum fides accedere debet Contritioni*. Tertiæ rationis fides, *qua fiducia Divinæ miſericordiæ rurſum erigaris, & conſolationem accipias, confiſus tibi ſic adfecto peccata tua propter Chriſtum remiſſum iri. Nam hæc fides Contritionem perficit, atque diſcrimen facit inter Contritionem pii & impii, Petri, & Judæ*. Ex ſolo ſervili gehennarum metu citra fidem in Deum, ſeu caſtam Dei ſuper omnia dilectionem formata Contritio apud hanc venerandam Synodum eſt Judæ Contritio, non Petri.

Quod ipſum in Catholico adverſus Lutherum Catechiſmo conſtanter & nervoſe docet laudatiſſimus fidei orthodoxæ pugil Michael, Epiſcopus Merſeburgenſis. Alios pœnarum metu, alios conſiderata peccatorum fœditate, alios pio in Deum aut ejus opera adfectu, alios aliis viis oſtendit excitari ad veram ac ſalutarem Pœnitentiam, atque adjungit: *Hic quidem foret modus optimus ex Dei amore a peccatis deſiſtere, ac proinde foret optandum, omnes nos eo potius nomine horrere & vitare peccata, quod ex amore Deum nolimus offendere; quam pœnæ formidine a peccato abſtinere. Utinam omnium hominum animi amore ejuſmodi flagrarent, poſſentque ex animo dicere, quod quidam Deo devotus & integer Chriſtianus quandoque dixit ad Deum*: PRÆSTA MIHI DOMINE DEUS, UT DILIGAM TE, ATQUE SIC, ETIAMSI DAMNANDUS SIM, PŒNAM IPSAM MINUS MOLESTE FERAM. *Verum non omnium animi ſunt ita conſtituti, ut ex amore Dei reſipiſcentiam & converſionem auſpicentur, magiſque ſe peccaſſe doleant, eo quod Deum peccatis ſuis offenderint, quam quod ſupplicium pertimeſcant. Hoc itaque rarum & infrequens eſt converſionis & pœnitentiæ genus, ea autem uſitatiſſima ratio eſt Pœnitentiam ſeu Contritionem obtinendi, ut ſerio quis perpendat multitudinem & enormitatem ſuorum peccatorum, & ſimul in memoriam ſibi redigat minas graviſſimas, quas variis Scripturæ locis intentat Deus impiis & peccatoribus. Conſiderat quoque ſeverum illud & formidabile Dei Judicium, quas calamitates & terrores impii in ſuis ſentient conſcientiis, ubi terribilis illa & irrevocabilis Chriſti ſententia in eos fuerit prolata*: ITE MALEDICTI IN IGNEM ÆTERNUM, QUI PARATUS EST DIABOLO ET ANGELIS EJUS. *Ex hujuſmodi conſideratione utique neceſſarium eſt timorem in animis hominum inſiſtere: A timore autem concipitur Pœnitentia, ut Auguſtinus ait. Et ſapiens inquit*: QUI SINE TIMORE EST, NON POTEST JUSTIFICARI. *Cæterum hic timor, qui ex peccatorum & ſupplicii conſideratione hauritur, necdum eſt vera illa Contritio, quæ Deo accepta eſt, & qua ad miſericordiam commovetur, quæque impetrat remiſſionem peccatorum. Nihilominus tamen eſt inſtar miniſtri veræ Contritionis, utpote ad veram Pœnitentiam deſerviens ac perducens. Nam hic ſervilis timor primum reprimit in nobis peccata, facitque ceſſare a vitiis, qui eſt gradus ad veram Pœnitentiam & Contritionem*. Ex ſervili timore ait tandem concipi de peccatis dolorem & pergit: *Nec jam ſolum ea de cauſſa dolet, quod pœnam peccando commeruerit, ſed multo magis eo nomine, quod Deum offenderit. Immo jam de pœna tantopere ſolicitus non eſt, cum ultro ſe obtulerit ad perferenda quæ ipſi Deus pro peccatis impoſuerit, tantum ut favorem & amicitiam Dei queat recuperare. Atque hic eſt verus & caſtus timor, cum ex amore Deum timere incipimus, exoriturque hinc vera illa Contritio, quam Deus vult valere ad veniam peccatorum*. Veram Contritionem ſine caſta Dei dilectione eſſe non poſſe, & hanc ex ſervili metu, & aliis ejuſmodi humilibus obſtetricationibus poſſe concipi & parari adfirmat adverſus Lutherum, & concludit: *Hunc Contritionis obtinendæ modum omnes Catholici Patres tradiderunt*. Fuiſſe a Tertulliano, Sanctis Baſilio & Chryſoſtomo, immo & ſanctis Prophetis atque Apoſtolis traditum demonſtrat, pergitque in Catecheſi ſequenti: *Sola formidine terreri ob peccata, furum flagitioſorumque eſt Pœnitentia, nec meretur gratiam aut remiſſionem a Deo*.

Adſtipulatur & alter doctiſſimus ac ſanctiſſimus novellarum apud nos hæreſeon debellator, ex Ruremondenſi primo ſecundus Gandavenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Guilielmus Lindanus: *Faceſſat novum iſtud novæ Contritionis figmentum, quod meros animi terrores & conſcientiæ carnificinas ſomniat, quaſi vero hiſce rebus perficiatur Contritio, non inchoetur tantum. Quare dum Adverſarii iſtos horrores omnibus Scripturæ locis adfingunt, & ſuis ſemper ſubtrudunt, quid aliud quam ad ſervilem eos metum adligant? Proinde Catholici rectius Auguſtini doctrinam ſecuti, aliorumque item cæterorum veterum, hoc contriti cordis ſacrificium a perhorrenda tremendi illius judicii ſeveritate exorſi mores veteres in melius jubent commutare*. *In Panopl.* At vero & juxta hunc, qui circa expoſitam a multis Contritionem noluit copioſius ſcribere, magnum Epiſcopum, & juxta ejus Magiſtrum ſanctum Auguſtinum, mutatio morum eſt mutatio amorum: Opus eſt mentis tranſitu a mundi fornicario ad amorem Dei caſtum. *Non faciunt*, inquit in literis ad Comitem Macedonium ſanctus Auguſtinus, *bonos vel malos mores, niſi boni vel mali amores*. Similibus hujus veritatis teſtibus producendis nolim fatigare Lectorem: ſunt innumeri. Quibus fidem quicumque abrogat, Martinum Lutherum, quod adverſum ſancti Auguſtini Accuſatores de Pelagiana hæreſi dixit etiam ſanctus Proſper, adfirmat male devictum, & falſis huc uſque victoriis de ipſo Eccleſiam triumphaſſe. *Ep.* 32.

Præterire tamen nolim Pii V. Pontificis juſſu pro Tridentini Concilii intellectu compoſitum atque vulgatum Catechiſmum Romanum. Ad Pœnitentiæ virtutis, quæ Contritioni eſt omnino eſſentialis pars, actum adfirmat concurrere motus varios: Fidem, ſervilem gehennæ metum, veniæ ſpem a Divina miſericordia, melioris vitæ Propoſitum, ac tandem *corda noſtra accendentem charitatem, de qua liberalis ille timor, probis ac ingenuis filiis dignus oritur, atque ita unum illud veriti, ne qua in re Dei Majeſtatem lædamus, peccandi conſuetudinem omnino deſerimus*. Eſſentialem Contritioni dolorem adfirmat illum, *quo* non ex incurſo gehennarum reatu, ſed *ex amiſſa Dei gratia & innocentia*, quod palam eſt caſtæ dilectionis, *adſicimur*. Pergit: *Summum & maximum dolorem ex peccatis, quæ commiſſa ſunt, ſuſcipiendum eſſe, ita ut nullus major excogitari poſſit, facile erit hiſce rationibus demonſtrare. Nam cum perfecta Contritio ſit charitatis actus, quæ ab eo amore, quæ filiorum eſt, proficiſcitur, patet eundem Contritionis & charitatis modum ſtatuendum eſſe. At quoniam charitas, qua Deum diligimus, perfectiſſimus eſt amor, hinc fit ut Contritio vehementiſſimum animi dolorem conjunctum habeat. Ut enim maxime diligendus eſt Deus, ita quæ nos a Deo alienant, maxime deteſtari debemus*. Charitatis & Contritionis magnitudinem eodem loquendi genere ſignificari in ſacris literis, recte obſervat: ut namque Deum ex toto corde diligere, ita ex toto corde ad ipſum jubemur per Pœnitentiam converti. Uti Divinæ charitati, juxta S. Bernardum, *Nullus eſt finis, aut modus, ſed Dei diligendi modus eſt diligere ſine modo;* ita *peccatorum deteſtationi* adfirmat *nullum modum definiendum*. Eſſe jubet *non ſolum maximam, ſed & vehementiſſimam, atque adeo perfectam, omnemque ab ipſa ignaviam & ſocordiam excludi*. Loquitur non de quavis, ſed de ſola Contritione perfecta, *quam ſtatim & ut mentibus noſtris conceperimus, tribuitur nobis a Deo remiſſio peccatorum:* quam ſacroſancta Tridentina Synodus definit etiam ante actualem Sacramenti ſuſceptionem juſtificare. Hinc iterum Catechiſmus: *Si id minus conſequi nobis liceat, ut perfecta ſit, vera tamen & efficax Contritio eſſe poteſt*. Contritionem & Dei dilectionem rectiſſime adſerit ambulare eiſdem magnitudinis & quantitatis paſſibus, ideoque eſſe Contritionis ſpecies ſeu claſſes, quot ſunt dilectionis. Quare uti hæc, ita & illa alia nata, quædam nutrita, alia adulta, robuſta alia, alia perfecta. Et hæc eſſe debet ſine fide & modo, ex toto corde, vehementiſſima, maxima, excludere omnem ſocordiam atque ignaviam, id eſt, omnem adfixivum cupiditatis adſenſum. *Part.* 2. *cap.* 5. *n.* 1. *Num.* 26. *Num.* 30. *Num.* 27.

CA-

CAPUT IV.

Servilis Attritio oſtenditur eſſe duntaxat heſternum commentum.

ADverſus Praxeæ, heſterni tunc hæretici, novellitatem ſcribit Septimius Tertullianus: *Adverſum univerſas hæreſes jam hinc præjudicatum ſit id eſſe verum, quodcumque primum; id eſſe adulterum, quodcumque poſterius.* Poſteritatem mendacio deputandam demonſtrat item in libro Præſcriptionum. Et in libro adverſus Hermogenem: *Solemus hæreſes compendii gratia de poſteritate præſcribere.* Ex hac regula & Paulum Apoſtolum, ad fidei & prædicationi ſuæ conciliandam auctoritatem Anteceſſorum, apud Hieroſolymam degentes Primates Apoſtolos acceſſiſſe, & cum illis contuliſſe ſcribit in quarto libro adverſus Marcionem. Non opus eſt multis teſtimoniis: Vocum novitatem ipſe laudatus Apoſtolus damnat & proſcribit. Adeo firma eſt hæc præſcriptio antiquitatis, ut æternæ noſtræ veritatis ignari Gentiles adverſum nos dixerint apud Arnobium: *Ante quadringentos annos Religio veſtra non fuit.* At vero formatæ per ſolum ſervilem gehennarum metum Attritionis opinio eſt adeo nova, ut de ipſa dici ferme queat, quod de novis ſuo tempore doctrinis ſcripſit laudatus Tertullianus: *Earum homines adhuc ambulant.* Teſtem adduco in ſuis ad Robertum Cardinalem Pullum Scholiis virum doctiſſimum Hugonem Matthoud. Hæc ſunt verba Pulli: *Pœnitentiam plerumque parit timor in illo, qui timet ardere, non peccare. Vir certe malus: Quoniam vir bonus plus horret culpam, quam gehennam. Ille prævidens pœnam reprimit culpam: Si impune liceret, repreſſam exerceret. Nec poteſt bonus eſſe, quiſquis illicita vellet, ſi auderet. Quodam enim modo id cujuſque voluntas affectat, quidquid ſolum ex neceſſitate recuſat. Nam quod coactus facit, id te facere verum eſt, id te velle falſum eſt. Qui ergo ex timore pœnitet, adhuc eſt ſervus, quoniam ſtagra formidat; nondum filius, qui patrem amans ſperat hæreditatem. Quamobrem quiſquis, dum pœnitet, ſolum timore angitur, nondum per Pœnitentiam veniam meretur. Verum qui largitur timorem, ut ex timore pœnitendi neceſſitatem incutiat, is cum Pœnitentia largietur amorem, ut ſit Pœnitens venia dignus.* Omnem meæ Diſſertationis doctrinam compendio tradit, & ad iſta verba ſcribit laudatus Hugo: *Ex his Roberti verbis, & ex aliis ſupra relatis liquido conſtat Attritionem ex ſolo gehennæ metu conceptam, ut veram Sacramenti partem, nec voce tenus nec ſignificato, veteribus & Pullo coætaneis Authoribus innotuiſſe, ut merito in conſcientiæ Inſtructorio ſcripſerit Lopez illius opinionis parentes fuiſſe Melchiorem Canum, & Henricum quemdam Salamanticenſis Academiæ Doctorem, qui putum dolorem illum, quo ſolo metu inferni peccator concutitur, etiam ſic cognitum, nec altius elevatum, ſufficientem eſſe diſpoſitionem, ut accedente Sacramento juſtificantem gratiam conſequatur. Sed ut nova hæc opinio, ſic periculoſa, & tantum Scripturæ detrahens, quantum Sacramento concedere putat.*

Ludovici Lopez, avitam Eccleſiæ de Contritione ſententiam antea complexi, hæc ſunt verba: *Sed jam præcedente lumine Concilii Tridentini, & quia induſtria Doctorum aliquæ veritates magis illuſtratæ ſunt, audeo & hanc ſtatuere concluſionem; Probabile eſt, & non parum veritati & Tridentino Concilio conſona opinio adfirmativa, ſcilicet quod ad juſtitiam & remiſſionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ ſatis eſt Attritio cognita, etiamſi Pœnitens non exiſtimet probabiliter eam eſſe Contritionem.* Ad quæ verba in doctiſſimo de Pœnitentia opere ſcribit vir eruditiſſimus Joannes Morinus: *Hanc ſententiam aſſerere probabilem, tum illi viſum eſt aliquid inſolitum audere.* Et addit cauſam: *Hæc quæſtio plane nova eſt, & omnibus Scholaſticis ante hoc ſæculum incognita, ut recte adnotavit Alexander Peſantius, videlicet, An Attritio ex ſola formidine pœnæ concepta, & Sacramento conjuncta, dilectionem ſuppleat, ita ut hoc modo habitualiter juſtificatus dilectionem illam, ſalutis obtinendæ cauſa elicere nullo unquam temporis momento teneatur. Melchior Canus primus hanc quæſtionem excivit, & cum propria formula propoſuit. Dominicus Soto, & Andreas Vega eam paulo ante ſubobſcure attigerant. Nunc autem, & ab aliquot annis ſcholas omnes pervaſit.* Et rurſum: *Antiqui Scholaſtici omnes uſque ad annum milleſimum quingenteſimum, ut Patres præteream, longe expreſſius, liberalius, & magnificentius de obligatione dilectionis Divinæ ſtatuerunt, ut vel ex ipſis recentioribus colligitur, dum eos refutant.* Adfirmat ſervilem Attritionem ab iſtorum nullo fuiſſe etiam cum Sacramento judicatam obtinendæ juſtificationi ſufficientem.

Cap. 2. Cap. 31. 35. Cap. 1. Cap. 2. L. 2. Part. 5. c. 31. Lib. 4. c. 18.

Hæc ſua verba, *An Attritio dilectionem Dei ſuppleat*, etiam exponit: *Sententia iſta videtur neceſſario ſibi ſupponere, velut fundamentum, hanc doctrinam, poſſe hominem ſolo habitu gratiæ, ſine ullo dilectionis Dei motu, in hac vita non modo juſtificari, ſed etiam recipi in cælum.* Et infra: *Ex iſto juſtificationis modo conſequi probabiliter videtur homines adultos, qui per actus proprios ſe a Deo averterunt, juſtificari tantum habitualiter, more infantum, ſine converſione ad Deum. Qui enim Deum actu odit, non videtur converſus, niſi actu amaverit.* Quod ſervilis Attritio non ſit Pœnitentis ad Deum, ſed ad ſemetipſum converſio, ipſi primi ejus Dogmatiſtæ fatentur, ideoque ipſam adſeverant per Sacramentum proficere in Contritionem, vel potius in Contritionis effectum, remiſſionem peccatorum. Adſeverant Pœnitentiæ Sacramentum ac ejus operatum opus eſſe tantæ virtutis, ut habitualem laudatæ remiſſionis juſtitiam, uti Baptiſma facit in parvulis, det ſine juſtitia operum: Etenim ſervilis Attritio non eſt per Jeſum Chriſtum juſtitia, ſed ex lege. Sola caſta juſtitiæ dilectio eſt juſtitia Chriſtiana. Et adverſus portentoſum hocce dogma dixit Hugo Matthoud: *Nova hæc opinio tantum Scripturæ ſacræ detrahit, quantum Sacramento concedere putat.* Nihil enim lucidius ac frequentius inculcant Propheticæ, Evangelicæ, ac Apoſtolicæ Scripturæ, quam neminem adultum ſine vera cordis per caſtam Dei dilectionem converſione juſtificari. De Martino Luthero, qui anno milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo cœpit blaterare, in plenam necdum inſaniam lapſo ſcribit in Citizenſis Eccleſiæ Chronico Paulus Langius, ejus talis qualis Symmiſta: *Martinus Lutherus, Theologus conſummatus, profundus, ac incomparabilis, ſacram Theologiam ad fontalem dignitatem, primævamque puritatem, nec non Evangelicam, ſinceram, ſimplamque ſuam innocentiam & integritatem, omni prorſus Philoſophia ſæculari exploſa, reducere conatur.* A. 1254. Agebat Lutherus in novellos tunc Scholaſticos, quos poſt annum milleſimum quingenteſimum cœpiſſe in Divinæ dilectionis obligationem eſſe iniquiores ac laxiores audivimus a Joanne Morino. In plenam inſaniam ſeductus paucorum ſcabiem adfricare cœpit cunctis, atque ita omnem Eccleſiam, quaſi Pœnitentes, ſine bono mentis motu, per ſolum Sacramenti operatum opus juſtificari traderet, eſt peſſime calumniatus. Et hanc calumniam novellum Melchioris Cani dogma manifeſte confirmat. De Fortunatiano Aquilejenſi Archiepiſcopo, cujus quædam opera memorat, addit in Eccleſiaſticorum Scriptorum catalogo ſanctus Hieronymus: *Fortunatianus in hoc habetur deteſtabilis, quod Liberium, Romanæ urbis Epiſcopum, pro fide ad exilium pergentem, primus ſollicitavit ac fregit, & ad ſubſcriptionem hæreſeos compulit.* Cap. 29. Hoc ipſum ego ob intruſas in Eccleſiam has vocum novitates dicere haud verear de viro doctiſſimo Melchiore Cano. Lutheranam enim de Eccleſia calumniam verificare non eſt leve crimen.

Authenticum dogma edere debet ſuorum natalium origines, Doctorum ſuorum ordinem uſque ad ipſos Apoſtolos, atque ita ex decurrentibus ab initio ſucceſſionibus demonſtrare legitimam ſuam cum Evangelio conſanguinitatem. Authenticum dogma nos a noſtris Epiſcopis, hi a ſuis Majoribus, illi acceperunt ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo. Omne poſterius quid eſt aliud, niſi filius ſine Patre, tiro ſine Principe, diſcipulus ſine Magiſtro? De omni novo dogmate dici poſſit ac debeat, quod de Gnoſticorum fabulis per ironiam ſcripſit in Præſcriptionum libro Tertullianus. *Aliquos Marcionitas aut Valentinianos liberanda veritas exſpectabat. Interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur.* Et hinc Beatiſſimo Patri noſtro Alexandro VII. qui a peſſima Chriſtianum hominem ne ſemel quidem in vita ad Deum expreſſe diligendum adſtringi garriente, quorundam Theologorum fabula, tanquam fœdiſſima ruga, liberavit Eccleſiam, libet rurſus adclamare ex animo: *Amos de noſtris.* Etiam a libero ſervilis Attritionis per ſimplices animas diſcurſu confidimus liberandam. Malum enim proficit in pejus. Sunt qui etiam putatam duntaxat attritionem putent cum Sacramento ad juſtificationem ſufficere, de quibus laudatus Joannes Morinus: *Video hodiernos Doctores hanc ſententiam paſſim refutare. Ut nunc tamen ſunt homines, periculum eſt, ne tandem apud multos obtineat, ſi celebris aliquis Doctor illius defenſionem ſemel amplectatur. Homines enim ut plurimum in cauſſa relaxationis diſciplinæ, & ſeveritatis morum minuendæ, ita comparati ſunt, ut qua data porta, ſtatim ruant.* Pauci anni ſunt, ex quibus quiſpiam in Iprenſis Eccleſiæ Seminario Theologaſter nullum penitus, ne quidem naturalem, dolorem tradidit requiri ad Pœnitentialis Sacramenti valorem, ſola peccatoris Confeſſione & Sacerdotis Abſolutione garriens compleri. Et quoſdam in errorem ſeduxerat, multos in dubitationem. Æterna memoria

moria dignus est D. Judocus Bouckart, laudatæ Ecclesiæ tunc Episcopus, qui impressas istas conclusiones defendi vetuit, atque damnavit.

Pergit Joannes Morinus: *Nondum omnino certum est & exploratum, Attritionem illam cum Sacramento ad impii justificationem sufficere, cum hactenus nullo Ecclesiæ Decreto hoc declaratum fuerit.* Pœnitentialis Administrationis Historicum, nullius ferme conclusionis adsertorem agit vir prudens ac eruditus, ideoque nullam, licet in animo suo damnatissimam, opinionem verbis apertis damnat: Adserit tamen *ancipitem esse sic justificati salutem.* Quod ipsum, de taliter præsertim in mortis articulo justificatis, adfirmat Franciscus Suarez, Joannes Sanchez, Paulus Comitolus, aliique plures ipsius etiam servilis Attritionis defensores. Adeo per ipsam ajunt nullum moribundum justificari, ut etiam velint novo omnem talem maculari mortali peccato. In ipsis suorum patronorum oculis tam monstrosa est hæc Attritio. Nec sine fundamento. Etenim de Catechumeno apud Ecclesiam Catholicam, an apud Donatistas baptizari hæsitante, & Baptismum in ista recte suscipi habente certum, ambigente autem an & apud hosce recte suscipiatur, in libris de Baptismo scribit sanctus
Lib. 1. c. 3. Augustinus: *Si dubium haberet non illic recte accipi, quod in Catholica recte accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus,*
Cap. 5. *vel eo solo quod certis incerta præponat.* Et infra in eodem libro: *Accipere in parte Donati si incertum est, esse peccatum, quis dubitet certum esse peccatum non ibi potius accipere, ubi certum est non esse peccatum?* Necessitatis præsertim Sacramento incertam & dubiam, certa relicta, adhibere materiam, formam, aut Ministrum, dicit esse mortale peccatum: Cui Doctor Angelicus, Scholastici omnes, & ipsum naturæ lumen adstipulantur. Ergo non in solo mortis, sed in quovis articulo quisquis cum sola servili Attritione cognita Baptismatis aut pœnitentiæ Sacramentum suscipit, & animam suam & ipsum Sacramentum exponit periculo, atque ita in ipso perit. Adeo monstrosa Pœnitentia est ista servilis Attritio. Ejus patrocinium Hugo Matthoud recte dixit esse, uti novum, ita & periculosum.

CAPUT V.

Edita nuper Dissertatio a variis Accusationis capitibus expurgatur.

ANtiquam formandæ & prosequendæ accusationis regulam exponit nobis septima Synodus Carthagi-
Cap. 3. nensis: *Quotiescumque Clericis ab Accusatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex his, de quo prius egerint, probare non valuerint, ad cætera* probanda *jam non admittantur.* Ex ipsa & ego agere velim adversum meos Accusatores: Aliquot purgare articulos, reliquos Divino Judicio, & benigno Lectoris animo commendare.

Prima Accusatio diluitur.

PRimum accusationis caput est, quod voce, *Attritio*, abutar adversus communem intellectum, affirmans, ut vera sit, debere esse germanam Dei, & quidem affectu saltem super omnia dilectionem. A quorundam hodie laxonum cogitationibus me recedere crediderim facile; verum ab avito Sanctorum Patrum intellectu & phrasi scio me non deviasse. Etenim de perfecta Contritione scribit in secundi Psalmi commentario sanctus Hilarius Episcopus Pictaviensis: *Contritio illa sive confractio est, quæ in nobis corporeas voluptates, & sæcularium vitiorum incentiva comminuit, dignosque nos dignatione Domini præstabit, & secundum dictum Prophetæ, cor contribulatum & humiliatum Deus non spernet.* Et in vigesimi tertii Psalmi Commentario S. Basilius Magnus: *Contritio cordis demolitio est, & suppressio humanarum cogitationum. Quicumque enim præsentia despexerit, seque Verbo Dei addixerit, & suam ipsius mentem iis contradiderit intelligendis, quæ supra hominem & longe diviniora sunt, hic demum est qui tribulato sive contrito est corde, quippe sacrificium obtulit quod minime contemnitur apud Dominum.* Et in suis de recte instituenda vita doctrinis B. Archimandri-
Doct. 21. ta Dorotheus: *Contritio cordis est, si id vagari non permittas in alienis & vanis cogitationibus.* Etiam vestræ Venetiæ sanctissimum Patriarcham Laurentium Justinianum nolim præterire: *Primum Sacrificium, propter quod homo ad perfectam proficit justitiam, est sacrificium contriti cordis pro perpetratione scelerum suorum. Nam Contritio sola est, quæ facit animam abhorrere purpuram, desiderare cilicium, amare lachrymas, fugere risum, & veram sectari justitiam.* Et in centesimi quadragesimi sexti Psalmi enarratione S. Augustinus scribit Contritionem duris ac distortis cordibus esse propriam, ipsaque per eam Divinæ legi, tanquam æquali pavimento distorta ligna, coaptari. Perfecta Contritio perfectam involvit charitatem, ex ipsa procedit, ac per ipsam formatur, ideoque omnes originalis libidinis, licet non motus, tamen affixivos assensus excludere non tantum debet, sed & superasse: Esse debet super omnia ista, non solo affectu, sed viribus insuper & effectu. Hinc omnes ab illa corporeas voluptates & sæcularium vitiorum incentiva, omnes alienas ac vanas cogitationes, purpuram & quosvis sæculi honores comminui, supprimi, sanari, abhorreri, & mentem nostram plene, quantum fert præsens vita, Divinis complanari Regulis, laudati Patres affirmant. Eam esse scribunt primum & palmare sacrificium: Quod omne fœnum lignum, scoria, & stipulæ per ipsam exurantur, nosque in purum, juxta præsentis justitiæ modulum, argentum emundemur & aurum. Esse ajunt sacrificium quod apud Dominum minime contemnatur: Quod per ipsam stata lege, etiam ante Baptismatis aut Pœnitentiæ actualem susceptionem, fiat reconciliatio peccatoris, deturque remissio delictorum. Ex istorum *Lib. de char. c. 6.* Patrum sancti præsertim Augustini, authoritate, hocce definivit sacrosancta Synodus Tridentina. Magnus Basilius ac B. Dorotheus utuntur voce, λόγισμος, non quamvis cogitationem, seu accuratam considerationem seu ratiocinationem significante. Eam ad profectas ex istiusmodi alienis & vanis cogitationibus, palam affixivas, cupiditates significandas usurpant, adeoque has omnes & solas a perfecta Contritione volunt supprimi & avelli. Et solam hujusmodi Contritionem e sanctis Patribus multi laudaverunt. Quod enim gravioribus peccatis Sacramentale reconciliationis beneficium lapsis non nisi semel impenderet antiqua Ecclesia, multorum annorum, imo & totius quandoque vitæ præmisit in cinere, sacco, & omni humilitatis genere Pœnitentiam, quæ omnem affixivæ cupiditatis scoriam plene decoqueret, ac peccatorem transmutaret in virum perfectum, qui recipiendæ justificationis stolam ab omni deinceps graviori macula speraretur usque ad exitum custoditurus. Verum paternæ disciplinæ fuit hæc rigida sanctitas, non Evangelicæ necessitatis. Et omnis germana Contritio non est tantæ virtutis. Uti non quævis charitas, ita non quævis Contritio est perfecta. Alia est duntaxat nata, alia duntaxat nutrita, alia duntaxat adulta, alia duntaxat robusta. Et hasce species seu classes, quod in distorto seu durato per peccata corde non quasvis, sed grossiores duntaxat affixivas cupiditates frangant, posterior ætas vocavit Attritionem. *Inter fra-* *Quæst. 1.*
ctionem & comminutionem seu Contritionem, inquit An- *art. 1.*
gelicæ Summæ supplementum, *in rebus materialibus, unde hæc nomina ad spiritualia transferuntur, hoc interest, quod frangi dicuntur aliqua, quando in magnas partes dividuntur; sed comminui vel conteri, quando ad partes minimas reducitur hoc, quod in se solidum erat.* Nimia Christiani populi multitudo, & multa Romani Imperii, adeoque & Ecclesiæ calamitas primævam charitatis perfectionem refrigerarunt, laxaruntque avitum disciplinæ nervum: Hinc lapsi nostri non solum citra plenam, qua in perfectionem istam parturiantur aut reformentur, sed & citra omnem ante actam satisfactionem jam pridem donantur gratia sacramentalis reconciliationis. Ista quidem ante imponitur, sed non nisi post hanc adimpletur. Ad hujus moris exordia Majores nostri perfectæ ac imperfectæ charitatis divisiones & species extenderunt etiam ad Contritionem, & quamvis Contritionem imperfectam, quod pravam mentem non plene comminuat, sed tantum frangat in partes grossiores, recte vocarunt Attritionem. Introducendi vocabuli causas large exponit Joannes Morinus, & adjungit de tempore: *Vocabulo ut jam in Scholis vulgato u-* *Lib. 8.*
tuntur Alexander Halensis, Guilielmus Parisiensis, & *Cap. 4.*
Albertus Magnus. Posteriorum nemo illud præteriit. Nonnulli tamen eodem tempore illud aut non agnoverunt, aut neglexerunt. Sed Authorum, qui hos antecesserunt, nullus mihi cognitus Attritionem commemoravit; licet easdem cum his quæstiones agitarent. Itaque nomen illud in scholis vulgari cœpit post annum 1220. *centum & pauciſſimis annis post natam Scholasticam.* An per gehennæ aut pœnarum metum, an per humanum pudorem aut quodvis id genus instrumentum introducatur Attritio, parum refert: Extrinseca sunt hæc: nec ad ejus spectant interiora. Essentiale utriusque Contritionis discrimen consistit in sola varia lapsi & distorti animi fractura. Hoc Patrum meorum sensu locutus sum, & video me bene locutum.

Di-

Diluitur ſecunda Accuſatio.

Fol. 6. INſignem accuſationem continent hæc verba: *Hæc eſt Attritio, de qua hic diſputatio inſtituitur, in qua reperiuntur jam dicta, non interveniente tamen perfectæ charitatis ſeu Dei propter ſe dilecti motivo.* Eadem forma etiam infra ſcribit: *Pater Lupus fatetur Davidem, Magdalenam, alioſque non videri habuiſſe actum veræ Contritionis.* Nec dixi id unquam, & ſpero, Deo me cuſtodiente, nunquam dicere. Quiſquis ſimile quid dixerit, anathema ſit. Inter veram & perfectam, uti charitatem, ita & Contritionem eſt grande intervallum. Ad Attritionem nunquam requiſivi perfectam, ſed veram duntaxat charitatem. Quin Regius Propheta ac Maria Magdalena ex vera charitate pœnituerint, ſolus negare poſſit antiquorum Sanctorum & veteris legis blaſphemus oſor Marcion aut Manes. Verum an perfecta illis fuerit charitas, eſt antiqua inter Orthodoxos Patres & Doctores quæſtio, meæ Diſſertationis ſcopo non neceſſaria, ideoque non deciſa. Davidem interim ac Mariam Magdalenam fuiſſe duntaxat imperfecte contritos, Guilielmus Eſtius & Franciſcus Sylvius adfirmant. Etiam S. Petro Apoſtolo, dum cum Domino in carcerem & mortem ire ſpopondit in cœna, charitatem fuiſſe veram ac germanam, nullus ambigere poſſit orthodoxus, fuiſſe tamen *parvam ac invalidam* conſtanter in libro de gratia & libero arbitrio aſſeverat S. Auguſtinus. Die poſt Domini Reſurrectionem quinquageſimo miſſus in linguis igneis Spiritus Sanctus & Petrum & omnes Apoſtolos primum in charitate perfecit. Ita cum S. Auguſtino omnes paſſim tra-
Cap. 17. dunt Eccleſiæ Patres. Et hinc mea verba: *Per timorem ſolum citra charitatem de peccatis concepta Contritio eſt contritionis fucus*, recta ſunt & vera. Deſumpta ſunt ex viro ſummo, Theologo eximie Orthodoxo, laudato ſuperius Fratre Petro a Soto: *Sine Dei dilectione, de qua dictum eſt, Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum, Contritio non eſt vera.* Et ex Richardo de Sancto Victore in libro de ſolvendi ac ligandi poteſtate: *Qui veraciter de ſuis criminibus pœnitent, pro certo jam charitatem habent.* Et ex Do-
Part. 2. q. 85. art. 5. 6. ctore Angelico, ſcribente ad veram Pœnitentiam conrere actum fidei, ſervilis timoris, ſpei in Deum, ac tandem charitatis, *qua alicui peccatum diſplicet ſecundum ſeipſum, & non jam propter ſupplicia.* Proximum ac immediatum veræ Pœnitentiæ principium ſcribit eſſe timorem filialem. Quæ uſque ad Melchiorem Canum fuit ſententia omnium Chriſtianorum.

Diluitur tertia Accuſatio.

ALiud accuſationis punctum eſt quod dicam latentem in corde cupiditatem ſervili gehennarum metu frænari duntaxat & compeſci a peccatis externis,
Fol. 7. non ſanari & evacuari. *Hæc opinio*, inquit, *Paradoxa eſt.* Addit eam eſſe Cornelii Janſenii ac Martini Lutheri. Reſpondeo non quidquid Janſenius ac Lutherus dixere Janſenianum eſſe aut Lutheranum. Hæreſis a Chriſto Domino noſtro lepra vocata fuit, quod Evangelicum dogma duntaxat hinc inde maculet, non totum evertat. Nonne enim Septimii Tertulliani, Adamantii Origenis, Joannis Caſſiani, Facundi Hermianenſis Epiſcopi, alioſque plures hæreticorum aut ſchiſmaticorum devios libros, uti pretioſiſſimum multæ veritatis theſaurum, Mater Eccleſia cuſtodit? Etiam hic ipſe Accuſator Hilari, Orthodoxi primum in Romana Eccleſia, dein in Luciferiano ſchiſmate ſolius ſine ullo Epiſcopo aut Presbytero contumaciſſimi Diaconi, leproſa in S. Pauli Apoſtoli Epiſtolas commentaria honorat tanquam S. Ambroſii, atque ex illis firmare conatur ſuas cogitationes. Uti in hoc Ambroſiaſtro varia, ita in Martini Lutheri ſterquilinio poſſit hinc inde aliqua latitare gemma veritatis. Quidquid interim Lutherus de hoc
L. 4. cap. 77. puncto aut Janſenius ſenſerint, ego patenter ſenſi cum Hugone de S. Victore in libris Miſcellaneorum: *Triformis eſt odor vitæ. Non delinquere: Quod agit timor ſervilis. Nolle delinquere: Quod operatur filialis. Non poſſe delinquere: Quod confert gloria perennis. Primi ſunt ſervi, ſecundi filii, tertii beati.* Loquitur ex Re-
Pſ. 77. gio Propheta, de Judæis per ſolum ſervilem timorem in divina Regula ambulantibus ſcribente: *In lege ejus noluerunt ambulare.* Cauſam in Pſalmi iſtius commentario dat S. Auguſtinus: *Ex corde fieri nullo modo poteſt, quod fit formidine pœnæ, non amore Juſtitiæ.* Large id illic exponit.

Quod ipſum facit etiam in literis ad Anaſtaſium: *Inaniter putat victorem ſe eſſe peccati, qui pœnæ timore non peccat. Quia etſi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, ſi ſubtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt, qui vult facere quod non licet fieri, ſed ideo non facit, quia impune non poteſt fieri. Nam quantum in ipſo eſt, mallet non eſſe juſtitiam peccata prohibentem atque punientem. Et utique ſi mallet non eſſe juſtitiam, quis dubitaverit quod eam, ſi poſſet, auferret, ac per hoc quomodo juſtus eſt juſtitiæ talis inimicus, ut eam, ſi poteſtas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat? Inimicus ergo juſtitiæ eſt qui pœnæ timore non peccat. Amicus autem erit, ſi ejus amore peccet. Tunc enim vere timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipſum ſicut gehennas odit.* Ejuſmodi plura Latinorum & Græcorum Patrum teſtimonia Eruditio veſtra novit. Ep. 144.

Adductum ſancti Auguſtini locum deſumptamque ex ipſo doctrinam inſigniter in libro de humani generis captivitate ac redemptione illuſtrat magnus olim hujus Academiæ Doctor, & adverſus Lutherum acerrimus pugil, Joannes Driedo: *Ad id, quod ultra in primo ar-* Fol. 108. *gumento adſumitur, eum qui ſolo metu gehennæ ignis aut temporalis pœnæ facit Præceptum, videtur adhuc alio habere Præceptum aut punientem juſtitiam, reſpondeo quod is, qui ſolo metu gehennæ ignis coercet ſe ab opere malo, Præceptum quidem odit ſecundum amorem quemdam habitualem, ſeu radicem intus latentem, nondum renovatus Spiritu amoris juſtitiæ, ſed non ſemper eſt odium in actu, non ſemper actu concupiſcit deſtructam eſſe juſtitiam punientem. Nam dum quis concuſſus timore Divini Judicii incipit ceſſare a conſenſibus nefarii operis, & fugere ſtupra, adulteria, cæteraſque ignominiæ paſſiones, cavet interim ne extendat membra in opus, viva tamen ſemper manet in eo peccandi voluntas, donec fuerit renovata Spiritu amoris juſtitiæ. Proinde & ſic ſubjectus ſervili timori quodammodo non vult peccare, & quodammodo vult peccare. Vult quidem, quia in eo vivit latens quædam peccandi voluntas, non actualis quidem ſemper in actu peccandi, ſed habitualis, ſecundum quam necdum amicus juſtitiæ ſemper manet præparatus peccare, ſuæque libidini ſervire, ſi eſſet impunitas. Non vult autem peccare, quia jam concuſſus timore Divini Judicii, ſciens Deum eſſe cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum, incipit exire de ſæculo. Et idcirco non quemadmodum fur vel adultera exſpectat opportunitatem loci & temporis ad perpetrandum nefarium opus, ſed intra cogitationis clauſtra coercere & comprimere ſtudet, ne pravis cupiditatibus præſtet adſenſum. Recte propterea & Divus Bernardus ſub hoc ſtatu timentium timore Divini Judicii dicit eſſe exitum de ſæculo, & introitum quemdam vitæ & legis.* Per latentem intra cogitationis clauſtra pravam cupiditatem, & habituale punientis juſtitiæ odium nullo pacto relictum ex priori patente voluntate vitium, maculam, aut reatum, ſed cum ſancto Auguſtino intelligit ſtabilem diſtortæ mentis adfectum ac præparationem, a Scholaſticis Doctoribus jam pridem cœptam vocari voluntatem virtualem, quam eſſe verum, ſed ſecretum, quia ab intellectus ſuper ipſum reflexione ſeparatum, voluntatis motum, ideoque per ipſum, dum parvus eſt, hominem continuari ac permanere actu peccatorem, ex laudato Auguſtino poſſit lucide oſtendi, & res ipſa clamat. Nonne profeſſi uſurarii, meretrices, latrones, licet actu de profeſſione non cogitent, ob paratam tamen ſemper in prava opera mentem ſordent in continua voluntate fœnerandi, ſcortandi, rapiendi? Captivus, exul, ſpoliatus, licet aliud agant & animo volvant, in adſiduo hærent deſiderio recuperandæ rei, patriæ, libertatis. Ea mentis habitudo non eſt aliud, quam voluntatis ab intellectus ſupra ipſum reflexione ſpoliatus motus: Latet & quaſi dormit, ideoque a quibuſdam exiſtimatur non eſſe actus, ſed duntaxat quæpiam ejus præteriti vicaria virtus. Ex reflexionis ſpolio latere intellectum poteſt, & tamen eſſe. Quidquid ſit de iſta ſcholæ controverſia, cum laudato Driedone ſcripſi in Diſſertatione: *Latens peccati cupiditas eſt intima &* Fol. 71. *ſecreta mentis præparatio, qua homo ſervili gehennarum metu frænatus mallet eſſe licitum quod dolet vetitum, qua velit non eſſe legem peccata prohibentem, aut certe punientem, qua optat non eſſe gehennas, quibus a cupiditatum ſuarum ſequela & adimpletione retardetur. Et hæc eſt cupiditas, quam Patres adſidue dicunt per ſolam charitatem evacuari.*

Hoc ipſum docet Guilielmus Eſtius. Duas proponit quæſtiones. Prima eſt: *An qui ſolo timore pœnæ, ſeu* Lib. 3. Diſt. *temporalis, ſeu æternæ, vel opus legis facit, vel a pec-* 34. §. 8. *catis abſtinet, peccat?* Altera eſt: *Utrum omne opus ex ſolo timore pœnæ procedens ſit peccatum?* Poſteriorem diſputat ac tuetur problematice, & poſt adducta in partis adfirmativæ probationem varia ſanctorum Auguſtini

ſtini & Proſperi loca, concludit de priore: *Ex his igitur hoc ſaltem conſequens videtur, omnem eum peccare, qui ſolo timore abſtinet a peccato. Utcumque enim ſe habeat opus externum, & ſive illud propter debitæ circumſtantiæ defectum debeat dici peccatum, ſive poſſit aliquo modo a peccato excuſari, de quo videre licet ſanctum Bonaventuram & Durandum, certe omnino fatendum eſt id, quod Patres adfirmant, eum qui ſerviliter timet, & ex eo timore aliquid facit vel omittit, ipſa voluntate intus atque in animo reum eſſe, dum mallet quod jubetur omittere, vel quod prohibetur facere, ſi liceret impune. Præſertim ſi actualem hujuſmodi in ipſo opere habeat voluntatem.* Hocce caſu adfirmat non ſolummodo peccare ex timore operantem, ſed & ipſum tunc timorem, factumque ex ipſo opus eſſe peccatum. Et inferius: *Quæ poſtremo* pro adfirmante ſecundæ quæſtionis parte *ex Patribus proferuntur, non aliud convincunt, quam eum peccare vel actu vel habitu, qui ſolo timore pœnæ ab opere peccati abſtinet, quia videlicet voluntatem gerit adhuc juſtitiæ inimicam, & legi Dei contrariam, cum quo nihilominus conſiſtit, ut nec timor ipſe, nec opus ex timore profectum ſit peccatum, ſi nulla ipſum vitiet circumſtantia.* Peccare habitu etiam huic ſancti Auguſtini diſcipulo eſt ſecreta mentis in peccatum præparatio: eam dicit non ſanari per metum, ideoque ſolo metu actum animum eſſe adhuc juſtitiæ & legis inimicum.

Addo hanc propoſitionem, *Servilis gehennarum metus compeſcit & aufert ſola peccata externa*, eſſe mali commatis, nec unquam a me adſertam. Eleganter hoc tradit in ſuperius laudato opere Joannes Driedo, ſervi-
Fol. 108. lis timoris utilitates exponens, atque adjungens: *Unde timor Dei, etiam ſervilis, expellit peccatum, id eſt, actionem peccandi, dum cohibet & ipſam voluntatem ab executionis imperio, & ipſa membra ab executione. Et ita timor Domini expellit peccatum, ſive quod jam admiſſum eſt, inquit Bernardus, pœnitendo, ſive quod intrare tentat, reſiſtendo. Proinde quamvis timor ſit cum peccato in eo, qui necdum amat juſtitiam, is tamen qui timet gehennam ignis aut juſtum Dei judicium, neque peccat, neque Deum offendit in eo quod ſic timet, ſed magis humiliatur ſub potenti manu Dei, ſuo ſpiritu vehementi concutientis deſertum, & confringentis cedros Libani, hoc eſt, ſuperbas & animoſas peccandi audacias.* Nonne executionis imperium, ſeu pravi operis patrandi efficax decretum, quod per ſervilem metum auferri audis, eſt peccatum internum? Sola in ima cordis abyſſo, qua quis velit licitum quod novit vetitum, latens cupiditas, ac ſervilis animi vilitas ſervili timore non evacuantur. Et hinc cum ſancto Auguſtino dixi: *Qui timore pœnæ non concupiſcit, puto quia concupiſcit.* Ejuſdem Auguſtini definitiva eſt apud
C. 117. ſanctum Proſperum ſententia: *Eam Deus innocentiam probat, qua homo non metu pœnæ fit innocens, ſed amore juſtitiæ. Nam qui timore non peccat, quamvis non noceat, cui nocere vult, ſibi tamen plurimum nocet: Et abſtinens ab opere malo, ſola tamen reus eſt*
2. 2. qu. 19. art. 4. L. 1. cap. 119. *voluntate.* Quod ipſum lucide docet ſanctus Thomas. Addit in Miſcellaneorum libris Hugo de ſancto Victore. *Frænum carnis eſt timor. Cum enim ad delectationem præcipitem impellit deſiderium culpæ, cohibet a delectatione timentem providentia pœnæ. In hoc enim quod cernit quod poſt culpam pœna ſequatur, ſive in correctione, ſive in damnatione, refrænatur culpa ſive in opere, ſive in delectatione. Timor ergo frænum: Ipſe timor cohibet & ſtringit effluentem animum, & ſiſtit eum ad tolerantiam, oſtendens facilius malam concupiſcentiam vincere, quam malam conſcientiam tolerare; Et eligit durum, ut durius evadat.* Ecce non ſolum adimplendæ cupiditatis decretum, ſed & natam ex ipſa delectationem timor aufert. Uti effectu fruſtrata, ita timore frænata cupiditas infert dolorem adeo acrem, ut eum ſanctus Joannes Apoſtolus appellet tormentum. Solam igitur illam intimam, qua ſerviliter timens malit licitum quod ſentit vetitum, cupiditatem, tormenti iſtius matrem & fontem, non ſanat neque aufert metus. Ille eſt mentis ad malum præparatio, qua ſancti Auguſtinus & Proſper adfirmant hominem relinqui & permanere juſtitiæ & legis oſorem.

Quarta Accuſatio diluitur.

UTi actualem & patentem, ita virtualem ac latentem cupiditatem, qua quis malit non eſſe prohibentem ac punientem peccata juſtitiam, qua illam ſi poſſet auferret, qua fit ejus inimicus, ſi quidem circa rem mortaliter vetitam verſetur, quis ambigat ex genere ſuo eſſe peccatum mortale? Diſerte id affirmantem ſanctum Joannem Chryſoſtomum adduxi in diſſertatione. Quod ipſum diſerte docet antiquus Scholaſticus, Petri Lombardi diſcipulus, Petrus Pictavienſis:

Servilis timor facit hominem ceſſare a peccato, ſed non ab omni peccato. Etſi enim ceſſet hic per timorem ſervilem a malo opere, non tamen a mala voluntate, quæ mortale peccatum eſt. Voluntatem enim habet peccandi, ſed ceſſat tantum propter pœnam. Et Doctor Angelicus: *Objectum timoris ſervilis eſt pœna, cui accidit quod bonum, cui contrariatur pœna, ametur tamquam finis ultimus, & per conſequens pœna timeatur tamquam principale malum, quod contingit in non habente charitatem.* Per charitatem non ſanata ſervilitas proprium commodum diligit uti finem ultimum: Quod quis dubitet eſſe mortale peccatum? Ex hac tamen doctrina Accuſator affirmat *legitime ſequi, quod is, qui ante Baptiſmum mortaliter deliquit, nunquam poſſit juſtificationem obtinere, niſi novum peccatum mortale committat; baptizatus vero, ſi peccet mortaliter, non niſi in rariſſimo caſu juſtificari poſſit, niſi novo mortali admiſſo.* Et infra: *Egregia profectio hæc eſt ſcelerum Pœnitentia, quæ non niſi tum novo ſcelere peragi poteſt.* Ejuſmodi Pœnitentiam eſſe monſtroſam & ipſe profiteor. At ejus aſſertionem mihi imponi eſt majus monſtrum. Aliud eſt quempiam ad incuſſum gehennarum metum, & ex ipſo ſolo formatum de peccato dolorem in peccati iſtius priori cupiditate perſiſtere, aliud per ejuſmodi dolorem & metum committi novum peccatum. Primum dixi, fretus authoritate S. Joannis Apoſtoli: *Qui non diligit, manet in* pravæ ſuæ cupiditatis, natique ex ipſa reatus *morte.* Homo cupiditates ſuas ſequens & adimplens per divinitus incuſſum gehennæ metum compeſcitur & revocatur ab iiſdem adimplendis & imperandis, adeoque tantum abeſt novum ab illo committi peccatum, ut a multa peccati ſui portione omnino liberetur. Nihilominus *inaniter putat victorem ſe eſſe* totius *peccati, quia etſi non impleatur foris negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis.* Quod ab hoſte hoc non niſi per diffuſam a Spiritu Sancto actualem charitatem liberentur corda noſtra, eſt unum ex immobilibus fidei Chriſtianæ fundamentis.

Part. 3. Cap. 18.

2. 2. qu. 19. Art. 4.

Fol. 11.

Quinta Accuſatio diluitur.

PErgit Accuſator: *Ex eadem doctrina ſequitur peccatorem, dum Attritionem elicit, fieri hypocritam hoc ſenſu, quod exterius a peccato abſtineat, latente interius peccaminoſa voluntate, adeoque quod exterius facit non faciat ex animo & ſincero corde.* Factam ex ſolo metu juſtitiam, licet non mihi, tamen Luthero adfirmat ac oſtendit eſſe hypocriſin, & concludit: *Atqui attritus ex metu gehennæ vere fit hypocrita hoc* Martini Lutheri *ſenſu juxta P. Lupum; ergo juxta eundem recte & catholice quoad hoc ſenſit Lutherus, nec fuit cenſuræ obnoxius.* Reſpondeo inferendum fuiſſe: *Ergo prave ſenſit, fuitque obnoxius cenſuræ.* Duo hic convolvuntur. Primum eſt, quod facta per ſolum ſervilem metum bona opera ſint non Chriſtiana ex Divinæ infuſionis dono, ſed judaica ex lege juſtitia. Alterum, quod talis juſtitia ſit ſemper hypocriſis, faciatque hypocritam. Primum omnino dixi: Eſt enim immobile fidei Chriſtianæ fundamentum. Et propter ejus adſertionem nec damnatus eſt Lutherus, nec potuit damnari. De ſecundo ſcribit in ſancti Proſperi ſententiis ſanctus Auguſtinus: *Simulata innocentia non eſt innocentia. Simulata* C. 19. *æquitas non eſt æquitas, ſed duplicatur peccatum, in quo eſt iniquitas & ſimulatio.* Et in opuſculo de fructibus carnis & ſpiritus Hugo Victorinus: *Hypocriſis eſt virtutum ſimulatione clauſum vitium ex arte palliare.* Ab ea fieri de medicina languorem, & virtutem verti in vitium ſcribit in tertio libro Miſcellaneorum. Secunda igitur a me diſerte damnata propoſitio, quod hypocriſis eſſe debeat juſtitiæ hiſtrionatus & ſimulandi ſtudium, eſt penitus falſa, ipſam peſſime blateravit Lutherus, ejuſque cauſſa potuit omnino damnari.

Fol. 12.

Sexta Accuſatio diluitur.

DEnuo Accuſator: *Ex iiſdem principiis ſequitur, quod qui atteritur, conſtituatur magis peccator. Addit enim veteribus peccatum novum, quod eſt ſimpliciter & proprie conſtitui magis peccatorem. Et in hoc ſenſu paſſim loquitur Lutherus, dum dicit fieri magis peccatorem.* Ejus verba adducit, & proſequitur: *Dixerat Lutherus peccari, dum a timore inchoatur Pœnitentia, quod ipſum aſſerit P. Lupus. Id explicat Eckius per facere magis peccatorem, adeo apud ipſos hæc duo idem ſignificabant.* Et rurſum: *Etiam juxta P. Lupum qui dolet ex timore, conſtituitur oſor Dei.* Reſpondeat pro me Joannes Driedo: *Quiſquis ex recogitatione gehennæ ignis, aut recordatione Divini judicii concuſſus, timore incipit odio habere peccata, ſuaſque frænare concupiſcentias, & abhorrere ac fugere adulteria, ſtupra,*

Fol. 13.

Fol. 109.

& id

& id genus alia, non peccat in eo quod ſic timet, aut ſeſe continet coercens ſua membra a nefariis operibus, ſic timore Divini Judicii concuſſus. Dixi ſignanter: NON PECCAT IN EO QUOD SIC SESE CONTINET. *Siquidem cauſſa hujuſmodi timoris eſt ſpiritus timoris Domini, ſupprimentis hoc pacto audaciam peccandi. Tamen aliunde peccabit, ſi ſimul adſit in actu vel a carne vel a ſpiritu nequam alius quiſpiam motus pravus voluntatis, vel deſiderantis non eſſe ullam legem prohibentem, & non eſſe Deum punientem, vel triſtantis de hoc quod ſibi non liceat impune peccare, vel magis odio habentis pœnam & juſtitiam, quam culpam. Quamvis igitur ſtantibus hujuſmodi motibus ſimul, anima quidem a Deo ſe elongat, non tamen in eo quod timet gehennam: Non in eo quod ex hujuſmodi timoribus continet & coercet ſeſe, ſed in eo quod odit juſtitiam Dei legem dantis, & tranſgreſſorem punientis. Proinde & concurrentibus motibus illis pravis, minus peccabit coercens ſeſe a nefariis operibus, quam ſi cum eiſdem motibus prorueret in illa. Solo igitur timore gehennæ ſua membra cohibens ab opere, non magis, ſed minus potius ſe elongat a Deo, quam illa movens in opus, modo ſint cætera paria. Quamquam in timore ſervili ipſa ſervilitas, ſeu peccandi voluntas, quæ intus latet, non ſit Spiritus Sancti opus, utique tamen timor Divini Judicii, cum ſit opus fidei, procedit ex dono Dei. Proinde verum quidem eſt apud eos, qui ſolo ſervili metu ſolius pœnæ obediunt Præceptis, abſtinentes ab illicitis, neque eſſe curam pudoris, neque honeſtatis, virtutis, & caſtitatis amorem, eoſque timore reprimi, non emendari; attamen ipſi neque tantum nocent, neque tantum offendunt, quam qui, prout libido fert animi, graſſantur non repreſſi ullius ſuperioris legis pudore & metu.* Aliud eſt per ſervilem Attritionem, aut per ſervilem Pœnitentiæ inchoativum metum peccati, aut hominem conſtitui peccatorem & oſorem juſtitiæ, aliud ſub tali aut poſt talem Attritionem & metum adhuc peccari, ſeu perſeverari in priori quapiam mala voluntate, hominemque per ipſam continuari oſorem juſtitiæ & peccatorem. Summum inter hæc duo eſt chaos firmatum. Primum, ex quo hominem per ſervilem metum fieri magis peccatorem ſequitur, blateravit Lutherus, ideoque merito eſt damnatus Tridenti. Ego cum Joanne Driedone dixi poſterius: Eſt enim orthodoxi dogmatis immobile fundamentum. Poſt acceptum, inquam, ſolius ſervilis timoris ſpiritum carnalis homo perſeverat peccator & oſor juſtitiæ: Non per ipſum timorem, ſed per timore iſto non evacuatam latentem peccandi cupiditatem. Quia tamen & a peccatis externis, & ab ipſorum patrandorum efficacibus imperiis ac delectationibus liberatur per eumdem timorem, nequaquam major, ſed longe minor per ipſum fit & conſtituitur peccator. Rurſus dico: Per ipſum homo a multa peccatorum parte liberatur.

Diluitur ſeptima Accuſatio.

SErvilis timoris dixi eſſe varias utilitates. Dixi ab illo non ſolum cum ſuis patrandi internis imperiis ac decretis externa peccata, & inveteratas ipſorum auferri conſuetudines; dixi ipſum eſſe neceſſitatem compulſivam ad bonum; eſſe germanam plantationem ac rigationem, cui Deus non raro det juſtitiæ incrementum; eſſe juſtitiæ plantationem validiſſimam, a Domino laudatam in Evangelio, *Compelle intrare*. At ecce hinc nova Accuſatio: *Per timorem fit conſuetudo peccandi ex ſententia P. Lupi, nempe peccato interno, unde omnis peccati externi origo & radix.* Et iterum; *Juxta P. Lupum timor ſervilis auget & roborat conſuetudinem malorum in corde.* Rurſum cum Joanne Driedone reſpondeo aliud eſſe internorum peccatorum conſuetudinem per ſervilem gehennarum metum fieri, augeri, aut roborari; aliud ipſam cum & ſub tali timore adhuc perſeverare, ſeu per ipſum non eradicari. Abſit ut primum vel cogitarim. Ne quidem dixi ſecundum. Dixi patentes animæ cupiditates, ſeu efficacia patrandorum pravorum operum imperia per ſervilem metum evacuari, addens ipſum eſſe Divinæ gratiæ præcurſorem, & ſapientiæ initium: utique Divinæ charitatis, quæ etiam latentes in corde cupiditates ſanet atque evertat. Locutus ſum cum S. Auguſtini ad Honoratum Catechumenum Epiſtola: *Præmiſſus timor in cor noſtrum pellit inde conſuetudinem malorum operum, & ſervat charitati locum.* Et in centeſimi vigeſimi ſeptimi Pſalmi Commentario: *Timent quidam, ſed non amant juſtitiam. Cum autem per timorem continent ſe a peccato, fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulceſcit Deus. Et jam incipit homo juſte vivere, propterea non quod timet pœnam, ſed quia amat æternitatem.* Et in tractatibus ſuper Joannis Epiſtolam: *Cœpit homo timere diem judicii, timendo corrigit ſe. Vigilat adverſus hoſtes ſuos, id eſt, adverſus peccata ſua. Incipit reviviſcere interius, & mortificare membra ſua, quæ ſunt ſuper terram. Quantum autem mortificat membra ſua ſuper terram*, utique pravas ſuas cupiditates, *tantum ſurgunt & corroborantur membra cæleſtia, opera bona.* Hinc addit ſervilem metum, licet ſanitas non ſit, eſſe tamen medicamentum. Qui igitur ego dixiſſe poſſim aut cogitaſſe peccata interna, ipſorumque conſuetudinem per ipſum fieri, augeri, roborari? Servilis Attritio, ſi non niſi ejuſmodi Accuſationum artibus poſſit fulciri, palam eſt eradicanda plantatio, quæ non eſt a Patre.

Epiſt. 120. cap. 17.

Tract. 9.

Accuſatio octava diluitur.

SErvilem gehennæ metum, licet officio & ſubſtantia bonum, dixi laborare vitio radicis. *Oritur enim non ex caſto Dei ſeu juſtitiæ, ſed ex mercenario amore ſui ipſius, quo homo ſibi bene vult, non ſolum in hac vita, ſed etiam in futura. Porro ſui ipſius amorem, quo homo non in Deo, ſed in ipſo ſeipſum diligit, eſſe fontem impurum, & omnis diſtorti adfectus primam radicem, eſt unum e fundamentis doctrinæ Catholicæ & Auguſtinianæ.* Ad quæ Accuſator: *Atqui actus, de cujus bonitate hic diſputamus, eſt is qui ſiſtit in timore, adeoque cui ex ſuis extrinſecis convenit, quod pro ſuo motivo habeat amorem ſui, & non Dei propter ſe dilecti; ergo juxta P. Lupum ille actus ſecundum ſe & ſua intrinſeca conſideratus habet impurum motivum, eſtque adfectus diſtortus & malus.* Reſpondeo me docuiſſe ex ſancto Thoma: *Timor ſervilis ex amore ſui cauſſatur, quia eſt timor pœnæ, quæ eſt detrimentum proprii boni.* Et iterum: *Quamquam timoris ſervilitas mala ſit, ipſe tamen timor ſervilis ſecundum ſuam ſubſtantiam eſt bonus.* De Hæreticis & Schiſmaticis, pro Chriſto Domino aut aliqua ejus orthodoxa veritate mortem aut tormenta ex ſervili gehennarum metu ſuſtinentibus apud alios Hæreticos aut Paganos, ſcribit in libro de Patientia ſanctus Auguſtinus: *Nullo modo iſta culpanda ſunt, immo vero & hæc laudanda patientia eſt.* Et infra in ſequenti capite: *Sicut negandum non eſt hoc etiam eſſe donum Dei, ita intelligendum, alia eſſe Dei dona filiorum illius Hieruſalem, quæ ſurſum eſt libera mater noſtra.* Hæretici & Schiſmatici nequaquam Deum aut ſeſe in ipſo caſte, ſed ſeipſos in ſeipſis impure diligunt: Et tamen ex tali per ſervilem gehennarum metum fonte natam patientiam, ſeu patiendi voluntatem audis nullo modo culpandam, immo & laudandam. Utique quoad ſubſtantiam, non quoad radicem. Idem ego ex laudato Auguſtino dixi de ſervili gehennarum timore.

2. 2. qu. 19. art. 6.

De eodem rurſum dixi: *Gehennæ metus ex proprio ſui ipſius amore naſcitur, adeoque qui ob illam ſolam, & non Chriſtum Dominum a gravi peccato abſtinet, non ſolummodo plus illam timet, ſed & ſeipſum ſupra Dominum diligit, quod eſſe etiam cogitatu horrendum, nobis Julianus Pomerius dixit.* Ad quæ verba iterum Accuſator: *Atqui naſci ex amore ſui ipſius eſſentiale eſt actui, de quo diſputamus, ergo hic actus juxta P. Lupum ex ſuis intrinſecis non tantum malus eſt, ſed & inſigniter malus.* Reſpondeo me etiam hic cum ſancto Thoma fuiſſe locutum: *Objectum ſervilis timoris eſt pœna, cui accidit quod bonum, cui contrariatur pœna, ametur tamquam finis ultimus & per conſequens pœna timeatur tamquam malum principale, quod contingit in non habente charitatem. Vel quod ordinetur in Deum ſicut in finem, & per conſequens pœna non timeatur tamquam principale malum, quod contingit in habente charitatem.* Ab illo, qui ex ſolo ſervili citra Dei charitatem metu operatur, in ſui ipſius, cui pœna contrariatur, commodo proprio conſtitui finem ultimum, ideoque plus ſeipſum quam Deum diligi, lucide adfirmat Doctor Angelicus. Seipſum, inquam, ſupra Deum diligit taliter timens, non per ipſum timorem, ſed per timori adhuc adnexam, & a ſola Dei charitate ſeparandam ſervilitatem.

2. 2. qu. 19. art. 4.

Quare errorem continent hæc Accuſatoris verba: *Naſci ex amore ſui ipſius eſſentiale eſt actui, de quo diſputamus.* Utique ſervili gehennarum metui. Hæc item verba: *Ei ex ſuis intrinſecis convenit, quod pro motivo habeat amorem ſui, & non Dei propter ſe dilecti.* Etenim longe aliter ſenſit ſanctus Thomas, ſcribens ſervilitatem, eſſentialiter pravam, non eſſe de timoris ſervilis eſſentia, & adjungens jam laudata verba, lucide adfirmantia eumdem numero timoris actum modo poſſe in proprio timentis commodo hærere & fiſti, modo referri in Deum ut finem principalem. Quod natales mutare, & modo ex impuro, quo ſemetipſum in ſemetipſo, modo ex caſto, quo ſeipſum in Deo diligit homo, naſci poſſit ſucceſſive etiam numero eadem timoris ſubſtantia, docet in articulo ſubſequenti. Servilis metus officium

Art. 6.

officium in Apoſtolicæ ad Romanos Epiſtolæ elucidatoriis quæſtionibus inſigniter exponit Hugo de ſancto Vi-
1. 194. ctore: *De quo*, utique ſervili gehennarum metu, *poteſt quæri, an ſit donum Spiritus Sancti? Quod ſi eſt, bonus eſt. Sed videtur malus, cum propter pœnam faciat ſervire. Solutio: Iſte bonus eſt, bonum habens effectum, ſcilicet cohibere a malo opere. Hoc autem, quod mala voluntas remanet, non eſt ex ipſo, ſed ex hominis vi-*
Part. 3. c. 18. *tio*. Et Petrus Pictavienſis: *Ideo dicunt quidam quod ſerviliter timere malum eſt, nec eſt uſus ſervilis timoris ſerviliter timere, nam ille bonus eſt, & hoc eſt malum; ſed potius timere pœnam & retrahere a peccato, quorum utrumque bonum eſt*. Sive ex caſto, ſive ex impuro ſui amore naſcatur, utroque hocce officio ille omnino fungitur, ideoque paſſim ac merito a Doctoribus ſcribitur eſſe ſemper etiam ſubſtantia bonus. Quod non ſola exteriora opera, ſed & quædam internæ voluntates ſint quoad ſpeciem indifferentes, ac individualem bonitatem ac malitiam ex varia imperantis ac dirigentis intentionis qualitate quandoque alternent, ex ſancto etiam Auguſtino poſſit admodum probabiliter ſuaderi.

Dixi de ſervili metu: *Paſſim dicitur eſſe etiam ſubſtantia bonus*. Inter ejus quippe officium & ſubſtantiam aliqui diſtinguunt, iſtud ſolum bonum, hanc malam profeſſi internos intellectus & voluntatis motus non a ſolis objectis, ſed & a tendendi modo dividi in variam ſubſtantiæ ſpeciem: A pœnarum metu, dum ex proprio timentis, & dum ex Dei amore naſcitur, exiſtimant alio & alio modo tendi in pœnas, ideoque eundem numero metum non poſſe nunc ex hoc, nunc ex iſto procedere fonte. Eſt Scholaſtica quæſtio, cujus adfirmativam partem in libris de vita contemplativa omnino ſe-
L. 3. c. 31. cutus fuit Julianus Pomerius, de quo Accuſator: *Cum ſuo Juliano pronuntiat P. Lupus*. Nempe quis ſit hic
Fol. 43. Julianus, homo ignorat. Eſt non mei ſolius, ſed totius Doctor Eccleſiæ, cujus inſignes de vita contemplativa libros plurimi jam pridem exiſtimarunt eſſe ſancti Pro-
Cap. 4. ſperi. Eos enim ut tales laudant in Canonicorum Regula ſanctus, qui ſub Pippino Francorum Rege floruit, Crodogangus Epiſcopus Metenſis, in libris de laicali inſtitutione Jonas Aurelianenſis Epiſcopus, Aquiſgranenſis ſub Ludovico Pio Synodus, Fontanellenſis Cœnobii Chronicon, & alii antiqui plures. Verum in ſuis ad laudatum Jonam marginalibus ſcholiis eruditus Lucas Dacherius recte affirmat eſſe opus Juliani. Etenim in Eccleſiaſticorum Scriptorum catalogo ſcribit ſanctus Iſidorus Archiepiſcopus Hiſpalenſis: *Julianus cognomento Pomerius edidit tres libros de futuræ vitæ contemplatione, vel actuali converſatione, nec non etiam de vitiis atque virtutibus*. Fuit vir Afer ex Provinciis Mauritaniæ. Quod in Gallia primum Rhetor, deinde Presbyter & Arelatenſis Abbas floruerit, lucet ex vita ſancti Cæſarii ibidem Epiſcopi, & ex Ruritii Lemovicenſis Epiſcopi litteris ad ipſum Julianum. Andegavenſis Canonum codex vocat ſanctum Pomerium: quæ omnia in ſuis ad memoratam Aquiſgranenſem Synodum notis confirmat Jacobus Sirmondus. Hæc breviter adducta volui, ne quis tantum virum etiam damnet de Lutheraniſmo.

Eandem ſententiam manifeſte probavit etiam Hugo de ſancto Victore. Quatuor paſſim diſtinguit timores: Servilem, mundanum, initialem, ac filialem. Servilem paſſim eſſe vult illum, quo ob infligendas per hominem pœnas ceſſamus a malo opere, ſed non a mala voluntate, & in Theologica de Sacramentis Eruditione
L. 10. c. 5. adjungit: *Ex iis quatuor timoribus duo mali ſunt, id eſt, ſervilis & mundanus; duo vero boni, id eſt, initialis & filialis*. Et rurſum in alio ejuſdem operis lo-
L. 4. c. 17. co: *Eſt præterea timor Divinus, timere Deum propter pœnam, vel præſentem, vel gehennalem. Si tantum timet Deum propter pœnam ſine dilectione boni, languor eſt, & pœnæ tormentum habet, quod ſcilicet malorum eſt, & ſervilis eſt timor*. Hoc eſt, malus eſt ad inſtar alterius ſervilis. Quibuſdam ſua ætate Doctoribus, quorum adducit & ſolvit argumenta, eandem fuiſſe mentem teſtatur Petrus Pictavienſis.

Sess. 6. Can. 8. Et de hac quæſtione ſacroſancta Tridentina Synodus videtur nihil definiviſſe. Hinc ejus Canonem: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere; anathema ſit*: Hunc, inquam, Canonem laudatiſſimi & graviſſimi hoc tempore Theologi intelligunt de timore initiali. Sentiunt de ſacroſancto hoc Concilio, quod de ſacroſancto Jeſu Chriſti Evangelio ſcripſit in laudata Eruditione laudatus Hugo: *Servilem & mundanum timorem prohibet Chriſtus dicens*, NOLITE TIMERE EOS, QUI OCCIDUNT CORPUS TANTUM, ANIMÆ VERO NON HABENT QUID FACIANT. *Poſt de initiali timore ſubjungit dicens*: SED EUM TIMETE, QUI POTEST ANIMAM ET CORPUS IN GEHENNAM MITTERE. *Quem non præciperet, niſi in eo charitas, tametſi nondum perfecta, eſſet*. A laudatis Doctoribus creditur etiam Tridentina Synodus pro alio timore non fuiſſe definitura. Et ſane voces, *Per quem ad miſericordiam Dei confugimus, De peccatis dolendo, A peccando abſtinemus*, omnino laudant initialem, timore gehennali introductam, charitatem. Non enim dicit, *De pœna dolendo*, ſed *de peccatis*. Oppoſitam ſententiam ex rationibus ſui amplexus in Diſſertatione: Et iſtam tamen nec damnavi, nec poſſim damnare. Ei Accuſator ſine fundamento imponit Lutheraniſmum. Eſt enim quæſtio Scholaſtica, circa quam poſſit unuſquiſque in ſuo ſenſu abundare. De puro puto ſervili gehennarum metu nihil liquido definivit ſacroſancta Synodus, niſi ipſum non eſſe pœnitentiæ ſeu veræ Contritionis partem: Cujus anathematis fulmine ictus omnino eſt Accuſator. Attritionem enim pure pute ſervilem docet, adeoque & ſervilem gehennarum metum adfirmat eſſe ejus partem. A Scholaſticarum quæſtionum pugna ego naturaliter abhorreo, & orthodoxum Chriſtianæ Contritionis dogma a Lutheranæ ſcabiei calumnia duntaxat venio hic expurgatum. Quare Accuſator de ſervilis timoris fonte & origine, contractoque per ipſum vitio ſentiat quod vult, dummodo nullam Contritionem ſine caſta Dei dilectione fateatur eſſe veram & Chriſtianam, eſt pax atque plena oblivio omnium improperiorum. Ego nunquam pro ſervili timore, ſed pro ſola Chriſtiana Contritione ſtatui diſputare.

Errorem alterum continent hæc Accuſatoris verba; *Quam a S. Auguſtino diſſideat P. Lupus, dum actum, quem fatetur ſolo officio bonum eſſe, non autem fine, appellandum nihilominus cenſet bonum, ex ipſo Auguſtino diſcamus*. Adducit quarti adverſus Julianum Pelagianiſtam libri tertium caput, ubi bonorum operum officia & fines diſtinguit ſanctus Auguſtinus, & concludit: *Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, ipſo non recto fine peccatum eſt*. Reſpondeo attendendum eſſe laudati capitis finem: *Breviter accipe, ne forte, cum in rebus ipſis tantum erres, quantum errari plurimum poteſt, videar tecum certare de verbis. Aut ergo intellige quod ait Dominus*, SI OCULUS TUUS NEQUAM EST, TOTUM CORPUS TUUM TENEBROSUM ERIT, SI AUTEM OCULUS TUUS SIMPLEX EST, TOTUM CORPUS TUUM LUCIDUM ERIT. *Et hunc oculum agnoſce intentionem, qua facit quiſque, quod facit. Et per hoc diſce eum, qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc eſt, ejus quæ per dilectionem operatur, totum quaſi corpus, quod ex illis, quaſi membris, operibus conſtat, tenebroſum eſſe, hoc eſt, plenum nigredine peccatorum*. Suam, qua bona infidelium officia eſſe juſta & ſancta opera, & tamen ob legitimi finis defectum non recte fieri, ſed eſſe peccata dixerat, doctrinam ſibi ipſi quaſi adverſam, ideoque a Juliano non plene perceptam elucidat hac diſtinctione: In laudatis infidelium operibus diſcernit officium, finem, & conflatum ex utroque. Ipſa officia perſiſtit titulare bona opera, at iſtud compoſitum ob recti finis defectum eſſe dicit tenebroſum atque peccatum. Effectus enim atque Compoſita ſequuntur cauſſam ſuam & partem debiliorem. Hinc ergo, & ſervilis gehennarum metus, ſi cum impuro ſuo proprii amoris fonte componas in opus unum, tenebroſus eſt atque peccatum, ſi abſtractim ipſum in ſeipſo ſolum conſideres, lucidum eſt officium, actuſque, licet in auctoris ſui iniquitate detentus, attamen rectus, utilis, bonus. At rurſum dico ſpectare hæc ad ſcholæ quæſtiones, & me pro ſola ad veram Contritionem neceſſaria charitate ſemper diſputaſſe.

Iſtud interim ſancti Auguſtini caput produci adverſum nos & laudari quis non admiretur, quis Deo optimo maximo non agat gratias? Accuſator non poterat fortiori adverſus ſemetipſum brachio adjuvare veritatem. Etenim in omni officio, & omni prorſus opere, quod non *fit intentione bonæ fidei, hoc eſt, ejus quæ per dilectionem operatur*, licet bonum ſit & ſanctum, peccari ob legitimi finis defectum, & integrum hujuſmodi opus eſſe tenebroſum, immo peccatorum nigredine plenum, docet illic lucidiſſime, & multis adverſum alia Pelagianorum ſomnia ſanctus Auguſtinus confirmat. At vero ſimilem ſuam Attritionem Accuſator vult ex caſta Dei dilectione non procedere: Ergo, juxta inconcuſſa ſancti Auguſtini dogmata, peccatur in tali Attritione, & cum ſuo, ex quo oritur, proprio hominis in ſemetipſo amore in unum conflata opus eſt omnino peccatum. Ex laudata iſtic & frequenter per eundem Auguſtinum inculcata Apoſtoli Regula, *Quidquid non eſt ex fide*, qua non tantum Deo, ſed & in Deum credimus, *peccatum eſt*. Quod ad Dei charitatem necdum elevatus

homo

homo ſeipſum in ſeipſo, & proprium commodum tamquam ultimum finem diligat, & gehennam timeat uti malum principale, ideoque & mortaliter peccet, ſupra audivimus a ſancto Thoma. Hinc non vera diſtorti cordis converſio, ſed merus duntaxat converſionis fucus eſt iſta Attritio ſervilis. Quis hominem, qui in Deum non credit, credat a Deo juſtificari? Eſt illud ipſum a Tridentina Synodo proſcriptum calumniæ monſtrum, quod ſibi imaginati ſunt Lutherus & Auguſtanæ Confeſſionis Auctores, & Scholaſticis iſtorum temporum Doctoribus ſunt adfricare conati.

Accuſatio octava diluitur.

SErvilem gehennarum metum a me fuiſſe peccati damnatum Accuſator vult per fas & nefas. En aliud ejus fundamentum: *Examinemus quænam in hoc puncto*
Fol. 44. *ſit mens Patris Lupi. Ac primo quidem dolorem ex ſolo metu gehennæ ab eo reprobari ratione actus neceſſario & inſeparabiliter conjuncti, quatenus adeſt voluntas male agendi, ſi pœna abeſſet, patet ex dictis. Atque adeo admittit malum eſſe talem metum quaſi extrinſece, ratione actus mali adjuncti, quod ut vidimus, aſſerit Lutherus.* Reſpondeo Martinum Lutherum, quo juſtum in quovis opere bono probaret ſaltem venialiter peccare, eandem fidem ac reverentiam impendiſſe huic locō ſancti Auguſtini: *Virtus eſt charitas, qua id, quod diligendum eſt, diligitur. Hæc in aliis major eſt, in aliis minor, in aliis nulla. Pleniſſima vero, quæ jam non poſſit augeri, quamdiu hic homo vivit, eſt in nemine. Quamdiu autem augeri poteſt, profecto illud, quod minus eſt quam debet, ex vitio eſt. Ex quo vitio non eſt juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.*
Ep. 29. Sancto Auguſtino defectum illum volenti eſſe vitium lapſi hominis, Lutherus impoſuit quod dixerit eſſe vitium imperfectæ charitatis. Hinc omnem imperfectam charitatem garrivit eſſe vitioſam ac peccaminoſam ſaltem venialiter, proindeque & omne ex ipſa profectum opus bonum eſſe tale. Etiam ego ſub ſolo legis ac gehennæ citra juſtitiæ dilectionem metu conſtitutum hominem dixi adhuc eſſe pravum & peccatorem: & ecce hic accuſator vult peccati & pravitatis ipſum a me damnari timorem. Etiam hac in re utile per inutile adeo non vitiatur, ut adverſum gentiles Philoſophos Apoſtolus ſcripſerit ad Romanos: *Revelatur ira Dei de Cælo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in juſtitia detinent.* Ab eorum impietate ac injuſtitia non divinam, quæ illic tanquam in ſterquilinio gemma latuit, ſed ipſos duntaxat detentores affirmat fuiſſe maculatos. Ex eadem igitur regula ſervilis pravas cupiditates frænans timor, licet ipſas non ſanet aut eradicet, per eas tamen non ipſe, ſed ſolus homo maculatur.

Addo ſententiam, quæ ſervilem, necdum a ſervilitate liberatum, metum iſtius pravæ appendicis cauſſa affirmat vitium & peccatum, nullo modo eſſe Lutheranam. Eam quippe docet vir inſigniter Catholicus Gui-
Lib. 3. diſt. lielmus Eſtius: *Servilis timor eſt, cum quis non amore*
34. §. 5. *juſtitiæ, ſed ſolo metu gehennæ, vel etiam temporalis pœnæ, a malo opere abſtinet, & quod legis eſt operatur. Eſt autem & hic timor vitioſus, non quidem ex ſe, id eſt, quatenus timor pœnæ eſt, ſed quatenus ſervilis, ideſt, quatenus malum ſemper habet conjunctum: nempe latens in animo peccandi deſiderium. Quod quidem malum in eo ſignificatur, quod ſervilis dicitur. Servile enim eſt ſolo timore pœnæ abſtinere a malo, &*
§. 8. *malum, quod velis, præ timore non facere.* Et rurſum infra: *Hoc uſque adeo verum eſt, ut etiam ipſe actualis timor, & opus externum ab hujuſmodi timore procedens, vitium contrahat, & vere peccatum fiat ex illa circumſtantia, qua quis dolet talem pœnam peccato appoſitam eſſe, & cuperet, ſi impune permitteretur, peccatum perpetrare, quemadmodum aperte docent ſanctus Bonaventura, & Durandus.* Qui loquendi modus, licet mihi non probetur, fundamentum habet etiam in ſancto Thoma: *Timor ſervilis ex parte ſervilitatis habet, quod ſit malus.* Ecce, quantos Chriſtianæ doctrinæ gigantes accuſator faciat Lutheranos. Dictam ſervilitatem eſſe actum ſervili gehennarum metui *neceſſario conjun-*
2. 2. q. 19. *ctum* ego ubi dixi? Abſit ut receſſerim a ſancto Tho-
art. 4. ma: *Servilitas non pertinet ad ſpeciem timoris ſervilis.*

Diluitur nona Accuſatio.

A Tridentinæ Synodi, ex ſervili metu aut alio id genus fonte conceptam attritionem laudantis, decreto dixi laudari duos actus: Metum introducentem, & introductam charitatem ſeu charitate formatum dolorem, & in hoc ſolo ſitam eſſe eſſentiam attritionis. Dixi metum eſſe duntaxat extrinſecum iſtius ſapientiæ exordium. Dixi Martinum Lutherum ſenſiſſe eum Do-

natiſtis, non duntaxat introducentem metum, ſed & introductam charitatem errantibus eſſe pravam, peccatum, hypocriſim, legis prævaricationem. Hanc doctrinam accuſator affirmat novam, gratis excogitatam ad evadendam vim Concilii, & a nemine hucuſque clare expreſſam. Reſpondeo eam clare exprimi a Senonenſi, per Antonium a Prato, ejuſdem Sedis Metropolitam, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, Synodo damnante hunc Martini Lutheri articulum: *Non licet in-* *Anno 1528.*
ducere homines ad Pœnitentiam per timorem gehennæ. Quod ipſum in ſexti per Leonem Decimum Pontificem damnati articuli refutatione confirmat glorioſus Martyr Joannes Fiſcherus, Roffenſis Epiſcopus, frequenter querens actus diſparatiſſimos hic a Luthero doloſe confundi. Hoc item aſſidue clamant laudata ſub Hermanno Archiepiſcopo Colonienſis Synodus, Michael Epiſcopus Merſeburgenſis, Petrus a Soto, Joannes Daventrienſis, & quotquot olim Lutherum impugnaverunt. Hinc & ad Caroli Quinti Imperatoris ſacram juſſionem etiam ſacra noſtra Facultas in Lutherum edidit hunc articulum: *Contritio eſt dolor de peccatis propter Dei offenſam ſuſceptus, cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi. Non autem, ut quidam hoc ſæculo perverſe docent, terror conſcientiæ propter apprehenſum gehennæ ſupplicium peccatis debitum. Præparat tamen hic terror & gehennæ metus ad veram animi contritionem.* Hunc enim timorem dixit Propheta eſſe initium ſapientiæ, ideſt, Chriſtianæ converſionis, pœnitentiæ, & charitatis. Et quis vel ex ſolis Leonini diplomatis, vel ex ſacroſancti Concilii verbis non videat imperfectam pœnitentium contritionem a ſervili metu, aut aliis id genus, per quas parari & communiter concipi dicitur, viis palam & plurimum diſtingui? Quis non videat non iſtas vias, ſed ſolam per ipſas paratam & conceptam contritionem de ſufficienti ad percipiendam in pœnitentiæ Sacramento juſtificationem hominis paratura laudari? Quin imo non ſolam ex ſimili fonte conceptam attritionem, ſed omnem imperfectam charitatem Lutherus de vitio & peccato infamavit. Hinc Joannis Caſſiani, ſancti Joannis Chryſoſtomi, ſancti Gregorii magni, aliorumque ſeram in vitæ exitu, omnemque ex ſervili metu conceptam pœnitentiam non plenis laudibus proſequentium Patrum authoritate frequenter utitur: Quam hi quandoque timent non fuiſſe, ille affirmat nunquam eſſe veram. Patrum ſenſum in quarto diſtinctionum libro inſigniter exponit antiquus & laudatiſſimus Scholarum Doctor Bandinus: *Illa pœnitentia maxime laudabilis* *Diſt. 20.*
eſt, quæ non tantum habet timorem, ſed & libertatem. Unde Auguſtinus: Nullus expectet quando peccare non poteſt. Arbitrii libertatem quærit pœnitentia, ut poſſit delere commiſſa, non neceſſitatem: Sed charitatem, non tantum timorem, quia non in ſolo timore vivit homo. Illa ergo, quæ in extremis agitur, non ſic laudabilis eſt, quia ex timore magis quam ex charitate eſſe videtur. Introductam charitatem, datamque ab illa libertatem, ab introducente metu & injecta per ipſum neceſſitate palam diſtinguit, per talem etiam obſtetricem vult naſci, & uti neceſſariam, ita quoque ſufficientem affirmat ad veram, licet imperfectam pœnitentiam. Quibuſdam Patrum verbis deceptus vel abuſus Lutherus vult non ſufficere. Ejus frater Joannes Calvinus nobis longe aliam in inſtitutionum libris imponit calumniam: *Scho-* *Cap. 3. c. 4.*
laſtici Sophiſtæ contritionem, primam obtinendæ veniæ partem faciunt, eamque debitam exigunt, hoc eſt, juſtam & plenam. Perfectam ac divinæ offenſæ æqualem Contritionem ait a nobis etiam in Sacramento exigi, ideoque Chriſti populum, quod laudabilis quidem & optanda ſit iſta contritio, ſed *ipſa nunquam defungi poſſit peccator*, ad ſimulationem a nobis cogi vel deſperationem. Hinc ad juſtificationem vult aliud non requiri quam fidem & fiduciam in ſanguinem Redemptoris. Ambos errores ſacroſancta Tridentina Synodus eodem confixit verbo, definiens etiam imperfectam, licet ex gehennæ aut aliarum pœnarum metu, ſeu aliis ignobilibus ejuſmodi viis paratam & conceptam contritionem, dummodo a Chriſtianæ reconciliationis Sacramento adjuvetur, omnino ſufficere ad juſtificationem. Hæc eſt conſtans Eccleſiæ doctrina per Tridentinos Patres merito confirmata.

Decima Accuſatio diluitur.

RIſu, immo miſeratione dignum eſt, quod me, ubi ſervilem gehennarum metum eſſe quidem a Deo incuſſum motum, non tamen ſupernaturale ac infuſum gratiæ donum ſcripſi, accuſator dicat eſſe Janſeniſtam ac Lutheranum. Fore video, ut ſi cum Janſenio aut Lu- *Fol. 52.*
thero Apoſtolicum Symbolum vel Dominicam Orationem fuero profeſſus, protinus de ipſorum ſcabie apud iſtum judicem ſim reus. Quod enim ſervilis gehennarum metus ſit Judaica ex lege, non Chriſtiana ex divinæ infu-

sionis dono juſtitia, eſt Chriſtiani dogmatis fundamentum adeo immobile, ut nullus orthodoxus uſque huc legatur de ipſo vel dubitaſſe. *Timor ſervilis*, inquit ſanctus
2. 2. q. 19. art. 9. Thomas, *non eſt numerandus inter dona Spiritus Sancti, licet ſit a Spiritu Sancto*. Non enim eſt aliud, quam per legis minas a Deo incuſſus ſpiritus ſervitutis. Aliud eſt hic ipſe timor, aliud ex ipſo concepta, licet imperfectæ, veræ tamen contritionis ſapientia. Hanc ſolam, quod ille non niſi extrinſecum ſit ejus initium, eſſe germanum divinæ per Jeſum Chriſtum gratiæ donum ſemper Eccleſia ſenſit. Nec aliud voluit, quem ſibi accuſator advocat in patronum, Guilielmus Eſtius,
L. 3. Diſt. 34. §. 7. Apoſtoli dictum, *Non iterum accepiſtis ſpiritum ſervitutis in timore*, exponens; *Apoſtolus ſatis ſignificat & a Spiritu Sancto hunc timorem proficiſci, & ab eo quibuſdam aliquando datum fuiſſe, nempe populo veteris teſtamenti in ipſa legis acceptione*. Verum hæc omnia parerga ſunt, & quæſita a principalis quæſtionis examine diverticula. Principalis quæſtio eſt, an peccator ſine fide in Deum, ſeu ſine caſta adfectu ſaltem ſuper omnia Dei dilectione poſſit divinæ Majeſtati reconciliari? Partem adfirmativam conſtanter adſevero eſſe immobilem fidei Romanæ articulum, de quo uſque ad Melchiorem Canum nemo fidelis dubitavit. Cur accuſator pro ſuæ ſervilis attritionis ad juſtificationem ſufficientia nullum adducit Prophetam, nullum Evangeliſtam, nullum Apoſtolum, nullum Eccleſiæ Patrem? Chriſtianæ ſapientiæ, quam pacificam eſſe atque ſenſibilem, mandat ſanctus Jacobus Apoſtolus, ſemper ex Dei miſerante gratia ſperem eſſe obediens ac ſtudioſus: ubi pro iſta attritione authenticos teſtes audiero, diſcam libenter, & beneficio gratias dabo. Certe Tridentina Synodus ab avita Patrum, Prophetarum, & Apoſtolorum doctrina non poteſt receſſiſſe.

Accuſatio undecima diluitur.

PErfectam charitatem ſcripſi eſſe illam, qua homo patienter vivit ac delectabiliter moritur, quæque nos a cunctis ingeneratæ libidinis adhæſivis aſſenſibus ſolvit ac purgat. Ejus vires abunde expoſui, recte adjungens: *Expertus poteſt credere, quid ſit Jeſum diligere*. Haſce enim vires video etiam non capi ab Accuſatore, in me pergente: *Senſus hujus Authoris eſt, quod peccator, quomodocumque demum ex amore Dei, & quantumcumque de peccatis doleat, non poſſit tamen ſine actualis Sacramenti conſortio juſtificari, ſi erga rem quampiam creatam ſic afficiatur, ut illam cum aliquo doloris ſenſu amitteret, vel non conſequeretur. Hinc ſi conjux morti vicinus optet vitam ſibi a Deo prolongari, quo res familiæ ſuæ componat, quo uxori & liberis ſubveniat, quibus videt alioquin deſore neceſſaria, nihilominus mortem juxta Dei beneplacitum paratus ſit acceptare, cum aliquo tamen dolore & gemitu, non poterit talis elicere Contritionem, quæ impetrandæ juſtificationi per ſe ſufficiens ſit, ac proinde ſi ſit in peccato mortali, ac deſit copia Confeſſarii, actum eſt de æterna illius ſalute*. Verum imperfectam charitatem & Contritionem ubi ego dixi in mortis exitu non poſſe ſine actuali Sacramento juſtificare? Non ſolum robuſtam & adultam, ſed nutritam etiam atque duntaxat natam juſtificare omnino aſſerui, & multis oſtendi.

Divi Auguſtini auctoritas defenditur.

ETiam ſanctum Auguſtinum impetit Accuſator. Grandem hunc Eccleſiæ ſolem eſſe per Apoſtolicas in Cornelium Janſenium Conſtitutiones eclypſatum, & utriuſque de victrice Dei gratia doctrinam ictu uno damnatam a Sede Apoſtolica, piorum in Belgio aures, cum offenſione & ſcandalo frequenter audiverunt. Effrænem dicacitatem compeſcuit beatiſſimus Pater noſter Alexander VII. dato ad ſacram noſtram facultatem Brevi avitum Apoſtolicæ Sedis affectum innovans in ſanctum Auguſtinum, declaranſque ejus dogmata eſſe tutiſſima, inconcuſſa, veneranda ab omnibus, ac tenenda. Quod fulmen æmulorum oculos adeo perſtrinxit, ut quis eorum veritus non fuerit ſcribere laudatum Breve per diabolicam machinam fuiſſe impetratum. Ex eadem radice non adverſus ſolum, ex quo Tridentinam Synodum dixi multa definiviſſe, S. Auguſtinum, ſed generatim adverſum omnes Eccleſiæ Patres ſcripſit etiam Accuſator: *Ego vero contradicendum autumo, nempe dum Conciliorum dictis conſentientia reperiuntur in Auguſtino, præcipuum robur Auguſtino a Conciliis accedere, ſuam vero*
Fol. 13. *Conciliorum definitionibus veritatem ac firmitatem integram ſtare, ſive idem dixerit Auguſtinus, ſive oppoſitum. Quod obiter contra tales loquendi modos volui indicatum.*
Verum longe aliter ſenſit magna Synodus Chalcedonenſis. Etenim a Marciano Auguſto admoniti Epiſcopi, quatenus læſam ab Eutychete fidem, non tantum juxta tres priores generales Synodos, ſed & juxta Gregorii, Baſilii, Athanaſii, Hilarii, Ambroſii, Cyrilli, aliorumque Patrum traditionem firmarent, una voce reſponderunt: *Docuerunt Patres, & in ſcriptis cuſtodierunt quæ ab eis ſunt expoſita, & citra ea dicere non poſſumus*. Et glorioſiſſimis Judicibus fidei definitionem tandem condi urgentibus, denuo reſponderunt: *Si jubetis nobis dari inducias, petimus Patres ſimul perſcrutari*. Et edita tandem fidei definitio hoc habuit exordium: *Inerrabilem Patrum renovavimus fidem*. Et rurſum: *Sequentes igitur ſanctos Patres*. Nulla unquam dogmatica Romani Pontificis Epiſtola plures & acriores ab hæreticis paſſa fuit contradictionis impetus, quam ab Eutychianis Auguſtiniana illa, qua primam de Eutychete ſententiam confirmavit, & Chalcedonenſem poſtea Synodum inſtruxit, uti ſui Apoſtolici ſuffragii prærogativa, ſanctus Leo magnus. Plures pro ipſa ſcripſit Apologias, quarum omnium ſummam habes in litteris ad Epiſcopos Palæſtinos: *In nullo a ſanctorum Patrum confeſſione diſceſſi*. Eadem ex regula dixit de ipſa in Chalcedonenſi Synodo, omnium Epiſcoporum nomine, Diogenes Cyzicenus Epiſcopus, Helleſponti Metropolita: *Omnes conſenſimus Epiſtolæ, conſequenter habenti expoſitioni SS. Patrum*. Et ſextæ generalis Synodi ad Conſtantinum Auguſtum ſermo acclamatorius: *Paternas traditiones ſecuti ſumus, & nihil diſſonum aut diſcrepans ab eorum informatione adinvenimus*. Et ad Marcum Epheſiorum Metropolitam dixit in Florentina Synodo Frater Joannes de Monte nigro: *Sanctus Baſilius & hujuſmodi Doctores ſunt fundamenta noſtræ fidei*. Et infra: *Ego dixi vobis illud, in quod ultimo ſancti Patres generalium Conciliorum omnia reſolvebant, ſemper fuiſſe SS. Patrum teſtimonia, ita ut in unaquaque definitione fidei decretum edituri proferrent Patrum teſtimonia, & omnes acquieſcerent*. Sanctos Patres ſemper fuiſſe generalium Synodorum regulam, inſigniter oſtendit in dogmatica ad ſuos, unionis ſuaſoria, oratione Beſſarion Metropolita Nicænus. Ejuſmodi plurima adduci poſſint authentica teſtimonia. Generales enim Synodi, licet a Spiritu ſancto dirigantur, novas tamen revelationes non accipiunt, nec novos fidei articulos poſſint condere: Chriſtianum duntaxat dogma, Erronum litigiis obſcuratum aut arietatum, duntaxt elucidant ac exponunt ex authenticis Evangelici atque Apoſtolici Depoſiti Archivis, qui ſunt ſancti Eccleſiæ Patres. Quæcumque ex ipſis non deprompſit Synodus, erratica fuit, aut etiam latrocinalis. Proinde generalia Eccleſiæ Concilia & ſancti Eccleſiæ Patres ſunt duo Seraphim, qui ultro citroque cantant honorem Deo, ac ſeſe invicem inerrabili authoritate impartiuntur. Et inter hoſce Patres quis ambigat eſſe, in Divinæ præſertim gratiæ ac humanæ juſtificationis Myſterio, S. Auguſtinum?
Act. 1. & 2.
Ep. 93. c. 1.
Act. 4.
Seſſ. 19.
Cap. 2.

CAPUT VI.

Quædam alterius Accuſatoris capita exponuntur.

DIſſertationi meæ acceſſit & alter Adverſarius, adeo obſcurus, aut certe ſubtilis, ut ego per planas ſacrarum literarum & Eccleſiaſticæ traditionis vias duntaxat ambulare conſuetus, in ſublimes adeo cogitationes non ſperem aſcendere, niſi forſan pacificam & modeſtam ſapientiam necdum complexus animus faciat & ſtylum ceſpitare. Luminoſa charitas, uti non cogitationis, ita longe minus habenas calami permittit in proximum laxari.

Exponitur ac defenditur Joannes Driedo.

ANte omnia admiror a profundo hoc Scriptore Joannem Driedonem trahi in ſervilis Attritionis patrocinium. Aliter in Baptiſmi, aliter in Pœnitentiæ Sacramento nos Deo reconciliari, ideoque majorem Pœnitentibus quam Catechumenis eſſe neceſſariam Contritionem docet Driedo, & adjungit: *Hic ſi dixeris, U-* Fol. 80.
terque, tam is videlicet, qui baptizatur, quam is qui relapſus reconciliatur, juſtificatur, dum diſplicentia totius veteris vitæ major eſt, quam diſplicentia quælibet de alio temporali damno aut incommodo, prodiens etiam ex tali erga Deum dilectione, quæ vincit omnem vitæ hujus amorem. Non videtur igitur relapſo pro ſui juſtificatione neceſſarium, neque vehementius intus pœnitere & ingemiſcere, neque foris ſubire graviora Pœnitentiæ opera, cum ſufficiat utrobique fides cum ea menſura dilectionis in Deum, odioque in peccatum, quæ vincat omnium temporalium rerum affectum. Reſpondeo: Deus operatur gratiam & remiſſionem peccatorum, non propter quemlibet motum liberi arbitrii noſtri, aut dilectionis, aut interioris Pœnitentiæ, tamquam videli-

cet

cet motus illi ſecundum tales vel tales graduum menſuras mereantur gratiam, ſed propter ſuam miſericordiam. Noſtra enim dilectio, qua diligimus Deum etiam propter ipſum, diſplicentiaque ſecundum quam odimus peccatum, non eſt digna juſtificatione, neque meritoriæ gratiæ, ſed Deus pro ſua miſericordia, ubi voluerit, largitur illam, quam ſi negaret etiam ſic diſpoſitis, non foret injuſtum. Non ergo ratione caret ſententia illorum, qui dicunt ex Attrito fieri Contritum etiam motu interioris Pœnitentiæ non adaucto. Eorum, qui parem per omnia, ſine quovis interni aut externi operis additamento, Contritionem volunt Pœnitenti æque ut Catechumeno ad juſtificationem ſufficere, ſententiam Driedo adfirmat probabilem, de ſervili Attritione probanda ne vel ſomniavit. Ex Dei ſuper omnia dilectione formatam Contritionem luciditſime & conſtantiſſime in hoc ipſo etiam loco requirit. Eadem fide tractantur Joannes a Daventria, & alii adducti Doctores.

Quorumdam Articulorum a Pio quinto Pontifice facta damnatio exponitur.

PRimum Accuſationis caput Diſſertationi imponit quoſdam a Pio quinto Pontifice damnatos & circumſcriptos Articulos: *Charitas perfecta & ſincera, quæ eſt ex corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis quam in Pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum. Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum. Catechumenus recte & ſancte vivit, & mandata Dei obſervat, & legem implet per charitatem, ante remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmi lavacro demum percipitur. Per Contritionem etiam cum charitate perfectam, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis & Martyrii, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti. Homo exiſtens in peccato mortali, ſive in reatu æternæ damnationis, poteſt habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.*

Reſpondeo iſtarum propoſitionum Auctorem fuiſſe ſuſpectum aut reum doctrinæ, quam Eccleſiæ Catholicæ per calumniam imponit in ſuis Inſtitutionum libris Joannes Calvinus: *De Contritione & Attritione multus apud eos*, Papiſtas, *ſermo; multis ſcrupulis animas torquent, & plurimum moleſtiæ & anxietatis ingerunt.* Et ſtatim infra: *Contritionem faciunt primam obtinendæ veniæ partem, eamque debitam exigunt, hoc eſt, juſtam & plenam. Sed interim non conſtituunt, quando ſecurus aliquis eſſe poſſit ſe hac Contritione ad juſtum modum eſſe defunctum. Equidem ſedulo & acriter inſtandum eſſe fateor, ut quiſque amare deflendo peccata ſua, ſe ad eorum diſplicentiam & odium magis acuat. Hæc enim eſt non pœnitenda triſtitia, quæ Pœnitentiam gignit in ſalutem. Sed ubi exigitur doloris acerbitas, quæ culpæ magnitudini reſpondeat, & quæ in trutina appendatur cum ſpe veniæ, hic vero miſeræ conſcientiæ miris modis torquentur & exagitantur, dum ſibi debitam peccatorum Contritionem imponi vident, nec adſequuntur debiti menſuram, ut ſecum decernere poſſint ſe perſolviſſe quod debebant.* Condignam & commiſſæ in Divinam Majeſtatem injuriæ adæquatam Contritionem exigere a Pœnitentibus eſt omnino antiquiſſima Eccleſiaſticæ diſciplinæ Regula, quam multis ſanctorum Patrum & Synodorum teſtimoniis demonſtrat in opere de Pœnitentia Joannes Morinus. Iſtius injuriæ portio palmaris eſt noſtra a Deo optimo maximo, quem ex toto corde & totis animæ viribus diligere oportuit, ad creaturas apoſtaſia, quæ plene reparari non poſſit niſi per veram ex toto corde dilectionem, ac ex ipſa formatum peccati odium, lacrymas, gemitus, depravati pectoris tunſiones, & totius animæ Contritionem. Verum ſolius conſilii eſt iſta res, non rigidæ neceſſitatis. Minoris Contritionis, ac minoris in Deum dilectionis ac fidei Pœnitentes ad Reconciliationis donum ſemper admiſit Eccleſia, duriora illis ac longiora ſatisfactionis opera imponens, atque ita compenſans omnem Contritionis a plenitudine receſſum. Pro variæ oſtenſæ Contritionis menſura & modo fuiſſe ſemper mitius aut durius tractatos atque tractandos Pœnitentes, clamant omnes antiqui Canones & Patres. Præfatorum igitur Articulorum Auctor ad impetrandam peccatorum etiam in Sacramento veniam requiſivit Contritionem plenam, atque perfectam charitatem, quæ ſit ex corde a cunctis ſaltem adfixivis cupiditatibus puro, & bona omnem ſervilem gehennæ metum excludente conſcientia; quæ ſit plenitudo legis, & mandata Dei non ſolum obſervet & faciat, ſed & impleat atque perficiat; quæ ſit non ſolum vera, ſed inſuper perfecta: Eam ſine actuali Sacramento non juſtificare dixit, atque ita iſti ejus articulo merito fuerunt circumſcripti atque damnati.

Poſtremus tamen articulus eſt plurimum ab aliis diverſus. Conjungi debet cum his: *In peccato ſunt duo, actus & reatus. Tranſeunte autem actu, nihil manet niſi reatus, ſeu obligatio ad pœnam. Unde in Sacramento Baptiſmi aut Sacerdotis Abſolutione proprie reatus peccati duntaxat tollitur, & Miniſterium Sacerdotum ſolum liberat a reatu. Peccator Pœnitens non vivificatur Miniſterio Sacerdotis abſolventis, ſed a ſolo Deo, qui Pœnitentiam ſuggerens & inſpirans vivificat eum & reſuſcitat, Miniſterio autem Sacerdotis ſolus reatus tollitur.* Exponenda hic eſt primævorum Scholaſticorum de Baptiſmalis ac Pœnitentialis Sacramentorum, & per ipſa operati operis virtute opinio, quos inter eſt Robertus Cardinalis Pullus: *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Is nimirum peccata dimittit, qui virtutes dimiſſioni ſuperponit, qui vitam æternam retribuit. Quid ergo apud homines eſt peccata remittere, aut a peccato abſolvere, niſi Sacramentum Remiſſionis & Abſolutionis celebrare? Ex quo quis pœnitet, Deus remittit, peccata poſtmodum confitenti Miniſter Dei abſolvendo remittit, niſi quod Sacramentum Remiſſionis & Abſolutionis facit? Abſolutio, quæ peracta Confeſſione ſuper Pœnitentem a Sacerdote fit, Sacramentum eſt, quoniam ſacræ rei ſignum eſt. Et cujus ſacræ Rei ſignum eſt, niſi Remiſſionis & Abſolutionis? Nimirum Confitentibus a Sacerdote facta a peccatis Abſolutio remiſſionem peccatorum, quam antea peperit cordis Contritio, deſignat. A peccatis ergo Presbyter ſolvit, non utique quod peccata dimittat, ſed quod dimiſſa Sacramento pandat. Et quid eſt opus pandi, niſi ut conſolatio fiat Pœnitenti?* Contractæ ex peccato maculæ expurgationem, veram peccati remiſſionem, ſeu a peccati morte reſuſcitationem ſola Contritione fieri, Sacerdotis Abſolutione ſolum æternæ pœnæ reatum auferri vult, aut certe in temporalem commutari. Hinc Lazari, a ſolo Domino reſuſcitati, ac tum ad ſola cadaverina Judaicæ mortis ligamenta ſolvenda traditi Apoſtolis, exemplo paſſim abutitur, recte adfirmans noſtram in Pœnitentiæ Sacramento Reconciliationem fuiſſe iſtic præfiguratam. Quod ipſum docet de Sacramento Baptiſmi: *Quemadmodum poſt compunctionem, ubi ab ipſo Domino ſuſcitatus Lazarus, neceſſaria eſt Confeſſio, ubi officio Miniſtrorum ligamentis mortis, ideſt, corpore peccati abſolvitur; ita poſt fidem, qua mors propellitur, ſuccedit Baptiſma, ut vita vegetetur. Et quomodo quolibet tempore charitas operit multitudinem peccatorum, ne ſint ultra ad damnationem, compunctio vero, quam charitas parit, atque ſatisfactio, quam impertit compunctio, eadem operit, ne ultra exigantur ad pœnam; ita homini peccata remittit fides, ne damnetur, Baptiſmus, ne puniatur. Quod fides facit, Baptiſmus oſtendit. Fides peccata delet, Baptiſmus deleta docet; unde Sacramentum dicitur.*

Eandem ſententiam tutati ſunt Hugo & Richardus de ſancto Victore, Petrus Abaelardus, Gilbertus Porretanus, Petrus Lombardus, Petrus Pictavienſis, & alii tunc Magiſtri fere omnes. Palmarem difficultatis nodum, quomodo quis & a peccati macula mundatus, & ſimul adhuc æternæ damnationis reus eſſe poſſit, in Tractatu de ſolvendi ac ligandi poteſtate ſolvere conatur laudatus Richardus: *Ad ea, quæ ſuperius dicta ſunt, quidam opponunt, & dicunt, qui veraciter de ſuis criminibus pœnitent, pro certo jam charitatem habent. Alioquin quod ſcribitur, quomodo in eis recte intelligitur,* QUACUMQUE HORA PECCATOR INGEMUERIT, SALVUS ERIT? *Nemo enim, qui charitatis capax eſt, ſine charitate ſalvari poteſt. Sed, ut putant, qui charitatem habent, debito damnationis æternæ teneri non valent. Quomodo ergo Sacerdos eum ab ejuſmodi debito abſolvit, ſi ante Sacerdotalem Abſolutionem, charitate interveniente, abſolvi jam meruit? Sed abſque ulla dubitatione Patriarchæ & Prophetæ charitatem habuere, & tamen tenebantur vinculo damnationis æternæ: alioquin nec ad inferna deſcenderent, nec ulla redemptione egerent.* Ex ſanctorum in Limbo degentium Patrum apud inferos captivitate oſtenſum putat quempiam poſſe eſſe juſtificatum a peccatis, & tamen æternæ adhuc damnationis reum, atque ita poſt primum a Deo ſolutum vinculum poſſe reſtare ſecundum, ſolvendum Miniſterio Sacerdotis.

Quæ doctrina recte diſplicuit Petro Pictavienſi: *Dicunt quod Deus peccatum ſolvit quantum ad reatum, & poſtea Sacerdos illud ſolvit quantum ad pœnam in Confeſſione, & liberat hominem a pœna æterna. Quod nos una ſola ratione falſum oſtendimus ſic: Deus ſolvit iſtum a peccato: ergo iſte eſt in charitate, ergo eſt dignus vita æterna, ergo non eſt dignus pœna æterna, ſed fuit ea dignus, ergo ſolutus eſt a pœna illa, ſed a nullo, ergo Deus illum ſolvit, non ergo Sacerdos. Sacerdos autem non ſolvit peccatum, nec quantum ad pœnam, nec quantum ad reatum, ſed ſolvit & dimittit, id eſt, oſtendit eſſe ſolutum & dimiſſum a Deo quantum ad reatum. Quia vero neſcit ipſum eſſe dimiſſum quan-*

L. 3. c. 34.

L. 1. c. 14. 15. 16.

Par. 6. c. 61.

Part. 5. cap. 13.

Cap. 19.

Part. 3. c. 16.

quantum ad pœnam, injungit ei temporalem pœnam. Sacerdotale per claves Miniſterium Petrus cum Magiſtro ſuo Petro Lombardo eſſe voluit mere declaratorium; *Cap. 19.* Richardus autem judiciale, ideoque & pergit: *Exſtat quorumdam ſententia tam frivola, ut ridenda potius quam refellenda videatur. Putant enim Sacerdotes non habere poteſtatem ſolvendi, ſed oſtendendi ſolutos.*

Hinc item aliqui eo uſque prolapſi ſunt, ut factam Sacerdoti Confeſſionem adſererent impetrandæ juſtificationi non eſſe neceſſariam, & ſuis de Pœnitentia Di- *Diſt. 1. 4. 3.* ſtinctionibus Gratianus inſeruerit hanc quæſtionem: *Utrum ſola cordis Contritione, & ſecreta ſatisfactione, abſque oris Confeſſione, quiſque poſſit Deo ſatisfacere? Sunt enim qui dicunt quemlibet criminis veniam ſine Confeſſione facta Eccleſiæ & Sacerdotali Judicio poſſe promereri.* Æternæ damnationis reatum cum culpæ facta remiſſione videbant eſſe incompatibilem; ideoque legitima ac vera, quæ plene delebat culpam, contritione etiam remitti dictum reatum exiſtimabant, atque ita confeſſione non eſſe opus. Gratiani verbis adjungit Gloſſa: *Alii autem negant. Dicunt enim, quod ſicut tribus modis Deum offendimus, ſcilicet corde, ore, & opere, ita tribus modis illi ſatisfaciendum eſt. Unde dicunt tria hæc eſſe neceſſaria: Cordis Contritionem, oris Confeſſionem, & operis ſatisfactionem. Auctoritates autem, quæ dicunt peccatum dimitti ſola cordis Contritione, adſerunt intelligendas eſſe, cum articulus neceſſitatis excludit oris Confeſſionem, ſcilicet cum aliquis conteritur & morte prævenitur, vel alio aliquo juſto impedimento hoc facere impeditur. Alii dicunt, inter quos eſt Petrus Manducator, conditionalem fieri remiſſionem per Contritionem.* Nempe ſub conditione: *Si ſuo tempore confitearis.* Eſſe putant remiſſionem ad reincidentiam. Et jam a Roberto Pullo audivimus: *Quid eſt opus pandi peccata, niſi ut conſolatio fiat Pœnitenti?* Quod fere ipſum hoc ſæculo docent Lutherani. Diverſas & in ſpeciem quaſi adverſas pro utraque iſtius quæſtionis parte auctoritates conglomeravit Gratianus, atque ita utramque judicavit probabilem.

Ex eodem fonte manavit opinio adfirmans Confeſſionem eſſe juris duntaxat humani. Rationes prodit Pe- *Part. 3. c. 13.* trus Pictavienſis: *Alii dicunt quod confeſſio non eſt Sacramentum, ſed Sacramentale, ſicut aqua benedicta, & panis benedictus.* Ex quo forte hauſit & Joannes Calvinus Confeſſionem eſſe humanum commentum. Dicti Petri ſententia non eſt multo melior: *Verius videtur quod Confeſſio ſit Sacramentum. Dicimus quod Confeſſio præcepta fuit ibi;* ITE OSTENDITE VOS SACERDOTIBUS. *Sciendum eſt quod Confeſſio eſt Sacramentum veteris Teſtamenti, nec efficit quod figurat, ſicut nec conjugium.* Et infra: *Verius videtur, quod Confeſſio Sacramentum ſit, & non eſt Sacramentum novi Teſtamenti. Quod etiam ſic oſtenditur: Quia Confeſſio non eſt opus Dei, ſed hominis, nec habet aliquam vim, niſi ex charitate, ergo Confeſſio non eſt Sacramentum novi Teſtamenti.* Ei nullam operati operis, ſed ſolam, ex qua fit operantis charitatis virtutem adſcribit, & hinc infert: *Eſt certum, quod remiſſio peccati præcedit Confeſſionem. Unde David:* CONFITEBOR, ET TU REMISISTI. *Non dicit:* REMITTES. Diſtinctam peccatorum Confeſſionem fuiſſe etiam Judæis in uſu, & præcepto, lucide oſtendit Joannes Morinus ex vetuſtiſſimis ipſorum Ritualibus: Ex eiſdem Petrus Pictavienſis vult illam eſſe ſolius antiqui Teſtamenti Sacramentum. Circa prima fidei Chriſtianæ fundamenta primi illi Scholaſtici fuerunt adeo fœde hallucidati, ac inter ſe colliſi.

Et hinc inter errores, anno 1226. damnatos a Stephano Pariſienſi Epiſcopo, fuit & hic: *Non eſt Confeſſio facienda, niſi ad apparentiam.* Fuit item inter errores, quorum cauſſa Gualterus de ſancto Victore librum ſcripſit adverſum quatuor Galliæ Labyrinthos, Petrum Abaelardum, Gilbertum Porretanum, Petrum *Part. 5. c. 13.* Lombardum, & Petrum Pictavienſem. Et in ſuis ad Robertum Pullum ſcholiis habet Hugo Matthoud: *Sciendum eo ſæculo, in quod Scholaſticæ Theologiæ cunas rejicimus, plures fuiſſe qui neglecto ſolidioris, & ſacratioris doctrinæ penu, ſoli fere genio rationis indulſere, & ut ſpinarum ferax incultus ager, alienam pertæſi manum, nec fructibus delectati niſi ſponte naſcentibus, non mirum ſi pleraque dederint aut agreſtia, aut languida ſueci, nec bene proba.* Eos fuiſſe docet lapſus primorum Scholaſticorum. Cunctis ſuis poſteris, humanæ ſubtilitatis libertatem amantibus, dedere hocce Monitum: *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.* Et ſane quiſquis neglecta ſacrarum literarum & ſanctorum Patrum lectione atque doctrina, ex ſolo ſuo colligit caducos humanæ rationis floſculos, non poteſt non ceſpitare. Præſentium ergo Articulorum Auctor iſtam jam dudum proſcriptam Theologiam venit reparatum, æternæ damnationis reatum cum perfecta etiam charitate, & facta peccatorum quoad maculam remiſſione dixit compatibilem, ipſumque ſolum remitti per Sacramentale Sacerdotis Miniſterium. Hinc merito aboliti & circumſcripti ſunt ejus Articuli, a quibus mea adſertio eſt longiſſime remota.

Utinam longe abſint & mei Accuſatores. Quiſquis enim per quamlibet, licet imperfectam, adfectu ſuper omnia Dei charitatem, natamque & formatam ex ipſa Contritionem vult quaſi ſtata lege peccatorem juſtificari, licet vivificantium Sacramentorum neceſſitatem non pene exſufflet, nec ad ſolum conſolationis effectum, aut ſolam pœnarum condonationem reſtringat, inſigniter tamen humiliat: Opinio, quæ primos Scholaſticos in adeo fœdos de Pœnitentiæ Sacramento errores circumſcripſit, non poteſt non eſſe malæ notæ, & inſigniter periculoſa. Si quævis charitas, aut quævis per ipſam formata Contritio juſtificet, modica eſt Sacramenti neceſſitas: contracta eſt ad ſolum dati per Contritionem doni augmentum. Longe aliud ſenſit antiqua Eccleſia, Catechumenos, licet charitate flagrantes, jubens & cogens anhelare ad Regenerationis Sacramentum, tamquam cervos ad fontes aquarum. Utique ex hac per ſanctum Auguſtinum ad nos traducta Patrum regula: *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis ſuæ portat, non ei dimittitur, niſi dum venerit ad aquas.* Uti cæcitatis ſquammæ ex oculis corporis, ita & peccatorum maculæ ex anima non cecidерunt Apoſtolo Paulo, niſi poſt receptum ab Anania Damaſcenorum Epiſcopo Baptiſmum. Et Cornelio Centurioni infuſum ante actuale Baptiſma Spiritum ſanctum ſanctus Petrus Apoſtolus, ipſique adſtans Eccleſia ſunt plurimum admirati, quod nempe ſalutis & juſtificationis donum non illi, qui tantum crederet, ſed qui inſuper baptizaretur, ſcirent a Domino promiſſum. Hujus regulæ diſpenſationem ſunt admirati. Ex eadem regula non ſolum Baptiſma, ſed & conſcientiæ bonæ interrogationem, ſeu charitatem in Deum requirit idem Apoſtolus: adeo non ſine fundamento in Diſſertatione ſcripſi hanc charitatis neceſſitatem eſſe Evangelicam ac Apoſtolicam prædicationem. Hinc cordis converſionem & Sacramentum eſſe duas, quarum altera ſine altera parum ſit, humanæ juſtificationis regulares concauſſas clamant unanimiter antiqui Patres. Attamen quandoque ex *Lib. 4. c. 24.* cauſſis dari regulæ diſpenſationem, in libris de Baptiſmo adverſum Donatiſtas diſerte ſcribit ſanctus Auguſtinus. *Sicut*, inquit, *in illo*, qui crucifixus in fine pœnituit, *latrone quod ex Baptiſmi Sacramento defuerat, complevit omnipotentis benignitas, quia non ſuperbia vel contemptu, ſed neceſſitate defuerat; ſic in infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem gratia Omnipotentis implere credenda eſt, quod non ex impia voluntate, ſed ex ætatis indigentia nec corde credere ad juſtitiam poſſint, nec ad ſalutem confiteri.* Et infra in ſequenti capite: *Quibus rebus omnibus oſtenditur aliud eſſe Sacramentum Baptiſmi, aliud converſionem cordis, ſed ſalutem hominis ex utroque compleri. Nec ſi unum horum defuerit, ideo putare debemus conſequens eſſe, ut & alterum deſit, quia & illud ſine hoc eſſe poteſt in infante, & hoc ſine illo eſſe potuit in latrone, complente Deo ſive in illo, ſive in iſto, quod non ex voluntate defuiſſet; cum vero ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem involvi.* Uti infantium ſine propria Contritione, ita adultorum ob Miniſtri defectum ſine Sacramento Morientium juſtificationem adfirmat fieri *complente Deo*, ſeu per factam regulæ diſpenſationem. Et hinc ad verba iſta Majores noſtri Doctores Lovanienſes poſuerunt hoc marginale Scholion: *Supplet Dei benignitas quod neceſſitas excluſerit.* Quæ omnia mature conſiderans poſterior & melior Schola iſtum, quem uſque ad Præpoſitivi tempora graſſatum teſtatur Hugo Matthoud, errorem peſſimum eliminavit, Pœnitentiæ ac Baptiſmi neceſſitatem reſtituit, conſtanterque docuit juſtificationis extra ipſa donum obtineri regulariter non poſſe, niſi per ſolam Contritionem perfectam. Quam veritatem Tridentina Synodus omnino confirmavit. Quæ autem & qualis Contritio juſtificaret antiqui Teſtamenti tempore, ignoro. Senſa mea expoſui in Diſſertatione. Eſt quæſtio Theologica, in qua unumquemque in ſuo abundare ſenſu libens permitto. Pro ſola veræ charitatis ad Contritionem & juſtificationem neceſſitate laboro.

Diverſi charitatis & Contritionis gradus defenduntur.

ETiam quæ de diverſis charitatis gradibus ſeu claſſibus dixi ex S. Auguſtino, hic Scriptor impugnat. Summi tamen ponderis eſt iſta diſtinctio. Eam laudat & Petrus Pictavienſis, ac recte adjungit: *Quæritur utrum* *Part. 3. c. 5. 25.* *idem ſit ædificare lignum, fœnum, ſtipulam, & peccare venialiter?* Utramque contradictionis partem ornat argumentis, & concludit: *Dicendum eſt quod non eſt idem*

idem ædificare lignum, fœnum, ſtipulam, quod peccare venialiter; eſt enim ædificare lignum, fœnum, ſtipulam, habere carnalem adfectum circa temporalia, ſed Deum præponere. Omnis ergo, qui ædificat lignum, fœnum, ſtipulam, peccat venialiter, ſed non convertitur. Ædificare autem aurum, argentum, lapides pretioſos, eſt Deum perfecte diligere, & omnia terrena deſpicere. Omnis ergo talis Deum diligit, ſed omnis, qui diligit Deum, non eſt talis. Illi ergo, qui ædificant aurum, argentum, lapides pretioſos, peccant quandoque venialiter, non tamen ædificant lignum, fœnum, ſtipulas, quia ſtatim deletur veniale peccatum in eis. Tantum enim habent fervorem charitatis, quod ſtatim exſtinguitur in eis veniale peccatum, ſicut gutta aquæ in camino. Cordibus noſtris in fundamentum poſito Chriſto Domino ſuper ædificata lignum, fœnum, ſtipulas adfirmat eſſe adfixivos, quibus tamen Deum non poſtponimus, creaturæ amores. Eos excludi dicit a ſola charitate perfecta, & meæ Diſſertationis doctrinam inſigniter confirmat.

Laudanda ſunt & hæc ejus verba: *Quia variis modis loquitur Scriptura de perfectione, ad tollendam aliquam ambiguitatem adhibenda eſt diſtinctio. Scriptura ergo interdum perfectionem vocat ſufficientiam. Secundum quod dicitur: Perfecta Pœnitentia eſt, quæ commiſſa delet. Id eſt, ſufficiens. Et eſt perfectio comparationis, de qua dicitur: Noe perfectus erat in generationibus ſuis. Scilicet comparatione aliorum. Harum perfectionum utraque, id eſt, & ſufficiens, & per comparationem, poteſt haberi exemplum charitatis imperfectæ.* Hoc eſt, & per ſufficientiam, & per comparationem perfecta charitas eſſe poteſt imperfecta: utique facta relatione ad perfectionem abſolutam. Ita omnis Dei, licet ſolo adfectu, ſuper omnia dilectio, omniſque per ipſam formata Contritio hodie a multis Scholaſticis vocantur dilectio & Contritio perfecta. Verum per ſolam ſufficientiam, ideoque ſunt dilectio & Contritio imperfecta. Antiquiſſima eſt iſta phraſis: & nequaquam per Scholaſticos in Eccleſiam inducta. Etenim ſuis de vita contemplativa libris Julianus Pomerius inſeruit hunc titulum: *De differentia* carnalium & animalium *amorum, & quantum ab eis differat perfecta*, id eſt, quævis caſta Dei ſeu in Deo *dilectio*. Et illos, qui idola nec adorarunt nec tolerarunt, Judæ & Beniamin Reges etiam ſacra Scriptura vocat perfectos: utique quoad ſalutis ſufficientiam. Ego vocem in ſenſu iſto non accipio: Solam abſolute perfectam dilectionem & Contritionem iſto titulo honoro. Antiquos Patres ſum imitatus: Et iſtius diſtinctionis non animadverſio facit Accuſatores meos de meo ſenſu falli aut hæſitare.

Lib. 3. c. 25.

Qu. 19. art. 8.

Qu. 24. art. 8.

Eaſdem charitatis claſſes ſeu gradus ex ſancto Auguſtino laudat in ſecunda ſecundæ etiam Doctor Angelicus. Perfectam ac imperfectam charitatem lucide diſtinguit, & pergit in alia quæſtione: *Auguſtinus dicit ſuper primam Canonicam Joannis, Charitas, cum fuerit roborata, perficitur. Cum autem ad perfectionem venerit, dicit, Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Hoc eſt, delectabiliter moritur & vivit patienter. Ad ſolvendam quæſtionem, *Utrum charitas in hac vita poſſit eſſe perfecta*, aliam ex objecti diligibilis, aliam ex ſubjecti diligentis parte diſtinguit perfectionem. Priorem, quod infinita ac Divinæ bonitati æqualis eſſe debeat, adfirmat nobis impoſſibilem etiam in futura vita, & pergit de ſecunda; *Ex parte diligentis tunc eſt charitas perfecta, quando diligit tantum, quantum poteſt. Quod quidem contingit tripliciter. Uno modo ſic, quod totum cor hominis actualiter ſemper feratur in Deum. Et hæc eſt perfectio charitatis patriæ, quæ non eſt poſſibilis in hac vita, in qua impoſſibile eſt propter humanæ vitæ infirmitatem ſemper actu cogitare de Deo, & moveri dilectione in ipſum.* Nec ſemper duntaxat expreſſa, ſed ex toto penitus corde eſſe, ſeu omnes cupiditatis non tantum adſenſus etiam volaticos, ſed & motus debet excludere: quod in hac vita non dari per ordinarias Divinæ gratiæ ac providentiæ regulas, ipſa nos experientia docet. *Alio modo, ut homo ſtudium deputet ad vacandum Deo & rebus Divinis, prætermiſſis aliis, niſi quantum neceſſitas præſentis vitæ exquirit. Et iſta eſt perfectio charitatis, quæ eſt poſſibilis in via. Non tamen eſt communis omnibus habentibus charitatem. Tertio modo ita, quod habitualiter aliquis totum cor ſuum ponat in Deo: Ita ſcilicet quod nihil cogitet vel velit, quod dilectioni ſit contrarium. Et hæc perfectio eſt communis omnibus habentibus charitatem.* Hæc eſt quoad ſolum adfectum ſuper omnia, & quoad ſolam ſufficientiam perfecta; illa eſt perfecta abſolute, & etiam quoad vires ſuper omnia: Etenim hominem ſolis Divinis rebus ſtudere facit & adfigit; adeoque excludit omnem adfixivum creaturæ amorem.

Etiam ad ſequentis articuli quæſtionem: *Utrum convenienter diſtinguantur tres gradus charitatis, incipiens, proficiens, & perfecta*, ob ſancti Auguſtini auctoritatem reſpondet adfirmative: *Auguſtinus dicit ſuper primam Canonicam Joannis, Charitas, cum fuerit nata, nutritur, quod pertinet ad incipientes; cum fuerit nutrita, roboratur, quod pertinet ad proficientes; cum fuerit roborata, perficitur, quod pertinet ad Perfectos. Ergo eſt triplex gradus charitatis.* Eximiis rationibus eandem concluſionem confirmat, & concludit de charitate perfecta: *Tertium ſtudium eſt, ut homo ad hoc principaliter intendat ut Deo inhæreat, & eo fruatur. Et hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Quod ſola, quæ omnem ſervilem gehennarum metum, omnemque adfixivum creaturæ amorem foras pepulit, bonæ ac in Deum ſecuræ conſcientiæ charitas cupiat diſſolvi & eſſe cum Chriſto, adeoque & ſola perfecta ſit, utcumque oſtendi in Diſſertatione, innumeris ſanctorum Patrum teſtimoniis poſſit firmari, & ipſa experientia convincit. Creaturas, quibus quis per amorem adfigitur, deſerere non poteſt ſine dolore, adeoque & duntaxat patienter queat mori. Quinque charitatis claſſes diſtinguit ſanctus Auguſtinus, ſanctus Thomas contrahit ad tres: Uti natam & nutritam, ita adultam & robuſtam conflat in unam, ob rationes ſuo loco exponendas.

Eaſdem claſſes laudat etiam in tertia parte: *Charitas proficiens vel perfecta eſt major quam charitas incipiens. Sed quandoque aliquis cadit a charitate proficiente, reſurgit autem in charitate incipiente.* Et iterum: *Ad tertium dicendum, quod una & eadem gratia major eſt proficiens quam incipiens. Sed in diverſis hoc non eſt neceſſe. Unus enim incipit a majore gratia, quam alius habeat in ſtatu profectus, ſicut Gregorius dicit in libro Dialogorum. Quatenus & præſentes & ſecuturi omnes agnoſcerent, Benedictus puer converſationis gratiam a quanta perfectione cœpiſſet.* Etiam in libris de gentium vocatione ſanctus Proſper humanæ juſtificationis exordia dicit in variis eſſe diverſa: *Hujus præparationis non unus ſemper profectus, nec una menſura eſt. Quoniam multis modis & innumerabilibus differentiis gratiæ opera & dona variantur, inque ipſis ſingulis generibus munerum diſſimiles ſunt gradus & impares quantitates. Sicut enim in germinibus herbarum atque lignorum, quæ terra producit, non una ſpecies, nec unum in omnibus eſt, ſed ſingula quæque in ſui ſeminis forma, & in ſuæ ſtirpis qualitate gignuntur, plenum autem decorem non ſtatim ut eduntur accipiunt, ſed certis & inordinatis provehuntur augmentis, donec ad perfectam ſui habitus quantitatem per ſuccedentia ſibi incrementa perveniant; ita & ſemina Chariſmatum, plantæque virtutum, non in omni agro cordis humani eorum hoc pariter quod ſunt futura naſcuntur: Nec facile reperitur in exordio maturitas, & in inchoatione perfectio. Exerit quidem frequenter potens & miſericors Deus mirabiles iſtos ſuæ operationis effectus, & quibuſdam mentibus, non expectata profectuum mora, totum ſimul, quidquid collaturus eſt, invehit.* Regularem humanæ juſtificationis proceſſum ſucceſſivo plantarum incremento eſſe ſimilem, ideoque per modica & quaſi inſenſibilia paulatim additamenta adfirmat perfici: Pleroſque nos non a nata, quæ ſaltem adfectu ſit ſuper omnia, charitate, ſed a longe dilutioribus rudimentis incipi & concipi in hominem novum; qui a perfecta, robuſta, adulta, nutrita, aut etiam nata charitate inchoentur, adſeverat eſſe rariſſimos, aut admodum paucos. Hanc doctrinam probat hic Doctor Angelicus. Ex iſtis paucis ſanctus Gregorius adfirmat fuiſſe ſanctum Benedictum. Epiſcopis, Clericis, Monachis, acquiſitam vel acquirendam interioris hominis perfectionem ac plenam reformationem profeſſis, & cunctæ Chriſtianæ Theologiæ Magiſtris, accurata laudatorum graduum notitia eſt ſumme neceſſaria. Sine ipſa quiſquis humanæ juſtificationis Sacramentum ſcrutari tentarit, non poterit non ceſpitare periculoſiſſime: immo & labi. Etenim definitiva ſancti Auguſtini in libro de natura & gratia eſt ſententia: *Charitas inchoata, inchoata juſtitia eſt; charitas provecta, provecta juſtitia eſt; charitas magna, magna juſtitia eſt; charitas perfecta, perfecta juſtitia eſt.* Quæ omnia latius exquirunt examen.

Qu. 89. art. 2.

Lib. 2. c. 11.

Lib. 1. c. 2.

Cap. 70.

Mortalis peccati conſcientiam habenti Miniſtro, antequam Sacramentorum Adminiſtrationi ſeſe ingerat, qualiter ſit agendum?

ALiud Accuſationis caput eſt ex Diſſertationis doctrina ſequi, ut Sacramentorum in novo Teſtamento Miniſtri, ſi forſan mortalis peccati remorſu graventur, ſine prævia Sacramentali Confeſſione non poſſint ſuo Miniſterio fungi, atque ita ruralium præſertim Eccleſiarum Rectores conjiciantur in multam & duram conſcientiæ anxietatem. Reſpondeo quæſtionem hanc per ſolos Scholarum Doctores, per nullum Eccleſiæ antiquum

tiquum Patrem esse lucide motam ac decisam, ideoque dubiam & implexam. De substantiali per iniquos datorum aut acceptorum Sacramentorum validitate disputans adversum Donatistas sanctus Augustinus, ejusmodi multos, & Clericos & laicos, fatetur esse in Ecclesia, solumque arguit, quod *corde non mutato baptizarentur & baptizarent*, aut alia darent aut acciperent Sacra- *Lib. 4. Bapt. c. 2. 3.* menta. Et infra: *Baptismo Ecclesiæ baptizare possunt, quod nec ipsis prodest nec accipientibus, nisi intrinsecus vera conversione mutentur*. Et Pseudo-Apostolos, ex pessimo in Paulum Apostolum livore prædicantes Evangelium, ideoque in peccati mortalis reatu hærentes, non de statu illo, sed de solo conversi cordis defectu arguit ipse Paulus: Quod *non caste* evangelizarent. *Procul dubio*, inquit in libris adversus Cresconium Donatistam sanctus Augustinus, *idipsum illi adnunciabant quod Paulus, non tamen eo animo, non ea voluntate, non ex charitate, sed ex invidia & ex contentione*. Et *Cap. 7.* in libris adversus Parmenianum Donatistam: *Spiritus Lib. 1. Cap. 11. Sanctus in Ecclesiæ Præposito vel Ministro sic inest, ut si fictus non est, operetur per eum Spiritus Sanctus, & ad ejus mercedem in salutem sempiternam, & eorum regenerationem vel ædificationem; qui per eum sic consecrantur sive evangelizantur. Si autem fictus est, quoniam verissime scriptum est*, SPIRITUS SANCTUS DISCIPLINÆ EFFUGIET FICTUM, *deest quidem saluti ejus ut auferat se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, Ministerium tamen ejus non deserit, ut per eum operetur salutem aliorum*. Sacramenti ac verbi Ministrum jubet duntaxat veracem esse, & non fictum: Fictum esse addit, non eum qui in reatu sit peccati mortalis, sed qui non casta ministret voluntate. Et quis veram contriti cordis conversionem adfirmet non esse voluntatem castam? Quis esse dicit sine intellectu cogitationes, a quibus se auferat Spiritus Sanctus? Eandem doctrinam aliis etiam in locis sanctus Augustinus inculcat, atque ita lucet castum seu recti, seu conversi cordis finem ad legitimum Sacramenti ac verbi Ministerium omnino requiri. An sufficiat, & sanctificantis gratiæ statum non oporteat adjungi, nec Augustinus, nec quis alius Ecclesiæ Pater lucide expressit. Doctores Scholastici passim volunt statum illum necessarium, at de necessitatis causa & fundamento sunt admodum divisi, & acriter digladiantur. Alii solam Contritionem, alii actualem etiam Confessionem exigunt a peccatore ministraturo: prout aliam & aliam justificandi virtutem Contritioni adscribunt. A primis, apud quos quævis vera charitas & Contritio fixa lege justificabat sine Sacramento, Scholasticæ Theologiæ Authoribus moveri cœpit hæc quæstio, atque ita illis certum fuit ac esse debuit gratiæ statum in Ministro requiri. Sanctissimos & Doctores & Discipulos semper habuit Scholastica Theologia, ideoque adimpleta illi est hæc Divina per Apostolum promissio: *Si quid aliter sapitis, vobis Deus revelabit*. Quod quævis Contritio non justificet sine Sacramento, jam pridem ei revelatum est, manstt tamen dubium, de quo in tertia parte sanctus Thomas: *Ad* *Quæst. 64. art. 9.* *tertium dicendum, quod ille, qui est in peccato mortali, non est perplexus simpliciter, si ex officio ei incumbat Sacramenta dispensare. Quia potest pœnitere de peccato suo, & licite ministrare. Non est autem inconveniens, quod sit perplexus supposito quodam, scilicet quod velit remanere in peccato. In articulo tamen necessitatis non peccaret baptizando in casu, in quo etiam laicus posset baptizare. Sic enim patet, quod non exhiberet se Ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti. Secus est autem in aliis Sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis, ut Baptismus*. Distinguit duplicem facti speciem, in qua ordinarius, peccati mortalis conscientiam habens, Minister cogatur aliquod Sacramentum ex officio ministrare. Item inter necessitatis & solius utilitatis Sacramenta distinguit. Prima facti species est, dum necessitas non est tanta, quin patiatur Sacramentum dari solenniter, & Sacerdotem agere ut publicum Christi Domini & Ecclesiæ Ministrum. Altera est summa necessitas, cui festinatione opus sit, ideoque Sacerdos tanquam laicus cogatur sine solennibus rituum ornamentis nudum Baptismum dare. Neutro in casu actualem Confessionem, & in solo primo Contritionem exigit sanctus Doctor. Ejus solius, qui in peccato mortali permanere velit, Sacerdotis solenne Ministerium damnat peccati mortalis. Ita eum Sylvester, & alii passim Thomistæ exponunt. Agit de solo ordinario Ministro, de quo & statuit Sacrosancta Synodus Tridentina: *Nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumcumque sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debet. Quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris. Quod si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia Confessione celebravit, quam primum confiteatur*. Nullum Sacramentum, nullum Ecclesiæ Ministerium est Sacrosancta Eucharistia, ejusque confectione & celebratione sanctius, ideoque nulla humana actio majorem in suo agente requirit sanctitatem: A peccatore requirit justificationem certam, quæ fiat per Sacramentalem reconciliationem. Unicum exceptum casum declarat laudata Synodus: Dum Curatus Sacerdos ex officio celebrare debet, nec habet copiam Confessoris. De qua exceptione recte ad tertiæ partis supplementum scribit Franciscus Sylvius: *Non dicitur a* *Quæst. 5. art. 1.* Tridentino Concilio, *quod illi*, taliter sine Confessione celebrantes Curati Sacerdotes, *sint* per Contritionem *justificati, sed declaratur quod ab incursione novi peccati excusentur, etiamsi celebrent aut communicent. Verisimile autem est quod peccatorum remissionem accipiant in devota communione*. Quæ eadem docui in Dissertatione. Eamdem exceptionem obtinere existimo in cunctis aliis Sacramentis. Quivis, inquam, in peccato existens Sacerdos, antequam sacro Ministerio se misceat, confiteri debet; Curatus tamen, si Confessor non sit ad manum, debitæ erga Dominum Deum ac ejus Sacramentum reverentiæ per solam Contritionem satisfacit: Et hic est, licet per Ecclesiam lucide necdum definitus, communis sensus meliorum Magistrorum. Et Romanum, Pauli Quinti Pontificis jussu editum, Pastorum Rituale habet: *Sacerdos*, utique Curatus, *si fuerit peccati mortalis sibi conscius, quod absit, ad Sacramentorum Administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat. Sed si habeat copiam Confessarii, & temporis locique ratio ferat, convenit confiteri*. Quin immo de quovis peccati mortalis sibi conscio Sacerdote scribit laudatus Sylvius: *Ad evitationem peccati, sal-* *Quæst. 64. art. 6.* *tem mortalis, sufficit quod Minister ita peccati affectum deposuerit, ut per veram Pœnitentiam se ad justitiam & sanctitatem disponat*. Et hæc est ejus generalis conclusio: *Quamvis*, talem Sacerdotem ad Sacramentalem Confessionem obligans, *sententia magnam habeat probabilitatem, & sit securior, sufficere tamen videtur, si Minister sibi de mortali peccato conscius veram Pœnitentiam habeat, priusquam aliquod Sacramentum ministret*. Et ipsum per Contritionem non justificari habet pro certo. Hinc rursum scribit: *Præmittendum est, eum censeri in peccato mortali ministrare, qui alicujus talis est sibi conscius, neque tamen sincere pœnitet, veram animi detestationem & dolorem concipiens*. Verum hæc omnia requirunt longius examen.

CAPUT VII.

Exponitur Sanctorum Thomæ Aquinatis, Thomæ de Villa-Nova, Francisci Salesii, ac Bernardini Senensis de Contritione sententia.

SAnctorum Ecclesiæ Patrum de Contritione sensum in Dissertatione utcumque exposui. Post ipsos adducere nequeam testes majores, quam quos irrefragabili & omnis exceptionis immuni authoritate ornavit Beatissimus Pater noster Alexander VII. immo per ipsum Spiritus Sanctus. Primus sit sanctus Thomas Aquinas, non solum apud Romanam ac omnem Latinam, sed & apud Orientalem Ecclesiam plene authenticus, cujus dogmata laudatus Pater noster, juxta Antecessorum suorum Apostolica oracula, declaravit tutissima, inconcussa, veneranda ab omnibus atque tenenda.

In tertia Angelicæ suæ Summæ parte docet peccatum actuale mortale sine Pœnitentia non posse remitti, probatque hoc modo: *Offensa peccati mortalis procedit* *Quæst. 86. art. 2.* *ex hoc, quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remissionem Divinæ offensæ, quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ & Proposito emendæ, quod pertinet ad rationem Pœnitentiæ prout est virtus*. At vero voluntatem nostram per solum sine casta Dei dilectione servilem timorem, aut ipso solo formatum ac tinctum de peccatis dolorem converti ad Deum est adeo impossibile & paradoxum, ut omnis solo illo timore actus & agens homo pœnam uti malum principale timeat, & in proprio commodo finem ponat ultimum, ideoque perseveret in mortaliter prava voluntate. *Quod contingit*, inquit S. Doctor, *in non habenti-* *2. 2. qu. 19. art. 4.* *bus charitatem*.

Pergit in articulo sequenti: *Peccatum mortale non potest sine vera Pœnitentia remitti, ad quam pertinet deserere peccatum, in quantum est contra Deum*. Non quia nos æternis addixit gehennis, sed quia Divinam Majestatem offendit & læsit. Et infra in responsione ad quartum argumentum: *Debitum culpæ contrariatur amicitiæ*,

citiæ, ideoque remitti non potest nisi reparetur nostra
Art. 6. ad Divinam Majestatem amicitia, castusque amor, de quo pergit in articulo sexto: *Ad secundum dicendum, quod in justificatione impii non solum est actus Pœnitentiæ, sed etiam actus fidei. Et ideo remissio culpæ non ponitur effectus solum Pœnitentiæ virtutis, sed principalius fidei & charitatis.*

Quod vera Pœnitentia ex fide & charitate nasci & formari debeat, diserte tradit in alia ejusdem partis
Quæst. 84. art. 5. quæstione: *Ad secundum dicendum, quod ex quo aliquis peccatum incurrit, charitas, fides, & misericordia non liberant hominem a peccato sine Pœnitentia. Requirit enim charitas, quod homo doleat de offensa in amicum commissa, & quod amico studeat satisfacere.* Impetrandæ peccatorum remissioni adfirmat charitatem esse penitus necessariam, addens non quamvis sufficere, sed eam
Quæst. 85. art. 2. solam, quæ in Pœnitentiæ vultum formetur & affectum. Et iterum: *Si in actu Pœnitentiæ consideretur sola displicentia peccati præteriti, hoc immediate ad charitatem pertinet, sicut & gaudere de bonis præteritis. Sed intentio operandi ad detestationem peccati præteriti requirit specialem virtutem sub charitate.* Germanæ Pœnitentiæ actum dicit esse complexum, ac in ipso reperiri etiam proprium charitatis motum, de quo iterum scribit: *Ad quartum dicendum, quod Pœnitentia, licet sit species justitiæ, comprehendat tamen quodammodo ea, quæ pertinent ad omnes virtutes. In quantum enim est justitia quædam hominis ad Deum, oportet quod participet ea quæ sunt virtutum Theologicarum, quæ habent Deum pro objecto. Unde Pœnitentia est cum fide Passionis Christi, & cum spe veniæ, & cum odio vitiorum,*
Art. 3. *quod pertinet ad charitatem.*

Germanæ Pœnitentiæ actum esse ex variis complexum adfirmat ex professo in quinto ejusdem quæstionis articulo, singulosque edicit; *Quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor. Secundus actus est motus fidei. Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum a peccato retrahitur. Quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ adsumit Propositum emendandi. Quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, & non tam propter supplicia.* Loquitur ex sancti Augustini ad Anastasium Epistola; *Qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit.* Et ex isto articulo sextum sextæ suæ sessionis caput manifeste desumpsit sacrosancta Synodus Tridentina.

Quæst. 3. art. 1. Eandem veritatem docere pergit in supplemento. *Secundum Augustinum*, inquit argumentum sed contra, *omnis dolor in amore fundatur: Sed amor charitatis, in quo fundatur dolor Contritionis, est maximus: Ergo & dolor Contritionis est maximus.* Quod ipsum confirmat articuli corpus, alium sensualem, alium rationalem in Contritione distinguens dolorem, & pergens de posteriori: *Hic est essentialiter ipsa Contritio, qui nihil est aliud, quam displicentia præteriti peccati, & talis dolor in Contritione excedit omnes alios dolores. Quia quantum aliquid placet, tantum contrarium ejus displicet, finis autem ultimus super omnia placet, cum omnia propter ipsum desiderentur. Et ideo peccatum, quod a fine ultimo avertit, super omnia displicere debet.* Peccati displicentia seu odium adfirmat nasci oportere ex complacentia & amore finis ultimi, qui est Deus in sæcula benedictus. Et rursus in alia quæstione: *Ad tertium dicendum, quod dolor Contritionis, quamvis sit*
Quæst. 5. art. 3. *finitum quantum ad intentionem, habet tamen infinitam virtutem ex charitate, qua informatur, & secundum hoc potest valere ad dilectionem culpæ, & pœnæ.*

Omnino notanda est doctrina articuli sequentis, duplicem rursus in Contritione dolorem distinguens, & pergens de rationali. *Hic est displicentia peccati commissi. Et potest esse adeo parvus, quod non sufficiat ad rationem Contritionis: Ut si minus displicet peccatum, quam debeat displicere separatio a fine. Sicut etiam amor potest esse ita remissus, quod non sufficit ad rationem charitatis.* Loquitur ex sancto Augustino, scribente de æterna, atque incommutabili, quæ Deus est, justitia: *Dum justi*, operum justitia, *non sumus, minus eam diligimus quam ut justi esse valeamus.* Dilutum istum
L. 8. de Trinit. c. 6. justitiæ amorem latius exponit in libris Confessionum. Post a sancto Simpliciano auditam Victorini Rethoris conversionem ait incommutabilem Christianæ justitiæ veritatem & pulchritudinem fuisse a se & cognitas & dilectas, verum dilectione nimium diluta, & pergit: *Veritatis perceptio jam certa erat, ego autem adhuc terra obligatus militare tibi recusabam, & impedimentis omnibus sic timebam expediri, quemadmodum impediri timendum est. Ita sarcina sæculi, velut somno adsolet, dulciter premebat: Et cogitationes, quibus meditabor in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur. Et sicut nemo est qui dormire semper velit, omniumque sano judicio vigilare præstat, differt tamen plerumque homo somnum excutere, cum gravis torpor in membris est, eumque displicentem carpit libentius, quamvis surgendi tempus advenerit; ita certum habebam esse melius tuæ charitati me dedere, quam meæ cupiditati cedere. Sed illud placebat & vincebat. Non enim erat quod tibi responderem dicenti mihi,* SURGE QUI DORMIS, ET EXURGE A MORTUIS, ET ILLUMINABIT TE CHRISTUS. *Et undique ostendenti vera te dicere, non erat omnino quod responderem veritati convictus, nisi tantum verba lenta & somnolenta,* MODO, ECCE MODO, SINE PAULULUN. *Sed modo & modo non habebant modum: Et sine paululum ibat in longum:* Hæc est illa charitas, qua adhuc adolescens orarat ad Dominum: *Da mihi castitatem & continentiam, sed non modo. Timebat ne cito ipsum exaudiret* Cap. 7. *Deus, & cito sanaret a morbo concupiscentiæ, quam malebat expleri, quam exstingui.* Est vera supremæ justitiæ dilectio, verum adeo modica & diluta, ut nequidem adfectu Deum diligat super omnia, sed ipsi quasdam præferat cupiditates. Eam Augustinus passim vocat primam charitatis scintillam, exordia, & rudimenta: Ad Contritionem & justificationem non sufficere recte adfirmat sanctus Thomas.

Eodem in supplemento ad quæstionem, an majorem de Dei offensa, quam de æterna gehenna displicentiam debeat involvere vera Contritio, respondet: *Ad quar-* Quæst. 3. art. 1. *tum dicendum, quod quantitas displicentiæ de aliqua re debet esse secundum quantitatem malitiæ ipsius: Malitia autem in culpa mortali mensuratur ex eo qui peccat, in quantum est ei indigna; & ex eo qui peccat, in quantum est ei nociva. Et quia homo debet magis Deum quam seipsum diligere, plus debet odire culpam, in quantum est offensa Dei, quam in quantum est nociva sibi.* Loquitur ex Theodoreti, Cyrensis in Eufratesia Provincia Episcopi, commentario in Apostolicam ad Romanos Epistolam: *Non est propter bona promissa a-* Cap. 1. *mandus Deus, sed illa propter ipsum expetenda. Neque enim qui sincere in aliquem divitem adfectus est, eum propter opes & facultates diligit, sed propter suum in eum adfectum res etiam, quæ ad ipsum pertinent, diligit. Ita etiam divinus Apostolus, nollem, inquit, habere Regnum Cœlorum, & omnia quæ videntur, & quæ intelligibilia percipiuntur, & tot tantaque alia bis & ter sine dilectione in Christum. Si quis mihi tum præsentia, tum futura molesta & aspera proposuerit, & temporalem atque æternam mortem, & longissimum in gehenna supplicium, una cum dilectione in ipsum libentius & alacrius hoc susciperem, quam illa magna & præclara, & quæ verbis exprimi nequeunt, Dei dilectione frustratus.* Et de sancto Anselmo Cantuariensi Lib. 2. c. 8. Archiepiscopo scribit Henricus Cnychtonus: *Anselmus frequenter dicere solebat se malle esse sine peccato in inferno, quam in cœlo cum peccato.* Quod vera Pœnitentia peccatum sicut gehennas odisse debeat, jam frequenter audivimus a S. Augustino. Eandem doctrinam hic confirmat Doctor Angelicus, & ex tali charitate adfirmat formandam veram Contritionem. Definitiva est hæc ejus Quæst. 4. ibidem sententia: *Dolor Contritionis a charitate caussa-* art. 1. *tur.*

Sacrosancti Tridentini Concilii Patribus cur non adnumeremus sanctum Thomam de Villa-Nova, Valentinum in Hispania Archiepiscopum? Licet ad Synodum ex caussis non accesserit, omnino tamen de ipso dici debeat, quod de sancto Cypriano & Nicæna Synodo scribit sanctus Augustinus: *Spiritu interfuit.* Suos enim Hispaniæ Collegas, in marino ad Tridentinam urbem itinere periclitatos liberavit a naufragio, & cunctos ibidem Patres suis vere Episcopalibus literis & consiliis insigniter adjuvit. Eum publicis Sanctorum tabulis inscripsit, insigni apud Gandulfi Castellum Ecclesia ornavit Beatissimus Pater Alexander VII. & nocturno ejus officio inseruit hocce Encomion: *Scientiam a Domino vehementissime postulavit.* Hic ergo tantus Doctor & Pastor in Dominicæ Passionis Dominica hanc populo suo tradidit de Contritione doctrinam: *Contritio, juxta Theologorum sententiam, est dolor voluntarie adsumptus pro peccato, cum proposito confitendi & satisfaciendi. Potest addi: Et iterum non peccandi.* Cum Doctore Angelico dolorem illum affirmat oportere esse rationalem, & pergit: *Dicitur voluntarie adsumptus, propter quod & Pœnitentia in morte suscepta aliquo modo susceptæ est, quia non voluntate libera, sed magis timore fit, & quasi quadam violentia instantis periculi.* Quo principio abusus Martinus Lutherus omnem ex timore servili conceptam Pœnitentiam, dixit esse hypocrisin, involuntariam, fictam, & coactam. Pergit gloriosus Episcopus, ac etiam definitionis vocem, *Pro peccato*, exponit: *Non de damno, vel de pœna, vel de infamia,*

vel de turpitudine & vilitate peccati, ſed dolendum eſt de peccato, prout offenſa Dei, ſic ut etiamſi nullum incommodum de peccato proveniret, neque eſſet infernus, aut judicium, neque aliquis ſciret, etiam diſpliceret peccatum, quia Deus fuit offenſus. Vera Contritio ex amore Dei debet procedere, non ex timore, aut ex amore ſui. Unde Auguſtinus: Oportet Pœnitentem non ſolum Deum timere Judicem, ſed & juſtum diligere. Et infra: *Ex hac definitione poſſumus elicere quinque conditiones, quas debet habere dolor, ut ſit perfecta & conſummata Contritio.* Ut quoad ſolam ſufficientiam ſit perfecta. *Prima quod ſit purus, id eſt, propter Deum totaliter, vel principaliter, non propter damnum.* Abſolute perfecta eſt totaliter, quoad ſolam ſufficientiam perfecta ſaltem principaliter debet eſſe propter Deum. *Secunda conditio eſt, quod ſit pius, ideſt, non furioſus: Ut faciunt quidam, qui ſeipſos diris devovent, & conqueruntur de Deo, & peccatis addunt blaſphemiam. Tertia conditio eſt, quod ſit maximus, appretiative ſcilicet, non intenſive: Ut plus doleat de peccato, quam de quovis infortunio, vel morte uxoris, aut filiorum. Non intenſive: Nam ſenſibilia mala magis movent nos. Sed approtiative, & in æſtimatione: Nam ſi daretur optio, potius eligeres pati quodcumque infortunium, & mortem filiorum, & tuam, immo & infernum, & annihilationem tuam, quam eligere peccatum. Quarta conditio eſt, quod ſit perpetuus: Nam Pœnitentia cum vita finienda eſt. Quinta conditio eſt, quod ſit particularis de quovis peccato mortali, quod eſt in memoria. Non quod debeas habere tot dolores particulares, quot peccata recordaris, ut quidam volunt; ſed ſufficit quod habeas unum dolorem extenſum, qui ſe extendat ad omnia peccata mortalia in particulari, quæ recordaris te feciſſe. Non enim ſufficit, ſi in confuſo doleas de omnibus & in generali quia es peccator magnus, & quia offendiſti multum, ſicut dolent Sancti, ſed quod doleas de homicidio, de adulterio, de fornicatione, de furto, ſi commiſiſti in ſpeciali: Ad quod non opus eſt habere multos dolores, ſed ſufficit unus intenſus de omnibus in particulari conſideratis. Has conditiones debet habere dolor, ut ſit* quoad ſufficientiam *perfecta Contritio.*

Sancti Franciſci Saleſii, Gebennenſis Epiſcopi, doctrinam & ſanctimoniam quis ignorat? Et jam hunc in Eccleſiaſticas Sanctorum tabulas retulit laudatus Pater noſter, ejuſque Canonico officio indidit hocce elogium: *Franciſcus ſuis Scriptis, cæleſti doctrina refertis, Eccleſiam illuſtravit, quibus iter ad Chriſtianam perfectionem tutum & planum demonſtrat.* In ſanctiſſimis de divino amore libris hanc ponit de Contritione doctrinam: *La repentance, qui ne rejette pas l'amour de Dieu, quoy qu'elle ſoit encore ſans iceluy, eſt une bonne & deſirable repentance, mais imparfaite, & qui ne nous peut donner le ſalut, juſques à ce qu'elle atteint à l'amour, & qu'elle ſoit meslée avec iceluy. Si que, comme le grand Apoſtre a dit, s'il donnoit ſon corps, & tous ſes biens aux pauvres, ſans avoir la charité, cela luy ſeroit inutile: Auſſi pouvons nous dire en verité, que quand noſtre penitence ſeroit ſi grande, que ſa douleur fit fondre nos yeux en larmes, & fondre nos cœurs de regret, ſi nous n'avons le ſaint amour de Dieu, tout cela ne nous ſerviroit de rien pour la vie eternelle.*

Ejuſdem ſententiæ fuit in ſuis ad populum Quadrageſimalibus concionibus magnum Eccleſiæ lumen, cujus publicum Feſtum Romano Breviario impoſuit Beatiſſimus Pater noſter, ſanctus Bernardus Senenſis: *Ex his aperte elici poteſt, quod qui conteritur principaliter propter timorem inferni, & non propter amorem Dei non eſt in ſtatu ſalutis, quia non dolet amore Dei, ſed amore ſui, ut ſi ceſſaret damnatio, ex perpetrata culpa, ceſſaret & Contritio illa. Sed ſecundum Scotum, licet ad veram Contritionem concurrat timor humilians, debet tamen concurrere amor inflammans. Unde etſi in peccatore initiet timor pœnæ, ſuperveniens tamen amor talem timorem debet repellere.*

Cap. 6. Omittere nolim laudatiſſimos Fratris Didaci Stellæ in ſancti Lucæ Evangelium Commentarios: *Si tantum dolorem & Pœnitentiam tuorum peccatorum habueris; & illorum cauſſa tot lacrymas fuderis, quot ſunt guttæ aquæ in mari, ſi hanc pœnitentiam & dolorem habueris, ſolum vel præcipue id cavens ne in infernum eas, certiſſime ſcias te hac ſola ratione damnandum fore. Nam in peccato duo conſiderare debes. Alterum offenſam quam adverſus Dominum tuum commiſiſti; alterum vero malum, quod tibi ipſi comparaſti, quia teipſum ad æternam pœnam obligaſti. Si igitur te peccati tui potius pœnitet propter inferni cruciatum, quam quod Deum offenderis, manifeſtum eſt te potius id cavere & fugere quod contra te eſt quam quod adverſus Deum. Unde fit ut teipſum pluſquam Deum diligas, ideoque nunquam peccatum tibi remittetur, quantumvis graviſſimum dolorem habeas, niſi te pœnituerit Deum offendiſſe. Hunc dolorem vocant Scholaſtici Attritionem, quæ filia eſt amoris proprii, ut Contritio filia eſt amoris Divini.* Innumera adduci poſſunt ejuſmodi teſtimonia. Verum quibus hæc non ſuffecerint, nec ſi quis ad prædicandam hanc veritatem a mortuis ſurrexerit, credent.

CAPUT VIII.

Epiſtolæ Epilogus.

OPponi nobis poſſit Martini Lutheri ſermo de Pœnitentia: *Contritio, ſic enim cœpit vocari vera Pœnitentia interior, duplici via paratur. Primo, per diſcuſſionem, collectionem, deteſtationem peccatorum, qua quis, ut dicunt, recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, damnum, fœditatem, multitudinem; deinde amiſſionem æternæ beatitudinis ac æternæ damnationis acquiſitionem: Et alia quæ poſſunt triſtitiam ac dolorem excitare. Hæc autem triſtitia facit hypocritam, immo magis peccatorem: Quia ſolum timore Præcepti & dolore id facit. Et tales omnes indigne abſolvuntur & communicantur. Et ſi libere deberent, remoto Præcepto & minis pœnarum, confiteri, certe dicerent ſibi non diſplicere vitam præteritam, quam ſic coguntur diſplicere confiteri. Immo quo magis timore Pœnæ & dolore damni ſic convertuntur, eo magis peccant, & afficiuntur ſuis peccatis, quæ coguntur, non autem volunt odiſſe. Siquidem lex & cognitio peccati magis abundare facit peccatum. Et hæc eſt illa Contritio, quam ipſi vocant extra charitatem non meritoriam. Alii vocant Attritionem diſponentem ad Contritionem. Sic enim ipſi opinantur. Quam opinionem, errorem ego judico. Secundo paratur Contritio per intuitum & contemplationem ſpecioſiſſimæ juſtitiæ, &c.* Servilem ſine omni charitate Attritionem manifeſte damnat, ideoque ipſam prior meus Accuſator vult a Sacroſancta Tridentina Synodo in fidei Canonem eſſe admiſſam. *Quæro*, inquit, *an ullus negare poſſet Concilium hic primum illum Contritionis modum tueri ac retinere, quem Lutherus rejiciebat, eiſdem fere verbis deſcriptum? Profecto ſi unquam ex Conciliorum verbis colligere licuit quos hæreticos, quoſve horum errores damnarint, hic manifeſtiſſime patet adſtrui veritatem Catholicam eo ſenſu, quo impugnarat Lutherus.* Hoc eſſe palmare ſervilis Attritionis fundamentum adſerunt aliqui, ideoque petierunt ſubverti.

Reſpondeo Monothelitas, Iconoclaſtas, ac Felicianos, non ſolum ob inductas vocum novitates, ſed & ob vitiata ſanctorum Patrum teſtimonia fuiſſe a ſexta, ſeptima, & Francofordienſi Synodis merito damnatos. Eſt enim graſſatio facinoroſa. Etiam ab hæreticorum dictis quandoque pendet recti dogmatis aut Synodalis deciſionis notitia, adeoque & in ipſa graſſari poſſit eſſe facinus. Et talis omnino eſt adductus contextus Martini Lutheri. Cur ergo Accuſator hiſce verbis, *Alii vocant Attritionem diſponentem ad Contritionem*, adjecit vocem, *proxime*? An enim ad veram Contritionem ſervilis Attritio proxime diſponat, eſt non modica quæſtio, ejuſque negativa pars non caret fundamentis. Longe majus eſt quod verbis, *Sic enim cœpit vocari vera Pœnitentia interior*, ſubtraxerit vocem, *vera*. Quidam Lutheri tempore Scholaſtici Doctores Contritionem & Attritionem non more antiquo penes perfectam ac imperfectam duri ac diſtorti cordis trituram, ſed penes incluſam charitatem diſtinguebant. Omnis vera, ex Dei amore formata, interior Pœnitentia erat illis Contritio, ſolam Attritionem ſervilem donabant toto vocabulo Attritionis. Hinc de voce *Contritio*, dicit Lutherus: *Sic cœpit vocari vera Pœnitentia interior.* Utique apud Scholaſticos Doctores. Hi enim etiam veram, veraque Dei dilectione formatam Pœnitentiam ex ſervili pœnarum metu, & aliis per Lutherum adductis exordiis frequenter, immo communiter concipi ſemper ex antiquis Eccleſiæ Patribus & Canonicis literis docuerunt. Laudatorum Patrum, dicto modo conceptam Pœnitentiam de veritate ac libertate ſuſpectam quandoque habentium, teſtimoniis abuſus Lutherus, lucidam veritatem obſcurare & ſubvertere tentavit, cum Donatiſtis & Pelagianis blaterans nullam ita conceptam Pœnitentiam eſſe veram, adeoque nec eſſe Contritionem, ſed duntaxat ſervilem ſine charitate Attritionem, quæ nullo modo, etiam juxta ipſos iſtos Doctores, ad impetrandam peccatorum in Sacramento veniam diſponeret, ſed ſolummodo ad Contritionem. Faſſus eſt eam uti Contritionem & veram Pœnitentiam tradi a Catholicis, & addidit tradi inconſequenter: Quod per timorem concepta & quaſi extorta voluntas ipſi videretur non poſſe eſſe libera & vera. Eam garrivit eſſe motum non bonum,

num, ideoque citra ejuſmodi motum a nobis juſtificationem promitti per ſolum Sacramentum. Hunc ejus fuiſſe ſenſum, ſupra abunde oſtenſum eſt, confirmatque Ruardus Tapperus. Eundem errorem damnat Tridentina Synodus, definiens ex iſtis etiam ignobilibus exordiis conceptam Contritionem eſſe veram, Dei donum, liberam, ſufficientem ad impetrandam in Sacramento juſtitiam, adeoque hominem per ipſam non fieri hypocritam, aut magis peccatorem. Quocirca ſervilis Attritio nequaquam eſt probata per Synodum, ſed tanquam Lutherana in orthodoxos Doctores calumnia damnata & proſcripta. Quod Lutherus in ſolam ſervilem Attritionem debacchatus, adeoque & ipſam probaſſe videretur Tridentina Synodus, Accuſator expunxit vocem *vera*.

Per hæc, Eximie Confrater, abunde me purgatum confido, & te Judice abſolvendum ab objectis erroribus. Quod varia, omni charitati & Contritioni ſubitam peccatorum veniam quaſi promittentia, ſacrarum litterarum teſtimonia aut de ſola perfecta, aut de ſola per Sacramentum adjuta imperfecta dilectione loquantur, utcumque oſtendi. Erraſſe poſſim. Et ex corde amplector quod de ſuis Scriptis ad Sabinum, Placentinæ Eccleſiæ Epiſcopum, ſcripſit ſanctus Ambroſius: *Ep. 63. al. 40.* *Neſcio quo modo, præter imprudentiæ caliginem quæ me circumfundit, unumquemque fallunt ſua ſcripta, & aurem prætereunt, atque filii etiam deformes delectant; ſic etiam Scriptorem ſermones indecores ſui palpant. Incautius plerumque aliud promitur, aliquid accipitur malevolentius, aliquid exit ambiguum: Tum quia alieno examinanda judicio, non pro noſtra debemus magis, quam pro aliena opinione trutinare, & diſcutere omnes ſcrupulos malevolentiæ.* Alienus item ſemper eſſe ſtudui a peſſimo vitio, quod in Juliano Pelagianiſta notat, & *Lib. 6. c. 26.* evellendum ſuadet ſanctus Auguſtinus; *Quando animoſitatem, qua teneris, viceris, tunc veritatem poteris tenere, qua vincaris.* Quam victoriam & mihi ipſi, & meis Accuſatoribus ex corde exopto.

Per S. Fulgentii concludo & cum ipſo apud Sardos exulantium Afrorum Epiſcoporum Synodalia in ſimili negotio verba: *Vos itaque, dilectiſſimi Fratres, per gratiam Dei eſtote ſtabiles & immobiles, ac tenentes veram fidem, exhibete Fratribus aliter ſentientibus charitatem, nec de aliquo deſperetis, quia qui hodie veritatem in aliquo non agnoſcit, poteſt cras Deo revelante cognoſcere. Deo enim ſubeſt, cum volet, poſſe. Oremus ergo pro eis, ut Dominus operetur in eis. Exhibeamus eis bonam voluntatem, de qua nos poſſimus habere mercedem, ſcientes quoniam in conſpectu Dei quiſquis de numero prædeſtinatorum fuerit, non peribit, & in omnibus voluntas Omnipotentis implebitur, ut per gratiam ſalvi fiant, & agnitionem veritatis, Domino illuminante, percipiant.* Quod dum fiat, memoriam noſtram non deſerat S. Thalaſſii Abbatis ad Paulum Presbyterum ſcripta parænefis: *Ut in cœno aromata non inveniuntur, ita neque charitatis ſuaveolentia in anima injuriarum memore.* Per Fratrum noſtrorum in nos puſillanimitatem, tanquam per ſiniſtra juſtitiæ arma, læti ambulemus, & legendis aut evellendis aculeatis ipſorum ſpinis bonas, rebus ſeriis debitas, horas deinceps non perdamus. Hæc ſunt quæ de noſtratibus rebus ſignificata volui, Deum Optim. Max. rogans, ut etiam his noviſſimis, in quos peccata noſtra nos reſervarunt, malorum temporum diebus Eccleſiam ſuam purgare & conſervare dignetur ab omni ſcandalo iniquitatis. Optimam illam, quam ab Eutychio avo ſuo didicit, & quotidie recitare conſuevit ſanctus Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus, orationem video mihi neceſſariam: *Domine bonam mentem mihi elargire, & libera me de meis adverſariis.* Hanc orationem ut pro me fundere dignetur & veſtra Benignitas, ex corde precor. Vale. *Lib. 1. c. 16.*

J. ANDREÆ SERRAI

IN REGIA NEAPOLITANA S. SALVATORIS ACADEMIA CATECHESIS ET MORALIS THEOLOGIÆ PROFESSORIS

DE

ROMANI CATECHISMI,

JUSSU TRIDENTINI CONCILII EDITI, AUCTORIBUS, DIGNITATE ATQUE PRÆSTANTIA

DISSERTATIO.

CAPUT I.

De Auctoribus & Scriptoribus Romani Catechismi.

QUUM ingenti malo atque cladi, quam sæculo XV. Hæreticorum Catecheses animis Christianorum non paucorum intulerant, nonnisi de communi Pastorum Ecclesiæ consilio non occurrendum fore necessarium visum esset; eodem tempore de Catechesi, & summa Doctrinæ Catholicæ consilium initum est. Itaque jam inde ab anno MDXXIX. habendi Concilii Œcumenici Clemens VII. Pont. Max. cogitationem susceperat, egeratque de eo cum Cæsare quem Bononiæ convenit. Quod tamen aliis super aliis suborientibus difficultatibus, maximo Reipublicæ Christianæ malo, serius omnino, quam erat opus, inchoatum est, tempusque ejusdem absolvendi diutius fuit extractum. Interim non defuere plerique qui privato consilio in hoc scriptionis genere cum magna pietatis & doctrinæ laude versati sunt. Nam præter Enchiridion Eckii & aliud Enchiridion Colonienſe, prodiit in Germania eodem fere tempore institutio Sacerdotum Petri Soti, in Belgio autem Catechismus Somnii, Victoriæ, & Dominici Soti in Hispania: & inter eos cum primis adnumerandus Petrus Canisius non obscuri nominis Theologus. Is enim anno MDLIV. rogatu & auctoritate Ferdinandi Regis Romanorum, Catechismum publici juris fecit, qui magno ubique Doctorum & Procerum plausu exceptus est: eumque alii subinde in varias linguas convertere, & idem Ferdinandus ad rudiorum captum in compendium redigi jussit. Per idem pene tempus, hoc est, anno MDLVIII. Gaspar Contarenus Cardinalis Venetus, Cracoviæ suam edidit Catechesim, sive Christianam institutionem, quæ laude non caruit.

Interea vero universale Concilium, sæpe intermissum, iterum Tridenti Pio IV. Pont. Max. convocatum, majori alacritate & studio peragi visum est. Cujus sacri Senatus Patres, quum jam pridem animadvertissent, in eo potissimum Hæreticorum fraudem insignem apparuisse, quod suis Catechismis incautos simplicium animos deciperent; ut tanto ac tam pernicioso malo, ut est in Præfatione ejus Catechismi, salutarem aliquam medicinam possent afferre, non satis esse putarunt graviora Catholicæ doctrinæ capita contra Hæreses decernere; sed illud præterea sibi faciendum censuerunt, atque id ipsum ex suorum Regum mandatis quoque petentibus Legatis, ut certam aliquam formulam & rationem Christiani populi ab ipsis fidei rudimentis instituendi, traderent, quam in omnibus Ecclesiis illi sequerentur, quibus legitimi Pastoris & Doctoris munus obeundum esset. Quare ut mortales ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia, atque animi devotione accederent, in Sessione XXIV. cap. VII. præcepit sancta Synodus Episcopis omnibus ut non solum, quum hæc iidem ipsi erunt populo administraturi, prius illorum vim & usum, pro suscipientium captu, explicent, sed etiam idem a singulis Parochis pie prudenterque, etiam lingua vernacula, si opus sit, & commode fieri poterit, servari studeant. Idque præstandum esse statuant ex formula ab sancta Synodo in Catechesi de singulis Sacramentis præscribenda, quam Episcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque a Parochis omnibus populo exponi curarent. Hæc Catechesis celeberrimus ille liber est, qui *Catechismus Romanus* nuncupatur, habeturque non modo ut doctrinæ & scientiæ, sed ut eloquentiæ exemplum. Quare operæ pretium fuerit non solum Operis originem & occasionem cognoscere, sed qui in eo conscribendo operam posuere, & quam sibi in Ecclesia authoritatem ea præceptio vindicet. De iis igitur, qui ad illud perscribendum adhibiti sunt, ea in medium proferam, quæ apud idoneos authores sum perscrutatus, & fortasse etiam vulgo minus sunt nota. Nam quum librum hunc unice semper dilexerim, valdeque eo sim delectatus, de illius Authoribus sæpe & multum in certis monumentis quæsivi. Nam sicuti ad materiæ doctrinæque inventionem plures, ita etiam plures, neque, si unum excipias, iidem ad locutionem adhibiti sunt. Itaque primo de iis, qui materiam Operis compararunt, verba faciemus, deinde de aliis, qui eamdem materiam digessere, ac latinis perpolivere litteris. Nimirum, ut antea demonstravimus, quum in Concilio Tridentino Patribus datum esset negotium, ut commentarios componerent Christianæ disciplinæ, quoniam quod communi sententia ibi fuit constitutum, in illis ipsis temporum angustiis nullo pacto præstari posse cognitum est, adnitente Carolo Borromæo Cardinali, cujus ea in re egregia exstitit opera, in Sessione deinde XXV. tres delecti sunt Episcopi, qui majori otio Catechesi comparandæ operam darent. Hi autem fuere Leonardus Marinus Archiepiscopus Lancianensis, Ægidius Fuscararius Episcopus Mutinensis, ambo ii ex Dominicana Familia, &, quem industriæ plane singulari debemus Hieronymi Lagomarsinii, Mutius Calinus Archiepiscopus Jadrensis, qui postea fuit Episcopus Interamnatium. Quibus accessit alius ejusdem Dominicanæ Familiæ alumnus, Franciscus Forerius a Rege Lusitano ad idem Concilium missus Theologus. His autem omnibus præfuit Hieronymus Seripandus magni nominis Cardinalis, qui Legatus Pontificius agebat in Tridentinis Comitiis. Quo in Opere conficiendo vertens biennium illi insumpsere, a mense scilicet Februario anni MDLXII., quo celebrata fuit Sessio XXV. ad mensem Decembrem anni MDLXIII., quo tempore post duodeviginti annos absolutum Concilium fuit. Nec omnes indiscriminatim universum Opus, sed singuli, prout cuique attributa fuit, partem elucubrarunt. Quin etiam præter eos, quos commemoravimus, Patres, alios etiam eidem Operi adhibitos invenimus Theologos. Legimus enim Michaeli Medinæ quartum, Christophoro vero Sanctotisio nonum Symboli articulum pertractandum demandatum fuisse, quorum hic fuit ex Augustiniana, ille vero e Franciscana Sodalitate. Atque hi prorsus sunt, qui Catechesis construxere commentarios, eosdemque incompositos Patribus adhuc Tridenti commorantibus obtulere: qui, quoniam nimium excreverant, & rudis admodum moles videbatur, Patres rursus eosdem non Joanni, ut male opinantur quidam, sed Gabrieli Paleotto legum Doctori traditos, Romam deferendos mandarunt. Illuc continuo universi concessere, præter Seripandum Cardinalem, qui ejus ipsius anni MDLXIII. mense Martio Tridenti supremum diem obierat.

Romæ igitur quum ea de re agi cœptum esset, visum est opportunum, ut pro rei magnitudine conventus indiceretur selectissimorum virorum, in quo, adhibitis cum primis iis, qui Tridenti operam navaverant, universum Opus rite absolveretur. Ei conventui, sive, ut ajunt, Congregationi, de Pii IV. Pontificis sententia, præficiuntur duo præstantissimi Cardinales, Carolus Borromæus, & Guilelmus Sirletus. Quo maxime universam rem eo in conventu urgente, quod ad omnem posteritatem ipsi erit glorioſum, excogitatum ab eodem sapienter fuit, ut in Catechismi Opere comparando, ad ejus doctrinæ sanctitatem & præstantiam, sermonis quoque adderetur elegantia, & latinæ orationis digni-

tas, quæ veterum Romanorum Scriptorum eloquentiæ referret majeſtatem & excellentiam. Nec in eo virum ſapientiſſimum fefellit opinio. Ex iis enim, quos plurimos beatiſſima illa ætas tulit, quatuor delecti ſunt diſertiſſimi viri, qui omnis politioris doctrinæ primas facile tenebant. Scio fuiſſe pleroſque, qui latinam orationem Catecheſi præſtaviſſe unum Paulum Manutium arbitrati ſunt: eaque opinio apud pleroſque etiamnum valet, indicium fortaſſe deſumentes ex ſcriptionis candore & puritate, quam ſane multam & egregiam omnes admirantur in Manutii ſcriptis. Acceſſerat etiam, quod, quum idem Catechiſmus apud Paulum Manutium primo excuſus fuiſſet, ex eo factum eſſe videri poteſt, ut qui typorum fuerit moderator, eumdem ſcriptionis quoque fuiſſe authorem, non nemo exiſtimaverit. Id autem a vero abhorrere videtur. Conſtat enim non unum, ſed plures, id eſt, qui eſſent illis temporibus doctiſſimi, atque in latinis litteris magnos haberent progreſſus, aſſumptos fuiſſe, Silvium nempe Antonianum, Petrum Galeſinium & Julium Pogianum, qui ſinguli ſymbolam conferentes, ſeorſim deſcriberent quod cuique eſſet oblatum, ea prorſus ratione, qua delectis in Concilio Patribus inveniendæ materiæ datum negotium fuerat. Compertumque omnino habeo, Silvium Antonianum primo Catechiſmi libro, Petrum Galeſinium tertio, & Julium Pogianum quarto operam ſuam navaſſe. At ſecundum, qui reliquus eſt, inquiet aliquis, de Sacramentis librum, quum nullus illius author appareat, Paulo Manutio latine deſcribendum tributum fuiſſe, a vero non abhorrere videtur, ſi quidem verum eſt, diſertiſſimum quemque ad id delectum fuiſſe. Neque enim non modo Romæ, ubi tum Manutius morabatur, a Pio IV. primis ſui Pontificatus annis vocatus, ut ſacrorum Librorum editionibus ſuam operam navaret, ſed ne in univerſa quidem Europa, facile erat quemquam præ illo magis diſertum, & in latina eloquentia magis exercitatum reperire. Et ſtylus quidem commentarii de Sacramentis eſt latinus planeque purus, & vero etiam quandam præſefert cum Manutiana dictione ſimilitudinem: nec quidquam inibi invenies quod ab illius latina, & ornata oratione abhorreat. Nec in eo deſunt locupletiſſimi teſtes Hiacynthus Graveſonius, & Apoſtolus Zenus, qui Manutio latine reddendi Catechiſmum partes datas fuiſſe, ut rem admodum teſtatam memoriæ prodiderunt. Verum tamen quum iſti ab ea abfuerint ætate, nec idoneum proferant quemquam ejus rei authorem, uſquedum certius aliud monumentum afferatur, has conjecturas non ſatis eſſe puto, ut certo eam ſcriptionem Manutio adjudicemus. Quodque mihi rem omnem conficere videtur, nullam, quantum intelligere potui, ejus rei mentionem in ſuis latinis Epiſtolis, quas ſub idem tempus Romæ plures ſcripſit, ab eo factam legimus; nec quotquot ejus ipſius ætatis volvi authores (volvi autem plurimos) verbum ea de re ullum feciſſe reperi. Quare quartum Catechiſmi ſcriptorem Mutium Calinum advocemus oportet, eum ipſum, quem Tridenti Commentariorum materiam præſtaſſe, ſupra demonſtravimus: quod quidem ab Anonymo Firmano ab Lagomarſinio allato traditum memoriæ eſt. Verum in eo ab eodem Anonymo & Lagomarſinio etiam diſſentio, quod hi duas Catechiſmi de Symbolo fidei & de Sacramentis partes uni Calino attribuunt: ego vero unam tantum, quæ de Sacramentis eſt, concedo. Symboli enim diſciplinam a Silvio Antoniano latine redditam fuiſſe, luculenta extant monumenta, quæ miror Lagomarſinium latuiſſe: latuiſſe item quod de Petro Galeſinio prodit Antonius Poſſevinus, qui ejus ipſius fuit Sodalitatis. Hos igitur quatuor viros ad id opus delectos affirmamus: quorum munus, de ſententia Cardinalis Sirleti, fuiſſe apparet, ut ex rudi illa & incondita rerum ſilva, quam Patres in ſacro Tridentino Senatu comparaſſe, ſupra demonſtravimus, perſpicuam, &, quam fieri poſſent, nitidiſſimam eruerent præceptionem, quæ ſummam exhiberet totius Chriſtianæ Religionis. Dum autem in ſuo quiſque penſo conficiendo toti ſunt, interim vita exceſſit Pius IV. P. M. quem in Pontificatu quum excepiſſet Pius V. ei Catechiſmi libellus jam abſolutus exhibitus eſt; quem ipſe & probavit & Romæ anno MDLXVI. in Ædibus Pop. Rom. apud Paulum Manutium, duabus formis, in octavo atque in folio, ut vocant, impreſſum in vulgus edi juſſit, ſimul cum vernaculi Italiæ ſermonis interpretatione, quam Alexius Figliuccius ex Dominicana Familia publico conſilio adornaverat. Ita quinque omnino annorum ſpatium in tota ea ſcriptione inſumptum fuit; biennium quidem a Patribus Concilii in inventione & apparatu rerum & argumentorum; triennium autem in latina locutione concinnanda. Ac primo univerſos ejus Catecheſis commentarios diſtributos legi, pro more veterum Scriptorum, in quatuor libros, quos deinde partes appellarunt, poſtquam ſcilicet imperitorum ambitio nova rerum nomina, etiam ubi nihil eſſet neceſſe, commenta eſt. Singuli autem libri in capita, & ſectiones diſpertiti fuere. Marginibus autem foliorum adjectæ pleræque ſacræ Scripturæ & veterum Patrum ſententiæ, ut uberior cuique pateret rerum ſanctiſſimarum copia & facultas. Deprehenduntur etiam in poſterioribus Editionibus plurimæ variæ lectiones, quæ non nihil aliquando ſententias immutarunt. Nuper vero juſſu Clementis XIII. Pont. Max. Romæ nitidiſſimis typis editus Romanus Catechiſmus, priſtinæ ſuæ integritati & fidei fuit reſtitutus. Hæc, inquam, de origine & ratione Catechiſmi Concilii Tridentini.

CAPUT II.

De ejus partibus, diſciplinæ forma, atque præſtantia.

SED aliquid jam de ejus partibus, & de totius diſciplinæ forma, & vi delibemus. Tota Catecheſis deſcriptio in quatuor omnino libros ſive partes tributa eſt. Sed eis præcurrit brevis præfatio, quæ de paſtorum in Eccleſia authoritate & officio, deque præcipuis Chriſtianæ doctrinæ capitibus agit. At in hoc potiſſimum ab antiqua Catecheſi videtur differre is Catechiſmus, quod veteres illi a Decalogi præceptis, atque a rerum naturalium initiis auſpicabantur, propterea quod cum adultis plerumque res ipſis erat: quos a naturali ratione, ad res deinde altioris contemplationis, hoc eſt, ad myſteria traducendos ducebant. At poſterioribus temporibus, mutata diſciplinæ ratione, quum ad ſacrum fontem infantes maxime adducerentur, ſtatim ac hi aliquid cognoſcere cœperant, eos Eccleſia rudimentis fidei imbuendos cenſuit, ut quæ memoriter primo didiciſſent, majorem deinde rerum intelligentiam conſecuti, contemplatione & ratione firmiſſime tenerent: idque ex Apoſtolicarum Conſtitutionum præceptione uſuveniſſe videri poteſt. Quem librum, tametſi Doctorum virorum judicio Apoſtolis abjudicatur, nemo tamen negabit ad ultimam illam ætatem pertinere. Igitur quum univerſa inſtitutio in quatuor libros eſſet diſtributa, eorum primus poſitus eſt, qui eſt de fide & Symbolo fidei: quem commentarium latine deſcriptum demonſtravimus ab Silvio Antoniano. Fuit autem Antonianus omnibus politioribus diſciplinis, neque his vulgaribus eruditus: tantumque litteris & ingenio valuit, ut in ea Urbe, quæ tum virtuti præmia non denegabat, is Bembo & Sadoleto par dignitate fieret, qui ſcribendi laude illis non videbatur inferior. Hoc autem in eo fuit ſingulare, quod ita latine ſcribendi aſciverat ornatum, ut res ſacras e ſanctiſſimo ſapientiæ fonte deſumptas non repudiaret: ſuamque politam orationem ornamentis ſacrorum verborum aptiſſime diſtinguit. Quod præſertim videre eſt in ſuis Epiſtolis Pontificiis (fuit enim, antequam Cardinalis eſſet factus, Epiſtolarum Pontificiarum Scriptor) idque etiam præſtare conatus videtur cum in tota Symboli ſcriptione, tum ubi de primo articulo agens, quid Chriſtiana de Deo ſapientia a philoſophica rerum divinarum notitia differat, ediſſerit: „ Hic jam „ (inquit) Chriſtianæ ſapientiæ dignitatem & præ„ ſtantiam, ex eaque, quantum divinæ bonitati debea„ mus, cognoſcere licet; quibus datum eſt ſtatim ad rei „ præſtantiſſimæ maximeque expetendæ cognitionem, „ quaſi fidei gradibus aſcendere. In hoc enim multum „ inter ſe differunt Chriſtiana philoſophia & hujus ſæ„ culi ſapientia: quod hæc quidem naturalis tantum „ luminis ductu ab effectibus, & ab iis, quæ ſenſibus „ percipiuntur, paulatim progreſſa, nonniſi poſt longos „ labores, vix tandem inviſibilia Dei contemplatur, „ primamque omnium rerum cauſſam, & authorem a„ gnoſcit atque intelligit: contra vero illa humanæ „ mentis aciem ita exacuit, ut in cælum nullo labore „ penetrare poſſit, atque divino ſplendore colluſtrata, „ primum quidem æternum ipſum luminis fontem, de„ inde quæ infra ipſum poſita ſunt, intueri: ut nos „ vocatos eſſe de tenebris in admirabile lumen, quod „ eſt apud Apoſtolorum principem, cum ſumma animi „ jucunditate experiamur, & credentes exultemus læti„ tia inenarrabili. Recte igitur fideles primo ſe in „ Deum credere profitentur, cujus majeſtatem, ex Hie„ remiæ ſententia, incomprehenſibilem eſſe dicimus. „ Lucem enim, ut ait Apoſtolus, inhabitat inacceſſibi„ lem, quam nullus hominum vidit, ſed nec videre „ poteſt: quum enim ad Moſem loqueretur, non vide„ bit me, inquit, homo & vivet. Nam ut mens no„ ſtra ad Deum, quo nihil eſt ſublimius, perveniat, „ neceſſe eſt eam omnino a ſenſibus abſtractam eſſe: „ cujus rei facultatem in hac vita naturaliter non ha„ bemus. Sed quamvis hæc ita ſint, non reliquit ta-

„ men

„ men Deus, ut inquit Apoſtolus, ſemetipſum ſine te-
„ ſtimonio benefaciens, de cælo dans pluvias, & tem-
„ pora fructifera, implens cibo & lætitia corda homi-
„ num. Quæ cauſa fuit Philoſophis nihil abjectum de
„ Deo ſentiendi, & quidquid corporeum, quidquid
„ concretum & admixtum eſt, ab eo longiſſime remo-
„ vendi; cui etiam bonorum omnium perfectam vim
„ & copiam tribuerunt, ut ab eo, tanquam a perpetuo
„ quodam & inexhauſto fonte bonitatis ac benignitatis,
„ omnia ad omnes creatas res, atque naturas perfecta
„ bona dimanent: quem ſapientem, veritatis auctore-
„ rem, & amaptem, juſtum, beneficentiſſimum, &
„ aliis nominibus appellaverunt, quibus ſumma & ab-
„ ſoluta perfectio continetur: cujus immenſam & infini-
„ tam virtutem omnem complentem locum & per omnia
„ pertingentem eſſe dixerunt. Hoc ex divinis litteris lon-
„ ge melius conſtat & illuſtrius . . . . . Magna &
„ præclara hæc ſunt, quæ de Dei natura ſacrorum li-
„ brorum auctoritati conſentanea & conſequentia ex re-
„ rum effectarum inveſtigatione Philoſophi cognoverunt.
„ Quamquam in eo etiam cæleſtis doctrinæ neceſſita-
„ tem cognoſcimus, ſi animadvertamus, fidem non ſo-
„ lum hæc præſtare, quemadmodum ſupra dictum eſt,
„ ut, quæ viri tantum ſapientes longo ſtudio conſecu-
„ ti ſunt, ea rudibus quoque & imperitis hominibus
„ ſtatim pateant, atque in promptu ſint; verum ut
„ rerum notitia, quæ fidei diſciplina comparatur, mul-
„ to certior, atque ab omni errore purior in menti-
„ bus noſtris inſideat, quam ſi eas ipſas res, huma-
„ næ ſcientiæ rationibus comprehenſas animus intellige-
„ ret. Sed quanto præſtantior divini numinis cogni-
„ tio cenſenda eſt, ad quam non communiter omni-
„ bus naturæ contemplatio, ſed proprie credentibus fi-
„ dei lumen aditum patefecit "! Vide quam plena ſit religionis oratio! Quanta ſeveritas & gravitas in ſententiis! Quantum pondus in verbis! Quam nihil non hauſtum ex intima Philoſophia! Quanta eloquentiæ vis & majeſtas!

Secundus autem liber, qui de Sacramentis eſt, quemque a Mutio Calino latine fuiſſe adornatum, ſupra commemoravimus, non minorem præſefert ſanctiſſimæ doctrinæ ubertatem cum mira orationis perſpicuitate & nitore. Ita ubi ratio refertur cur Sacramenta ex Scripturis & Patrum traditione, & auctoritate Conciliorum, ſeptenario numero ſint definienda, additum porro eſt: „ Cur autem neque plura neque pauciora (Sacra-
„ menta) numerentur, ex iis etiam rebus, quæ per ſi-
„ militudinem a naturali vita ad ſpiritualem transfe-
„ runtur, probabili quadam ratione oſtendi poterit.
„ Homini enim ad vivendum, vitamque conſervan-
„ dam, & ex ſua, reique publicæ utilitate traducen-
„ dam, hæc ſeptem neceſſaria videntur, ut ſcilicet in
„ lucem edatur, augeatur, alatur, ſi in morbum inci-
„ dat ſanetur, imbecillitas virium reficiatur: deinde
„ quod ad Rempublicam attinet, ut Magiſtratus num-
„ quam deſint, quorum auctoritate & imperio rega-
„ tur: ac poſtremo legitima ſobolis propagatione ſeip-
„ ſum, & humanum genus conſervet. Quæ omnia
„ quoniam vitæ illi, qua anima Deo vivit, reſponde-
„ re ſatis apparet, ex iis facile Sacramentorum nume-
„ rus colligetur. Primus enim eſt Baptiſmus, veluti
„ ceterorum janua, quo Chriſto renaſcimur: deinde
„ confirmatio, cujus virtute fit, ut divina gratia au-
„ geamur, & roboremur: baptizatis enim jam Apo-
„ ſtolis, ut Divus Auguſtinus teſtatur, inquit Domi-
„ nus: Sedete in Civitate, donec induamini virtute ex
„ alto. Tum Euchariſtia, qua, tanquam cibo vere
„ cæleſti ſpiritus noſter alitur & ſuſtinetur: de ea enim
„ dictum eſt a Salvatore: Caro mea vere eſt cibus,
„ & Sanguis meus vere eſt potus. Sequitur quarto
„ loco pœnitentia, cujus ope ſanitas amiſſa reſtituitur,
„ poſteaquam peccati vulnera accepimus. Poſtea vero
„ extrema unctio, qua peccatorum reliquiæ tolluntur,
„ & animi virtutes recreantur: ſiquidem D. Jacobus,
„ quum de hoc Sacramento loqueretur, ita teſtatus eſt:
„ Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Sequitur ordo,
„ quo publica Sacramentorum miniſteria perpetuo in Ec-
„ cleſia exercendi, ſacraſque omnes functiones exequen-
„ di poteſtas traditur. Poſtremo additur matrimonium,
„ ut ex maris & fœminæ legitima & ſancta conjun-
„ ctione, filii ad Dei cultum, & humani generis con-
„ ſervationem procreentur, & religioſe educantur".
Eademque forma ſingula deinceps Sacramenta auctor perſequitur, nihilque ſane omittit quod ad confirmandam ſacratiſſimam doctrinam contra hæreticorum errores, & ad Chriſtianos omnes ardentiori ſtudio inflammandos erga altiſſima illa myſteria, pertineret.

Jam ad tertium librum progredimur, qui eſt de Decalogo & divinis legibus, cujuſque auctor perhibetur Petrus Galeſinius. Quantus autem in univerſa ea tractatione inſit & dictionis ſplendor & ſententiarum lumina, ex iis quæ hic exſcribemus intelligi facilius poteſt, quam ut nos verbis declarare poſſimus. Agens enim de Decalogi & legis naturæ auctore inquit: „ Inter cetera
„ autem, quæ animos hominum poſſunt ad hujus legis
„ juſſa ſervanda impellere, illud maximam vim habet,
„ Deum eſſe hujus legis authorem. Quamvis enim per
„ Angelos data eſſe dicatur, nemo tamen dubitare po-
„ teſt, ipſum Deum eſſe legis Authorem. Cujus rei
„ ſatis amplum teſtimonium præbent non ſolum ipſius
„ legislatoris verba, quæ paulo poſt explicabuntur, ſed
„ infinita pene Scripturarum loca, quæ Paſtoribus faci-
„ le occurrent. Nemo enim eſt, qui ſibi a Deo legem
„ in animo inſitam eſſe non ſentiat, qua bonum a ma-
„ lo, honeſtum a turpi, juſtum ab injuſto poſſit ſecer-
„ nere; cujus vis & ratio legis, quum ab ea, quæ
„ ſcripta eſt, diverſa non ſit, quis eſt, qui intimæ,
„ ſic ſcriptæ legis auctorem Deum negare audeat?
„ Hanc igitur divinam lucem, pene jam ex pravis mo-
„ ribus & diuturna perverſitate obſcuratam, quum Deus
„ Moſi legem dedit, eam potius illuſtriorem reddidiſ-
„ ſe, quam novam tuliſſe docendum eſt: ne forte po-
„ pulus quum audit legi Moſis derogatum eſſe, putet
„ his legibus ſe non teneri. Certiſſimum enim eſt,
„ non propterea his præceptis parendum eſſe, quod per
„ Moſen data ſunt, ſed quod omnium animis ingenita
„ & per Chriſtum Dominum explicata ſunt & confir-
„ mata". Alibi vero, hoc eſt in IV. præcepto, oſtendens non modo parentes, a quibus nati ſumus, ſed Epiſcopos etiam & Sacerdotes & Principes honorandos eſſe, qualis honor præcipue Regibus, eorumque Magiſtratibus ſit deferendus, ſic docet. „ Idem de Regibus, de
„ Principibus, de Magiſtratibus & de reliquis, quorum
„ poteſtati ſubjicimur, dicendum eſt. Iis vero, quod
„ honoris cultus, ac obſervantiæ genus tribuendum ſit,
„ Apoſtolus ad Romanos late explicat; pro quibus et-
„ iam orandum eſſe monet: Et D. Petrus ſubjecti, in-
„ quit, eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum,
„ ſive regi quaſi præcellenti; ſive ducibus tamquam a
„ Deo miſſis. Nam ſi quem eis cultum tribuimus, is
„ ad Deum refertur: habet enim venerationem homi-
„ num excellens dignitatis gradus, qui divinæ poteſta-
„ tis eſt inſtar, in quo Dei providentiam veneramur,
„ qui publici muneris procurationem iis attribuit, qui-
„ buſque utitur tamquam poteſtatis ſuæ miniſtris. Nec
„ enim hominum improbitatem aut nequitiam, ſi tales
„ ſunt magiſtratus, ſed divinam authoritatem, quæ in
„ illis eſt, reveremur: ut, quod permirum fortaſſe vi-
„ deatur, quamvis in nos ſint inimico, infenſoque ani-
„ mo, quamvis implacabiles; tamen non ſatis digna
„ cauſſa ſit, cur eos non perofficioſe obſervemus. Nam
„ & Davidis magna in Saulem officia extiterunt, quum
„ ei tamen eſſet infenſior, quod innuit illis verbis:
„ Cum iis qui oderunt pacem, eram pacificus". At ſeptimo præcepto, quo furta vetantur, ita de illis ſcribit, qui vano prætextu ſua furta & ſacrilegia excuſant.
„ Sed quia non deſunt, qui etiam ſe in furtis excuſent,
„ admonendi ſunt, fore ut nullam eorum peccati excu-
„ ſationem accipiat Deus, imo vero futurum, ut illa
„ purgatione non modo non levetur peccatum, ſed mi-
„ rum in modum augeatur. Ecce nobilium hominum
„ non ferenda deliria, qui culpam extenuare ſibi viden-
„ tur, ſi ſe affirmarint, non cupiditate aut avaritia ad
„ detrahendum alteri ſua defendere, ſed tuendæ cauſſa
„ amplitudinis familiæ, & majorum ſuorum, quorum
„ æſtimatio ac dignitas rueret, niſi rerum alienarum ac-
„ ceſſione fulciretur. Quibus pernicioſus error eripien-
„ dus eſt, ſimulque demonſtrandum, unam eſſe ratio-
„ nem conſervandi & amplificandi copias & opes, ma-
„ jorumque gloriam, ſi Dei voluntati paruerint, ſi ejus
„ præcepta ſervaverint: quibus contemptis, fundatæ &
„ optime conſtitutæ opes evertuntur: Reges ex regio ſo-
„ lio & ſummo gradu honoris præcipites exturbantur:
„ in quorum locum infimi interdum homines, & qui
„ ſummo in odio illis fuerunt, divinitus vocantur".
Quibus ex locis, ſi alia omnia deſint, perſpicuum eſt, nullius politioris humanitatis Galeſinium fuiſſe expertem: quin potius in omnibus eum rectiſſimis ſtudiis non mediocriter fuiſſe verſatum, dicendum eſt.

Sed denique ad Julium Pogianum veniamus, qui in pleriſque ſuarum Epiſtolarum locis ſeſe Catechiſmi auctorem facit: ſed ei poſtremum duntaxat librum, qui eſt de Oratione, latine deſcribendum attributum, ex aliis cognoſcimus. Ceterum illuſtris illa, & ornata, & gravis etiam ſcribendi ratio, quæ ſingulis in ſententiis inibi effulget, ubique præſtantiſſimi atque elegantiſſimi Pogiani ingenii præſefert imaginem. Et profecto fuit Julius Pogianus omnibus latinis ac græcis litteris eruditiſſimus, optimiſque diſciplinis addiderat ſingularem morum ſuavitatem: quo factum eſt, ut præ ceteris aliis Guilelmo Sirleto Cardinali ſapientiſſimo eſſet cariſſimus. Atque is poſteaquam Tridentino in Concilio

cilio notarii munere functus est, Romam accitus, scriptor Epistolarum Pontificiarum fuit designatus a Pio IV. P. M. Illud etiam facile adducor ut credam, præter quartum Catechismi librum a Pogiano integrum latine redditum, aliis etiam tribus libris, quos alii latinitate donaverant, suam insuper Pogianum addidisse manum: ut universam scriptionem quodam modo retractando, idem recineret dictionis sonus. Neque enim aliter fieri potuit, ut tanta inesset in singulis partibus styli conformatio, tantusque concentus, cujus vel acutissimus latinarum litterarum observator vix ullam animadvertere posset dissimilitudinem. Atque in eo etiam factum arbitror, ut Pogianus Sirleti ab Epistolis a nonnullis diceretur. Nam quum nusquam apud Sirletum eo munere functum fuisse appareat, eumdem in eo tantum conventu, in quo, primas Sirleto tenente, de Catechismo agebatur, scriptoris vices gessisse reor, hoc est, singula recognovisse, quæ inibi scriptis consignabantur. Sed ut specimen aliquod ejus ingenii appareat, jam insignem aliquem Catechismi locum describamus. Is igitur designans, quinam sit optimus orandi modus: „ Sed quisnam „ (inquit) est optimus orandi modus, & summus pre„ cationis gradus? Nempe is, quo pii & justi homines „ utuntur, quo freti veræ fidei stabili fundamento, qui„ busdam optimæ mentis orationisque gradibus, in il„ lum locum perveniunt, ex quo infinitam Dei poten„ tiam, immensamque benignitatem, ac sapientiam con„ templari possunt: ubi etiam in spem certissimam ve„ niunt, se, & quidquid petierint in præsentia, & il„ lam inexplicabilium bonorum vim consecuturos esse, „ quæ pollicitus est Deus, largiturum se iis, qui divi„ num auxilium pie, & ex animo implorarint. His, „ quasi duabus alis, elata in cælum anima, ardenti stu„ dio pervenit ad Deum, quem omni gratiarum, & „ laudum honore prosequitur, quod summis ab eo be„ neficiis affecta sit: tum vero singulari adhibita pie„ tate ac veneratione, quasi filius unicus carissimo pa„ renti, quid sibi sit opus, non dubitanter exponit. „ Quem precandi modum, effundendi voce exprimunt „ divinæ litteræ: inquit enim Propheta: effundo in „ conspectu ejus orationem meam, & tribulationem „ meam ante ipsum pronuncio. Quæ vox eam vim ha„ bet, ut nihil reticeat, nihil occultet; sed effundat o„ mnia is, qui ad orandum venit, fidenter confugiens „ in sinum amantissimi parentis Dei. Ad id enim nos „ doctrina cælestis illis verbis hortatur: Effundite co„ ram illo corda vestra: &, Jacta super Dominum cu„ ram tuam. Hunc autem precationis gradum signifi„ cat sanctus Augustinus, quum inquit in eo libro, qui „ inscriptus est Enchiridion: Quod fides credit, spes, „ & charitas orat. Alius est eorum gradus, qui mor„ tiferis peccatis oppressi, fide tamen ea, quæ mortua „ dicitur, nituntur sese erigere & ad Deum ascendere: „ sed propter intermortuas vires, summamque fidei „ imbecillitatem, se altius a terra tollere non possunt. „ Veruntamen sua peccata recognoscentes, & eorum „ conscientia ac dolore cruciati, humiliter ac demisse ex „ illo maxime longinquo loco pœnitentes, scelerum a Deo „ veniam & pacem implorant". Primam vero Dominicæ orationis petitionem deinceps explicaturus, cur a nominis divini sanctificatione nostra desideria exordiri oporteat, sic demonstrat. „ Quid a Deo petendum, quove „ ordine id agendum sit, Magister ipse, ac Dominus „ omnium docuit & imperavit. Nam quum studii & „ desiderii nostri nuncia sit, & interpres oratio, tum „ recte & ratione petimus, quum postulationum ordo „ sequitur ordinem rerum expetendarum. Monet autem „ nos vera caritas, totum ut animum ac studium con„ feramus in Deum: qui, quoniam solus est in se ipso „ summum bonum, jure est præcipuo quodam, ac sin„ gulari amore diligendus. Nec vero ex animo & uni„ ce potest amari Deus, nisi rebus ac naturis omnibus „ ejus honor & gloria præponatur. Bona enim & no„ stra & aliena, & omnino omnia, quæcumque boni „ vocabulo nominantur, ab illo profecta, summo ipsi „ bono cedunt. Quare ut ordine procederet oratio, „ Salvator petitionem hanc de summo bono principem, „ & caput constituit petitionum reliquarum, docens nos, „ priusquam ea, quæ nobis, aut proximo cuique opus „ sint, postulemus, quæ propria sunt Dei gloriæ, pe„ tere debere, ipsique Deo studium, & desiderium ejus „ rei nostrum exponere. Quo facto manebimus in offi„ cio charitatis, qua docemur & plus Deum, quam „ nos ipsos diligere, & primum petere, quæ Deo cu„ piamus, deinde quæ nobis optemus". Et ne plura persequar, eodem tenore singillatim res omnes tam accurate, quam magnifice ac splendide sunt inibi expositæ.

Fremant omnes licet: dicam quod sentio: nullum ad hæc usque tempora, de sacra disciplina librum in lucem prodiisse, jure affirmare posse videor, qui cum Catechismo Romano possit conferri vel doctrinæ sanctitate & gravitate sententiarum; vel delectu verborum, aut latinæ eloquentiæ dignitate: eumdemque omnium Theologicorum voluminum unum instar haberi posse existimo. Quare quod initio hujus disputationis quærebamus, qualis scilicet esse oporteret Catechista omni laude cumulatus; hunc enimvero esse Catechismum existimo, quem numeris omnibus absolutum, quem genere toto perfectissimum audeam appellare. Quocirca optimo jure Romanus est appellatus, quod non solum Romanæ Ecclesiæ sanctissimam disciplinam complecteretur; sed veterem etiam illam Reipublicæ dignitatem, & cum latina oratione Romani quoque Imperii amplitudinem & præstantiam omnem præ se ferre videatur. At etiam nonnullos fuisse intelligimus, qui quædam in eo Catechismo invenisse affirmant, quæ minus probarent. Quos quidem nihil moror, qui unius scholæ suæ decretis addicti, nullam aliam disciplinam Theologiæ probant, præter eam, quam ipsi sequuntur; nec dum suspicati sunt, quidnam esset uno brevique comprehendi volumine quæcumque ab innumeris pene Scriptoribus, tum Græcis tum Latinis prolixius litteris prodita sunt, adeo strictim, adeo eleganter, ut neque quidquam desiderari possit, quod addere necesse sit, & omnia abunde suppetant, quæ ejus excolere ingenium valeant. Sique ii tantam scriptionis præstantiam minus probant: at longe pluris facienda est Augustini Valerii Cardinalis, & Episcopi Veronensis sententia, qui gravissimo testimonio Catechismum Romanum probavit, & mirificis laudibus exornavit: cujus verba ex libro primo ad Acolythos Veronenses desumpta non pigeat referre. „ Catechismus (inquit) abhinc triennium est editus „ Pii V. Pont. Max. jussu: quem ad juvandam Rem„ publicam Christianam & restituendam veterem Ec„ clesiæ disciplinam nobis divinitus videmus datum es„ se. Opus tam præclarum, si sententiarum gravita„ tem, & lumina etiam verborum spectemus, ut nul„ lum præclarius multis ab hinc seculis editum docti „ homines judicent. Sunt enim explicata omnia, quæ „ ad instituendas animas pertinent, tanto ordine, tan„ ta perspicuitate, tantaque cum majestate, ut sancta „ mater Ecclesia, Spiritu sancto edocta, non homo quis„ piam vocem emittere, & homines docere videatur. „ Vos qui aliquantum ætate processistis, legite hunc „ Catechismum septies & plusquam septies: mirabiles „ enim fructus ex eo percipietis. Quod si in Historiis „ scriptum est, Demosthenem ut eloquentiæ laudem con„ sequeretur, octies descripsisse Thucididem, eaque ra„ tione omnes illius conciones plenas argumentis, me„ moriæ mandasse; quanto æquius est vos, qui in di„ sciplina Ecclesiæ versantes, omnia vestra studia refer„ re debetis ad gloriam Dei & ad salutem vestram, & „ aliorum, egregium librum, dictante Spiritu sancto, „ Patrum, qui in Concilio Tridentino aderant, decre„ to scriptum, & Christi Vicarii auctoritate editum, „ octies legisse diligenter, atque etiam descripsisse"? Luculentum sane & magnificum testimonium, quo profecto maxima Catechismo auctoritas tribui videtur. Par enim illi pondus, atque ipsi Concilii Tridentini Decretis impertiri a tam præstanti viro perspicuum est. Neque id injuria. Nam quum mandato, & jussu Tridentini Concilii Catechismus iste sit conscriptus, quinimmo a Patribus ipsius Concilii præcipua opera navata in eo componendo sit; profecto maximam sibi Catechismus auctoritatem merito vindicat; ut in iis quæ fidem, & mores Christianorum respiciunt, nihil contra sine nefario scelere statui posse videatur. Neque id non agnoscit ipsummet Concilium, quod eandem Catechesim Pastoribus omnibus proponit, ut ex ejus præscripto singula Sacramenta administrarent. Accedit Catholicæ Ecclesiæ consensus. Nemo enim ubique gentium Catholicorum Episcoporum fere fuit, nullum Concilium, nulla Synodus, quæ hunc Catechismum, ut orthodoxam doctrinam complectentem, non susceperit ac probarit. Nec profecto ulla fuit paulo notior in terrarum orbe lingua, in quam conversus ille non sit. Atque in eam sententiam ire visi sunt præstantiores Theologi, ut post ipsas sacras Scripturas & traditiones, ipsasque Generalium Conciliorum sanctiones principem locum eidem concedant. Quod autem universa tenet Ecclesia, id maxime & sanctitate & auctoritate apud omnes peræque Christianos pollere oportet. Quum itaque tam accurate, tam sancte, tam copiose etiam & eleganter in Romano Catechismo constitutam habeamus disciplinam; quidnam causse fuisse Catholicis plerisque non video, cur ab ea recederent, aut aliquid aliud novi molirentur. In quo dupliciter a nostris hominibus peccatum videtur, quod post Romanum Catechismum novas alias institutiones describere audent; & quotidie ex alienigenis in Italiam novas Catecheses usque adhuc invexere, futili quadam vel potius stolida opinione ducti, ut alie-

na

na magnifacerent, noſtra negligerent. Sæpe hoc mihi mirari uſuvenit, unde hoc apud noſtrates tam inſolens ſit rerum domeſticarum faſtidium. Idque vitio quodam humanitatis fieri opinor, nihil ut præclarum, niſi quod ex longinquo eſſet allatum, exiſtimare plerique ſoleant. Atque utinam tam ſtulta perſuaſio ex animis noſtrorum Italorum tandem aliquando evelleretur! Noſtri enim, ſic opinor, ſicut melius ſemper, quam ceteri, res omnes pepererunt; ita iiſdem in exornandis, cuinam primas concedere jure debeant, nuſquam reperio. Sed tamen hoc vulgo obtinere videmus, ut exterarum gentium ingenii monumenta, ſicut & merces aliæ, neſcio quid præſtantius continere nonnullis videantur, domeſtica ſordeant: qui proinde in prudentum reprehenſiones merito incurrere ſolent.

Sed his omiſſis, quotquot poſt editum Romanum Catechiſmum, aliam ſacræ Doctrinæ Inſtitutionem tradendam ſuſceperunt, ſi novam Chriſtianam Catecheſim aut melius aliquid in eo genere conari & præſtare crediderunt, ii enimvero vehementer errarunt, qui majus quid ſibi unis arrogare auſi ſunt, quam quantum in univerſis illis præſtantiſſimis viris extitiſſe cognovimus. At vere longe aliud iſtorum conſilium fuiſſe in prodendis ſuis Catechiſmis, dicendum arbitror. Nam quum intellexiſſent, inter mandata Tridentini Concilii illud etiam adnumeratum, ut idem Romanus Catechiſmus in vulgarem linguam verteretur, ac fideliter exponeretur chriſtiano populo, hoc ſibi efficiendum illi propoſuere, ut nimirum quæ ſanctiſſime ac diligentiſſime eſſent in illo pertractata, planius atque ad rudium intelligentiam accommodatius declararent: ac proinde ab illo diſciplinam omnem arripere eos conatos videmus. Hinc factum eſt, ut nemo fere ab ea, quam ille tenuit, forma rerum tractandarum diſcederet; atque hac una ratione laudem ſibi meruiſſe viſi ſunt. Quorum tamen ordinem & numerum accuratius non ita erit facile referre, tanta eorum eſt multitudo cum Italorum atque Hiſpanorum, tum maxime Gallorum. Apud hos enim nulla fere Eccleſia eſt, quæ ſuum non habeat Catechiſmum: quin ſinguli pene Epiſcopi, & Paſtores ſuam proferre Catecheſim ad hæc uſque tempora ſolemne habuerunt. Idque præſertim eveniſſe comperimus, poſtquam Janſeniſtarum & Moliniſtarum vana nomina audiri cœpta ſunt. Ut quiſque enim uni eſt ſcholæ addictus, ita ſectæ ſuæ decreta, non modo perpetuis commentariis tueri, ſed parvis quoque libellis Catecheſium in vulgus ſpargere, & vendibilia reddere adnituntur.

DE CA-

DE CATECHISMI ROMANI AUTHORITATE DISSERTATIO

FR. ANTONINI REGINALDI

ORDINIS PRÆDICATORUM

IN ACADEMIA TOLOSANA ANTECESSORIS.

MONITUM TYPOGRAPHI

Præfixum Editioni Neapolitanæ anni 1765.

PIO ET ERUDITO LECTORI.

STATIM ac in lucem prodiit ſacroſanctæ Tridentinæ Synodi decreto excogitatus, & S. Pii V. authoritate conſcriptus, & editus Catechiſmus, qui Romanus appellatur, nonnulli Theologi, qui magnum aliquid ſe jactabant, in ipſum acriter inſiluerunt, & hæreſeos nota (ut identidem adverſus omnes, qui pro ipſis non ſtant, ſoliti ſunt) illum ſacrilego auſu deturpare ſatagerunt. Sed Fr. Antoninus Reginaldus Ordinis Prædicatorum, & in Academia Toloſana Anteceſſor, & Fr. Guillelmi Courteti, qui martyrii palmam pro Chriſto Nangazachi in Japonia promeruit, diſcipulus, ad tam divini operis defenſionem ſtrenue inſurrexit aureo hoc opuſculo, quod ita relatum reperies in Catalogo Scriptorum Ord. Prædicatorum Tom. 2. pag. 663. „ Diſſertatio de Catechiſmi Ro„ mani authoritate initio ejuſdem Catechiſmi edita Toloſæ, Typis Arnaldi Colomerii 1648. „ in octavo. Hanc nervoſam, & eruditam, ut ab authore profecta eſt, æmuli quidam mu„ tilam, elumbem, & interpolatam aliis ejuſdem Catechiſmi editionibus præpoſuerunt ".

Neque hic arbitror indicatos eſſe æmulos, & adverſarios Patris Reginaldi, ſed potius nonnullos ſatis notos Catechiſmi inimicos, & quidem tum Romani, tum cujuſcumque, & a quovis Epiſcopo, vel Theologo compoſiti, præter illos a ſuis aſſeclis conſarcinatos, ſeu qui doctrinam continent novis eorum opinionibus conformem; quod tam notum eſt, ut ſupervacaneum omnino ſit, id exemplis confirmare.

Cum autem Catechiſmus Romanus ſuper cæteros *hujus generis* libros doctrina & authoritate polleret, ad eum acrius adverterunt animum, ut illum cenſoria virga adorirentur, & nequedum ceſſant illum mordere, doctrinas varias, & peregrinas proferendo alienas ab eodem Catechiſmo. Nonne in præſentia, & dum hæc ipſa ſcribo pugnaciſſime diſputatur, immo mordicus aſſeritur nullum eſſe præceptum, quod jubeat omnes noſtras actiones ad Deum dirigendas eſſe, & notiſſima B. Pauli verba: *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*: nil aliud continere, quam purum putum conſilium contra apertiſſimam mentem hujus Catechiſmi, qui pluries hanc doctrinam inculcat? En ut loquitur part. 4. cap. 13. ſect. 1. &c. pag. 329. „ Nam ut ad Deum tanquam ad ul„ timum finem referuntur homines, ſic humanæ vitæ bona ad divina eadem ratione diri„ guntur; quæ quidem ideo optanda, ac petenda ſunt, vel quod ita divinus ordo poſtulat, „ vel quod illis adjumentis ad divinorum bonorum adeptionem indigemus, ut iis adminicu„ lis propoſitum finem conſequamur, qui regno, & gloria cæleſtis patris, atque iis præce„ ptis colendis ſervandiſque continetur, quæ Dei voluntatis eſſe non ignoramus. Quare o„ mnem vim, & rationem hujus petitionis ad Deum, ejuſque gloriam referre debemus. „ Præſtabunt igitur ſuum officium Parochi fidelibus auditoribus, ut intelligant in iis peten„ dis, quæ ad uſum, ac fructum pertinent rerum terrenarum, eſſe intendendum animum, „ ac ſtudium noſtrum ad Dei præſcriptionem, nec inde ulla ex parte declinandum. Nam „ in eo quod ſcribit Apoſtolus: Quid oremus ſicut oportet, neſcimus; maxime peccatur his „ poſtulationibus terrenarum, & caducarum rerum. Ergo petenda ſunt bona hæc, ut opor„ tet, ne perperam aliquid poſtulantes, reſponſum illud a Deo feramus: Neſcitis quid pe„ tatis. Erit autem certa judicandi nota, quæ prava ſit, quæve recta petitio, conſilium, & „ propoſitum poſtulantis. Nam ſi quis terrena petit eo animo, ut illa omnino bona exiſti„ met, & in illis tanquam in optato fine conquieſcens, nihil præterea requirat, ſine dubio „ non orat, ſicut oportet. Non enim, inquit S. Auguſtinus, petimus temporalia hæc tan„ quam bona noſtra, ſed tanquam neceſſaria noſtra. Apoſtolus etiam in Epiſtola ad Corin„ thios docet, omnia, quæ ſpectant ad uſus vitæ neceſſarios, ad Dei gloriam referri opor„ tere ".

„ tere “. *Sive enim manducatis*, inquit, *ſive bibitis*, *ſive aliud quid facitis*, *omnia in gloriam Dei facite*. Hæc eadem brevius quidem, ſed non minus dilucide tractata inveniuntur in Catechiſmi præfatione num. 10. ubi ſic legitur. „ Igitur ut ſciant, quoniam veluti ad „ finem, omnia eorum conſilia, labores, & ſtudia referenda ſint, quove pacto id quod vo„ lunt facilius conſequi, & efficere poſſint, illud primum videtur eſſe, ut ſemper memine„ rint, omnem Chriſtiani hominis ſcientiam hoc capite comprehendi, &c. Si enim creden„ dum, ſive ſperandum, ſive AGENDUM ALIQUID proponatur, ita in eo SEMPER „ charitas Domini noſtri commendari debet, ut quivis perſpiciat, omnia perfectæ chriſtia„ næ virtutis opera non aliunde, quam a dilectione ortum habere, neque AD ALIUM FI„ NEM, quam ad dilectionem referenda eſſe “. Hoc unum exemplum fuſius adduxiſſe, ac pertractaſſe ſufficiat, ut manifeſte appareat eos, qui ab initio huic Catechiſmo adverſati ſunt, adhuc quoque audacter, ne quid gravius dicam, ejus doctrinam in rebus etiam magni momenti oppugnare, dum inflatis buccis, & editis libris prædicant, atque a ſuis aſſeclis vel e ſuggeſto, & ab epiſcopali throno proclamare faciunt, hæreſim eſſe manifeſtariam anathemate perculſam ab Oriente ad Occidentem opinionem illam, quæ ſuſtinet, verba B. Pauli, quæ docent omnes noſtras actiones referendas eſſe ad Deum, non conſilium, ſed præceptum continere. Nec authoritatem ſolum Catechiſmi Romani quantumvis maximam, & quæ ſuo ipſius pondere illos frangere deberet, flocci faciunt, ſed & S. Auguſtini lib. 4. cap. 3. dicentis contra Julianum: *Quicquid autem boni fit ab homine*, *& non propter hoc fit*, *propter quod fieri vera Sapientia præcipit; etſi in officio videatur bonum*, *ipſo non recto fine peccatum eſt*: & S. Thomæ idem inculcantis his gravioribus verbis: *Non quia per ſe ipſum factum*, *quod eſt nudum operire*, *peccatum eſt; ſed de tali opere non in Domino gloriari SOLUS IMPIUS negat eſſe peccatum*. Quæ ita enucleanda putavi, ut in propatulo neceſſitatem collocarem iterum typis mandandi hanc eruditam, doctamque Diſſertationem, quæ Romani Catechiſmi defenſionem complectitur, & quam iidem æmuli, qualem Author in lucem edidit, e medio tollere conati ſunt, ita ut eam reperire difficillimum mihi fuerit; nam exemplaria illius fere omnia undique collecta, igni, ut plane putandum eſt, concredita fuere. Ego vero hanc editionem exſcripſi ab editione Opuſculorum ejuſdem Reginaldi, quæ hunc titulum præferunt: *Opuſcula Fr. Antonini Reginaldi Ordinis Prædicat. in Academia Toloſana Anteceſſoris. Toloſæ. Apud Raymundum Boſc 1672. cum privilegio Regis*. Duo autem ſunt ſimul, & in uno compacta volumine, primum *De authoritate Catechiſmi Romani*, alterum *De diſtinctione ſenſus compoſiti*, *& diviſi*: de quibus Opuſculis ita diſſerit Author in Dedicatione eorumdem *ampliſſ. & eruditiſſ. DD. Rectori*, *& Anteceſſoribus illuſtriſſimi Studii generalis Toloſani*, *ipſique toti Academiæ tanquam almæ matri*: „ Quum enim, ait, frequens in „ noſtris pro cathedra diſputationibus uſus fuerit tum authoritatis Catechiſmi Romani, tum „ diſtinctionis ſenſus compoſiti, & diviſi, &c. quidam veluti contemnentes viſi ſunt deride„ re; alii vero non intelligentes conati ſunt detorquere; arbitratus ſum non indigna Opu„ ſcula, quæ veſtræ, PP. ampliſſimi, eruditioni nuncuparem, Catecheſeos illius veluti apo„ logiam, & veram, ac legitimam illius diſtinctionis intelligentiam, &c. “ Multa quo„ que de eodem argumento reperies tractata in inſigni Opere poſtumo ejuſdem Authoris, quod inſcribitur: *De mente S. Concilii Tridentini circa Gratiam ſeipſa efficacem*, impreſſum Antuerpiæ 1706. part. 2. cap. 1. & ſeqq. Hæc animadvertenda putavi, tibique, pie, & erudite Lector, ob oculos ponere, ut an operæ pretium fecerim in hac editione iteranda tute ipſe videas. Vale.

AD

ADMONITIO
AUTHORIS DISSERTATIONIS
AD
LECTOREM BENEVOLUM.

TERTIUS *ſupra vigeſimum annus agitur*, BENEVOLE LECTOR, *ex quo primum Diſſertationem iſtam de Catechiſmi Romani authoritate Toloſæ in lucem emiſi, hoc unum intuitus, ut liber ille tanta Tridentinorum Patrum cura compoſitus, non eſſet neglectui, neve tam audacter a quibuſdam recentes ſuas opiniones illius præjudicio rejectas ſentientibus contemneretur: aliquanto tempore poſt editionem aliis applicitus vix tandem ante ſexennium Toloſam redii, ac forte fortuna incidit in manus Catechiſmus iſte Lugduni editus anno 1659. apud Philippum Borde, Laurentium Arnaud, & Claudium Rigaud cum præfatione ſub nomine* Apparatus *quatuor articulis diſtincti. Legi hunc Apparatum, miratuſque ſum illius authorem, qui conſulto nomen ſubticuit ſuum, totam fere Diſſertatiunculam noſtram exſcripſiſſe, quodque pejus eſt, falſa quædam de ſuo appoſuiſſe, ac multa, quæ Catechiſmi hujus authoritatem plurimum commendabant, aut omnino fuiſſe ſuffuratum, aut enervaſſe. Nec minus obſtupui ad alterius ſcriptionem publici juris factam, in qua, licet fateatur ſummam eſſe hujus Catecheſeos authoritatem, eas tamen ſententias in ea contineri aſſerit, quæ nequidem ſint probabiles, & quas Theologi tantum non cenſura notant, aliaque plura objicit, quæ illius libri authoritatem mirum quantum imminuant. Denique neſcio quo fato contigit, ut in manus meas deveniret altera ſcriptio continens argumenta nonnullorum opera, & arte concinnata, quæ illius Catechiſmi authoritatem plane convellant. Hæc ubi pluries expendi, in eam ſuſpicionem adductus ſum, ex eadem officina prodire hæc omnia; unde amicorum ſuaſu ſecundam meæ Diſſertationis editionem adornavi, in qua plura in hujus libri commendationem addidi, & objecta omnia pro viribus diſſolvi, ne Catecheſis iſta tanto totius Eccleſiæ bono edita, quorumdam artibus in contemptum adduceretur. Sed Apparatus illius lapſus volui ante ipſam Diſſertationem tibi repræſentare, ne ſub ficto amici nomine, multa tibi ſuadeat contraria veritati: hæc igitur breviter accipe.*

Dixeram cap. 1. *meæ Diſſertationis ex Sanctotiſio Ordinis D. Auguſtini Catechiſmum fuiſſe compoſitum hoc pacto. Legati particulas Symboli, Orationis Dominicæ &c. diſtribuebant ſingulis Patribus, ac Theologis Tridentinis, ut eorum quilibet quidquid ad Catechiſmi perfectionem conducere videretur, quanta poſſet diligentia elucubraret; dixeram ipſum Sanctotiſium narrare, quod Cardinalis Seripandus Legatus ipſi dederat explicandum illum Symboli articulum,* & in unam Sanctam &c. *Author Apparatus ſic iſta repræſentat, quaſi Sanctotiſius referat, Cardinali Seripando illum articulum obtigiſſe exponendum. Hoc vero nec dicit, nec ſomniavit Sanctotiſius, nec ego, qui hoc ipſum retuli ex Sanctotiſio, vel dixi, vel cogitavi. Seripandus enim, cum eſſet Legatus, non ſibi ſumebat, quod exponeret, ſed aliis diſpertiebatur, quod explicarent: nec Seripandus expoſuit illum articulum,* & in unam Sanctam &c. *ſed illud Sanctotiſio tradidit exponendum, ut conceptis terminis refert ipſe Sanctotiſius.*

Dixeram aperte colligi ex præfatione ad opuſculum Michaelis Medinæ de quarto Symboli articulo, eumdem articulum eidem Medinæ traditum, ut ipſum exponeret. Author Apparatus affirmat, Medinam id ſibi in ea præfatione tribuere: quæ ſane longe diverſa ſunt; colligitur id quidem; ſed falſum eſt, id illum aſſerere; cum alia omnino ſint quoad verba, & methodum ab iis, quæ in præfato opuſculo continentur, & quæ habentur in Catechiſmo.

Apparatus articulo primo refert anno 1545. *inchoatum Concilium, & fere ſtatim ſubjungit,* quod fidelibus ut arma ſubminiſtrarent Patres, Parochos, qui tunc temporis erant plerique omnes tum ſcientiæ, tum religionis expertes, edocendos ſuſcipiunt, ut deinde vulgus imperitum poſſit erudiri. De ratione, & methodo divinum hoc exequendi conſilium poſtquam diligentiſſime deliberatum eſt, comperere Patres ab Hæreticis non tantum ingentia confecta eſſe volumina, quibus Catholicam fidem evertere conabantur, verum & infinitos ab iiſdem conſcriptos eſſe libellos, &c. *Quibus verbis ſatis videtur innuere in prima illa Tridentini convocatione cœptum agi de Catechiſmo ad Parochos inſtruendos: quod quantum a veritate alienum ſit, patet ex eodem authore art.* 2. *& certum eſt apud omnes. De hac enim Catecheſi nulla facta eſt mentio in prima Tridentini celebratione, hoc eſt ab anno* 1545. *uſque ad annum* 1548., *immo nec in ſecunda ab anno* 1551. *uſque ad annum* 1552. *Sed duntaxat in tertia* 1562. *cum poſt lectos in Congregatione generali reformationis articulos decimum tertium,*

& decimum nonum ab Oratoribus Chriſtianiſſimi Regis Caroli IX. cœperunt Patres de Catechiſmo deliberare. Qua vero ratione id contigerit, dicam inferius cap. 1. Diſſertationis.

Author Apparatus, ut ſignificet ad hoc opus non in ipſo Concilio, ſed extra Concilium delectos eſſe Patres ex Ordine Prædicatorum, ſic ſcribit: Dimiſſo vero Sacroſancto Concilio, quod ſupererat operis, commiſſum eſſe quibuſdam Patribus ex Ordine Fratrum Prædicatorum, non inficiamur.

Hoc tamen falſum eſſe conſtat ex omnibus authoribus, qui ea de re aliquid ſcripſerunt. Non enim dimiſſo Concilio, ſed in ipſo Concilio, & ab ipſis Patribus Tridentinis delecti ſunt tres illi ex Ordine Prædicatorum, non ut quod ſupererat operis, perficerent, *ut ait ille, ſed ut fuſius ſcripta ab ipſis Tridentinis Patribus in compendium Catechiſmo componendo idoneum redigerent. Conſtat hoc ex iiſdem authoribus Gaſpare Silingando, Ferdinando Ughello, Michaele Pio, & aliis infra in cap. 1. Diſſertationis allegandis, imo id evidentiſſime, atque invictiſſime convincitur ex decreto Tridentini ſeſſ. ult. inferius referendo.*

Addit author Apparatus: Ex eo, quod ab Eccleſia munus hoc obeundum ſuſcepere (*Patres videlicet illi ex Ordine Prædicatorum*) conſtare debet, eos vel ultro proprios, ac peculiares animi ſenſus, ſi quos habebant, exuiſſe, vel ex decreto Concilii, aut Summi Pontificis mandato ſaltem viva voce injunctum eſſe illis non ex ſuo, ſed ex Eccleſiæ ſenſu tractanda eſſe omnia; alias non ſatis prudenter actum eſſet. Quod aſſerere quantum nefas!

Sed hic author vel ignorat, vel fingit ſe neſcire, quæ geſta ſunt. Hi enim Patres delecti non ſua ſenſa ſcribebant, ſed aliorum ſcripta in epitomen redigebant, nec ſoli hoc ipſum præſtabant, ſed poſtquam quilibet ex iis, quibus deſignatus erat ſuus articulus, ſcripſerat, quæ ſibi ad illius articuli explanationem neceſſaria videbantur, eaque ſcripta manu propria conſignata Legatis Concilii exhibuerant; tum Legati ea ipſa tradebant tribus illis Patribus ex Ordine Prædicatorum, ut ipſi in compendium ea redigerent, ac mox illud ipſum compendium iidem Patres Legatis exhibebant; Legati vero hoc idem compendium cæteris Patribus diſcutiendum tradebant, quouſque omnes illud approbarent; approbatum vero tradebant Gabrieli Paleoto Epiſcopo Veſtano, vel, ut alii volunt, Aldo Manutio, ut illud nulla ſententia prorſus immutata, latinitate donaret. Cumque omnia illa Patrum ſcripta circa omnes articulos nondum eſſent in compendium redacta, quando finis Synodo fuit impoſitus, decrevit Concilium, ut tres illi Patres ex Ordine Prædicatorum Romam pergerent, & ibidem & jam peracta exhiberent Summo Pontifici, & quæ ſupererant ejuſdem Summi Pontificis judicio, & authoritate perficerent, & evulgarent: quod ipſi exactiſſime præſtiterunt. Igitur quæ illi tres Patres ſcripſerunt in Catechiſmo, cæteri fecere ſuum approbando, & ad judicium ſummi Pontificis remittendo: Non ergo neceſſarium fuit, illos tres Patres delegatos proprios, ac peculiares animi ſui ſenſus exuere; cum non authores illi eſſent, ſed ut ſic loquar, Epitomiſtæ, nec ipſi quicquam de ſuo apponerent, ſed totum ex aliorum ſententiis ſcriberent, illudque ipſum a Patribus Concilii primo ſaltem ex parte, & deinde a Summo Pontifice totum approbatum vulgarent.

Articulo ſecundo ſub finem dicit author Apparatus: Hoc opus Catechiſticum ipſi Pio V. ut primo motori totum referri acceptum.

Sed hoc profecto minus recte dictum eſt. Primus ſiquidem motor is dicitur, a quo primo incipit motus: At tantum abeſt, ut Pius V. is fuerit, a quo primo incœperit hujus operis cogitatio, vel ejus compoſitio, quin potius ab ipſo Concilio ſuggerentibus Regis Chriſtianiſſimi Oratoribus, dum adhuc Pius V. Petri Cathedram non aſcendiſſet.

Denique ſuffuratus eſt author iſtius Apparatus; primo quidem rationes omnes, quibus Catechiſmi hujus authoritatem demonſtraveram ſingulis fere meæ Diſſertationis capitibus; ſecundo quæ de laudibus trium illorum Patrum dixeram, ſicut & addita de Sirleto Cardinali, & aliis a Sancta Sede ad hoc opus reviſendum delegatis: tertio, quæ de Pii V. ac Gregorii XIII. virtutibus ſubjunxeram; quarto ſubtraxit præcipua Synodorum Provincialium verba, nominatim Toloſanæ Synodi, librum illum, Romanæ fidei Catechiſmum, *nuncupantis; quinto ſubticuit Synodi Gueſnenſis in Polonia, Tarraconenſis in Hiſpania, & Limenſis in India conſenſum: ſexto privatorum voces dimiſit, ex quibus conſtabat, quo gradu authoritatis habendus ſit Catechiſmus, & qua ratione in Seminariis recte inſtitutis prælegendus ſit, ac demum concluſionem totius operis ſubripuit, quæ tamen omnino neceſſaria erat, ne quis exiſtimaret, quidquid hoc opere continetur, eſſe de fide.*

Hæc habui, LECTOR BENEVOLE, de quibus te monerem, antequam te ad noſtræ Diſſertationis lectionem accingeres. Tuum erit judicium, quo fine illa omnia ſic ſcripſerit ille author. Quæ vero manifeſte objiciunt, infra invenies. Vale, & fave.

DIS-

DISSERTATIO
DE
CATECHISMI ROMANI
AUTHORITATE.

CAPUT I.

Qua ratione Catechiſmus Romanus fuerit tum in ipſo Concilio Tridentino cœptus, tum Romæ perfectus?

SACROSANCTA Synodus Tridentina, ut nedum præcipua earum, quæ tum temporis graſſabantur, hæreſeon capita reſecaret; verum etiam repullulantia uno velut ictu confoderet, omneſque vel minimas errorum radices ac fibras ſtirpitus evelleret, & non ſolum præſenti tunc rerum ſtatui, ſed & in futurum totius Eccleſiæ rebus proſpiceret, ac veluti commentarium decretorum ipſius Concilii quam breviſſimum ederet; noluit duntaxat doctrinam catholicam, quam hæretici variis conabantur machinis concutere, ſuis canonibus ac definitionibus confirmare; ſed inſuper doctiſſimi hujus Catechiſmi editione, cunctas, quæ in poſterum ſuccreſcere poterant, novatorum opinationes, prævertente malum providentia, etiam ante ortum præfocare; ut cum chriſtianus populus a parochis hunc Catechiſmum edoctus noſſet, quid credere, quid ſperare, quid de fidei ſacroſanctis myſteriis ſentire, qua ratione Sacramentis chriſtianæ religionis uti deberet, novorum dogmatum magiſtros non audiret, non exciperet, imo vero illos omnes tanto & tam antiquo hujus Catecheſeos præjudicio prædamnatos exploderet. Huic Patrum Tridentinorum conſilio favebant nedum veterum ſynodorum exempla, ut Nicænæ primæ, Conſtantinopolitanæ, ac aliarum, ſed & anſam præbuit Catechiſmorum tanta tamque periculoſa multitudo, quæ per totum chriſtianum Orbem magno ſane fidelium periculo circumferebatur: prodierant jam Catechiſmi Bernenſis, Genevenſis, Confeſſio Calviniana, Auguſtana, Inſtitutiones Calvini; & a viris catholicis Enchiridion Eckii, Enchiridion Colonienſe, Inſtitutio ſacerdotum Petri Soto ex Ordine Prædicatorum, Catechiſmus a Ferdinando Romanorum Rege die 14. Auguſti anni 1554. promulgatus.

Confutarunt quidam Doctores theologi peregrinas illas Catecheſes, Gaſpar Cardillus Villalpandæus Confeſſionem Auguſtanam, Franciſcus Orantius Ordinis Minorum Inſtitutiones Calvini, aliique alias erroneas lucubrationes. Verum inter alia, quæ variis in locis contigere, quidam ludimagiſter Duſſeldorpienſis Joannes Monhemius Catechiſmum ediderat hæreticum, quo plurium mentes peſſimis dogmatibus infecerat. Huic peſti graſſanti occurrerat quidem Academia Colonienſis, cura demandata Patribus Societatis, ut adverſus impium Monhemii Catechiſmum orthodoxam explicationem, & accuratam quamdam cenſuram componerent. Agebat tum Coloniæ inſignis ille Joannes Groperus, qui teſtibus Orlandino lib. 16. hiſt. Societ. n. 25., & Sacchino lib. 1. n. 105. multum juvit Societatem, & qui paulo ante Colonienſe Enchiridion, referente Poſſevino ejuſdem Societatis in Apparatu verbo *Enchiridion*, ediderat. Erant tunc etiam Coloniæ Patres Societatis Leonardus Keſſelius, Henricus Dionyſius, Franciſcus Coſterus, & Joannes Rhetius, imo & Petrus Caniſius, ut ex eodem Sacchino videtur colligi. Quis horum Patrum hanc cenſuram in Monhemium concinnarit, non conſtat. Illam ubi legit Kemnitius hæreticorum peſtilentiſſimus, ut referunt idem Sacchinus in *Laynio* lib. 7. n. 54. Didacus Payva de Andrade in epiſt. nuncupatoria, & in præf. ad lib. Orthod. explicationum, & Bellarm. tom. 1. de Verbo Dei non ſcript. lib. 4. cap. 3. ſuppetias ludimagiſtro laturus adverſus præfatos Patres ſcribit librum: ſed & ipſi ſtrenuiſſimum nacti ſunt propugnatorem ac patronum Didacum Payvam de Andrade Luſitanum ad Tridentinam Synodum a Rege Luſitaniæ miſſum theologum, fratrem ſocii ſancti Xaverii. Quamvis ergo Colonienſes huic malo pro viribus occurriſſent, tot nihilominus ubique terrarum inſtitutiones, Catecheſes, aliique ſimiles libelli paſſim in dies ſingulos oriebantur, ut in tanta Catechiſmorum multitudine, inter quos boni, malique permiſcebantur, difficillimum foret nedum ſimplici plebi, ſed etiam ipſis parochis optimum quemque ſeligere. Quare viſum eſt Patribus Tridentinis nomine totius Concilii Catechiſmum conficiendum, ne cuiquam amplius dubium ſupereſſet, quo potiſſimum libro ad chriſtiani populi eruditionem, iis, quibus hæc cura commiſſa eſt, foret utendum. Neque vero parum ad Catechiſmi componendi conſilium ineundum valuit Chriſtianiſſimi Regis Caroli noni ſtudium, & inſtantia, qua petiit a Legatis & Patribus Concilii, ut Catechiſmus diligentiſſime componeretur. Patet hoc ipſum ex articulis decimotertio, & decimonono inſtructionum, quæ ab ipſo Rege de conſilio Procerum Galliæ datæ ſunt regiis Legatis; articulo ſiquidem decimotertio ſic habetur: *De Catecheſi & Summa Doctrinæ catholicæ conſcribenda, deque poſtillis & agendis ea decernantur, quæ Cæſareæ Majeſtati viſum eſt ad hoc ſanctum referre Concilium &c.* Articulo autem decimonono ita ſcriptum eſt: *Ut omnes, præcipue literarum ignari, uſum & efficaciam Sacramentorum intelligant, præcedat ſemper ex lingua vernacula brevis & dilucida expoſitio, quæ Sacramenti, quod adminiſtratur, rationem contineat.* Oblati ſunt Legatis hi articuli die tertia Januarii 1562. ut conſtat ex epiſtola Lanſaci Oratoris Regii in Concilio ad D. de Inſula Regis Chriſtianiſſimi Oratorem apud Pontificem, quarto ejuſdem menſis & anni. Quod ſi quis illa duo capita conferat cum decreto ſacroſanctæ Synodi ſeſſ. 24. cap. 7. de Reformat. ſub finem hujus capitis referendo, profecto inveniet, duos illos articulos in unum conflatos pene iiſdem verbis a Patribus eſſe decretos. In eam igitur ſententiam de Catechiſmo nomine ac authoritate Concilii componendo, ea die cum certatim ab omnibus itum eſſet, nonnihil difficultatis in modo ac forma illius ſubortum eſt. Nonnulli ex Patribus contendebant, libellum hunc communia duntaxat & ſimplicia, omniumque captui accommodata debere complecti; alii ſublimia & abſoluta, quæque majeſtatem tanti Concilii *redolerent*, eo quod, ajebant iſti, poſt Scripturas ſacras, poſt Symbolum, poſt ſacros canones, ac traditiones liber hic primas obtineret. Tandem id conſilii cœptum, ut ſummi Pontificis Legati theologis ac Patribus in Tridentino præſentibus varias Symboli (idemque de Oratione Dominica, decalogo, & doctrina de Sacramentis cenſendum) particulas ſive ſententias diſtribuerent, in quas illorum quilibet elucubraret, quæ ad abſolutam Catechiſmi perfectionem conducere viderentur; omneſque deinde propriis nominibus ſubſcriptas lucubrationes Legatis exhiberent. Quod & factum eſſe teſtatur Chriſtophorus Sanctotiſius Ordinis Eremitarum D. Auguſtini in præfat. ad Theatrum SS. Patrum, quin etiam addit Cardinalem Seripandum Legatum ex eodem Ordine ipſi Sanctotiſio explicandum deſignaſſe illum Symboli articulum: *Et in unam ſanctam Eccleſiam catholicam*. Ex quo etiam conſtat ante diem 17. Martii 1563. qua Tridenti obiit Seripandus, hæc contigiſſe. Quartam vero ejuſdem Symboli partem Michaeli Medinæ Ordinis Fratrum Minorum obtigiſſe, aperte colligitur ex præfatione ipſius ad opuſculum de quarto illo articulo. Hoc ſenſu etiam intelligenda ſunt, quæ ſcribit Poſſevinus in Apparatu lit. I dum ait de Julio Poggiano: *Hujus auctoris ſtyli eſſe ultimum caput Romani Catechiſmi;* Et quod ibid. tradit lit. P verbo *Petrus Galeſinius: Petrum Galeſinium Catechiſmi Romani partem, præſertim quæ ad Decalogum pertinet, latine expoſuiſſe*. Et hoc ipſum eſt, quod ſcribit Caſtalio in vita Silvii Antoniani Cardinalis pag. 32. in hæc verba: *In Catechiſmo, qui ex Concilii Tridentini decreto Pii V. juſſu editus eſt, complures theologi & diſcreti viri conſcribendo elaborarunt: Antoniano Symbolum, aut certe Symboli partem obtigiſſe Lælius Paſqualinus vir graviſſimus mihi confirmavit, quod & ipſe in Adverſariis ejus reperi*. Idem teſtatur Victorellus in addit. ad Ciacconium.

Addit Sanctotiſius, ut opus, quod nimium excreverat, in breviorem formam contraheretur, & latinitatis elegantia donaretur, Legatos ea omnia, quæ Theologi ſum-

ſummo ſtudio compoſuerant, Joanni Paleoto tradidiſſe, qui poſtmodum ad Cardinalatum aſſumptus eſt. Error eſt ſine dubio typographi, vel lapſus memoriæ: nullus ſiquidem fuit in Tridentino Joannes Paleotus, qui poſtmodum inter purpuratos Patres adlectus ſit. Fuit ſane Gabriel Paleotus primus Archiepiſcopus Bononienſis, qui Romanæ Rotæ Auditor Tridentino inter Doctores legum pro ſacro Concilio interfuit, & paulo poſt Cardinalitio galero donatus eſt. Huic ergo tradebantur omnia, ut ea prius ab ipſis Legatis reviſa, & a ſelectis Patribus in breviorem formam redacta, latinitate donaret. Conſtat enim ex ipſo Concilio Seſſ. ultima, non uni duntaxat Patri, ſed pluribus curam hanc fuiſſe demandatam: cumque in ipſo Catechiſmo, non tam de rebus ad leges & canones ſpectantibus, quam de theologicis ageretur, ſane convenientiſſimum fuit Theologos ad hoc compendium abſque diſpendio conficiendum adhiberi; adhibitoſque fuiſſe Leonardum Marinum Archiepiſcopum Lancianenſem, Ægidium Fuſcararium Epiſcopum Mutinenſem, & Franciſcum Forerium a Rege Luſitaniæ ad Tridentinum miſſum Theologum, omnes ex Ordine Fratrum Prædicatorum narrant monumenta ejuſdem Ordinis, Gaſpar Silingandus lib. 2. de Epiſcopis Mutinenſibus, Michael Pius de viris illuſtribus Ord. Prædicat. Petrus Guiſanus lib. 1. Vitæ S. Caroli Borromæi cap. 8. Joſephus Ripamontius 3. p. Hiſt. Eccleſiæ Mediol. l. 2. Cardinalis Pallavicinus tom. 3. Hiſt. Concilii Tridentini lib. 18. cap. 1. n. 4. & lib. 24. cap. 13. n. 4. & alii plures. Quod etiam vel ex eo conſtat, quod contigit. Cum enim non potuiſſent hi Patres variis nimirum, & graviſſimis Concilii negotiis, congregationibus, diſputationibus, ſeſſionibus, Indici librorum prohibitorum ordinando, reformando Miſſali, ac Breviario Romano, aliiſque hujuſmodi impediti, Catechiſmum abſolvere intra tempus, quo duravit Concilium, Seſſione ultima in hæc verba decretum eſt. „ Sacroſancta Synodus in ſecunda Seſſione ſub Sanctiſ„ ſimo D. N. Pio IV. celebrata delectis quibuſdam „ Patribus commiſit, ut de variis cenſuris, ac libris „ vel ſuſpectis, vel perniciosis, quid facto opus eſſet, „ conſiderarent, atque ad ipſam ſanctam Synodum re„ ferrent: audiens nunc huic operi extremam manum „ impoſitam eſſe; nec tamen ob librorum varietatem, „ ac multitudinem diſtincte ac commode poſſit a ſancta „ Synodo dijudicari; præcipit, ut quidquid ab illis „ præſtitum eſt, Sanctiſſimo Romano Pontifici exhibea„ tur, ut ejus judicio & authoritate terminetur, & e„ vulgetur. Idemque de Catechiſmo a Patribus, qui„ bus illud mandatum fuerat, & de Miſſali, ac Bre„ viario fieri mandat “. Conſtat ergo ex hoc decreto plures fuiſſe Patres, quibus mandata fuerat provincia componendi Catechiſmi; liquet etiam ante Concilii finem, lucubrationes omnes a Tridentinis Theologis concinnatas, ex quibus in compendium redactis Catechiſmus eliciendus erat, intra novem illos aut decem menſes, prorſus abſolutas, Legatis exhibitas, a pluribus Patribus diſcuſſas, illis, quibus cura demandata fuerat conficiendi compendii & Catechiſmi, traditas, imo & ipſum Catechiſmum magna ex parte ex illis elicitum jam jamque perfectum ab ipſis Legatis, & a pleriſque Patrum fuiſſe recenſitum. Conſtat etiam, cum Synodo ob Pii IV. graviſſimum morbum citius, quam credebatur, fuiſſet finis impoſitus, non potuiſſe Patres illos ultimam Catecheſi manum adhibere, atque adeo illos Concilii mandato Romam ire compulſos, quod & præſtitiſſe compertum eſt. In eam igitur curam componendæ Catecheſeos duobus fere annis poſt Synodum ſerio incumbunt, videlicet 1564. & 1565. Urget opus Beatus Carolus Borromæus Pii IV. nepos, ut narrat Petrus Guiſanus ſupra citatus, qui etiam refert, ut infra fuſius dicturi ſumus, Sanctum hunc Cardinalem ad Regem Luſitaniæ, & ad Henricum etiam purpuratum Senatorem literas miſiſſe, quibus veniam pro Franciſco Forerio in Catechiſmi compoſitione aliquantiſper Romæ commoranti, neque in Luſitaniam poſt Concilium redeunti deprecatur. Idem eodem anno 1565. provincialem Synodum Mediolani cogit, ubi de Catechiſmo etiam nondum edito præſtituit. Illud ipſum præſtat Illuſtriſſimus D. Antonius Caraffa Archiepiſcopus Neapolitanus in Synodo Diœceſana.

Ægidius Fuſcararius laboribus & vigiliis fractus in ipſa Catechiſmi elucubratione illo ipſo anno immoritur. Hinc Catecheſeos hujus compoſitio nonnihil interturbatur: at multo magis obitu Pii IV. Summi Pontificis. In comitiis electionis Pontificiæ parum abfuit, quin ſancto Carolo Borromæo, & Michaele Gislerio Cardinali Alexandrino ex Ordine Prædicatorum adnitentibus, Guillelmus Sirletus Cardinalis ejuſdem B. Caroli olim præceptor, Summus Pontifex renunciatus fuerit. Verum Deo corda Eminentiſſimorum Eccleſiæ Senatorum dirigente, ille idem Cardinalis Alexandrinus miro quodam, atque inopinato modo per communem adorationem ad Pontificiam dignitatem evectus eſt. Is Pius V. dictus, mox ſeſe ad Chriſtianam Rempublicam ſana Chriſti doctrina, & ſanctiſſimis moribus inſtituendam exemplo in primis ſuo, ac Tridentinorum Canonum, & decretorum praxi diligentiſſime accinxit. Ac, ut de cæteris taceamus, quo ea, qua par erat, maturitate, atque prudentia Catechiſmum vulgaret, illi reviſendo ac recenſendo præfecit Eminentiſſimum Cardinalem Sirletum, utpote cujus doctrinam, prudentiam, & pietatem optime perſpectam haberet. Is vero tantus vir juſſu Pontificis varios ſecum huic operi diſcutiendo theologos adhibuit, ut narrat Victorellus in additionibus ad Ciacconium. Inter cæteros vero duos præcipui nominis F. Thomam Manriquem Sacri & Apoſtolici Palatii Magiſtrum, & F. Euſtachium Lucattellum ejuſdem Ordinis Procuratorem generalem, ipſi Pio V. a ſacris Confeſſionibus. Narrant hæc Michael Pius, & Chronicon Ord. Præd. ſupra citatum. Horum igitur, aliorumque opera tantum effecit, ut illo ipſo anno 1566. Catechiſmus ſummo Pontifici exhibitus, & ab eo approbatus ejuſdem juſſu Romæ typis Manutii prodierit nedum Latinus, ſed etiam Italicus. Nam F. Alexius Figliuccius, referente Anton. Senen. in Biblioth. Ord. Præd. vir ſanguinis nobilitate, doctrina, & religione commendatiſſimus Prædicatoriæ familiæ alumnus, eum e Latino in Italicum idioma tranſtulit. Eodem anno Gentianus Hervetus, qui & ipſe Tridentino interfuerat, vir doctiſſimus, Gallicum fecit, & annotationibus illuſtravit, ut refert ipſe Antonius Poſſevinus Soc. Jeſu in Apparatu, verbo *Gentianus Hervetus*. Quare typis mandatus eſt Pariſiis cum privilegio Regis Chriſtianiſſimi, & authoritate Michaelis Turriani Epiſcopi & Comitis Cenetenſis Apoſtolicæ Sedis apud Chriſtianiſſimum Regem Nuncii, qui Tridentino interfuerat. Eodem etiam, aut proxime ſequenti anno 1567. Petrus Caniſius Societ. Jeſu theologus eundem Germanica lingua donavit, ut ſignificat Georgius Ederus in præfat. ad partitiones Catechiſmi. In Gallia quidem illum ipſum receptum fuiſſe cura Pii V. tradit Gabutius in vita Pii V. lib. 2. cap. 4. qui lib. 1. cap. 12. refert ejuſdem ſanctiſſimi Pontificis diligentia Catecheſim hanc nedum Latine, Italice, ac Germanice, verum etiam Polonice prodiiſſe. Et hæc de modo ac ratione compoſiti Catechiſmi.

Quo vero fine Catechiſmus iſte a Tridentinis Patribus decretus, a theologis ſelectis compoſitus, a Pontifice approbatus, ac editus fuerit, non aliis, quam ipſorum verbis explicandum cenſemus. Itaque Concilium ſic decernit Seſſ. 24. cap. 7. de reformatione: „ Præcipit „ ſancta Synodus Epiſcopis omnibus, ut non ſolum cum „ hæc (SACRAMENTA) per ſe ipſos erunt populis adminiſtranda, prius illorum vim & uſum pro ſuſci„ pientium captu explicent, ſed etiam idem a ſingulis „ parochis pie prudenterque etiam lingua vernacula, ſi „ opus ſit, & commode fieri poterit, ſervari ſtudeant, „ juxta formam a ſancta Synodo in Catecheſi ſingulis „ Sacramentis præſcribendam, quam Epiſcopi in vul„ garem linguam fideliter verti, atque a parochis omni„ bus populo exponi curabunt: nec non ut inter Miſ„ ſarum ſolemnia, aut divinorum celebrationem ſacra „ eloquia, & ſalutis monita eadem vernacula lingua „ ſingulis diebus feſtis, vel ſolemnibus explanent, ea„ demque in omnium cordibus, poſtpoſitis inutilibus „ quæſtionibus, inſerere, atque eos in lege Domini eru„ dire ſtudeant “. Hæc Synodus. Pontifex vero: „ Paſtorali officio cupientes, quam diligentiſſime poſſu„ mus, divina adjuvante gratia, fungi, & ea, quæ a „ ſacro Tridentino Concilio ſtatuta & decreta fuerunt, „ exequi; curavimus, ut a delectis aliquot Theologis „ in hac alma Urbe componeretur Catechiſmus, quo „ Chriſti fideles de iis rebus, quas eos noſſe, profite„ ri, & ſervare oporteret, parochorum ſuorum diligen„ tia edocerentur “. Et ipſi auctores Catechiſmi in præfatione: „ Patres œcumenicæ Tridentinæ Synodi... „ non ſatis eſſe putarunt, graviora Catholicæ doctrinæ „ capita contra noſtri temporis hæreſes decernere, ſed „ illud præterea ſibi faciendum cenſuerunt, ut certam „ aliquam formulam, & rationem Chriſtiani populi ab „ ipſis Fidei rudimentis inſtituendi traderent, quam in „ omnibus Eccleſiis illi ſequerentur, quibus legitimi „ Paſtoris, & doctoris munus obeundum eſſet “. Ex quibus omnibus conſtat, Catechiſmum eo fine a Tridentino decretum, a Pontifice ſummo editum, a Patribus compoſitum, ut ex ejus doctrina Parochi populum Chriſtianum docerent. Hoc ipſum ex aliis tum Summorum Pontificum decretis, tum etiam Conciliorum provincialium ordinationibus infra fuſius confirmabimus.

CA-

CAPUT II.

Oſtenditur Catechiſmi authoritas, in quantum ex decreto Tridentini eſt compoſitus.

EX dictis elicitur prima ratio, qua hujus libri quanta ſit authoritas, luculentiſſime demonſtratur. Actio ſiquidem mandata, & effectus, qui ex ea conſequitur, potius mandanti tribuenda eſt, quam mandatario, ut jus Cæſareum, ac Pontificiæ ſanctiones decernunt, *Reg. 73. de Reg. juris in 6.* quæ deſumpta eſt ex *l. Quod juſſu ff. eod. tit.* & *l. Qui mandat. ff. de ſolut.* Præſertim ſi mandatarius leges, formam, finemque mandati non eſt tranſgreſſus, *cap. 1. de procur.* Quod uſque adeo verum eſt, ut fere ubicumque pœna aliqua contra facientem decernitur, in mandantem omnino ſimilis præſcribatur. *L. 1. §. Quoties ff. de vi & vi armata.* Et *cap. Quicumque de ſentent. excomm. in 6.* Et ratio philoſophica ſuffragatur. Nam actio & effectus cauſæ principali potius, quam organicæ adſcribendus eſt. Mandans vero ſe habet adinſtar agentis præcipui, & mandatarius inſtrumentum eſt, licet animatum & liberum. Enimvero Catechiſmus iſte a Patribus illis mandante Concilio Tridentino compoſitus eſt, ut patet ex ipſis decretis ſanctiſſimæ Synodi *Seſſ. 24. cap. 7. de Reform.* & *Seſſ. ult. in continuatione Seſſ. die 4. Decemb. tit. de Ind. libr. prohib. &c.* Idemque teſtantur nedum ipſe titulus Catechiſmi, & præfatio §. *quamobrem*, & authores privati, quorum verba inferius ſubjiciemus; verum etiam Concilia provincialia approbata, præſertim Rhemenſe, imo & ipſi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. in variis diplomatis, quæ in ſequentibus referemus. Igitur Catechiſmus iſte non tam illis Patribus, qui eum concinnarunt, tribuendus eſt, quam ipſi œcumenicæ Synodo Tridentinæ, præſertim cum plerique Patrum ac Theologorum Tridentinorum ſuam in libro illo componendo navarint operam, ut ex Sanctotiſio capite præcedenti retulimus. Quod & ipſi Concilii Antiſtites ſuo decreto teſtantur, *Seſſ. 24. cap. 7. de reform.* dum, quod in hac Catecheſi continetur, ab ipſa Synodo præſcribendum dicunt. Præcipiens enim Concilium Epiſcopis omnibus, ut dum ipſi Sacramenta ſunt adminiſtraturi, eorum vim & uſum pro ſuſcipientium captu explicent, mox ſubjungit: *Ut & idem ſervari ſtudeant a Parochis juxta formam a ſancta Synodo in Catecheſi ſingulis Sacramentis præſcribendam.* Viden hic, ut formam edocendi populum vim ac uſum Sacramentorum in Catechiſmo explicandam ſibi ipſi ſancta Synodus attribuat, non vero authoribus, qui illum compoſuere. Quare & conſulto prædicti Patres nomina ſua non inſcripſerunt, quod nequaquam eos commiſſuros ſuadet, cum propria ipſorum pietas, ac religioſa in canones hujus Concilii hoc ipſum prohibentis obſervantia, tum ipſa ſummorum Pontificum authoritas, qui numquam paſſi fuiſſent hunc librum ſine authoris nomine, imo ſub nomine Concilii Tridentini ac ſuo evulgari, niſi vere illud hujus Synodi, ac ſuum, hoc eſt, totius Eccleſiæ opus eſſe certiſſime crederent, ac fidelibus omnibus ſerio perſuadere voluiſſent.

Quapropter non ſolum a vulgo Catechiſmus Concilii Tridentini nuncupatur; verum etiam a Doctoribus infra citandis, &, quod præcipuum eſt, a Conciliis provincialibus authoritate Apoſtolica confirmatis, ut Ravennate, Salisburgenſi, Burdigalenſi utroque, Turonenſi, Toloſano, & a Clero totius Galliæ Meloduni congregato, quorum omnium verba poſtmodum fuſius explicaturi ſumus. Itaque ſi error aliquis (quod abſit) ſi quidpiam fidei, religioni, pietati, boniſque moribus minus conſentaneum, ſi omnia non certa hujuſcemodi opere continerentur, id totum in Tridentinæ Synodi opprobrium redundaret, nedum ea ratione, qua in deligendis viris ad tam neceſſarium, tamque inſigne opus idoneis, minus prudenter, quam par fuerat, ſe habuiſſet; verum etiam, quia illud Fidei enchiridion, quod Tridentina Synodus ut proprium agnovit fœtum, quod eo nomine Catholica proponit Eccleſia, quod & provinciales Synodi, imo & omnes totius Orbis chriſtiani provinciæ jubente Summo Pontifice tamquam legitimum exceperunt, non Fidei aut vitæ chriſtianæ, ſed errorum & pravitatum enchiridion dici deberet. Sin verum ſacroſanctum Concilium Tridentinum Spiritu Sancto, qui veritatis eſt Spiritus, ut dicitur Joan. cap. 17. authore, ut credere par eſt, hunc Catechiſmum componi mandavit, ſi Patres ſapientiſſimos æque ac piiſſimos ad hoc delegit ejuſdem divini Spiritus afflatu, ſi eodem ſacri Pneumatis impulſu modum illis, formamque ipſius componendi præſcripſit, ut abſolutum opus ſanctiſſimo Romano Pontifici exhiberent, quo ejus judicio, atque authoritate in lucem prodiret: ſi hæc, inquam, omnia Chriſti Spiritus, quo totum corpus Eccleſiæ præſertim in Concilio congregatum illuminatur & regitur, ſanctiſſimis illis Synodi Patribus ſuggeſſit, ſi & fere omnes, qui Concilio aderant, theologi res in eo explicandas ſcripſere, ſi eadem juxta præſcriptum Synodi obſervata ſunt, quis non videat, tanti eſſe momenti hoc opus, ut qui doctrinæ, quam continet, adverſari probabitur, ſuſpectus merito habeatur, eo quod Tridentinæ Synodi authoritatem, a qua ſuam hic mutuatur, ſive potius, quæ eadem in ipſo reſidet, contemnere videatur? Non quod tam ſimus tyrones ac rudes in rebus hujuſcemodi, ut velimus, omnes exiſtiment, Catechiſmum hunc ejuſdem eſſe fidei cum Tridentinis canonibus. Abſit. Quantæ autem debeat eſſe authoritatis, infra diſcutiemus. Novimus, quam diverſa ſit ratio: nolumus, quod ejuſdem ſit roboris, ſed proximi, ut poſt Tridentinos canones, aliorumque Conciliorum decreta, poſt Summorum Pontificum definitiones, poſt Scripturam, receptaſque traditiones, ſi quid ſanctum, ſi quid omni obſervantia ſuſcipiendum, ſi quidpiam ad nuperæ cujuſdam doctrinæ diſcuſſionem & examen aſſumendum ſit, nulla ſit aptior regula, nulla certior, nulla, quam quæ hoc Catechiſmo continetur, convenientior. Hoc volumus, hoc contendimus, hoc Catechiſmus ipſe, ſicut & cætera omnia, quæ hucuſque diximus, ſibi propoſitum eſſe teſtatur, his verbis, quæ præfatione continentur. „ Qui „ fidelium mentes corrumpere ſibi propoſuerunt, cum „ fieri nullo modo poſſe intelligerent, ut cum omnibus „ coram colloquerentur, & in eorum aures venenatas „ voces infunderent, idem alia ratione aggreſſi, multo „ facilius ac latius impietatis errores diſſeminarunt. „ Nam præter illa ingentia volumina, quibus Catholicam Fidem evertere conati ſunt, a quibus tamen ca„ vere, cum apertam hæreſim continerent, non magni „ fortaſſe laboris ac diligentiæ fuit, infinitos etiam li„ bellos conſcripſerunt, qui, cum pietatis ſpeciem præ „ ſe ferrent, incredibile eſt, quam facile incautos ſim„ plicium animos deceperint. Quamobrem Patres œcu„ menicæ Tridentinæ Synodi, cum tanto & tam per„ nicioſo huic malo ſalutarem aliquam medicinam ad„ hibere maxime cuperent, non ſatis eſſe putarunt, „ graviora Catholicæ doctrinæ capita contra noſtri tem„ poris hæreſes decernere, ſed illud præterea ſibi facien„ dum cenſuerunt, ut certam aliquam formulam & ra„ tionem Chriſtiani populi ab ipſis Fidei rudimentis „ inſtituendi traderent, quam in omnibus Eccleſiis illi „ ſequerentur, quibus legitimi paſtoris, ac doctoris mu„ nus obeundum eſſet. Multi quidem adhuc in hoc ſcri„ ptionis genere magna cum pietatis & doctrinæ laude „ verſati ſunt: ſed tamen Patribus viſum eſt, maxime „ referre, ſi liber ſanctæ Synodi authoritate ederetur, „ ex quo parochi vel omnes alii, quibus docendi mu„ nus impoſitum eſt, certa præcepta petere, atque de„ promere ad fidelium ædificationem poſſint, ut quem„ admodum unus eſt Dominus, una Fides: ita etiam „ una ſit tradendæ Fidei, ad omniaque pietatis officia „ populum Chriſtianum erudiendi communis regula at„ que præſcriptio. Ergo, cum multa ſint, quæ ad „ hanc rationem pertinere videantur, nemo exiſtimet, „ illud ſanctæ Synodo propoſitum fuiſſe, ut omnia „ Chriſtianæ Fidei dogmata uno libro comprehenſa ſub„ tiliter explicarentur, quod ab iis fieri ſolet, qui ſe „ profitentur univerſæ religionis inſtitutionem & doctri„ nam tradere: id enim & infiniti pene operis fuiſſet, „ & inſtituto minus convenire perſpicuum eſt". Quibus verbis omnia fere, quæ hucuſque diximus, ſatis ſuperque ſignificantur; occaſio videlicet componendi Catechiſmi ex illa propemodum infinita Catecheſeon bonarum malarumque multitudine; authoritas ex ſacroſancta Tridentini Concilii authoritate derivans; finis, ut hoc enchiridio parochi omnes fideles ea, quæ ad Fidem ac mores Chriſtiano dignos homine ſpectant, valeant edocere: ac denique modus, ut nimirum ſubtilioribus ad ſcholas quæſtionibus relegatis, in iis eos erudiant, quæ ipſos ſcire atque præſtare convenit. Atque hinc conſtat, quantæ ſit Catechiſmus iſte authoritatis, cum liber hic ſanctæ Synodi Tridentinæ authoritate ſit editus. Sane ſi reſponſa prudentum, quibus a Principe de jure reſpondendi facultas data eſt, pleniſſimam authoritatem ſortiuntur, perinde ac ſi ab ipſis Principibus conſtituta fuiſſent, §. *6. Sed neque in conſt. de concept. digeſt.* & §. *Reſponſa prudentum inſt. de jure nat. Gent. & Civ.* quanto magis firmiſſimum robur obtinebit is liber ab iis compoſitus, quibus nedum facta facultas, verum etiam injecta neceſſitas per mandatum? Quando Senatus vices ſuas ſelectis quibuſdam Senatoribus prudentia & integritate diuturna conſpicuis in aliquo munere obeundo, præſcripta etiam procedendi formula, committit, illorum acta tamquam totius Senatus nomine rata ſunt, & inconcuſſæ authoritatis, maxime vero ſi Principis aut Regis accedat judicium: tunc enim eodem fere vigore, eademque firmitate gaudent, ac ſi Senatus

ipſe illa omnia peregiſſet. Quidni liber iſte, cujus componendi ampliſſimus Tridentinorum Præſulum Senatus tribus lectiſſimis Patribus curam mandavit, eumdemque, mox compoſitum, Principis Eccleſiæ judicio atque ſententia confirmari voluit, quod & factum eſt, pleniſſima pollebit authoritate, ejuſdemque propemodum roboris ac momenti cenſebitur, ac ſi totius Synodi opera prodiiſſet? Quamvis enim ille in ipſo Concilio fuiſſet compoſitus, non tamen omnes Patres illi componendo navaſſent operam, cum nec ipſos canones omnes elucubrarint, ſed juxta vota Patrum in iis concinnandis in ſexta quidem Seſſione Cardinalis Marcellus Cervinus Legatus, imo ſi Poſſevino in Apparatu verbo, *Cornelius Muſſus*, credimus, Cornelius Muſſus Epiſcopus Bituntinus, Ordinis Minorum, non ſine ſpeciali Spiritus ſancti operatione, ut idem ait, in aliis vero ſeſſionibus alii doctiſſimi Patres incubuerint. An propterea minoris authoritatis habendi? Nequaquam profecto; quia quamvis ab aliquibus digeſti, a ceteris tamen, & a Summo Pontifice approbati ſunt. Eodem fere pacto doctrina Catechiſmo contenta, a tribus quidem ad mentem aliorum explicata & ordinata eſt, ſed a pluribus aliis recenſita, & a ſupremo Eccleſiæ capite, cujus juſſu Catecheſis illa prodiit, approbata fuit. Quidni ergo aſſeramus poſt Scripturam, Traditiones, Pontificum & Conciliorum Sanctiones, & Tridentinos Canones, nihil firmioris eſſe authoritatis, nihil certioris adverſus novellam doctrinam præjudicii, nihil cum Tridentinis definitionibus magis conſonum, quam quæ Catechiſmus iſte complectitur?

CAPUT III.

Probatur ſecundo Catechiſmi Romani ſumma authoritas ex illorum dotibus, qui eum ediderunt.

QUamvis hoc ex ſuperabundanti ſit, poſt dicta capite præcedenti; nonnihil tamen confert ad Catechiſmi authoritatem penitus inſpiciendam, & ad dignoſcendum, quanto cum judicio Tridentini Patres hujus Catecheſeos authores ad hoc ipſum opus ſuo nomine componendum delegerint.

Quare non ut omnino neceſſaria hæc accipienda ſunt, quæ de ſapientia, pietate, aliiſque illorum dotibus prolaturi ſumus, tum quia, ut jam exploratum cuique relictum eſt, non ex illis ſua conſtat Catechiſmo authoritas, ſed ex Tridentina Synodo; non ex privata hujus vel alterius doctrina, vel moribus, ſed ex ipſa duntaxat Eccleſia, quæ ſancta eſt, columna & firmamentum veritatis: tum etiam, quia licet viri iſti clariſſimi non tot tantiſque omnium fere ſcientiarum ac virtutum præſidiis, priuſquam ad hoc munus deligerentur, inſtructi fuiſſent: nihilominus par erat, ut ipſe Spiritus Sanctus ad hoc opus hos aſſumens eas illis dotes impertiretur, tantum luminis mentibus ipſorum infunderet, eoſque pietatis affectus inſereret animis, quos deinceps hoc libro diſſeminare, ac ipſis legentium inſertare cordibus poſſent.

Nota eſt & trita infallibilis illa regula, ad quam Beatiſſimæ Virginis, Apoſtolorum, imo & ipſius Chriſti Domini gratia, aliaque ſupernaturalia dona, quanta ſint, dijudicamus, Spiritum Sanctum videlicet, dum quempiam rudem licet ac inexpertum ad aliquod munus eligit, ſolitum eas illi virtutes, eamque ſapientiæ ac pietatis menſuram impertiri, quibus poſſit ille huic muneri obeundo par eſſe. Hos autem Patres a Spiritu Sancto ad iſtam Catecheſeos hujus conficiundæ curam delectos quis ambigat? Quid, quæſo, certius divinæ ad aliquid electionis argumentum, quam cum a tota aliqua Synodo in Spiritu Sancto legitime congregata onus imponitur? Hieronymus juſſu Damaſi vetus Teſtamentum ex Hebræo majori ex parte tranſtulit: novum Græcæ fidei reddidit: ex quo factum eſt, ut cum ſemper in Eccleſia vulgata hæc, ſive Hieronymiana editio magno fuerit in pretio habita, tum maxime a tempore Tridentini Concilii, quo decernente indubitatam fidem facit, ut Spiritus Sanctus Hieronymo aſtitiſſe credendus ſit, ex eo, quod juſſu Pontificis illi operi incubuerit. Quidni ergo credemus idem Sanctiſſimum numen, non quidem eodem modo, (neque enim hoc contendimus) ſed juxta menſuram neceſſitatis ipſius operis, iſtis Patribus adfuiſſe, ut demandatum ſibi a Tridentina Synodo munus exequerentur? Itaque quamvis hæc ita ſe habeant, non inutile tamen fore cenſemus, ſi quid de illorum Patrum laudibus delibemus. Et quidem ſi de omnibus, qui ad hoc opus ſuas operas contulerunt, agendum foret, omnium fere Tridentinorum Patrum ac Theologorum laudes perſequi cogeremur, quod infiniti propemodum foret negotii: ut enim ex capite primo colligere eſt, opus hoc adeo ſuis omnibus numeris abſolutum non ea ratione tribus illis ex Ordine Prædicatorum Patribus tribuendum eſt, ut nullas omnino partes in illo cæteri Patres, ac Theologi Tridentini habeant. Habent ſane nec minimas. Nam & ipſi Legati Pontificis in diſtribuendis illis Symboli ac doctrinæ Chriſtianæ particulis, quæ cuique ex ipſis Theologis juxta conceſſa ipſis a Patre luminum talenta magis convenirent, prudentiſſime attenderunt, opus urſerunt, illi recenſendo tum per ſeipſos, tum per alios incubuerunt.

Erant hi Cardinales Gonzaga, Seripandus, Moronus, Hoſius, Simoneta, Syticus, Navagerius, viri prudentiſſimi ac ſapientiſſimi, quorum laudes, qui noſſe cupit, conſulat Ferdinandum Ughellum in Italia Sacra, Victorellum in additionibus ad Ciacconium. Ex Theologis quilibet, quibus illæ particulæ diſtributæ ſunt, diligentem navavit operam, ut de Michaele Medina, Julio Poggiano, Chriſtophoro Sanctotiſio, Petro Galeſinio, Sylvio Antoniano, Gabriele Paleoto, Achille Statio ſuperius diximus; atque id ipſum de aliis indubitanter aſſerendum eſt. Qui autem, quanti, qualeſve fuerint, quanta pietate, quanta doctrina clariſſimi, quis paucis dixerit? Quin & ipſos Legatos, alioſque Patres ſapientiſſimos jam tum in ipſo Concilio recenſuiſſe, quæ Leonardus Marinus, Ægidius Fuſcararius, & Franciſcus Forerius ex illorum Theologorum ſcriptis in breviorem formam contraxerant, extra omne dubium videtur; cum Catechiſmus ante finem Concilii pene perfectus & abſolutus foret. Enimvero ſingulorum laudes proſequi, infiniti eſſet operis, cum ne omnium quidem Theologorum, qui Catechiſmo concinnando ſuas operas commodarunt, nomina noverimus. Hoc unum duntaxat in omnium illorum laudem dicendum, ſi quid doctrinæ, ſi quid pietatis, ſi quid prudentiæ in Eccleſia reperire tunc fuit, totum hoc ad Tridentinum Concilium conveniſſe; ſi qui vero in ipſo Concilio eruditionis, virtutis, ac ſapientiæ laude præcellentes extitere Theologi ac Patres, doctiſſimos, piiſſimos, & ſapientiſſimos huic tanti momenti operi elaborando nomine totius Concilii diligentiſſime incubuiſſe.

Jam vero de tribus illis, qui cæterorum lucubrationes compendi fecerunt, pauca. Sed priuſquam ad ſingulorum laudes proprias deſcendamus, quædam communia libet annotare.

Erant hi Patres, ut ſupra diximus, Leonardus Marinus Archiepiſcopus Lancianenſis, Ægidius Fuſcararius Epiſcopus Mutinenſis, & Franciſcus Forerius Theologus Luſitanus viri doctiſſimi, qui probe noverant, quænam eſſet mens totius Concilii, & qui omnia Concilii acta dubio procul ſumma diligentia perlegerant, ut ex illis, quid ſentiendum, quidve in Catecheſi ſcribendum foret juxta ſenſum ſanctæ Synodi facilius aſſequerentur. Viri piiſſimi, qui profecto conſcientiæ duxiſſent, cognitam Tridentini mentem vel tantillum adulterare aut ſubticere.

Doctrina ergo & rerum in Tridentino geſtarum notitia, ne ex ignorantia, pietas, ne ex malitia vel deliberate peccarent, eos impediebat. Ad hæc duo ex illis Epiſcopi, proindeque extra ſui Ordinis diſciplinam, ne Superiorum metu ac reverentia eos aliquid ſcripſiſſe, quiſpiam calumniaretur. Quot vidimus & ſuperioribus ſæculis legimus, qui, dum intra Ordinem Prædicatorum degerent, Sancti Thomæ doctrinam ſaltem ſpecie tenus amplecterentur; at ubi extra Ordinis juriſdictionem fuere, aliquid ipſi ex proprio genio ſibi ſapere voluerunt? Quam ſapienter, ipſi viderint. Ipſe Cajetanus a priſtina ſua conſuetudine ſequendi D. Thomam, ubi Cardinalitio galero donatus eſt, nonnihil, minus tamen feliciter, deflexit: ut hinc appareat, prædictos Patres, ſiquid doctrinæ Doctoris Angelici conſentiens (ut nihil non ſcripſerunt) in Catechiſmo ediderint, id ſolius veritatis ſtudio, non Ordinis ſui intuitu conſcripſiſſe. Non eſt ergo cur partibus addictos aliquis ſuſpicetur, tum ob jam dictam rationem, quæ tanto amplius urget in iis controverſiis, quæ nondum exortæ fuerant, in quibus maxime hujus Catecheſeos authoritate nitimur: tum etiam quia ut Cæſareo ac Pontificio jure cautum eſt, *qui juſſu judicis aliquid facit, non cenſetur dolo malo facere, quia parere neceſſe habet. Reg. 24. de reg. juris in 6. & l. non videtur §. qui juſſu. ff. eod. tit.* Enimvero Patres iſti decreto œcumenicæ Synodi, ac Summi Pontificis juſſo opus iſtud ex elaboratiſſimis præcipuorum Tridentini Theologorum lucubrationibus elicuerunt. Perperam ergo quaſi dolo malo, & partium ſtudio id egerint, ſine dubio accuſantur.

Eſt præterea non negligenter advertendum, quanta prudentia tres iſti Patres ſimul ad hoc delecti fuerint, ne qua eis deeſſe ad tantum opus virtus neceſſaria videretur. Leonardus Marinus ſapientia, & rerum moralium inſigni notitia eminebat. Ægidius Fuſcararius ſcholaſtica doctrina, & Patrum, maxime Auguſtini multa

lectio-

lectione præcellens erat. Franciscus Forerius sacræ Scripturæ, linguarumque Græcæ atque Hebraicæ peritia præstabat, ut quod singulis deesse videbatur tam utili operi perficiundo necessarium, ab iis simul junctis possessum in hanc Catechesin veluti compendio conferretur. Jam nonnulla de singulis.

De Leonardo Marino pauca subjicio non meis, sed illustrium auctorum verbis. Primus occurrit Ubertus Folieta in elogiis clarorum Ligurum pag. 199. Cum enim prius dixisset rarissime doctrinam elevatissimam cum summa rerum agendarum peritia conjungi, subdit: „ Est hac nostra ætate Leonardi Marini felix, versatique ingenium, qui cum mira cælestium & divinarum rerum cognitione naturalem quoque prudentiam ac consilium, rerumque civilium usum & intelligentiam conjunxit eximia eloquentiæ gloria, egregias laudes cumulante: Nemo enim sacram doctrinam aut in scholis doctius interpretatus est, aut copiosius in concionibus explanavit, nemoque in animis ad virtutem inflammandis, & a vitiis revocandis acrior aut vehementior, aut ornatior fuit “. Item cum e cœnobio, & e schola ad Episcopatum revocatus ad publicas res tractandas animum convertit, is extitit, ejusque ingenium & consilium sic enituerunt, ut nemo magis multam, pluribusque locis, aut majori cum approbatione reipublicæ, aut maximis cum Principibus operam navarit, cum in vario genere reipublicæ administrandæ, tum vero in legationibus de maximis semper rebus obeundis: Nam apud Carolum Cæsarem, ac Philippum Regem filium difficillimis temporibus multos annos magna cum laude Pontificius Nuncius fuit, Regi ita acceptus & probatus, ut ampliori Lanciani Archiepiscopatu honestatus sit. Ad hoc a sacro Tridentino Concilio, in quod ipsos omnis doctrinæ & sapientiæ antistites ex tota Europa convenisse vidimus, dignus habitus est, qui de maximis maximeque arduis Christianæ Ecclesiæ negotiis ad summum Pontificem mitteretur; itaque ipse omnia, quæ fuerunt ejus muneris, executus est, ut tam excellentibus de se factis judiciis abunde respondisse sit existimatus. Neque vero illud exiguum munus fuit, cum Catechismo Christianæ disciplinæ componendo, una cum gravissimis & doctissimis collegis præfectus est. Adeo in nullas non partes præstans ingenium valuit. Præterea a Pontifice in controversia de gravissima re ad Ferdinandum (lege *Maximilianum*) Cæsarem missus, eam moderationem adhibuit, ut propositi pertinaciter renitentem principem flexerit, & a sententia animo penitus insidente deduxerit, magnorumque instantium dissidiorum ac magnarum offensionum causas præciderit, summasque difficultates magna ab utroque principe inita gratia expedierit. Jam vero a Pio quinto pestiferæ doctrinæ lue in Subalpina provincia serpente ad Episcopatum Albensem translatus est, ut piorum dogmatum oppugnatoribus acer veritatis propugnator opponeretur. Postremo a Gregorio decimo-tertio Pontifice maximo & sapientissimo de summa republica, ac de fœdere, & expeditione in Turcas legatus est: quod munus ita implevit, itaque hominum opinioni respondit, ut Romam reversus, & legatione vix renunciata legatus ad Cæsarem destinatus ex humanis excesserit.

Ferdinandus Ughellus Ordinis Cistercienſis in Italia Sacra inter Episcopos Albenses n. 46. fol. 416. hæc de Leonardo Marino scribit. „ Hic Genua oriundus in insula Chio maris Ægæi anno Christi 1509. Baptista ex familia Marchionum Casalis majoris & Castellinovi ad Scriviam in Mediolanensi ducatu stirpis vetustissimæ Castaneæ, quæ præterito sæculo Urbanum septimum Pontificem procreavit, patre natus, ab ineunte ætate in Prædicatorum Ordine accitus, in eo literis, eruditione, prudentia, ac pietate excelluit ad miraculum; in eoque per omnes fere gradus pervenit. Paulus tertius illum Perusini Episcopi cum spe futuræ successionis coadjutorem destinarat. Insecuta promotoris morte a Julio tertio successore Laodicensi titulari sacerdotio die quinta Martii 1550. non solum ornatus, sed etiam Consiliarius fuit constitutus. Verum Hercules Cardinalis Gonzaga Mantuani ducatus pro Guillelmo nepote puero præfectus, a Julio obtinuit, ut Marinus in ducatu, & Ecclesia Mantuana suffraganeus & director concederetur. Duobus omnino annis eam sustinuit provinciam summa sui nominis laudatione revocatus, Mantuana pro se suisque gentilibus perpetua civitate donatus. Vix Urbem attigerat, cum Julius eum Apostolicæ sedis Nuncium in Hispaniæ regno ampla cum potestate ad Carolum quintum Imperatorem declaravit; in locum Joannis Cardinalis Poggii Philippum Regem Caroli filium ad Mariam Reginam matrimonio sibi junctam transfretantem benedixit: & immunitatem Ecclesiasticam in Hispaniæ regnis periclitantem adversus regios Consiliarios eximie sustinuit; prælatos, capitulave inter se dissidentes sua auctoritate composuit, fecitque, ut decreta nuper sub Paulo, & Julio tertio in Concilio Tridentino sancita, illibata servarentur. Marcellus secundus, qui Julio successit, publice Marini prudentia laudata eo in munere confirmavit, & ad ipsum literas destinavit, sed morte præventus, pro ipso sacrum Cardinalium Collegium sequentes direxit, quæ dignæ visæ sunt, ut verbatim hic recitentur, ex originali, quod extat, laudes & merita commemorantes in hunc modum “.

Nat. Alex. Suppl. P. I.

Reverendo tamquam Fratri nobis in Christo dilecto Leonardo Episcopo Laodicensi in regnis Hispaniarum Apostolicæ Sedis Nuncio.

„ Miseratione Divina Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, S. R. E. Cardinales Reverendo tamquam fratri nobis in Christo dilecto, salutem in Domino sempiternam. Ex fraternitatis tuæ ad felicis recordationis Julium III. Pontificem maximum, & ad R. D. Cardinalem S. Vitalis collegam & fratrem nostrum charissimum literis cognovimus pia tua & optima officia, quæ istic apud Serenissimam Principissam, & Consilium Regium contra eas controversias præstitisti, quæ inter Prælatos versantur & Capitula; quantaque dexteritate, & prudentia ea semper procurasti, quæ sanctæ Sedis Apostolicæ usui ac dignitati esse possint; jamque Marcellus II. quem misericors Deus nobis Patrem sanctissimum gregi suo pastorem tanto omnium consensu & lætitia dederat, literas ad fraternitatem tuam præscribi mandaverat, quibus, quam id sibi gratum esset, ostenderet, quantumque ut in eo pergeres, desideraret, cum subito inopinata morte nobis est ereptus; quam sane mortem nemo est, qui non debeat maxime lugere, ejusmodi erat illius publicæ utilitatis atque humanæ salutis non desiderium modo, sed ad eam procurandam sapientia, & virtus: Nos tamen, cum voluntas Dei in optimam semper partem sit accipienda, in ea nos demum consolamur, quodque ad fraternitatem tuam pertinet, donec apud Pontificem futurum, ad quem eligendum propediem convenimus, tua in hanc sanctam Sedem merita commodius commemorare possimus, quod in hunc usque diem a tua fraternitate pro auctoritate Apostolica tuenda procuratum fuit, laudare satis non possumus, neque satis hortari, ut in omnibus rebus, quas in gloriam Dei, ejusque Ecclesiæ sanctæ, & Apostolicæ Sedis beneficium fieri posse cognoveris, eumdem te in posterum præstes, quem adhuc præstitisti. Serenissimæ vero Gubernatrici nobis in Christo dilectissimæ nostro & ejusdem Sedis nomine gratias in Domino agas, quæ per majorum suorum vestigia ingrediens, ut fraternitatis tuæ, & omnium testimonio quotidie affirmatur, sanctam ipsam hanc Sedem eis quotidie studiis, pietatis officiis prosequitur, eamque in eis perpetuæ voluntatis constantiam præ se apud omnes fert, ut quid gratius ab ejus Serenitate, aut quid sanctius possimus desiderare non videamus &c. “.

Marcello successit Paulus IV. sub quo Marinus difficillimis temporibus eo in munere Ecclesiasticum jus, & Pontificis dignitatem infracto animo tutatus, perturbatos Consiliariorum animos in libertatem Ecclesiæ, & in Paulum ipsum non minima meditantes, adeo quidem ita obivit officium, ut summa cum rerum suarum jactura per annum & ultra suæ legationis tribunal occlusum retinuerit, nec Apostolicæ Sedi detrimentum ullum generaretur in posterum. Factum laudavit Paulus, idemque Catholicus Philippus Rex, & Marinum ipsum summis extulit laudibus, jussitque spoliorum proventus libere remittere, quos ille, ni prius Pontifici satisfieret, despexit. Regem ipsum tandem consiliumque Pontifici Maximo, a quo dissidebant, reconciliavit laudes adeptus maximas. Jussu Pauli dum Romam rediret, contigit sæpe mutata veste ad loca hæreticorum per Galliam necessitate ductum divertere. Pervenit Gebennam, pro mercatore cum suis habitus, in taberna cum quodam refractario, casu de rebus Fidei sermonem instituit, adeoque doctissimis rationibus ipsum confudit, ut ad eum salutandum tamquam virum doctissimum præcipui Sectariorum viri, & doctrina præstantes convenerint, & ad cœnam vocarint. Ad convivium aderant Antesignani hæresiarchæ Joannes Calvinus, Petrus Viretus, Theodorus Beza, & Vici quondam Marchio. Primus accubitus honoris gratia datus est Marino, qui epulas, ut solitum erat, benedixit, non sine eorum cachinno; quos cum ille intrepide Pauli Apostoli ad Timoth. verbis admonuisset, quia omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem, *illi obmutuerunt, Varii inter epulas fuerunt discursus, quibus*

bus Marinus pro viro doctissimo, prove alia longe persona, quam induerat, existimatus est. Cœna comesa de iis, quæ tunc temporis inter Catholicos, hæreticosque circa Fidei mysteria controvertebantur loqui cœperunt. Calvinus pene capularis senex, sermonis modicus, Vireto largiloquus suam suorumque agebat causam de invocatione & veneratione Sanctorum tunc mota quæstione; hunc Marinus validissimis rationibus, & sacræ Scripturæ auctoritate ita fregit, ut confusus ad alias quæstiones subterfugere conaretur. Tunc Marinus cognita adversarii astutia; stemus, inquit, ad hæc, deinde ad alia procedemus. Cedente Vireto Vici Marchio, expers nempe doctrinæ nec argumentorum vim intelligens, manu percussa tabula indignabundus surrexit, & insalutato hospite, & cæteri ad aliam diem a Marino invitati, ad propria remearunt. Cæterum Marinus anceps ne forte agnitus, aliquid sibi suisque succederet mali, summo mane egressus Romam contendit. A Paulo perhonorifice receptus, dum ad majora destinaretur, ille mortem obiit; & a Pio IV. successore in gratiam Catholici Regis ad Lancianensem Episcopatum translatus die 16. Januarii 1560. ad commissum sibi populum accessit, quem verbo & exemplo, Clerum vero sanctissimis disciplinis cœpit instituere; Episcopale palatium, quod extat, pro se suisque successoribus extruxit. Ibidem dum vitam duceret pastore dignissimam, a Pio revocatur ad aulam, ut ejus consilio gravissimæ Concilii Tridentini causæ, quæ a Pontificiis legatis excutiendæ mittebantur, acccurate constituerentur. Deinde postulante Hercule Cardinali Gonzaga primo Concilii Legato Archiepiscopus suæ Ecclesiæ Lancianensis primus declaratus, ut inter Patres primos assideret, cæterosque sua doctrina velut antesignanus edoceret, atque mentis Pontificis & solidæ doctrinæ lumen afferret. Accidit non semel in Congregationibus publicis privatisque, ut alii tenaciores eo deinde loquente suam ad votum ipsius Lancianensis revocarint sententiam. Interim de dissolvendo conventu famam plerique disseminarunt Curiales: quod cum Patres ægre tulissent, Romam ad Pium Pontificem Cardinalem ab Altemps unum e Legatis destinaverunt, Pontificem Synodi nomine deprecaturum, ne sanctum congressum dissolveret, quousque sæculi corrupti mores moderarentur, & exortæ hæreses absolute jugularentur. Pro Cardinali omnium voto Lancianensis tamquam vir aptissimus legationem obivit Julio mense anno 1562. Benigne a Pio amplexus sua dexteritate & prudenti consilio Patrum desiderium complevit, & Pontificis mentem ita composuit, ut Tridentum redire jussus Patres moneret, ut Divino auxilio, Apostolica quoque auctoritate freti opus sanctum ad exoptatum finem perducerent; quod non sine Lancianensis perpetua laudatione peractum fuit. Referunt inter multa, quæ ex opinionum dissensione in eadem Synodo diu exagitata ex Lancianensis sententia omnium Patrum accedente tandem firmata ea fuisse, quæ in 22. sessione de Sacrificio Missæ leguntur. Unus etiam ex iis Pontificibus fuit librorum censuræ deputatis &c. Ab eadem sancta Synodo Lancianensis una cum Ægidio Fuscarario Episcopo Mutinensi viro doctissimo, Romano Catechismo conficiendo præpositus, egregiam in hoc suam navavit operam, defunctoque Fuscarario, adhibitoque laborum socio Cardinali Sirleto æque doctissimo ad optatum finem perduxit, & Pio quinto sedente publici juris fecit. Regulam & constitutiones novæ Clericorum regularium Sancti Pauli Congregationis, quos Barnabitas vocant, jussu Pii IV. discussit, comprobavitque. Absoluto Concilio in Vaticanum recipitur a Pontifice inter caros S. Caroli Borromæi Cardinalis ad ardua patrui Pontificis negotia. Summa inter eos ob morum similitudinem intercessit consuetudo, adeoque amor & familiaritas, ut cum Pius vellet Lancianensem inter Cardinales adscribere, Borromæus ea vice cuperet Sirletum ad eam dignitatem perducere, ex Lancianensis placito ac libera propensione Sirletus indutus est purpura; ille ad aliam destinatus promotionem, & in Germaniam ad Maximilianum Secundum Apostolicus Nuncius cum potestate Legati in locum Joannis Cardinalis Moroni pro rebus Concilii, arduisque christianæ reipublicæ negotiis missus est. Rem cito ac perbelle perfecit, & Pontificis ac Cæsaris gratiam promeruit, & tertio Romam regressus destinatam Purpuram cum Pontifice funeravit, aulam reliquit, ac resignata Lancianensi Ecclesia Bombæ in Samnio Thomæ de Marinis fratris sui baronatu, ut vocant, liber a curis se recepit, sibi studiisque vacaturus. In ea solitudine, dum sacram Scripturam cœpisset erudite explicare, & in novatores de controversiis fidei stylum stringere, repente a Pio quinto, cujus gratia floruit, ad Albensem Montisferrati Ecclesiam translatus est, his verbis publico in Patrum consessu a tanto Pontifice laudatus, ne videretur otiosus tanti meriti antistes, ejusque eximias virtutes sub modio latere maturo consilio ad eam Ecclesiam se illum destinasse, ut sua pietate, doctrina, & in rebus agendis matura prudentia, errores ob bellorum injuriam, vicinorum quoque sectariorum malitia, si forte in ea provincia disseminati fuissent, longius exturbaret. Sed & jussu ejusdem Pontificis, ut lapsos in deterius Ecclesiasticorum mores castigaret, in quinque & viginti Episcopatuum ditionibus Apostolicus visitator est constitutus iis confectis literis &c.

Peracto hoc visitationum onere Albam pervenit, cœpitque utili labore ac bono incomparabili populum docere, Clerum sanctioribus disciplinis ad normam Concilii Tridentini erudire; lustrare omnia, præ oculis habens Pii Pontificis optimum desiderium, quo eum ad illam regendam Ecclesiam traduxerat, & S. Caroli Borromæi sui Metropolitæ zelum sanctissimum, apud quem sæpe solitus erat demigrare. Mediolani aderat ea die, qua S. Episcopus in sacello orans sclopeti ictu a scelesto quodam fraterculo tentatus est ad necem, & a cubiculo, quo ipse prope sacellum hospitabatur, quod gestum fuerat, clare audivit. Et sine cunctatione ad suos conversus: accurrite, ait; & videte, an Cardinalis a periculo incolumis evaserit. Cucurrit citius unus ex cubiculariis, & invenit sanctum virum Dei misericordia servatum, retulitque Domino suo, qui dum Divinæ majestati gratias ageret, ad eum accessit Carolus, eumque amplexus: Eja, inquit, mi Marine, non amplius te visurum putabam. Quid tum? Paratos nos esse oportere docuit Divina hæc admonitio; quia nescimus diem neque horam, quando Dominus veniet. Sic vicissim consolantes se, quod reliquum fuit noctis in sanctis colloquiis consumpsere.

Sex omnino annos Marinus Albensem Ecclesiam eximia solicitudine & cura administravit. Deinde cum a Gregorio XIII. in Hispanias ad Philippum Catholicum, & in Lusitaniam ad Sebastianum Reges pro renovando fœdere in Turcas sub Pio V. inito destinaretur Nuncius, ea se absolvit anno 1572. ita ut Pontifici liberum esset, quemcumque voluisset, ad sedem illam subvehere. Manet adhuc apud Albenses grata Marini memoria tamquam viri pietate & sanctimonia clari, ob quam veneratur & colitur. In ea legatione gravissima ita se gessit, ut Catholicum Regem in sancto fœdere confirmaverit, Lusitanus vero in Mauros arma movens pro fœdere, prove suppetiis ferendis non minimam pecuniæ summam obtulit Marini intuitu.

Ex Hispania mutatis ad celeritatem equis Romam pervenit a Gregorio perhumaniter receptus. Dum ob tot amplissimas legationes pro Romana Sede obitas, totque exantlatos labores quarto ad purpuram una cum legatione ad Cæsarem destinaretur, vix transacto a reditu die infirmari cœpit, paulisper vehementi febre correptus deficere, donec Ecclesiasticis Sacramentis munitus, prudentia, auctoritate, & animi magnitudine tantæ dignitati par, occubuit die 2. Junii 1573. ætatis suæ sexagesimo tertio. Corpus in Ecclesia Sanctæ Mariæ supra Minervam, ante aram maximam lacrymosis bonorum omnium funeribus honorifice tumulatum est, hoc, quod extat ex marmore Epitaphio:

D. O. M.
Leonardo Marino Patritio Genuensi
qui cum insigni doctrina
Ac morum gravitate conspicuus
Ex Ordine Prædicatorum
Ad Archiepisc. Lancianensem evectus
fuisset
Mox illius singularem animi prudentiam
ac in arduis dexteritatem
Quinque subinde Romani Pontifices
Julius III. Paulus IV. Pius IV. Pius V.
Gregorius XIII.
Maximis in rebus destinatus pro Legato
Apud Carolum V. & Maximilianum
Cæsar. Aug.
Atque item ad Philippum Regem
Catholicum
Nec-non apud Sebastianum Lusitaniæ
Regem
Opera sua pro Christiana republica ac
Dignitate Apostolicæ Sedis
Quod maxime expeti potuit, sedulo
præstitit
Demum a Gregorio XIII. designatus pro
Legato iterum ad Maximilianum
Cæsarem
Exactorum laborum præmia, quæ in terris
Summa illum expectabant
Cum æternis fœliciter commutavit
Ætatis suæ anno LXIII
Obiit anno Salutis M. D. LXXIII
III. Id. Junii.

Fuit

Fuit autem Marinus ingenio clarus, sermone facundus, consilio cautus, & in multis gratiarum virtutibus extollendus, simul & decorus aspectu. Habeo apud me toreuma æneum vultum ejus ad vivum exprimens cum aversa parte pulcherrimum Tridenti cusum, dum Concilium celebraretur.

Ejusdem Marini meminit Sacchinus in hist. Societatis Jesu tom. 2. libr. 2. num. 133. pag. 64. refert ejus Epistolam ad S. Franciscum Borgiam, quæ illum & socios consolatur de persecutione adversus illos in Hispaniis excitata. Videre est in illa quam spiret pietatem, & singularem erga ipsos benevolentiam.

Ægidius Fuscararius referentibus Gaspare Silingando libr. de Episcopis Mutinensibus, Ferdinando Ughello 2. tom. Italiæ Sacræ, & aliis, primum sub Paulo III. magister sacri Palatii electus, & ab ipso in Romanis Congregationibus ad hoc coactis, ut ea, de quibus in Synodo Tridentina definiendum erat, discuterentur, in consilium est adhibitus: quod sane valde notatu dignum est: cum ex hoc pateat eum nequaquam ignarum fuisse illorum, quæ in prioribus illis Tridentinæ Synodi actionibus actitata sunt, imo vero illa ad amussim calluisse, utpote quæ in prædictis Congregationibus ipse cum aliis discusserat, & judicarat. Hoc in eodem Magistri sacri Palatii Munere una cum Cardinali Joanne Alvaro de Toleto ex Prædicatorum Ordine ad recensendum librum exercitiorum D. Ignatii Patriarchæ Societatis Jesu a Sede Apostolica designatur, utpote in exercitiis spiritualibus, non minus quam in theologicis ipse exercitatissimus, eumdemque approbasse refert Orlandinus historiæ suæ Societatis libr. 8. n. 11. Et patet ex ipsius subscriptione præmissa illis exercitiis, editis anno 1550. Episcopus renunciatus a Julio III. qui Tridentinæ Synodo Cardinalis Legatus Pauli tertii præsederat, eique immediate succesferat, & tanti viri expertus fuerat virtutes; mox pauperum omnium pater effectus tantum effusis misericordiæ visceribus affluebat, ut cum cætera deessent, Episcopalem anulum, vestesque proprias, etiam subuculam erogaret. Sub Paulo quarto impiorum insidiis, atque calumniis appetitus (sic nimirum suos probat Deus) carceri mancipatus, totius vitæ serie rigidissimo discussa examine, ab omni omnino crimine innocentissimus declaratur, moxque a carcere ad Concilium Tridentinum jussu Pii quarti missus, tanti ab omnibus Patribus est habitus, ut omnes ab ipsius ore tamquam ab oraculi effato penderent; ipse cæteros in eam, quam proferebat sententiam, rationum energia, & auctoritatum momentis vel traheret, vel ultro euntes confirmaret. Communi vulgatoque elogio *Arca scientiæ* dicebatur; nec deerant, qui eum alterum Augustinum præ mirabili doctrinæ ac pietatis eminentia vocitarent. Unde & illud idem munus, quo strenue Romæ defunctus fuerat, Magisterium videlicet sacri Palatii, officium a B. Patre Dominico primum institutum, eidem a toto Concilio delatum est, ut videlicet, qua ratione coram Summo Pontifice, nemini quicquam e suggestu pronunciare fas est, quin prius Magister sacri Palatii illud ipsum revisserit; ita in ipsa Synodo nemini Patres Concilii publice alloqui liceret, quin prius Episcopus Mutinensis concionem recensuisset. Eidem cura commissa est ordinandarum Sessionum, & dirigendorum Canonum Conciliarium; quod & luculenter præstitit, redigens in eum, qui modo extat, ordinem; certissimum plane argumentum, quo probetur, notissima ipsi fuisse gesta Synodi totius, mentemque Patrum omnium exploratissimam, ut propterea hac in parte gravissima sit hujus tanti Præsulis auctoritas. Sancto Carolo Borromæo carissimus, & Bartholomæo de Martyribus Archiepiscopo Bracharensi amicissimus ob morum & virtutis similitudinem fuit, de quo ajebat hic posterior, mirari se, quod cum Mutinensis Episcopus pauper foret, ipse vero multo ditior, plures tamen & ampliores eleemosynas in pauperes Ægidius erogaret. Tandem laboribus pro Sancta Dei Ecclesia, & multis in ipsa Catechismi elucubratione fractus, sanctissime obdormivit in Christo Romæ 23. Decembris 1564. Sepultus in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam ante majus altare cum hoc Epitaphio.

Fratri Ægidio Fuscarario
Bononiensi Ordinis Prædicatorum
Episcopo Mutinensi
Religione innocentia liberalitate
Præstantia prudentiæ
Ac scientia divinarum rerum tanta
Vt in publico Concilio Trid. Patres in
Ejus judicio conquiescerent
Qui Catechismo Missali Breviario
In quibus maxime omnium elaboravit
Compositis
Romæ obdormivit in Domino
Anno Domini 1564. die 23. Decembris
Vixit annos 52. mens. 19. dies 26.

De Fratre Francisco Forerio quid est quod dicamus suis scriptis notissimo? Qui referente Antonio Gosæo, Michaele Pio, & aliis, Philosophus fuit celeberrimus, Græci atque Hebraici idiomatis callentissimus, ut præclara ipsius in Scripturam commentaria testantur, Theologus eximius simul & piissimus, a Rege Lusitaniæ ad Synodum Tridentinam missus, omnium Patrum judicio eruditissimus habebatur; nec minus in concionando potens, inquit Possevinus Societatis Jesu in Apparatu: a Concilio mandatum accepit, ut indicem librorum prohibitorum conficeret, quod & præstitit præmissis regulis, quas doctissimi ex omnibus nationibus Theologi maturis deliberationibus ea de re habitis, necessarias judicarunt, ut ipse asserit in præfatione. Ordinis Prædicatorum primum quidem Procurator Generalis, deinde vero sacri Palatii Magister effectus est. Hunc ergo sapientissimum Patrem, etiam in ipso consilio, Catechismo concinnando adhibitum esse testantur Card. Pallavicinus libr. 18. historiæ Concilii Trid. cap. 1. num. 4. & S. Carolus Borromæus, ut refert Petrus Guisanus libr. 1. vitæ ipsius cap. 8. Narrans enim, qua ratione S. Carolus curarit, ut ab aliquibus Theologis perficeretur Catechismus, inter illos recenset Forerium, de quo ait, Sanctum Carolum dedisse literas ad Regem Lusitaniæ, & ad Cardinalem Henricum, excusans, cur non illico a fine Tridentini passus esset Forerium redire in Lusitaniam. Sic enim ait datis initio mensis Novembris 1564. *Jam nos ejus* (videlicet Forerii) *diligentia, & industria absolutum Catechismum, opus ornatissimum, quod omnia fere præcepta, & documenta vitæ pie sancteque instituendæ complectitur &c.* Et alibi respondens Epistolæ Cardinalis Warmiensis Stanislai Hosii, qui in Tridentina Synodo Legatus præsederat, sub datis 27. Decembris ejusdem anni testatur, ultimam manum jam Catechismo impositam: *Jam* (inquit) *absolvimus Catechismum ornatum & perfectum ingenio & industria doctissimorum hominum.* Ex quibus etiam illud constat, hujus operis gloriam in ipsum Sanctum Carolum magna ex parte referendam. Id ipsum testatur Josephus Ripalmontius part. 3. Historiæ Ecclesiæ Mediolanensis libr. 2. in hæc verba: *Is* (B. Carolus) *animo conceperat eximium Romani Catechismi opus, de quo opere conficiendo sanxerant Patres Tridentini, idque decretum inter cætera extabat. Etiam ei dirigendæ institutioni, capitibusque disponendis Summi Theologorum adlaborabant. Sed consilium erat Caroli, ut divinitas & altitudo rerum atque sententiarum pari verborum dignitate explicaretur, adhibitisque latinæ linguæ summis ea tempestate hominibus, per eos absolvit opus, quod meliori Romanorum sæculo natum videri posset. Reperimus inter Epistolarum volumina literas ad Lusitaniæ Regem, quibus petit a Rege Carolus, ut veniam dare velit Francisco Forerio Dominicano, & Achilli Statio, quod dimisso Concilio, legationeque peracta, in quam missi erant, non redierint domum; eorum operam sibi necessariam fuisse in conscribendo Catechismo; tantisper detineri, dum absolvatur opus.* Alias etiam de ea re dedit literas tum ad Cardinalem Henricum patruum Regis, tum ad Cardinalem Warmiensem, in hanc sententiam utrasque conscriptas: *Jam absolutum esse Catechismum, Sacrorum librorum editionem adornari.* Quam fuerit Patrum Societatis amicus Forerius, ipse testatum reliquit in ea, quam ad Cardinalem Henricum Infantem Lusitaniæ scribit, cui Commentaria in Isaiam nuncupat, quos ubi sanctitate atque doctrina excellentes dixit, subjungit: *Maxima benevolentia eorum Societatem propter religionem & vitæ rationem semper habui conjunctissimam.*

Ab iis ergo in omnium scientiarum genere versatissimis viris, quorum spectata virtus, sapientia & pietas erat, qui Concilio Tridentino magna ex parte interfuerant, qui diligentissime cætera Synodi acta evolverant, Catechismum compositum magnæ auctoritatis esse quis dubitet? Sed jam pauca de iis, qui illud idem opus recensuerunt, subjungamus.

Catechesim hanc, ut diximus, recensuit Guillelmus Sirletus. Is Styli in Calabria natus anno 1514. triplicis linguæ, Latinæ, Græcæ & Hebraicæ, in patria, & Neapoli peritiam sibi comparavit; mox ad Theologiam gradum fecit, in qua apprime versatus, unico tantum Bibliorum volumine secum delato Romam veniens, repente doctis omnibus innotuit, ac in primis Marcello Cervino Cardinali Sanctæ Crucis, qui postea sub Marcelli secundi nomine Pontificatum obtinuit. Unde & cum ipso ad Concilium Tridentinum profectus dicitur, eumdemque in ordinandis & concinnandis canonibus præsertim Sessionis sextæ, multum juvisse, utpote eximius Theologus, Paulo quarto gratissimus, quocum & de

rebus ſacris frequentius differebat, & preces horarias recitabat. A Pio IV. purpura, ſponte cedente Marino, exornatus eſt. Poſt Pii obitum adnitentibus S. Carolo Borromæo, & Cardinali Alexandrino, parum abfuit, quin Summus Pontifex renunciatus ſit. Deo tamen aliter diſponente Cardinalis Alexandrinus miro quodam modo per communem adorationem ad Apoſtolicam Sedem aſſumptus eſt, qui Sirletum, utpote cujus doctrinam, ſanctitatem, atque prudentiam perſpectam haberet, Breviario, ac Miſſali Romano, & Catechiſmo reviſendis una cum aliis viris doctis delegavit. Gregorius XIII. Indici librorum prohibitorum, eiſdemque prohibitis libris, quantum fas erat, expurgandis cum aliis Cardinalibus præfecit. Vir domi, foriſque prudentia, aliiſque virtutibus illuſtris, pauperum pater, quibus ut opitularetur, ſubucula ſe ſpoliavit ſæpius, & calceamentis. Mortem pluribus annis ardenter concupivit: migraturus exultavit: Chriſti e cruce pendentis imaginem millies ſuavians repetiit: *Domine miſerere mei ſicut vis, & ſcis.* Et mox inſtante ultimo conflictu: *Gratias* (inquit) *ago tibi, Domine, quod ad optatum hoc iter me adduxiſti, nec deſeruiſti in ultimo certamine.* Et his vitæ periodum clauſit: *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* Tanti ab omnibus ſemper habitus, ut doctiſſimi viri eum ſpirantem bibliothecam, vivum Muſæum, cujus ſomnia eruditiora erant doctiorum vigiliis, quo nemo in ſancta Eccleſia a mille trecentis annis doctior extitit, dicere non dubitarint. Hæc de tanto viro. Qui plura volet, conſulat additiones ad Ciacconium in Pio IV. in quinta Cardinalium electione.

Eminentiſſimus hic Cardinalis (ut diximus) in hoc opere recenſendo adhibuit ſibi adjutores Fr. Thomam Manriques, & Fr. Euſtachium Lucatellum ex Ordine Prædicatorum. Primus, ut ajunt monumenta ejuſdem Ordinis, avito genere illuſtris, ingenio ſolers, doctrina clarus, judicio ſolidus, & propoſiti prudenter admiſſi tenaciſſimus, ad Urbem vocatus, primo Procurator Ordinis, deinde Magiſter ſacri Palatii electus, in hoc ultimo deceſſit officio. Secundus vero vir literatiſſimus, Regens diu in Conventu, & Studio Bononienſi, ejuſdem Conventus Prior, mox Vicarius Generalis Congregationis Lombardiæ, pietate inſignis, Pio V. a ſacris Confeſſionibus fuit. Deinde Epiſcopus, ac Princeps Rhegienſis devotiſſime diem obiit anno 1575. *Vir* (inquit Antonius Luſitanus) *gravitate, rerum agendarum peritia, & doctrina omnigena, eaque non vulgari præditus.* Scripſit ſuper quatuor libros Sententiarum, tractatum de Incarnatione, de B. Virgine, de Angelis, de Trinitate, & alia.

Unum ſupereſt adnotandum, quod quo tempore Catechiſmus componebatur, nulla fuerunt opinionum diſſidia inter Fratres Prædicatores, & Jeſuitas ex iis, quæ modo in quæſtionem adducuntur de concurſu Dei, prædefinitionibus, & aliis; imo tunc temporis vix Molina ſuam adhuc fabricatus fuerat Scientiam mediam; quin etiam Patres Societatis, ut ait Pr. Paulus Leonardus, ſive Scherlogus de Scientia media p. 2. n. 77. ſub Patribus Dominicanis theologiæ operam dabant. Idem inſinuat Herice tract. 3. diſp. 25. cap. 2. in fine.

CAPUT IV.

Auctoritas Catechiſmi demonſtratur ex ſummorum Pontificum approbatione.

SUpponendum eſt primo, ſummum Pontificem, dum Eccleſiam univerſam docet, tamquam illius proprius magiſter & paſtor, errare non poſſe, ſaltem vero cum hoc præſtat ex œcumenicæ Synodi conſilio & aſſenſu. Hoc aſſertum adeo indubitatum eſt, ut nemo Catholicorum de illo ad hæc uſque tempora dubitarit. Et ratio manifeſta convincit: nam alias Deus non ſufficienter providiſſet Eccleſiæ: poſſet enim error in ipſam irrepere & graſſari, cum teneantur fideles ſtare iis, quæ decernit ſummus Pontifex, maxime vero cum generali Concilio. Hoc tamen non ſic accipiendum arbitramur, ut quæcumque Pontifices dixerint, & quandocumque, ſint ipſa fides: ſiquidem hoc falſum eſſe pluribus exemplis demonſtrare in promptu eſſet; ſed duntaxat, quod ea, quæ decrevit Pontifex, juxta modum certitudinis, quem iis tribuit, certa haberi debeant: ita ut, quæ tamquam certa definit, indubitata ſint, & oppoſitum ſit hæreſis manifeſta; quæ vero ut probabilia, & dictis Sanctorum, ac traditionibus, fideique magis conformia judicat, & edicit, talia cenſeri debeant, nec in his omnibus errare valeat.

Supponendum eſt ſecundo, ſummum Pontificem tunc ex cathedra loqui, & univerſam Eccleſiam docere, quando ipſis Prælatis, ac Parochis præſcribit, quæ docere debeant ſubjectas ſibi plebes. Cum enim Eccleſia toto nunc Orbe diffuſa in unum convenire non poſſit; nec eam ſummus Pontifex immediate per ſeipſum alloqui valeat, & ei credenda intimare, neceſſum eſt, illum hoc præſtare per ipſos Epiſcopos, & Parochos, quibus animarum cura commiſſa eſt. Igitur, quando ille eiſdem præſcripſerit modum ac ordinem docendi, & articulorum fidei legitimam interpretationem, cenſendus erit ex cathedra loqui, maxime vero, ſi, ut diximus, Synodi generalis aſſenſus etiam intervenerit.

Supponendum eſt tertio, quod quamvis infallibilis aſſiſtentia Spiritus ſancti non innitatur mediis humanis, ea tamen non excludit, imo ut plurimum ea requirit, ut humano modo veritates fidei explicentur. Et ideo Catechiſmi Romani auctoritatem ex ſummorum Pontificum approbatione demonſtraturi, non inutilem navabimus operam, ſi quales, & quanti fuerint hujuſmodi Pontifices, enarremus, quo vel hinc innoteſcat inſignis Dei providentia erga Eccleſiam, & hujus Catecheſeos auctoritas magis emineat. Tria vero potiſſimum nobis demonſtranda videntur; in primis eorum pietas, & vitæ ſanctimonia; ad hæc eruditio & ſapientia; & demum eorum, quæ in Synodo Tridentina geſta ſunt, accurata & exquiſita notitia. Pontifices igitur, qui Catechiſmum Romanum approbarunt, quamvis plures fuerint, &, ut verius dicamus, omnes, quotquot Petri cathedram ab eo tempore, quo fuit editus, tenuerunt, ſpecialiter tamen fuere Pius quintus, & Gregorius decimustertius, ut infra manifeſtum fiet.

Quis autem & quam pius fuerit Pius quintus, ſupervacaneum eſt dicere, cum ejus vita ſole ipſo illuſtrior, ipſos etiam infenſiſſimorum Eccleſiæ hoſtium oculos perculerit, & ad ipſius laudem atque admirationem incitarit, cujus preces Deo acceptiſſimas Solimanus in Pannonia Sigeſtum obſidens potius, quam Chriſtianorum arma ſe pertimeſcere fatebatur, quod & Selimus ejus filius identidem dictitabat. In iis tanta in Deum mentis intenſione ferebatur, ut ne præſentes quidem vel loquentes juxta ſe perſentiſceret. Sacrum Miſſæ Sacrificium, & ſacri Roſarii quotidianam precationem nullo die, quamdiu per valetudinem licuit, etiam Pontifex, ac proinde immenſis obrutus negotiis, prætermiſit. Iteratis imo continuis propemodum jejuniis corpus macerans, carnibus fere ſemper abſtinuit, quas, cum aliquando inſtar piſcium conditas ſubintuliſſent, deprehenſa fraude, ne libare quidem voluit. Chriſtianorum plurimos, imo & hæreticorum, ac Judæorum ad meliorem frugem exemplis, ac potentiſſimis ſermonibus traduxit. „ Et cum (ut ait Muretus orat. 22.) alia in hoc viro admirabilia fuerint, tunc ſingulare ſtudium conſervandæ veræ ac Catholicæ religionis, & adverſus omnes, qui eam ulla ex parte labefactare conarentur, implacabile odium ſemper eluxit, quibuſcum ille perpetuum bellum gerens, ne punctum quidem temporis in vita ab eis vexandis, & exagitandis conquievit. In aliis erratis condonandis atque ignoſcendis, quamquam & ſui, & aliorum ſeveriſſimus cenſor, non ita ſe durum & inexorabilem præbebat. Qui ab Eccleſia deſciviſſent, niſi aut ipſos erroribus, aut ipſis Orbem purgaret, vitam ſibi acerbam atque inſuavem ducebat. Inde etiam, cum munus in eos inquirendi ei demandatum eſſet, potentum inimicitias, minas, graviſſimaque pericula ſubiit “. Hæc Muretus, qui & addit in eadem oratione. „ Quantum ei prudentiæ & acuminis ad agnoſcenda ea, quæ vera & recta eſſent, tantum animi & libertatis ad ea proferenda, tantum auctoritatis ad obtinenda ſemper fuit. Nihil unquam ille in dicenda ſententia aut metui aut gratiæ dedit. Nunquam ad cujuſquam voluntatem orationem ſuam accommodavit. Nunquam quicquam veritate prius aut antiquius habuit. Itaque vulgo etiam dicebant, nihil ab eo precibus peti oportere. Patuit hic ejus animus, dum adhuc purpuram gereret: nam cum de adlegendo in Senatum juniori quodam principe a Pio quarto ageretur, renuit ipſe, & ſolus de non cooptando ob defectum ætatis tanta animi conſtantia ſuſtinuit, ut dum poſtea illius principis nomine gratiæ illi, ut & cæteris agerentur, reſponderit, non eſſe, cur ipſi gratias agerent: cum per me, inquit, non ſteterit, quo minus ob ætatem non admitteretur. Patuit idem animus erga propinquos, cum ad Pontificatum pervenit, quos nunquam niſi optime meritos aliqua vel dignitate auxit, vel præmio donavit “.

Cæteras tanti Pontificis virtutes pluribus proſequuntur Gabutius in ejus vita, Muretus, Ciacconius, Victorellus, & alii, qui referunt, eum claruiſſe poſt mortem miraculis, quorum fidem faciunt anathemata argentea ad ipſius tumulum in Sacello præſepis in baſilica Liberii appenſa, de quibus etiam proceſſus juridici duo,

alter

alter anno 1616. auctoritate Cardinalis Millini Vicarii Pauli quinti, ejus mandato; alter vero anno 1624. inſtituti ſunt. Quibus diſcuſſis Sacra Congregatio Rituum cenſuit poſſe procedi ad examen teſtium auctoritate Apoſtolica, in ordine ad Beatificationem Pii quinti. Quam ob cauſam Sanctiſſimus Urbanus VIII. die prima Februarii voluit, ut loco Miſſæ de mortuis, quæ in Eccleſia Sanctæ Mariæ majoris pro anima Pii quinti quotannis celebrabatur, Miſſa de Trinitate veluti in gratiarum actionem ſolemniter cantaretur. Et dum hæc ſcribo, audio Sanctiſſimum Clementem decimum de Pii quinti beatificatione ſerio cogitare. Hæc de pietate, ac virtutibus tanti Pontificis dicta ſufficiant. De doctrina non eſt, quod dicamus: conſtat ſiquidem ipſi ob doctrinam tot tantaque in Eccleſia munera fuiſſe delata. Quoad eorum notitiam, quæ in Tridentino geſta fuerant, duo duntaxat libet obſervare, alterum quod ſcribit Gabutius lib. 1. cap. 7. interfuiſſe videlicet Pium V. dum adhuc eſſet in minoribus conſtitutus, Congregationibus, quæ Romæ cogebantur ad ea diſcutienda prius, quæ poſtmodum in Tridentino tractanda forent & definienda; alterum eſt, quod annotarunt quotquot Pii viram conſcripſere, fuiſſe illum Tridentini rigidum obſervatorem. Quare, ut erat reſtaurandæ eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudioſiſſimus, veriſimile eſt, illum poſt aſſumptionem geſta omnia prædictæ Synodi diligentiſſime perſcrutatum.

De Gregorio XIII. jam pauca ſubjungamus. Erat is Pontifex in audiendis negotiis patiens, in tranſigendis ſolers, eloquio gravis, reſponſis opportunus, natura benignus & miſericors, in victu & potu temperatiſſimus, in pauperes & doctos beneficus, & mirum in modum liberalis. Litterarum ſtudia, ſi quando per negotia licebat, intermiſit nunquam, dicereque ſuit ſolitus, nullum magis decere plura ſcire, quam Romanum Pontificem. Bononiæ per octo annos juri dicendo incubuit. Romam veniens variis dignitatibus auctus, integerrime illas obiit. Epiſcopus Veſtanus a Paulo IV. renunciatus, mox a Pio IV. in Senatum adlectus, tandem poſt obitum Pii V. altera die poſt conclavis ingreſſum 3. Idus Martii anni ſeptuageſimi ſecundi ſupra milleſimum quingenteſimum, Patrum quinquaginta duorum acceſſu (quæ Spiritus Sancti dicitur electio) magna omnium lætitia, & ingenti virtutum ipſius expectatione Pontifex maximus creatur. Ex quibus omnibus & pietas & eruditio tanti Pontificis ſatis ſuperque innoteſcit. Interfuit, dum eſſet in minoribus toti Concilio Tridentino, primum quidem a Paulo tertio miſſus Romanæ Rotæ auditor; poſtea vero ſub Pio quarto tamquam Epiſcopus Veſtanus. Quare cum interfuerit & principio & fini Concilii, quando cura Catechiſmi conficiendi quibuſdam Patribus demandata eſt, vix potuit aptior judex conſtitui ad ſententiam ferendam de Catechiſmi Romani cum ipſo Concilio omnimoda convenientia & conſonantia.

Jam vero utrumque hunc Pontificem Catechiſmum Romanum approbaſſe, evidentius eſt, quam ut probatione indigeat. Ne tamen vel aliquem lateat, vel pervicaci detur locus negandi, teſtes adhibendi ſunt omni exceptione majores. De Pio V. id teſtantur Andreas Fabritius in præfatione ad Catechiſmum, Georgius Ederus in præfatione ad partitiones Catechiſmi, Jacobus Bayus Regius in Academia Lovanienſi ſacræ Theologiæ profeſſor in Epiſtola nuncupatoria in ſuas ad Catechiſmum elucubrationes, Gabutius in vita Pii V. lib. 1. cap. 12. & lib. 2. cap. 4. Antonius Senenſis in ſua Bibliotheca, ubi etiam refert, Alexium Figliuccium Ord. Præd. virum ſanguinis ſplendore, doctrina, & religione nobiliſſimum, mandato Pii V. Catecheſin iſtam in Italicum idioma transtuliſſe, ſicut teſte Poſſevino in Apparatu, in Gallicum Gentianus Hervetus, qui Tridentino interfuerat, approbante Michaele a Turre Epiſcopo Cenetenſi ipſius Pii quinti apud Regem Chriſtianiſſimum Nuncio; in Germanicum Petrus Caniſius Societatis Jeſu Theologus teſte Edero, in Illyricum juſſu Gregorii XIII. alius quiſpiam, teſte Concilio Aquilejenſi, in Polonicum alter, teſte Gabutio, in Hiſpanicum ex mandato Concilii Limenſis, teſte Concilio Tarraconenſi. Quæ omnia ſatis oſtendunt, quanti hoc opus factum fuerit ab ipſis Pontificibus. Sed quid iſtis immoremur? ipſe Pius V. in brevi ad Manutium 7. Kalend. Oct. 1566. ſic loquitur: Paſtorali officio cupien„ tes quam diligentiſſime poſſumus divina adjuvante gra„ tia fungi, & ea, quæ a ſacro Tridentino Concilio „ ſtatuta & decreta fuerunt, exequi, curavimus, ut a „ delectis aliquot Theologis in hac alma Urbe compo„ neretur Catechiſmus, quo Chriſti fideles de iis re„ bus, quas eos noſſe, profiteri, & ſervare oportet, „ Parochorum ſuorum diligentia edocerentur. Qui li„ ber cum Deo juvante perfectus in lucem edendus ſit, „ providendum duximus, ut quam diligentiſſime impri„ matur". In Bulla data 8. idus Martii anno 1570. pro reformatione Ordinis Ciſtercienſis, quam reformationem inſtante & conſulto Hieronymo Souchiere Cardinali ejuſdem Ordinis Generali, qui Tridentino interfuerat, feciſſe conſtat; & in Bulla pro reformatione Ord. Servorum B. Mariæ data 3. Kalend. Junii anni ejuſdem, præcipit, ut Biblia & Catechiſmus Romanus prælegantur. Et in Bulla 106. pridie Idus Julii ejuſdem anni: „ Cum inter alia, (*inquit*) Concilii de„ creta nobis ſtatuendum eſſet de ſacris libris, Cate„ chiſmo, Miſſali, & Breviario edendis atque emen„ dandis, edito jam Deo ipſo annuente, ad populi e„ ruditionem Catechiſmo &c. Et Bulla 122. data 5. idus Martii anni 1571. dicit, in executionem decretorum Concilii, jam Catechiſmum ad populi eruditionem a ſe fuiſſe editum. Ex quibus duo præcipue ponderanda ſunt; primo quidem Pium V. eo conſilio, eaque mente curaſſe tanto ſtudio, ut Catecheſis hæc quam diligentiſſime mandaretur typis, ne vel injuria, vel fraude aliqua illam corrumpi contingeret, ut quanti ejus auctoritas facienda ſit, innoteſcat, cui diligenter in lucem edendæ tam diligentem ipſe Pontifex navare voluerit operam. Secundo ponderandum eſt, quod ait Pius V. ſe Catechiſmi compoſitionem & editionem promoviſſe juxta Synodi Tridentinæ decretum. Cum igitur Synodus decreviſſet, ſicut ſupra relatum eſt, ut ſummi Pontificis judicio atque auctoritate Catechiſmus terminaretur & ederetur, id ipſum a Pio V. præſtitum, nefas fuerit dubitare. Hoc vero importare approbationem, evidens eſt: judicium ſiquidem id aperte ſonat. Addam amplius non ſolum approbatum eſſe, ſicut ſolent cæteri libri approbari, tamquam nihil fidei vel bonis moribus repugnans continere cenſendus ſit: verum etiam ut nihil niſi Catholicum & religionis Chriſtianæ dogmatibus atque præceptis omni ex parte conveniens, cæteriſque omnibus privatis ſcriptis probabilius docere, extra omne dubium videatur. Enimvero ratihabitionem (quæ approbatio quædam eſt, *l. quo enim tutiore* 12. *ff. rem ratam haberi*) quid minus eſſe, quam mandatum colligitur ex 10. Reg. juris in 6. ubi dicitur: *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari*. Notant vero ibidem auctores, ratihabitionem quid minus eſſe, quam mandatum, nec illi comparari quoad omnia, ſed duntaxat quoad effectum. Adhuc vero autem mandatum quid minoris roboris eſt, quam juſſus, ut *ex l.* 1. §. *Sed ego quæro*, *ff. quod juſſu*, colligit Gloſſa ad dictam regulam: quia juſſus neceſſitatem imponit ei, cui jubetur, nec niſi ab habente legitimam auctoritatem proficiſcitur: mandatum vero, quamvis ubi acceptatum eſt, aliquam neceſſitatem inferat; ante acceptationem nihilominus liberum eſt mandatario, quatenus a legitima, & quæ urgere poſſit, auctoritate non provenit. Cum ergo Catecheſis iſta juſſu Pii V. confecta, & in lucem edita fuerit juxta decretum Tridentini, quis non videat, non poſſe quemquam Catholicum ſine gravi piaculo reprobare, quæ in ea contenta ſunt, maxime vero Regulares, quibus ſub pœna carceris prohibetur, quæ Apoſtolica Sedes approbaverit, improbare. Extrav. *Ad noſtrum* de Regularibus.

Idem fere dicendum de Gregorio XIII. qui in brevi quodam anni 1593. profitetur ſuo juſſu & approbatione Catechiſmum iterum prodiiſſe: & in Bulla 48. juxta collectionem Petri Matthæi, data Romæ 10. Junii 1574. pro reformatione Ord. Ciſtercienſis, quod ſupra vidimus Pium V. ſtatuiſſe innovat, & confirmat. Ejuſdem Pontificis mandato Catechiſmus iſte in linguam Illyricam eſt translatus, ut dictum eſt. Inſuper teſtatur Antonius Poſſevinus in apparatu, eumdem Pontificem auctorem fuiſſe Franciſco Gratiano de Garzatoribus Canonico Vincentino, ut juris canonici compendium ederet, in quo reſecaret omnia, quæ poſtmodum vel a ſummis Pontificibus, vel a Tridentina Synodo, vel a Catechiſmo Romano fuerant abrogata; certiſſimum plane indicium, quantæ illum exiſtimarit & voluerit eſſe auctoritatis, cum arbitratus ſit, Catechiſmum valere ad abrogandas conſtitutiones olim factas. Denique idem ſummus Pontifex plures provinciales Synodos confirmavit, ut dicemus cap. ſequenti, in quibus doctrina Catechiſmo contenta populo a Parochis tradenda præſcribitur. Quod ſane magno diſcrimini fidem in prædictis provinciis, imo & in univerſa Eccleſia exponeret, niſi, quæ hoc libro continentur, ab omni erroris periculo libera, cæteris opinionibus certiora, & magis religioni conſona forent. Bellarminum non ſine ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu annotaſſe, ait Poſſevinus, Tridentinum Concilium magna cum circumſpectione fuiſſe celebratum: quanto potiori jure nobis dicere licuerit, Pium V. & Gregorium XIII. ſapientiſſimos, piiſſimos, in doctrina Concilii verſatiſſimos, non ſine ſpeciali Spiritus ſancti inſtinctu & aſſiſtentia, ea, quæ ſancte de hoc Catechiſmo Concilium ſtatuerat, executioni mandaſſe, nec poſſe

quem-

quemquam de hujus libri auctoritate ambigere: cum præsertim, ut ait Alexander III. cap. 2. (*de confirmat. utili vel inutili*) „ De confirmationibus Roma„ ni Pontificis non sit aliquatenus dubitandum “. Concludamus igitur verbis Nicolai primi *can. Si Romanorum. dist.* 39. „ Si Romanorum Pontificum decreto cæ„ terorum opuscula tractatorum approbantur, vel re„ probantur, ut quod vere Sedes Apostolica probavit, „ hodie teneatur acceptum; & quod illa repulit, ha„ ctenus inefficax habeatur: quanto potius ea, quæ ip„ sa pro catholica fide, pro sacris dogmatibus, pro va„ riis & multifariis Ecclesiæ necessitatibus, & fidelium „ moribus diverso tempore scripsit, omni honore debent „ præferri “. Profecto, ut ait Agatho Papa, sic omnes sanctiones Apostolicæ Sedis accipiendæ sunt tamquam ipsius divina voce Petri firmatæ,

CAPUT V.

Catechismi Romani auctoritas convincitur ex eo, quod per Ecclesiam universam tamquam legitimus Tridentini Concilii fœtus receptus sit.

QUI œcumenicæ Synodi, & duorum Pontificum Romanorum auctoritate fulcitur, nequaquam inferiorum suffragiis indiget, nisi ut in una eademque re consensus capitis & membrorum omnium unanimis innotescat. Quare quæ in hoc capite dicturi sumus de Synodorum provincialium & diœcesanarum approbatione, non tamquam omnino necessaria subjungemus, sed ut clarius exponentia hanc totius Ecclesiæ consensionem; quo noscant omnes, librum hunc, de quo agimus, tamquam legitimum Tridentinæ Synodi fœtum summa semper fuisse veneratione per Ecclesiam universam exceptum. Atque ut ordine congruo procedamus, Provinciales primum, mox Diœcesanas Synodos adducemus, ac demum privatorum suffragia, & consensum proferemus in medium.

Prima Provincialis Synodus, quæ occurrit, est Mediolanensis prima sub Sancto Carolo Borromæo, viro cujus Sanctitas tanto virtutum omnium splendore, ac frequentibus miraculis illustratur. Habita est hæc Synodus anno 1565. etiam antequam Catechismus Romanus in lucem prodiret, cum perfectus esset, atque typis jamjam mandandus. Et nihilominus, titulo *qui libri a Clericis legendi*, eisdem præcipitur, ut quamprimum illum sibi comparent, his verbis: „ Clerici, postquam „ decimum quartum attigerint annum, ut legem Do„ mini, in cujus sorte sunt, dies noctesque meditari „ possint, habeant sacrorum librorum, si non copiam, „ certe necessarium delectum; omnino vero Testamen„ tum vetus & novum, CATECHISMUM ROMÆ „ EDENDUM, cum primum in lucem prodierit “. Aderat huic Synodo una cum Sancto Carolo Hugo Boncompagnus, qui Tridentino interfuerat, & postmodum fuit Episcopus Romanus Gregorius decimus tertius, cujus laudes jam supra perstrinximus; aderant & Nicolaus Sfondratus Episcopus Cremonensis, postea Romanus Gregorius decimus quartus, vir doctus, & antiquæ disciplinæ, præsertim quoad pluralitatem beneficiorum zelantissimus, Carolus Vicecomes Cardinalis Episcopus Vintimilienſis nobilitate, prudentia, & solertia insignis, Guido Ferrerius Episcopus Vercellensis Cardinalis pietatis, justitiæ, & ecclesiasticæ disciplinæ tenacissimus, Federicus Cornelius Episcopus Bergomensis Cardinalis in condendis legibus oculatissimus, Marcus Hieronymus Vida, vir piissimus, & doctissimus, Episcopus Albæ, qui sextæ Tridentini sessioni interfuerat, Hieronymus Galeratus Episcopus Alexandrinus christianarum virtutum exemplar, Petrus Faunus Costacciarius Episcopus Aquensis, vir prudentissimus, & in negotiis gerendis versatissimus, Dominicus Bolanus Episcopus Brixiensis singularis vigilantiæ, & sanctitatis, Scipio Estensis Episcopus Casalensis, nobilitate atque ingenio insignis, Cæsar Comes a Gambara Episcopus Dertonensis, vir prudentiæ singularis, & Mauritius de Petra Episcopus Viglevanensis, præsul clarissimus. Hi omnes Tridentino interfuerant, ac proinde probe noverant, an Catechismus sacrosanctæ illi Synodo conformis esset. Approbatam esse hanc Synodum inde fit certum, quod inserta est tomis Conciliorum tanquam legitima.

Secunda Synodus est Beneventana 1567. sub Jacobo Sabello Cardinali Archiepiscopo viro eruditissimo. Interfuere huic Synodo decem præsules, ex quibus sex, videlicet Horatius Græcus Episcopus Lesinensis, Julius Gentilius Episcopus Vultuarienſis, Antonius a Sancto Michaele Episcopus Montis-Marani ex Ordine Minorum strictioris observantiæ, vir piissimus, Donatus de Laurentiis Episcopus Arianensis, Prosper Rebiba Episcopus Trojanus, &, ut arbitror, Fr. Cherubinus Episcopus Thelesinus Tridentino subscripserant. In hac ergo Synodo, titulo *De prædicatione verbi Dei* cap. 10. sic præcipitur parochis, & aliis curam animarum habentibus: „ Cum præcipue ipsis cura esse debeat, ut „ in articulis fidei, qui Symbolo Apostolorum conti„ nentur, præceptis Decalogi, Ecclesiæ Sacramentis, „ & Orationis Dominicæ explicatione commissum sibi „ populum erudiant, ad hoc munus explendum, CA„ TECHISMUM, QUI PII PONTIFICIS JUS„ SU EDITUS EST, assidue præ manibus habeant, „ ut hæc omnia secundum sanam, & ecclesiasticam do„ ctrinam docere valeant “. Doctrina igitur Catechismi est sana & ecclesiastica, quam tenentur Curati docere juxta mentem hujus Synodi, quam etiam confirmatam fuisse a summo Pontifice, certissimum est.

Tertia Synodus habita est Ravennæ sub Cardinali Archiepiscopo Julio Feltrio de Ruvere anno 1568. Ex quindecim Suffraganeis aderant septem, qui Tridentino interfuerant. Primus erat Cardinalis Gabriel Palæotus Episcopus tunc Bononiensis, postea Archiepiscopus, qui acta Tridentini scripsit, religionis propugnator indefessus, quem nonnulli volunt Catechismum Romanum in ipso Tridentino primum ordinasse & exornasse, quem & ipse valde commendat in Archiepiscopali Bononiensi *part.* 5. *tit. De congregatione Oratorii*. Aderat etiam Julius Cananus, deinde Cardinalis, vir vitæ incorruptæ, Episcopus Adriensis, qui toti Tridentino interfuerat, primum ut a Secretis Cardinali de Monte Legato in prioribus sessionibus, deinde ut Episcopus. Aderant etiam Julius Parisanius Episcopus Ariminensis magnæ apud omnes existimationis, Franciscus Guarinus Episcopus Imolensis erga pauperes munificentissimus, Joannes Baptista Seghicellus Episcopus Faventinus, philosophus & jurisconsultus prudentissimus, Alphonsus Rossetus Episcopus Ferrarienſis, nobilissimus & piissimus, & Augustinus Molignatus Episcopus Foropopilii juris scientia clarissimus. In hac ergo Synodo *tit. de Seminario cap.* 4. sic statuitur: „ Maxime Catechis„ mum sanctissimi Domini nostri Pii quinti jussu nu„ per editum assidue præ manibus habeant “. Confirmatam fuisse hanc Synodum ab ipso Pio quinto, nulli dubium, cum hoc petierint Patres ad finem hujus Synodi, & illa typis mandata sit Romæ anno 1569. vivente ipso Pio in Typographia Cameræ Apostolicæ.

Quarta Synodus est Mediolanensis secunda sub S. Carolo Borromæo anno 1569. *Decreto* 30. *tit.* 2. præcipiens Parochis, *ut frequentius aliquam Catechismi Romani lectionem inter se convenientes tractent*. Aderant Episcopi tredecim, ex quibus decem Tridentino interfuerant; nimirum Nicolaus Sfondratus Ep. Cremonensis, postea Romanus Greg. XIV. Guido Ferrerius Ep. Vercellensis, postea Cardinalis, Federicus Cornelius postmodum Cardinalis, Leonardus de Marinis Ep. Albæ, Carolus Grimaldus Ep. Albingaunensis Tridentini observantissimus, Hieronymus Galeratus Ep. Alexandrinus, Petrus Faunus Costacciarius Episcopus Aquensis, Dominicus Bolanus Ep. Brixiensis, Antonius Scarampus Ep. Laudensis, vir admirabilis sanctitatis, & Mauritius de Petra Ep. Viglevanensis.

Quinta est Salisburgensis in Germania anno 1569. sub illustrissimo Joanne Jacobo Archiepiscopo, & Sedis Apostolicæ Legato nato. Interfuere huic Synodo Episcopi octo, inter quos erat illustrissimus Princeps Ernestus administrator Frisingensis, Alberti Bavariæ ducis filius, qui parentis exemplo doctrinæ catechismi Romani mirum in modum addictus erat, ut constabit ex infra dicendis. Aderat etiam Frater Felicianus Niguarda a Morbinio Ord. Præd. qui Tridentino interfuerat, ejusdem Archiepiscopi Salisburgensis orator, ac postea fuit Episcopus primum Ascalonensis, mox S. Agathæ, ac demum Comensis, vir doctissimus, adversus hæreses indefessus fidei Catholicæ propugnator, piissimus, & reformationis amator; qui quanti fecerit Catechismum Romanum constat ex Manuali Visitatorum lib. 2. cap. 17. Hæc ergo Synodus *const.* 26. *cap.* 3. sic habet: „ Debent parochi iis, quæ ad ipsorum spectant mini„ sterium, quemadmodum & Episcopi, cum hæc (*Sa„ cramenta videlicet*) per ipsos erunt populo adminiſtranda, illorum vim & usum pro suscipientium ca„ ptu in vulgari nostra lingua Germanica explicare jux„ ta ea, quæ in CATECHISMO ROMANO sane „ utilissimo, & his temporibus maxime necessario (qui „ etiamnum in linguam Germanicam translatus ab o„ mnibus vel exiguo ære comparari potest) cui Sancta „ Synodus Tridentina formam præscripsit, continen„ tur “. Idem fere habetur *constitutione* 42. *cap.* 9. Hæc Synodus approbata est a Gregorio XIII. die 5. Julii 1574. ut constat ex literis Apostolicis, quæ ad finem ejusdem Synodi habentur.

Julii

Sexta eſt Mediolanenſis tertia ſub S. Carolo Borromæo anno 1573. *tit. De Baptiſ. infant. expoſitorum*, & *tit. de his, quæ ad ſacram Euchariſtiam pertinent*, quo ultimo loco dicit: *uberrimam eſſe de perceptione Euchariſtiæ Catechiſmi Romani doctrinam. Tit. de ſacramento Extremæ unctionis. Tit. de Ordine & Clericis. Tit. de Matrimonio.* In quibus omnibus jubet, *in Sacramentorum adminiſtratione Parochos adhibere Catechiſmi Romani locos, & doctrinam.* Huic Synodo aderat Cardinalis Paulus Areſſius, vir ſanctiſſimus. Aderant etiam tredecim Epiſcopi, quorum octo Tridentino ſubſcripſerant, qui fere omnes jam in prædictis Synodis Mediolanenſibus nominati ſunt, ſed inter eos erat etiam Fr. Benedictus Herba Ord. Præd. qui Theologus Tridentino interfuerat, concionator celeberrimus, qui tunc invitus a Pio quinto ad Epiſcopatum Caſalenſem evectus fuerat, in quo pauperum pater, omnibus charus fuit. Hæc Synodus a Gregorio XIII. approbata eſt.

Septima eſt Synodus Genuenſis anno 1574. ſub Cypriano Pallavicino, in qua *Tit. de fidei elementis a Parocho tradendis*, præcipit, ut *Parochi recitent eis* (id eſt pueris) *ad verbum ex Catechiſmo Romano aliquid*. Huic ſubſcripſere ſex Epiſcopi, & duo abſentium procuratores. Inter Epiſcopos duo erant ex Tridentinis Carolus Grimaldus Ep. Albingaunenſis, & Fr. Antonius Palietinus Ep. Brugnacenſis Ord. Prædicatorum, vir ſanctiſſimus, &, ut arbitror, Joannes Baptiſta Lomellinus, qui fuit Ep. Æſernienſis, vel, ut alii dicunt, Guardienſis. Hanc Synodum approbavit Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum die nona Octobris anno 1574. Neque vero prætermittendum, Franciſcum Boſſium Novariæ Epiſcopum, Viſitatorem Apoſtolicum, in decretis in viſitatione Genuenſi editis, *Tit. de Sacramentis, & eorum adminiſtratione*, caviſſe, *ut eorum* (id eſt Sacramentorum) *vis & efficacia ex Romani Catechiſmi doctrina præſertim pluribus adſtantibus explicetur.*

Octava eſt Mediolanenſis quarta anno 1576. ſub S. Carolo Borromæo, in qua, tertia parte, Titulo *de Viſitatione*, inter libros, quos Epiſcopo viſitanti exhibere tenetur Parochus, recenſetur Catechiſmus Romanus. Et in admonitionibus ad Clericos ſic habetur: „ Quatuor præſertim locos ex Catechiſmi Romani doctri„ na, de duodecim fidei articulis, de ſeptem Sacramen„ tis, de decem Præceptis, de oratione Dominica, in „ promptu atque explicate habere, omni ſtudio contendite “. Aderant huic Synodo duodecim aut tredecim Epiſcopi, ex quibus Tridentino interfuerant ſeptem, Aquenſis, Bergomenſis, Brixienſis, Cremonenſis, Dertonenſis, Laudenſis, & Caſalenſis jam ſuperius recenſiti. Hæc Synodus a Gregorio XIII. exacte reviſa & approbata eſt, ut refertur in vita Sancti Caroli Borromæi.

Hoc eodem anno, aut proxime ſequenti Clerus totius Aquitaniæ Burdegalis congregatus, Catechiſmi Romani prælectionem parochis præcipit.

Nona Synodus eſt Mediolanenſis quinta anno 1579. ſub S. Carolo Borromæo. *Tit. De his, quæ ad prædicationem & doctrinam pertinent*, quo loco decernit, *ut in fidei capitibus edocendis Catechiſmi Romani doctrinam potiſſimum ſequatur.* Et *Tit. De Seminariis*, parte tertia, præcipit: *eumdem in Seminariis prælegendum.* Et *Tit. de examinandi ratione*, ſtatuit inquirendum ab ordinandis: *An Catechiſmum Romanum habeant, ejuſve doctrinam teneant.* Aderant huic Synodo ſexdecim Epiſcopi, quorum quinque Tridentino interfuerant, videlicet Aquenſis, Brixienſis, Cremonenſis, Dertonenſis, & Hieronymus Ragazzonus tunc Epiſcopus Bergomenſis, pietatis, prudentiæ, virtutis, & conſtantiæ laude conſpicuus, qui olim Epiſc. Famaguſtanus luculentam in fine Concilii Tridentini orationem habuerat, in qua totius Synodi geſta atque decreta, utpote ſibi probe nota, compendio reſumſit. Confirmata eſt hæc quinta Synodus Mediolanenſis a Gregorio XIII. poſt accuratam recenſionem.

Hoc ipſo anno 1579. Clerus totius Galliæ in conventu Melodunenſi præſidentibus Petro Deſpinac Archiepiſcopo Lugdunenſi, & Antonio Prevot Archiepiſcopo Burdegalenſi, qui Tridentino interfuerat, *Tit. De Euchariſtiæ Sacramento*, *Tit. De Pœnitentia*, *Tit. De Sacramento Ordinis* præcipit, ut *Curati Catechiſmum Concilii Tridentini aſſidue præ manibus habeant.*

Decima eſt Rothomagenſis in Gallia anno 1581. ſub Cardinali Carolo Borbonio Archiepiſcopo Rothomagenſi, & Primate Normaniæ cum ſex aliis Epiſcopis, inter quos erat Claudius de Saintes Epiſcopus Ebroicenſis, qui olim Abbas Lunevillanus Tridentino interfuerat, & cui hujus Synodi provincialis ordinandæ cura eſt demandata. Aderat etiam Ludovicus de Moulinet Epiſcopus Sagienſis, qui Tridentino interfuerat. In hac ergo *Tit. De Sacramentis num.* 1. præcipitur Curatis, cum erunt adminiſtranda (*Sacramenta*) ut potius illorum vim & uſum pro ſuſcipientium captu explicent ex doctrina in Catechiſmo Romano tradita. Et *Tit. De Curatorum officiis n.* 13. „ Ut autem quilibet Paro„ chus ſuo officio defungi queat, Catechiſmum Roma„ num Latine & Gallice habeat, & ejus præſcripto „ doctrinam de Symbolo Apoſtolorum, Legis decalo„ go, Sacramentis, atque aliis ad ſalutem neceſſariis „ tradat “. Approbata eſt hæc Synodus a Gregorio XIII. & Cardinalibus, ut patet ex literis Pontificiis ſub datis 19. Martii 1582.

Undecima eſt Burdegalenſis in Gallia 1582. ſub Antonio Prevotio Sanſaco, qui Concilio Tridentino interfuerat. Aderant ſex alii Epiſcopi, & Procurator Eccleſiæ Condomienſis, ſede vacante. *Tit. de Sacramentis* 8. injungitur Parochis „ ut continuo Catechiſmum „ Concilii Tridentini præ manibus habeant “. Et *Tit. De Parochis* 18. ſic habetur: „ Parochi etiam ſingulis „ feſtis diebus aliquid ex Catechiſmo Tridentino (quem „ Latine & Gallice authoritate noſtra editum penes ſe „ habere ipſis injungimus) populis proponant de iis „ rebus, quas noſſe Chriſtianorum omnium intereſt: „ ut ſciant fideles, quid complectantur articuli fidei, „ quid contineat Decalogus, quid ipſi petant orationem „ Dominicam recitantes, quis Sacramentorum ſit nu„ merus, quæ vis eorum ac poteſtas, & quis effe„ ctus “. Idem fere *De Seminariis Tit.* 7. Approbata eſt hæc Synodus a Gregorio XIII. & Cardinalium Sacri Concilii Tridentini interpretum Congregatione diebus 3. & 19. Decembris 1583.

Duodecima eſt Turonenſis in Gallia 1583. ſub Simeone a Maillè Archiepiſcopo Turonenſi, qui Tridentino interfuerat. Adfuere cum illo a principio octo Epiſcopi, ex quibus duo, nimirum Philippus Dubec Epiſcopus Nannetenſis, & Carolus de l'Eſpinay Epiſcopus Dolenſis Tridentino præſentes fuerant. Interfuit etiam per Procuratorem Anſelmum Taron Carolus Dangennes Epiſcopus Cœnomanenſis, Cardinalis de Rambouilleto, qui & ipſe inter Tridentinos Patres conſederat. In hoc ergo Concilio *Tit. De profeſſionis fidei tuenda cura* §. *ſimiliter*, ordinatur, ut admiſſi ad confeſſiones audiendas „ ſinguli Concilii Tridentini Cate„ chiſmum . . . . penes ſe habere . . . . & memoriter „ ſcire teneantur “. Approbata eſt hæc Synodus a Gregorio XIII. & Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, ut patet ex literis ejuſdem ſummi Pontificis die 8. Octobris 1584.

Decimatertia eſt Rhemenſis in Gallia anno 1583. ſub Ludovico a Guiſia Cardinali Archiepiſcopo Rhemenſi cum ſex Epiſcopis, & procuratore Epiſcopi Sylvanectenſis. Aderat Epiſcopus Sueſſionenſis Carolus de Roucy, qui Tridentino ſubſcripſerat. In hac tit. *De Curatis* n. 6. ſic ſtatuitur: „ Præcipimus Parœcis, ut „ non ſolum inculpate vivant, verum etiam ſemper „ habeant præ manibus librum aliquem de ratione ad„ miniſtrandorum Sacramentorum, vel Catechiſmum „ editum authoritate Concilii Tridentini, ſive latine „ ſcriptum, ſive in linguam vulgarem ad verum ſen„ ſum linguæ latinæ optime verſum, & legitime ap„ probatum, ex quo ſingulis diebus Dominicis depro„ mant, quod Evangelio aptari, & populo proponi „ poſſit “. Confirmata eſt hæc Synodus a Gregorio XIII. & Cardinalium Tridentini interpretum Congregatione, ut patet ex literis ejuſdem Gregorii XIII. datis 30. Julii 1584. Aderant huic Concilio Ludovicus de Creil doctor Sorbonicus, ut procurator Epiſcopi Sylvanectenſis, & D. Jacobus le Boſſu monachus Sancti Benedicti ex cœnobio Sancti Dionyſii, qui ambo poſtea Congregationi de Auxiliis a Clemente VIII. adſcripti ſunt.

Decima quinta eſt Synodus Aquenſis in Gallia 1585. ſub Alexandro Canigiano Archiepiſcopo Aquenſi, cum aliis quatuor Epiſcopis, & procuratore Epiſcopi Forojulienſis Franciſci de Bouillers, viri docti & pii, qui aliquando Tridentino interfuerat. Hæc Synodus tit. *De Parochis* §. *Ut autem*, ſic decernit: „ Ut autem qui„ libet Parochus ſuo officio defungi queat, Catechiſ„ mum Romanum latine & gallice habeat, & ex ejus „ præſcripto doctrinam de Symbolo Apoſtolorum, le„ gis Decalogo, Sacramentis, Oratione Dominica, at„ que aliis ad ſalutem neceſſariis tradat “. Et *tit. De Seminario* §. 3. „ Is in omni Seminario perpetuus uſus „ ſit, ut Catechiſmus Romanus pueris atque adeo ado„ leſcentibus prælegatur, & explicetur quam diligentiſ„ ſime, nullaque ejus pars prætermittatur, cujus do„ ctrinis eorum animi non imbuantur, quam maximo „ fieri poterit ſtudio “. Approbata eſt hæc Synodus a Sixto quinto, & a ſacra Tridentini Patrum Congregatione, ut conſtat ex literis die 4. & 5. Maii 1586.

Decima ſexta eſt Synodus Gneſnenſis habita Petricoviæ

viæ in Polonia anno 1589. ſub Stanislao Karnkouski, cui interfuit Georgius Radzivilus Cardinalis, interfuere etiam octo alii Epiſcopi, abſentium præſulum procuratores novem, pluresque alii illuſtres viri. In ea ergo tit. *De Parochorum officio num.* 7. ſic ſtatuitur: „ Singulis feſtis diebus aliqui Parochi ex Catechiſmo Romano, quem brevi in provinciam noſtram importandum curabimus, populo proponant, de his rebus, quas noſſe omnium intereſt ad ſalutem, ut ſciant, quid complectantur articuli fidei, quid contineat Decalogus, quidve petant orationem Dominicam proferentes, quis Sacramentorum ſit numerus, quæ vis eorum ac poteſtas, quis item uſus, & quomodo fideles in illis ſuſcipiendis affectos eſſe oporteat ". Hæc approbata fuit a Congregatione Cardinalium Tridentini interpretum 6. Martii, & a Sixto V. die 9. ejuſdem menſis anno 1590.

Decima ſeptima eſt Toloſana ſub Cardinali Franciſco de Joyeuſe Archiepiſcopo Toloſano anno 1590. Aderant tres alii Epiſcopi, & quatuor abſentium procuratores. Confirmatum fuiſſe conſtat a Sede Apoſtolica, ut expreſſe dicit præfatus Cardinalis in literis publicationis. In illa igitur *part.* 1. *cap.* 3. *de parochis n.* 2. ſic habetur. „ Ut autem fidelius officio ſuo fungi queant, latinum, gallicumque Romanæ fidei Catechiſmum perpetuo habeant, quæque in eo de Apoſtolorum Symbolo, Decalogo, Sacramentis, aliiſque rebus ad ſalutem neceſſariis continentur, populo, quoties opus fuerit, explicent ". Ejuſdem Catechiſmi meminit *ibid. n.* 5. & *cap.* 5. *n.* 6. & *part.* 2. *cap.* 1. *n.* 1. *Nuſquam igitur vel Epiſcopi, vel Parochi ad eorum adminiſtrationem accedent, quin prius ex Tridentini Concilii Catechiſmo profuturum illorum uſum admirandamque vim ſuſcipientibus, audientibuſque explicarint.* Denique *parte ſecunda de locis cap.* 5. *de ſeminariis n.* 7. præſcribit, ut in Seminariis Romanus Catechiſmus prælegatur.

Decima octava eſt Tarraconenſis anno 1591. In qua cum Archiepiſcopo aderant ſeptem Epiſcopi, & in ea lib. 1. tit. 1. cap. 3. ſtatuitur, *ut Parochi Catechiſmum Romanum diligenter perlegant & doceant.*

Decima nona eſt Synodus Avenionenſis 1594. ſub Franciſco Maria Taruſio Cardinali, & Archiepiſcopo Avenionenſi, viro plane Apoſtolico, & antiquæ probitatis Senatore, Julii tertii nepote, qui vigeſimum annum exceſſerat, cum ejus avunculus tunc Cardinalis, ut Legatus Synodo Tridentinæ præerat; unde probe noſſe poterat geſta Concilii. In hac Synodo tit. *de Officio Parochi* præſcribitur cuilibet Parocho: *ut Catechiſmum Romanum ſedulo præ manibus habeat, cujus ope tum Sacramentorum rite adminiſtrandorum rationem perſpectam habere, tum ad conciones habendas ſana doctrina imbui poſſit, quam populo ſibi credito poſtea propinet.* Hanc Synodum approbarunt ex mandato Sedis Apoſtolicæ Cardinales Concilii Tridentini interpretes anno 1597.

Vigeſima eſt Synodus Provincialis Aquilejenſis 1596. in Civitate Utini habita ſub Franciſco Barbaro Archiepiſcopo & Patriarcha Aquilejenſi, quæ tit. *De divinis officiis*, ubi egit de Miſſali, Breviario, aliiſque ſimilibus libris Latino duntaxat idiomate edendis, ſubdit: „ Quæ autem de Miſſali, Breviario, & Rituali Sacramentorum ſtatuimus, in eam volumus partem accipi, „ ut non comprehendant Catechiſmum Romanum in „ Illyricam linguam Greg. XIII. juſſu converſum, „ quem cupimus a Clero Illyrico frequenter tractari & „ legi, ut ſit hæc materna lingua Sacerdotibus Illyricæ in promptu ad populos docendos, quæ ad ſalutem „ neceſſaria ſunt. Caveant tamen Epiſcopi, ut exemplar aliquod ejuſdem Catechiſmi emendatiſſimum „ in Archivo Archiepiſcopali reponatur, ad cujus præſcriptum emendatio recognoſci, & approbari in futurum tempus poſſit: cum illa quæ Catechiſmo comprehenduntur, ubi de Articulis fidei, ac de Sacramentis tractatur, periculoſe alterius linguæ ignoratione, ceu impreſſorum vitio pateant; periculoſius vero „ hæreticorum nequitia, quorum corruptio, niſi ab Epiſcopis, qui provinciæ illius linguam non norunt, „ parato remedio convinci poſſit, longius dimanabit ". Hæc Synodus fuit undecim Epiſcoporum, & quatuor procuratorum pro abſentibus. Inter Epiſcopos erant Philippus Archintus Juriſconſultus clariſſimus, & prudentiſſimus, Epiſcopus primo Salutiarum, mox Comenſis; Julius Contarenus Epiſcopus Bellunenſis, vir egregius, & Antonius Moſcennigus Epiſcopus Cenetenſis, vir illuſtriſſimus, qui omnes Tridentino ſubſcripſerant. Aderat & procurator Cardinalis Ludovici Madrutii Epiſcopi Tridentini, qui etiam inter Patres Tridentinos ſederat, & poſtmodum in Congregationibus quibuſdam in materia de *Auxiliis* præfuit. Advertendum præterea, quanti fecerint hi ſapientiſſimi Patres Catechiſmum Romanum: ut enim ipſum tanquam fidei Regulam incorruptum ſervarent, veteris eccleſiaſticæ diſciplinæ normam de ſacris Codicibus conſervandis innovare voluerunt. Approbata eſt hæc Synodus a Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum.

Vigeſima prima eſt Synodus Narbonenſis anni 1609. ſub Ludovico de Vervins Archiepiſcopo Narbonenſi cum octo Epiſcopis, & duobus abſentium procuratoribus. Hæc *cap.* 14. quod eſt de *baptiſmo* Catechiſmum Romanum ſequendum præſcribit. Confirmata eſt hæc Synodus ab ipſo Summo Pontifice Paulo V. die 20. Novembris 1611. ut patet ex literis.

Vigeſima ſecunda Synodus eſt Burdegalenſis ſub Cardinali de Sourdis Archiepiſcopo Burdegalenſi, habita cum octo Epiſcopis. In ea cap. 12. *De prædicatione Verbi Dei* §. 5. ſtatuitur: *ut Curati Catechiſmum Romanum parochianis ſuis ex ſuggeſtu prælegant.* Poſſemus hic annumerare Synodum provincialem Sipontinam anno 1567. ſub Ptolomæo Gallio Cardinali, cui dicuntur interfuiſſe Philos Roverella Epiſcopus Aſculanus, Ferdinandus Græcus Epiſcopus Bovinus, & Petrus de Petris Epiſcopus Lucerinus, qui Tridentino ſubſcripſerant. Poſſemus addere Synodum Salernitanam ſub Marco Antonio Columna 1572. In qua præſentes fuiſſe narrantur plures Epiſcopi, qui Tridentino etiam interfuerant, ut Cornelius Muſſus Epiſcopus Bituntinus ex Ordine FF. Minorum, qui ſextam Tridentini ſeſſionem ordinarat, cum omnium aliorum admiratione tanta, *ut Patres cæteri dicerent, Spiritum Sanctum mirabili modo in eo fuiſſe operatum*, ut ait Poſſevinus in Apparatu, Verbo *Cornelius Muſſus*. Romulus de Valentibus Epiſcopus Cuperſanus, ſingularis pietatis, integritatis, & eruditionis, Joannes Antolines Britianus de Ribera Epiſcopus Juvenacenſis, zelantiſſimus, & Tridentini tenaciſſimus, Lucius Maranta Epiſcopus Lavellenſis, Juriſconſultus doctiſſimus, Joannes Vincentius Michaelius Epiſcopus Minerbienſis, vir piiſſimus, qui integro ſæculo vixit. Inſuper poſſet his adjici duplex Synodus Capuana, in qua interfuiſſe referuntur Fabius Myrthus Epiſcopus Cajacenſis, vir integerrimus, doctus, pius, & miræ ſuavitatis, Bartholomæus Capranica Epiſcopus Calinenſis clariſſimus, Agapitus Belhomo Epiſcopus Caſertanus, catholicæ veritatis vindex acerrimus, & Galeatius Florimontius Epiſcopus Sueſſanus, doctiſſimus & piiſſimus, unus ex quatuor judicibus Tridentinis reformandæ Eccleſiæ cum Sadoleto præpoſitus. Hos omnes Tridentino interfuiſſe certum eſt. Poſſet etiam adduci Synodus Barenſis, & Florentina; illa ſub Antonio Puteo Archiepiſcopo Barenſi, viro prudentiſſimo, qui in Tridentino dicens ſententiam omnibus fuit admirationi; iſta ſub Antonio Altovito, vitæ integritate, literarum ſcientia, & morum ſuavitate incomparabili, ex Flammeta Soderina matre illuſtriſſimi Archiepiſcopi Toloſani Petri de Bonſi conſanguineo. Has omnes, & alias Synodos potuiſſemus adducere, quas commendare Catechiſmum Romanum nonnulli referunt. Verum quia illas videre non licuit, eas in numerum aliarum non retulimus. Dioeceſanæ Synodi commendantes Catechiſmum ſunt plures; paucas enumerabimus.

Prima eſt Neapolitana 1565. ſub Alphonſo Carapha, cap. 8.

II. Wladislavienſis ſub Franciſco Karnkovio Epiſcopo Wladislavienſi tempore Pii quinti. 1. p. tit. 11. n. 8. & 3. p. tit. 4. n. 6.

III. Eſt de Cervia 1577. ſub Octavio de S. Cruce Epiſcopo. Tit. *de Parochis.*

IV. Ravennas 1580. Sub Chriſtophoro Boncompagno Archiepiſcopo. Tit. *de Parochis* cap. 7.

V. Cremonenſis ſub Nicolao Sfondrato 1584. Tit. *de Parochis.*

VI. Viterbienſis ſub Carolo Montilio Archiepiſcopo 1584. Tit. *de Prædicandi munere*, & alibi ſæpe.

VII. Mediolanenſis ſub S. Carolo Borromæo eodem anno.

VIII. Monopolitana 1581. ſub Antonio Pontio cap. *de Parochis.*

IX. Placentina 1589. ſub Philippo Sega Cardinali, cap. *de Parochis.*

X. Veneta 1592. ſub Laurentio Priulo Patriarcha Venetiarum, & Primate Dalmatiæ, cap. 15.

XI. Toloſana ſub Cardinali de Joyeuſe anno 1596.

XII. Arretina 1597. ſub Petro Uſimbardio, cap. 2.

XIII. Balneoregienſis 1599. ſub Carolo Trocto Ferrarienſi, cap. 5. *de Sacramentis.*

XIV. Genuenſis ſub Cypriano Pallavicino.

XV. Cremonenſis 1603. ſub Cæſare Spetiano. Placet vero referre illius verba, quæ ſic habent tit. *de Magiſtris* pag. 9. „ Divino afflatu Spiritus Sancti illi Patres, qui Concilio Tridentino præfuere, mandarunt, „ ut quamprimum Romanus Catechiſmus conſcribere-

„ tur;

„ tur ; ex quo veluti fecundiſſimis ſanctæ Matris ube-
„ ribus Clerici omnes eccleſiaſticæ doctrinæ ſuaviſſimum
„ lac exſugere valerent: ea igitur conſuetudo, quæ ſan-
„ cte in noſtra Seminaria introducta eſt, Clericis o-
„ mnibus Romanum Catechiſmum explicandi, omnino
„ inde a ludimagiſtris Clericis ſub pœna ſuſpenſionis,
„ quotidie, vel ſaltem ter in hebdomada ſervetur “.

Decima ſexta eſt Nucerina ſub Simone Lunadoro 1610. tit. *De Doctrina Chriſtiana*.

Decima ſeptima eſt Tarentaſienſis Muſterii 1609. habita ſub Anaſtaſio Germonio Archiepiſcopo lib. 1. cap. 5. ubi Catechiſmum Romanum vocat, *Catholicorum dogmatum promptuarium, totiuſque Theologiæ compendium, Tridentini Concilii authoritate concinnatum*, quem ut Parochi ſibi familiarem faciant, præcipit.

Ex his omnibus tria potiſſimum expendenda ſunt; primum eſt ex viginti duabus provincialibus Synodis, quas attulimus, apud diverſas nationes habitis, in Gallia videlicet, Italia, Hiſpania, Germania, Polonia, & India, quamplures fuiſſe authoritate Summi Pontificis confirmatas ad minus duo de viginti, atque adeo dici non poteſt, illas vel minimum quid aut in fide periculoſum, vel contra bonos mores continere, quod fieri non poſſet, ſi Catechiſmus Romanus ſic ab iis Synodis approbatus, doctrinam aliquam complecteretur, quæ rectæ fidei minus conſona cenſeretur; cum omnes illæ Synodi juxta Concilii generalis, ac Summorum Pontificum præſcriptum, doctrinam in Catechiſmo contentam, plebi chriſtianæ a parochis tradendam præcipiant.

Secundo illud ſerio expendendum, in his provincialibus Synodis ſuperius allatis interfuiſſe antiſtites fere trecentos, ex quibus pene ſexaginta in Tridentino conſederunt; & ex iis duo fuere Summi Pontifices, Greg. XIII. & Greg. XIV. tredecim Cardinales, omnes omnino viri piiſſimi, ſapientiſſimi, & eruditiſſimi, ita ut graviſſimæ ſit authoritatis eorum privatum judicium, quanto magis publicum in Conciliis provincialibus latum, in quibus præſertim ubi a Sancta Sede confirmata ſunt, Spiritus Sanctus fideles docet atque alloquitur.

Poſtremo ponderandum eſt, quibus nominibus & epithetis librum hunc inſignierint hæ ſanctiſſimæ Synodi. Vocant enim illum Catechiſmum Concilii Tridentini. Quid porro Catechiſmus? Formula videlicet docendi principia fidei catechumenos, neophytos, & pueros, ut iis imbuti ipſo ætatis vel converſionis initio, ea in poſterum memoria toto vitæ tempore teneant. Rudimenta igitur in eo, & veluti prima fidei elementa traduntur, quibus catholicæ religionis tyrones a parochis inſtruantur: idcirco ad parochos deſtinatus eſt. Catechiſmus igitur Concilii Tridentini, quid aliud eſt, quam fidei noſtræ principia tradita, & explicata ab ipſo Concilio Tridentino Œcumenico, ſacroſancto, & approbato, in cujus executionem provinciales, & diœceſanæ Synodi jubent illum Catechiſmum prælegi, & explicari.

Quis ergo in poſterum tradita in eo dogmata impune in dubium revocet? Error in limine magnus fit in fine, & qui in ipſa doctrinæ principia peccaverit, neceſſum eſt, ut toto cælo a veritate aberret. Præterea librum hunc hæ Synodi provinciales nuncupant *Catechiſmum Romanum*, eadem plene ratione, quo ſummum Pontificem *Epiſcopum Romanum*, hoc eſt, Urbis & Orbis ſupremum Antiſtitem vocitamus: cum enim ab Epiſcopi Romani judicio juxta generalis Synodi decretum ille in lucem prodierit, merito authoris ſui indicio deſignatur. Profecto, ut ait Stephanus Papa cap. *Enimvero, Diſtinctione* 19. „ Quia Eccleſia Romana in ſpe-
„ culum & exemplar propoſita eſt, ab omnibus quid-
„ quid ordinat, perpetuo quidem, & irrefragabiliter ob-
„ ſervandum eſt “. Petrus Buſævus Noviomagus Societatis Jeſu in præfatione ad Catechiſmum Caniſii multum ſe hujuſmodi librum commendare arbitratur, vocando illum Cæſareum Catechiſmum, eo quod authoritate Cæſaris in quibuſdam Germaniæ provinciis ille typis mandatus prælegeretur, quamvis ad Cæſarem non pertineat definire, quis Catechiſmus tradendus ſit populis, ſed ad Pontificem. Numquid ergo potiori jure Catechiſmum hunc ſummi Eccleſiæ præſulis judicio confirmatum, *Romanum* vocare liceat? Aut quis Tridentinum & Romanum Catechiſmum Cæſareo & Germanico non præponat? Romanum itaque Catechiſmum Patres nuncupant, hoc eſt, *Romanæ fidei*, ut Toloſana Synodus explicatius ediſſerit, Romanæ, inquam, fidei, id eſt, catholicæ, & univerſalis, hoc eſt, certæ & inconcuſſæ, hoc eſt denique chriſtianæ & veræ, & ut ait Synodus Cremonenſis, *Sanctæ matris Eccleſiæ ubera, Catholicorum dogmatum promptuarium*, inquit Tarantaſienſis.

Concludamus igitur Catecheſin hanc a ſacro Tridentino Concilio compoſitam, a tot ſummis Pontificibus approbatam, a tot Synodis provincialibus commendatam, a tot Patribus actorum Concilii Tridentini callentiſſimis tot tantiſque laudibus, & approbationibus cumulatam, tantæ fidei, tanti roboris, tantæque authoritatis eſſe, ut nullius privati doctoris, Auguſtinus licet, vel Chryſoſtomus ille foret, imo nec multorum ſimul doctorum authoritas illi valeat comparari.

CAPUT VI.

Ex privatorum Doctorum ſuffragiis oſtenditur, quantæ ſit authoritatis Catechiſmus Romanus.

POST tot publicas voces, privatorum ſuffragia nihil roboris addere patentiſſimum eſt. Quia tamen plurima ex his, quæ diximus, certiora & explicatiora reduntur quorumdam eruditiſſimorum hominum ſcriptis, ob hanc rem ea cenſuimus proferenda, præſertim vero illorum, quorum libri non ſunt obvii & faciles inventu.

Occurreret in primis Gentianus Hervetus, qui eo ipſo anno, quo Catechiſmus in lucem prodiit, Gallicum e Latino fecit, annotationibus illuſtravit, & Pariſiis typis mandari curavit, ut refert Antonius Poſſevinus in Apparatu. Auguſtinus etiam Ferentillus eumdem Catechiſmum plurimi fecit. Sed iis omiſſis, quorum verba videre non licuit, libet tranſcribere verba Georgii Ederi, qui 1567. altero ſcilicet poſt Catecheſis hujus editionem anno in præfatione ad partitiones Catechiſmi, ſic ſcribit: „ Non minus pie, quam pruden-
„ ter in primis ab optimis Concilii Tridentini Patribus
„ publico cautum eſt decreto, ut contra omnes omnium
„ novorum Catechiſmorum profanas novitates & erro-
„ res, ut craſſos, ita & impuros & peſtiferos, totius
„ Eccleſiæ nomine, catholicus aliquis conſcriberetur,
„ qui vera contineret catholicæ & antiquæ religionis
„ fundamenta, quorum præſidio ſinceræ pietatis aman-
„ tes, improbos Sectariorum dolos & impoſturas, &
„ facilius cognoſcere, & rectius poſſent evitare. Quod
„ eo quidem, qui Pii V. Pontificis Optimi Maximi
„ juſſu hoc & titulo, & argumento in lucem nuper
„ eſt editus, tanta præſtitum eſt cum dignitate, tum
„ utilitate, ut nihil fere toti Eccleſiæ catholicæ hoc
„ tempore illuſtrius, auguſtiuſve contingere potuerit. In
„ quo ſcripto, an vel dictionis puritatem, vel ipſius
„ doctrinæ hic explicatæ majeſtatem, an vero eximiam
„ authorum eruditionem & induſtriam magis admirari
„ debeat, merito quis dubitare poſſit. Nam ad genus
„ dicendi quod attinet, & ſi nihil ei deſit omnino,
„ quod ad perfectam pertinet *eloquentiæ laudem*, id
„ tamen hic liber habet *peculiare*, quod ejus oratio
„ plus contineat in ſe, non ſolum veritatis & ſcientiæ,
„ ſed etiam ſpiritus *cæleſtis*, & ſapientiæ divinæ, quam
„ univerſa Novatorum omnium habeant portentoſa vo-
„ lumina in unum conflata. Eſt argumenti etiam tra-
„ ctatio ſic numeris ſuis abſoluta & perfecta, ut nihil
„ ad chriſtianam inſtitutionem ſimpliciores amplius deſi-
„ derare, neque doctiores quicquam velut abundans,
„ aut inutile reſpuere poſſe videatur. Authores vero,
„ quorum labore & induſtria hoc opus totum eſt perfe-
„ ctum, prorſus ſunt hujuſmodi, qui dicendi quidem
„ ratione atque methodo cum eruditiſſimo quoque cer-
„ tare poſſint, dictionis elegantia & puritate præcipuos
„ æquent & philoſophos, & Oratores; argumentorum
„ vero pondere poſt ſe quam longiſſime relinquant,
„ quos illi in hoc genere ſummos, & quoſdam veluti
„ coriphæos, aut anteſignanos, & dici velint, & ha-
„ beri. Accedit huc Pontificis noſtri & re, & nomine
„ vere Pii maxima, nec temere umquam violanda au-
„ thoritas, quem ut Principis Apoſtolorum & Petri
„ agnoſcimus ſucceſſorem, ita divinitus eum afflictæ
„ nunc Eccleſiæ in præſidium quoddam ſingulare datum
„ eſſe, minime dubitamus, utpote cujus rara vitæ in-
„ tegritas, eruditio præclara, pietas incomparabilis, &
„ innumeræ fere aliæ dotes eximiæ, quibus eum præ-
„ potentis Dei auxit & ornavit benignitas, oſtendunt
„ eum eſſe verum Eccleſiæ Paſtorem, ac ob id ſaluber-
„ rimam ejus doctrinam, quæ in hoc divino continetur
„ Catechiſmo, ſummam mereri fidem, atque reveren-
„ tiam. Nam ſi recte olim de inſtitutionibus ſuis glo-
„ riatus eſt Imperator Juſtinianus, quod liceat illis pru-
„ dentiæ ſtudioſis prima legum cunabula non ab anti-
„ quis fabulis diſcere, ſed ab imperiali ſplendore repe-
„ tere, quanto juſtius, quæſo, nos gloriabimur, quibus
„ nunc veræ, & catholicæ religionis fundamenta, non
„ a profanis hæreticorum nugis atque novitatibus, ſed
„ a divino ſplendore ex illius Pontificis inſtitutione tam
„ fideli, & traditione prorſus Apoſtolica, & tuto pete-
„ re, & conſequi affluenter liceat? Cujus virtutes Ma-
„ ximo

„ ximo Pontifice digniſſimæ tam ſunt ipſis etiam adver-
„ ſariis cognitæ atque perſpectæ, ut, quod in ipſo re-
„ prehendant, non habeant, & ſi maxime velint, quem
„ etiam illis omnibus & plus ſapere, & Eccleſiæ re-
„ ctius conſultum cupere, quam ipſi velint Novatores,
„ eximiis conſtat argumentis, quot illius in Rempubli-
„ cam conſtant merita. Quibus nominibus hic liber piis
„ & bonis omnibus longe debet eſſe gratiſſimus. Ego
„ certe hujus libri lectione in catholica religione plurimum confirmatus & conſolatus ſum; cujus cognitionem, cum intelligerem toti orbi & utilem eſſe & neceſſariam, ac ob id plurimum referre arbitrarer, ut
„ omnium populorum linguis & nominibus familiaris
„ eſſet, atque communis; cœpi ejus mox bonam partem in Germanicam vertere linguam, atque hanc
„ verſionem, divina concedente gratia, jamdudum abſolviſſem, niſi mihi a fide dignis relatum fuiſſet,
„ eumdem laborem ante me ſibi ſumpſiſſe R. P. D.
„ Petrum Caniſium olim præceptorem meum & patronum, cui non lubens tantum ceſſi, ſed eo nomine
„ plurimum & mihi, & toti gratulatus ſum Eccleſiæ". Hæc Ederus, qui hunc librum totius Eccleſiæ Catechiſmum vocat: unde varias illius ſententias ad verbum tranſcriptas tamquam fidei regulas conſtitui.

Andreas Fabritius, non ille, cujus ſcripta in indice librorum prohibitorum proſcribuntur, ſed alter, qui Leodius nuncupatur, Alberti Bavariæ ducis, & Erneſti ejus filii, ac adminiſtratoris Friſingenſis Conſiliarius, quorum juſſu ſe in diſtinguendo per quæſtiones Catechiſmo Romano navaſſe operam profitetur: is, inquam, in præfatione ad Catechiſmum editionis Plantinianæ anni 1574. Antuerpiæ, ait: „ Ecce œcumenicæ Tridentinæ Synodi
„ authoritate non modo graviora doctrinæ capita con-
„ tra noſtri temporis hæreſes decernuntur; ſed præterea
„ ejuſdem ſacræ Synodi decreto Catechiſmus conſcribi-
„ tur, certaque formula & ratio chriſtiani populi ab
„ ipſis fidei rudimentis inſtituendi publice proponitur,
„ ut nulli jam dubium eſſe poſſit, quid ſequi inter tot
„ errores debeat, cui docendi munus in Eccleſia catholica eſt impoſitum". Et infra: „ Si magni beneficii
„ loco haberi ſolet opus, quod ſingulari hominis alicu-
„ jus judicio ad illuſtrationem catholicæ fidei in vulgus
„ ſpargitur, quanti nobis erit illud munus, quod in-
„ terveniente œcumenici Concilii ſententia inceptum,
„ quod virorum toto chriſtianiſmo celeberrimorum dili-
„ gentia perfectum, quod ſedis Apoſtolicæ authoritate
„ corroboratum, quod denique Pii V. quod ejus Pon-
„ tificis juſſu eſt editum, quo nemo ad clavum Petri
„ ſedere poteſt prudentior, nemo in religionis cultu in-
„ veniatur ſanctior? An ullum poſt Scripturas ſacras
„ opus fuerit, quod Paſtorum manibus prius ſit volven-
„ dum Catechiſmo Romano? An ſolidiori doctrina
„ mentes hominum noſtro ſæculo excolantur, quam quæ
„ ex Apoſtolica ſchola, ex communi Eccleſiarum ma-
„ tre, ex immobili veritatis Petra emanat?" Ibidem etiam ait, fidem Romanam, hoc eſt, inquit, Apoſtolicam, Catholicam, Chriſtianam hoc Catechiſmo contineri.

Ipſe etiam Albertus Bavariæ dux ſic de Catechiſmo loquitur in præfatione, ſive literis, quæ eidem editioni præmittitur: „ Habent fideles ex Tridentini Concilii
„ decreto Catechiſmum, quem ob ſummi Pontificis re-
„ verentiam *Romanum* recte dicunt, certum ſalutis ſuæ
„ præſidium: habent ſeducti, quo, ut ſeſe in viam re-
„ cipiant, graviſſime admonentur, & impelluntur. Eſt
„ is unus liber omnium inſtar, ſive veteris eccleſiaſticæ
„ hierarchiæ conſolidationem quæras, ſive modum &
„ rationem promptiſſimam, quibus peregrinas illas hæ-
„ reticorum aſpergines & prohibeas & extinguas. Hunc
„ ſi quis frequentiore lectione familiarem fecerit, non
„ hominum audiet ſermonem, quorum dicta vel ratio-
„ ne expendat, vel ad alia aliorum prudentium placita
„ referat, ſed ipſas Apoſtolorum linguas magnalia Dei
„ loquentes. Omnia hic ſancte, omnia graviter defini-
„ ta". Et infra præcipit in ſua ditione, ut quidquid vel populo in templis, vel juventuti in monaſteriis, & ſcholis traditur, doctrinæ Catechiſmi Romani attemperetur, *Ita ut*, inquit, *tam docentium quam diſcentium hæc regula ſit, & norma unica*.

Idem omnino ait Jacobus Bayus ſacræ Theologiæ in Academia Duacenſi profeſſor regius in epiſtola dedicatoria ad ſuas in Catechiſmum Romanum elucubrationes, qui etiam addit. „ Illum adverſus hæreſeon venena eſſe
„ antidotum Orbis judicio probatum, lydium lapidem,
„ & infallibilem normam, ad quam examinanda ſit o-
„ mnis doctrina, & principem locum inter omnia do-
„ ctorum ſcripta obtinere: cum non unius privati ho-
„ minis ſenſum, ſed Eccleſiæ totius, quæ columna &
„ firmamentum veritatis eſt, iudicium, & Apoſtolicam
„ a B. Petro & B. Paulo doctrinam Romanis traditam
„ contineat".

Joannes Bellarinus Clericus Regularis Congregationis S. Pauli, in præfatione ad librum de doctrina catholica &c. docet, Catechiſmi doctrinam tamquam veram & catholicam eſſe recipiendam. *Quod enim*, inquit, *a ſacro Concilio brevius circa graviora capita dictum eſt, hoc a Catechiſmo Romano ad mentem ejuſdem Concilii fuſius, & magis diſtincte explicatum atque propoſitum fuit*. Et mox capita illa graviora recenſet fuſius, & tandem, ut infra referemus, docet alio in loco, doctrinam Catechiſmi cuilibet authoritati SS. PP. præferendam.

Bellarminus præſertim tom. 1. & 2. Controverſiarum fidei frequentiſſime Catechiſmi authoritate utitur.

„ In Seminariis recte inſtitutis (inquit Poſſevinus
„ Societatis Jeſu Theologus lib. 5. Bibliothecæ cap. 2.)
„ in profanis intelliguntur humaniores literæ, Rhetori-
„ ca, Dialectica, Philoſophia, linguæ; in ſacris au-
„ tem Romanus Catechiſmus". Mox cap. 25. „ Ca-
„ techiſmus Romanus ex Synodo Tridentina decretus
„ ita erit prælegendus, ut cum noverint Clerici univer-
„ ſam Theologiam in eo includi (nam quæ credere,
„ quæ agere, quibus ſanctificari, quæ ſperare debea-
„ mus is complectitur) rerum præcipua capita, defini-
„ tiones, & alia hujuſcemodi memoriæ mandent". Et cap. 4. .. Cum autem ex præfatione Catechiſmi Ro-
„ mani peti poſſit ratio quædam inſtituendi clericos in
„ concionibus habendis, eandem hac mente præfecti Se-
„ minariorum prælegant: nam a ſancta Tridentina Sy-
„ nodo authore Spiritu Sancto dictata ſunt".

Quo in loco ea, quæ in præfatione Catechiſmi Romani de Clericorum ad habendas conciones inſtitutione continentur, a Tridentina Synodo authore Spiritu Sancto, non alia ratione dictata pronunciat, niſi quia Patres, quibus Synodus hoc mandaverat, illa dictarunt: neque enim Concilium totum illa præſcripſit, ut certiſſimum eſt: cum igitur eadem ſit ratio de cæteris, quæ Catechiſmus iſte complectitur (nam iidem Patres mandato ejuſdem Concilii, accedente ſummi Pontificis judicio, & authoritate, æque reliqua conſcripſerunt): eſt ſane quod concludamus juxta mentem Poſſevini, quæcumque Catechiſmus ille docet a Tridentina Synodo authore Spiritu Sancto fuiſſe dictata. Quæ ſi vera ſunt, qua ratione fieri poteſt, ut parvæ aut nullius authoritatis eſſe cenſendus ſit? Adde quod ipſe Poſſevinus lib. 7. cap. 12. loquens de libris ad jugulandas hæreſes percommodis, in primis numerat Catechiſmum. „ Juſſu
„ (inquit) Tridentini Concilii emiſſum in lucem a
„ Pio V. qui quaſi commentarius eſt catholicorum o-
„ mnium Catechiſmorum; in eo enim tota Theologia
„ traditur, quantum ſatis eſt imbuendis parochis, &
„ populis docendis". Denique in regulis Patrum Societatis de præfectis lectorum ad menſam, inter alios ſacros libros, qui prælegendi præſcribuntur, Catechiſmus Romanus etiam continetur.

Auguſtinus Valerius Sancto Carolo Borromæo amiciſſimus, Cardinalis & Epiſc. Veronenſis lib. 1. ad Acolythos Veronenſes ſic loquitur: „ Catechiſmus abhinc
„ triennium eſt editus Pii V. Pontificis Maximi juſſu,
„ quem ad juvandam rempublicam chriſtianam, & re-
„ ſtituendam veterem Eccleſiæ diſciplinam divinitus vi-
„ demus datum eſſe. Opus tam præclarum, ſi ſenten-
„ tiarum gravitatem, & lumina etiam verborum ſpe-
„ ctemus, ut nullum præclarius multis abhinc ſæculis
„ editum docti homines judicent: ſunt enim explicata
„ omnia, quæ ad inſtituendas animas pertinent, tanto
„ ordine, tanta perſpicuitate, tantaque cum majeſtate,
„ ut ſancta mater Eccleſia, Spiritu Sancto edocta, non
„ homo quiſpiam vocem emittere, & omnes docere vi-
„ deatur, &c."

Ex his omnibus huc uſque relatis hoc veriſſimum pronunciatum elicimus, tantam eſſe concluſionis, quæ in ipſo Catechiſmo continetur, aut quæ per manifeſtas conſequentias ex illo deducitur, certitudinem, ut concluſionis Theologicæ firmitatem vel æquet, vel ſuperet: licet enim res tota humana duntaxat ratione foret expendenda, & ſecluſa illa Spiritus Sancti infallibili aſſiſtentia, quam legitimis Conciliis, & ſummo Pontifici ex cathedra definienti adeſſe credimus, quis inficietur, cum de mente Concilii Tridentini controvertitur, aut de aliquo alio, quod Synodus aperte non definiit, ſtandum eſſe huic libro, qui ex mandato ipſius Concilii ab omnibus Patribus compoſitus, & a tribus ex illis, qui præſentes in eo fuerant, in compendium redactus, qui recenſitus eſt a purpurato Senatore piiſſimo, doctiſſimo, qui in Synodo ipſa præſens fuerat, qui a duobus eruditiſſimis & ſanctiſſimis Pontificibus eſt approbatus, quorum alter Congregationibus Romanis, in quibus definienda in ipſo Concilio prius tractabantur; alter toti fere Concilio a principio ad finem uſque interfuerat, qui a tot provincialibus, & diœceſanis Synodis per ſanctiſſimos præſules etiam Cardinales, qui Tridentino interfue-

terfuerant, in tot tamque diſſitis regionibus orbe toto chriſtiano celebratis exceptus eſt, qui a tot viris tanta pietate & doctrina clariſſimis proxime poſt Tridentinum ſcribentibus, tantis laudibus inſignitur? Enimvero ſi viri illi ampliſſimi, qui Catechiſmum vel compoſuerunt, vel recenſuerunt ex mandato Pontificis vel Concilii, quive illum in præfatis Synodis approbarunt, aut alias tanquam legitimum Tridentini fœtum ſuſceperunt atque laudarunt, eſſent numero pauci, aut dignitatibus & meritis non ſublimes, aut rerum in Tridentino geſtarum non ad unguem periti, aut humano quodam affectu ducti, poſſet quiſpiam de illius libri authoritate ſubdubitare. Nunc vero illi ipſi ſunt & numero, utpote pene trecenti, ex quibus Tridentino interfuerant pluſquam ſexaginta, & dignitatibus in Eccleſia ampliſſimis venerandi, doctorali videlicet, Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, Cardinalitia dignitate, ac denique ſummo ipſo Pontificatu inſignes, omni ſcientiarum genere mirum in modum exculti, pietate, ſapientia, imo & nonnulli miraculis clari. Nulla igitur ratione ambigere cordate quis poteſt, de hujus Catechiſmi authoritate tanta, ut proxime accedat ad dogmata fidei. Quid enim? Nonne unius provincialis Synodi a ſummo Pontifice approbatæ tam ſancta eſt authoritas, ut fidem faciat, nec ulli catholico liceat contradicere? Quid igitur dicendum de illo libro, qui ſacroſanctæ & Œcumenicæ Synodi authoritate compoſitus, a ſummis Pontificibus approbatus, tot Synodorum provincialium a Sede apoſtolica confirmatorum approbatione fulcitur? Profecto in hujus Catechiſmi approbationem veluti conſpirarunt omnes omnium ordinum homines, & cœtus, Œcumenicæ, Provinciales, & Diœceſanæ Synodi, Pontifices, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Doctores, ut qui librum hunc dixerit non eſſe magnæ authoritatis, vel neſciat, quid loquatur, vel media in luce plane cæcutiat.

CAPUT VII.

Ex dictis infertur, quantæ ſit authoritatis Catechiſmus Romanus, & qua ratione differat a Sacra Scriptura, & aliis.

QUamvis ex ipſa Tridentina Synodo authoritatem maximam & pleniſſimam Catechiſmus hic ſortiatur, ut jam ſupra probatum eſt; non inde tamen inferendum eſt, nos illum in omnibus æquare vel Tridentinis canonibus, vel Scripturis. Sicut enim Chriſtum Dominum, Joannis 1. & Lucæ 2. & 4. beatiſſimam Deiparam Lucæ 1. B. Joan. Baptiſtam Lucæ 1. B. Zachariam, & B. Eliſabeth, ibid. D. Petrum, & Apoſtolos Act. 1. & 4. B. Stephanum Act. 6. & 7. plenos Spiritu Sancto & gratia legimus, nec propterea pares illos & æquales inter ſe in hac ipſa plenitudine arbitrari vel dicere cenſemur; ita prorſus pleniſſimam Scripturarum canonicarum, decretorum Synodalium ac Pontificiorum, & Catechiſmi Romani authoritatem aſſerimus; æqualitatem nihilominus in hac ipſa authoritatis plenitudine illis inter ſe merito denegamus. Novimus magnum eſſe diſcrimen. Plenus eſt Chriſtus gratia & Spiritu Sancto, quia gratiam habet infinitam ex dignitate infinita ſuppoſiti, & ex gradu perfectiſſimo, quem de via ordinaria hic habitus habere poſſit, & quia fons eſt & principium omnium gratiarum, quæcumque in hominibus poſt lapſum proto-parentis inveniuntur. Plena eſt Beata Dei genitrix gratia, ſed multo inferiori plenitudine ad illam Chriſti Domini: habet illam, quam dignitas matris Dei exigit, quæ ut ſupra omnes omnium aliorum eminet, ita infra gratiam Filii ab ea plurimum diſtans, in ſuo tamen ordine pleniſſima collocatur. Plenus Joannes Baptiſta, pleni Apoſtoli, plenus Stephanus, plenus Zacharias, plena Eliſabeth, ſed horum quilibet plenus juxta injunctum illis officium, & prout Spiritus Sanctus cuilibet vult gratiæ plenitudinem diſtribuere & impertiri: nulla tamen ratione inter ſe hujuſmodi plenitudines ſunt æquales. Plenum dicimus ovum luteo & albumine, plenum vino dolium, plenum oleo utrem, plenum rebus creatis Orbem: quis tamen ita parum ſaperet, ut hæc licet in ſuo quæque genere pleniſſima, in hac ipſa plenitudine æqualia eſſe aſſereret? Ita profecto pleniſſima eſt Catechiſmi Romani authoritas, ut nihil falſi, nihil intra fidem catholicam improbabile, nihil non certum contineat: ſed certiora decreta Pontificum, certiores Conciliorum canones, & his omnibus Scriptura certior & auguſtior. Libros canonicos non ſolum quoad ſenſum, verum etiam quoad verba, & ad minimos uſque apices dictavit Spiritus Sanctus: in canonibus & decretis condendis, quantum ad ſenſum mentes Patrum atque Pontificum idem Spiritus dirigit & illuſtrat: aliis vero libris, quos apoſtolica Sedes probaverit, non tanta debetur reverentia ex ſua origine, vel ex ipſorum authoribus, ſed ex confirmante & probante authoritatis ſuæ robur & gloriam modo ſuo participant, & ſortiuntur. Quare illa priora diviniorem habent originem, & ingenitæ, ac veluti naturalis nobilitatis privilegio gaudent; hæc poſteriora ex ſtirpe non ita nobili oriunda, ſupra natalium meritum in aliorum dignitatem & ordinem infra priora tamen aſciſcuntur, evehuntur, atque nobilitantur. Varii ſiquidem ſunt gradus certitudinis; nec omnia, quæ certa ſunt, eodem certitudinis momento conſtant: ipſa etiam quæ a Conciliis decernuntur, quamvis ab eadem authoritate profecta, non idem juris ac certitudinis obtinent. Ipſi Patres in Conciliis libere uniformiter, difformiter ſuam diſpenſant, atque diſpertiuntur authoritatem; quædam ut fide divina credenda proponunt; nonnulla ut probabiliora eligunt: alia ut eccleſiaſticis doctoribus magis conformia conſtituunt: nec tamen privato cuilibet fas eſt ea in dubium revocare. Quot quantiſque liceret iſta exemplis evidentiſſimis demonſtrare! Sed ſupervacaneum eſt tempus terere & chartas implere in re, de qua conſtat apud omnes eruditos. Rationes, quibus Concilia probant ſuas definitiones, non ejuſdem ſunt roboris; aliæ aliis certiores, nec tamen licet alicui eas improbare, niſi manifeſtiſſimum, & ab Eccleſia ipſa reprobatum dogma viderentur continere; quo caſu adhuc cum maxima cautela & reverentia ponderandæ ſunt & expendendæ. Quamvis ergo ex mandato Tridentini ſit compoſitus Catechiſmus, atque adeo magis huic ſacroſanctæ Synodo, quam ipſis Patribus ab ea deputatis tribuendus ſit, juxta notiſſimam illam juris regulam ſupra relatam, nihilominus non æquiparatur Tridentinis canonibus, quod ad certitudinem & infallibilitatem, quia eam duntaxat authoritatem ſortitur, quam Tridentini Patres ipſum habere voluerunt: noluerunt autem ipſum ejuſdem eſſe authoritatis cum canonicis Scripturis, neque vero id poterant; imo nec cum decretis Conciliorum, & Pontificum, ſed iis proximæ: noluerunt, ut certa fide crederentur omnia, quæ Catechiſmus complectitur; ſed ut multo probabiliora, & Sanctorum, atque Doctorum Eccleſiæ ſenſui magis conſona. Siquidem, cum Tridentinum jubeat, Parochos ea docere, quæ ad Sacramenta ſpectant, cum idem imperent Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. nedum quod ad doctrinam de Sacramentis, ſed prorſus quod ad omnia illo Catechiſmo contenta, cum hoc ipſum decernant viginti duo Concilia provincialia, Sedis apoſtolicæ authoritate confirmata, neceſſum eſt, librum illum doctrinam *omnino* catholicam, nec ulla omnino ratione *vel erroneam*, vel ſuſpectam, aut aliquatenus *intra ordinem* Orthodoxiæ improbabilem *continere*: alioquin quis non videat, Concilium œcumenicum, ſummoſque Pontifices, & tot Synodos approbatas exponere manifeſtiſſimo graviſſimoque diſcrimini parochos & plebem catholicam docendi & amplectendi doctrinam aliquam erroneam, ſuſpectam, vel improbabilem? Quod cum fieri nequeat, alias nutaret Conciliorum, ſummorumque Pontificum infallibilitas, conſequens eſt, ut Catechiſmum illum aſſeramus non quidem æqualis cum decretis pontificiis & conciliaribus authoritatis, ſed iis proximæ, ita ſane ut doctrina hæc Catechiſmi concluſionis Theologicæ certitudini æquipolleat, & nedum quorumcumque Doctorum, ſed etiam ipſius Auguſtini, vel Hieronymi authoritate præponderet; ut ante me docuit Bellarinus ſupra cap. præcedenti relatus, cujus verbis probationes iſtas concludo:

„ Catechiſmus Romanus (inquit) habet majorem au-
„ thoritatem, quam quilibet Doctor Eccleſiæ, ſive D.
„ Auguſtinus, ſive D. Hieronymus, ſive D. Thomas.
„ Et opinor illius doctrinam eſſe tantæ authoritatis,
„ ut aperte contradicere illi temerarium ſit; & hoc du-
„ plici ratione; prima eſt, quia doctrina Catechiſmi
„ quadam ratione doctrina Concilii Tridentini eſt: Ca-
„ techiſmus enim effectus eſt tempore Concilii, & a
„ Patribus delectis a Concilio, & qui interfuere Con-
„ cilio, & quos Concilium exiſtimabat doctrinam a ſe
„ diſcuſſam intellexiſſe, & demum quia Catechiſmus in
„ multis Sacramentis quaſi commentator Concilii eſt:
„ fuſius enim dicit, quod a Concilio breviſſima ora-
„ tione propoſitum eſt. Secunda ratio eſt, quia Cate-
„ chiſmus duplici authoritate tum Concilii Generalis,
„ tum Pontificis editus eſt, ut ex inſcriptione Cate-
„ chiſmi patere poteſt. Quare merito aſſerendum vide-
„ tur, quod ſpeciali ratione Spiritus Sanctus aſtiterit
„ illi: & ideo ejus authoritas maximi eſt facienda, &
„ ejus doctrina tanquam vere catholica eſt habenda “.

CAPUT VIII.

Diluuntur quædam argumenta adverſus ea, quæ diximus.

OBjiciunt in primis : „ Ad commendationem Cate„ chiſmi, quæ commemorantur, plus nocent, „ quam proſint: commendatur enim ex falſis. Suſcepit „ illum Synodus Mediolanenſis anni 1565. ſub Carolo „ Borromæo. Ergo antequam ederetur, ſuſcepit. Edi„ tus enim eſt juſſu Pii quinti, cujus extat privilegium „ Manutio factum menſe Septembri anni 1566. Cum „ tamen Concilium illud anni 1565. Mediolanenſe di„ catur coactum in ultimo tomo Conciliorum editionis „ Binianæ ſub Pio quarto Borromæi avunculo. Quo„ modo ergo potuit Synodus coacta ſub Pio quarto ſuſ„ cipere Catechiſmum edendum ſub Pio quinto? Quod „ non majori veritate aſſeritur, quam ſi Annales Gal„ lici dicerent, codicem promulgatum ſub Henrico „ quarto fuiſſe ſub Henrico tertio receptum. Eandem „ vim habent, quæ citantur ex Regulis Societatis, re„ cipi Catechiſmum tanquam legitimum Concilii fœ„ tum, cum de illo nihil amplius habeant Regulæ, „ quam de D. Bernardo, hoc eſt, quod Regulæ ejuſ„ modi non magis teſtentur, hunc Catechiſmum eſſe „ legitimum Tridentini fœtum, quam D. Bernardi „ opera eſſe legitimum Tridentini fœtum determi„ nent “.

Quid quæſo argumentis, aut comparationibus opus eſt in re facti, de qua manifeſte conſtat? Catechiſmus Concilii Tridentini non poteſt non eſſe receptus in prima Synodo Mediolanenſi ſub ſancto Carolo Borromæo, ſi hæc Synodus præcipiat omnibus Clericis totius Provinciæ, ut illum penes ſe habeant: hoc enim eſt recipi, hoc approbari, & commendari. Id vero præcepiſſe hanc Synodum evidens eſt ex parte ſecunda Conſtitutionum præfati Concilii, Titulo, *Qui libri a Clericis legendi*; quo loco ſic conſtituitur: *Clerici habeant .... Catechiſmum Romæ edendum, cum primum in lucem prodierit*. Quis ulli tergiverſationi locus relinquitur? Videat lector, quo pacto piiſſima, quam afferunt, & ratione, & comparatione revincantur. Nullus profecto alius Romæ mox edendus fuit eo tempore, quo Patres Provinciæ Mediolanenſis præcipiunt Clericis, ut Catechiſmum Romæ mox edendum habeant, niſi Catechiſmus Tridentini: id enim præcipiunt anno 1565. Solus Catechiſmus Concilii Romæ mox, ideſt, anno 1566. editus eſt. Is ergo ille ipſe eſt, quem mox edendum Romæ, habendum jubent. Nec minus comparatione, quam afferunt, confunduntur. Potuit ſane codex ſub Henrico tertio compoſitus ac receptus, ſub Henrico quarto promulgari. Sicut beatiſſimus Patriarcha Ignatius a Gregorio XV. in Sanctorum ab Eccleſia publice invocandorum numerum eſt receptus, & adſcriptus: ab Urbano autem Octavo pontificio diplomate promulgatus eſt: quia Gregorius XV. morte præventus bullam apotheoſeos B. Ignatii promulgare non potuit. Hoc vero manifeſtius in Catechiſmi Romani approbatione contingere potuit: tum quia libri hujuſmodi, qui typis mandantur, approbari ſolent, priuſquam in lucem prodeant: tum vero & maxime, quia omnes illi Præſules illuſtriſſimi, qui primæ Synodo Mediolanenſi intererant, etiam Tridentino adfuerant, agnoverantque in illo, quanto ſtudio, quanta cura, & quanta diligentia Patres ac Theologi huic Catechiſmo concinnando, reviſendo, diſcutiendo decem fere menſibus incubuiſſent. Noverat & ipſe ſanctus Carolus Borromæus Pontificius legatus, ac Synodi Mediolanenſis præſes, quam accurata diſcuſſione Pius IV. ipſius avunculus, ac mox Pius quintus hunc Catechiſmum examinandum curaſſent. Ipſe ſanctus Præſul, ut ſupra vidimus, in eam componendi aut recenſendi Catechiſmi curam, doctiſſimos viros adhibuerat. Noverat eminentiſſimum ac doctiſſimum Senatorem Guillelmum Sirletum olim præceptorem ſuum omnibus, quæ Catechiſmo continentur diſcutiendis maximo labore atque induſtria adhibitis etiam aliis Theologis defudaſſe. Hiſque omnibus attente perſpectis, conſiderata inſuper imminente ſummi Pontificis approbatione juxta decretum Tridentini, hunc Catechiſmum Clericis ſuæ curæ ſubjectis ſapientiſſimi hujus Synodi Mediolanenſis antiſtites habendum, etiam antequam ederetur, prudentiſſime præceperunt, utpote cujus initia jam in Tridentino viderant, extremamque manum aut jam adhibitam, vel mox adhibendam Romæ certo ſciebant. Ad aliud vero, quod ex Regulis Patrum Societatis afferebatur, nemo plane negare poteſt in illis commendari Catechiſmum Romanum, eo ipſo quod inter libros optimos ille recenſetur.

Neque mihi unquam in mentem veniſſet, poſſe reperiri aliquem, qui Catechiſmum Romanum, cujus tutius eſt, *Catechiſmus ad Parochos ex decreto Concilii Tridentini juſſu Pii V. editus*, quem in Regulis Societatis receptum inficiari non poſſet, diceret nihilominus tanquam legitimum Tridentini fœtum non magis recipi, quam opera D. Bernardi in illis tanquam Tridentini fœtus recipiantur. Quid enim? Si Catechiſmum Romanum recipiunt hujuſmodi Regulæ, qualem ſeſe in ipſo titulo exhibet, puto, recipiunt? Neque perſuaſum unquam nobis erit, tam irrationabiles eſſe hujuſmodi Regulas, vel ipſos earum legum conditores, ut opera, quæ D. Bernardi nomine inſigniuntur, tanquam Concilii fœtus ſuſcipiant, aut D. Pauli Epiſtolas, D. Matthæi Evangelium eſſe determinent. Opera omnia, ea præſertim, de quorum authoribus nulla unquam fuit dubitatio, tanquam legitimos eorum ſcriptorum, a quibus prodierunt, fœtus, ab iis, qui ea commendant, recipi nemo non videt. At neque Catholicorum ullus unquam in dubium revocavit, Catechiſmum Romanum ad Parochos legitimum eſſe Tridentini fœtum, ea videlicet ratione, quod ex decreto Tridentini ab iis, quos eadem ſacroſancta Synodus delegerat, ſit compoſitus. Quis enim negaverit mandantis eſſe fœtus, quæ mandatarius ejus nomine geſſerit, ſi leges, formam, & fines ipſi mandato præſcriptos ſervaverit? Quare cum Regulæ Societatis Catechiſmum Romanum receperint, qui in ipſo titulo præ ſe fert, quod ex decreto ac mandato Tridentini compoſitus fuerit, conſequens eſt, ut ipſum tanquam legitimum Tridentini fœtum agnoverint. Neque vero tantum authoritatis illi tribuiſſent illi legislatores, niſi probe agnoviſſent, ipſum a ſacroſancta Synodo, ut dictum eſt, emanaſſe.

Verum ſecundo objiciunt, *Commendari ex falſis Catechiſmum, quod ad commendationem Catechiſmi commemoratur* (videlicet in priori quodam hac de re ſcripto) *Synodus provincialis Toloſana anno 1589. quæ nulla unquam fuit; ſed fefellit illius ſcriptionis authorem, quod ad calcem Synodi Toloſanæ anni 1590. annus 1509. notatus legitur: debuit tamen advertere illum annum non congruere Synodo, ſed bullæ Sixti quinti ſub finem ejuſdem Synodi adjectæ*.

Videat Lector benevolus effugia & inconſequentiam rationum, quas afferunt. Quæ ad Catechiſmi Romani commendationem allata ſunt, *plus nocent, quam proſint: commendatur enim ex falſis*. Quænam illa? Quia laudatur Synodus Toloſana ut Catechiſmum recipiens, atque ad marginem notatur illius Synodi annus 1589. cum tamen habita non fuerit niſi anno 1590. At quid quæſo nocet commendationi Catechiſmi, quod illo vel illo anno ſit habita Synodus Toloſana, dummodo verum ſit, eam plurimum Catecheſim hanc commendare? Eſto vacillarit authoris illius memoria, eſto non adverterit. Quid inde adverſus Catechiſmi authoritatem? Eſtne verum, Synodum Toloſanam, quocumque tandem anno habitam, vocaſſe librum hunc *Romanæ fidei Catechiſmum?* Eſtne certum, eandem illum ipſum nominaſſe *Catechiſmum Concilii Tridentini?* Eſtne indubitatum, Patres illius Synodi, & illos inter Eminentiſſimum D. Franciſcum Cardinalem de Joyeuſe omnibus Parochis præcepiſſe, *ut eum perpetuo, continuo præ manibus habeant?* Si hæc vera ſint, qui fieri poteſt, ut allata in Catechiſmi Romani commendationem plus noceant, quam proſint? Sed cur volunt lapſus memoriæ vel inadvertenter ab authore commiſſos in ipſam Catechiſmi authoritatem retorquere?” Quid vero aliud eſt dicere, hæc omnia plus nocere, quam prodeſſe, niſi aperte ac exerto ore illorum omnium, hoc eſt, Regulæ Patrum Societatis, Theologorum, Principum, Provincialium Synodorum duarum ſupra viginti, ipſiuſque Concilii Œcumenici decernentis, & ſummorum Pontificum Pii quinti, ac Gregorii decimi tertii authoritatem palam contemnere? Hæc enim omnia in Catechiſmi commendationem allata fuerant. Si ergo horum omnium mandatum, juſſus, approbatio, commendatio plus nocent, quam proſint, non poteſt non cadere omnium illorum authoritas. Verum ſi hæc apud iſtos nocere dicuntur, malumus nos ſimilia experiri nocumenta, quam quæcumque alia, quæ his, qui hæc nociva exiſtimant, quacumque ratione prodeſſe valeant.

Sed tertio inſurgunt, *Catechiſmus iſte probatur propoſitus toti Eccleſiæ ex brevi ſummi Pontificis, quaſi ſummus Pontifex alloquens privatum aliquem puta Romanum, aut Burdegalenſem Bibliopolam, alloquatur univerſos fideles*.

Catechiſmum toti Eccleſiæ propoſitum a Pio V. ex multis probatum fuerat: Ex Fabritio in præfatione ad Catechiſmum, ex Georgio Edero in partitionibus Catechiſmi, ex Gabutio in vita Pii V. ex ipſo Pio V. in brevi ad Manutium, in bulla reformationis Ordinis Ciſtercienſis, in alia bulla pro reformatione Ordinis Servorum, in bulla 106. 122. & denique ex ipſo titulo Catechiſmi. Gregorium vero decimum tertium idem

præſti-

præſtitiſſe probatum fuit ex brevi anni 1583. ex bulla 48. ex Concilio Aquilejenſi, & ex Poſſevino in Apparatu. Iſti vero relictis aliis probationibus ſolidioribus, quæ plus ipſis negotii facere poterant, ſolum illam, quæ ex brevi Pii V. ad Manutium, & ex alio Gregorii XIII. ad Millanges bibliopolam Burdegalenſem petebatur, impugnandam ſuſceperunt, omnia ſe ſubruiſſe confidentes, ſi ex tot probationibus vel minimam attigiſſent. Demus enim ex tot ac tam perſpicuis teſtimoniis unum aut alterum non ita urgere, imo prorſus cadere, ac nullius eſſe momenti, num propterea cætera ſuo pondere atque authoritate carebunt? Veriſſimum eſt, in brevi ad Manutium Pius V. & in brevi ad Millanges bibliopolam Burdegalenſem Gregorius XIII. non alloquuntur univerſos fideles, ſed in iis brevibus teſtantur, Sedem apoſtolicam in Catechiſmo omnes fideles per Parochos alloqui, eumque toti Eccleſiæ ſe propoſuiſſe. En verba Pii V. quibus id clariſſime docet: „ Paſtorali officio cupientes quam diligentiſſime poſſu„ mus divina adjuvante gratia fungi, & ea, quæ a „ ſancto Tridentino Concilio ſtatuta, & decreta fue„ runt, exequi, curavimus, ut a delectis aliquot Theo„ logis in hac alma Urbe componeretur Catechiſmus, „ quo Chriſti fideles de iis rebus, quas eos noſſe, pro„ fiteri, & ſervari oportet, Parochorum ſuorum dili„ gentia docerentur “. Eodemque fere modo loquitur Gregorius XIII. in illo alio brevi anni 1583. Vides ergo, quomodo hi Pontifices ſummi in iis brevibus ad privatos quoſpiam directis, teſtentur nihilominus ſe per Catechiſmum univerſos fideles non ſolum alloqui, verum etiam edocere, non quidem immediate, ſed mediante Parochorum cura, quibus etiam mediis univerſas Chriſti oves, & agnos paſcunt. An non crederes, lector benevole, hos homines tibi voluiſſe illudere, aut brevia illa nec legiſſe quidem, vel neglexiſſe, aut certe veritatis cognitæ odio ſic agitatos, ut etiam illa ipſa, quæ præ oculis haberent, videre non poſſent, imo totum oppoſitum iis, quæ proſpiciebant, & viderent, & ſcriberent?

Verum ſilere nequeunt, ſed opponunt quarto, *Quod Catechiſmum* æquiparemus *Concilii Tridentini*, *& ſummorum Pontificum decretis*, *eo quod*, ut ſupra diximus, *actio mandata magis tribuitur mandanti*, *quam mandatario*, *& Reſponſa prudentum*, *quibus de jure reſpondendi poteſtas facta eſt*, *pleniſſimam authoritatem ſortiuntur*, *perinde ac ſi ab ipſis Principibus conſtituta fuiſſent*. *Omnes tamen Doctores infallibilitatem non poſſe committi ita conſtanter aſſeverant*, *ut A. Caſtro de juſta hæreticorum punitione lib.* 1. *ita loquatur*, *nullus unquam*, *quod ſciam*, *adeo huc uſque deſipuit*, *ut dixerit*, *legatos Papæ*, *aut commiſſarios ejus errare non poſſe*.

Infallibilitatem committi non poſſe contra Joannem Baptiſtam Pozza eam ſibi ſuiſque temerarie arrogantem defendimus: nullibi authoribus Catechiſmi eam delegatam aſſeruimus, ſed duntaxat, ut quorumdam nimis præſidentium audaciam frangeremus, ex illis celeberrimis juris regulis, quantum authoritatis Catechiſmo Patres Tridentini, ac ſummi Pontifices tribuendum cenſuerint, duximus explicandum. Varii ſiquidem ſunt gradus certitudinis. Quædam ita certa ſunt, ut oppoſitum ſit hæreſis manifeſta; qualia ſunt, quæcumque in Scripturis juxta ſenſum Eccleſiæ intellectis, in receptis traditionibus, in legitimarum Synodorum, ac ſummorum Pontificum definitionibus continentur; alia proxime ad horum certitudinem accedunt, cujuſmodi ſunt, quæ ex illis prioribus legitima conſecutione inferuntur, quibus contrarium eſt error. Alia denique ita certa ſunt, ut contradicere ſit temerarium. Neque vero Catechiſmo Romano ex ſola commiſſione Tridentini, tota conſtat authoritas, quamvis ex illa non minima ſortiatur. Bellarminus tom. 1. lib. 2. *de Conciliorum authoritate* cap. 11. aſſerit: „ Concilia generalia, etiam an„ te Pontificis confirmationem errare non poſſe, quan„ do definiunt conſentientibus omnibus cum legatis ſe„ quentibus Papæ inſtructionem, quia in hujuſmodi „ Conciliis invenitur expreſſus conſenſus capitis & mem„ brorum, ac proinde totius Eccleſiæ, quæ ſine dubio „ errare non poteſt; neque (inquit) obeſt, quod inſtru„ ctio illa a Pontifice data non videatur definitiva ſen„ tentia Apoſtolicæ Sedis: nam quando Concilium con„ ſentit cum Pontificis ſententia, formaturque decretum „ a legatis nomine Pontificis, tunc incipit eſſe ſenten„ tia definitiva & ultima non ſolum Concilii, ſed et„ iam Pontificis, neque poteſt Pontifex eam retracta„ re: nam certo intelligit ſententiam ſuam fuiſſe a „ Deo, quando a Concilio approbatur, ut dicit D. Leo „ in Epiſt. 63. ad Theodoretum, quæ (inquit) Do„ minus noſtro prius miniſterio definierat, univerſæ fra„ ternitatis irretractabili firmavit aſſenſu, ut vere a ſe „ prodire oſtenderet, quod prius a prima omnium ſe„ de formatum, totius chriſtiani orbis judicium rece„ piſſet, ut in hoc quoque capiti membra concordent “. Hæc Bellarminus. Quæro igitur an infallibilitas in eo caſu fuerit delegata. Quicquid dicant, ſe ipſos damnant: nam Catechiſmus juxta inſtructionem Concilii legatis conſentientibus, annuente ſummo Pontifice compoſitus, ab iiſdem ſummis Pontificibus approbatus eſt, non quidem tanquam omnia, quæ complectitur, ſint fide credenda, ſed ita, ut ſaltem temerarium ſit contrarium aſſerere. Si enim, ut ait idem Bellarminus ibidem cap. 10. „ Concilium particulare non expreſſe con„ firmatum, facit argumentum adeo probabile, ut te„ merarium ſit ei non acquieſcere “ quanto potiori jure temeritatis notam promerebitur, qui non acquieſcit Catechiſmo Romano ex decreto Concilii generalis edito, authoritate ſanctæ Sedis approbato, tot Conciliorum provincialium etiam a ſummis Pontificibus confirmatorum conſenſu roborato? An non eſt hic conſenſus capitis & membrorum, atque adeo totius Eccleſiæ? Nec propterea fides eſt, quicquid Catechiſmo continetur, ſed proximum fidei, ut ad minus temerarium ſit ſeſe opponere. Et hoc ſenſu dictum eſt actionem mandatam magis tribui mandanti, quam mandatario, hoc eſt, Catechiſmum magis tribui Tridentino, quam Patribus, qui eum compoſuere. Hoc ſenſu pleniſſimam authoritatem ſortitur, ut ſuperius etiam explicatum eſt. Nulla ſiquidem ratione amplectendam cenſemus illam regulam Patrum Societatis Lovanienſium, quod videlicet, *Liber aliquis humana induſtria ſine aſſiſtentia Spiritus Sancti ſcriptus*, *ſi poſtea Spiritus Sanctus teſtetur*, *ibi nihil eſſe falſum*, *efficitur Scriptura Sacra*. Nos, inquam, hanc regulam omnino rejiciendam arbitramur, quam ſi admitteremus, plane conſequeretur, Catechiſmum hunc eſſe Scripturam Sacram: nam non ſolum humana induſtria non eſt ſcriptus, ſed authore Spiritu Sancto, qui illius ſcriptionem Tridentino Concilio, ut par eſt credere, inſpiravit, & non ſine aliqua ejuſdem divini Spiritus aſſiſtentia ſcriptus aſſeritur a viris ſapientiſſimis Poſſevino, Bellarino, & aliis ſuperius recenſitis, verum etiam approbatus eſt a Spiritu Sancto per ora ſummorum Pontificum Pii V. & Gregorii XIII. ita ut nihil omnino falſi continere ad minus dicendus ſit. Verum, quia hi Pontifices non eam illi authoritatem tribuendam declararunt, ut omnia quæ docet Catechiſmus, ad minimos uſque apices a Spiritu Sancto dictata ſint, non eſt Scriptura Sacra; & quia noluerunt illa eadem eſſe ipſiſſimam fidem, non æquiparatur Conciliorum definitionibus, vel ſummorum Pontificum decretis. Quia vero decreverunt, ut Parochi hujus Catecheſeos doctrinam univerſos fideles docerent, tantam illi contulere authoritatem, ut poſt Scripturam & canones ad fidem proxime accedat, ut nihil falſum, nihil erroneum, nihil ſuſpectum, nihil intra fidem catholicam improbabile contineat, ejuſque authoritas privata omnium Doctorum authoritati multum præemineat, atque præponderet.

CAPUT IX.

Solvuntur quædam, quæ contra Catechiſmi doctrinam quidam objiciunt de aqua mixta vino in Calice conſecrando.

POſtquam aliqua ex illis, quæ ad probandam Catechiſmi authoritatem a nobis allata ſunt, recentiores ſubvertere ſunt conati, mox ſe illam agnoſcere profitentes tacite nituntur doctrinam illam Catecheſi contentam in ſuſpicionem adducere, ut hac arte, dum probaverint aliqua in illa contineri parum tuta vel improbabilia, conſequentiam trahant ad cætera, quæ illorum opinionibus adverſantur.

„ Non negamus (*inquiunt*) quin ſumma ſit hujus „ Catechiſmi authoritas. Certe ſi Tridentinum docuiſ„ ſet in Euchariſtiæ Sacramento aquam non mutari im„ mediate in Sanguinem Chriſti, aut Chriſti benedi„ ctionem non diſtinctam fuiſſe a conſecratione, nullus „ reperiretur Catholicus, qui auderet contradicere. Et „ tamen, quamvis utrumque non obſcure extet in illo „ Catechiſmo, ut ipſi Thomiſtæ fatentur, Primum ne„ gat Baronius anno 1088. n. 29. & 1192. n. 24. alii„ que duo Cardinales Alanus lib. 1. de Euchariſtia „ cap. 13. & Toletus lib. 2. Summæ cap. 25. §. Rur„ ſus, cum plurimis recentioribus. Secundum autem „ fere omnes poſt Concilium Tridentinum reſpuunt, & „ tantum non cenſura notant. Authoritatem nihilomi„ nus non levem hujus Catechiſmi agnoſcimus &c. “ Hujus ratiocinationis jejunitatem, dum legimus, ita demirati ſumus, ut vix vel ipſis oculis crederemus. *Non negamus*, inquiunt, *quin ſumma ſit hujus Catechiſmi autho-*

authoritas. Si ſummam non negant, ſummam agnoſcunt, qua ratione non pleniſſimam: qua ratione violandam? qua ratione fieri poteſt, ut ſtante hac ſumma Catechiſmi authoritate ſtet in illo ſententia ipſi Concilio Tridentino contraria? Si ſumma authoritas, ergo aliorum opiniones ad hujus Catechiſmi ſanctiſſima dogmata caſtiganda ſunt. At quæſo quid connexionis habet; *Non negamus ſummam eſſe Catechiſmi authoritatem*; cum ſequentibus, *certe ſi Tridentinum &c.?* Profecto, hoc non eſt legitimum argumentum, quo reverentiam ſuam erga ſummam illam, quam non negant, Catechiſmi authoritatem probent, imo potius, quo illam ſubruere moliantur, dum in Catechiſmo eas opiniones contineri ſignificant, quarum altera vix eſt probabilis, altera vix eximitur a cenſura. Hoc uno verbo idem eſt ac negare, quod aſſeruerunt ſummam eſſe videlicet Catechiſmi authoritatem. Quare quaſi eos dicti pœniteret, non levem eam authoritatem ſubjiciunt. *Non obſcure*, inquiunt, *contineri in Catechiſmo, in Euchariſtiæ Sacramento aquam non mutari immediate in ſanguinem Chriſti*. Portentoſum dogma! Quid ita? Sic jubent. Siccine cadit *ſumma* illa *authoritas*, quia recentiorum contradicit placitis? Sed quid, ſi nec iſtam ſententiam certo doceat Catechiſmus? Quid ſi, quæ opponunt, falſa ſint? Quid ſi, quæ ipſi contendunt, minime vera? Arbitror ſi hæc tria demonſtraverimus, pœnitebit eos teſtificationis tam malæ mentis. In primis igitur aſſerimus ſententiam illam, quæ aſſerit aquam non mutari immediate in ſanguinem Chriſti in Euchariſtia, non tradi tanquam certam, & tanquam ipſius Catechiſmi aſſertionem, ſed tanquam eccleſiaſticorum ſcriptorum judicio magis receptam. Cum enim Catechiſmus agens de Euchariſtia docuiſſet, aquæ modicum in calice conſecrando miſcendum cum vino, hujus rei rationem reddens ſubdit: *Nam eccleſiaſticorum ſcriptorum ſententia atque judicio aqua illa in vinum convertitur*. Quid ipſis in hac ſententia diſplicet? Tum nec Baronius, nec ipſe Toletus vel Cardinalitio galero inſigniti fuerant, vel opera ſua ediderant, ut eccleſiaſticorum ſcriptorum nomine cenſerentur. Alludit Catecheſis eo loci ad id, quod ſcribit Innocentius III. *in capite cum Marthæ, de celebratione Miſſarum*, dicens: *Quod aqua tranſubſtantiatur in vinum*, licet *Phyſici contrarium aſſeverent*. Ut ergo Catechiſmus Phyſicis illis, quorum meminit Innocentius, magis ſequendos authores opponeret, eccleſiaſticorum ſcriptorum ſententia atque judicio, aquam illam in vinum converti dixit. Et profecto rationabiliter id protulit; nam ante exortos quoſdam neotericos, qui omnia ſibi licere arbitrantur, pauciſſimos reperire fuerit, qui non aſſerant aquam in calice vino mixtam prius in vinum converti, & deinde in Chriſti ſanguinem, ut annotavit Suares, 3. p. q. 74. art. 8. diſp. 45. ſect. 4. Quin & in libello de ratione ſtudiorum Societatis Jeſu in regulis de delectu opinionum poſt regulam ſextam, in qua præcipitur, ne Socii a S. Thoma in quibuſdam recedant, pag. 319. ex tertia parte, n. 19. hæc ſententia tanquam D. Thomæ ſequenda præſcribitur his verbis, *Aqua vino admixta debet prius in vinum converti, quam in Chriſti ſanguinem: tametſi damnandum non videatur, ſi ab aliquo probabiliter dicatur, aquam in ſanguinem immediate poſſe converti*. Quam ergo ſententiam hi neoterici vix probabilem arbitrantur, hæc regula certam ſic ſtatuit, ut oppoſitam duntaxat non damnandam cenſeat. Hac via progrediuntur novitates: prius ſententia non damnanda ſtatuitur, mox gradum faciens probabilis defenditur, deinceps ut certa traditur, ac tandem contraria vix probabilis, vel mox damnanda exploditur. Eo jam progreſſi ſunt, qui opponunt, ut quam doctrinam Catechiſmus Eccleſiaſticorum judicio munitam affirmat, quam Suares veterum fere omnium calculis comprobatam cenſet, quam libellus ille ſequendam præſcribit, hi vix probabilem arbitrentur. Igitur ut hanc partem concludamus, nedum probabilis iſta eſt ſententia, quæ eſt D. Thomæ, atque omnium ejus diſcipulorum, ſed multo probabilior, quam ſit oppoſita, quam omnes fere Theologi ante Konink ſecuti ſunt. Age vero diſcutiamus, utrum, quæ afferunt ex Baronio, vera ſint. Eminentiſſimus hic Senator ad annum 1088. n. 27. refert Godofredum monachum S. Bernardi ſcripſiſſe Cardinali Epiſcopo Albanenſi de quæſtione in Galliis excitata, *An aqua mixta vino mutaretur in Chriſti ſanguinem*. Et allata Epiſtola præfati monachi ſubjungit Baronius: „ Quid autem reſcripſerit ad petitam conſultationem „ Cardinalis Epiſcopus Albanenſis, non invenimus. Sed „ aliud reſcribere non potuiſſe certum eſt, quam quod „ credidit, & cuſtodivit ſemper S. R. E. nimirum, a„ quam ſimul & vinum tranſubſtantiari in ſanguinem „ Chriſti “. Quo loco non dicit Baronius, aquam immediate converti in ſanguinem, ſed aquam ſimul & vinum tranſubſtantiari in ſanguinem. Quod verum eſſe poteſt, etiam ſi prius fuerit converſa in vinum, ut etiam teſtatur Suares ſupra laudatus. Sæpius enim res converſa in aliam, denominationem illam ſortitur, quam ante converſionem habuerat: ſic enim in Evangelio dicitur, Joan. 2. *Ut guſtavit Architriclinus aquam vinum factam*. Quo loco illud idem, quod jam in vinum tranſierat, aqua vocatur, & Virga Moyſis in colubrum verſa, virga nihilominus appellatur, Exod. 7. Et ipſum Corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis contentum, panis dicitur a D. Paulo 1. ad Corinth. 10. & 11. non ea duntaxat ratione, quia myſticus panis eſt, ſed quia prius panis erat ſub illis ſpeciebus, ut ante nos annotarunt Maldonatus ad c. 3. Joan. & Eſtius in cap. 10. 1. ad Corinth. Homo ipſe terra & pulvis dicitur Exodi 3. quia de terra productus eſt. Nil ergo mirum ſi Baronius communi uſu loquendi aquam vocavit, quam ſimul & vinum in ſanguinem tranſubſtantiari aſſeruerit. Quod vel ex eo conſtat, quia ſolum conjicit id reſpondiſſe Card. Epiſcopum Albanenſem, quod ſemper tenuit & cuſtodivit S. R. E. At nec ipſi, qui hæc objiciunt, eo audaciæ prorupere, ut auſint dicere, Sanctam Romanam Eccleſiam ſemper tenuiſſe & cuſtodiviſſe, quod aqua in calice mixta vino, immediate tranſubſtantietur in ſanguinem: cum a tempore S. Thomæ, imo & a tempore Innocentii III. conſtet oppoſitam ſententiam, quod videlicet aqua ſic mixta convertitur prius in vinum, fuiſſe ita in Eccleſia Romana receptam, ut nullus unquam ei hæreſis vel erroris notam inuſſerit, imo ipſe Konink ex primis defenſoribus immediatæ tranſubſtantiationis aquæ in ſanguinem, illam fuiſſe communem omnium olim Theologorum libentiſſime fateatur, quod & Suares, & libellus *de ratione ſtudiorum* jam citati ſatis ſuperque indicant. Adde quod hic loquendi modus, aqua ſimul & vinum tranſubſtantiatur in ſanguinem Chriſti, magis meliuſque mediatam, quam immediatam converſionem aquæ in ſanguinem videtur exprimere.

In ſecundo autem loco, quem ex Baronio allegant ad annum 1092. n. 21. ex Hernoldo Abbate refert hic eminentiſſimus Cardinalis miraculum, quo aqua immediate converſa eſt in Chriſti ſanguinem, ex eo, quod Sacerdos inadvertenter particulam ſpecierum panis conſecrati in eam excuſſiſſet. Et poſtea ſubdit: „ Hæc de „ tranſubſtantiatione aquæ in ſanguinem Chriſti per com„ mixtionem Chriſti Corporis divinitus facta, quod „ ſemper fieri in vino, quando mixtio intercedit, an„ tiquitas exiſtimavit. Unde illud Romani Ordinis vi„ num etiam non conſecratum, vino ceu ſanguini Do„ mini commixtum ſanctificatur per omnem modum. „ Confutavit hoc miraculum hæreſim hoc ſæculo obor„ tam negantium, aquam vino mixtam converti in ſan„ guinem “.

Tria ſunt in hoc Baronii loco, ex quibus ſuam illam opinationem velle videntur exculpare; primum illud eſt miraculum; ſecundum id quod Baronius affert ex Ordine Romano; tertium aliud, quod ſubdit, confutaſſe hoc miraculum hæreſim tunc obortam negantium, aquam vino mixtam converti in ſanguinem. Verum ex nullo horum trium capitum quicquam pro immediata aquæ vino in calice conſecrando permixtæ converſione aut tranſubſtantiatione rite colligitur. Non quidem ex illo miraculo; neque enim miraculum illud contigit in aqua mixta vino, ſed in aqua ſimplici & impermixta, in quam deciderat particula ſpecierum panis conſecrati. Conſtat autem juxta legem ordinariam a Deo etiam pro Sacramento Euchariſtiæ conſtitutam, non converti in ſanguinem Chriſti aquam, quantumvis particula Corporis Chriſti in eam decidat, cum nec vinum, in quod feria ſexta in Paraſceve pars ſpecierum panis mergitur, in ſanguinem convertatur, ut omnes fatentur; cum tamen ipſis adverſariis minime diffitentibus de fide ſit, vinum de vite eſſe propriam Sacramenti Euchariſtiæ materiam. Hoc igitur miraculum potentiæ Dei abſolutæ opus fuit, quod fieri poſſe nemo Catholicorum unquam negavit.

Illud vero ſecundum, quod ex Ordine Romano refert Baronius, nihil prorſus ad propoſitum facit. Hic enim agimus de aqua vino necdum conſecrato mixta, utrum illa per conſecrationem mutetur immediate vel mediate in Chriſti ſanguinem. Illud autem Ordinis Romani loquitur non de aqua vino conſecrando permixta, ſed de vino, quod ſpeciebus vini conſecrati miſcetur. Quare longe diverſæ ſunt quæſtiones. Nec vero Romanus Ordo dicit vinum in quacumque quantitate mixtum ſpeciebus vini jam conſecrati tranſubſtantiari in ſanguinem, ſed vinum illud his ſpeciebus permixtum *ſanctificari per omnem modum*. Nam ſecundum doctrinam D. Thomæ 3. p. q. 77. a. 8. quando vinum miſcetur ſpeciebus vini conſecrati, ſiquidem id fiat in magna quantitate, ita quod totas vini conſecrati ſpecies pervadat, non manent eædem numero ſpecies, ſicut ſi talis mixtio

fieret

fieret in vino non consecrato, non maneret idem numero vinum, atque adeo non remanet Sanguis Christi sub illis speciebus, quibus magna illa quantitas vini non consecrati permiscetur: cum certum sit, sanguinem Christi non remanere sub illis speciebus, nisi quamdiu remaneret substantia vini eadem numero, si adesset: si vero permixtio illa fieret in modica quantitate, ita quod non totam specierum quantitatem pervaderet illud vinum superinfusum, sed duntaxat partem quantitatis specierum, eo casu desineret esse Sanguis Christi sub illa parte specierum, quam vinum superinfusum ita pervaderet, ut non maneret eadem numero pars: sub aliis vero partibus, quas vinum superinfusum non pervaderet, remaneret Sanguis Christi. Hæc est doctrina D. Thomæ, quam confirmat ex Innocentio III. *cap. cum Marthæ de celebr. Missarum*, §. *Quæsiviſti*. Verissimum tamen est, quod vinum superinfusum speciebus vini consecrati præsertim in minima quantitate sanctificatur hoc sensu, quod debet semper cum maxima reverentia sumi a Sacerdote, ne forte aliquid de Sanguine Christi reliquum sit, imo etiam ob solam prioris Sacramenti reverentiam, sicut cum ex speciebus panis consecrati corruptis generantur aliqua, puta vermes, debent comburi, & in piscinam mitti, non quod sub illis de novo per corruptionem specierum generatis, remaneat Corpus Christi, sed ob reverentiam tanto Sacramento debitam. Quare hæc, quæ Baronius affert ex Ordine Romano, nihil omnino ad propositam difficultatem faciunt de aqua calici consecrando permixta vino, utrum videlicet immediate convertatur in sanguinem. Denique tertium a Baronio dictum, ex quo posset aliquid colligi adversus illam Catechismi Romani, & D. Thomæ doctrinam, *confutasse nimirum illud miraculum, hæresim illo sæculo obortam negantium, aquam vino mixtam converti in sanguinem*, nihil prorsus probat. Duæ siquidem sunt hic diversissimæ quæstiones. Prima est, utrum aqua mixta vino in calice consecrando convertatur in sanguinem per verba consecrationis, sive talis conversio fiat immediate, sive mediante conversione ipsius aquæ in vinum prius facta. Et in hac quæstione negantem partem hæresim vocavit Baronius. Certum enim est de fide, vinum modica aqua permixtum esse materiam consecrationis calicis, quæ in sanguinem Christi transubstantiatur, ex decreto fidei Eugenii IV. quod habetur in Florentino, & aperte supponit Trident. sess. 13. cap. 1. & 4. Secunda quæstio est, utrum hæc aquæ vino consecrando permixtæ in calice conversio sic fiat immediate in Christi sanguinem, ut prius ipsa non convertatur in vinum. Et in hac quæstione sapientior fuit Baronius, quam ut negantem partem vocaverit hæresim, quæ sane tantum ab errore ac hæresi distat, ut nec ipsi, qui oppositam profitentur, ausint id asserere, satisque se putant consecutos, si suam sententiam a temeritatis nota possint eximere. Tum quia communis veterum Doctorum sententia illis opponitur, tum etiam & maxime, quia vix possunt salvare, quod aqua non sit æque materia consecrationis calicis ac vinum, & quod præcepto duntaxat ecclesiastico debeat aquæ mixtio fieri. Constat igitur, qua fide citarint Baronium, Alanum, & Toletum illis libenter concedimus, sed contendimus illorum authoritatem non tanti esse, ut vel solius D. Thomæ authoritati comparari valeat, multo minus authoritati Catechismi Romani prævalere, quod potiori jure de turba illa recentiorum, qua gloriantur, dicendum est, ita profecto, ut si sententiam istam de aquæ in vinum conversione, priusquam transubstantietur in sanguinem Christi, Catechismus tanquam certam & indubitatam docuisset, illi omnes quicumque tandem illi sint, & in quantocumque numero ad normam hujus Catecheseos castigandi forent. Modo vero, cum illam sententiam nonnisi ut ecclesiasticorum scriptorum judicio conformem doceat, eam absque dubio multo probabiliorem, & multis partibus alteri superiorem efficit, ut non minimum iis, qui oppositam sequuntur, facessat negotium, qua ratione suam possint ab aliqua censura defendere.

Superest jam, ut alteram sententiam, quam in Catechismo Romano contentam vix a censura liberam esse contendunt, tantisper discutiamus. Sed ut id absque confusione præstemus, in sequens Caput rejicimus.

CAPUT X.

An sententia illa, quod benedictio, cujus meminerunt Evangelistæ in Eucharistiæ institutione, non sit distincta ab ipsa consecratione, contineatur in Catechismo Romano, & contraria sit Concilio Tridentino.

UT clare procedamus in hac quæstione, quam contentio & æmulatio intricatissimam faciunt, referenda sunt prius Evangelistarum, & D. Pauli verba, mox etiam decretum Tridentini, quod huic difficultati ansam præbuit. D. Matthæus cap. 26. sic habet: *Accepit Jesus panem, & benedixit, & fregit, deditque discipulis suis, & ait, accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens, Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* D. Marcus cap. 14. *Accepit Jesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait, sumite, Hoc est Corpus meum. Et accepto calice gratias agens dedit eis. Et biberunt ex illo omnes, & ait illis: Hic est Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.* D. Lucas cap. 22. *Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* D. Paulus 1. ad Corinth. 11. *Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* Quibus quatuor locis sex quædam a Christo Domino præstita invenimus, acceptionem panis in manus, benedictionem, gratiarum actionem, fractionem, præbitionem sive dationem, prolationem verborum, sive consecrationem. Et quidem acceptionem panis in manus a Christo factam distinctam esse a benedictione, illaque priorem, indubitatum est. Fractionem etiam tum ab acceptione, benedictione, gratiarum actione, tum a prolatione verborum diversam, est extra omne dubium. De benedictione, & gratiarum actione dubitant nonnulli, an sint saltem ex æquo distinctæ. Censent enim, eamdem verbi gratia orationem, vel oculorum in cælum elevationem ad Deum habere rationem gratiarum actionis erga Deum, & benedictionis respectu panis, cui hac oratione vel oculorum elevatione Christus bene precatus sit. Quod ex eo confirmant, quia quod Matthæus, & Marcus dicunt εὐλογήσας, *benedixit*; D. Lucas, & D. Paulus ajunt, *gratias egit*, εὐχαριστήσας: imo D. Matthæus, & D. Marcus, cum prius de pane loquentes dixissent εὐλογήσας, *benedixit*, de calice mox subjungunt εὐχαριστήσας, *gratias egit*, & D. Paulus pro eodem videtur sumere 1. ad Corinth. 14. Cum enim prius usus esset verbo εὐλογεῖν, *benedicere*, ἐὰν εὐλογήσῃς πνεύματι, *si benedixeris spiritu*, subdit: *qui supplet locum idiotæ, quomodo dicit, Amen, super* tuam benedictionem? ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ. Utrumque fecit Christus, & gratias egit Patri, & benedixit panem. De fractione, ac præbitione, atque prolatione illius verbi, *Accipite*, ambigunt etiam alii.

Nomine siquidem fractionis panis in Scriptura frequenter intelligi præbitionem sive dationem panis, constantissimum est. *Frange esurienti panem tuum*, inquit Isaias cap. 58. *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*, id est, daret. Thren. 4. Et quod caput est loco superius allato ex D. Paulo, ubi nos legimus, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, vel tradetur*, hoc est datur, vel dabitur, in Græco legitur, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον: *Hoc Corpus meum, quod pro vobis frangitur;* ad quæ verba Pauli Divus Lucas alludens non utitur participio κλώμενον, sed διδόμενον, ideſt *quod datur*. Sunt ergo nonnulli, qui fractionem cum datione unam eamdemque actionem esse velint, quibus non libenter assentior, cum textus Evangelii repugnare videatur. Ipsam tamen præbitionem sive porrectionem panis a Christo factam, unam & perfectam dationem integrare arbitror cum prolatione illius verbi *Accipite*, constantem signo illo, & motu extensionis manus vel brachii, quo panis porrigitur, & verbo imperandi, *Accipite*. Superest difficultas, utrum benedictio fuerit idem cum prolatione verborum consecrationis, *Hoc est corpus meum*. Nam sacrum Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 1. aperte videtur distinguere; inquit enim: „ Omnes majores nostri, quot„ quot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctis„ simo hoc Sacramento differuerunt, apertissime profes„ sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima

„ cœna

„ cœna Redemptorem noſtrum inſtituiſſe, cum poſt pa-
„ nis & vini benedictionem, ſe ſuum ipſius corpus illis
„ præbere, ac ſuum ſanguinem diſertis ac perſpicuis
„ verbis teſtatus eſt. Quæ verba a ſanctis Evangeliſtis
„ commemorata, & a ſancto Paulo poſtea repetita,
„ &c. " Si ergo poſt panis, vinique benedictionem Chriſtus teſtatus eſt Apoſtolis, ſe ſuum ipſius corpus præbere verbis illis, videlicet: *Hoc eſt corpus meum*: ſane conſequens eſt, ut ea panis, vinique benedictio antecedens prolationem verborum hujuſmodi, ab illa etiam prolatione diſtincta ſit. Ex quo conſequitur perperam, & adverſus Concilium illos interpretari Evangeliſtas, & Paulum, qui dicunt Chriſtum benedixiſſe panem dicendo, *Hoc eſt corpus meum*: vel qui aſſerunt illud participium, *dicens*, in illa oratione *benedixit*, *fregit*, *deditque diſcipulis*, *dicens*, *Hoc eſt corpus meum*, importare concomitantiam horum verborum ad ea, quæ præcedunt, ut ſit ſenſus; Dum benediceret, frangeret, & daret diſcipulis ſuis, hæc verba dixit: *Accipite*, *& comedite: Hoc eſt corpus meum*. Concilium ſiquidem non concomitantiam, ſed ſucceſſionem aperte definit, cum dicat poſt benedictionem Chriſtum protuliſſe verba. Enimvero Catechiſmus Concilii nedum hoc videtur aſſerere; verum etiam, quod benedictio panis facta ſit verbis illis conſecratoriis: inquit enim explicando formam conſecrationis panis: „ In quam ſenten-
„ tiam, quod ab Evangeliſta dictum eſt, *benedixit*,
„ licet accipere: perinde enim videtur intelligendum,
„ ac ſi dixiſſet: *Accipiens panem benedixit dicens: Hoc*
„ *eſt corpus meum* ". Hinc etiam videtur damnata ſententia D. Thomæ 3. p. q. 78. art. 1. ad 1. ubi concomitantiam verborum conſecrationis cum benedictione admittit, & nullam agnoſcit aliam benedictionem, quam quæ facta ſit per illa verba: *Hoc eſt corpus meum*: quare Joannes Baptiſta Pozza in *Elucidario* inde colligit, hanc opinionem D. Thomæ parum tutam, & ſubdit, eſſe nonnullos, quos nec ipſe reprehendit, qui aſſerant auctores Catechiſmi Romani eſſe damnatos, vel corrigendos. Hanc Pozzæ cenſuram plures ſequuntur; alii vero paulo ſpecie tenus modeſtiores dicunt, hanc Catechiſmi, ac conſequenter D. Thomæ ſententiam poſt Tridentinum omnino reſpuendam, licet non cenſura notent.

Ut calumniam hanc dilucide, ac pro Catechiſmi dignitate, & D. Thomæ auctoritate diſpungamus, pauca libet præmittere. Atque illud in primis benedictionum quaſdam ſolis ſignis perfici, ut cum ſummus Pontifex, vel Epiſcopus ſolo crucis ſigno, nullis verbis adhibitis, populo benedicit. Et cum Chriſtus Dominus Lucæ ultimo in cælum aſcendens diſcipulis benedixit. Alias vero ſolis verbis, ut in illa celebratiſſima benedictione, qua Iſaac jam ſenex, & caligantibus oculis Jacob tamquam ſuum primogenitum benedixit, & in multis aliis, quas Scriptura paſſim commemorat. Denique ſunt & quædam benedictionum ſpecies, quæ ſignis & verbis perficiuntur, quarum numerus paſſim in Scriptura occurrit, ut Marci 10. cum Chriſtus pueris ad ſe venientibus, impoſitis manibus, bene precatus eſt, & in Ordinario Romano inveniuntur variarum rerum benedictiones, & in Miſſa etiam variæ celebrantur. Harum benedictionum integritas abſque ulla prorſus dubitatione duplici veluti parte conſtat, ſignis nimirum extrinſecis, & verbis, quamquam horum quodlibet etiam propriſſime benedictio nuncupetur, ut contingit in homogeneis, in quorum parte qualibet perfecta totius natura proprie reperitur. Majoris tamen diſtinctionis gratia poſſumus in his benedictionibus partem alteram, quæ & ipſa benedictio eſt, incompletam benedictionem, totam vero completam nuncupare. Atque hoc in ea, quam præ manibus habemus, tractatione tanto amplius dici & poteſt & debet, quod etiam juxta illos, qui oppoſitam ſequuntur ſententiam, dicendum eſt, hanc benedictionem, qua ſecundum ipſos Chriſtus pani bene precatus eſt, fuiſſe hujuſmodi: „ Ut oratione ſuper panem ſuſa Chri-
„ ſtus ut homo, & Sacerdos peteret a Patre illius crea-
„ turæ, quam manibus tenebat, ſanctificationem, uti-
„ que mox futuram per mirabilem ejus in ſuum corpus
„ tranſmutationem, quam idem ipſe ut Deus omnipo-
„ tenti ſua virtute ſimul cum Patre & Spiritu Sancto
„ eſſet effecturus ". (Ita Eſtius ad cap. 10. 1. ad Corinth. ad illa verba *Calix*, *cui benedicimus*. Janſenius in concordia Evang. cap. 131.) idque continenter, ita ut inter eam precationem & operationem nihil prorſus intermedium foret. Cum enim benedictio & ſanctificatio idem penitus ſonent, ſi panis ſanctificatur per illam admirandam tranſubſtantiationem, etiam per eamdem benedicitur, & conſecratur. Nil igitur mirum, ſi benedictio illa prior aut verbis, aut ſignis deprecatoriis panis a Chriſto impertita eadem cenſeatur actio cum hac poſteriore, qua verbis illis conſecratoriis panis in corpus dominicum tranſubſtantiatur. Quare ſi ſola illa ſigna, quibus Chriſtus bene precatus eſt pani, attendamus, certum eſt, hæc antecedere prolationem illorum verborum, *Hoc eſt corpus meum*. Si vero integram benedictionem ex illis ſignis prioribus, & verbis conſecratoriis, abſque ullo dubio, benedictio hæc totalis & integra non præceſſit verba conſecratoria, cum illa includat. Et hoc tanto verius fuerit, ſi oſtenderimus verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, mox poſt ſignum aliquod externum benedictionis, nullis aliis aut verbis aut ſignis interpoſitis, a Chriſto fuiſſe prolata. Quod ut fiat,

Præmittendum eſt ultimo, Evangeliſtas non ſemper ſeriem & ordinem rerum geſtarum ſervare. Ita colligitur ex Auguſtino lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 30. 31. & 44. At ne extra propoſitum divagemur, patet hoc manifeſte ex Divo Marco in hac ipſa narratione. Hic enim ſanctiſſimus Evangeliſta, narrans geſta in hujus Sacramenti inſtitutione & conſecratione calicis, ſic ait: *Et accepto calice gratias agens dedit eis*, *& biberunt ex illo omnes*, *& ait illis: Hic eſt ſanguis meus &c.* Ubi conſtat D. Marcum narrare, quod omnes biberint, priuſquam narraret Chriſtum illis verbis conſecraſſe: *Hic eſt ſanguis &c.* Certum tamen eſt, Apoſtolos non prius bibiſſe ex illo calice, quam Chriſtus conſecraſſet. Neque id diffitentur etiam nonnulli ex iis, qui noſtræ ſententiæ adverſantur, ut Eſtius 1. ad Corinth. 11. ad illa verba: *Quod pro vobis tradetur*. „ Actionum, inquit, Domini fuit hic ordo, conſecra-
„ re, frangere, diſtribuere; qui idem eſt earum actio-
„ num ordo, cum fiunt a Sacerdote miniſtro, quemad-
„ modum cenſet, ac bene explicat Cardinalis Beſſa-
„ rion ".

Ex his ergo jam conſtat, neque Catechiſmum, neque D. Thomam ullatenus contradicere Concilio Tridentino. Et Catechiſmus quidem intendens probare hæc ſola verba, *Hoc eſt corpus meum*, eſſe formam conſecrationis panis, eam rationem affert, quia forma in Sacramentis ſunt verba, quæ efficiunt, quod ſignificant. Sed hæc ſola verba, *Hoc eſt corpus meum*, efficiunt, quod ſignificant, ſcilicet, converſionem panis in corpus Chriſti. „ Et in hanc, inquit, ſententiam licet intel-
„ ligere, quod Evangeliſta dixit, *benedixit*. Perinde
„ enim videtur intelligendum, ac ſi dixiſſet: *Accipiens*
„ *panem benedixit dicens: Hoc eſt corpus meum* ". Quo loco Catechiſmus nihil aliud dicit, niſi prius Chriſtum Dominum benedicendo dixiſſe, *Hoc eſt corpus meum*, quam frangeret, & daret, ac diceret, *Accipite*, *& manducate*. Hoc autem in nullo opponitur Concilio, quia cum hoc toto ſtat, quod quædam benedictio anteceſſerit prolationem verborum, *Hoc eſt corpus meum*. Eſto ſiquidem voluerit Catechiſmus benedictionem eſſe ipſam conſecrationem, quod tamen aperte non dicit, non propterea vult benedictionem illam non eſſe factam aliquo alio externo ſigno, puta oculorum in cælum elevatione, vel ſigno crucis, quod ſignum externum potuit antecedere, ac de facto juxta Concilium anteceſſit prolationem verborum, *Hoc eſt corpus meum*. Quamvis hæc benedictio completa mox fuerit ipſa panis conſecratione. Voluit ergo benedictionem eſſe ipſam conſecrationem quantum ad verba, quibus benedictio completa fuit, licet eadem benedictio quantum ad ſignum illud externum præceſſerit ſe ipſam, ut includit prolationem verborum, & ut fuit conſecratio. Atque adeo nihil plane docetur in Catechiſmo, quod vel tantiſper opponatur dictis Concilii.

Divus Thomas vero nihil etiam aſſerit oppoſitum. Ex duabus enim ſolutionibus, quas affert ad primum argumentum, prior coincidit omnino cum doctrina Catechiſmi; ſicut ergo doctrina hujus Catecheſeos non contradicit Concilio, ita nec prior illa ſolutio D. Thomæ. In poſteriori vero dicit S. Doctor, illud participium, *dicens*, importare concomitantiam nedum ad ultimum, quod præmiſſum eſt, verum etiam ad omnia præcedentia, ut ſenſus ſit; *dum benediceret*, *frangeret*, *& daret diſcipulis ſuis*, *hæc verba dixit*, *Accipite*, *&c.* In hac vero doctrina nihil omnino reperire eſt, cui Concilium opponatur: nam concomitantia illa non importat, quod omnia Chriſtus verba dixerit, dum benediceret, ſed ſolum aliqua, puta *Accipite*, *& manducate*: mox vero dicendo reliqua & conſecrando fregerit, ac dederit; cum quo ſtat optime, ut prior illa pars benedictionis, quæ in aliquo ſigno externo, puta oculorum elevatione, vel ſigno crucis, vel aliquo alio conſtitit, antecederet prolationem verborum; atque adeo ſtant verba Concilii Tridentini. Unum tamen utraque hæc ſolutio ſupponit, quod videlicet Chriſtus Dominus non aliis verbis benedixerit panem, quam verbis conſecrationis. Hoc fatemur, & Catechiſmum, & D. Thomam docere, ſed contendimus verum eſſe, neque contrarium Concilio. Numquid enim conjectari eſt, aliis verbis aſſerere factam benedictionem, quorum nullus Evangeliſtarum, imo nec ipſe D. Paulus meminit? Aut

num-

numquid benedictio sine verbis stare potest? Unde quæso habent verba illa? Divus Paulus, & Evangelistæ tres minutatim gesta & dicta Domini in hac divinissimi Sacramenti institutione describunt, ecquis credat verba benedictionis eos prætermissuros, si eis usus esset Christus? Benedictio istæc sanctificatio est; integra vero atque perfecta panis istius Eucharistici sanctificatio signum quoddam exterius, & verba consecrationis complectitur. Hoc signum extrinsecum admisisse D. Thomam vel ex eo constat, quod supra retulimus, dum ait, eorum verborum, *benedixit*, *fregit*, *deditque discipulis suis dicens*, *Accipite &c.* sensum esse per concomitantiam, *dum benediceret*, *frangeret*, *daret*, *hæc verba protulit: Accipite*. Quis dixerit unum alterum concomitari, ubi duntaxat unum est? Qua ratione dum benediceret, hæc verba protulit, si ea benedictio nihil aliud est, quam ipsa verborum prolatio? Benedixit ergo Christus panem alia quidem actione, quæ præcessit, & nulla mora interposita verba consecrationis subjunxit. Eaque ratione illud etiam evanescit argumentum, quod ex Græco textu quidam eruunt: dicunt enim, haberi apud Evangelistas participium aoristi εὐλογήσας, aut εὐχαριστήσας, qui nequit reddi Latine nisi, *cum benedixisset*, *cum gratias egisset*. Quamvis responderi posset, hujusmodi participia etiam in aoristis quandoque significare tempus præsens, ut patet in his ἀποκριθεὶς quod passim vertitur, *respondens*, & εἰπὼν *dicens*, & aliis, & ipsa translatio Latina vulgata, ubi apud D. Marcum in Græco habetur, εὐλογήσας habet *benedicens* participio præsentis temporis, illum aoristum participii Græci exprimens. Nihilominus opus non est ad hæc grammaticalia recurrere, sed constat solutio, cum benedixisset benedictione illa incompleta per signum extrinsecum, dixit: *Hoc est corpus meum*. Quibus verbis totam complevit benedictionem, ita ut sicut præbitio specierum panis jam consecrati duobus constitit, porrectione videlicet, ceu manus & brachii extensione, ac verbo illo *Accipite*: ita tota & integra benedictio duobus aliis perficeretur, signo externo, & verbis consecratoriis. Hinc factum, ut cum Evangelistæ verbo εὐχαριστήσας, & εὐλογήσας usi fuerint, etiam antiqui Patres, imo & Scripturæ, & tota Ecclesia Sacramentum hoc εὐλογίας καὶ εὐχαριστίας nomine designarint, & licet nomen εὐλογίας, sive Eulogiarum ad alios sæpissime usus, sive ad alia quædam significanda sumptum sit, nonnumquam tamen etiam Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, ipsamque consecrationem apud veteres significavit. Hinc Paulus 1. ad Corinth. 10. *Calix benedictionis*, *cui benedicimus*, *nonne communicatio sanguinis Christi est?* Græce: Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν. Œcumenius ad hæc verba: *Calicem benedictionis*, *calicem vocat sanguinis Christi*. Cyprianus lib. de Cœna Domini: *Panis iste substantialis*, *& Calix benedictione solemni sacratus ad totius hominis vitam*, *salutemque proficit*. Ambrosius lib. de his qui initiantur cap. 9. *Forte dicas: aliud video*, *quomodo tu mihi asseris*, *quod Christi Corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest*, *ut probemus*, *non hoc esse*, *quod natura firmavit*, *sed quod* BENEDICTIO CONSECRAVIT, *majoremque vim esse* BENEDICTIONIS, *quam naturæ: quia benedictione etiam ipsa natura mutatur*. Juvencus Poeta lib. 3. Histor. Evang.

> . . . . . *Palmis sibi frangere panem*
> *Divisumque dehinc tradit*, *sanctumque precatus*
> *Discipulos docuit proprium se dedere corpus*.

Eucharistiæ vero nomen Sacramentum hoc denotare nemo ambigit, sed verbum illud εὐχαριστεῖν etiam pro consecrare Patres Græci usurpant. Hinc Justinus Martyr Apologia secunda pro Christianis vocat hoc Sacramentum, cibum Eucharistisatum: Τὴν διὰ εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ, καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. *Per preces verbi ipsius Eucharistisatum cibum*, *super quo gratiæ actæ sunt*, *illius incarnati Jesu & carnem & sanguinem esse edocti simus*. Et Irenæus lib. 1. adversus hæreses cap. 9. referente verba Græca Epiphanio hæresi 34. Ποτήρια οἴνου κεκραμένα εὐχαριστεῖν: *pocula vino mixta Eucharistisare*, *hoc est*, *consecrare dicit*.

Cum igitur nomine benedictionis, & gratiarum actionis, sive ut sic loquar Eucharistisationis, Scriptura, & Patres consecrationem frequentissime intellexerint, nec Tridentinum ullo pacto, ut ostendimus, obstet, quid succensent Catechismo Romano, & Divo Thomæ, si benedictionis illius completæ nomine ipsam etiam consecrationem intelligant, dicantque illam verbis ipsis consecrationis esse peractam, quamvis signum aliquod, quod & ipsum proprie benedictio vocari potest, ut explicatum est, ante illa verba præcesserit?

Quod si etiam recentiorum authoritate contendendum sit, ut appareat, quam vere dixerint objicientes, recentiores fere omnes hanc Catechismi sententiam respuere, & tantum non censura notare, nolim ego hic, quos Thomistas vocant, recensere, quos omnes cum Divo Thoma sentire certum est, sed alios contendo multo distinctius benedictionem a consecratione etiam post Concilium Tridentinum, minime discriminasse. Hi sunt Maldonatus ad caput 26. Matth. ad illud verbum, *Benedixit*. Henriquez in summa lib. 8. cap. 16. num. 3. Valentia tom. 4. disp. 6. quæst. 6. puncto 1. sub finem. Gamachæus 3. p. q. 78. cap. 1. ad medium §. *Deinde respondemus*. Becanus de Sacr. cap. 21. q. 3. num. 3. imo & plures, qui oppositum sentiunt, sententiam tamen S. Thomæ vel asserunt conceptis terminis, vel aperte supponunt probabilem, ut videre est apud Suaresium 3. p. tom. 3. disp. 57. sect. 2. Koninch. ibid. q. 78. art. 1. dub. 2. Silvium ibid. quæsito 2. Bonacinam de Sacramentis disp. 4. q. 3. puncto 1. n. 2. Hæc cum ita sint, quo animo, qua mente, qua fronte audent hi effutire, recentiores fere omnes hanc Catechismi doctrinam respuere, ac tantum non censura notare? Proh Deum immortalem! ubi illa, quam simulant, in Catechismum reverentia? Quod quæso reverentiæ genus est, mendaciis authoritatem, quam summam non negas, iisque atrocissimis velle convellere? Sed stat, & stabit invicta Catechismi dignitas authoritati œcumenicæ Synodi mandantis, sanctæ Sedis apostolicæ approbantis, & tot Conciliorum provincialium, ac totius Ecclesiæ recipientis innixa. Doleant, quantum voluerint, novitatum suarum ruinam, atque perniciem ultimam, & excidium solidissima hujus Catechismi doctrina præsentient.

CAPUT XI.

Solutio aliquarum objectionum, quas alii de novo contra Catechismi authoritatem opponunt.

PEssimus is est fraudulentorum genius & character litigatorum, nullum ut alium judicem experiri velint, nisi qui litem suam faciat, legitimos æquosque judices variis exceptionibus declinent, eosque non aliam ob causam iis fontes, nisi quia incorrupti sunt, jurisque ac æquitatis tenacissimi, coram illegitimis conveniant, illisque reos agant criminibus, quibus ipsimet actores verius tenentur & implicantur. Hinc referente Bellarmino lib. 1. de Conciliis cap. 21. Protestantes Concilii Tridentini authoritatem agnoscere, ac judicium subire detrectarunt, excipientes illud nec legitimum esse, nec liberum, quia in eo per Legatos summus Pontifex præsidebat, petieruntque hujusmodi conventum, in quo Romanus Episcopus non ut judex sederet, sed ut pars altera litigantium causam suam ageret, quia sentiebant eum suas hæreses authoritate sibi a Christo tradita damnare, voluerunt præoccupata falsorum scelerum accusatione criminari, ut jure se ab illius sententia, & judicio subducere affirmarent, cujus se facinorum delatores, atque accusatores profiterentur.

Neque hoc gradu stetit superba hæresis: *Superbia enim eorum*, *qui te oderunt*, *ascendit semper: Psalm.* 73. eos sibi voluere ascisere judices, qui ex suis essent, hoc est, Lutheranos Theologos, quos voce decisiva in Synodo gaudere postularunt, idque tam præfidenter, ut nec etiam numerum calculorum iniri paterentur, sed vellent, juxta normam verbi divini, ab ipsis nimirum corrupti aut pravis glossematis depravati, suffragiorum ratio haberetur. Quid vero hoc aliud est, quam sanctissimam Ecclesiæ hierarchiam, ac divinum illud regimen ad fœdissimam & horrendam peræquationem proculcata legitimi judicis authoritate, atque in ejus locum erecto ficti tribunalis idolo arroganter adducere? Judex controversiarum fidei est summus Pontifex, cujus judicium saltem cum œcumenica Synodo procedentis nullus unquam Catholicorum ab ipso Christo, & Apostolis ausus est declinare, cujus est agnos & oves Christi doctrina cœlitus revelata pascere, ac cæterorum omnium sententias, & libros vel respuere, vel confirmare. Quare si quis liber, si quæ norma fidei, si quæ morum regula ab hac sanctissima & apostolica Sede dimanat, ea non aliorum judicio subduntur, sed illorum sententiam ita subire necesse est, ut ad hæc tamquam ad lydium Christi lapidem probentur, exigantur, suscipiantur. In hujusmodi vero libros vel regulas errorum, aut falsitatum crimina derivare piaculum est, eoque gravius, quo frequentius. Post Scripturas vero, traditiones, & Canones nihil in doctrina catholica firmius, nihil certius, nihil magis in Ecclesia inconcussum, quam Catechismus nomine Tridentini Concilii, ac Sedis Apostolicæ fidelibus universis propositus. Quid enim Catechesis? Institutio

verum ſacrarum, quæ viva voce tradi ſolet iis, qui ſacris myſteriis initiantur, ἀπὸ τῆ κατηχεῖν, quod eſt viva voce inſtruere: verum quia ipſi etiam initiati, ſacroque baptiſmate ſignati quandoque in iis, quæ fidei ac religionis ſunt, plene perfecteque non ſunt inſtituti, & ipſi Catecheſi etiam opus habent, hoc eſt, inſtructione in rebus fidei ac morum, hinc factum eſt, ut ſacroſancta Synodus Tridentina, & ſummi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. ac ſubinde Concilia provincialia jam ſuperius laudata ipſis parochis, quibus id muneris competit catechizandi, præſcribere voluerint, qua de re inſtituendi forent ad fidem, ac doctrinam catholicam tum initiandi ſacris myſteriis, tum jam iis initiati. Tenentur hoc præſtare parochi ad hanc normam, ad hanc regulam, ad præſcriptum hujus libri. Si quis ergo eo temeritatis prorumpat, ut in hanc Catecheſim hæreſeon, erroneorum dogmatum, aut pravarum opinationum crimina derivet, iis ipſe tenetur ob violatam temere illam, quæ in hac Catecheſi reſidet, authoritatem. Nihilominus quidam id impune conantur, idque tanta fiducia, ut nullos alios hujuſce tantæ criminationis cauſam cognituros judices velint admittere, quam qui ſibi adhærent. Ad hos provocant, horum judicio duntaxat ſtare volunt, atque ſententiæ acquieſcere. En tibi hujus rei ſpecimen ſat præclarum.

Opponunt itaque ſexto adverſus Catechiſmum. „ Doctrina (inquiunt) quæ admittit præmotionem, vel „ prædeterminationem phyſicam, contradicit Concilio „ Tridentino; Calvino ac Lutheranis favet, negantibus liberum arbitrium, & libertatem deſtruit; ut „ Molina, Suares, Leſſius, Antonius Riviere, ſive „ Theophilus Raynaudus, aliique innumeri plane demonſtrant. Atqui continetur in Catechiſmo ſententia „ hanc prædeterminationem phyſicam aſſerens, ut Thomiſtæ non diffitentur, & patet ex 1. p. Symboli ad „ 1. articulum ſub finem, ubi habetur: *Non ſolum autem Deus univerſa, quæ ſunt, providentia ſua tuetur, atque adminiſtrat, verum etiam, quæ moventur & agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem ita impellit, ut quamvis ſecundarum cauſarum efficientiam non impediat, præveniat tamen: cum ejus occultiſſima vis ad ſingula pertineat, & attingat, ut ait Sapiens a fine uſque ad finem fortiter, & diſponat omnia ſuaviter.* Sap. 1. *Quare ab Apoſtolo dictum eſt*, Act. 17. *cum apud Athenienſes annunciaret Deum, quem ignorantes colebant, non longe eſt ab unoquoque noſtrum. In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus.* Et in explicatione orationis Dominicæ ad primam petitionem, Sanctificetur nomen tuum, dicit nos orare, lumen ut ſuum „ Deus præferat omnium mentibus, quo videre poſſint, „ omne donum perfectum deſcendens a Patre luminum „ ad nos *divinitus eſſe delatum, quo temperantiam, juſtitiam, vitam, ſalutem, omnia denique animi, corporis externa vitalia, ac ſalutaria bona illi accepta referunt*, a quo, quemadmodum prædicat Eccleſia, bona cuncta procedunt. Si quid luce ſua ſol, ſi quid reliqua ſidera motu & curſu proſunt hominum „ generi, ſi circumfuſo hoc alimur ſpiritu, ſi terra frugum & fructuum ubertate vitam ſuſtinet omnium, ſi „ opera magiſtratuum quiete ac tranquillitate fruimur, „ & hæc, & hujus generis bona innumerabilia nobis „ ſuppeditat immenſa Dei benignitas. Quin etiam quas „ Philoſophi ſecundas cauſas appellant, interpretari debemus mirabiliter effectas quaſdam, & ad uſum noſtrum accommodatas Dei manus, quibus nobis ſua „ bona diſtribuit. Quibus duobus locis clariſſime, ut „ etiam ipſi prædeterminantes contendunt, ipſam præmotionem & prædeterminationem phyſicam docet. „ Quam difficile vero ſit hanc doctrinam cum libero arbitrio conciliare, ac proinde cum his, quæ definit „ Tridentinum Seſſ. 6. fere per totam, nemo non videt, ut merito dicere poſſimus, eos Patres, qui Catechiſmum compoſuerunt, exceſſiſſe formam, fineſque „ mandati: cum multa in hoc Catechiſmo docuerint, „ quæ nunquam Concilium docuit, imo quæ ipſi ſanctæ Synodo ſunt oppoſita. Quare dicendum eſt, inquit Moriſanus, referente Camerario part. 2. Selectarum diſputationum Philoſophicarum q. 9. dub. 2. „ & alii, referente P. Hyacintho Choquet Ord. Præd. „ in tract. *de mixtione aquæ in calice* cap. 13., multa „ in Catechiſmo tres illos Patres, utpote Thomiſtas, „ & ex Ordine Dominicanorum, ſcripſiſſe magis partium quam veritatis ſtudio, eodemque ſpiritu Pium „ V. ex eodem etiam Ordine illa, quæ iſti ſcripſerant, „ approbaſſe “.

Ad hanc argumentationem, ſummis Pontificibus vehementer injurioſam, reſpondere ſufficeret, quod jam diximus, nimirum nullam eſſe Scholaſticorum authoritatem, quæ vel æquet, vel ſuperet Catechiſmum Romanum. Verum ut conſtet, quanta Sedi Apoſtolicæ, ac toti Eccleſiæ inferatur injuria; conſtituamus hinc quidem pro Catechiſmo Pium V. approbantem, inde Molinam, Suareſium, Leſſium, Theophilum Raynaudum, aliorumque ſimilium turbam innumeram, qui contra Catechiſmum inſurgunt, illumque improbant. Agamus apud æquos judices. Quis cauſa cadere, quis litem vincere debet? Prævalet Pii V. ſacroſancta dignitas, prævalet ejuſdem univerſos fideles docentis authoritas, prævalet Apoſtolicæ Sedis infallibilitas. At numero volunt contendere? Unus ille ſolus pro decem millibus computatur, ſive ſanctitatem ſpectes, ſive doctrinam, ſive, quod caput eſt, authoritatem. Sed ne in totum litis conteſtationem declinare videamur, addimus Gregorium XIII. Catechiſmi etiam approbatorem, adjungimus non tanquam juſtæ defenſionis neceſſitate, ſed convincendæ renitentiæ gratia ſanctum Carolum Borromæum, & quinque illius Synodos Mediolanenſes, Concilia inſuper Beneventanum, Ravennatenſe, Salisburgenſe, Genuenſe, Rothomagenſe, Burdegalenſia duo, Turonenſe, Rhemenſe, Aquenſe, Gneſnenſe, Toloſanum, Tarraconenſe, Limenſe, Avenionenſe, Aquilejenſe, Narbonenſe, Clerum Aquitaniæ Burdegalis coactum, Conventum Cleri Galliæ Melodunenſem. An parum eſt tot Concilia provincialia pro Catechiſmo adducere, quot illi fere authores alicujus nominis poſſint laudare? An eo prorumpent, ut vel unum ex ſuis illis Scholaſticis Provincialibus Conciliis æquiparare præſumant? *At innumeros in promptu eſt authores contra Catechiſmum allegare*: Quot quantoſque Præſules iis Synodis præſentes, & ſubſcribentes adhibebimus? Si numerentur, fere trecenti ſunt, atque in hoc iis authoribus præferendi, quod ex illis plurimi Tridentino interfuerant. Teſtes igitur ſunt aptiſſimi hac in diſceptatione, utrum Catechiſmus Concilio Tridentino adverſetur. Hi ſunt Nicolaus Sfondratus Epiſcopus Cremonenſis mox Romanus Gregorius XIV. Guido Ferrerius Cardinalis Epiſcopus Vercellenſis, Carolus Vicecomes Cardinalis Epiſcopus Abintimilienſis, Ludovicus Madrutius Cardinalis Epiſcopus Tridentinus, Gabriel Paleotus Cardinalis Archiepiſcopus Bononienſis, Federicus Cornelius Cardinalis Epiſcopus Bergomenſis, Antonius Altovitus Archiepiſcopus Florentinus, Antonius Puteus Archiepiſcopus Barenſis, Cæſar Cervantes Archiepiſcopus Salernitanus, Marcus Hieronymus Vida Epiſcopus Albæ, Antonius Scarampus Epiſcopus Laudenſis, Philippus Archintus Epiſcopus Comenſis, Julius Contarenus Epiſcopus Bellunenſis, Antonius Mocenigus Epiſcopus Cenetenſis, Dominicus Bollanus Epiſcopus Brixienſis, Scipio Aſtenſis Epiſcopus Caſalenſis, Cæſar Comes a Gambara Epiſcopus Dertonenſis, Petrus Faunus Coſtacciarius Epiſcopus Aquenſis, Carolus Grimaldus Epiſcopus Savonenſis, Benedictus Herba Epiſcopus Caſalenſis, qui Theologus Tridentino interfuerat, Hieronymus Ragazzonus Epiſcopus Famaguſtanus, Mauritius de Petra Epiſcopus Viglevanenſis, Hieronymus Galeratus Epiſcopus Alexandrinus, Leonardus Marinus Archiepiſcopus Lancianenſis, poſtea Epiſcopus Albæ, Cornelius Muſſus Epiſcopus Bituntinus, Romulus de Valentibus Epiſcopus Cuperſanus, Horatius Græcus de Troja Epiſcopus Leſinenſis, Julius Gentilius Epiſcopus Vultuarienſis, Antonius a Sancto Michaele Epiſcopus Montis Marani, Donatus de Laurentiis Epiſcopus Arianenſis, Proſper Rebiba Epiſcopus Trojanus, Fr. Cherubinus Epiſcopus Theleſinus, Julius Pariſanius Epiſcopus Ariminenſis, Franciſcus Guarinus Epiſcopus Imolenſis, Joannes Baptiſta Sighicellus Epiſcopus Faventinus, Alphonſus Roſſetus Epiſcopus Ferrarienſis, Auguſtinus Molignatus Epiſcopus Foropopilii, Fr. Antonius Palientinus Epiſcopus Brugnacenſis, Fr. Felicianus Niguarda a Morbinio, poſtea Epiſcopus Comenſis, Simon a Maillè Archiepiſcopus Turonenſis, Carolus Dangennes Cardinalis Epiſcopus Cœnomanenſis, Carolus de Roucy Epiſcopus Sueſſionenſis, Franciſcus de Bouillers Epiſcopus Forojulienſis, Joannes Antolines Brixianos de Ribera Epiſcopus Juvenacienſis, Lucius Maranta Epiſcopus Lavellenſis, Joannes Vincentius Michaelius Epiſcopus Minerbienſis, Fabius Myrthus Epiſcopus Cajacenſis, Bartholomæus Capranica Epiſcopus Calinenſis, Agapitus Belhome Epiſcopus Caſertanus, Galeatius Florimontius Epiſcopus Sueſſanus, Philos Roverella Epiſcopus Aſculanus, Ferdinandus Græcus Epiſcopus Bovinus, Petrus de Petris Epiſcopus Lucerinus, Michael a Turre Epiſcopus Cenetenſis, Claudius de Saintes Epiſcopus Ebredunenſis, Ludovicus de Moulinet Epiſcopus Sagienſis, Philippus du Bec Epiſcopus Nannetenſis, Carolus de l'Eſpinay Epiſcopus Dolenſis, Julius Cananius Epiſcopus Adrienſis. En ſexaginta teſtes producimus omni exceptione majores, qui Concilio ſubſcripſere, & Catechiſmum in variis Conciliis approbarunt: quibus ſi Gregorium XIII. qui toti Concilio adfuerat, non tanquam teſtem, ſed judicem adjunxeris, quid ſupereſt,

pereſt, ut vincamus? Quid vero ſi addiderimus, ex illis viginti Conciliis provincialibus, Mediolanenſia quinque ab Eccleſia recepta, cum in tomis Conciliorum inſerantur; ſex a Gregorio XIII. confirmata, Salisburgenſe, Mediolanenſe quartum, & quintum, Rothomagenſe, Burdegalenſe illud prius, Turonenſe: unum a Sixto V. Aquenſe in Gallia; quatuor a Sacra Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum Congregatione, Genuenſe, Gneſnenſe, Avenionenſe, Aquilejenſe. Quos Eminentiſſimos Senatores officio ſuo defuiſſe calumniantur, qui aſſerunt illos confirmaſſe ea Concilia, in quibus Catechiſmus Romanus approbatus eſt, ſi Catecheſis hæc aliquid Tridentino Concilio contrarium continet, cujus doctrinæ ac regulis tutandis a ſancta Sede ipſi ſunt præpoſiti.

Accedat nunc Moriſanus, dicatque hos ſibi ſuſpectos teſtes & judices, quia Catechiſmum approbarunt, qui magis partium, quam veritatis ſtudio ſit compoſitus. Quidni enim, quam contumeliam irrogat Pio V. Pontifici, iis omnibus eodem jure, ſive potius eadem injuria poſſit impingere? Sed nemo Catholicorum hac unquam exceptione uſus eſt adverſus ullum ſummorum Pontificum; at adverſus Pium V. virum nedum dignitate, ſed ipſa tota vita ſanctiſſimum, tantumque ab iis humanis affectibus alienum, fidei catholicæ zelantiſſimum, hanc calumniam intentare, ut partium ſtudio, & male domitis erga ſuos animi motibus, nedum authoritate pontificia ſit abuſus, verum etiam Calvinianæ hæreſi approbando Catechiſmum vel incaute adfaverit, qua ratione dici poteſt? Age vero ſi Pontifex privatis affectionibus falli potuit tot tantiſque ſeptus præſidiis, quibus ab errore vindicaretur, quanto magis in hac ipſa Pontificis temeraria reprehenſione propriis ſtudiis & paſſionibus ducti errare poterunt privati homines nulla in re cum tanto Pontifice conferendi? Humilitatem non ſapit, eam in Vicario Chriſti deſiderare modeſtiam, quam ipſe ſubditus exhibere non ſatagas; humanæ infirmitatis admonere prælatum, cujus tu ipſe, qui ſubjici debes, ipſo eodem tempore obliviſcaris; uno verbo videre feſtucam in oculo Patris tui, ubi revera non eſt, & trabem in oculo tuo, ubi vere eſt, eaque craſſiſſima, non advertere. Si enim & tu, Moriſane, homo es, decipi potes illudentibus tibi humanis affectibus. Cum ergo nihil proferas, quod ut tuæ ratiocinationi acquieſcamus, nos ſecuros ab erroris diſcrimine præſtare valeat, an non multo æquius eſt, & rationi conſentaneum magis, probatarum, confirmatarumque divinitus poteſtatum judiciis adhærere, quam tuis hominis longe inferioris, ad errandum decipiendumque proclivioris multum, & cæteris in rebus infra illarum majeſtatem jacentis? Si contendendi cupido te inceſſit, elige tibi pares, quibuſcum lucteris. Aggredere Alvarem, Ledeſmam, Navarretam, Gaſparem Ram, Cumel, Silvium, alioſque nec numero, nec viribus impares. Fatiſcent forſitan eximiæ illæ, quas imaginaris vires, ſub horum ictibus, & in hac lucta; ſed Chriſtum Domini noli attingere. Age vero hanc ratiocinationem non obruamus duntaxat authoritate, ſed certiſſima ratione revincamus.

Falſum itaque illud eſt, præmotionem phyſicam Tridentino Concilio adverſari, falſum Lutheranis & Calvino favere, falſum illa deſtrui arbitrii libertatem. Hoc modo non aliis rationibus convincendum, quam illis ipſis, quæ Catechiſmo continentur. Si enim ex his, quæ Catechiſmus docet, aperte demonſtraverimus, eam præmotionem nihil nocere liberæ voluntatis arbitrio, nullatenus etiam ejus aſſertionem favere Calvino, atque adeo illam non opponi Concilio certiſſimum remanebit. Illud vero primum ex ipſo Catechiſmo manifeſte convincitur: ille ſiquidem intimus impulſus, quo Deus univerſa, quæ agunt aliquid, ad motum atque actionem ita impellit, ut quamvis cauſarum ſecundarum efficientiam non impediat, præveniat tamen, prævia eſt, eaque phyſica, cum omnium cauſarum ſecundarum efficientiam præveniat, quarum plurimæ ſolius phyſicæ motionis capaces ſunt, ſicut & moralis incapaces, utpote quæ ad ſola intellectu prædita poteſt pertingere: imo ille idem impulſus eſt prædeterminatio, ut vel ex ipſo nomine *impulſus* conſtat, qui cum de inanimatis, & cognitione carentibus dicitur, non niſi motionem impreſſam mobili ad certum atque determinatum ex moventis intentione motum, actionem & terminum ſignificat. Hæc vero impulſio ſi cauſarum efficientiam ſecundarum non impedit, ſane modum illarum efficiendi nullatenus lædit, alias efficientiam impediret. Igitur præmotio illa, quam Catechiſmus admittit, agentium ſecundorum effectionem minime impediens, modum agendi eorum nihil lædit, atque adeo voluntatis humanæ libertatem non violat. Cujus rei fundatiſſimam rationem Catechiſmus attingit, dum ait: *Cum ejus occultiſſima vis ad ſingula pertineat, & quemadmodum ſapiens teſtatur, attingat a fine &c.* Quæ ratio profundiſſima ſimul & ſemel, & hujus impulſus neceſſitatem in omnibus cauſis ſecundis, ut agant, & qua ratione ille idem præveniat illorum efficientiam, nec impediat, oſtendit clariſſime. Quid enim eſt virtutem divinam occultiſſimam ad ſingula pertinere? Quid eſt eandem *attingere a fine uſque ad finem fortiter*, & diſponere omnia ſuaviter? Nihil plane aliud, niſi quod vis illa divina, licet abditiſſima, ad omnia & ſingula quæque ſpectat, hoc eſt, quæcumque rationem entis quoquo modo participant, ut cauſa reſpicit. Cum ergo ipſa efficientia cauſarum ſecundarum, moduſque efficiendi hujus rationis, entis creati videlicet, ſint participes, ipſaque actio agentis cujuslibet ſecundi, etiam ut ab ipſo pendet, & ut ab illo egreditur, quantuncumque abſtrahas vel præſcindas, non poſſit non intelligi ens quoddam per participationem, conſequens eſt, ut virtus illa divina tanquam cauſa reſpiciat cauſarum omnium ſecundarum efficientiam, actionem, modumque actionis, etiam ut ab ipſis cauſis ſecundis dimanant, & proficiſcuntur: atque adeo virtus illa divina, impulſus ille, quo cauſas ſecundas Deus impellit ad motum atque actionem, cauſa eſt illius motus, efficientiæ, actionis, & modi, quo agentia ſecunda agunt, cumque omnis cauſa effectum ſuum præveniat, nec impediat, conficitur, virtutem illam divinam, quam Catechiſmus vocat *intimam*, hoc eſt, in ipſis cauſis ſecundis intrinſece receptam, ſive impulſum illum non impedire, imo efficere atque adeo prævenire cauſarum ſecundarum efficientiam, quod Catechiſmus probandum aſſumpſerat. Ulterius vero, cum prima ratio, quæ in qualibet re invenitur, ſit ratio entis, & ultima ſit ipſa exiſtentia, quæ cujuslibet rei *ultima actualitas* a Philoſophis definitur, & nomine entis etiam ſignificatur, quia enti, cujus propria actualitas eſt eſſe, correſpondet, etiam hinc neceſſario colligitur, quod virtus illa divina, qua impellit cauſas ſecundas Deus, totam amplitudinem entis ut cauſa reſpiciens, *attingat a fine uſque ad finem fortiter*, hoc eſt, efficaciter a prima ratione entis, ad ultimam uſque ipſius actualitatem pertingat. Cumque intra illam ampliſſimam entis & exiſtentiæ latitudinem ipſa etiam actualis libertas, ſive modus libertatis, quæ in ipſa liberi arbitrii actione reperta rationem entis participat, evidentiſſime reperiatur (non enim nihil eſt) conſequitur plane, ut divina virtus attingens a fine uſque ad finem fortiter, atque totam rationem participati entis producens, diſponat omnia ſuaviter, hoc eſt, ita voluntatem ad liberas ſuas actiones præveniendo impellat, ut libertatem minime impediat; ſed eas eodem plane modo liberas efficiat, ac ſi non impelleret, atque adeo ſuaviſſime cuncta diſponat & ordinet. Atque, ut paucis totam hanc Catechiſmi ratiocinationem more dialectico complectamur, hæc eſt probatio. Cauſa quæcumque proprium effectum prævenit, non impedit tamen; ſed virtus illa intima & occultiſſima, qua Deus, quæ moventur, & agunt aliquid, ad motum atque actionem impellit ſingula, quæ rationem entis creati habent, tanquam cauſa reſpicit. Ergo illa quidem prævenit, non impedit tamen. Atqui, etiam ipſa libertas, vel modus libertatis, quæ in actibus liberis nonnihil eſt, habet rationem entis creati. Ergo & hanc libertatem, ſive modum libertatis prævenit illa virtus divina, non impedit. Non ergo Deus hac virtute impedit vel lædit libertatem, ſed illam prævenit & efficit. Hoc eſt illud, quod D. Thomas aſſerit, 1. p. q. 19. a. 8. *Cum voluntas divina ſit efficaciſſima, non ſolum ſequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri.* Et 1. 2. q. 10. a. ult. ad 1. *Voluntas divina non ſolum ſe extendit ad hoc, quod aliquid fiat per rem, quam movet, ſed etiam ut eo modo fiat, quo congruit naturæ ipſius; & ideo magis repugnaret divinæ motioni, ſi voluntas ex neceſſitate moveretur, quod ſuæ naturæ non competit, quam ſi moveatur libere, quod competit ſuæ naturæ.* Et ad 3. *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt poni, quod voluntas ad id non moveatur; non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter: unde non ſequitur quod voluntas a Deo ex neceſſitate moveatur.* Hanc doctrinam hauſerat S. Doctor ex ſanctiſſimo præſule Auguſtino, qui lib. 9. de Civit. Dei cap. 10. ex hoc concludit præſcientiam Dei, noſtram non tollere libertatem, quia *cum dicimus neceſſe eſt eſſe, ut cum volumus, libero velimus arbitrio, & verum procul dubio dicimus, & non ideo ipſum liberum arbitrium neceſſitati ſubjicimus, quæ adimit libertatem.* Et lib. de Grat. & liber. arb. cap. 21. *Agit omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum* (utique liberum, alias nihil probaret) *ut per eos agat, quod per eos ipſe agere voluerit.* Hoc eſt illud quod Catechiſmus ex Apoſtolo profert, *in ipſo vivimus, & movemur, & ſumus*, hoc eſt, ab ipſo ut principio, & cauſa effectrice vivimus, ab ipſo movemur,

mur, hoc eſt, ab ipſo ad omnes actus, & motus noſtros etiam liberos movemur, impellimur, agimur, ut Sanctus Thomas explicat 1. part. quæſt. 18. art. 4. ad 1. *Hoc modo intelligendum eſt verbum Apoſtoli dicentis, in ipſo vivimus, movemur, & ſumus, quia etiam noſtrum vivere., & noſtrum eſſe, & noſtrum moveri cauſantur a Deo.* Hæc modo ſufficiant.

CAPUT XII.

Diſſolvitur objectio de gratia per ſe ipſam efficaci, & aliis ex illa conſequentibus.

OBjiciunt ſeptimo alii: „ Catechiſmus in materia „ de gratiæ divinæ auxiliis multas ſententias ſe„ quitur, quæ nunc ab Scholis prorſus relegatæ ſunt, „ ita ut niſi obſtarent prohibitiones Pontificum Cle„ mentis VIII. & Pauli V. fere omnes authores eas „ cenſura notarent: illum vero in primis, quæ eſt de „ gratia per ſeipſam efficaci, quæ ſine dubio conſequi„ tur neceſſario ex illa alia priori de prædetermination„ ne phyſica. Præterea in doctrina de Baptiſmo vide„ tur docere, quod ſicut caput cætera membra movet „ ad eorum actus: ita Chriſtus movet membra myſtica „ ad operationes. Quod repetit agens de ſatisfactione, „ ac de pœnitentiæ virtute, ubi etiam ait: Primum „ Dei miſericordia nos prævenit, cordaque convertit. „ Et explicans Orationem Dominicam, agenſque de „ utilitate orationis dicit, nos accipere a Deo innocen„ tiæ voluntatem. Et ibidem §. *Pro quibus orandum „ ſit*, docet, orandum pro infidelibus, ut eis donetur „ fides; pro paganis, ut ab errore liberentur; pro Ju„ dæis, ut lucem veritatis ſuſcipiant; pro hæreticis, „ ut ad fidem redeant. Et §. *De præparatione adhi„ benda ante orationem*, ait: Noſtræ author eſt pre„ cationis Spiritus Sanctus. Et exponendo illam parti„ culam orationis Dominicæ, *Noſter*, aſſerit, Spiritu „ Sancto authore nos ad virtutem, ſalutareſque actio„ nes impelli. In explicatione ſextæ petitionis agens „ de tentationibus, & exaggerans humanam infirmita„ tem exemplo D. Petri, dum Chriſtum negavit, di„ cit, illi in ſumma ſpiritus alacritate non reſpondiſſe „ vires, hominesque viribus naturalibus non poſſe ten„ tationibus reſiſtere; imo etiam in explicatione tertiæ „ petitionis, per peccatum Adami hominem amiſiſſe „ vires quaſdam naturales; quod ſane vel in errorem „ Calvini declinat, dicentis liberum arbitrium per pec„ catum fuiſſe amiſſum, vel eſt intelligibile, aut deni„ que ſic accipiendum eſt, quaſi homo poſt lapſum non „ habeat eaſdem vires, quas habuiſſet in ſtatu naturæ „ puræ, ſi in illo conditus fuiſſet. Hæc autem omnia „ vel aperte continent, vel non obſcure ſupponunt gra„ tiam ſeipſa efficacem, illudque poſtremum opponitur „ communi Theologorum ſententiæ; quam etiam præ„ cipui ex Thomiſtis, ut Cajetanus, & alii docent, „ nullum diſcrimen conſtituentes inter hominem la„ pſum, & in natura pura, niſi ſicut inter hominem „ nudatum & nudum. Et illud, quod de Divo Petro „ dicit, videtur omnino damnandum: nam Divus Pe„ trus, quando Chriſtum negavit, vires habuit, quibus „ Chriſtum poſſet non negare, alias non peccaſſet ne„ gando, neque Pontifices paterentur contrarias his o„ piniones communiter in Scholis doceri, imo illis non „ ita impenſe faverent, ſi tantæ eſſet authoritatis hic „ Catechiſmus, ut illi oppoſitæ ſententiæ temeritatis „ nota mererentur. Quare dicendum eſt, non eſſe tan„ tæ authoritatis, quin ejus doctrina poſſit deſeri, imo „ & cenſura notari.

Verum hæc doctrina, quam exilio ab Scholis damnatam volunt, D. Auguſtini, D. Thomæ, ac fere omnium SS. Patrum authoritate ſuſcipitur. Quid enim ſibi aliud vult Auguſtinus lib. de grat. & liber. arb. cap. 16. ut infinita alia omittamus, cum dicit: *Deum facere ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati.* De grat. Chriſti cap. 24. *Interna atque occulta, mirabili atque ineffabili poteſtate operari in cordibus hominum non ſolum veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates.* Lib. 1. ad Bonif. cap. 10. *Occultiſſima & efficaciſſima poteſtate corda convertere.* De corrept. & grat. cap. 14. *Habere ſine dubio humanorum cordium, quo placuerit inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.* Ibid. cap. 12. *Subvenire infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter agatur.* Quæ duo verba tam luculenter gratiam ſeipſa efficacem exprimunt, ut quæcumque alia huic explicandæ adinventa, non ſic expreſſim ejus vim repræſentare ſufficiant. Utere quantum volueris verbis illis præmotionis, & prædeterminationis phyſicæ, nunquam pertingent ad exponendam gratiæ efficaciam, qua ratione hac phraſi manifeſtatur, cum dicitur, quod *ea voluntas indeclinabiliter, & inſeparabiliter agitur.* Et niſi Auguſtinus his terminis uſus eſſet, quantum adverſus nos debaccharentur, ſi ea uſurparemus? Quos clamores cierent? Quoties inſonaret auribus: *Calvini eſt hæreſis, Lutherus non pejus effutiit?* At Auguſtinus eſt, qui hæc protulit, & is, cujus ſententiam de gratia & libero arbitrio Hormiſdas Papa ad Poſſeſſ. Epiſcopum dicit eſſe, *quam Romana, hoc eſt, Catholica ſequitur, & aſſeverat Eccleſia*; & Joannes II. Epiſt. 3. ad quoſdam Senatores: *Quam Romana ſequitur, & ſervat Eccleſia*; & Clemens octavus, *Eccleſiæ dotem.* Eandem Proſper, eandem Fulgentius, eandem Cœleſtinus, eandem cæteri tutati ſunt, maxime D. Thomas, qui ſexcentis locis illam & docuit, & probavit. Unus ille ſufficiat, quem capite ſuperiori retulimus: *Si Deus movet voluntatem ad aliquid: impoſſibile eſt, quod voluntas ad illud non moveatur.* Quare fatemur hanc de gratia per ſeipſam efficaci ſententiam conſequi manifeſte ac neceſſario ex illa priori de præmotione phyſica, de qua ſupra. Hanc etiam eſſe Tridentini mentem, vel hoc uno argumento convincitur. Cum Tridentinum anathemate ferit, *qui dixerit, liberum hominis arbitrium motum a Deo, & excitatum non poſſe diſſentire*, procul dubio in Calvinum, & aſſeclas decernit aſſerentes ex gratia tolli uſum libertatis: neque vero Patres ignorabant deſertores iſtos id affirmare de auxilio gratiæ per ſeipſam efficacis, & prædeterminantis etiam phyſice: cum id notum ſit, ut aſſerunt Suares, & alii. Quare ſi reipſa judicaſſent ex hujuſmodi adjutorio recte inferri hoc conſequens, profecto non ipſam conſecutionem, ſed ipſum antecedens, ex quo id colligitur, damnare tenebantur: cum ergo id minime præſtiterint, imo vero abſolute conſequentiam proſcripſerint, neceſſario dicendum eſt, ſaltem intacto antecedente voluiſſe illationem tanquam Calvinianum dogma rejicere, atque anathemati ſubjicere. Sed res eſt alterius & prolixioris operis. Hic duntaxat illorum præfidentia profligandа eſt, qui ſcholas omnes *ſuas* appellant, quaſi vero nullæ aliæ ſint ſcholæ ab iis, quas ipſi moderantur: Nunquid eſt ſchola Scoti? Numquid eſt ſchola S. Thomæ? Numquid ſchola D. Auguſtini? At ex iſtis ſcholis non eſt omnino relegata gratia ſeipſa efficax, ut nec primarius ille auxilii ſeipſo efficacis oppugnator Mol. in Concord. qu. 14. a. 3. diſp. 37. diffitetur. Verum eſt ſchola his multo ſublimior, *valdeque a ſenſibus carnis remota*, ut ait Auguſtinus de prædeſtinat. Sanctorum cap. 8. *in qua Deus auditur, & docet.* Ab hac neutiquam amandata eſt gratia iſta ſecreta, quæ, ut idem ſanctiſſimus præſul ſubjungit, *occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, & a nullo duro corde reſpuitur: ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur*: In hac ſchola, ſubjicit idem, *quando Pater intus auditur, & docet, ut veniatur ad filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum.* Non ergo ſcholæ omnes gratiam illam reſpuunt, niſi forte *ſuas* omnes eſſe ſcholas exiſtiment; quod ſi ſentiant, uno illos Maldonati ad cap. 7. Joan. monito convenimus. Is author ad illa, quæ Divus Joannes refert, Judæorum verba, *Quomodo hic literas ſcit, cum non didicerit?* „ Qui ſciebant, „ inquit, eum non didiciſſe, cum paulo præſertim an„ te ſignificaſſent, eum ſe non noſſe, dicentes, ubi eſt „ ille? quemadmodum Cyrillus Joan. 7. verſ. 17. ob„ ſervat. Sciebant Sacerdotes, Scribæ, & Phariſæi „ ſcholas ſuas puerum non frequentaſſe, eaque erant „ arrogantia, ut exiſtimarent, nihil extra ſcholas ſuas „ literarum eſſe poſſe. Cavendum ne nos Phariſæis iſtis „ ſimiles ſimus, neminemque putemus quicquam ſcire „ poſſe, niſi ſub noſtra fuerit ferula, doleamuſque ju„ venes ſuccreſcere, qui neſcio unde repente emergen„ tes ea ſciant, quæ nos ſenes, canoque doctores capi„ te ignoremus “. Hæc Maldonatus. Noverint itaque non omnes ſcholas *ſuas* eſſe; nam præter ſcholas D. Thomæ, quæ gratiam ſeipſa efficacem acerrime tuentur, ſunt etiam Academiæ quamplures, in quibus hæc ipſa doctrina etiam magna cum veneratione defenditur. Teſtes ſunt Academiæ Lovanienſis, & Duacenſis in ſuis adverſus Leſſium cenſuris. Teſtis Academia Salmantina, Pariſienſis, Toloſana, & aliæ, in quibus ſententia hæc ut omnino certiſſima, & tanquam Divi Auguſtini, & Divi Thomæ recipitur.

Quod vero in hac objectione dicitur contineri, aut ſupponi in Catechiſmo gratiæ ſeipſa efficacis aſſertionem, in eo, quod docet, Chriſtum membra myſtica movere, quomodo caput cæteras corporis partes, non Catecheſeos ſolius doctrina eſt, ſed Sancti Thomæ, ſed Auguſtini, ſed Concilii Tridentini, ſed Divi Pauli, ita ut, ſi auxilii ſeipſo efficacis ſententiam hac ſimilitudine capitis, & membrorum contineri in ipſo Catechiſmo non dubitant, eandem apud ſanctiſſimos Patres D. Thomam, & D. Auguſtinum reperiri, eandem

dem Synodi Tridentinæ decretis, & D. Pauli oraculis ſanciri fateantur, neceſſe eſt. Quid enim aliud ſibi vult Aquinas, cum docet 3. p. q. 8. art. 1. ſolum Chriſtum capitis in Eccleſia rationem habere quoad interiorem influxum? Quid aliud explicat, cum dicit, lect. 5. in cap. 4. ad Epheſ. *A Chriſto tanquam a capite eſſe actualem membrorum operationem, ſive ad opus motionem?* Quid ſignificat, cum reddens rationem illius dicti D. Pauli, *Augmentum corporis facit*, ait: „ Quia „ non ſolum per fidem corpus myſticum compaginatur, „ nec ſolum per charitatis ſubminiſtrationem connectentem augetur corpus, ſed per actualem operationem „ ab unoquoque membro egredientem ſecundum menſuram gratiæ ſibi datæ, & actualem motionem ad operationem, quam Deus facit in nobis? " Quid Auguſtinus in Pſalm. 42. „ Omnes nos (inquit) cum capite noſtro Chriſto, ſine capite noſtro nihil valentes. „ Quare? Quia nos cum capite noſtro vitis; ſine capite noſtro, quod abſit, ſarmenta præciſa, non alicui operi agricolarum, ſed igni tantummodo deſtinata. Ideo & ipſe in Evangelio, *Ego ſum vitis*; vos „ eſtis palmites, Pater meus Agricola eſt, & ſine me „ nihil poteſtis facere. Domine ſi ſine te nihil, totum „ in te. Etenim quicquid ille operatur per nos, nos „ videmur operari. Poteſt ille multum, & totum ſine „ nobis, nos nihil ſine ipſo ". Hæc Auguſtinus. Sed mirum omnino, cur in Catechiſmo reprehendant verba ipſa Tridentini Concilii. Utraque repræſentanda ſunt, ut conſtet, quam concinant, & quanta injuria Catecheſim arguant. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. ult. hæc habet: „ Cum Chriſtus Jeſus tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem inſinuat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent, nihil ipſis juſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quominus plane illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, divinæ legi pro hujus „ vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam „ tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam, vere promeruiſſe cenſeatur ". Hæc Tridentinum. Catechiſmus vero in doctina *de pœnit.* de ſatisfactione, fere de verbo ad verbum hæc tranſcribit. „ Chriſtus (inquit) Dominus tamquam caput in membra, & vitis in palmites, gratiam ſuam in eos, „ qui ſibi per charitatem conjuncti ſunt, continenter „ diffundit. Quæ quidem gratia bona opera noſtra „ ſemper antecedit, comitatur, & conſequitur, & ſine „ qua mereri, & ſatisfacere nullo modo poſſumus. Atque ita fit, ut juſtis nihil deeſſe videatur, quin operibus, quæ Dei virtute efficiunt, & divinæ legi pro „ humana, mortalique conditione ſatisfacere, & vitam „ æternam, quam ſcilicet, ſi Dei gratia ornati e vita „ deceſſerint, conſequentur, mereri poſſint ". Neſcimus quid in hac tota doctrina reprehenſione dignum in Catechiſmo reperiatur, quod idem in Concilio non contineatur. Quid enim diverſum in his ſententiis? Utrobique illa eadem capitis & membrorum comparatio; utrobique jugis ille ac perennis influxus Chriſti capitis in juſtificatos tamquam in membra, niſi quod, quam Concilium vocat *virtutem*, Catechiſmus *gratiam* nominat. Quod diſcrimen nullius eſt momenti; cum enim conſtet Concilium & Catechiſmum de auxilio quodam actuali & ſupernaturali agere (ſupponunt ſiquidem homines, in quos Chriſtus influit, jam juſtificatos, atque adeo non agunt de habitibus, ſed de adjutorio quodam, ex quo dignitatem, atque valorem ſatisfaciendi, & promerendi opera mutuantur, ac per conſequens ſupernaturali) omnino idem eſt in propoſito virtus & gratia, atque utroque nomine ſignificatur auxilium. Utrobique dicitur hoc divinæ gratiæ ſubſidium antecedere, comitari, ac ſubſequi vel conſequi juſtorum opera. Utrobique dicitur ex hoc auxilio juſtificatorum opera habere, quo ſatisfaciant, & promereantur. Nihil igitur diſcriminis intercedit, nam quod Concilium dicit, hoc conſequi opera, quæ in Deo ſunt facta, Catechiſmus vero illa, quæ juſti Dei virtute efficiunt, nulla prorſus ratione diſcrepant: cum illa, quæ in Deo fiunt, illa ipſa Dei virtute antecedente, concomitante, ac ſubſequente ſemper efficiantur. Alter vero locus ex Catecheſi objectus in doctrina de Baptiſmo de effectibus Baptiſmi, ſic habet. „ Quemadmodum igitur a capite vis „ manat, qua ſingulæ corporis partes ad proprias functiones apte exequendas moventur; ita etiam ex Chriſti Domini plenitudine in omnes, qui juſtificantur, „ divina virtus & gratia diffunditur, quæ nos ad omnia „ pietatis officia habiles reddit ". Quo loco, quamvis Catechiſmus loquatur de gratia ſanctificante, ut legenti conſtabit, nihil tamen aliud docet, quam quod Concilium decreviſſe jam vidimus. Eadem ergo ratione ſacroſancta Synodi Tridentinæ decreta gratiam ſeipſa efficacem vel continent, vel ſupponunt, qua Catechiſmus eamdem vel continere, vel ſupponere dicitur. Non quod negemus ſatis aperte illam in Catechiſmo explicari, ſed quod ipſiſſimam a Concilio etiam Tridentino non minus perſpicuis verbis traditam contendamus. Quin etiam non minus ſplendide illammet a D. Paulo intelligi, certiſſimum arbitramur, dum eadem capitis & membrorum comparatione utens: *Ex quo* (inquit ad Coloſſ. 2. v. 19. de Chriſto loquens) *totum corpus per nexus, & conjunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum creſcit in augmentum Dei.* Et ad Epheſ. 4. verſ. 16. *Creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem junctturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem, in menſuram uniuſcujuſque membri, augmentum corporis facit.* Quæ duo Apoſtoli loca non exiſtimamus aliter intelligi poſſe, niſi admittamus virtutem, qua Chriſtus ut caput in corpus, & in ſingula membra ipſum augmentum, & gratiæ incrementum continenter influat. Hoc vero cum per opera juſtificatorum efficiatur, Chriſto ut capiti ea ratione influenti adſcribi non poteſt, niſi virtus hæc ab ipſo derivata ſit hujuſmodi, qua efficiat, ut nos ipſi faciamus, & efficaciter faciat, ut bona illa opera eliciamus, quibus in nobis charitas augeatur. Illud ſiquidem gratiæ crementum illi ſoli principio proprie adſcribitur, non quod virtutem ancipitem, atque verſatilem ad incrementum, & decrementum ſubminiſtrat, ſed quod reipſa, ut verbis Apoſtoli utamur, *augmentum corporis facit.*

Quod vero ajunt Catechiſmum aſſerere, illis verbis, *Primum miſericordia Dei nos prævenit, cordaque convertit*, neſcimus plane quî poſſint objicere; cum Scriptura paſſim utrumque teſtetur; nam & Pſal. 58. *Miſericordia ejus præveniet me:* & Pſal. 20. *Domine prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Et Pſal. 22. *Animam meam convertit.* Pſal. 79, 84. *Deus converte nos.* Hier. 31. *Converte me, & convertar. Poſtquam enim convertiſti me, egi pœnitentiam.* Thren. 5. *Converte nos Domine ad te, & convertemur;* quo ultimo loco uſa eſt ſacroſancta Synodus Tridentina ſeſſ. 6. c. 5. ut probaret Dei nos gratia præveniri: iſthæc, inquam, omnia loca idem iiſdemque terminis efferunt, quod hi in Catechiſmo reprehendere non verentur. Quod ſi hæ locutiones gratiam ſeipſa efficacem, & effectricem converſionis important, fateantur tandem aliquando, illam non Catechiſmi Romani doctrinam duntaxat eſſe, ſed ipſius Scripturæ, quam ſi recipere detrectarent, vel pravis gloſſematis in contrarios ſenſus ſollicitarent, ac detorquerent, aliorum eſto judicium, quo loco forent habendi.

Ad illud vero, quod ſubjiciunt, *nos accipere a Deo innocentiæ voluntatem.* In primis debuiſſent advertere, illud Catechiſmum a ſeipſo non dicere, ſed ex D. Hilario Pſal. 64. Neque vero *ſolus eſt* D. Hilarius in hoc modo loquendi, illum toties Auguſtinus uſurpavit, toties ſummi Pontifices in eundem ſenſum locuti ſunt, toties Concilia, toties ipſa Scriptura, ut nihil adverſus Catechiſmum ex D. Hilario ſic loquentem dici poſſit, quod in eoſdem Patres, in ipſas Synodos, & in authores ſacros non torqueatur. Pauca ex multis ſubjicimus, ab Auguſtino initium ducentes. *A Domino* (inquit Ep. 107. ad Vitalem) *greſſus hominis diriguntur, & viam ejus volet, ut intelligeremus ipſam voluntatem bonam, qua incipimus velle credere (quoniam via Dei quid eſt, niſi fides recta?) illius eſſe donum, qui greſſus noſtros propterea dirigit primitus, ut velimus*: & lib. 2. oper. imperf. contr. Julian. fol. 105. dicit: *Bene vivere donum eſſe divinum.* Si donum Dei, ergo a Deo illud accipimus. Et rurſum lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 19. *Quapropter niſi hoc teneamus, non ſolum voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis eſt, quibus & male uti malus poteſt; ſed etiam voluntatem bonam, quæ jam in eis bonis eſt, quorum eſſe uſus non poteſt malus, niſi ex Deo nobis eſſe non poſſe, neſcio, quemadmodum defendamus, quod dictum eſt.* Ad Corinth. 4. *Quid enim habes, quod non accepiſti?* Videndus plane toto lib. de Præd. Sanctorum, & de bono perſeverantiæ, ubi nihil aliud contendit, niſi omnem bonam voluntatem a prima, qua credere volumus ad ultimam uſque, qua perſeveramus, nos a Deo ipſius gratiæ dono accipere. Quid illud eſt, quod Cæleſtinus I. in Ep. ad Galliæ Epiſcopos cap. 7. 8. 9. dicit ex Concilio Milevitano: *Neminem niſi per Chriſtum libero bene uti arbitrio?* Quid eſt quod idem ex Zoſimo prædeceſſore ſuo ait: *Omnia Sanctorum merita dona eſſe Dei?* Quid eſt quod ex eodem ſubjicit: *Omnem ſanctam cogitationem, & omnem piæ voluntatis motum ex Deo eſſe?* Ipſe ſiquidem bonus uſus liberi arbitrii, ipſa merita, ipſe bonus piæ voluntatis motus, bona voluntas eſt: ſi ergo bonus ille uſus, ſi merita, ſi bonus voluntatis

motus

motus ex Deo est, nunquid bonam voluntatem a Deo non accipimus? Nonne Deum diligere, bona voluntas est? *Prorsus Dei donum est, diligere Deum*, ait Concilium Arausicanum II. can. 25. Quid Tridentinum sess. 6. cap. 13. Numquid non docet, *Deum operari velle?* & idem ibid. cap. 16. *Tantam esse Dei erga omnes homines bonitatem, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona?* Quid denique ipse D. Paulus 1. ad Corinth. 4. *Quid habes*, inquit, *quod non accepisti?* Ad Philip. 1. *Vobis donatum est, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini*. Ad Philip. 2. *Deus est, qui operatur in vobis velle & perficere*. Quid D. Jacobus cap. primo? *Omne*, inquit, *datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum*. An non bonum, & perfectum bona voluntas est? Quid denique ipse Joannes Baptista, Joan. 3. *Non potest homo accipere quicquam, nisi ei fuerit datum de cælo*: vel ut legit Concilium Arausicanum II. can. ult. *Nemo habet quicquam boni, nisi illud illi datum fuerit desuper*.

Certum omnino est, has locutiones, & sententias gratiam seipsa efficacem plane sonare, atque exprimere: non enim bonam voluntatem ille dat, qui duntaxat ut quis possit bene velle suppeditat. Quare D. Augustinus passim adversus Pelagium contendit, Deum nedum possibilitatem nobis impertiri, sed ipsam largiri voluntatem, & actionem. Hoc illud est, quod contra Pelagium distinguentem *posse*, *velle*, & *esse*, atque asserentem *posse* a Deo nobis donari, *velle* autem, & *esse*, sive *agere* nostrum esse, sic post multa concludit, de gratia Christi cap. 47. „ Quapropter, quantum attinet „ ad istam de divina gratia, & adjutorio quæstionem, „ tria ista, quæ apertissime distinxit (Pelagius) attendite, *posse*, *velle*, *esse*, id est possibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergo consenserit nobis, non „ solum possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, „ nec agat bene; sed ipsam quoque voluntatem, & actionem, id est, ut bene velimus, & bene agamus, „ quæ non sunt in homine, nisi quando bene vult, & „ bene agit: si, ut dixi, consenserit etiam ipsam voluntatem, & actionem divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus, & „ agamus, eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua, non nostra „ justitia justos facit, ut ea sit vera justitia, quæ nobis ab illo est, nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur ". Solus igitur ille bonam voluntatem dat, qui non *posse* duntaxat, sed ipsum *velle* largitur; qui autem ipsum bene velle donat, gratiam procul dubio seipsa efficacem concedit, qua facit nedum ut possimus, hoc enim est adjuvare tantummodo ipsum *posse*, sive ipsam possibilitatem, quæ inest homini etiam quando nec bene vult, nec agit; sed facit ut bene velimus, & agamus, quæ non sunt in nobis, nisi quando actu & de facto bene volumus, & operamur: aliquid enim aliud accipimus per illud donum, quo fit ut possimus bene velle, atque adeo, qui bonam voluntatem, sive ipsum bene velle dat, aliud nobis impertit, quam is, qui bonum posse tribuit; istud est auxilium possibilitatis, sive sufficiens, sive *sine quo* non possumus, illud auxilium voluntatis, & actionis, sive efficax, sive *quo* fit, ut velimus: quæ duo nisi distincta forent, prout a concedente proveniunt, non aliud largiretur, qui daret velle, quam is, qui posse concederet. Illis igitur sanctorum Patrum, Conciliorum, & Scripturæ locutionibus, quibus dicitur, Deum operari in nobis velle, dare bonum usum liberi arbitrii, dare nobis merita, & bonam voluntatem, aliisque similibus, luculentissime auxilium seipso efficax explicatur.

Ejusdem farinæ illud est, quod ex §. *Pro quibus orandum*, adducunt. Catechismus enim eo loco nihil omnino docet, nisi quod semper docuit Ecclesia, & suis Orationibus apertissime demonstravit, imo istud non ex seipso, sed ex Augustino, quem citat, ex Innocentio I. Zosimo, Cælestino I. ex ipsis Orationibus Ecclesiæ, ex D. Paulo profert. Ut autem hæc evidentius cunctis appareant, conferamus verba Catechismi cum illis omnibus. Catechismus ergo sic habet: „ Illud etiam S. Augustini testimonio celebratum est, hanc esse acceptam „ consuetudinem ab Apostolis pro iis, qui ab Ecclesia „ sunt alieni, preces & vota faciendi, ut Infidelibus „ donetur fides: ut Idolorum cultores ab impietatis errore liberentur: ut Judæi discussa animorum caligine „ lucem veritatis aspiciant; ut hæretici redeuntes ad „ sanitatem catholicæ doctrinæ præceptis erudiantur; ut „ Schismatici, a qua desciverant, sanctissimæ parentis „ Ecclesiæ communione, cum ea iterum veræ charitatis „ modo juncti copulentur. Quantam autem vim habeant preces pro hujusmodi hominibus factæ ex animo, constat tam multis exemplis omnis hominum „ generis, quos quotidie ereptos a potestate tenebrarum „ transfert Deus in Regnum filii charitatis suæ, & ex „ vasis iræ facit vasa misericordiæ; in quo plurimum „ valere piorum obsecrationem, nemo, qui recte sentiat, dubitare potest ". Conferamus igitur hanc Catechismi doctrinam cum definitionibus Summorum Pontificum, maxime Cælestini Papæ, qui ea in Epistola, quam ad Episcopos Galliæ scripsit cap. 9. postquam Papæ Zosimi decretum retulit, ex eo colligentis semper orandum, *quia semper divino egemus auxilio*, paulo post subjungit cap. 11. „ Præter beatissimæ & Apostolicæ Sedis inviolabiles Sanctiones, quibus nos piissimi „ Patres pestiferæ novitatis elatione dejecta, & bonæ „ voluntatis exordia, & incrementa probabilium studiorum, & in eis usque in finem perseverantiam ad „ Christi gratiam referre docuerunt, obsecrationum quoque Sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab „ Apostolis tradita in toto mundo, atque in omni Catholica Ecclesia uniformiter celebrantur, ut legem „ credendi lex statuat supplicandi. Cum enim sanctarum plebium præsules mandata sibimet legatione funguntur apud divinam clementiam, humani generis agunt causam, & tota secum Ecclesia congemiscente „ postulant, & precantur, ut Infidelibus donetur fides, „ ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, „ ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant, ut Schismatici Spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, ut „ denique catechumenis ad regenerationis Sacramenta „ perductis cælestis misericordiæ aula reseretur. Hæc „ autem non perfunctorie, neque inaniter a Domino „ peti rerum ipsarum monstrat effectus; quandoquidem „ ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum filii charitatis suæ, & ex vasis iræ faciat vasa misericordiæ: Quod adeo totum divini operis esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum semper actio, laudisque confessio pro illuminatione talium, vel correptione referatur ". Hæc Cælestini Sanctio tam similis est doctrinæ Catechismi, ut eam non tam sequi voluisse illius authores, quam pene de verbo ad verbum transcripsisse videantur. Et quia Catechismus ex Augustino dicit se hanc accepisse sententiam, videndum plane, utrum sicut Cælestini decreto concinit, sic etiam Augustini placitis conveniat: In hunc igitur modum Augustinus Epist. 107. Vitalem scisciatur: „ Nunquid & orare prohibebis Ecclesiam pro Infidelibus, ut sint fideles; pro iis, qui nolunt credere, ut velint credere; pro iis, qui ab ejus lege, doctrinaque dissentiunt, ut legi ejus, doctrinæque consentiant, ut det illis Deus, quod per Prophetam promisit, cor cognoscendi eum, & aures audiendi, quas „ utique acceperant, de quibus Salvator dicebat: *Qui habet aures audiendi, audiat*. Matth. 13. Numquid „ ubi audieris Sacerdotem Dei ad ejus altare populum „ hortantem ad Deum orandum, vel ipsum clara voce „ orantem, ut incredulas gentes ad fidem venire compellat, non respondebis *Amen*? An etiam hujus fidei „ sanitati contraria disputabis "? Et post allatum D. Cypriani testimonium. „ Nunquid postremo Apostolum „ Paulum pro Judæis infidelibus habentem talia vota „ culpabis? de quibus ait, ad Rom. 10. *Bona voluntas „ cordis mei, & deprecatio ad Deum fit pro illis in „ salutem*. Quin etiam Thessalonicensibus dicit, de „ cætero fratres orate pro nobis, ut verbum Domini „ currat, & glorificetur, sicut etiam apud vos, & ut „ eruamur ab iniquis, & malis hominibus: non enim „ est omnium fides ". Neque vero uno loco, ac veluti per transennam hoc docuit Augustinus. Scatent scripta ejus his sententiis. *Quando*, inquit Augustinus de bono persever. cap. 23. *non oratum est in Ecclesia pro infidelibus, atque inimicis ejus, ut crederent? Quando fidelis quisquam amicum, proximum, conjugem habuit infidelem, & non ei petiit a Domino mentem obedientem in christianam fidem?* Et infra: *Sicut ergo in his orationibus; ita & in hac fide nata est, & crescit, & crevit Ecclesia. Non oraret Ecclesia, ut daretur Infidelibus fides, nisi Deum crederet, & aversas, & adversas hominum ad se convertere voluntates, &c.* Alludunt plane Cælestinus, & Augustinus ad orationes Ecclesiæ feria sexta in Parasceve, qua die orandum præscribit, & orat pro Paganis, *ut Deus omnipotens auferat iniquitatem a cordibus eorum, ut relictis idolis suis convertantur ad Deum vivum, & verum, & unicum filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum; libera* (inquit) *eos ab idolorum cultura, & aggrega Ecclesiæ tuæ sanctæ:* Et pro Judæis, *ut Deus & Dominus noster auferat velamen de cordibus eorum, ut & ipsi agnoscant Jesum Christum, ut agnita veritatis luce a suis tenebris eruantur*. Et pro Hæreticis, & Schismaticis,

ticis, *ut Deus & Dominus noſter eruat eos ab erroribus univerſis, & ad ſanctam Matrem Eccleſiam Catholicam atque Apoſtolicam revocare dignetur, ut omni hæretica pravitate depoſita errantium corda reſipiſcant, & ad veritatis redeant unitatem*. Quid hic memoremus Evangelii, & D. Pauli oracula, dum Chriſtus præcepit Apoſtolis Matth. 5. & Lucæ 6. ut orarent, *pro calumniantibus & perſequentibus ipſos*, nunquid Infideles voluit denotare? Et quando D. Paulus 2. ad Corinth. ult. ait, *Oramus, ne quid faciatis mali*. Et ad Coloſſ. 4. *Orationi inſtantes, vigilantes in illa, in gratiarum actione, orantes ſimul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis oſtium verbi ſui &c.* numquid pro Infidelibus rogari voluit? Hæc enim apertio oſtii, interprete D. Auguſtino de prædeſtin. Sanct. cap. 20. eſt ſenſus audientis apertio, ut credat. Si ergo legem credendi lex ſtatuit ſupplicandi, ut ait Cæleſtinus: ſi hæc orandi ratio in Catechiſmo contenta clariſſima eſt gratiæ ſeipſa efficacis teſtificatio, ut cum Auguſtino ſupponunt objicientes, toti Eccleſiæ objiciant, quod Catechiſmo opponunt, illam ſicut & iſtum admittendo gratiam ſeipſa efficacem favere Calvino.

Non diſcedunt ab eadem ſemita, dum illud etiam afferunt adverſus Catechiſmum, quod aſſerat: *Noſtræ authorem eſſe precationis Spiritum Sanctum, a quo etiam nos ad virtutem, ſalutareſque actiones impellimur*. Utrumque cum Catechiſmo docent Sancti Patres, utrumque docet Eccleſia tota ex Divo Paulo, & ex Evangelio, nec minus conceptis, imo quodam modo ſignificantioribus verbis. En probationes.

Unus Auguſtini locus ſimul omnia præſtabit; explicans enim illa verba D. Pauli ad Rom. 8. *Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid eſt*, inquit de bono perſever. cap. 23. *ipſe Spiritus interpellat, niſi interpellare facit gemitibus inenarrabilibus, ſed veracibus, quoniam veritas eſt Spiritus?* Et ubi hoc probavit ex alio ejuſdem Apoſtoli loco ad Gal. 4. *Miſit ſpiritum filii ſui clamantem Abba, Pater, hoc eſt clamare facientem, quia alibi Apoſtolus ait*, ad Rom. 8. *In quo clamamus, Abba, Pater*, ſubjungit Auguſtinus: „ Ubi intelligimus & hoc ipſum eſſe donum Dei, „ ut veraci corde, & ſpiritaliter clamemus ad Deum. „ Attendant ergo, quomodo falluntur, qui putant eſſe „ a nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, „ pulſemus, & hoc eſſe dicunt, quo gratia prædicetur „ merito noſtro, ut ſequatur illa, cum accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulſantibus. Nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris „ eſſe, ut oremus, hoc eſt, petamus, quæramus, atque pulſemus. Accipimus enim ſpiritum adoptionis „ filiorum, in quo clamamus, *Abba, Pater*". Quod vidit Ambroſius: ait enim, " & orare Deum gratiæ ſpiritalis eſt: ſicut ſcriptum eſt, 1. ad Corinth. 12. *Nemo dicit Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto*. Hæc „ igitur, quæ poſcit a Domino, & ſemper, ex quo „ eſſe cœpit, popoſcit Eccleſia &c. ". Hinc Concilium Arauſicanum videtur aſſumpſiſſe partem illam canonis 6. in quo dicit: *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri divinitus*; non autem, *ut credamus, velimus, vel hæc omnia ſicut oportet agere valeamus, per infuſionem, & inſpirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur &c. reſiſtit Apoſtolo dicenti*, 2. *ad Corinth.* 4. *Quid habes, quod non accepiſti?* Atque ille eſt Spiritus, de quo Zacharias cap. 12. ait: *Spiritum gratiæ & pretium effundit*, ut hic locus cum aliis a D. Auguſtino ſuperius allatis plane convincat, authorem noſtræ orationis eſſe Spiritum Sanctum. Hoc ipſum Eccleſia tota profitetur, dum a Deo petit, in orat. Dom. 9. poſt Pentecoſt. *Fac eos, quæ tibi ſunt placita, poſtulare*. Et in orat. Dom. 12. *Adeſto piis Eccleſiæ tuæ precibus author ipſe pietatis*. Denique nullus eſt Chriſtianorum, qui & donum orandi non poſtulet, & poſtquam oravit, Deo gratias non agat, ut Deum orationis ſuæ authorem agnoſcat. Quod vero eodem ſpiritu authore ad virtutem, ſalutareſque actiones impellamur, non minus ab iiſdem aſſeveranter dicitur. Jam ſupra audivimus Auguſtinum dicentem Epiſt. 107. ad Vitalem, Sacerdotes hortari populos ad orandum, & ipſoſmet orare Deum, *ut incredulas gentes ad fidem venire compellat*. Et alibi de corrept. &c. cap. 12. *voluntatem divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter agi*: & cap. 2. *Intelligant ſi filii Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt, agant, & cum egerint, illi, a quo aguntur, gratias agant: aguntur enim ut agant; non ut ipſi nihil agant*. Et præterea lib. de geſtis Pelag. cap. 3. *Procul dubio plus eſt agi, quam regi: Qui enim regitur, aliquid agit; qui autem agitur, agere aliquid, ipſe vix intelligitur: Et tamen tantum præſtat mentibus noſtris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apoſtolus dicere*, Rom. 8. Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei ſunt. Et ſerm. 43. de verb. Dom. *Agis, ſi ageris, & bene agis, ſi a bono agaris*. Et S. Thomas explicans illum locum Apoſtoli ad Rom. 8. lect. 3. poſtquam dixit, filios Dei inſtrui a Spiritu Sancto: „ Plus (inquit) intelligendum eſt in „ hoc quod dicitur, Quicumque ſpiritu Dei aguntur, illa „ enim agi dicuntur, quæ quodam ſuperiori inſtinctu „ moventur: unde de brutis dicimus, quod non agunt, „ ſed aguntur, quia natura moventur, & non ex proprio motu ad ſuas actiones. Similiter autem homo „ ſpiritualis non quaſi ex motu propriæ voluntatis principaliter, ſed ex inſtinctu Spiritus Sancti inclinatur „ ad aliquid agendum, ſecundum illud Iſaiæ 56. *Cum „ venerit quaſi fluvius violentus, quem Spiritus Dei „ cogit*. Et Lucæ 4. *Quod Chriſtus agebatur a Spiritu „ &c.* „. Maldonatus ipſe illa verba Matth. cap. 4. explicans, ductus eſt Jeſus in deſertum: „ Ductus, inquit, ἀνήχθη ſubductus, aut abreptus. Marcus, τὸ „ πνεῦμα αὐτὸν ἐκβάλει. Credibile eſt non per aera raptum ut Habacuc, Dan. 14. & Philippum Act. 8. quia „ id Evangeliſtæ non tacuiſſent, ſed pedibus ductum, „ non coactum, ſed liberum. Dicit tamen Matthæus „ *ſubductum*, Marcus *expulſum*, non ut vim illatam „ Chriſto, ſed ut efficientiam, & impulſum Spiritus „ Sancti ſignificarent; ſicut cum D. Paulus dicit ad „ Rom. 8. *Qui ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei*, „ ut Hilarius, Hieronymus, & Author operis imperfecti obſervarunt. Nec ſignificatur ante non fuiſſe actum a Spiritu, ſed tum maxime vim Spiritus apparuiſſe ". Ex his ergo conſtat, Patres, & Scripturam uti nominibus multo ſignificantioribus, quam uſus fuerit Catechiſmus: nam *compellere, agere, cogere, abripere, expellere*, aut æqualem, aut multo efficaciorem virtutem important, quam impellere. Si ergo illis terminis uſi ſunt Patres, & Scriptura, ut efficientiam, & impulſum Spiritus Sancti ſignificarent, quis jure Catechiſmo ſuccenſeat, quod verbo impellendi uſus fuerit, ut auxilii divini ſeipſo efficacis efficientiam explicaret? Quis nobis Calvini hæreſim impingat, ſi Deum nos præmovere, ac prædeterminare phyſice aſſeramus, cum aliquid fortius ſonet *compellere, agere, cogere, abripere, expellere*, quam *præmovere, ac phyſice prædeterminare*?

CAPUT XIII.

Tria ultima objectionis ſeptimæ capita de viribus liberi arbitrii poſt Adami peccatum, diluuntur.

SOlemnis ille mos eſt novas opinationes molientibus, prius ut eas ſubdubitanter exponant, moxque illas iis compoſitorum ad artem verborum offuciis involvant, quibus in unam, aut alteram partem flecti valeant, & ſenſim, atque aptius incautiſſimos etiam legentium, vel audientium animos lubricent: ne deprehenſa falſorum dogmatum vanitate penitus confundantur, & ut paulatim mentes ipſa novitate perculſæ, atque reſilientes, moliantur, & novitiis dogmatis aſſueſcant. Hanc fraudem in Pelagio, atque Cœleſtio deprehenſam ſanctiſſimi Patres Auguſtinus, & Hieronymus ſæpius perſequuntur, ita ut ille prior ſe ipſum illa pene deceptum ingenue fateatur. Inquit enim de Gratia Chriſti cap. 37. „ Mihi pene perſuaſerat hanc illum (*Pelagium*), „ de qua quæſtio eſt, gratiam confiteri: ſed cum in „ manus meas & alia veniſſent, quæ poſterius, latiuſque conſcripſit, vidi quemadmodum poſſet & illic „ gratiam nominare, ſub ambigua generalitate, quid „ ſentiret aſcondens, gratiæ tamen vocabulo frangens „ invidiam ". Et infra cap. 41. „ Quæcumque pro „ gratia videtur dicere, ita dicit, ut nullo modo a verborum ambiguitate diſcedat ". Et de peccato orig. cap. 22. „ Volentes (inquit) aſtute invidiam declinare, aſſerunt iſtam præter fidei periculum eſſe quæſtionem, ut videlicet, ſi in ea fuerint exorbitaſſe convicti, non criminaliter, ſed quaſi civiliter erraſſe videantur ". Eandemque ob cauſam ſe primos illius dogmatis authores non eſſe dicebant, ut ibidem annotat Auguſtinus. Eadem fere Hieronymus Epiſt. ad Cteſiph.

Aliorum eſto judicium, num abſimilis ſit huic arti ea cujuſdam recentioris induſtria, qui propoſita illa quæſtione de viribus liberi arbitrii cum ſolo concurſu generali ad non ſuccumbendum in quocumque temporis momento gravibus tentationibus, illam ita in utramque partem diſputat, ut quamvis innuat, quæ ſit ſua ſententia, aperte tamen non explicet primum, donec poſtmodum eam ab aliis receptam ſentiens exerte profeſſus eſt,

ſit, ſibi etiam tunc eam fuiſſe mentem, ut hoc poſſe infirmam hominis voluntatem aſſereret, atque ut illud ipſum in animos legentium inſtillaret, non dixit poſſe liberum arbitrium viribus naturalibus in natura corrupta reſiſtere cuilibet tentationi etiam graviſſimæ, quod aures piæ vix ferre poſſent, ſed ait, *Manere in humano arbitrio cum ſolo concurſu generali Dei libertatem ad non conſentiendum in quocumque temporis momento cuicumque gravi tentationi*. Quaſi vero ulla unquam apud viros Catholicos, inter quos tamen eam quæſtionem verſari refert, fuerit diſputatio, An maneat in homine quantuncumque tentato libertas: cum omnes quotquot ſcripſere Catholici authores, illam ſartam tectam ſervari conſtantiſſime doceant, ſive ſuccumbat ille, ſive ſuperet, alioquin nec peccaret ſuccumbendo, nec vincendo mereretur. Verum quia univerſi aſſerunt manere in homine libertatem, hinc voluit inferri, eſſe in homine ad vincendas quaſcumque tentationes potentiam, ac vires naturales ad hanc victoriam, cujus illationis inanitas tam evidens eſt, ut neotericum illum minime latere potuerit. Ex hoc fonte oriuntur tria illa poſtrema ejus objectionis contra Catechiſmum, quam tractamus, capita, in quibus reprehenditur Catechiſmus Romanus, quod per peccatum Adami vires quaſdam naturales hominem amiſiſſe dicat, quod homines viribus naturalibus non poſſe reſiſtere tentationibus aſſerat, ac denique, quod D. Petro, dum Chriſtum negavit, in ſumma ſpiritus alacritate non reſpondiſſe vires affirmet. Quæ tria de viribus liberi arbitrii in natura corrupta attenuati, & inclinati, ſi exacte diſcutienda forent, prolixiores ſane diſputationes exigerent. Ut autem paucis expediamus, quædam omnino ſunt præmittenda.

In primis igitur, ut omnes ambages, omneſque uno velut ictu querimonias amputemus, illud firmiſſimum fidei fundamentum ſupponendum eſt, per peccatum Adami non eſſe ſublatam ab homine liberam voluntatem, illiuſve uſum, aut exercitium. Hoc Scriptura, hoc Concilia, hoc ſancti Patres tanta cum evidentia, tamque conſtanti aſſertione docent, ut mirum omnino ſit, aliquem vel ſolo nomine Catholicum, tantillum ea de re dubitare potuiſſe. Verum, quia libertas, ſive liberum arbitrium juxta D. Thomam 1. p. q. 62. a. 8. ad 3. eſt vis electiva ſervato ordine finis, & hæc ratio duo complectitur, nimirum vim electivam, & ordinem ad finem, hinc fit, ut duo quædam in notione libertatis intelligantur; alterum tanquam eſſentiale, atque intrinſecum, ipſam ſcilicet facultatem ſive potentiam, qua ipſe actus electionis elicitur; alterum tanquam connotatum, & ratione quadam extrinſecum, illum videlicet ordinem ad finem. Quamvis enim in omni cujuslibet medii electione ordo ad finem aliquem includatur; ipſe tamen finis extrinſecum quippiam eſt, & connotatum: ex hoc igitur capite aliquid veluti extraneum in ipſa medii electione involvitur. Quia vero finis omnis bonum quoddam eſt, indubitanter, qui malum, quod vere hujuſmodi eſt, licet ſimul ſit apparens bonum, intendit, atque ad hoc medium diligit, habet ille quidem electionem, ſed mancam, mutilam, deficientem. Quis enim veram crediderit operationem viſus, qui viridem, ubi alter eſt, colorem percipiat? An non potius dixerit, illum hominem videre quidem, ſed non percipere? Ita prorſus in eo, qui medium eligit ad finem malum, habet quidem ille vim electivam, atque adeo libertatem, ſed quæ a vera libertatis ratione in tantum deficiat, quantum ab ipſa veri boni recta intentione declinat. Etſi vero totum illud, quod phyſicum eſt in ipſa vi electiva in hujuſmodi ad malum finem electione reperire ſit, quia nihilominus electio ipſa quippiam morale, ordinem nimirum ad finem, involvit, ubi ordo ille ad pravum finem dirigitur, etiam nonnihil de ipſa electionis perfecta ratione detrahitur; minus liber eſt, qui eligendo a vero fine deviat, quam is, qui dum eligit, ab ipſo recti finis ordine declinare non poteſt. *Unde*, inquit ſanctiſſimus Præceptor ibid. *major libertas arbitrii eſt in Angelis, qui peccare non poſſunt, quam in nobis, qui peccare poſſumus*. Quamvis hæc veriſſima ſint, nec niſi a cæcutientibus, aut protervis negari poſſint, majoris tamen claritatis gratia diſtinguamus vires liberi arbitrii in phyſicas, & morales; & phyſicas quidem vocemus ipſam facultatem voluntatis, etiam ut eſt liberum arbitrium; morales vero ipſam finis intentionem, quæ ad eligenda media, vel ipſa experientia teſte, vires ſuppeditat: deinde vero tum phyſicas, tum morales ſecernamus in eas, quæ ſunt ordinis mere naturalis, atque ad opera naturæ rationali, & ultimo fini naturali accommodata ordinantur, & in illas, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis.

Phyſicas quidem ordinis mere naturalis manſiſſe adverſus novatores tuemur. Omittimus hic ea Scripturæ teſtimonia, Patrum authoritates, Conciliorum definitiones, quibus hoc fidei dogma ſtabilitur, ea duntaxat ratione contenti, qua proprietas neceſſario naturam conſequens, nonniſi natura deſtructa tollitur: libertas voluntatis neceſſario naturam conſequitur, utpote appetitus rationalis ad bonum univerſale in communi neceſſitate naturali, atque adeo ad bona particularia cognita ſic tendens, ut ſeipſam in eadem non ferre valeat. Cum igitur per peccatum Adami humana natura nequaquam perierit, conſequens eſt, ut nec libertas voluntatis ablata ſit. Phyſicas & naturales ordinis ſupernaturalis per peccatum ablatas defendimus: hæ ſiquidem nullæ aliæ ſunt, quam habitus fidei, ſpei, charitatis, & gratiæ, aliique ſimiles habitus, & ipſam ultimi finis ſupernaturalis intentionem, quæ omnia per peccatum amiſſa certiſſimum eſt. Etſi enim Adamus fidem, & ſpem non amiſerit, poſteri tamen in originali naſcentes, nullo horum habituum exornantur, niſi fuerint illis dati deſuper a Patre luminum. Capaces quidem ſunt illorum, eos tamen non habent, niſi Deo tribuente.

Neque vero audiendi ſunt neoterici quidam, qui ut gratiæ neceſſitatem quaquaverſum impugnent, commenti ſunt potentiam quamdam obedientialem in qualibet re creata immediate activam, actuumque, ac effectuum ſupernaturalium operativam, ut nihil huic fictitiæ facultati omnino deſit, niſi concurſus ille ſimultaneus, qui cum nullas prorſus vires tribuat rei creatæ, quæ ſupra naturam ipſius eam evehat, ipſa nihilofecius effectum, vel actum ſupernaturalem per modum cauſæ attingat. Portentoſum ſane dogma, quo philoſophiæ axiomata ſubruuntur, Theologiæ dogmata peſſundantur, ac ſanctiſſimæ fidei ſaluberrimæ definitiones periclitantur. Quid enim ſibi volunt univerſi philoſophi, dum actum primum præſupponi neceſſario ad ſecundum dictitant? Qui dum optimam eſſe illationem ab actu ſecundo ad primum, ab operatione ad potentiam, ab ipſo facere ad poſſe toties totieſque inculcant? Quid vero dum nullam omnino rem volunt poſſe agere aliquem vel actum, vel effectum, niſi prædita ſit ea facultate, quæ illi actui, vel effectui ſic correſpondeat, ut ab eo ſpeciem ſortiatur, ita ut etiam, quemadmodum ajunt, a proportione minoris inæqualitatis non detur actio? *Quælibet enim actio commenſuratur virtuti agentis: nec aliquod agens naturale nititur agere id, quod excedit ſuam facultatem*, inquit D. Thomas 2. 2. q. 130. a. 1. Quid quod nulla penitus erit neceſſitas habituum ſupernaturalium, ſi potentia illa obedientialis ſit immediate activa in ordine ad effectus ſupernaturales? Ad quid enim hi habitus, ſi abſque illis æque poſſit voluntas ratione illius potentiæ obedientialis actus ſupernaturales elicere? Quid etiam quod omnis plane gratia exinanitur, niſi forte concomitans, cum potentia illa obedientialis ita omnis gratiæ prævenientis neceſſitatem ſuppleat, ut ſupervacaneum ſit quicquid per modum principii ad operationes ſupernaturales exigitur? Ubinam ergo illæ definitiones Conciliorum, & Patrum, quæ homines ad illos actus credendi, ſperandi, diligendi Deum, ſicut oportet, prorſus impotentes edicunt?

Nec vero minus rejicienda eſt ea opinio, quæ naturæ vires eo uſque poſſe aſſerit excreſcere, ut ſupernaturalium qualitatum etiam ipſius luminis gloriæ virtutem aſſequi, atque exæquare poſſe comminiſcatur: quod enim ſupra naturam eſt, totius naturæ vim, & amplitudinem ita ſuperat, ut ad illud quantumcumque ſuccreſcat, & promoveatur, ne quidem attingere valeat. His ergo commentitiis opinationibus rejectis, nihil in homine poſt peccatum ſupereſt, quo vires aliquas ſupernaturales in ipſo reliquas eſſe imaginemur, niſi ex meritis Chriſti ipſi denuo tribuantur. Et quidem confert ille nobis divinos illos habitus, quibus divinæ naturæ, luminis, voluntatis participes efficiamur, quorumve adminiculo poſſimus actus illos elicere: confert & auxilia ſufficientia, quibus ad illa excitamur, ſed nec iſta omnia ſic complent potentiam naturalem, ut abſque ope divina per ſeipſam efficaci agere valeamus. Valeamus, inquam, hoc ſenſu, quia fieri nequit, ut etiam habitibus inſtructi, & gratia ſufficienti præventi eos actus eliciamus, & nihilominus auxilium ſeipſo efficax nobis deſit: neque novum aliquid hac in parte afferimus: hoc ſiquidem ipſum de ſuo illo ſimultaneo concurſu illi affirmant. Quoties enim illos audias dicentes, nullam cauſam ſecundam poſſe ſine concomitante illo auxilio operari? Quoties illi, abſque ſimultaneo Dei influxu nihil hominem poſſe pronunciant? Quid ergo iſtud eſt, quod aſſerunt, niſi fieri non poſſe, ut agat homo, vel ſecunda quæpiam cauſa, & Deus non ſimul operetur? Hoc, quod illi de concomitante influxu aſſerunt, idem de præveniente, hoc eſt, prius natura nos movente Dei auxilio affirmamus. Hoc eſt illud poſſibilitatis genus, quod ex gratia provenire Auguſtinus exerte pronunciat. *Neque*, inquit diſputans adverſus Pelagium de nat. & grat.

grat. cap. 42. *de possibilitate ipsa contendo, cum sanata, & adjuta hominis voluntate possibilitas ipsa simul cum effectu in Sanctis proveniat*. Hæ sunt illæ vires, quas idem sanctus Præsul vocat *efficacissimas* de grat. & lib. arb. cap. 16. sine quibus non possumus, & quibus sine dubio faciamus. Hoc enim illud est, quod ait cum sibi Pelagianum illud argumentum objecisset: *Non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri*, istud verum esse fatetur, sed subjungit, *sed ideo jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus*. Ac mox explicans quid illud sit, quod a Deo postulandum asseruit, & sine quo non possumus: „ Certum est (inquit) nos mandata servare, si volu„ mus, sed quia præparatur voluntas a Domino, ab „ illo petendum est, ut tantum velimus, quantum suf„ ficit, ut volendo faciamus. Certum est nos velle, „ cum volumus; sed ille facit, ut velimus bonum, de „ quo dictum est, Psal. 36. quod paulo ante posui, „ quod præparatur voluntas a Domino; de quo di„ ctum est, ad Philip. 2. Deus est, qui operatur in „ nobis & velle, & operari. Certum est nos facere, „ cum facimus; sed ille facit, ut faciamus, præbendo „ vires efficacissimas voluntati, qui dixit, faciam, ut „ in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea „ observetis, & faciatis". Quo loco Augustinus agnoscit vires, quas a Deo petimus, ut ejus mandatis obsequamur, eaque exequamur, & sine quibus non possumus, esse vires efficacissimas, quas voluntati præstat. Ad quem locum Augustini videtur alludere sacrosancta Synodus Tridentina, dum ait: *Deum impossibilia non jubere; sed jubendo monere, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvare, ut possis*. Quid enim aliud est, quod Deus jubendo nos monet petere, nisi gratiam, sine qua non possumus? Quid aliud illud adjutorium, quo possimus, nisi gratia, qua mandata implemus? Illa igitur gratia, per quam illa implemus, vires dat, quibus cum effectu implere possimus, & sine quibus cum effectu implere non possumus. Quoties Sanctus Thomas dicit, non posse hominem etiam, quæ per naturam poterat? „ In statu, *inquit* 1. „ 2. *q.* 109. *a.* 2. naturæ corruptæ etiam deficit homo „ ab hoc, quod secundum suam naturam potest, ut „ non possit totum hujusmodi bonum implere per sua „ naturalia". Audis hic, quod homo potest *secundum suam naturam*, & non potest *per sua naturalia*. Rursus, ibid. art. 6. „ Quod homo convertatur ad „ Deum, hoc non potest esse, nisi Deo ipsum conver„ tente. Homo non potest se præparare ad lumen gra„ tiæ suscipiendum, nisi per auxilium Dei interius mo„ ventis". Nihil frequentius apud S. Thomam, & sanctos Patres. Quin & ipse Christus, Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*. Constat igitur remansisse in homine post peccatum vires physicas ordinis naturalis; constat nullas remansisse vires vel physicas, vel morales ordinis supernaturalis; constat denique, quo sensu dicatur etiam sine gratia per seipsam efficaci hominem non posse, posse vero cum illa ea, quæ ordinis illius supernaturalis sunt.

Superest, ut inquiramus, an etiam post peccatum vires morales ordinis naturalis remanserint in ordine ad opera fini ultimo naturali accommodata. Hoc ut resolvamus, explicandum est, in quo hujusmodi vires statui debeant. Istud vero jam ex dictis aliquatenus illucescit: hæ siquidem vires nihil aliud sunt, quam efficax ultimi finis veri intentio. Illa enim alia boni universalis intentio non sufficit ad præstandas vires ad opera bona simpliciter paulo difficiliora; cujus rei ratio ea est, tum quia istiusmodi boni in universum intentio non majores ad bonum, quam ad malum morale vires submministrat, cum etiam in ipsa mali moralis appetitione, boni in communi intentio includatur; tum quia, cum voluntas non feratur efficaci intentione in rationes abstractas, valet quidem illa boni communis intentio ad aliqua leviora, quæ vix efficacem finis intentionem exigunt, sed ad illa paulo magis ardua nihil illa virium suppeditat: unde consequitur, necessariam esse finis ultimi veri, & honesti efficacem intentionem, ut in his difficultas evincatur. Quare si homo in statu naturæ corruptæ isthanc efficacem ultimi finis veri intentionem sine auxilio gratiæ habere nequeat, opera illa paulo difficiliora solis naturæ viribus elicere non poterit, non defectu virium physicarum, nimirum libertatis, sed defectu virium moralium, videlicet ob carentiam illius intentionis efficacis, qua in ultimum finem verum feratur. Hujusmodi autem ultimi finis veri etiam ordinis naturalis intentionem efficacem solis suis naturalibus viribus, & sine divinæ gratiæ opitulamento hominem lapsum habere non posse, tam mihi est perspicuum, ac ipsum in eodem statu finem ultimum supernaturalem efficaciter non posse intendere: alterum enim sine altero esse non posse, mihi est compertissimum. Duos siquidem ultimos fines simpliciter intendere, plane implicat, quia vel neuter ultimus foret, vel alter: cum de ratione ultimi finis sit, quod omnia ad ipsum referantur, ipse vero ad nullum alium ordinetur. Si altera ex his rationibus desit, perit ratio finis ultimi: is namque, qui ad alium dirigetur, non finis erit, sed medium; sin vero alter ad alterum minime referatur, neuter finis erit ultimus, quandoquidem, non omnia ad ipsum referentur, nempe ille alius, qui ad ipsum non ordinatur. Homo igitur in peccato existens, cum ad finem ultimum creatum totum se referat, Deum, a quo aversus est, ut finem nequit intendere, nisi a fine creato se avertat: hoc vero si præstiterit, a peccato justificabitur. Quis vero Catholicus dixerit, hominem naturæ viribus a peccato posse justificari? Quin etiam hoc ipsum alia ratione convincitur: siquidem, si opera bona moralia paulo difficiliora, virtutumque actus homo sine Dei gratia possit elicere, omnium sibi virtutum moralium habitus comparare quidni poterit? Cum igitur habituum illud sit munus, ut facultates, quibus insunt, rite ordinent, atque, ut sic loquamur, rectificent, profecto adeptis virtutum omnium habitibus, qui universas potentias perficiunt, omnes omnino facultates ordinatæ, atque rectificatæ sint, necesse est. Si autem potentiæ omnes rite ordinatæ, ac rectificatæ sint, etiam rectum in illis ordinem ad Deum, ad proximum, ad seipsum hominem consecutum esse plane consequitur. Hoc vero si homo habeat, non video, qua ratione justus non sit, & dum hæc adipiscitur, non percipio, quin vere ac proprie rectificari, ac justificari dicatur. Amplius, etiam homo per peccatum aversus a Deo ut fine ultimo supernaturali, pœna damni puniendus est, ac suppliciis æternis addicendus, atque adeo infelix, & miser erit perpetuo. Is vero, qui ad Deum ut finem naturalem conversus fuerit, si eo in statu decesserit, beatitudine saltem naturali, eaque æterna fruetur. Beatus igitur erit hujusmodi felicitate. At qui fieri potest, ut unus atque idem homo, & in æternum infelix, & simul beatus sit? Qui stare potest summa miseria cum beatitudine sempiterna? Aut qua ratione potest Deus non beare illum, qui ad ipsum ut finem ultimum naturalem conversus, eum intendit; aut beare eundem, qui ab ipso ut fine supernaturali aversus pœna damni afficiendus est? Dixi *pœna damni*, quæ proprie rationem pœnæ habeat. Hæc omnia si quis rite perpendat, prospiciet sane, in quas angustias sese transversos agant hi novellorum dogmatum defensores, illudque prorsus hærebit animo, non posse hominem naturæ viribus opera illa bona difficiliora elicere, quæ cum posset in statu naturæ non corruptæ, illud etiam tanquam necessario consequens amplectetur, amisisse hominem illo peccato corrumpente naturam vires quasdam naturales.

Ut quid ergo Catechismo insultant, quod hoc docuerit? An non isthæc positio rationi admodum consentanea est? Numquid allatæ rationes id vel evincunt penitus, vel saltem adeo probabile faciunt, vel nulla prorsus reprehensione dignum sit?

Enimvero hæc Catechismi assertio non iis duntaxat rationibus nititur: habet & propugnatores, quorum fidei, & authoritati cedendum sit. Quid enim quæso illud est, quod Cælestinus Papa ex Innocentio I. definit Epist. ad Episc. Gall. cap. 4. *In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidisse*? Aut quid sibi vult naturalis possibilitas, nisi naturalis potentia? Quid vero potentia? Numquid idem quod vires? Naturales igitur vires homines per peccatum amisere. Quid Concil. Arausicanum II. sibi vult, dum adversus Scripturas Pelagii errore deceptum pronunciat eum, qui dixerit: „ Per offensam prævaricatio„ nis Adæ non totum, id est, secundum corpus & „ animam in deterius hominem commutatum, sed ani„ mi libertate illæsa, corpus tantummodo corruptioni „ obnoxium"? Hoc enim, si verum sit, igitur teste Concilio adversus Pelagium ex Scriptura dicendum est, animi libertatem læsam. In quo autem læsa, si totum habet, quod naturali statui competit? Quis unquam adeo improprie locutus est, ut læsum, ac vulneratum hominem dicat, cui quippiam indebitum duntaxat subtractum est? Quid quod clarius sese, suamque definitionem explicans can. 8. 13. & 25. *Arbitrium hominis infirmatum, inclinatum, læsum, attenuatum esse*, declarat, imo & clarissime, *ipsius naturæ bonum Adæ peccato depravatum*? Quid Tridentinum nonne illa eadem definit, dum ait sess. 5. cap. 1. & sess. 6. cap. 1. „ liberum arbitrium minime extinctum (*in homine per „ peccatum*) viribus licet attenuatum, & inclinatum, „ totumque Adam per illam prævaricationis offensam „ secundum corpus & animam in deterius commuta„ tum"? Nolim hic SS. Patrum verba transcribere. Unicus mihi Augustini locus sufficiet, qui de nat. & grat. c. 3. enumeratis iis naturalibus bonis, vita, sensi-

bus, mente, quæ homo a Deo informatione receperat, ſubdit: *Iſta omnia bona contenebraſſe, & infirmaſſe vitium ex originali peccato, quod commiſſum eſt libero arbitrio*. D. Thomas 1. 2. q. 85. a. 1. diſtinctiſſime, principia naturæ, ex quibus ipſa natura conſtituitur, & proprietates ex his cauſatas, ſicut potentias animæ, & alia hujuſmodi, nec ſublata, nec diminuta per peccatum aſſerit, & hoc ſenſu explicat Dionyſium dicentem naturalia in dæmonibus manſiſſe integra. Donum vero juſtitiæ originalis, quod bonum naturæ dici poteſt, quod fuerit in primo homine collatum toti naturæ, totaliter eſſe ablatum: ſed bonum naturæ, quod eſt naturalis inclinatio ad virtutem, diminutum eſſe per peccatum, ne quis dubitet loqui ſanctiſſimum præceptorem etiam de peccato originali, legat eundem ibid. a. 3. ubi vulnera homini per primum peccatum inflicta luculenter explicat ex Beda. Ponderet, quod peccatum originale inclinationem etiam ad peccandum in voluntate relinquere profitetur, 1. 2. q. 83. a. 3. Quid ergo Catechiſmus dicit, quod prius & Concilia, & ſummi Pontifices, & Sancti Patres non dixerint? En Catechiſmi verba in explicat. 3. petitionis orat. Dom. quæ mirum quantum illis omnibus concinunt. „ A princi- „ pio Deus proprii boni appetitionem creatis rebus in- „ generavit, ut naturali quadam propenſione ſuum quæ- „ rerent, & expeterent finem, a quo illa nunquam, „ niſi objecto extrinſecus impedimento, declinant. Hæc „ autem initio fuit in homine expetendi Deum ſuæ bea- „ titudinis auctorem, parentemque eo præclarior, & „ præſtantior vis, quod is compos eſſet rationis, atque „ conſilii. Sed hunc amorem ſibi naturaliter ingenitum, „ cum reliquæ naturæ rationis expertes conſervaſſent, „ quæ ut initio procreatæ fuerunt natura bonæ, ſic in „ eo ſtatu, & conditione manſerunt, hodieque manent, „ miſerum hominum genus ipſum non tenuit: non enim „ ſolum bona juſtitiæ originalis amiſit, quibus a Deo „ ſupra naturæ ſuæ facultatem auctum, ornatumque „ fuerat, ſed etiam inſitum in animo præcipuum vir- „ tutis ſtudium obſcuravit: *Omnes*, inquit, *declinave- „ runt, ſimul inutiles facti ſunt; non eſt qui faciat „ bonum, non eſt uſque ad unum*. Pſalm. 5. *Nam ſen- „ ſus, & cogitatio hominis in malum prona ſunt ab „ adoleſcentia ſua*. Geneſ. 8. “.

Quid in tota iſta ſententia non catholicum? Quid non orthodoxum? Quid non omni ex parte cum D. Thomæ doctrina, cum D. Auguſtini verbis, cum ſanctarum Synodorum definitionibus, cum ſummorum Pontificum decretis plane conveniens? O tempora, o mores! In crimine adducuntur, quæ totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſu confirmata ſunt, & quos pudere debuiſſet innovatæ veteris doctrinæ, illo progrediuntur, ut & reos agant, qui mordicus illam tutantur.

Ex dictis unico verbo exſufflantur, quæ de reſiſtentia adverſus tentationes objiciunt, quibus dum *reſiſti non poſſe conſilio, aut hominum viribus*, Catechiſmus tradit, nihil omnino docet, niſi hoc ipſum, quod docuit Cæleſtinus I. in Epiſt. ad Ep. Gall. cap. 6. quod Innocentius I. Epiſt. ad Patr. Conc. Carthag. quod Hormiſdas Epiſt. ad Poſſeſſorem Ep. quod Gregorius Magnus lib. 9. Moral. cap. 9. quod Leo I. Epiſt. 1. ad Flavianum. Neque in his amplius immorandum, cum & ex jam dictis ſatis pateant, & ipſa orationis Dominicæ petitio, *Et ne nos inducas in tentationem*, abunde probet, auxilium gratiæ perſeveranter petendum, ne inducamur in tentationem, hoc eſt, Auguſtino interprete, lib. de Catechiz. rudibus cap. 25. *Induci patiatur ſuo auxilio deſerens ordine occultiſſimo*. Si enim hoc eſſet in hominis poteſtate, ut tentationibus reſiſteret, ut quid peteretur a Deo? *Legem credendi lex ſtatuit ſupplicandi*, ut ait Cæleſtinus Epiſt. ad Ep. Gall. cap. 11. *Ut ſcivi* (ait Sapiens, Sap. 8.) *quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det*. Lucæ 22. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*. Matth. 26. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*; & alia id genus in Scripturis paſſim occurrentia nihil aliud probant, quam non poſſe homines ſuis viribus ſine gratia tentationibus reſiſtere, illaſve ſuperare. Quod & Tridentinum de juſtis decernit, dum illos, ait „ formida- „ re debere de pugna, quæ ſupereſt cum carne, cum „ mundo, cum diabolo: in qua victores eſſe non poſ- „ ſunt, niſi cum Dei gratia Apoſtolo obtemperent di- „ centi; *debitores ſumus non carni, ut ſecundum car- „ nem vivamus &c.* “ Supereſt, ut ad illud reſpondeamus, quod objiciunt Catechiſmum aſſerere, D. Petro, dum Chriſtum negavit, in ſumma ſpiritus alacritate non reſpondiſſe vires. Hoc dictum Auguſtini eſſe, puto, non inficiantur, eſſe etiam Sanctorum Patrum quamplurium. Si negent, teſtes adhibebimus, quorum nec illi ipſi teſtificationem aliqua poterunt exceptione detrectare, aut ſi detrectarint, hoc conſequemur, nihil novi aſſeruiſſe Catechiſmum, quod & antiquiores, & neoterici expreſſius multo non dixerint, ut hac etiam in re proferamus & nos nova, & vetera, videantque univerſi quanto jure in Catechiſmo damnent, quod in aliis exoſculantur, atque ſuſcipiunt, caveantque vel ipſi, ne in illam Domini comminationem incurrant, Proverb. 20. *Pondus & pondus: menſura & menſura, utrumque abominatio eſt apud Deum*. Maldonatus in cap. 13. Joann. num. 65. ad illa Chriſti verba, quæ ſunt apud Joannem: *Quo ego vado, vos non poteſtis venire*, allata plurium eorumque graviſſimorum Patrum interpretatione (quam fideliter, alii viderint, ut & ipſe vidit, qui poſtmodum ſuam illorum auctoritate confirmat) mox ſubjungit: „ Cæterum, ſi non auctorum „ perſonas, ſed ipſa Chriſti verba reſpiciamus, proba- „ bilius eſt, non de vita beata, ſed de morte ſua lo- „ qui. *Quo ego vado*, id eſt, ad mortem, *vos non po- „ teſtis venire*. Quid ergo nonne & illi mori poterant? „ Poterant quidem, ſi conditionem ſpectes: homines „ quippe natura mortales erant: non poterant, ſi ſpe- „ ctes animum, & voluntatem, quia nondum tanta e- „ rant fide, tamque conſtanti, ut pro Chriſto mori „ poſſent. Sic Petrus, ſic Chriſtus intellexit. Quare „ non poſſum te ſequi modo? *Animam pro te ponam „ &c* “ Et ne hoc univerſim de Apoſtolis dictum cavillentur, non ſigillatim de Petro, en quæ ille idem paulo poſt ſubjicit. „ Cur ergo Petrus in mortem ſe- „ qui Chriſtum non poterat? Id duplicem intelligen- „ tiam habere poteſt. Aut non poſſe modo ſequi; quia „ ejus fides ſatis robuſta non erat; ſecuturum poſtea ſuo „ tempore, cum fides ejus corroborata fuiſſet, quemad- „ modum Cyrillus, Theodorus Mopſueſtienſis, Augu- „ ſtinus, Beda, Rupertus exponunt. Quid feſtinas Pe- „ tre, inquit Auguſtinus tract. 66. in Joan. nondum te „ ſuo ſpiritu ſolidavit petra; noli extolli præſumendo, „ non potes modo: noli dejici deſperando, ſequeris po- „ ſtea. Aut non poterat ſequi, quia ejus tempus non- „ dum advenerat, quia prius Evangelium prædicare, „ multaque pati oportebat, ut Theodorus Heracleotes „ interpretatur. Prior ſenſus melior, quia, ut ait Au- „ guſtinus, & ex infra dictis manifeſtum eſt, voluit „ Chriſtus ejus audaciam, & jactationem tacite repre- „ hendere, plus de ſe polliceri, quam aut præſtiturus „ ſit, aut quibus tunc erat viribus, præſtare poſſet “. Hæc Maldonatus, cujus verba de Petro ſpeciatim multo ſunt ſignificantiora, quam quæ Catechiſmus habet: ait enim, non potuiſſe Petrum ſequi Chriſtum ad mortem, quia ejus fides ſatis robuſta non erat: deerat ergo illi robur illud fidei, non reſpondebant illi fidei vires, plus de ſe pollicebatur, in ſumma nimirum ſpiritus alacritate, quam quibus tunc erat viribus præſtare poſſet, non reſpondebant vires. Quare ille idem in Matth. 26. ad illa verba, *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem: Spiritus promptus eſt; caro autem infirma:* „ cauſæ (inquit) redditio eſt, quamobrem orare de- „ beant, quia etiamſi animus, ac voluntas illis non „ deſit, vires tamen deſunt, niſi a Deo per orationem „ impetrent “. Et paulo poſt. „ Videtur autem ad „ ſuperiorem illam diſcipulorum jactantiam alludere: „ magnos enim animos, magnos ſpiritus oſtentaverant, „ cum ſinguli dixerant Petri vocem ſecuti: *Etiamſi o- „portuerit me mori tecum, non te negabo*. Non vult „ Chriſtus animum illum improbare, atque dejicere, „ ſed eo potius laudato, infirmitatis carnis admonet, „ ut doceat, quamvis magno, promptoque animo ſint, „ oportere tamen orare eos, quia caro infirma eſt “. Et quid orare niſi vires, quibus poſſint non ſuccumbere ſub carnis infirmitate, ex qua juxta D. Thomæ doctrinam 1. 2. q. 109. a. 9. oritur neceſſitas auxilii gratiæ etiam in renatis, & juſtificatis? Si orare debent, non habent ergo, quod petunt. Orant ſibi tribui vires a Deo, quibus tentamenta ſuperent, illas ergo non habent: voluntatem nihilominus aliquam ſuperandi habent: non enim inviti, vel nolentes orant, & ſi quod poſtulant, volunt, vere volunt vincere, cum auxilium & vires poſcunt, ut faciant; vires, inquam, efficaciſſimas, quibus nedum poſſint, ſed ita poſſint, ut id efficiant, quod poſſunt; orant ſibi poſſibilitatem cum effectu ſanata & adjuta voluntate divinæ gratiæ munere, tribui.

Verum ut in ore duorum teſtium ſtet omne verbum, audiamus & alterum. Is eſt Toletus Eminentiſſimus Cardinalis: hic in Joannem, ad illa Chriſti Domini verba cap. 13. Jo. in comm. præced. ante penultimum: „ *Quo ego vado, non potes me ſequi modo*. Negat (in- „ quit) ſequelam, ſed ſpem concedit. Non (inquit) po- „ tes ſequi; non abſolute, ſed *modo*, tum quia non- „ dum completa erant, quæ de Petro divina ordinatio- „ ne diſpoſita erant: multa enim per ipſum facienda de- „ creverat Deus, quæ poſt aſcenſionem Chriſti effecta „ ſunt; tum quia, ut dicit Cyrillus lib. 9. cap. 26. „ nondum acceperat robur, & vires illas ſpiritus, qui-

„ bus

„ bus mortem intrepide ſubiret “. Nondum acceperat robur & vires: non reſpondebant ergo vires: alacritatem tamen ſpiritus & animi jam habebat, cum diceret: *Animam meam pro te ponam*. Poſt pauca ſubjicit idem ibid. comment. ult. „ Permiſit autem Deus Pe„ trum ad tempus cadere, ut non ſuis viribus, ſed di„ vinæ virtuti, & gratiæ, qua non juvante neceſſe eſt „ vinci, confidere diſceret “.

Hinc igitur conſtat Catechiſmum nihil de D. Petro tradere, quod non ſolus Auguſtinus, verum & ipſo Maldonato aſſentiente Theodorus Mopſueſtienſis, Beda, Rupertus, & Cyrillus, ipſo Toleto etiam teſtificante, atque conſentiente, non dixerint. Quæ ſi vera ſunt, ut nulla omnino poſſunt vel cavillatione, vel tergiverſatione inficiari, cur quæſo in Catechiſmo Romano damnant, quæ in aliis approbant? Cur non illud idem iiſdemque propemodum verbis in Maldonato, & Toleto reprehendunt, quod in Catechiſmo Tridentini tamquam pene hæreticum improbare non erubeſcunt? An ſacratior nobis eſſe debet Maldonati, atque Toleti authoritas, non dicam, quam Auguſtini, Cyrilli, Bedæ, Ruperti, ſed quam Catecheſeos Tridentinæ, ſummorum Pontificum eam approbantium, Conciliorumque approbatorum auctoritas? Quid his addam? Numquid vel ipſa Chriſti Domini dicentis, Petrum tunc non potuiſſe, prævalebit ſententia, illis etiam auctoribus ſic intelligenda, fidem Petri tum temporis, *non ſatis robuſtam, non fuiſſe tantam, tamque conſtantem, non fuiſſe Petrum iis viribus, vires illi, cæteriſque Apoſtolis defuiſſe, nondum eum robur, ac vires accepiſſe?* Aut numquid phraſes illæ multo ſignificantiores ſunt illa, qua dicitur, ei non reſpondiſſe vires?

CAPUT XIV.

In quo diluitur aliud argumentum ex eo deſumptum, quod Catechiſmus videtur aſſerere, Chriſtum non pro omnibus mortuum eſſe, vel ſanguinem fudiſſe.

CEleberrimum illud D. Auguſtini effatum lib. 1. de Trinit. cap. 3. dum de ſacroſancto Trinitatis arcano ageret, dicentis, *nec periculoſius alicubi erratur, nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius invenitur*, ad hanc de Chriſti ſervatoris paſſione, ac morte, quæ tangitur in hoc, quod proponitur, argumento, difficultatem, ſi quis transferat, is profecto non a vero aberraverit. Uti enim in Sacræ Triados diviniſſimo Sacramento declarando erroris non minimum periculum imminet, ſtudio ac labore indefeſſo eſt opus, fructus vero maximus ex ſapienti declaratione percipitur: ita ſane in hujus de Chriſti Domini paſſione quæſtionis elucidatione ſummum diſcrimen, multa opera, profectus ſupra quam dici poteſt maximus invenitur. Nam ſi ad aliquos duntaxat Jeſu Salvatoris ampliſſimam charitatem coarctaverimus, quantum periculum ne aliquid de copioſa ipſius redemptione detrahamus? Sin etiam pluſquam par eſt, amplificare nitamur illius effectus, nonne periclitamur, ne grandiores vanæ præſumptionis ſpiritus in animis hominum ad laxiora proclivibus ingeramus? Quanta operoſitas, & περιεργία in tam variis tam diſſidentium authorum ſententiis perſcrutandis, diſcutiendis, dijudicandis? Quantus denique in caſto Dei timore, atque amore profectus, ſi veritas eluceſcat? Hoc abſque dubio Catechiſmus Romanus abunde præſtitit, ut mirum plane mihi ſemper viſum fuerit, inveniri poſſe homines, qui ſanctiſſimam illius doctrinam non vellicare modo, ſed præfocare velle videantur. Nihil mentior. En quid objiciunt octavo: „ Catechiſmus Romanus in „ explicatione verborum Conſecrationis Calicis ſatis in„ nuit, imo & aperte dicit, Si fructum, quem ex ef„ fuſo Chriſti ſanguine homines perceperint, cogitemus, „ non ad omnes, ſed ad multos tantum eam utilitatem „ pervenire intelligemus. Quinam vero multi ſint illi, „ mox explicans, ait, electos ex Judæis, & Gentibus „ intelligi. Hoc vero dictum, quod Chriſtus tantum „ pro prædeſtinatis mortuus ſit, errorem eſſe, imo hæ„ reſim Prædeſtinatianorum Godeſcalci, & Calviniſta„ rum, fere omnes recentiores annotant, cum aperte „ contradicat Scripturis dicentibus, Chriſtum pro omni„ bus mortuum eſſe, 2. ad Corinth. 5. ſeipſum dediſſe „ redemptionem pro omnibus, 1. ad Timoth. 2. eſſe „ propitiationem pro peccatis totius mundi, 1. Joan. 2. „ Ex quibus aperte colligitur, Chriſtum fudiſſe ſanguinem ex intentione redimendi omnes, & ſi ad aliquos „ non pervenit utilitas ex paſſione Chriſti, illud acci„ dit ex eo, quod ipſi nolint, ut ex Hieronymo Mal„ donatus explicat ad cap. 20. Matth. n. 28. “

Ut hoc argumentum evidentius diluatur, nihil mirum alicui videatur, ſi aliqui uno, alii alio in hac diſputatione loquantur modo: cum in Scriptura hanc etiam locutionum varietatem reperire ſit: ut enim D. Paulus ait de Chriſto, 2. ad Corinth. 5. *Unus pro omnibus mortuus eſt Chriſtus:* & 1. ad Timoth. 2. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus:* & ad Hebr. 2. *Ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem:* & 1. Joan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi:* ita etiam ipſe idem Paulus dicit ad Hebr. 9. *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata*. Et ipſemet Chriſtus apud Matthæum 20. & Marcum 10. *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis*. Et iterum Matt. 26. & Marci 14. *Hic eſt Sanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Quæ verba in conſecratione calicis tota tam ſæpe repetit Eccleſia. Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 3. *Etſi ille* (Chriſtus) *pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen beneficium mortis ejus recipiunt*. Concilium Valentinum in Galliis anno 855. habitum, cap. 4. ait: *Chriſtum non fudiſſe ſanguinem pro omnibus, ſed tantum pro iis, qui credunt*; damnatque omnes eos, qui ſecus ſentiunt. Eademque diverſitas in Eccleſia Lugd. in lib. de retinenda Script. verit. Auguſtino Epiſt. 102. ad Evod. Tract. 45. in Joan. Proſpero ad 1. objectionem Vincentianam, & Capitula Gall. reſp. 9. & ſent. 9. aliiſque ſanctis Patribus, & D. Thoma ad Hebræos 2. lect. 3. reperitur, nec mihi in animo eſt, varia illorum teſtimonia, quæ hinc & inde ab authoribus proferuntur, adducere; ſicut nec improbare interpretationes varias, quæ iidem ſanctiſſimi Patres illis Scripturis adhibuerunt. Alii ſiquidem univerſales illas de Chriſti morte, ac redemptione ſententias ſic interpretantur, ut omnes explicent, *aut fideles, aut prædeſtinatos*. Alii vero *pro omnibus* intelligunt mortuum Chriſtum *ſufficienter*, quia pretium ſanguinis ejus ſufficit pro omnibus; non tamen *efficaciter* vel *efficienter*.

Ut autem breviſſime, quantum materia patitur, totum hoc, & allatam in objectione difficultatem enucleare valeamus, illud omnino præmittendum cenſemus, quod ex D. Thoma 3. p. q. 48. non obſcure, imo aperte colligitur, paſſionem Chriſti Domini quinque rationes habere: eſt enim ſatisfactio, ſacrificium, redemptio, meritum, & cauſa efficiens reſpectu ſalutis hominum. Eſt ſatisfactio, quia proprie ſatisfactio eſt debiti ſolutio, ut vere ſatisfacere is etiam dicatur, qui tantum reddit creditori, quantum ei vel a ſe, vel ab alio debebatur ſive ex mutuo & accepto, ſive ex delicto, ſive quacumque alia ratione, dummodo ex intentione reddendi æquale id faciat. Chriſtus autem Dominus vadem ſe apud Deum pro ipſis hominibus conſtituit. Unde per paſſionem, ac mortem Deo reddens, quantum illi ab hominibus debebatur, veriſſime ſatisfecit, ejuſque paſſio propriiſſime ſatisfactionis rationem ſortita eſt. Sacrificii vero natura in eo ſita eſt, ut ſit oblatio rei externæ certo ritu cum immutatione facta in agnitionem ſummi dominii, quo Deus rebus omnibus dominatur. Chriſtus vero Dominus *oblatus eſt, quia ipſe voluit*. Iſai. 53. *tradiditque ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis*. Ad Eph. 5. Idque cum immutatione per paſſionem & mortem peracta, atque ita ſeipſum obtulit in honorem Dei, ac ſi aliunde hoc debitum non fuiſſet, & propter hoc bonum in natura humana inventum Deus humano generi placatus eſt: unde ipſius paſſio rationem ſacrificii propitiatorii habuit. Redemptio autem in eo conſiſtit, ut per ipſam pretium exſolvatur, quo a ſervitute quis liberetur. Chriſtus vero *dedit redemptionem ſemetipſum*. 1. ad Timoth. 2. & 1. ad Corinth. 6. ſuoque pretioſiſſimo ſanguine *nos redemit a maledicto legis*, ad Hebr. 2. a ſervitute peccati, a tyrannide diaboli, & a graviſſimo mortis, ac miſeriæ jugo. Idem ergo ſanguis, ut in gloriam Dei effuſus, ſacrificium eſt; ut in compenſationem injuriæ illatæ Deo per peccatum, eſt ſatisfactio; ut per illum a captivitate vindicamur, redemptio. Quatenus vero voluntaria hæc paſſio ex ſumma in Deum charitate, & gratia capitis unum corpus myſticum cum hominibus conſtituentis proceſſit, meriti tum pro ſe, tum pro nobis rationem induit. Demum quia Chriſti humanitas inſtrumentum eſt ad omnia fini Incarnationis accommodata, ejus voluntaria paſſio efficientis cauſæ inſtrumentalis tamen vim ac virtutem conſecuta eſt.

Verum cum Chriſtus paſſione ſua nedum potuerit reddere, ſed de facto plus honoris & gloriæ Deo reddiderit, quam injuriæ cuncta omnium & ſingulorum hominum peccata originalia, actualia, mortifera, venialia inferre valeant, ob ſummam ipſius charitatem, acerbitatem paſſionis, & infinitam perſonæ ſatisfacientis dignitatem, ex qua potiſſimum ſatisfactionis valor perpenditur; fit inde ut abſolute, ſimpliciter, & omnibus

modis Christus pro omnibus omnino hominibus Deo cumulatissime satisfecerit. Atque hac ratione spectata Christus pro omnibus nullo prorsus excepto mortuus est, quia quicquid offensæ ab hominibus in Deum commissum est, morte sua, qua Deum multo amplius glorificavit, abundantissime compensavit. Nec vero est, quod quis dicat idem prorsus dici posse de peccatis dæmonum; quamvis enim ex eo capite, quo infiniti valoris est Christi satisfactio, etiam prævaricantium angelorum crimina superavit, plus exhibendo, quam sint illorum in Deum injuriæ: quia tamen non dæmonum, sed hominum duntaxat causam, ut sic loquar, vadimonium susceperat, ex vadis officio non pro malis Angelis, eorumve peccatis, sed pro solis hominibus, & pro omnibus quidem, omniumque delictis satisfeciisse dicendum est.

Rursum quia etiam ratio sacrificii honorem Deo tanquam primo principio, ac supremo Domino debitum respicit, & hanc gloriam personæ sacrificantis, & hostiæ cum immutatione oblatæ dignitas exæquavit, ita ut etiamsi homines universi quotquot vel fuere, vel sunt, vel erunt totos sese in hanc divini numinis gloriam immolassent, nunquam vel eminus ad debitum honorem accedere potuissent: unus tamen Christus omnium hominum personam sustinens morte sua Deo honorem divinæ majestati æqualem exhibuit, hoc etiam pacto pro omnibus omnino nullo prorsus excepto mortuus est, hoc est, multo majorem, quam omnes omnino possent homines exhibere honorem Deo, sacrosancto crucis sacrificio detulit. Ex quo consequenter factum est, ut Deus toti naturæ humanæ propter tantum bonum in ea repertum placatus sit, atque ab illa indignitatem ex originali peccato in ea relictam abstulerit. Quæ sane indignitas non peccatum, sed pœna peccati est: quare in Patribus veteris Testamenti etiam sine ullo peccato, vel pœna peccatis actualibus debita, indignitas illa totius naturæ supererat, ex qua licet jus ad gloriam ex gratia, & charitate promanans haberent, ab eadem tamen excludebantur, excluſique manssissent in perpetuum, nisi Verbum æternum naturam sine persona humana hypostatice assumptam sanctificasset, ab eaque illam indignitatem ex originali, quod naturæ, non personæ peccatum est, provenientem, satisfactione, ac sacrificio per passionem & mortem exhibito sustulisset: eaque ratione Christus etiam januam regni cælestis aperuisse dicitur, non quia duntaxat peccata, quibus ab ingressu supernæ patriæ arcemur, morte sua dimittenda promeruit, verum & quia natura humana Verbi uniti persona jam sanctificata, & ab illa indignitate, quam contraxerat, in iis qui Christo ut capiti uniuntur, erepta, nihil jam habet amplius, quo a foribus & ingressu æternæ gloriæ propellatur; nihil, quo jus illi per gratiam ad æternam felicitatem concessum impediatur. Atque hoc etiam sensu Christus pro omnibus omnino mortuus est: nam licet parvuli, vel ii etiam adulti, qui cum peccato originali decedunt, ea etiamnum indignitate teneantur; hoc tamen non impedit, quin ejus beneficii participes aliquatenus & isti sint, quatenus videlicet hoc illis etiam, ut & cæteris, morte sua obtinuit Christus, ut sola illa indignitate, si aliunde peccata non essent, a gloria non arcerentur, quod antiquis Patribus Christo nondum passo, & consequenter Deo nondum Christi sacrificio & satisfactione placato concessum non fuerat.

Advertendum secundo, uti priores illæ duæ rationes satisfactionis, & sacrificii Deum respiciunt; ita duas posteriores principalius ad hominem referri: sicut enim Deo satisfit, & sacrificatur, ita redemisse hominem, & promeruisse illi Christus dicitur; non quod etiam redemptio & meritum etiam aliquatenus in Deum non ordinentur; nam & redimitur homo, quia pretium Deo solvitur, cui vere debetur, & Christus a Deo & sibi, & hominibus promeruit. Redimi tamen non dicitur Deus, nec meritum Deo quippiam tribuit: alia igitur ratione hæ duæ rationes in Christi passione repertæ discutiendæ sunt, quam illæ duæ priores; & quidem redemptio, ac meritum Christi triplici ex parte considerari possunt; ac primo quidem ex ea, ex qua ortum habent, voluntate humana, ac charitate creata Christi Domini; secundo ex parte ipsius pretii, quo fit redemptio, vel operis meritorii, quo Christus promeruit; ac demum ex parte ipsorum, qui redimendi sunt, & quibus Christus est promeritus. Si voluntatem & charitatem Christi, qua redemit, & meruit aliis, intueamur, eam ad omnes extendi sine ullo dubio prospiciemus. Charitas enim Christi omnes omnino homines complectebatur, & ferebatur in omnes nullo prorsus excepto, ut eos redimeret, illisque promereretur. Verum quia hæc charitas homines propter Deum summe dilectum adamabat, certissimum plane, Christum ea charitate Deum primitus amore amicitiæ dilexisse; & cum, ut etiam Ethnicis notum fuit, eadem velle, & eadem nolle ea demum vera sit amicitia, quis in dubium revocet Christum Dominum in omni actu charitatis, quæ amicitia est hominis cum Deo, summam habuisse voluntatis humanæ deliberatæ cum divina consensionem? Ajebat ipse: *Meus cibus est*, Joan. 4. *ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*. Joan. 5. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*. Joan. 14. *Quæ placita sunt ei, facio semper*. Quare cum in omni actu charitatis, quo ipsos homines diligebat, multo magis Deum diligeret, haud dubium, quin etiam in omni hujusmodi volitione, beneplacitum Dei adjungeret, in illo igitur actu, quo omnes homines diligebat, volens ipsos redimere, illisque promereri, Dei beneplacito, & perfectissima suæ humanæ voluntatis cum divina voluntate Patris consensione, voluntatem illam moderabatur: atque adeo volebat ille quidem omnes redimere, volebat omnibus promereri, sed totum hoc juxta beneplacitum divinæ voluntatis. Hoc & ipse Molina satis perspexit, dum disp. 2. q. 23. art. 4. & 5. §. Pro solutione in Concil. ait: „ Æquissi„ mum erat, ut omnia sua merita Patris voluntati per „ omnia subjiceret, cujus humana voluntas Paternæ quo„ que voluntati omnino conformis erat ". Ex illo igitur capite, quo omnes homines diligebat, pro omnibus mortuus est; ex alio vero, quo illud ipsum juxta Dei beneplacitum exoptabat, non omnibus redemptionem suam applicandam, non omnibus meritum suum profuturum saltem ad finem usque, & præsciebat, & volebat.

Si vero valorem pretii, & dignitatem meriti respiciamus, cum hæc ex redimentis & promerentis infinitate, qui & pretium erat, infinitam quamdam pretiositatem consequerentur, quis dubitet ad omnes redimendos, & ad promerendas omnibus & singulis quascumque gratias sufficientissima fuisse?

Denique si redemptionem, ac meritum Christi ex illorum parte spectemus, qui redimendi sunt, vel in quibus promeritum a Christo præmium recipi debet, certissimum plane, non pro omnibus Christum sanguinem suum fudisse; cum sacrosanctum Concilium Tridentinum id plane definiat. *Etsi* (inquiens) *ille* (Christus videlicet) *pro omnibus mortuus est, non omnes tamen recipiunt beneficium mortis ejus*. Idque ratione patentissima comprobatur: nam infantes saltem ii, qui nulla parentum culpa moriuntur in uteris maternis, nihil plane recipiunt ex Christi redemptione, ac meritis proficiscens. Quis vero dicat, non potuisse Christum promereri, ut sic causarum naturalium series, & influxus temperaretur, ut minime baptismi receptio in illis impediretur? Potuit sane id obtinere Christus suo merito utpote infinito: atque illud si Christus fuisset promeritus, fuisset & consecutus: nihil siquidem vel prece, vel merito Christus a Patre voluntatis humanæ efficaci ac deliberata intentione assequi voluit, quod ipsi concessum non fuerit, *qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad illum, qui posset illum salvum facere a morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia*, ad Hebr. 5. *Scio*, ajebat Martha, Joan. 11. *quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus*. Et ipsemet Patrem alloquens ibid. *Ego autem sciebam, quia semper audis me*. Quare si Christus precatus esset, & meritum suum deliberata & efficaci voluntate ad hoc applicasset, ut aliqui, vel omnes ex diris non dicam inferni, vel saltem purgatorii pœnis liberarentur, haud dubie illud consecutus fuisset, illique de facto essent illis suppliciis soluti: nec minus, si Christus Dominus Patrem absolute ac simpliciter orasset, vel infinitum meritum eo direxisset, ut omnibus omnino ea conferrentur auxilia, quibus & converterentur, & in fide, ac gratia ad mortem usque nedum perseverare possent, sed cum effectu perseverarent, certissime hujusmodi adjutoria gratiæ illi ex meritis Christi reciperent. Non enim Deus fidelis potuit quippiam Unigenito deprecanti, ac promerenti merito infinito, & voluntate absoluta, vel denegare, vel promissum non implere. Ut autem hæc evidentius constent, & ipsorum adversantium, atque objicientium propria confessione probentur;

Advertendum est tertio, Christum Dominum nedum agnovisse scientia infusa sigillatim omnes & singulos, qui a Patre in ipso fuerunt electi ante constitutionem mundi, omnesque ac singulas gratias omnibus illis & singulis prædestinatis ejus meritis vel jam collatas vel conferendas, verum etiam sciviſſe (si vera est sententia illorum, qui adstruunt scientiam mediam) esse in Deo hujusmodi scientiam, qua Deus prævidet, hos & illos homines convertendos, ac perseveraturos, si talia & talia illis auxilia tali loco, tempore, atque in his vel illis circumstantiis conferantur: non convertendos autem, vel non perseveraturos, si alia, vel illa eadem aliis aliove tempore tribuantur. Non enim crediderim, eo illos temeritatis & audaciæ prorupturos, ut illud de

Chri-

Chriſto auſint dicere, quod illorum ſignifer atque dux de Auguſtino, cæteriſque Patribus, ac Theologis, qui ante annum 1563. ſcripſerunt, dicere non eſt veritus, latuiſſe nimirum illos omnes eam ſcientiam mediam: ſiquidem ſi Chriſtum latuiſſet hæc Dei ſcientia, qua ratione illa Chriſti Domini ſententia, qua nituntur eam probare, merito uti poſſent ad ſuam ſententiam confirmandam: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent?* Hanc ergo ſcientiam, ſi vera eſt, Chriſtum agnoviſſe diffiteri non poſſunt. Noverat igitur Chriſtus ut homo, Deum hoc prævidiſſe, ſi hujuſmodi auxilia illis & illis ſuppeditentur, convertentur, & perſeverabunt; ſin alia, minime. Hac ergo in Chriſto ſuppoſita cognitione, vel ipſe voluit intentione efficaci omnibus & ſingulis hominibus ea auxilia promereri, quibus ipſemet ut Deus præviderat convertendos, vel non perſeveraturos præſcierat; ſi dicant, illa priora efficaciter voluiſſe mereri, cum inane illius eſſe meritum hujuſmodi non potuerit, ut nec ipſi diffitentur, conſequens eſt, ut omnes & ſinguli homines ea recipiant gratiæ auxilia, quibus juxta Dei præſcientiam convertendi, ac perſeveraturi ſint. Nullus itaque peribit hominum, nullus damnabitur: hoc vero catholica deteſtatur Eccleſia. Sin dixerint, noluiſſe Chriſtum illa promereri, ſed quibuſdam illa, quibus Deus illos præſciebat convertendos, & perſeveraturos, aliis vero alia, quibus quidem poſſent converti, ac perſeverare, non tamen converterentur, vel perſeverarent; æquos hic Judices appello, an non conſequens ſit, Chriſtum alia ratione multo excellentiori meritum paſſionis ac mortis ſuæ direxiſſe pro electis, alia vero pro iis, qui electi non ſunt? Quod ſi verum eſt, etiam non minus verum, alia ratione pro electis mortuum, quam mortuus ſit pro aliis, qui prædeſtinati non ſunt; pro illis fudit ſanguinem, ut fructum ultimum meriti, ac redemptionis ipſius conſequerentur, ſalutem videlicet æternam; pro aliis ut duntaxat gratias aliquas vel ſufficientes, vel efficaces quidem, ſed ad tempus reciperent. Hæc ratio eſt cur Scriptura, cum toties totieſque repetat Chriſtum pro omnibus mortuum, alibi tamen animam ſuam in redemptionem pro multis dediſſe pronunciat; illæ priores locutiones ſatisfactionem, & ſacrificium Chriſti, quibus totius humanæ naturæ indignitas eſt ſublata reſpiciunt, itemque redemptionem ac meritum Chriſti, ut ex charitate omnes homines amplectente proceſſit: poſteriores aliæ ad eandem redemptionem ac meritum, quatenus beneplacito Dei ſubjecta fuere, & veluti limitata quoad fructum ſaltem ultimum referuntur. Priores attendit Tridentinum citatum, dum ait: *Etſi Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*: poſteriores, dum ſubjicit; *Non omnes tamen recipiunt beneficium mortis ejus*. Quid enim ſibi vult Tridentina Synodus hoc additamento: *Non omnes recipiunt beneficium mortis Chriſti?* Quid hoc eſt non recipere? An quod aliqui ſint, qui nullam omnino gratiam ex merito paſſionis Chriſti recipiant? An vero quod etſi gratiam aliquam ſaltem ſufficientem ex merito mortis illius tanquam phyſica ejus ſubjecta ſuſcipiant, nulla tamen illi voluntate libera aſſentiantur, eamve ſequantur? Si primum ſenſum horum Tridentini verborum amplectaris, ubi gratia illa ſufficiens generalis & communis omnibus? Si ſecundum ſequaris, nunquid majori dilectione illos proſecutus eſt Chriſtus, potiorique ratione pro illis mortuus eſſe dicendus eſt, quibus nedum ut gratiam reciperent, ſed etiam ut eam ſequerentur, promeruit? An in illud iterum recidemus, quod bonus uſus liberi arbitrii, & gratiæ ab ipſa non ſit gratia? Bonum ergo aliquod in nobis erit ex nobis, non a Deo, non ex Chriſti meritis: ſi enim hoc, quod eſt, uti data nobis gratia, bonum eſt, imo multo melius, quam ſimpliciter recipere gratiam, profecto peſſimi partitores illi ſunt, qui, quod bonum quidem eſt, Deo & Chriſto tribuunt, ſibi vero, quod melius. Uſus gratiæ ipſa etiam gratia potior eſt, ſicut & actus potentia. O quantum diviniſſimo Chriſti merito detrahunt, dum illud amplificare videri volunt, ii, qui ſic inter ſe ac Chriſtum Dominum partiuntur, ut ipſius meritis adſcribant, quod bene poſſint vivere, ſibi ſolis, quod potentia illa ſibi ex ejus meritis conceſſa recte utantur, & bene vivant! Ita ne vobis ipſis adblandimini, ut Chriſti velitis eſſe, quod minus eſt, quodque cum peccato ſtare poteſt; veſtrum vero quod majus & præſtantius, quod peccatum non compatiatur? Sin vero iſta vos dicere vetat modeſtia, tandem, tandem fateamini eo meritum Chriſti protendi, ut etiam ipſam recipiamus, eaque bene utamur; cur autem Chriſtus, vel nullam aliquibus internam gratiam promeruerit, velut infantibus ante ortum in vulva præfocatis, vel aliquam quidem ſit promeritus, non tamen illius bonum uſum, vel etiam aliquem gratiæ bonum uſum, non tamen illius, quæ ad perſeverandum conceſſa fuerat; aliis vero etiam ipſum donum perſeverantiæ, quo non niſi perſeverantes ſint, undecumque tandem hæc efficacia proveniat: Cur, inquam, his illud, aliis iſtud Chriſtus meruerit, ad arcana Dei judicia revocandum. Interim tamen verum eſt, plus dilexiſſe illos, quibus uſum gratiæ perſeverantis promerere voluit, quam eos, quibus illud ipſum ſuo merito noluit conferre. Redemptionis proprietatem, ut ait Proſper, in iſtis agnoſcimus, quos erutos de poteſtate tenebrarum transfert in regnum gratiæ & gloriæ, in quo cum ipſo regnantes animæ expectant adoptionem filiorum Dei perfectam, redemptionem corporum ſuorum. Demum hoc admittendum, ſi fructum ultimum reſpiciamus, pro electis, quos magis dilexit, mortuum eſſe Chriſtum. At quid dico fructum ultimum? *Dicitur*, inquit D. Th. 1. 2. q. 70. a. 1. *in corporalibus fructus id, quod ex planta producitur, cum ad perfectionem pervenerit, & quandam in ſe ſuavitatem habet*: & paulo poſt, *fructus hominis dicitur ultimus hominis finis, quo debet frui*. Quare Catechiſmus ad hunc fructum reſpiciens recte dixit, quod illa verba, quæ in conſecratione Calicis ſancta Eccleſia ſpiritu Dei inſtructa ſimul conjunxit, *pro vobis & pro multis effundetur*: „ Pertinent ad Paſſionis „ fructum, atque utilitatem declarandam: nam, ſi ejus „ virtutem inſpiciamus, pro omnium ſalute ſanguinem „ a Salvatore effuſum eſſe, fatendum erit: ſi vero fru„ ctum, quem ex eo homines perceperint, cogitemus, „ non ad *omnes*, ſed ad *multos* eam utilitatem perve„ nire, facile intelligemus. Cum igitur, *pro vobis*, di„ xit, vel eos, qui aderant, vel delectos ex Judæo„ rum populo, quales erant diſcipuli, excepto Juda, „ quibuſcum loquebatur, ſignificavit. Cum autem ad„ didit, *pro multis*, reliquos electos ex Judæis, aut „ Gentibus intelligi voluit. Recte ergo factum eſt, ut „ pro *univerſis* non diceretur, cum hoc loco tantum„ modo de fructibus paſſionis ſermo eſſet, quæ ſalutis „ fructum delectis ſolum attulit. Atque huc ſpectant „ verba illa Apoſtoli: *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad* „ *multorum exhaurienda peccata:* ad Hebr. 9. Et quod „ Dominus apud Joannem, inquit, Joan. 7. *Ego pro* „ *eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro his, quos de*„ *diſti mihi, quia tui ſunt* “. Quæ Catechiſmi interpretatio cum ſit Auguſtini, Proſperi, Fulgentii, Anſelmi, & quod caput eſt, Concilii Valentini, imo & Tridentini, ut ſupra expendimus, mirum eſt, quod ab aliquo tanquam Calviniſmi damnetur. Non negat Catechiſmus Chriſtum pro omnibus mortuum, idque nec negamus, imo aſſerimus, aſſerendumque ab omnibus ſub anathemate cenſemus, cum & quoad ſatisfactionem, ſacrificium, & ſublatam illam a toto genere humano generalem indignitatem, & quoad ipſius Chriſti Domini voluntatem, ac pretii ſufficientiam, adde etiam ſi lubet, gratiæ pro omnibus ſufficientis meritum, extendatur ad omnes, quod ſupra expoſuimus, & Catechiſmus nomine virtutis ſanguinis Chriſti expreſſit: negamus tamen quoad efficientiam, & quoad ultimum ſalutis fructum Chriſtum pro omnibus eadem plane ratione mortuum. Hoc & ipſos objicientes fateri neceſſum eſſe oſtendimus, etiamſi ad illam ſcientiam mediam recurrant, qua cum Chriſtus ut Deus prænoſſet, non omnes iis auxiliis convertendos, & perſeveraturos, quæ ipſis paſſione ſua promereri voluit; noluit tamen alia illis auxilia ſuis meritis comparare, quibus illos, ut Deus præſciebat & convertendos, & perſeveraturos, quamvis ſecundum voluntatem humanam ex generali charitate omnibus vellet prodeſſe mortem ac paſſionem: quia tamen hæc voluntas, hæc charitas, & merita inde profluentia Deo maxime ſubjecta erant, ſolis a Patre in ſe ipſo electis merito ſuo auxilia, quibus certiſſime liberarentur, adeptus eſt; aliis vero illa duntaxat, quæ vel ſufficientia tantum eſſent, nunquam tamen habitura effectum, vel ſi quæ etiam efficacia, nihilominus illa non eſſent, quibus illi perſeverarent. Fructum igitur ultimum ſalutis non promeruit, niſi multis.

Denique ut illam etiam rationem attingamus, ſecundum quam Chriſti paſſio cauſa eſt efficiens noſtræ ſalutis, certiſſimum plane apud Theologos humanitatem Chriſti paſſione ſua tanquam inſtrumentum Divinitati conjunctum, virtutem in omnia legis novæ ſacramenta influere, ſi debite applicentur, eamque virtutem in ſuſcipientibus, ut oportet, gratiam ſanctificantem producere. Cumque hæc Sacramenta omnibus ex Chriſti inſtitutione ſint propoſita, nullo prorſus ex vi hujus inſtitutionis excluſo, conſequens eſt, ut etiam ex hac parte pro omnibus Chriſtus mortuus eſſe credatur. Quod ſi quibuſdam applicari hæc minime poſſint, id non ex vi inſtitutionis, nec defectu illius virtutis, quam Chriſtus influit, ſed aliunde per accidens contingit. Si vero illa auxilia gratiæ, quam etiam ſine Sacramentis Chriſtus efficit,

efficit, consideremus vel sufficientia omnibus, vel efficacia quibusdam, etiam ex hoc capite, pro universis Christum mortuum dicemus, ita nihilominus, ut pro illis, quibus efficacia impertitur, altiori quadam ratione & dilectione passus sit, ac multo magis pro eis, in quibus perseverantiæ dono producto, æternæ gloriæ lumen potentissima suæ virtutis efficacitate producit. Pro istis ergo, eorumque salute æterna efficienter mortuus, ac passus eo sensu dicitur, quia æternum gloriæ pondus operatur in illis, & gloriosam etiam corporum resurrectionem in fine mundi operabitur. Hi sane illi sunt, quos suas oves vocat, pro quibus bonus ille pastor animam suam se ponere profitetur, Joan. 10. Hi illi sunt, vere ac propriissime redempti, Isai. 62. utpote ab omni omnino servitute, atque tyrannide liberati. Hi illi sunt, qui Joanne teste, Apoc. 5. illud Christo in æternum canticum canunt: *Redemisti nos Deus in sanguine tuo ex omni tribu, & populo, & natione.*

CAPUT XV.

Dissolvuntur duo alia, quæ afferuntur argumenta; alterum de justitia commutativa inter Deum & homines; alterum de pœnitentia publica olim etiam pro criminibus occultis imposita.

SUI ad Deum æqualitatem appetiisse Luciferum, appetiisse, atque etiamnum appetere, ac in æternum appetituros dæmones, dirissima licet ob illud superbiæ crimen expertos supplicia, nec ab illo priori proposito, vel pœnis illis gravissimis obrutos resilire, probant abunde, quæ illum sub typo Regis Tyri dixisse, Isaias cap. 14. significat: *Ascendam in cælum, & ero similis Altissimo*. Unde Augustinus qq. veter. Test. q. 113. *Elatione inflatus voluit dici Deus*. Si adjungantur verba illa Davidis, Psal. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper:* & illud commune de Angelis axioma: *Cui adhærent, immobiliter adhærent*. Hanc vero similitudinem non explicate ac expressim, sed tacite ac latenter illos optasse convincit illa ratio, quia non usque adeo stupidi sunt, & plumbei hujusmodi spiritus, quin illam minime sibi possibilem judicent, vel illius, ad quam non possint pertingere, appetitione teneantur. Verum uti Deo soli seipso, suisque viribus beatum esse competit; sic illi, dum nimia sui ipsorum admiratione, naturaliumque contemplatione perfectionum toti occupantur, ea perpetuo inadvertentia sponte in suam felicitatem, illam quasi propriis viribus consecuturi feruntur. Quippiam simile expertus Pelagius, eo naturæ & quidem corruptæ vires extulit, ut illas ad beatitudinis humanæ consecutionem sibi sufficere, turpissima hallucinatione commentus sit. In eadem salebra hæsere Semipelagiani. An etiam & illi, qui jam superioribus capitibus diluta in Catechismum Romanum objiciunt, nihil definio: aliorum esto judicium. Verum in hac, quæ modo diluenda est, objectione, multo apertius æqualitatem cum Deo ipsi homini pollicentur, dum Catechismi doctrinam negantis inter Deum & hominem veram & propriam justitiæ rationem inveniri, levissimis nixi fundamentis improbare non verentur.

Objiciunt nono: „ Catechismus de pœnitentiæ virtute disputans, negat Deum inter & hominem inveniri veram & propriam justitiæ rationem. Hoc autem falsum esse demonstrat Suares in opusculo de hac ipsa quæstione, quem sequuntur innumeri pene Theologi, sicut & multi alii gravissimi auctores negant, quod idem Catechismus asserit, impositam olim fuisse publicam pœnitentiam pro occultis criminibus. Quia profecto illud & a ratione valde alienum videtur, imponere alicui, ut seipsum infamet, atque a sensibus Ecclesiæ, quæ mater ut suavissima, multum abhorret ab hoc, imo & moribus illius, quibus nunc utitur, omnino repugnat, quæ vix pro publicis criminibus publicam satisfactionem indicit ".

Ut hæc diluantur, præmittendum omnino justitiam multipliciter sumi posse; ac primo quidem pro rectitudine ejusdem ad se ipsum, quatenus omnes potentiæ, ac facultates, omniaque omnino, quæ in homine sunt, ordinatissime sunt dispositæ & digestæ; qua ratione, qui gratiam sanctificantem consecuti sunt, justos dicimus, justique sunt apud Deum. Et hanc vocat S. Thomas 1. 2. q. 113. a. 1. justitiam metaphorice dictam. Eam inesse Deo sicut & sanctitatem excellentiori quodam modo, quam sit in Angelo, vel homine nullus negat. Alia vero est justitia, quæ importat rectitudinem voluntatis ad alterum. Et hæc ut ex D. Thoma 2. 2. q. 58. art. 5. & q. 61. art. 1. colligitur, triplex est, legalis, distributiva, & commutativa. Cum enim justitia hoc secundo modo sumpta sit ad alterum, ille alter, quem justitia respicit, vel consideratur in singulari, vel in communi; quatenus, qui alicui communitati deservit, omnibus, quos communitas illa complectitur, etiam deservire censendus est: unde fit, quod virtus illa, quæ omnium virtutum actus ordinat ad bonum commune, dicatur justitia legalis, cum ad legem spectet in bonum commune omnia referre. Virtus ergo illa concordans legi actus omnium virtutum ordinanti ad bonum commune, merito legalis justitia dicitur. Si vero ille alter, ad quem justitia ordinat, sit aliqua privata persona, rursus id duplici ratione potest contingere; ac primo quidem quatenus totum, vel tota communitas ordinatur ad partes, sive ad aliquam ex communitate privatam personam. Et quia hic ordo attenditur penes hoc, ut, quæ sunt communia, recte singulis distribuantur; hinc est, quod & virtus justitia distributiva nuncupatur. Secundo potest attendi ordo unius privatæ personæ ad alteram etiam privatam, & hunc ordinem dirigit justitia, quam vocant commutativam, eo quod maxime in commutationibus reperitur. De justitia legali nemo dubitat esse illam in homine ad Deum tamquam bonum commune totius reipublicæ Christianæ. Justitiam distributivam in Deo omnes admittunt, qua præmia juxta beneplacitum suæ voluntatis, & meritum cujusque ab ipsa gratia proficiscens distribuit etiam ultra meritum præmiando, & cum merita nostra repensat, coronat dona sua, ut Cælestinus, & Tridentinum ex Augustino definiunt. Solum superest quæstio de justitia commutativa, utrum illa reperiatur in homine respectu Dei.

Hæc autem quæstio solvi non potest, nisi quæ ad veram, ac propriam hujus virtutis notionem spectant, paulo diligentius expendamus. Illa vero tria sunt. Ac primo quidem hæc justitia ad alterum esse debet, non ea solum ratione, qua omnem justitiam esse ad alterum necesse est, sed alia, & maxime, quia hujusmodi justitia cum sit ordinativa partis ad partem, in quo maxime ratio alterius reperitur, etiam ipsa præcipue ad alterum est. Totum enim partem complectitur; & pars est aliquid totius: unde aliquatenus legalis & distributiva non est simpliciter ad alterum; sola commutativa simpliciter, & omnibus modis est ad alterum. Præterea omnis quidem justitia æqualitatem dicit; sed partis ad totum, vel totius ad partem non potest esse aliqua æqualitas, nisi proportionalitatis; perfecta vero nequit esse, nisi inter pares; pares, inquam, in tribus; ac primo quidem in dominio, secundo in rebus extrinsecus adhibitis, tertio in intentione. In dominio quidem, quia non potest fieri æqualitas, ubi is, qui reddit, dominium non habet rei redditæ, nisi subordinatum; quamvis si aliunde ex non subjectis alterius dominio id compensetur, æqualitas fieri possit. Æqualitas vero rei ad rem necessaria est: in hoc enim consistit commutatio, imo & ipsa justitia, unde, ut inquit D. Thomas, vulgo dicuntur ea, quæ adæquantur, justari. Intentio denique, seu electio hujus æqualitatis requiritur ad virtutem, & ad actum justitiæ, quia cum omnis virtus ex Philosopho sit habitus electivus sui objecti, consequens est, ut si æqualitas rei ad rem extrinsecam sit objectum justitiæ, electio hujus æqualitatis sit actus illius. Quare qui absque hujusmodi electione redderet æquale, non eliceret actum justitiæ, nam si quis exempli causa deberet alicui quinquaginta nummos ex uno titulo; ex altero autem alios quinquaginta, reddendo quinquaginta ex priori debitos cum intentione non reddendi alios quinquaginta ex altero debitos, ille non eliceret actum justitiæ, sed potius injustitiæ; licet enim quoad actum externum quandam æqualitatem efficeret cum altero ex illis duobus; quia tamen non ex intentione constituendi perfectam æqualitatem, ille actus non esset actus justitiæ: sicut & in aliis virtutibus, qui actum externum elicit, verbi gratia sobrietatis non bibendo ultra mensuram debitam, & conformem rationi, nisi hoc præstet ex illa ratione formali, paratus ex eadem in omni occasione, ac circumstantia eandem in bibendo conformitatem ad rectam rationem servare, non elicit actum virtutis illius; imo vero, si contrariam intentionem haberet, potius actus intemperantiæ eliceret: ita prorsus, qui actum externum justitiæ reddendo æquale rei ad rem eliceret, absque intentione perfectæ æqualitatis inter se & alterum constituendæ, vel cum contraria intentione, ille non eliceret actum justitiæ, imo potius injustitiæ; quia æqualitas omnimoda & perfecta est objectum formale justitiæ, in quo justitia distinguitur ab aliis virtutibus, maxime vero a partibus potentialibus ejusdem. Hæc doctrina est D. Thomæ 2. 2. q. 61. a. 1. & 2. & q. 80. a. 1. & Aristotelis 5. Ethic. cap. 2. & 3. imo & Veterum omnium.

Denique supponendum, quod licet quis possit eligere aliquid impossibile per accidens, puta, pauper potest eligere præbitionem, vel donationem pecuniarum, quia illa est ipsi duntaxat impossibilis per accidens, eo quod

illas

illas non habeat, licet poſſit habere; nullus tamen poteſt eligere, quod ipſi ſimpliciter, & abſolute eſt impoſſibile. Cujus rei triplicem S. Thomas 1. 2. q. 13. a. 5. rationem affert, quia electio omnis eſt de agendis: impoſſibilia vero ſimpliciter inter agenda computari non poſſunt: agenda ſiquidem, ſicut & agibilia non ſunt impoſſibilia; neque impoſſibilia ſunt agibilia. Deinde quia electio quælibet ad finem aliquem conſequendum ordinatur: Enimvero per medium ſimpliciter impoſſibile finem quemcumque conſequi omnino repugnat. Denique quia ita ſe habet finis ad media, ſive intentio finis ad mediorum electionem, ſicut ſe habent principia ad concluſiones: Ex principio autem impoſſibili non poteſt recte colligi concluſio impoſſibilis: Non poteſt igitur ex intentione finis poſſibilis, & conſequendi eligi medium ſimpliciter, & abſolute impoſſibile.

Jam ergo videndum, quo ſenſu dicat Catechiſmus, inter Deum & hominem propriam juſtitiæ rationem reperiri non poſſe. Agit eo loci de ſatisfactione pro ſceleribus admiſſis, quam Deo exhibere intendit is, quem vere peccati pœnitet, & ait: „ Nam etſi inter Deum „ & homines propria juſtitiæ ratio intercedere non po„ teſt, cum tam longo intervallo inter ſe diſtent, ali„ quam tamen eſſe juſtitiam conſtat, cujuſmodi eſt inter „ patrem & filios, inter dominum & ſervos “. Unde conſtat Catechiſmum duntaxat negare, poſſe inveniri hominis ad Deum juſtitiam proprie dictam, hoc eſt, commutativam; poſſe tamen aliquam juſtitiam, hoc eſt, virtutem aliquam reperiri, quæ ſit pars potentialis juſtitiæ, cujuſmodi eſt religio, & pœnitentia. Quæ ſententia eſt diſtinctiſſime Sancti Thomæ 1. 2. q. 114. a. 1. & 3. p. q. 85. art. 3. & omnium diſcipulorum ejus, imo & plures alii eamdem docent, ut Becanus de Sacramentis in ſpecie cap. 30. q. 4. Leſſius lib. 13. de perfect. Divinis cap. 2. Eſtius in 4. diſt. 14. §. 2. in fine, & alii.

Rationes vero, quæ hanc ſententiam confirmant, ſunt hujuſmodi ex dictis elicitæ, ac evidentes. Propria juſtitiæ ratio eſt ad alterum ſimpliciter & abſolute, ut dictum eſt. Atqui homo non eſt proprie alter a Deo, cum ſit magis aliquid Dei, quam filius ſit aliquid Patris, vel ſervus Domini: nam homo non contractu aliquo, vel acceſſoria ſervitute, ſed naturali, & eſſentiali eſt ſub dominio Dei, ita ut nec ipſemet Deus poſſit illum ſui juris facere, vel abſoluta, & independenti libertate donare. Ex quo etiam oritur, ut Deus poſſit de homine, omnique illius jure ad libitum ſtatuere, tamquam de re ſua. Hinc vero ſequitur ſecunda ratio, quæ hujuſmodi eſt. Ad juſtitiam proprie ac ſtricte ſumptam requiritur æqualitas dominii hoc ſenſu, ut tantum dominium alter habeat in rem, quam reddit, quantum alter in aliam, pro qua illi ſuam reddit, ut dictum eſt. Enimvero homo non habet hanc dominii æqualitatem in ſuos actus, quibus Deo vel ſatisfacit, vel honorem reddit, quantum habet ipſe Deus etiam in eoſdem actus hominis, & in proprias injurias vindicandas, vel in honorem ſibi debitum repetendum. Quis enim eo temeritatis, & ſuperbiæ ſeipſum efferret, ut Dei dominium exæquare præſumat? Non eſt ergo hominis ad Deum vera, & ſtricta juſtitia. Denique propria juſtitiæ ratio id exigit, ut, qui ejus actum elicit, perfectam inter ſe & alterum in datis & acceptis æqualitatem conſtituere intendat, ut probatum eſt. Atqui abſolute ac ſimpliciter eſt impoſſibile, hominem hoc intendere, ut inter ſe ac Deum perfectam æqualitatem in datis & acceptis conſtituat, cum tanta ſit divini numinis majeſtas, ut ſi homini duntaxat vel minimam panis buccellam contuliſſet, ne quidem poſſet donum illud quantumcumque in ſeipſo exiguum, ut ab illa infinita majeſtate proficiſcitur, ex æquo compenſare, quanto minus pro delictis congruam, & æqualem ſatisfactionem exhibere? Non poteſt igitur homo ullum ſtrictæ juſtitiæ actum erga Deum elicere, nec conſequenter ullum ſtrictæ juſtitiæ habitum reſpectu Dei habere.

Hinc ſequitur pœnitentiam virtutem eſſe quidem aliqualem hominis ad Deum juſtitiam, hoc eſt, partem quamdam potentialem juſtitiæ, non tamen eſſe ſtrictam, & vere, ac proprie dictam juſtitiam, & hoc eſt, quod Catechiſmus docet. Neque Suaris, aliorumve Theologorum authoritas tanti eſt, ut doctrinam Catechiſmi vel tantillum loco movere valeat, quinimo illius, ac cæterorum doctrina, ad hujus Catecheſeos ſententiam omnino caſtiganda eſt. Maxime cum illa tantam animis hominum divinæ majeſtatis reverentiam ingeneret, ac pœnitentibus animos addat, quibus pro offenſis in Deum admiſſis, quantum poſſunt, operibus piis ſatisfacere ſatagant. Hic ille eſt genius, quo olim fideles impulſi occulta crimina a ſe perpetrata ulciſci conabantur. Cum enim intelligerent, nulla ratione fieri poſſe, ut Deo pro illis, quantum par foret, ſatisfacerent, nihil erat, quod non lubentiſſime amplecterentur, ut ſaltem totum id præſtarent, ad ſuorum criminum vindictam, quod poſſent. Pro occultis ergo criminibus etiam publicam pœnitentiam olim fuiſſe peractam jamjam probaturi, illud prius monendum lectorem advertimus, alio modo Catechiſmum loqui de hac pro occultis delictis pœnitentia publica, & de illa, quæ fiebat pro publicis: inquit enim: „ Sapientiſſime illud ab Eccleſia „ obſervatum eſt, ut cum ab aliquo publice flagitium „ commiſſum eſſet, publica etiam pœnitentia ei indice„ retur, ut cæteri timore perterriti deinceps peccata di„ ligentius vitarent; quod etiam in occultis criminibus, „ quæ graviora eſſent, interdum fieri ſolitum erat: ſed, „ ut diximus, in publicis hoc perpetuum fuit, ut qui „ ea commiſerant, antequam publicam pœnitentiam ſuſ„ cepiſſent, non abſolverentur “. Hæc, quæ Catechiſmus ait de pœnitentia publica pro publicis ſceleribus, nullam prorſus difficultatem patiuntur, ſi attendamus, quod & S. Thomas in 4. diſt. 14. q. 1. art. 5. q. 3. annotavit, aliam fuiſſe publicam pœnitentiam non ſolemnem, aliam vero ſolemnem. Solemnis ſiquidem certo ritu peragebatur, ut habet ibid. S. Doctor, & de illa præcipue loquuntur Innocent. I. Epiſt. 1. ad Decentium cap. 7. Siricius Papa Epiſt. 1. cap. 5. Leo I. Epiſt. 92. cap. 10. & 11. Hieron. in Epitaphio Fabiolæ, Ambroſ. lib. 2. de pœn. cap. 10. & 11. Sozom. lib. 9. hiſt. cap. 35. Concil. Arelat. can. 13. 21. & 22. & alii. Publica vero non ſolemnis agebatur etiam pro publicis criminibus non ita enormibus, ut conſtat ex dicta Epiſt. Siricii. Illam egit Imperator Philippus, ut narrat Euſebius 6. hiſt. cap. 25. & Nicephorus lib. 5. cap. 25. Eandem ſubiit Theodoſius, ex Ruffino lib. 11. cap. 18. Theodoreto lib. 5. cap. 17. Niceph. lib. 12. cap. 40. & 41. Ambroſ. orat. in obitum Theodoſii, & Epiſt. 21. & 28. & Auguſt. hom. 49. cap. 3. Ludovicum etiam Imperatorem Caroli Magni filium eandem ſubiiſſe conſtat ex Concil. Artiniacenſi anno 822. Aliquando vero hanc pœnitentiam aliquos ſponte ſubiiſſe ſolo pietatis, & humilitatis intuitu certum eſt, tum ex eo, quod refert S. Thomas loco jam laudato, quæſtiuncula 1. tum ex iis, quæ referunt annales Hiſpanici de Wamba Rege, qui & ipſe publicam pœnitentiam ſubiit, ut ſeſe in humilitatis virtute fortiter exerceret. Unde fiebat, ſciri non potuiſſe an pro crimine aliquo illa pœnitentia eſſet impoſita, vel ſponte foret aſſumpta. Vide D. Thomam loco jam laudato ad 1. & 2.

Quod autem publica pœnitentia pro criminibus etiam occultis aliquando fuerit impoſita omnino certum eſt: ſed attende, aliud eſſe, quod de facto impoſita illa fuerit, aliud quod ex aliquo Eccleſiæ decreto id factum fuerit; primum omnino certum eſt; ſecundum negant plures: id crediderim nullo generali Eccleſiæ decreto hoc peractum, ſed duntaxat ſpeciali *alicujus particularis* Eccleſiæ ordinatione in aliqua *diœceſi*, vel provincia id fuiſſe aliquando uſurpatum; primum ſatis conſtat, quia nullum extat hujuſmodi decretum, quo cautum ſit, ut pro criminibus etiam occultis publica pœnitentia indiceretur; quamvis enim habeamus canones antiquiſſimos & ante Nicænum, & poſt illud Concilium, quibus certa pœnitentia certis quibuſdam criminibus determinatur, nullus tamen extat, quo illa pœnitentia ſic taxata pro ipſis etiam occultis criminibus præſcribatur. Eſto debuerint Sacerdotes certam pœnitentiæ rationem peccatis etiam occultis juxta canones indicere; quod illa publice peragenda foret, nullo communi totius Eccleſiæ canone definitur. Et hoc ſufficit, ut convenienter aſſeramus nullo univerſali decreto Eccleſiam ſtatuiſſe, ut pœnitentia publica pro criminibus occultis perageretur.

Quod vero id fuerit in aliquibus Eccleſiis uſurpatum, nemo poteſt ambigere: id enim non ſolus S. Thomas docet loco jam ſuperius laudato, ſed & alii viri eruditiſſimi, & in veteri Eccleſiæ diſciplina verſatiſſimi. Id manifeſte colligitur ex Epiſt. 80. Leonis; ibi ſiquidem prohibens publicari omnia confitentium peccata, ut publicis imponeretur pœnitentia, ſic ait: „ Quamvis enim „ plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter „ Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur: „ tamen, quia non omnium hujuſmodi ſunt peccata, „ ut ea, qui pœnitentiam poſcunt, non timeant pu„ blicare, removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne „ multis a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut eru„ beſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta referare, „ quibus poſſunt legum conſtitutione percelli “. Quo loco cum dicit plenitudinem illam fidei eſſe laudabilem, quæ propter Dei honorem apud homines erubeſcere non veretur, procul dubio pœnitentiæ publicæ meminit, qua fiebat, ut apud homines aliqui erubeſcerent ad reparandum Dei honorem; nec propterea peccata omnia eſſe publicanda conſtituit, ne homines a Sacramento Pœnitentiæ retrahantur ob verecundiam, vel timentes ſibi aliquid nocumenti ex peccatorum publicatione provenire.

FINIS I. PARTIS.

AD R. P. NATALIS

ALEXANDRI

O R D. P R Æ D.

HISTORIAM ECCLESIASTICAM

SUPPLEMENTUM

DUAS IN PARTES DISTRIBUTUM

IN QUARUM PRIMA

OPEM FERENTIBUS VIRIS ERUDITISSIMIS ALIQUOT TRIDENTINI CONCILII DECRETA ILLUSTRANTUR ET VINDICANTUR :

IN ALTERA

DISSERTATIONIBUS HISTORICIS

RES ECCLESIÆ ET IMPERII SÆCULORUM XVII. & XVIII.

QUÆ IN EA HISTORIA DESIDERANTUR,

Recenſentur & ad noſtra uſque tempora perducuntur.

TOMUS SECUNDUS

CONTINENS

SUPPLEMENTI PARTEM SECUNDAM.

BASSANI, MDCCLXXVIII.

SED PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

ALEXANDRI

NATALIS

HISTORIAM ECCLESIASTICAM

SAECULUM PRIMUM

DISSERTATIONIBUS HISTORICIS

ILLUSTRANTIS

SUPPLEMENTI PARTEM SECUNDAM

TOMUS SECUNDUS

INDEX
DISSERTATIONUM,
Capitum, & Paragraphorum &c. quæ in hoc II. Volumine continentur.

DISSERTATIO I.

De Romanis Pontificibus Sæculorum XVII. & XVIII.

LEO XI. pag. 1
Paulus V. 2
Gregorius XV. 7
Urbanus VIII. 10
Innocentius X. 14
Alexander VII. 18
Clemens IX. 22
Clemens X. 46
Innocentius XI. 48
Alexander VIII. 62
Innocentius XII. 64
Clemens XI. 70
Innocentius XIII. 86
Benedictus XIII. 87
Clemens XII. 107
Benedictus XIV. 119
Clemens XIII. 130
Clemens XIV. 131
Pius VI. 138

DISSERTATIO II.

De Missionibus ad exteras Gentes a Gallis institutis. 139

§. I.

Congregatio Sacerdotum a Missionibus exteris. ibid.

§. II.

Missio Siamensis. ibid.

§. III.

Siamenses Vicarii Apostolici. 140

§. IV.

Vicarii Apostolici Tunquini. ibid.

§. V.

Vicarii Apostolici Cocincinæ. 142

§. VI.

Episcopi Babylonis & in Perside Vicarii Apostolici. ibid.

§. VII.

Episcopi Quebecenses, & Vicarii Apostolici in Canadà seu nova Francia. 143

§. VIII.

Seminarium Parisiense pro Missionibus ad exteras Gentes, seu Congregatio Sacerdotum pro Missionibus exteris. 144

§. IX.

Superiores Seminarii Missionum exterarum. ibid.

APPENDIX

De Congregatione Propagandæ Fidei. ibid.

DISSERTATIO III.

De Propagatione, Vicibusque Religionis Christianæ Sæculis XVII. & XVIII. in Japonia, Sinis, Imperio Magni Mogolis, Bengala, Malabaria, Tonquino, Cochinchina, Siamo, cæterisque insulis adjacentibus. 145

CAPUT I.

De progressu & adversis rebus Religionis Catholicæ in Japonia. ibid.

CAPUT II.

De Vicibus Christianæ Religionis in Sinensi Imperio. 150

CAPUT III.

De ortu & progressu Christianæ Religionis in Imperio Magni Mogolis, Bengala, Malabaria, Tonquino, Cocinchina, Siamo, & in Insulis adjacentibus. 153

DISSERTATIO IV.

De Proscriptis Sinensium Ritibus, quorum Historia exponitur cum Appendice Monumentorum. 164

§. *I.* ibid.
§. *II.* ibid.
§. *III.* 165
§. *IV.* ibid.
§. *V.* 166
§. *VI.* 167
§. *VII.* ibid.
§. *VIII.* ibid.
§. *IX.* 168
§. *X.* ibid.
§. *XI.* ibid.
§. *XII.* 169
§. *XIII.* ibid.
§. *XIV.* 170
§. *XV.* ibid.
§. *XVI.*

§. XVI. ibid.
§. XVII. 171
§. XVIII. ibid.
§. XIX. ibid.
§. XX. 172
§. XXI. 173
§. XXII. 175

APPENDIX MONUMENTORUM.

MONUMENTUM I.

Mandatum, seu Edictum Domini Caroli Maigrot Vicarii Apostolici Fokiensis in Regno Sinarum, nunc Episcopi Cononensis. 177

MONUMENTUM II.

Quæsita in Causa Rituum Sinensium super Mandato seu Edicto Domini Caroli Maigrot Vicarii Apostolici Fokiensis in Regno Sinarum, nunc Episcopi Cononensis, ab Eminentissimis & Reverendissimis DD. Cardinalibus specialiter a sanctæ memoriæ Innocentio PP. XII. deputatis post varias Congregationes ac longum jurium hinc inde deductorum examen, confecta: primum quidem Theologis & Qualificatoribus ad id selectis proposita, ac deinde in Congregatione Generali S. Romanæ & Universalis Inquisitionis discussa & resoluta. 178
Super primo Articulo. ibid.
Super secundo Articulo. ibid.
Super tertio Articulo. 179
Super quarto Articulo. ibid.
Super quinto Articulo. 181
Super sexto Articulo. ibid.
Super septimo Articulo. 182

MONUMENTUM III.

Responsa quæ ad quæsita superius relata, prævio diuturno, maturo, ac diligentissimo examine de mandato sa. me. Innocentii XII. prius inchoato, ac deinde jussu Sanctissimi D. N. D. Clementis Papæ XI. per plures annos continuato, a Sac. Congregatione Eminentissimorum ac Reverendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum a S. Sede Apostolica specialiter deputatorum auditis partibus, necnon Theologorum, & Qualificatorum ad id deputatorum votis, data fuerunt, ac postmodum ab eodem Sanctissimo Domino nostro approbata, & confirmata. ibid.
Super primo Articulo. ibid.
Super secundo Articulo. ibid.
Super tertio Articulo. ibid.
Super quarto Articulo. ibid.
Super quinto Articulo. ibid.
Super sexto Articulo. ibid.
Super septimo Articulo. 183

MONUMENTUM IV.

Decretum Eminentissimi Card. Tournonii, Patriarchæ Antiocheni, a SS. D. N. Clemente Papa XI. ad Sinarum Imperium cum potestate Legati a latere missi, quo Christi Ministris ad Imperatoris Tribunal citatis, ac de Christiana religione ab eodem interrogandis præscribit atque decernit, quid illis sit respondendum, simulque Sedis Apostolicæ judicium de cultu Sinensium, die 20. Novembris 1704. Romæ latum, quo lis illa magna finita est, publice denunciat. ibid.

MONUMENTUM V.

Litteræ Apostolicæ Clementis XI. quibus gesta ab Episcopo Macaonensi in Card. Tournonium damnantur. 184

MONUMENTUM VI.

Verba per Sanctissimum Dominum Nostrum Clementem Papam XI. habita in Consistorio secreto fer. IV. 14. Octobris 1711. de obitu Cardinalis de Tournon. 186

MONUMENTUM VII.

Oratio habita in Sacello Pontificio V. Kal. Decemb. A. D. MDCCXI. in funere Card. Caroli Thomæ Maillard de Tournon &c. a Carolo Majello ab intimo SS. Domini Sacello, & altero Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto. 187

MONUMENTUM VIII.

Benedictus Papa XIV. ad perpetuam rei memoriam. 190

MONUMENTUM IX.

Sanctissimi Domini Nostri Domini Benedicti Papæ XIV. Constitutio super Ritibus, Cæremoniis, Usibus, & Consuetudinibus in Regnis Madurensi, Mayssurensi, & Carnatensi Indiarum Orientalium observandis, seu vitandis, permittendis, aut abolendis cum opportunis Declarationibus, Ordinationibus, & Præceptis. 197

MONUMENTUM X.

Venerabili Fratri Polycarpo Episcopo Pekinensi in Sinis Benedictus Papa XIV. 209

DISSERTATIO V.

De Erroribus, Hæresibusque Sæculi XVII. & XVIII. 211

§. I.

De Thoma Hobbesio. ibid.

§. II.

De Joanne Wilmoto, & Antonio Ashley Cooper, Comite Shaftsburio. ibid.

§. III.

§. III.

De Joanne Tolando, Eduardo de Cherbury, Carolo Blount. ibid.

§. IV.

De Julio Cæſare Vanino. 212

§. V.

De Coſmo Ruggerio, Caſimiro Leszynski, & Mathia Knutzen. ibid.

§. VI.

De Benedicto Spinoza, ejuſque præcipuis diſcipulis. ibid.

§. VII.

De Secta Quackerorum. ibid.

§. VIII.

Sectæ primi motus ſub Cromwellio. 213

§. IX.

Progreſſus Caroli II. & Jacobi II. ætate. ib.

§. X.

Propagatio Sectæ extra Angliam. ibid.

§. XI.

Controverſiæ & diſſidia inter Quackeros. ib.

§. XII.

Dogmata Quackerorum. ibid.

§. XIII.

Diſciplina. 214

§. XIV.

Forma Gubernationis. ibid.

§. XV.

De Antonia Bourignonia. ibid.

§. XVI.

De Jana Leada. ibid.

§. XVII.

De Iſaaco Peyrerio. 215

§. XVIII.

De Thoma Anglo. ibid.

§. XIX.

De Joſepho Borri. ibid.

§. XX.

De Edmundo Richerio. ibid.

§. XXI.

De Marco Antonio de Dominis. 217

§. XXII.

De Secta Illuminatorum. 218

§. XXIII.

De Cornelio Janſenio. ibid.

§. XXIV.

De Michaele Molinoſio. 224

§. XXV.

De Petro Matthæo Petruccio. 227

§. XXVI.

De Franciſco Malavallio, & P. Guillorio. ib.

§. XXVII.

De Joanna Maria Bouvieres de la Mothe Guyon, & P. la Combe. ibid.

§. XXVIII.

De Franciſco de Fenelon Archiepiſcopo Cameracenſi. ibid.

§. XXIX.

De Joſepho Beccarellio, & Pelaginis. 229

§. XXX.

De Silveſtro Legni, Joanne Vecchiolio, Julio Legni, Bonaventura Arigonio, & Bernardino Salviato. ibid.

§. XXXI.

De Paſchaſio Queſnello. ibid.

§. XXXII.

De Petro Jannonio. 233

DISSERTATIO VI.

De Conciliis Sæculis XVII. & XVIII. celebratis. 240

§. I.

De Concilio Mechlinienſi Provinciali. ibid.

§. II.

De Concilio Narbonenſi Provinciali. ibid.

§. III.

De Conciliis Senonenſi, & Aquenſi. 241

§. IV.

De Concilio Burdigalenſi. ibid.

§. V.

De Concilio Conſtantinopolitano an. 1638. 242

§. VI.

De Concilio Conſtantinopolitano an. 1642. 243

§. VII.

De Synodo Hieroſolymitana. 244

§. VIII.

De Concilio Provinciali Mœſiæ & Epiri. 245

§. IX.

De Concilio Lateranenſi ſub Benedicto XIII. P. M. ibid.

§. X.

De Concilio Provinciali Ebredunenſi. 246

§. XI.

De Nationali Maronitarum Concilio. ibid.

§. XII.

De Synodis Hiſpaniæ. 248

§. XIII.

De quibuſdam aliis Conciliis Synodiſque Diœceſanis præſertim Italiæ. ibid.

DIS-

DISSERTATIO VII.

De Ecclesiæ doctrina præsertim Morali, quæ Sæculis XVII. & XVIII. obtinuit. 251

§. I.

Casuistarum novitatibus, erroribusque obsistunt Romani Pontifices, & cum primis Alexander VII. ibid.

§. II.

Innocentius XI. 252

§. III.

Alexander VIII. 254

§. IV.

Innocentius XII. & Clemens XI. 255

§. V.

Benedictus XIV. ibid.

§. VI.

De fatis Casuistarum in Gallia. 256

§. VII.

Animadversiones in numerum ingentem errorum, quos Casuistæ docuerunt. 267

DISSERTATIO VIII.

De aliquot Controversiis, quæ Sæculis XVII. & XVIII. excitatæ fuerunt. 272

§. I.

De exitu controversiarum de divinæ Gratiæ auxiliis, in eumque Animadversiones. ib.

§. II.

Historia dissidii literarii circa studia Monastica, quod invicem adversos habuit R. P. Armandum Joannem Buthilierium de Rancè Abbatem Trappæ, atque D. Joannem Mabillonium e Congregatione S. Mauri Monachum Benedictinum. 276

EPISTOLÆ LATINÆ, ET GALLICÆ CIRCA STUDIA MONASTICA.

Hilarius Rouvillé Domno J. Mabillon. 282
Monsr. Huet à D. Mabillon. ibid.
R. P. Henr. Noris Augustinianus ad D. J. Mabillonium. ibid.
Monsr. le Card. le Camus à D. J. Mabillon. 283
D. Mathieu Petit-Didier à D. Mabillon. ibid.
M. l' Archevêque d' Alby à D. J. Mabillon. ib.
D. Card. de Aguirre ad D. J. Mabillon. ib.
M. l' Abbé de la Trappe à M. le Curé de S. Jacques du Haut-pas. 284
M. de la Trappe à Madame la Princ. de Guise. ibid.
D. J. Mabillon à Madame la Princ. de Guise. 285
M. l' Abbé de la Trappe à M. le Curé de S. Jacques du Haut-pas. ibid.
Madame de Guise à D. J. Mabillon. ibid.
Monsr. le Card. le Camus à D. J. Mabillon. 286
D. Paul Pezron à D. J. Mabillon. ibid.
M. l' Abbé de la Trappe à D. J. Mabillon. ib.
D. J. Mabillon à D. Claude Estiennot. ibid.
De Monasticorum studiorum ratione ad juniores studiososque Congregationis S. Mauri Monachos D. J. Mabillonius. 287

§. III.

De Controversia circa Jejunium in Gallia primum, tum in Italia excitata. 288

§. IV.

De controversia in Italia excitata, an Sacerdotes Missam celebrantes teneantur ministrare Eucharistiam fidelibus, qui paratos ad ipsam recipiendam se exhibent, ac petunt Sacrificii, cui adstant, fieri participes. 289

§. V.

De cultu Cordis Jesu, & concertatione inde excitata. 290

DISSERTATIO IX.

De Scriptoribus Ecclesiasticis Sæculi XVII. & XVIII. 294

§. I.

De Cæsare Card. Baronio. ibid.

§. II.

De Leonardo Coquæo. ibid.

§. III.

De Davide Card. Perronio. ibid.

§. IV.

De Petro Arcudio. ibid.

§. V.

De Roberto Card. Bellarmino. ibid.

§. VI.

De Frontone Ducæo. ibid.

§. VII.

De Jacobo Gretzero. 295

§. VIII.

De Thoma Malvenda. ibid.

§. IX.

De Thoma de Lemos. ibid.

§. X.

De Heriberto Rosweido. ibid.

§. XI.

De Gabriele Albaspinæo. ibid.

§. XII.

De Henrico Spondano. ibid.

§. XIII.

De Nicolao Hugone Menardo. ibid.

§. XIV.

De Balthassare Corderio. ibid.

§. XV.

De Jacobo Sirmondo. ibid.

§. XVI.

De Dionysio Petavio. 296

§. XVII.

De Jacobo Goar. ibid.

§. XVIII.

§. XVIII.
De Joanne Morino. 297
§. XIX.
De Luca Holſtenio. ibid.
§. XX.
De Joanne Frontone. ibid.
§. XXI.
De Claudio Chantelou. ibid.
§. XXII.
De Joanne Bollando. ibid.
§. XXIII.
De Jacobo Uſſerio. ibid.
§. XXIV.
De Joanne Card. Bona. ibid.
§. XXV.
De Leone Allatio. ibid.
§. XXVI.
De Ferdinando Ughellio. 298
§. XXVII.
De Joanne Roberto Quatremaires. ibid.
§. XXVIII.
De Antonio Godeau. ibid.
§. XXIX.
De Petro de Marca. ibid.
§. XXX.
De Joſepho Maria Suareſio. ibid.
§. XXXI.
De Vincentio Contenſonio. ibid.
§. XXXII.
De Franciſco Delfau. ibid.
§. XXXIII.
De Henrico Valeſio. ibid.
§. XXXIV.
De Matthæo Polo. 299
§. XXXV.
De Franciſco Combefis. ibid.
§. XXXVI.
De Joanne Garnerio. ibid.
§. XXXVII.
De Renato Ambroſio Janvier. ibid.
§. XXXVIII.
De Bono Merbeſio. ibid.
§. XXXIX.
De Joanne Luca d'Achery. ibid.
§. XL.
De Joanne Baptiſta Cotelerio. ibid.
§. XLI.
De Joanne Pearſonio. 300
§. XLII.
De Joanne Fello. ibid.
§. XLIII.
De Joanne Franciſco Pommeraye. ibid.
§. XLIV.
De Godefrido Hermant. ibid.
§. XLV.
De Emmanuele Scheleſtratio. ibid.
§. XLVI.
De Laurentio Card. Brancatio. ibid.
§. XLVII.
De Jacobo Lopin. ibid.
§. XLVIII.
De Jacobo du Friſche. ibid.
§. XLIX.
De Antonio Arnaldo. 301
§. L.
De Michaele Germain. ibid.
§. LI.
De Joanne Garetio. ibid.
§. LII.
De Petro Nicolio. ibid.
§. LIII.
De Sebaſtiano Nano Tillemontio. ibid.
§. LIV.
De Joſepho Sanzio Card. de Aguirra. ibid.
§. LV.
De Franciſco Genetto. ibid.
§. LVI.
De Natali Argonenſi. ibid.
§. LVII.
De Jacobo Benigno Boſſueto. 302
§. LVIII.
De Henrico Card. Noriſio. ibid.
§. LIX.
De Claudio Hugone Mathoud. ibid.
§. LX.
De Antonino Maſſoulié. ibid.
§. LXI.
De Joanne Mabillonio. ibid.
§. LXII.
De Antonio Beaugendre. ibid.
§. LXIII.
De Theodorico Ruinartio. ibid.
§. LXIV.
De Thoma Blampinio. 303
§. LXV.
De Joanne Erneſto Grabe. ibid.
§. LXVI.

§. LXVI.
De Gabriele Gerberon. ibid.
§. LXVII.
De Joſepho Maria Card. Thomaſio. ibid.
§. LXVIII.
De Guillelmo Cave. ibid.
§. LXIX.
De Laurentio Alexandro Zaccagnio. ibid.
§. LXX.
De Renato Maſſuet. ibid.
§. LXXI.
De Claudio Gueniè. 304
§. LXXII.
De Guillelmo Beſſin. ibid.
§. LXXIII.
De Marco Battaglino. ibid.
§. LXXIV.
De Joanne Martianay. ibid.
§. LXXV.
De Stephano Baluzio. ibid.
§. LXXVI.
De Ludovico Elia Dupinio. ibid.
§. LXXVII.
De Franciſco Maria Card. Caſtinio. 305
§. LXXVIII.
De Euſebio Renaudotio. ibid.
§. LXXIX.
De Nicolao le Nourry. ibid.
§. LXXX.
De Antonio Auguſtino Touttée. ibid.
§. LXXXI.
De Petro Couſtant. ibid.
§. LXXXII.
De Petro Daniele Huetio. ibid.
§. LXXXIII.
De Benedicto Bacchinio. ibid.
§. LXXXIV.
De Dionyſio de Sainte-Marthe. 306
§. LXXXV.
De Juliano Garnier. ibid.
§. LXXXVI.
De Franciſco Blanchinio. ibid.
§. LXXXVII.
De Laurentio Card. Cozza. ibid.
§. LXXXVIII.
De Michaele le Quien. ibid.
§. LXXXIX.
De Joanne Alberto Fabricio. ibid.
§. XC.
De Antonio Maria Lupio. ibid.
§. XCI.
De Vincentio Card. Petra. 307
§. XCII.
De Gerardo Capaſſio. ibid.
§. XCIII.
De Joſepho Binghamo. ibid.
§. XCIV.
De Virginio Valſecchio. ibid.
§. XCV.
De Edmundo Martene. ibid.
§. XCVI.
De Bernardo de Montfaucon. ibid.
§. XCVII.
De Melchiore Card. de Polignac. ibid.
§. XCVIII.
De Petro Ambarachio ſive Benedicto. 308
§. XCIX.
De Vincentio Ludovico Card. Gottio. ibid.
§. C.
De Prudentio Marano. ibid.
§. CI.
De Ludovico Antonio Muratorio. ibid.
§. CII.
De Scipione Maffejo. ibid.
§. CIII.
De Daniele Concina. 309
§. CIV.
De Angelo Maria Card. Quirino. ibid.
§. CV.
De Joanne Antonio Blanchio. ibid.
§. CVI.
De Joſepho Auguſtino Cardinali Urſio. ibid.
§. CVII.
De Alexio Symmacho Mazochio. ibid.
§. CVIII.
De Joanne Laurentio Bertio. 310
§. CIX.
De Thoma Vincentio Monelia. ibid.
§. CX.
De Joanne Dominico Manſio. ibid.
§. CXI.
De Joanne Vincentio Patuzzio. ibid.
§. CXII.
De Petro Ballerinio. ibid.
§. CXIII.
De Jo. Bernardo Maria de Rubeis. ibid.

SUPPLE-

SUPPLEMENTI
AD HISTORIAM ECCLESIASTICAM
R. P. NATALIS ALEXANDRI
PARS SECUNDA,

IN QUA DISSERTATIONIBUS HISTORICIS RES ECCLESIÆ ET IMPERII SÆCULORUM XVII. & XVIII.

Quæ in ea deſiderantur, recenſentur & ad noſtra uſque tempora perducuntur.

DISSERTATIO PRIMA
DE ROMANIS PONTIFICIBUS
SÆCULORUM XVII. & XVIII.

LEO XI.

CLEMENTI VIII. magno ſane Pontifici, terris erepto, ſucceſſit Alexander Medices, Leo XI. nuncupatus, Florentiæ An. 1535. vel inſequenti natus patre Octaviano Mediceo, matre Franciſca Jacobi Salviati, Lucretiæque Medices, Leonis X. & Clementis VII. ſororis filia. In ipſo ætatis tyrocinio piis moribus ac litteris excultus, clara ſtatim documenta optimæ indolis, & in res divinas plurimum inclinantis exhibuit. Sanctarum enim rerum exercitationi, ſacrorum Codicum lectioni, ac Theologicis ſtudiis animum intendere, gratiſſimum ei ſemper fuit. Sed averſa matris mens eum ab Eccleſiaſtico inſtituto revocabat: ergo dum ſobrini ſui Coſmi Medices Florentiæ Ducis aulam ſectatur, in ejuſdem gratiam Militiæ S. Stephani nomen dare, Equitiſque inſignibus indui voluit. Poſtquam vero mortua matre, quam propoſuerat ſibi, Eccleſiaſticæ vitæ rationem inire valuit, Sacerdotio inſignitus, a civilium rerum tumultu, inanique honorum libidine remotus agere inſtituit. Sed ruri delitescentem hominem, ac divinarum rerum cognitioni vacantem idem Coſmus, cui Alexandri virtus ac prudentia perſpecta fuerat, Romam ad Pium V. miſit oratorem. Qua legatione annorum quindecim ſpatio adeo pie prudenterque perfunctus eſt, ut ipſi Pio, ejuſque ſucceſſori Gregorio XIII. & univerſæ Aulæ Romanæ gratiſſimus extiterit. Quare ad Piſtorienſem Cathedram primo aſſumtus eſt, mox ad Florentinam Archiepiſcopalem, in qua quod velut in frequentiori ac ſublimiori theatro ſplendidioribus pietatis doctrinæque radiis coruſcaſſet, in ipſum purpuratorum Patrum Senatum a Gregorio XIII. relatus eſt An. 1583. & Presbyter Cardinalis titulo SS. Quirici & Julittæ renunciatus. Quo titulo poſtea dimiſſo, alios nimirum S. Petri ad Vincula, S. Praxedis, & SS. Joannis & Pauli ſortitus eſt, quamquam de hoc ultimo dubitent illi, qui Giaconii auctarium condiderunt. Florentiam ad Eccleſiæ gubernacula profectus, in ejus adminiſtratione omnes diligentiæ, religionis, juſtitiæque partes implevit. Romam ad Comitia ſæpe ſe contulit; *interfuit enim illis*, in quibus Summi Romani Pontifices Sixtus V. Urbanus VII. Gregorius XIV. Innocentius IX. & Clemens VIII. renunciati ſunt. A quo in Gallias ad Henricum ejus nominis IV. Francorum Regem, qui nuper per Procuratores Oſſatum ac Perronium, poſtmodum S. R. E. Cardinales, abſolutionis Apoſtolicæ beneficium acceperat, cum poteſtate Legati a latere miſſus, ut ea omnia chirographo ſuo Rex confirmaret, quæ illius nomine Romæ promiſſa fuerant, ac pacem inter potentiſſimos Galliæ & Hiſpaniæ Reges ſtabiliret. Quæ omnia feliciſſime, atque ex animi ſententia perfecit, ut narrat inter alios Henricus Spondanus Tom. II., qui & obſervat, ſummum ei toto regno, ex quo illud intravit, juſſu Regis a Provinciarum præſidibus ac magiſtratibus cultum exhibitum, obvios ad illum veniſſe a Rege miſſos tres Gallicanos Antiſtites, tum Petrum Cardinalem Gondium; atque ubi ad Caſtras, oppidum octo leucis gallicis a Lutetia diſtans perveniſſet, Regem ipſummet per veredarios equos, præter morem occurriſſe, primariis quibuſdam principibus, ac proceribus comitatum. Inter quos eſſe Ducem Mayenium voluit, ut Legato Pontificio manifeſtum faceret, quanta fiducia & comitate cum iis, quos infeſtiſſimos antea expertus fuerat, poſt reconciliationem uteretur. Legatus cum apud Caſtrum aliquot dierum moram traxiſſet, veniſſe quoque cum magno nobilium comitatu Henricum Borbonium Condæum, Regii ſanguinis principem primarium, puerum adhuc octennem, quem Rex ſuperiore anno in Aulam venire juſſerat, ut in religione Catholica educaretur, quemadmodum fuerat Romæ coram Pontifice conventum, a Legato magna cum lætitia exceptum, qui deinde ad S. Jacobi ſuburbium a Senatu, ceterorumque omnium Ordinum claſſibus de more ſalutatus, ſolemniter eſt in Urbem ingreſſus, ejuſque ampliſſimæ facultates de ſpeciali Regis mandato, abſque ulla reſtrictione, aut conditionum appoſitione receptæ præter ſolitam clauſulam, ut earum publicatio fieret citra læſionem jurium, ac libertatum Eccleſiæ Gallicanæ,

Biennium in Gallia Alexander moratus multa ad Eccleſiæ Catholicæ gloriam & regni quietem egit. Rothomagi anno Chriſti 1596. Carlottam Catharinam Trimolliam, Condæi principis matrem, impios Calvini errores, quibus aures incaute præbuerat, ſponte deteſtantem, atque ad S. R. E. communionem anhelantem, idem Legatus in gremium ac ſinum ipſius admiſit, & Sacramentorum participationi reſtituit.

E Gallia in Italiam re bene geſta reverſus, Ferrariam, ubi Clemens R. P. tunc temporis agebat pro illius recuperatione pervenit, eique a Cardinalibus obviam prodeuntibus honorificentiſſime, & in publico Senatu ab ipſo Pontifice benigniſſime exceptus eſt; cauſiſque Epiſcoporum & Regularium, nec non die 17. Junii anno 1602. Eccleſiæ Prænestinæ præfectus, ſemper tamen ab Eccleſia, quam regebat, & a natali ſolo Cardinalis Florentinus cognominatus eſt. Hic Florentinus Archiepiſcopus anno ſalutis 1575. die 17. Septembris primarium lapidem Eccleſiæ ritu conſecratum in Vallicellani Templi fundamenta Romæ conjecit. Anno autem 1577. die 28. Februarii cum jam opus ſurrexiſſet, primus omnium ſolemni ceremonia ſacris operatus eſt, illudque ſacravit, ut inſcriptiones ibidem in pariete apud Sacellum S. Philippi poſitæ indicant. Sancti hujuſce viri, Congregationis Oratorii fundatoris cubiculum frequentabat, in eoque quinque aut ſex horas mira ſuavitate perfuſus morabatur. Primo a S. Philippi morte anno, cum illius corpus transferendum eſſet, novas veſtes, quibus indueretur, confici juſſit, incorruptaque membra veneratus, caput corona, digitum anulo, pontificio ſaphiro radiante ſibi detracto exornavit. Effecerat ante, ut idem ſacrum corpus e communi ſacerdotum tumulo extraheretur: quare huic Cardinali multum Congregationem Oratorii debere P. Gallonius teſtatus eſt. Illi Oratoris Ducis Etruriæ partes adhuc agenti aliquando dixerat S. Philippus: *Signore Aleſſandro, voi ſarete Cardinale e Papa; ma durarete poco.* Eundem Pontificatum illi prædixit B. Magdalena de Pazzis, virgo nobilis Florentina. S. Praxedis, ac S. Petri ad vincula titulos, ut diximus, ſortitus, ſacratis veſtibus illos auxit, & picturis exornavit: S. Agnetis quoque extra Urbis mœnia ædes inſtauravit, ornavitque; quare adhuc noſtris hiſce temporibus illius nomen hic expreſſum omnibus conſpicuum eſt ALEX. MED. CARD. FLOR. Subſcripſit Clementis VIII. R. P. Diplomati, quo Bononienſis Archiepiſcopatus erectionem confirmavit, provinciam diſtinxit, ac fines deſignavit.

Vita functo, ut diximus, Clemente VIII. Ann. 1605., eodem Kalendis Aprilis Alexander Mediceus ad Petri Cathedram evectus eſt. Modum, quo id contigit, Auguſtinus Oldoinus narrat. Petrus Cardinalis Aldobrandinus, Clementis defuncti nepos, authoritate longi Pontificatus, & multorum Cardinalium ſamulatu fretus, director videri, & eſſe voluit Comitiorum. Candidati Pontificatui erant Paulus Æmilius Zacchia Card. S. Marcelli, Franciſcus ex S. Georgii & Blandratæ Comitibus Card. S. Clementis, & Alexander Mediceus, de quo dicere exorſi ſumus. Primo loco a Petro Cardinali Aldobrandino, S. Marcelli Cardinalis promovebatur, qui ut propemodum moriturus rejectus eſt. Contra Cardinalem S. Clementis agebat aperte Farneſius. Petrus Aldobrandinus timens Cardinales omnes a Clemente VIII. renunciatos repulſam paſſuros, ne omnibus excluſionem cauſaret in futuris Comitiis, aures præbuit ſuadentibus, ut in tertium, hoc eſt, qui nec Card. Montalti, nec ſuæ eſſent, ut dicunt, factionis, conveniret. Propoſitus igitur Alexander Medices, Cardinalis de Florentia dictus, non abnuit Aldobrandinus; non quod, ut multi referunt, hunc Pontificem optaret, ſed quod in eum Cardinales non conſenſuros exiſtimaret. Simulate namque ille rem Medicei agebat, & Mediceus præter ſpem vere Pontifex renuntiatus eſt, Leonis XI. nomine aſſumto. Fama fuit in vulgo hanc electionem Hiſpanis diſplicuiſſe, nec id Leonem latuit, qui Marchioni Villenæ Regis Catholici in Urbe Legato ad pedis oſculum admiſſo ſic inquit: *Scribe Regi tuo, quod majorem me in hac Cathedra non conſpexerit amicum, nec conſpiciet.* Illico ut ad Pontificatum aſſumtus eſt, obnixe Cardinales rogavit, ne quid a ſe peterent, quod juſtitiam ſive famam ſuam læderet: ſe enim, nonniſi id, quod Deo placeret, conceſſurum. Subjectas provincias ſtatim a quibuſdam vectigalibus, Clementis VIII. juſſu impoſitis, liberavit, Cardinali Gallio petente, quem eo nomine laudavit, quod non privatum, ſed publicum bonum poſtulaſſet. Familiaribus quoque ne quid juri, vel æquitati contrarium peterent, palam edixit: *Infulas, aut Cardinalatum non ſperarent. Dignitates enim illas merito, non favori conferendas.* In viros doctrina præſtantes egregie animatus, illico Antonium Querenghum Romam revocavit.

Die ab electione ſua inſequenti in Principis Apoſtolorum Baſilicam delatum Cardinales pro more veneratione proſecuti ſunt. Viros nobiles a ſuo cubiculo eſſe voluit; regium animum ſub Thiara pontificia retinuit: populum in quaſi aurei ſæculi ſpem erectum, Urbemque univerſam lætitia geſtientem vidiſſes; compertum ſcilicet jam fuerat exploratumque, non exiguam ærarii partem ad extruenda D. O. M. templa alendoſque pauperes deſtinatum eſſe. Die ipſo Dominicæ Reſurrectionis Myſterio celebri in Xiſto ante Vaticanam Baſilicam a Franciſco Sfortia, Diaconorum Cardinalium principe, fauſtis acclamationibus coronam accepit, & populum benedictione donavit. Die vero octava ejuſdem ſolemnitatis, aperta lectica vectus, Lateranenſem pompam, tanto lætantis populi plauſu, quanto nullus alius poſt hominum memoriam, Pontifex iniit. In quaſi triumphali pompa triumphalis arcus a Florentinis erectus non defuit; de quo Perronius ad Henricum 18. Aprilis. Corporis viribus robuſtus erat quidem Leo, ſed annis gravis: in Lateranenſi illo itinere, in Comitiis, in Coronatione nonnullis incommodis affectus eſt: dum pergeret ad Lateranum, flabat auſter non lenis in inſtabili cælo, premebant denſa agmina populi: ceremonia apud Lateranum abſoluta, ad Quirinalem ſe recepit, in Pontificias ædes ſe abdidit, & lethali morbo vexatus eſt. Romani proceres, Legati Principum, Vaticani Senatores ſummis cum eo egerunt precibus, ut pronepotem in Senatum purpuratorum Patrum cooptaret; unde ampliſſima dignitate, quæ ejuſdem virtutibus debebatur, ille exornatus deſiderium quodam modo ſui Romano populo lenire poſſet. Sed fruſtra: nolebat enim eam ſuo nomini notam inuri, ut e vita migrans ſuorum magis quam Eccleſiæ Dei memor, & breviſſimi temporis Pontifex de ſolo pronepote ornando cogitaviſſe dici poſſet. Quin etiam Sacerdotem, qui illi erat a confeſſionibus, idem inculcantem ab ſe rejecit, neque ut amplius veniret in conſpectum ſui conceſſit. Quod Cardinalis Baronius, quum de Gregorio VIII. duorum menſium Pontifice loqueretur, veriſſime celebravit. Die 27. Aprilis Leonem extinctum eſſe ex eodem Baronio novimus; morbi genus & mortem Cardinalis Perronius eadem die Henrico Galliæ Navarræque Regi ſcripſit. Quorumdam ſuſpicio fuit, Pontificem optimum veneno ſublatum fuiſſe, ſed diſſecto exploratoque cadavere quam falſa fama nunciaret cognitum eſt. Demortui Leonis corpus ad Vaticanam Baſilicam devectum inſignem lugentis ejulantiſque populi multitudinem ad ſe pertraxit, & lateritio temporario ſepulchro tumulatum fuit; poſteaque in aliud nobile ac par tanti viri virtuti & dignitati translatum fuit, quod Roberti Cardinalis Ubaldini ex ſorore pronepotis juſſu fuerat extructum. Sic Leo vitam finivit, dum magna ad Eccleſiæ dignitatem & commodum moliretur. Vir erat priſcæ virtutis: vindictam, tyrannidem, & diſſimulationem execrabatur. Summus delatus illi honos nec minimum ipſius mores immutavit, eademque familiaritate ac benevolentia eos complexus eſt, quos Cardinalis amaverat.

Ad A. C. 1187.

Lib. 3. Epiſt.

PAULUS V.

POST Leonis XI. obitum in Petri Cathedra ſedit Camillus Burgheſius, Paulus V. appellatus. Romæ natus eſt Anno ſalutis 1552. die 17. Septembris parentibus generis ſplendore illuſtribus. M. Antonius Burgheſius patritius Senenſis, Canonum peritia, probitate, prudentia, conſilio, ſpectata fide clarus, advocatorum Conſiſtorialium princeps, & magnus pauperum advocatus ei pater fuit, quem plures Summi Pontifices, Aulaque Romana univerſa maximi fecit; ac Paulus IV. in rebus graviſſimis ſæpe conſuluit: Mater Flaminia Aſtallia Romana, e familia, quæ Cardinales plures habuit, nobilitate & ſua virtute clariſſima. Puer egregiæ indolis bene educatus, ab ipſis teneris unguiculis, ſcelerum oſor, ingenuitatem & pietatem cum ipſo nutricis lacte ſuxiſſe videbatur. In ipſo ætatis flore Peruſii philoſophiæ, & Patavii juriſprudentiæ operam navavit.

Anno

Anno 1574. die 20. Maji ante S. Petri Baſilicam Abbreviator Eccleſiaſticus litteras Gregorii XIII. Jubilæum indicentes legit, mox utriuſque Signaturæ Referendarius, Baſilicæ S. Mariæ Majoris Vicarii titulo religioſe præfuit. An. 1588. Bononiam Alexandri Card. Montalti Legati vice, Pro-legati nomine, functurus miſſus eſt; quam civitatem variis gloriæ luminibus præſtantem biennio, difficili interregni Sixti V. & Urbani VII. etiam tempore prudentiſſime gubernavit. Horatio fratre Apoſtolicæ Cameræ Auditore, juſtitiæ vindice, e mortalium cœtu evocato, nobilem illam provinciam a Gregorio XIV. ſibi demandatam cum laude adminiſtravit, ut etiam Legationem de rebus graviſſimis ad Philippum II. Regem Catholicum extraordinariam, cum poteſtate Legati de latere a Clemente VIII. delatam. Non multo poſt ab Hiſpania redux, Vaticanam purpuram ab eodem accepit; & cum unus eſſet ex iis, quorum conſilio Clemens in S. Inquiſitionis munere utebatur, An. 1600. una cum Card. Sfondrato deſignatus eſt, ut reditum hæreticorum ad Eccleſiæ ſinum procuraret. Cardinalatum geſſit ſumma cum laude & magiſtratus dignitate: quibus accedebat ſtaturæ proceritas, & oris majeſtas, quæ illum apud omnes commendabilem reddebant.

Celebrato funebri oratione a Pompejo Ugonio Leone XI., funeriſque ſolemnibus ei in Vaticana Baſilica perſolutis, re divina a Dominico Cardinali Pinello, Epiſcopo Tuſculano, ſolemni ritu facta, habitaque ab Alexandro Burgio Burgi S. Sepulchri Antiſtite, de ſubrogando Pontifice oratione, die Dominica, Maji Octava An. 1605. Cardinales Vaticanum Conclave ingreſſi ſunt. In hiſce Comitiis quædam notatu digna accidiſſe Perronius tunc præſens, litteris ad Henricum teſtatus eſt. De Cardinalibus Tuſcho, Baronio, Bellarmino, Saulio, Camerte, S. Clementis, ad Apoſtolicæ dignitatis culmen provehendis, antequam de Cardinali Camillo Burgheſio, Pontificio in Urbe Vicario, Petrus Cardinalis Aldobrandinus loqueretur, habiti ſermones ſunt. Tuſcho a nonnullis expetito, Baronius magni animi viribus obſtitit, poſteritatemque ejus rei immemorem non futuram ſacra ea verba uſurpans *Scribantur hæc in generatione altera* affirmavit. Cardinalis Montaltus, Baronii zelo perſpecto, Aldobrandino dixit, *Sanctum hunc hominem S. Petri collocemus in Sede*. Cardinalis Juſtinianus Baronium, alii Tuſchum exclamantes nominarunt. Baronius tantæ dignitati imparem ſe agnoſcens, manibus pedibuſque, Cardinalibus ſe depoſcentibus reſtitit, utque digniſſimum eligerent precatus eſt. Burgheſium Deus ante omne ævum ſublimi huic muneri deſtinaverat. Eum Cardinales Galliæ cum Aldobrandino exoptabant, & ut Pontifex renuntiaretur, enitebantur. In Pauli Sacellum repente deductum Cardinales omnes, divino potius quam humano ſuffragio venerandum & colendum ut Chriſti vice in Sede Eccleſiæ ſuprema fungentem exiſtimarunt. Deinde vivis ſuffragiis, ordine ſingillatim Romanum Pontificem declararunt die Maji 16. An. 1605. Ætatis 53., ſeu ex Perronio Cardinali 54., cum eſſet presbyter Cardinalis S. Chryſogoni, Epiſcopus Æſinus, Pontificis in Urbe Vicarius, & Scotorum Patronus. Cardinalis Perronius, & Anonymus Scriptor, qui forte idem eſt, nonnullas Pauli declarati Pontificis laudes recenſuerunt, eumque libertatis & authoritatis Apoſtolicæ cuſtodem, virum purum, innocentem, irreprehenſibilem, inſignis exempli, doctrina, prudentia, & rerum uſu tantæ dignitati congruente præditum appellarunt; illumque ab Henrico Galliarum Rege maximopere expetitum dixerunt. Spondanus magnum rerum uſum, divini honoris, & eccleſiaſticæ libertatis zelum, ſingularem morum comitatem, placidam in omnes beneficentiam, mores incorruptiſſimos in eo agnovit. Alii in liberali corporis forma & ſpecie, in membrorum robore firmæ valetudini conſociato, animum magnarum rerum capacem, pietatem, religionem, juſtitiam, clementiam, humanitatem a gravitate non ſejunctam, tuendæ fidei, & pauperum juvandorum ſtudium, atque alia plura ornamenta, quæ illum ad maximum imperium aptum indicabant, commendarunt. Nec defuere, qui portenta interceſſiſſe judicarint. Leone enim XI. præmatura morte erepto, cum Purpurati in medium conſilia proferrent, Aquila ex palatio Altaempſiano volatu in ſublime elata, poſtquam diutius pererraſſet, tandem Moli Hadrianæ Draconi inſculpto, inſigni Gregorii XIII. P. M. gentilitio inſedit; & ex ſe atque Dracone ſubjecto inſigne Cardinalis Burgheſii pro Pontificis expreſſit, illuſtri indicio, ut plurimi ominantes interpretabantur, futuri Pontificatus, ad quem divino numine pertrahebatur. Quare ingenti gaudio, lætitiæque ſignis ſingularibus Burgheſii electio excepta eſt, a Romanis præſertim, qui nunquam tam bene ſummi Pontificatus honores conlatos fere putant, quam dum iis exornatos auctoſque Concives ſuos vident.

Die 29. ejuſdem menſis Maji in Baſilicam Vaticanam ſacris ſolemni ritu ad Aram Apoſtolorum operaturus delatus, Pontificium Pallium a Franciſco Cardinali Sfortia, Diaconorum Cardinalium primo, accepit. Sacris operatus Thiara coronatus eſt. Prudenti tamen conſilio ad æſtatis jam præſentis calores evitandos progreſſum ſuum ad Lateranenſem Baſilicam in Novembrem rejecit. Interim die primo Junii in Aula Vaticana, quam vocant *Paramentorum*, Cardinalibus aures præbuit, gratiaſque egit. Joannem Garſiam Millinum Nuntium in Hiſpaniam deſignatum Coloſſenſem Epiſcopum nominavit: poſtridie in Aula Ducum publica celebritate Ginnaſium, Zapatam, Madrutium, & Doriam pileis rubentibus exornavit, & paulo poſt Oratores Lucenſium obſequium obedientiamque exhibentes audivit, moxque Jubilæum ad benè regendam Eccleſiam petiturus indixit. Die 18. Julii in Quirinali Scipionem Caffarellum, nepotem ex ſorore, purpura, cognomine, inſignibuſque Burgheſiæ gentis donavit, ac inter Cardinales presbyteros recenſuit, illumque menſe Auguſti ore aperto titulo S. Chryſogoni, a Cardinali de Comitibus dimiſſo, inſignivit. Octavium Card. Aquavivam Neapolitanis Antiſtitem dedit. Bernardum Maczieiounuski, Cardinalem Polonum, Apoſtolicæ Sedis Legatum ad Poloniæ Regem inſtituit, ut re cognita affinitatis impedimentum inter Regem ſororemque uxoris ejus demortuæ, Apoſtolica authoritate deleret. A Cardinali Pamphilio, Vicario Urbis a ſe renuntiato, Epiſcopos Romæ morantes ad animarum greges præſentia luſtrandos, regendoſque præcepto cogi juſſit.

Interim advenerat Novembris expectatus menſis. Quare die dominico, ſexta ejuſdem menſis, non vulgari comitatu & pompa a Vaticano ad Lateranum proceſſit, populo Romano lætante, quod civis ſuus dignitatem ampliſſimam in Urbem revocaſſet. A cultu inde divino Pontificatum auſpicatus, præter indictionem Jubilæi, cum ſciret orationem perpetuam vel ſolam eſſe rebus a Deo impetrandis, rebuſque præclare auſpicandis idoneam, ejus uſum in quadraginta horas diſtributum, idemque per omnia Urbis templa dietim toto anni decurſu a Clemente VIII. prædeceſſore introductum Conſtitutione perpetua ſtabilivit; utque ea devotio nunquam intermitteretur, ſed continue ſuccedentibus diebus, menſibus, & annis perennaret, aſſignatis templis, præſcriptiſque pro ea legibus inſtituit.

Nihil erat, quod non a Pontifice tam bene erga religionem animato, tantiſque ingenii animique dotibus perornato, ſperare liceret. Bonorum ſane omnium ſpes ſtatim una fuit, ab æterno Deo inter alia plurima, quæ per ipſum ad Eccleſiæ ſuæ præſidium operaturus eſſet, hoc etiam conſtitutum, ut qui hactenus Clementi Pontifici in examinanda controverſia de Divinæ Gratiæ auxiliis præſto fuerat, eam ipſe Pontifex inauguratus definiret, quodque unus laborioſe ſeminaverat, alter fructuoſe colligeret. Spem alebat pia Regis Catholici ſollicitudo: qui cum primum Paulum V. electum audivit, per ſuos in Romana Curia conſtitutos adminiſtros ardentius ſupplicavit, ut brevi cauſa conficeretur, ne quæ jam pridem in Hiſpania orta fuerant inteſtini diſſidii ſemina recrudeſcerent. Rei gravitatem expertus Pontifex pedetentim incedendum ait, omniaque pro cauſæ merito judicanda. Atque idcirco multorum judicia exquirere cœpit, quid in tanto rerum diſcrimine agendum, quidve pro ſancienda veritate ac pace Hiſpaniæ reſtituenda, tentandum eſſet. Hanc novi Pontificis de ulteriori cauſæ tractatione moram arripuere Molinæ Vindices, ut rem totam majoribus difficultatibus involverent. Henrici IV. Francorum Regis, apud quem Cottonius e Societate, ad Confeſſiones nuper aſſumptus, ſingulari valebat gratia, patrocinium rogarunt & obtinuerunt. Cardinali Perronio ſuo apud Sedem Apoſtolicam Oratori dedit epiſtolas initio menſis Auguſti, quibus perielitanti Societati, omne officii genus impendi juſſit, quo pendentis controverſiæ definitio ſpecioſis diverticulis retardari, ac etiam impediri omnino poſſet. Regiis mandatis paruit Cardinalis Perronius. Pontificem impiger adiit, rei difficultates exaggeraturus. Significavit maturius deliberandum eſſe, audienda ceterarum Academiarum judicia, Synodum etiam generalem pro rei gravitate convocandam: alioquin cavendum innuit, ne Pariſienſis Academia, univerſumque Galliæ regnum Apoſtolicæ definitioni repugnarent. Hocce conſilium bono animo habuiſſe Paulum V. Regi nuntiavit Perronius; quod etſi ita fuerit, eo ſe tamen minime concuti vel moveri exitu Pontifex demonſtravit. Interea dum hæc gratia Principum Jeſuitæ molirentur, occulta Cardinalis Bellarmini officia, uti debitum fraternitatis tributum, exigebant. Verſabatur ille tunc Romæ, nec mediocrem pro Pauli V. electione operam poſuerat; unde mutuas benevolentias, & grati animi vices ſperare poſſet. Scriptum edidit ſub Maji finem, decem de libero arbitrio,

totidemque de efficacia divinæ Gratiæ propoſitiones Pontifici exhibens, quas, ut ajebat, definire ſatis eſſet, ad omnem Pelagianiſmi & Calviniſmi ſuſpicionem effugiendam: *iis* intactis & indeciſis, quæ ſub Clemente VIII. in Molina notatæ fuerant. Spes enim illi erat, Paulum V. præteritarum diſputationum prolixitate ac multitudine defatigatum, noviſque Magnatum ac Principum precibus obſeſſum, eam ſanciendæ veritatis faciliorem viam initurum: atque interim nihil contra Molinam ſtatutum iri. At ſpem fefellit eventus. Incidit in Lemoſii manus Bellarmini lucubratio; qui brevi ad ſingulas propoſitiones obſervatione, eaſdem illas æquivocas, periculoſas, ac firmandæ Catholicæ veritati minus ſufficientes demonſtravit. His aliiſque artibus, quas recenſet perſtringitque doctiſſime *Hiſtoriæ de Auxiliis Divinæ Gratiæ* ſcriptor Hyacinthus Serrius, quo utimur, Pontificis animum alio flectere ſtuduerunt verſuti homines. Sed dum hæc irrequieta ſollicitudine commoverent, non deerat qui publicam Eccleſiæ utilitatem ac pacem privatis rationibus præcipue Jeſuitarum anteponendam eſſe invicte comprobarent. Adverſus Card. Perronii conſilia virili animo ſtetit Jacobus Boſſutius, Theologus Pariſienſis, Conſultorum unus, qui Pontifici maximo imminens Eccleſiæ periculum denuntiavit, ſi injudicata controverſia Congregationes ſolverentur. Spopondit Academiam Pariſienſem, e qua non ita pridem Epiſtolas ſuæ in Sedem Apoſtolicam obſervantiæ, & obedientiæ teſtes acceperat, Pontificio judicio obſecuturam: ipſumque etiam Chriſtianiſſimum Regem, in Societatem licet inclinatum, ſepoſitis privatis affectibus, excepturum. Boſſutii ſtudiis obſecundavit Petrus Lombardus Armachanus Archiepiſcopus, Hiberniæ Primas, & Cenſorum caput: qui dirimendæ controverſiæ neceſſitatem eruditiſſima lucubratione demonſtravit, ſuperiorum Pontificum vigilantiam commendans in remediis adhibendis, quoties de divina gratia ſuſpectas quoquo modo quæſtiones ſuſcitari contigiſſet. Rationes eo ſcripto deduxit & numero plures, & pondere graves, quibus maximi eſſe momenti ſignificavit, ut concertationes illæ abſque diuturniori mora definirentur.

Eruditam doctiſſimi Præſulis minervam lubenter excepit Paulus V., cujus rationes ut ſerio perpendit, finiendæ controverſiæ neceſſitatem probavit, ſuiſque familiaribus faſſus eſt. Hæſit nihilominus intra moras, donec die 3. Auguſti Cardinalis Monopolius, vir ſpectatiſſimæ virtutis atque intrepidæ libertatis, æternum illi judicium interminatus eſt, niſi pro fide juramenti controverſiam brevi dirimeret, eccleſiamque inteſtino bello diſciſſam Apoſtolica definitione liberaret. Clemente nimirum octavo ad ſuperos vocato, communibus purpuratorum Principum votis in Comitiis ſub Sacramenti fide ſancitum fuerat, ut quiſquis in Pontificem aſſumeretur, Auxiliorum Controverſiam brevi dirimeret. Et quoniam præmatura morte ſublatus fuerat Leo XI., intra ſcilicet electionis ſuæ menſem, anteaque propterea ex hac vita receſſerat, quam in Pontificatus ſui labores poſſet ingredi, jure Paulus V. ab iis, quibus Eccleſiæ pax cordi erat unitaſque doctrinæ, urgebatur ad controverſiam dirimendam. Lemoſium igitur e Prædicatorum familia Theologum præſtantiſſimum, gravi audita Card. Monopolii interminatione, ad ſe vocavit Optimus Pontifex, jubens ut intra dies ſex quæſtiones ſub Clemente diſputatas in certas propoſitiones redigeret, quas ex judicio Cenſorum vel damnare, vel definire opus eſſet. Officioſam provinciam lætus & impiger obiit Thomas de Lemos. Inde Paulus congregationes coram ſemetipſo habendas indixit, Secretarioſque die 2. Septembris aſcivit, quibus expoſita finiendæ cauſæ voluntate, Gregorio Coronello injunxit, ut die 14. coram ſacro Conſeſſu brevem actorum omnium narrationem recitaret, eaque complecteretur univerſa, quæ ab exortis Lovanii diſſidiis ad obitum Clementis VIII. contigiſſent. Congregationes numero omnino decem & ſeptem a die 14. Septembris an. 1605. ad diem 1. Martii anni inſequentis habitæ fuere. Poſt quas iniit Pontifex finiendæ controverſiæ conſilium, Bullamque Pontificiam Conſultoribus delineandam commiſit, quam hi ſtudio diligenti elaboratam eidem tradidere.

Jam delineato diplomate, quo extremum doctrinæ Molinianæ fatum afferebatur, id reſtabat unum, ut ex Pauli nutu ſecundum juris formulas innoteſceret, cum infauſto rerum concurſu, ultima hæc ſanciti judicii ſolemnitas in aliud tempus protracta eſt. Pontificem inter, & Rempublicam Venetam odioſa ac difficilis admodum controverſia emerſit, quæ rerum iſtarum exitum retardaret. Decreta duo ediderat Venetiarum Senatus auguſtus; primum anno 1603. quarto idus Januarii, quo ne Eccleſiaſtica Xenodochia ac Monaſteria extrui, neve novi Religioſorum cœtus ac ſocietates abſque Senatus venia induci poſſent, pœnis graviſſimis vetabatur. Alterum an. 1605. decimo ſeptimo Kal. Aprilis, quo cavebatur, ut nullus teſtamento, venditione, aliave cauſa bona immobilia perpetuo Eccleſiaſticis relinquere, vendere, alienare, inconſulto Senatu poſſet, ſed tranſacto biennio, bonis divenditis, pretia iiſdem pro legatis aſſignarentur. Ad hæc Scipionem quendam e Saracenorum familia Canonicum Vicentinum, qui perilluſtris mulieris pudicitiæ vim inferre voluerat, & Brandolinum Nerveſiæ Abbatem, ob nefaria ſcelera in publicos carceres, Eccleſiaſtici ſtatus conſideratione ſepoſita, conjici juſſerat. Tria hæc gravi animo tulit Paulus V. quibus imminutam Eccleſiæ libertatem, violatos canones, meſſi alienæ manum a Senatu admotam exiſtimabat. Senatus conſulta reſcindi quantocitius, clericoſque carcere detentos ſacerdotum judicio permitti juſſit; quod ni facerent, Eccleſiaſticum fulmen & interdictum ſine cunctatione ferendum comminatus eſt. Verum obſiſtente Senatu, legum, ac morum tenaciſſimo, poſt multa ultro citroque data reſponſa, Pauli V. in Venetos edictum promulgatum, & ad ſolita Urbis compita affixum eſt. Hujus hæc ſumma erat: ni leges abrogarentur, clericique Eccleſiaſtico judicio permitterentur, poſt elapſos quatuor ac viginti dies, Ducem ac Senatum excommunicatione quidem, aliis vero tribus tranſactis, imperium omne Venetum interdicto Eccleſiaſtico ligatum iri. Vetuit Sereniſſimus Ordo, ne intentatum fulmen ex juris formulis innoteſceret, neve Pontificium Edictum a civibus exciperetur. Eccleſiarum Antiſtites, ac Cœnobiarchas ad ſe vocarunt Decem-Virum Magiſtri, & interminata capitis pœna vetuerunt, ne quid novi in Religionis cultu molirentur; ſed ſuo quiſque muneri, uti aſſueverat, nulla interdicti ratione habita, religioſius incumberet.

Nemo fuit, qui non ſe obtemperaturum, nihilque immutaturum conſtanter affirmaret. Jeſu tantum Sodalitii homines nutare tantiſper viſi ſunt; nec multo poſt, quatuor eo ex Ordine Principem adiere, cui ſuis inſtitutis, ut interdicto parerent, obſtringi ſignificarunt; ac, ni id Senatui placeret, Venetiis excedere velle. Re ad Senatum deleta, profectioni eorum annuit auguſtiſſimus Ordo. Quare ſexto Idus Maji an. 1606. duabus excepti naviculis, noctu Ferrariam verſus iter habuere, cunctis pene ſumma ex eorum diſceſſu voluptate affectis, multaque in illos probra, & maledicta jacientibus. Theatinos, ac Franciſcanos, quos ab acuminato capitis integumento Capucinos vocant, exemplo ſuo, ut idem facerent, adduxerunt: unde multi in hanc urbem, totamque ditionem tumultus ac motus ſcriptis, concionibuſque concitati. Idcirco Senatus-conſulto cautum eſt, ne Jeſuitæ Venetis impoſterum ditionibus excipi poſſent, niſi prius Collegii decretum intercederet, univerſorumque ejuſdem Ordinis conſenſus, nullo diſſentiente ac diſcrepante ſuffragio.

Vix dici queat quam grato animo Jeſuitarum illud in Pontificia juſſa pronum obſequium habuerit Paulus V. quamque in ipſos effuſa deinceps voluntate fuerit, ut hanc illis pro Apoſtolica tuenda auctoritate illatam injuriam reſarciret. Interea Pontificem inter & Venetos enata diſſidia ſuccreſcebant; Principibuſque in partes venientibus, ac jam arma parantibus, ſiniſtrum aliquid portendebant, niſi pacis ſequeſter acceptus Henricus IV. Galliarum Rex deſperatis plane rebus opem tuliſſet. Lethale vulnus, adminiſtrantibus Cardinalibus Franciſco de Jojeuſa & Davi Perronio, tractavit Rex Chriſtianiſſimus, priore quidem Venetiis apud Senatum agente, altero Romæ apud Pontificem pacta tractante. Datæ protinus mutuæ pacis conditiones; quarum hæc una erat a Paulo Pontifice ardentius expetita, ut in priſtinum ſtatum Jeſuitæ reſtituerentur. Ut ea in re Pontifici gratificarentur Veneti Senatores, enixe adlaboravit Cardinalis de Jojeuſa, id vehementer Paulo cordi eſſe ſignificans, quod ſuam ille in Jeſuitis reſtituendis exiſtimationem agi crederet, quos a Senatu, interdicti cauſſa, ejectos noſſet univerſus Orbis. Verum hoc ultimum nulla ratione, nulloque conatu a Senatoribus impetrari potuit. Quare, poſthabita de Jeſuitis recipiendis conditione, litem componi ſivit optimus Pontifex octavo Kalendas Aprilis an. 1607. Ac licet animo magnus, & flecti neſcius, ſuæ tamen prudentiæ obſequi maluit, & viros exſules, qui pro ejus implenda voluntate certaverant, optatæ pacis ſanciendæ ſtudio, aliis beneficiis remunerare ſibi propoſuit.

Vid. Murat. Annal. d' Italia ad A. 1606.

In FF. Prædicatores hanc fabam cudit Card. Perronius, qui ut dudum occaſionibus inſtabat, unde periclitantem Societatem in Auxiliorum controverſia juvare poſſet, hanc opportunam admodum arripuit, ut imminens capiti fulmen ad tempus ſaltem averteret. Pontificis animum jam ſatis in Jeſuitas, pro tuendis ipſius decretis exſules, inclinatum occupavit. Henrici IV., cujus officia Paulus ipſe nuper ſenſerat, pro afflicta Societate ſupplicantis vota detulit, novumque crudelitatis genus fore innuit, ſi quo tempore in Apoſtolicæ Sedis obſequium, patriæ ac fortunæ periculum adibant, intempeſtiva Pontificiæ definitionis promulgatione diffamarentur;

tur; unde illis ab æmulis major infamia, irriſio, ludibrium, deſpectus accederet. Hæc ille Pontifici inſtillabat, cum expectatum illud pridem fortunatumque tempus accidit, quo ultima Auxiliorum controverſiæ manus impoſita putabatur. Inſtructo ſancitoque judicio de ſolemni promulgatione tractatum eſt. Eminentiſſimos Cardinales ad hujuſce Cauſæ cognitionem aſcitos, qui anno ſuperiori pro ferendo judicio pronuntiaverant, denuo conſuluit Paulus V. die 28. Auguſti, num ſolemnis controverſiæ definitio ſub eo rerum eventu promulganda eſſet? E duodecim illis Cardinalibus novem ſupererant. Fuere qui dicerent, Pontificem & quinque Cardinales pro Apoſtolicæ definitionis promulgatione pronuntiaſſe, quatuor interceſſiſſe. Verum quid certo rei fuerit, probavit eventus. Paulus enim vocatis poſt diem tertium præpoſitis Ordinum, litem omnem dato fiduciario reſcripto in ſuſpenſo poſuit: judicii Apoſtolici promulgationem diſtulit in meliorem tempeſtatem, atque interim partes diſſidentes ſub ſpe bona futuri judicii intra religioſæ modeſtiæ fines hoc pacto contineri juſſit: *In cauſa de Auxiliis SS. D. N. diſputantibus & Conſultoribus ſignificavit poſſe illos reverti ad propria. Dixitque Sanctitas ſua, ſe opportuno tempore promulgaturam declarationem ac determinationem ſuam. Atque interim quam ſerio injunxit, ut in hujuſce argumenti tractatione nullus partem alteram nota aliqua, vel cenſura notare audeat. Juſſit inſuper tam Prædicatoribus, quam Jeſuitis, ut ſi quis hoc in capite deliquerit, ſevere puniatur. Ita quippe ſuum iſtud Decretum inviolate ſervari vult. Suo ergo officio non deerit Paternitas veſtra, ut ejus obſervantiæ invigilet. Singulariter vero data occaſione ſignificabit quidquid in hoc exſequutioni demandaverit; ut de iis ſuæ Sanctitati ratio reddi valeat.* Ita ſyllabatim Pontificium Reſcriptum, quale in Actis Lemoſii & Pegnæ Diario, Latinis redditum litteris, legitur. Idipſum Romana generalis Inquiſitio, iiſdem plane verbis ſignificavit Nuntiis Apoſtolicis Florentiæ, Poloniæ, Neapolis, Venetiarum, Hiſpaniæ, Pragæ, Galliæ, Coloniæ, Sabaudiæ, nec non generalibus fidei Quæſitoribus Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Mediolani, Genuæ, Taurini, Avenionis, Melitæ, Apuliæ, Sardiniæ, Siciliæ, quos Pontificis Reſcriptum, datamque promulgandi aliquando judicii fidem monuit. Suſceptum a Paulo V. conſilium ſuis item ſignificavit Generalis Societatis Præpoſitus Claudius Aquaviva per provincias univerſas datis encyclicis litteris Romæ die 5. Septemb. an. 1607. Hujuſce porro Sodalitii viri grave vulnus ab Senatu Veneto interdicti Pontificii occaſione ſuſceptum, non levi iſto procraſtinatæ definitionis ſolatio mitigarunt. Glorioſam ſibi, illuſtrem, quin etiam ſalutarem contumeliam reputarunt, quæ graviorum malorum medicaminis inſtar eſſet, Societatemque in tam patenti ſuſtinendæ propediem ſententiæ diſcrimine fluctuantem extremo periculo ſurriperet. Prudentes ſane, ac ſupra humanam ſortem periti Medici, qui ſua etiam vulnera in pharmacum verterent, ac ipſis etiam diis iratis ad felicitatis ſuæ cumulum uterentur. Quis etenim reis, impendentis judicii metu territis, felicitatis genus eſſe neſciat procraſtinatæ ſententiæ nuntium excipere, rerumque ſuarum exitum in aliam tempeſtatem miſſum audire, quem intra dies aliquot magno ſui dedecore ſucceſſurum ominabantur? Sed qui Galliam in Auxiliorum cauſſa faventem ſibi propitiamque experti fuerant Jeſuitæ, iidem illam adverſam habuere an. 1614., quum de Suareſii ſui, Hiſpani hominis, opere actum eſt, quod defenſionem fidei Catholicæ & Apoſtolicæ adverſus errores Anglicanæ ſectæ ille inſcripſerat. Nam quum hujuſce libri excerptum ad Pariſienſem Senatum, quod *Parlamentum* vocant, delatum fuiſſet, facilique negotio eſſet animadverſum non pauca eo in libro reperiri Regum vitæ, regnorumque tranquillitati infeſta, juſſum die 17. Junii fuit, ut manu carnificis flammis traderetur: juſſum præterea, ut ſacræ Facultatis Pariſienſis contra idem Suareſii Opus Decreta, die 4. Junii quotannis non in Sorbonicis ſolum, ſed etiam in Claromontani Collegii, & Religioſorum Mendicantium ſcholis perlegerentur. Quod ægerrime tulit Paulus V., nihilque propterea non egit, ut ſevera Senatus juſſio decretumque tolleretur.

Racine Abregé de l' Hiſtoire *&c. Tom. X. pag. 7. edit. Colon. 1755.*

Jam iis enarratis, quæ Pauli animum præſertim habuere ſollicitum, & non leviter perturbarunt, nunc ea ſunt referenda, quæ ejuſdem Pontificatus hiſtoriam illuſtrem effecere. Cum Apoſtolorum Principis Baſilicam in Vaticano erectam, toto orbe venerandam, a Julio II. inchoatam, & a reliquis Pontificibus, præſertim Gregorio XIII. & Sixto V. non minimum auctam, ſed tamen nondum perfectam aſpiceret, Patrum ſententiis de demolienda jam collabente Conſtantiniana rogatis, cum adumbratio novæ molis a Bramante primum, deinde a Bonarottio excogitata, neque multum auguſta, neque ambiendo veteris Baſilicæ ſpatio, Martyrum & aliorum Divorum cineribus ſacrato ſatis eſſet, ipſe magno animo vaſtiſſimum opus molitus, reliquum Baſilicæ corpus a ſacello Gregoriano uſque ad extimam faciem, chorum, ſacella, porticum inferiorem, & ſuperiorem benedicendis populis, turres campanarias, a fundamentis ædificavit, ac fornice Templi inaurato, porticu inferiore plaſtico opere item inaurato, quod vitam, res geſtas Principum Apoſtolicorum admiranda majeſtate exprimeret, inferne ſanctiſſimorum Pontificum, ſuperne in faſtigio Baſilicæ impoſitis Chriſti Servatoris & Apoſtolorum colloſſæis ſtatuis, ampliſſimum, ac magnificentiſſimum Templum abſolvit. Ad hujuſce porticus conſtructionem cum Innocentii VIII. ædes pro Dataria extructas ſolo æquaſſet, alias eidem conceſſit. In medio hujus auguſtiſſimi Templi ſacram Confeſſionem, in qua Petri & Pauli cineres requieſcunt, aperuit, columellis auro textili, perſimili lapide, fores circumdedit; gradus marmoreos, quibus ad intima deſcenderetur, collocavit; parietes hinc inde inſignibus, & aliis ornamentis ex pretioſiſſimis variorum colorum lapidibus incruſtavit; pavimentum ejuſdem ad ſtuporem admirando opere teſſelato ſtravit; oſtium intermedium ærea crate inaurata inter aliquot columnas pulcherrimas concluſit; altrinſecus duas ſtatuas ex metallo deauratas, alteram divi Petri, alteram divi Pauli in loculamentis exterioribus repoſuit, lampadem argenteam ingentis ponderis & pretii, quæ quatuor alias inter minores diebus ſolemnioribus luceret, appendit, ac tale opus perfecit, ut qui oculis non conſpexerit, vix mente poſſit concipere. Pavimenta veteris Baſilicæ Conſtantinianæ ex parte, qua a ſacello Gregoriano tholum & ejus periſpherium vergit, fornicem, quem nunc ad Aram maximam euntes pedibus terunt, ſuperinduxerat Julius II., ne memoriæ tot Sanctorum, qui indidem conditi extremam Archangeli ad judicium vocantis vocem avide exſpectant, interirent, fornix ſuperinductus Baſilicam ſubterraneam effecit religione venerabilem, ejus aditum aperuit, gradibus utrinque poſitis marmoreis deſcenſum facilem reddidit, cryptas interiores multorum corporibus Sanctorum divites exornavit, antiquatæ Baſilicæ ſacras imagines ſculptas, cælatas, & ſive muſivo, ſive penicillo depictas eodem intulit, pulcherrimoque ordine diſtributas parietibus inſeruit. Polyandrum oſſibus omnium ſancta opinione defunctorum, quorum corpora e loculis ſuis novi Templi gratia oportuerat erui, ut communi conditorio quieſcerent, conſtituit. Memorias veteres aut devotione, aut antiquitate, aut artificio præſtantes, aptiſſime collocavit; & inter has iconam ſanctiſſimæ Deiparæ Virginis, quæ, ut antiqua habet traditio, inter columnas porticus veteris Baſilicæ impia manu in facie percuſſa, ſanguinem fuderat, cultui fidelium expoſuit. Sanctorum, quorum ſacra pignora, aut iſthic condita jacent, aut aliquando condita fuerant, nec non miraculorum, quæ ad hanc Baſilicam aliquando contigere, typos coloribus exprimi curavit; clathris ferreis Confeſſionem principis Apoſtolorum intrinſecus clauſit; magnam copiam lapidum pretioſorum ad ejus arcam, interioremque receſſum ornandum reliquit, atque lampadum argentearum multitudine locum illuſtravit. Sacra aliquot Divorum pignora e veteri Baſilica in Sacrarium illata, arcis munitiſſimis concluſa, in aris peculiaribus novæ Baſilicæ recondidit. Portam æneam omnium e vetere templo maximam, rebus ab Eugenio III. geſtis in ea fuſili artificio expreſſis conſpicuam, ad magnitudinem valvarum novæ Baſilicæ auctis ſuperne & inferne ex metallo fuſo tabellis aptavit, intermedioque oſtio impoſuit. Aream ſuperiorem & inferiorem, qua aditus ad Baſilicam eſt, complanavit, paraſtatis definivit, ac lapide tiburtino conſtravit. Iconam naviculæ fluctuantis muſivo opere a Jotto celeberrimo & antiquo pictore expreſſam, ex veteris templi ruinis integro in pariete conſervatam, muro, qui a parte Palatii areæ ampliſſimæ imminet, inſeruit, eidemque fontem quinque tubis aquam eructantem commoditati peregrinorum ſuppoſuit; veterum ſcalarum gradibus amotis, ſcaliſque antiquis reſtitutis, aſcenſum ad Baſilicam commodiſſimum inſtauravit: SS. Petri & Pauli marmorea ſimulacra olim a Pio II. ſcalis impoſita, expoliri ornarique curavit, ejuſque Pontificis nomine repoſuit. Ut ad eandem Baſilicam e Palatio Vaticano pro majeſtate Pontificia eſſet deſcenſus, veteribus anguſtis obſcuriſque ſublatis, novas e Vaticanis ædibus ſcalas tiburtino lapide leniſſimo deſcenſu extruxit, in quarum veſtibulo, aſcendentibus e porticu Baſilicæ, ſtatua S. Petri marmorea, elegantiſſimo opere ſculpta, in aſpectum ſe porrigit, ingenti veneratione ſimul ac majeſtate.

Vaticanas etiam Pontificum ædes aliquot peramplis conclavibus auxit, ſcaliſque, quibus horti Vaticani ſecreto ad animi relaxationem adiri poſſunt. Hortos ipſos aquæ a ſe ab agro Braccianenſi deductæ ingenti copia amœ-

amœniores reddidit. In Vaticanum Atrium, quod Bibliothecæ, & Pontificis conclavibus intercipitur, ingentem craterem operis egregii, quem Julius II. e Veſpaſiani Thermis aſportarat, cum temporum injuria male acceptum Paulus reſtituit, aquiſque ditavit. Secretariam Vaticanam anguſtam ampliavit; Vaticanæ quoque Bibliothecæ anguſtiis, multis in illius uſum ædificatis conclavibus, ornatiſque opportune ſubvenit. Inter illius ornamenta ſunt virorum illuſtrium imagines; ſunt & conditorum Bibliothecarum varia ſimulacra cum ſuis inſcriptionibus; ſunt & Paulinæ magnificentiæ operum in illam diem effectorum icones ibidem depictæ. Bibliothecæ Archivum Apoſtolicum adjunxit, in quo omnia monumenta ſecretiora Apoſtolicæ Sedis, hinc inde antea diſperſa, concluſit, picturiſque appoſite inter arcum fornicum depictis, quid in cenſu, quidve in jure Romana Eccleſia poſſideret, haberetve, oculis objecit, adſcripta ſingulis iconiſmis indicatione.

Nec Vaticanam tantum Baſilicam, aut Palatium, ſed & Liberianam quoque auxit Eccleſiam, exornavitque. Et primo illius turrim campanariam, repetito ictu fulminis concuſſam, inſtauravit, ſtabilivit, plumbo operuit. Campanam ingentis ponderis ac magnitudinis eximiæ vitiatam, aucto pondere in honorem Dei Genitricis Mariæ reficiendam curavit. Sacrum Veſtiarium ad ſiniſtram januæ maximæ ejuſdem Baſilicæ ampliſſimum ornatiſſimumque, & huic adjunctum auguſtiſſima forma Odæum extruxit, inque ejus parte ſuperiore commodiſſima pro Canonicis conclavia ædificavit. Sacellum Burgheſianum Beatiſſimæ Virginis, ſive amplitudinem ædificii, ſive elegantiam operis, ſive opulentiam, venuſtatemque conſideres, ad miraculum pulcherrimum extrinſecus tiburtino lapide, intrinſecus Carrarienſi marmore, Numidico, Chio, Phrygio, Alabaſtrite mellei coloris maculoſo, in quod vetuſtiſſimam, ut ferunt, B. Lucæ Evangeliſtæ manu depictam Deiparæ effigiem transferret, a fundamentis extruxit, Aramque maximam cum loculamento pro ea effigie, quatuor columnis altiſſimis ex jaſpide circumdato topatio, granata, rubino, ſmaragdo, chryſolito, onyce, amethyſto, cæruleo, perſico, & aliis magni pretii gemmis ornatam Reginæ Angelorum in cælos aſſumtæ, cujus imaginem auro, monilibus, torquibus aureis, gemmis variegatis, unionibus, & lapidibus pretioſiſſimis operuit, conſecravit. Præter additam huic ſacello prodigioſam pretioſamque ſupellectilem pretio inæſtimabilem ad Altarium, Sacerdotum, & Miniſtrorum uſum, Organum quoque artificio inſigne adjecit, Collegiumque inſtituit Sacerdotum, qui rem divinam ibi quotidie perpetuo facerent. Muſicos, qui ſingulis diebus ſabbati Litanias ibidem concinerent, conduxit; Miniſtros reliquos aſſignavit, & proventus annuos non exiguos ſingulis in perpetuum cum neceſſariis omnibus ad uſum ſacelli addixit, edito de ea re Diplomate. In tam pernobili ſacello in diverſis ſpatiis diverſa elogia auro inſculpta annotantur. In media dextera ſacelli parte monumentum ipſius Pauli V. aſſurgit, quod vivens ſibi erexit. Denique columnam marmoream ſtriatam magnitudinis ingentis, quæ una ex reliquiis Templi Pacis, a Veſpaſiano Principe poſt bellum Judaicum confectum conditi, ſupererat, eo loco aſportandam, & ante ſacram illam Baſilicam ſublimi in baſi, addito capitulo operis Corinthii egregie elaborato, ſtatuendam curavit; cujus apici B. Virginis ſtatuam æneam inauratam impoſuit. Grave Vaticani agri cælum, ut Pontifices æſtate vitarent, anguſtas pro tanta Aula in Quirinali ædes ædificarant, quibus amœnitates propinquorum hortorum adjunxerant. Eas dum ædes incolerent, dici non poteſt, quanta cum omnium querela, ſæpe alienas ædes, ut familiæ tectum pararent in propinquo, cogerentur commodato ab externis accipere. Huic malo liberaliter Paulus ut obviam iret, ingentem molem ædium veteri Pontificis Palatio a fundamentis erectam adjunxit, in qua & publicis functionibus exercendis ſpatium eſſet, & ſacellum privatis uſibus opportunum. Multas præterea vicinas domos coemit, inſtauravitque ad familiæ uſum, ne ulli amplius oneroſa eſſet. Addidit Quirinali Palatio ædificia complura, quibus ejuſdem Familiæ commodis conſuleret. Datariæ in primis ædes proprias extruxit, ſuo cum atrio; quas tamen ædes ipſe Paulus Pontificiæ Familiæ poſtea aſſignavit, Maphæorum ædibus Datariæ adſcriptis. Difficile fuerit cuncta complecti, quæ ad urbis ornamentum, commodumque civium perfecit. Hoc ſolum poſtremo loco commemorare neceſſe eſt, quod rebus aliis multis ab eo factis & opere & utilitate præſtat; cum nimirum aquæ penuria tota Tranſtyberina regio mirum in modum laboraret, immenſæ molis opus Paulus aggreſſus incredibilem aquæ copiam ex agro Braccianenſi deductam quinto ac trigeſimo ab urbe milliario partim ſubterraneo ſpecu, partim arcuato opere in ſummum Janiculum perduxit. Quam aquam Paulus ad tres Leoninæ urbis fontes a ſe extructos, quorum alter in area D. Petri Vaticani, alter ad D. Jacobi aream, ac tertius prope S. Angeli pontem conſtructus eſt, deduxit. Eandem aquam e Janiculo monte, plumbeo canali per Xiſti pontem tranſmiſſam, in urbem citeriorem intulit.

Neque ceteræ Pontificiæ ditionis civitates Pauli ſollicitudine caruerunt: ſunt immo in iis non pauca & amoris, & munificentiæ ejuſdem monumenta. Pro munitione Arcis Ferrarienſis, quam Clemens VIII. prò tutela populi ædificaverat, quingentos mille aureos nummos Paulus impendit. Portum Fanenſem, *Fanum Fortunæ* vocant civitatem, aperuit, purgavit, munivit, eaque ratione annonam Piceno, Umbriæ, Æmiliæque cumulavit. Portum, Arcem, Oppidum ad Centumcellas reſtauravit, reſtituit, auxit. Navigantium ſecuritati conſulens Pharo erecta perpetuos ignes noctu ardere voluit. Annonæ copiam ſummo ſtudio curavit. 800. nummum aureorum millia in annonæ ubertatem illum effudiſſe memoriæ nonnulli prodiderunt. Prælatorum, & aliorum præſtantium virorum cœtum ad hujuſmodi ubertatem in Eccleſiaſtica ditione retinendam ab eo conſtitutum ſcimus. Operam Agriculturæ dantes privilegiis munivit, & ad eam propagandam leges tulit perutiles. Pontificio ærario acervum novies centenum aureorum millium repoſuit; ſacriſque Pontificiis cum majeſtate faciendis Thiaram epiſcopalem adamantibus & unionibus ditiſſimam pretio ſeptuaginta millium aureorum comparavit, ut ſcribit Oldoinus. Narratur etiam nepotibus ſuis Rignani dominium ſcutis comparaſſe 353000., Civitatis Sulmonis in Neapolitano regno 150000. Quatuor in Romano territorio rura ſcutis 700000. Inſumpta in ædificio Palatii Burgheſii, cujus fundamenta Paulo V. in humanis agente jacta fuere, ſcuta 300000. Dono ſuis data non ſemel, ſed viginti vicibus, ſcuta centum millia. Solus pluteus Cardinalis ejus Nepotis æſtimatus ſcutis 600000. Ita quidem ſcribit Franciſcus Bruys Romanorum Pontificum oſor audaciſſimus Tom. V. Operis inſcripti *Hiſtoire des Papes*, Hagæ Comitum editi; etſi illud indubium ſit de Nepotibus ornandis ditandiſque ſuis nimium Paulum V. cogitaſſe.

Nec Romanorum tantum, ſed & aliorum Chriſtiani orbis filiorum cura in Pauli V. pectore vigebat. Excitatas inter Sabaudiæ & Mantuæ Duces diſcordiæ flammas extinxit: Chriſtianorum omnium Principum animos in mutuæ benevolentiæ nexu continere conatus, eos, ut junctis viribus furentes Turcarum impetus domarent infringerentque, ex animo hortatus eſt. Antonium Caetanum, & mox Card. Millinum ad diſſidia inter Cæſarem, & Matthiam fratrem tollenda in Germaniam legavit. Primis Pontificatus ſui annis ad Cæſarem in Hungaria contra Turcas auxiliares copias miſit.

Chriſtianæ Religionis propagandæ firmandæque ſtudio incenſus, multos perinſignes viros, doctrinæ magiſtros evangelicæ, ad Indos, Perſas, Sinas, Æthiopes, Japonios, Babylonios, ad Congi regnum, & alias barbaras Nationes miſit, neque fruſtra, ut declarant honorariæ illæ Legationes, quas Congi, Perſidis, Japoniorumque Reges, nec non Mophrianus Neſtorianorum Babylonius ad eum miſerunt. Regis Congi legatus Romæ deceſſit, ſed ante migrationem Paulum Pontificem ſe inviſentem conſpexit.

In pauperes munificus fuit. Puellis nubilibus, quæ ex proprio dotem non haberent, in matrimonium collocandis ſatis congruam pecuniam ſingulis menſibus numerabat: expoſitis utriuſque ſexus pueris largiſſimas eleemoſynas erogabat. Neve, quod unum ac præcipuum eſt mulierum bonum, pudicitia ab egeſtate vinceretur, honeſto loco natis, ſed rei inopia familiaris in neceſſitatem adductis menſtruas pecunias clam ſubminiſtrabat. In egenos adventantes ſingulis annis minimum centum myriadas auri diſtribuebat. Quoties in publicum prodibat, obviis omnibus pauperibus ſtipem impertiebat: in pauperes ſexdecim imperii ſui annis nummum millia quindecies centena, & eo amplius impendiſſe Andreas Victorellus ſcripſit. Civium neceſſitates, vivendique difficultates propter rei familiaris anguſtias nunc frumento, nunc pannis, nunc pecunia, modiſque aliis ſublevabat. Ignotos, & peregrinos indigentes, præſertim ex provinciis hæreſi infectis, vel ex captivitate reduces, pro ratione perſonarum adjuvit. Scotorum, Anglorum, Hibernorumque non paucos, qui tempeſtatem in patria ab Hæreticis excitatam fugientes ſolum mutaverant, & in urbem ſeſe receperant, annuis adſignatis proventibus, in Catholica fide continuit. Romæ in Quirinali apud S. Suſannæ templum in Cœnobio Diſcalceatorum Carmelitarum Seminarium ſub S. Doctoris gentium Pauli nomine ad Hæreticorum converſionem inſtituit, & fundavit; utque Doctores evangelici ad omnium gentium ſalutem procurandam aptiores redderentur, in religioſorum hominum Gymnaſiis linguas Latinam, Græcam, Hebrai-

Hebraicam, & Arabicam tradi docerique præcepit. Beneficia & privilegia religiosis Ordinibus concessit, novosque aut Clericorum, aut Regularium Ordines Pontificia auctoritate approbavit, ut in peculiari hac de re Dissertatione exponetur. Quum multa Monachorum Cistercienſis Ordinis Monasteria in regnis Aragoniæ, Valentiæ, Majoricarum, & Principatu Cataloniæ, atque etiam in regno Navarræ constituta, raro ab generali Abbate personaliter visitari possent, indeque in iis regularis observantia minueretur, mense Aprili an. 1616. eorundem Regnorum Congregationem instituit, ab uno Vicario generali regendam, sub perpetua tamen obedientia Abbatis, & Capituli generalis Cistercii. Congregationem quoque fratrum Prædicatorum Observantiæ a Joanne Michaele inchoatam in Gallia, & in pluribus jam Monasteriis institutam, ab aliis Provinciis sejunxit, eique Augustinus Galaminius, totius Ordinis Magister Generalis, primum Vicarium Generalem eidem præfecit eundem Michaelem. Academiæ Paderbonenſis authorem fuisse Paulum V. memoriæ traditum est. Liber Ritualis Romanus ad Sacramenta in Ecclesia rite ministranda, ejusdem jussu confectus fuit, atque in lucem editus. Chaldaicos typos conficiendos, & Chaldaicum Breviarium excudendum curavit. Ad Maronitas Montis Libani libros Missales, argenteos Calices, vestes Sacerdotales, & ad eorum Patriarcham Patriarchales misit: Maronitæ vero tam beneficum Pontificem adeo sunt venerati, ut in templo, in quo Patriarcha sacris operatur, dum vixit, Pauli imaginem apud Aram collocarint. Lauretanam B. M. V. Ædem donariis pretiosissimis ditavit, & Sodalitati primariæ, quæ a Rosario nomen habet, privilegia a Prædecessoribus suis concessa restituit. Edictum pro Conceptione B. Virginis evulgavit, in quo cavit, ne quis in publicis seu scriptis, seu sermonibus auderet affirmare, *Deiparam Virginem fuisse conceptam cum peccato originali*. Constitutioni *Bulla in Cœna Domini* nuncupatæ Corollum inseruit. Juris jurandi formulam a Jacobo I. Britannis propositam, cujus summa erat, ut eum haberent pro Rege Britanniæ legitimo ac supremo, profitentes ne Pontificem quidem Romanum posse ei regnum abrogare, diris devovit.

Publicos honores viris pietate claris decrevit. Carolum Borromæum S. R. E. Cardinalem Archiepiscopum Mediolanensem, & Franciscam Romanam, Oblatarum Turris speculorum fundatricem, in Sanctorum Catalogum ritu solemni retulit; Ignatium Lojolam, Societatis Jesu fundatorem, Franciscum Xaverium, Indiarum Apostolum, Philippum Nerium, Congregationis Oratorii Romani conditorem, Theresiam virginem Discalceatorum Carmelitarum parentem, Ludovicum Beltrandum Dominicanum, Thomam a Villanova Augustinianum, Valentinum Archiepiscopum, Isidorum Agricolam Hispanum, Joachimum Senensem, Beatis adnumeravit. S. Ubaldi Episcopi Eugubini festivitatem restituit: S. Casimiri Regis officium ubique Ecclesiarum recitari mandavit, ac Breviario & Romano Missali inseruit: B. Laurentio Justiniano, Venetiarum Patriarchæ, & Angelo Custodi officium & festum constituit: B. Stanislaum Kostkam Polonum, B. Aloysium Gonzagam, Jacobum Salomonium Venetum, Margaritam de Castello, Philippum & Peregrinum Ordinis Servorum B. M. V., Pium V., cultu ampliore affecit, B. Coletæ, Ordinis S. Claræ professæ officium, quod ex Clementis VIII. indulto Gandavi in Flandria tantum recitabatur, Paulus ad uberioris B. Virginis honorem ad alia ejusdem instituti Cœnobia extendit. S. Albertum Episcopum Leodiensem inter Martyres vindicatos adscribens, Apostolico diplomate colendum congruo honore præcepit; Albertum alterum Hierosolymorum Patriarcham sacris honoribus coli in Carmelitano Ordine concessit. Pontificem in excitanda fidelium pietate, & propaganda ubique Christiana Religione ardentissimo zelo incumbentem voluit D. O. M., inquit Gravesonius, ingenti lætitia cumulare, insignem Catholicis Germaniæ die 8. Mensis Novembris an. 1620. concedendo victoriam, qua Hæretici a Cæsareo exercitu omnino profligati fuerunt, & cujus beneficio Bohemia subjugata est, Austria coercita, Moravia reducta, Silesia repressa, Hungaria recuperata, universa Germania facta sui juris, religio Catholica ex captivitate in libertatem asserta, ac præcipue Pragæ, ubi non solum restituta est avita & Catholica fides, verum etiam cuncti pseudo-ministri hæreseos, frementibus licet Germaniæ protestantibus, pulsi sunt. Quam insignem victoriam acceptam Catholici retulerunt patrocinio Beatissimæ Virginis, cujus imaginem *P. Dominicus a Jesu Maria*, Hispanus Carmelita Discalceatus, inter rudera cujusdam dirutæ domus invenerat, cuique oculos hæretici suffoderant. Hanc enim Mariæ Virginis pictam imaginem imminente prælio Catholicis militibus ostentans *P. Dominicus a Jesu Maria*, eis sic animos addidit, & ardentissima oratione illos ad ultionem injuriæ factæ Virgini Deiparæ tam fortiter incitavit, ut victoriam retulerint, Hæreticis internecione deletis. Hinc illa *imago Virginis de Victoria* dicta est, posteaque Romam delata, publica solemni supplicatione habita, magnoque triumpho in Ecclesia Paulina Patrum Carmelitarum Discalceatorum in monte Quirinali collocata est. Qui plura de hac celeberrima victoria a Catholicis in Germania de Hæreticis reportata scire avet, legat Historicam narrationem, quam Romæ ann. 1705. evulgavit *P. Blasius a Purificatione*, Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Historiographus.

Tantis autem curis, laboribusque fractus Paulus V. inter Sacerdotum preces decessit ann. 1621. optimus sane Pontifex, & cum beatissimis conferendus, si una nota, nimia scilicet in suos largitione caruisset. Eo etiam nomine commendandus est, quod Romanæ *Curiæ Tribunalia* reformavit, ministrorum *stipendiis metam statuit*, & Magistratibus omnibus leges dedit, ne justitia violaretur. Ex quo bona innumera in Urbem, totamque Pontificiam ditionem promanarunt.

GREGORIUS XV.

NOVENDIALIBUS justis Pauli V. pro more absolutis, incœptisque Cardinalium Comitiis, quum Burghesiorum factione maxime urgente, Cardinalem Petrum Camporeum Mutinensem ad Petri Cathedram evehendum multi sperarent, mutatis repente consiliis altero ab ingressu Comitiorum die, Alexander Cardinalis Ludovisius Pontifex electus est quinto Idus Februarias ann. 1621.

Erat is ex clara Bononiensi Ludovisiorum Familia, quæ ante quingentos & plures annos non Bononiæ solum perillustris est habita, sed etiam Neapoli. Nam Joanna II. Regina imperante inter quinque ejus urbis sedes ac domicilia ea gens locum habuit, & Romæ Joannes Ludovicus Ludovisius Comes Agrimontius ante annos supra ducentos, Senator Urbis electus est; quo quidem tempore soli dynastæ, magnique proceres ad id muneris adlegebantur.

Parentes habuit Comitem Pompejum, & Camillam Blanchiniam, lucemque vidit VIII. Kal. Febr. ann. 1554. Romæ apud Patres S. J. in Germanico Romanoque Collegiis humanioribus & philosophicis disciplinis operam dedit; Bononiam vero reversus in celebri patria Academia utrumque jus adprime didicit, laureaque donatus Romam repetiit, ubi trium Romanorum Pontificum honorifica de se judicia meruit, & exitu confirmavit.

A Gregorio XIII. primus Capitolii judex delectus est, haud inani præsagio fortasse futuri Principatus; illum quippe Pontifex ad se accitum hortatus est, ut id officii muneriſque interim bono animo adgrederetur, quod sibi primus ad Pontificatum gradus fuisset. A Clemente VIII. factus utriusque Signaturæ Referendarius, pro Cardinali Rusticuccio, Pontificio Vicario, jussus est locum in civilibus caussis tenere, & aliquandiu vices gerentis explere partes. Mox inter Romanæ Rotæ Patres adscriptus (in quo munere Ludovicus Ludovisius magna olim prudentiæ & integritatis fama floruerat) tantam præ se tulit integritatem morum, solertiam ingenii, doctrinam, &, quod in Romana Aula maximum est, sinceram apertamque, non ambiguam & versipellem sui orationem esse monstravit, ut omnium amore præconiisque dignus evaserit. Ab eodem Pontifice cum Maphæo Barberinio, Cameræ Apostolicæ Clerico, Beneventum destinatus, una cum præclari oneris tum collega, postea supremi honoris successore, negotia sic tractavit, ut contentionibus Regios inter & Pontificios administros jam jam excitandis obviam occurrerit. A Paulo V. Bononiensis declaratus Archiepiscopus, grandi pietate & doctrina patria in Ecclesia coruscavit. Excitato deinde in Italia bello inter Hispaniæ Regem, & Sabaudiæ Ducem, eo pacificator immissus, virtuti in Urbe dudum cognitæ probatæque fideliter apud Insubres, Allobrogesque respondit, dignus propterea, qui a Paulo V. purpura ann. 1616. exornaretur.

Singulari divina Providentia adversus ecclesiam suam

eidem

eidem ſucceſſor datus, nihil habuit antiquius, quam ut illius præclara facinora æmularetur. Quod illi ceſſit ita feliciter, ut pauci Romanorum Pontificum plura & graviora negotia pluribus in locis uno eodemque tempore complexi ſint, adeo ut qui multitudinem magnitudinemque rerum a Gregorio geſtarum conſideret, eas a Pontifice non duobus tribuſque annis, ſed vix totidem luſtris præſtari potuiſſe facile ſibi perſuadeat. Neſcias vero, an in his, aggrediendo promptior, an proſequendo conſtantior, an in perficiendo felicior fuerit. Pontificatu vix inito Jubilæum indixit, quo divinum auxilium ſibi pro ſalutari Eccleſiæ regimine compararet. Quum is vero jam tum mos invaluiſſet, ut Pontifices, iique maxime, qui jam ætate longævi promovebantur, unum ex Nepotibus ſacro Cardinalium Collegio adjungerent, cui poſtea primi Adminiſtri tribuebatur nomen, vulgoque *Cardinalis Patronus* appellabatur, die 15. Februarii ornavit Gregorius purpura fratris filium Ludovicum Ludoviſium, ingenii excellentis adoleſcentem, qui ſeptuagenarium avum levavit laboribus, reſque majoris momenti omnes laude juxta ac ſupremo arbitrio geſſit. Ad illa hinc animum curaſque convertit ſuas, quæ Eccleſiæ Principem, patremque omnium Chriſtianorum decerent.

Oborta erat gravis procella in Vulturrena Rhætiæ tractu, ſive Valle Telina, in Italiæ & Germaniæ confinibus ſita, in qua cum hæretici, Calvini blaſphemiis & erroribus irretiti, ſumma rerum potirentur, & Catholicos in ea commorantes opprimerent, hi conſpiratione facta menſe Julio an. 1621. Calviniſtas quamplurimos enecarunt, favoreque & auxilio Ducis Feriæ, qui Mediolanum regebat, Rhætis hæreticis pulſis occuparunt vallem univerſam, dominioque Regis Hiſpaniæ reliquerunt. Ægre id tulit Ludovicus XIII. Galliarum Rex, ægerrime vero Veneti, & Sabaudiæ Dux, quorum mens erat conſiliumque, ut ea Vallis libera permaneret. Contentionem jam jam in bellum erumpentem, adnitente Gregorio, laudati Principes ſic compoſuere, ut Vallis illius arces ac propugnacula Pontifici interea depoſiti loco traderentur, donec jus omne Principum in illam diſcuſſum & eliquatum fuiſſet. Qua in re illud haud ſilentio prætermittendum videtur, quod cum Venetis præcipue cordi eſſet, ut a Telina Valle Hiſpani pellerentur, ob idque & Gregorium Pontificem, & Ludovicum Galliæ Regem excitarint vehementer, nunquam tamen ad Jeſuitas, qui tempore interdicti Pauli V. receſſerant, recipiendos adduci potuerunt, etſi Pontifex, & Galliæ Rex, hac arrepta occaſione, a Venetorum Senatu id enixe flagitarent. In humanis adhuc agebat Paulus Sarpius, ceu qui anno tantum inſequenti 1622. fatis ceſſit; cujus propterea conſilio laudandam Patrum Venetorum conſtantiam vinci non potuiſſe veriſimile eſſe Muratorius arbitratur.

Annali d' Italia *ad An.* 1621.

Galliæ, & Hiſpaniæ Reges excitavit, ut alter hæreticorum reliquias prorſus everteret, alter ut Batavos denuo bello aggrederetur; atque utrumque magno & conſilii ſui, & Regum ipſorum bono contigit. Nam redintegrato utrinque bello, Galliæ Rex quamplurimis civitatibus arcibuſque aut deditione captis, aut vi, rebelles propemodum omnes incredibili celeritate perdomuit, & Hiſpanorum copiæ in Belgio ex eo maxime tempore, reportatis ſæpe victoriis, felicius explicatæ fuere.

Cum pacis miniſter Gregorius apud Sabaudiæ Ducem verſaretur, aderat ibi Leſdiguerius Regis Galliarum & ipſe miniſter clarus Dux Calviniana Hæreſi infectus, qui plurimis auditis Ludoviſii de Romano Pontifice, de Calvini abſurditatibus & blaſphemiis ſermonibus, tum ſe Calvini ſectæ valedicturum ſpopondit, cum ille in Petri Cathedra ſediſſet. Et promiſſis revera ſtetit; nam eo regnante hæreſim ejuravit, tanta Calviniſtarum conſternatione, ut in Duce amiſſo veluti capite exanimes viderentur, tanta autem Galliarum Regis gratulatione, ut ſibi in bellica authoritate parem propemodum Lesdiguerium fecerit, eum *Comitem ſtabuli*, ſeu regiorum exercituum perpetuum Prætorem inſtituendo. Sedente Gregorio etiam Marcus Antonius De Dominis, nefarius Apoſtata, errores rejecit ſuos, etſi poſtea ut canis ad vomitum reverſus ſit, uti narrabimus, cum de hæreticis occurret ſermo, qui hac ætate Eccleſiam infeſtarunt.

Non minori ſtudio in Germania Ferdinandum Imperatorem contra rebelles Hæreticorum acies conſtanter ac perdiu juvit, cum expedito milite, tum pecunia ſingulos in menſes perſoluta, authorque fuit, ut Catholicorum Germaniæ Principum ſtabiliretur fœdus, qui perpetuo communique exercitu hoſtem proſequerentur, menſuali cenſu in eum uſum liberaliter attributo. Proclamato Imperatore Francofurti ann. 1619. Ferdinando hujuſce nominis II., rebelles Bohemiæ ſibi regem prætecere Fridericum Palatinum, Regis Angliæ generum, qui ſtatim Pragam feſtinanter accurrens, ſibi atque uxori hujuſce honoris cupidiſſimæ utriuſque Regni, Hungariæ, & Bohemiæ coronam infelici exitu imponendam curavit. Hoc in ſtatu rerum Gregorius Septemviratum Auguſtalem, juſque ferendi ſuffragii in Romano creando Imperatore, quo propter rebellionem exciderat Rheni Palatinus, ad Maximilianum Bavariæ Ducem ingenti rei Chriſtianæ bono transferendum enixe, atque indefeſſe curavit. Erat Maximilianus generis claritate, religione, prudentia, fortitudine inſignis. Ulturus Cæſaris perduelles, ut ſummus ejus legatus mira celeritate Principum Catholicorum conventum habuit, copiaſque in Auſtriam duxit, & hoſtes ne opinantes quidem aggreſſus, provinciam quatriduo in poteſtatem redegit, & Cæſaris Imperio adjunxit. Inde Analthinum Principem ſupremum copiarum Bohemicarum Ducem fregit, vexillum ejus cepit, agmen in Pragenſem Urbem duxit, plenuſque ſpei, Cælites ſibi non defuturos exiſtimans, in alieno ſolo Tilio & Buquojo clariſſimis Ducibus in glorioſi prælii partem vocatis, cum hoſtilibus copiis duplo majoribus, viribus etiam munitionibuſque ſuperioribus ſigna contulit, depugnavit, eaſque juvante Numine horæ unius ſpatio fudit, fugavit, internecione delevit, ut vix ulla victoria hoc tempore illuſtrior acciderit. Tanta ſtrage ſuorum oppreſſus Fridericus ſe ſe in fugam dedit, & ſuo Palatinatu exutus ſe ad Batavos recepit, apud quos privatus deinde prope victitans precario, una cum conjuge & liberis reliquam vitam traduxit, ſeroque intellexit, diſſidiorum plerumque, atque infortuniorum matrem eſſe ambitionem. Signa multa memorabili eo in prælio capta a Maximiliano Romam miſſa, Pontifice lætante, Deoque ac Virgini Mariæ gratias agente inſigni ſupplicatione & populi confluentis frequentia, ad ædem quam S. Mariæ de Victoria dicunt, delata ſunt. Eidem etiam Gregorio dono dedit Auguſtali poſt tantam victoriam dignitate auctus Maximilianus Dux Bavariæ Bibliothecam Palatinam pluribus Hebræorum, Chaldæorum, Arabum, Græcorum, Latinorum, Germanorum, & Italorum Scriptorum MSS. codicibus, aliiſque libris typis editis locupletiſſimam, quæ a Leone Allatio juſſu ejuſdem Pontificis Romam deducta Vaticanæ Bibliothecæ adjuncta fuit. Palatinam hanc Bibliothecam Heidelbergenſem ex codicibus formatam fuiſſe a Monaſteriis ſurreptis poſtquam ea in loca irrepſerat hæreſis, fama fuit. Quare illam, ceu etiam hoc nomine ſibi debitam, Romam transferri Gregorius poſtulavit, Maximilianus vero non illibenter conceſſit, memor quantopere in ea contra Imperii rebelles expeditione ab eo adjutus fuiſſet. Incuriæ tamen plerique Leonem Allatium incuſarunt, quod melioris notæ codices alio aſportari ſiverit, cujus rei argumentum eſſe ajunt plures codices, qui in Cæſarea Vindobonenſi Bibliotheca ex Heidelbergenſi illa aſportati conſpiciuntur.

Neque minus de Poloniæ rebus cogitavit Gregorius. Nam Sigiſmundo Regi certam pecuniam attribuit, opemque procuravit aliorum contra Imperatorem Turcarum, immenſo per eas regiones exercitu minitabundum; ac parum abfuit, quin ejus hortatu impulſuque adverſus communem illum hoſtem, legitimum Chriſtianorum Principum fœdus iniretur, niſi parta celebri a noſtris victoria, pax improviſo compoſita facinus præclarum diſſolviſſet. Pari ſtudio religionis Ducem Sabaudiæ concitavit, ut Genevam, nidum illum hæreticorum expugnaret, utereturque beneficio temporis, quo ubique terrarum bella pro Chriſti fide ſuſcepta egregie cederent. In ipſo Britanniæ regno multa tentavit, ut eam nationem ad veteris veræque religionis Sacramentum revocaret. Ut terrarum orbi univerſo prodeſſe poſſet, Conventum Cardinalium inſtituit, habendis de Propaganda fide conſiliis, annuiſque reditibus firmavit, Conſtitutione edita decimo Kalend. Julii ann. 1622. Egregium certe, ſi quod aliud inſtitutum, ex quo innumera in Eccleſiam bona quotidie derivantur inſignium Athletarum miniſterio, qui ab eo Conventu Cardinalium, ſive Congregatione religionis propagandæ cauſſa ad omnes terræ partes dimittuntur. Extat alia ejuſdem Gregorii Conſtitutio, qua hæretici in Italia adjacentibuſque inſulis habitare prohibentur. Pragæ Collegium S. Bonaventuræ in ædibus Minorum, quos Conventuales appellant, inſtituit. Guillelmum Epiſcopum Chalcedonenſem Catholicis omnibus Anglici & Scotici regni præfecit, ut litteræ fidem faciunt Octavii Cardinalis Bandini ad eundem Guillelmum datæ die 5. Aprilis ann. 1623.

Quinque-viratum Sanctorum cum ſibi celebrandum propoſuiſſet, IV. id. Martias ann. 1622. in Sanctorum numerum retulit Ignatium de Loyola S. J. fundatorem, Franciſcum Xaverium Indiarum Apoſtolum, Philippum Nerium Congregationis Oratorii authorem, Iſidorum Agricolam, & Thereſiam Diſcalceatorum Carmelitarum parentem. Servum quoque Dei Petrum de Alcantara Beatum nuncupavit. SS. Joachim & Annæ feſtum diem ex præcepto honorandum ſtatuit. Denique, quod unum

ſatis

satis esset ad ejus nominis immortalitatem, diploma de creatione Romani Pontificis per secreta suffragia expetitum ab omnibus, tentatum a multis, a nemine perfectum, conscripsit ipse, & publicavit; quod uti a Gregorio excogitatum, sancitumque fuerat, integrum intactumque Urbanus VIII. successor ejus, ut electione sui comprobaverat, ita peculiari illud postea edicto confirmavit; ut verissimum sit elogium viri & purpura & meritis ampliſſimi, a Gregorio XV. utrumque Religionis polum egregie stabilitum fuisse, alterum in Germania ad creandum Romanum Imperatorem, translato jure suffragii ab hæretico ad religiosissimum Principem; alterum Romæ ad Romanum Pontificem eligendum, imposita Comitiis lege modoque, quo singuli Patrum arbitrio suo rem magni adeo tantique momenti possent decernere. In hoc Gregorii diploma scripsit italico sermone notas Hieronymus Ghettus, Ordinis Eremitarum S. Augustini Generalis.

Nec ideo hæ tam multæ, longeque extensæ curæ cogitationesque quicquam de Urbana administratione Gregorio detrahebant, ut tunc maxime patuit, cum Urbem Romam summa charitate annonæ morborumque gravitate laborantem, magna frumenti copia aliunde comportati, viliorique quam emtum fuerat pretio distributi, & pauperum gregibus veste, cibo, domicilio sustentatis, & novo valetudinario ad alia hujusmodi per Urbem hospitia, quæ suo quoque ære juvit, aperto, adversus injurias temporum vigilantissime defendit, ac recreavit. Ad structuræ Lateranensis reparationem, annulos Cardinalium ad triennium Basilicæ concessit, quod idem fecerat Paulus V. & Clemens VIII. ad beneplacitum. E Vaticano aquas in urbis Leoninæ commodum dispersit.

In has vero, aliasque plurimas Pastoralis muneris curas, quamvis valetudine ab ipso statim initio Pontificatus aut tenui, aut afflicta, adeo tamen vigenti constantique semper incubuit, ut brevi morituri Pontificis opinio nihil aut de felici factorum successu, aut de Christianorum Principum adversus illum obsequio, promptaque parendi alacritate umquam remiserit. At ubi vires deficere comperiit, vocantis Dei vocem se alacriter audire & sequi dixit; quare rerum humanarum sensum omnem exuit, Pontificias curas omnes omisit: Cardinales ad supplendum numerum renuntiare noluit; totum se rebus cælestibus, æternæque felicitati cogitandis convertit, ac Numinis clementiæ commisit; vitæ universæ noxas in arcano pœnitentiæ mysterio expiavit; circumstantium preces Christo propitiando efflagitavit, iterum ac tertio maculas animi confessione delevit. Sub vesperam cælesti Viatico corroboratus, mane duo sacra coram se fieri præcepit, & Angelorum Pane iterum recreavit, ac exeuntium oleo delibutus est. Postridie agni cælestis Sacrificio interfuit, & pretiosam Sanctorum mortem exoptans, spiritum emisit in Quirinali 8. Julii ann. 1623. Corpus in Vaticana Principis Apostolorum Basilica repositum, translatum est postmodum ad Collegii Romani S. J. Ecclesiam, reponendum ibidem in augustissimo Templo, quod S. Ignatio ejusdem Societatis Parenti Ludovicus Card. Ludovisius nepos, magnificentissimo quidem opere, regioque plane sumptu extrui mandavit.

Fuit Gregorio statura infra mediocrem, color in vultu gilvus, & melli non absimilis, gracile macilentumque natura corpusculum, & assiduis insuper laboribus extenuatum, quippe vitali calore ante ætatem defervescente, decoctoque; animus acer, & rebus omnibus præsens, graviter comis & arguta facundia, vividum ingenium & ad plurimas disciplinas promptum, sed proprie ad legum jurisque prudentiam proclive, in qua tantum studio & natura profecit, ut inter primos ejus facultatis interpretes ætate sua merito sit habitus. Volumina plura conscripsit, decisiones ejus, quas *Rotæ* vocant, Oliverius Beltraminus J. C. notis adjunctis Romæ edidit. Reliquit etiam Nepoti monita egregia, quæ MSS. circumferuntur. Famianus Strada, eloquens ac eruditus S. J. Sacerdos, in novendiali Gregorii funere orationem ad Cardinales habuit politissimam, & Jacobus Accarisius Bononiensis similem dixit Romæ in Ecclesia S. Joannis Evangelistæ, dum Bononiensium Sodalitas eidem solemniter parentaret.

Laboraverat ex calculo renibus impacto, nausea, & vomitu; calculo ejecto feliciter, acuta febris, & profluvium alvi succedens Pontifici optimo mortem attulere. Brevis quidem ævi Pontifex, sed cui sua stabunt nominis, famæque decora; quippe quem a singulari sapientia, ab signatis in commune bonum ordinationibus, ab adaucto Divorum censu, ab insigni purpuratorum Patrum, atque Antistitum delectu, ab eximia item integritate ac religione recolet commendabitque posteritas. Et tamen inter suprema dixisse accepimus, lætum se mori, quod speraret successorem pleraque emendaturum in Republica Christiana; nullum enim eligi posse, qui Pontificatu se dignior non esset. Senex & Pontifex optimarum disciplinarum studiis delectabatur; academicis virorum doctorum exercitationibus, quas Cardinalis Ludovisius nepos in Vaticano, & in Quirinali Palatio habendas curabat, clam non visus interesse, & viros eruditos de sacris præcipue rebus loquentes audire non semel voluit.

Auctor fuit Gregorius XV. ut Romæ apud S. Cæciliæ Ædes Collegium Patrum Benedictinorum, *Gregorianum* nuncupandum extrui posset, sub B. Petri Apostoli patrocinio, & D. Constantinum Caetanum Abbatem ejusdem Ordinis primum Præsidentem nominavit. In hoc erant excipiendi monachi omnes exteri Ordinis S. B., pietatis, vel negotiorum, aut studiorum caussa Romam venientes, foreque sperabat, ut inde divinus cultus incrementum, religiosa S. Benedicti Familia ornamentum, Ordinis Monachi fructum, Urbs ornatum, Christifideles solatium permagnum acciperent.

Cœtus Clericorum Lucensium, & Matris Dei, qui Scholarum piarum munus curat, in ordines religiosos erexit. Robertum Card. Bellarminum, quem viventem a consiliis suis futurum in Vaticano degere voluit, morientem humanissime invisit, & solatio cumulavit. Franciscanorum Observantium Reformatorum regimini consuluit. Franciscanis Discalceatis Observantibus Hispaniarum & Indiarum procuratorem, & hospitium in Urbe concessit, & Privilegia larga manu tribuit, quæ Urbanus VIII. in Pontificatu successor revocavit. Concessiones quascumque vivæ vocis oraculo a Romanis Pontificibus factas, oraculis demptis, quæ S. R. E. Cardinales exceperant, manuque sua firmaverant, rejecit. Patribus sacri Ord. Prædicatorum, post decretum de conceptione Virginis Matris Dei concessit, ut in privatis colloquiis inter se tantum, non inter alios & cum aliis, de illa differere & tractare possent. Nimirum Pauli V. Constitutioni, de qua diximus, hoc adjecit, neque in privatis colloquiis licitum esse adfirmare Virginem fuisse conceptam cum peccato originali, Dominicanis tantum postea exceptis, ut modo innuimus. Confirmavit, ampliavitque Pii IV. Constitutionem contra Sacerdotes sollicitantes in Sacramento Pœnitentiæ, & quovis modo ad turpia impellentes. Ecclesiam Oppidi S. Miniati Lucensis Diœcesis in Cathedralem erexit: Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos in Pontificio Solio Assistentes, pluribus privilegiis ornavit. Odoardum Farnesium, Parmæ & Placentiæ Ducem, loco Raynutii parentis demortui, Antesignanum S. R. E. renuntiavit. Cardinalem Klesselium Viennæ Antistitem, Fabritii Verospii, tunc temporis Rotæ Romanæ Auditoris, postea S. R. E. Cardinalis, viri prudentis opera usus, Romam evocavit, pristinoque splendori, facto judicio, restituit. Lutetiam urbem Regni Gallici primariam a Metropoli Senonensi, instante Rege Ludovico XIII. ob urbis splendorem distractam, in novam Metropolim erexit, attributis ei Ecclesiis Carnotensi, Aurelianensi, & Meldensi, quæ prius eidem Senonensi suberant. Fuitque primus tantæ urbis Archiepiscopus vir nobilis, pius, industrius Joannes Franciscus Gondius, Henrici Cardinalis Gondii Frater, & Joannis Francisci junioris Card. Patruus ex patre.

URBANUS VIII.

FLORENTIA Italiæ civitas, multis nominibus celebris, plures Cardinales egregios, & ſpatio temporis ſæculo vix majori quinque Pontifices Romanos, eoſque optimos, a quibus illi additum decus, & celebrioris gloriæ parta immortalitas, Dei beneficio tulit: tres Mediceum, alterum Aldobrandinum, quintum Barberinum genus, omnes Florentiam, Italiam, Europam, & Chriſtianum nomen illuſtrant. Gens Barberina quingentis abhinc & amplius annis in Simifontana Republica, ut habemus ex antiquis monumentis, floruit. Simifons, inter Florentiam Senaſque ſitus, ab oppido Barberino ne duo quidem millia paſſuum aberat. Eo poſt biennii obſidionem proditione a Florentinis capto, exciſo, & everſo, multæ Familiæ, non eodem tamen tempore, Florentiam in domicilium delectam conceſſerunt; in quibus una fuit Barberina, quæ ſtatim ac ibi ſedem collocavit ſuam, majoris ordinis nobilitate donata eſt. Urbani Pontificis Majorum omnium res geſtas recenſendas hoc loco non judico: quare aliis omnibus prætermiſſis, ad Antonium, Caroli, Avi Pontificis fratrem ſermonem converto. Antonius hic integritate, eruditione, prudentia, conſtantia, eximiaque erga patriam charitate clarus fuit. Romam adiens, domicilioque in ea ſibi, & familiæ conſtituto, Franciſcum nepotem, Caroli filium ad ſe accerſitum ad progreſſus nobili viro dignos inflammavit. Ingenio & judicio præſtabat Franciſcus, ac legum doctrina excultus, utriuſque Signaturæ Referendarius ac Protonotarius Romana in Aula effulſit: Raphael ejus frater in Belgio arma prudenter, ſtrenueque tractavit. Maſchio Vitellius illius conſilio & opera multis annis eſt uſus; & legionum Imperator Dux Albæ graviſſimam provinciæ militiam ei demandavit. Antonius Maphæi noſtri pater non integritatis tantum, ſed prudentiæ quoque laude enituit, cujus uxor Camilla Barbadora Florentina, lectiſſima patritii Ordinis femina, amore in conjugem, caritate in filios, veteris exempli laude, & ſtudio Religionis inſignis, Maphæum anno ſalutis 1568. Florentiæ edidit, re tamen vera Orbi dedit.

Triennis genitore orbatus in ſedula piæ matris diſciplina parumper vixit, prima litterarum rudimenta Florentiæ didicit, at pene puer a patruo Franciſco Protonotario ad Urbem evocatus, liberaliter educatus eſt. Humanioribus litteris imbutus, & in dialecticæ philoſophiæque ſtudiis in Collegio Romano verſatus, ad juriſprudentiam animum appulit, ac Piſis annos natus viginti Juriſconſultorum adeptus eſt, lauream. Latinæ linguæ eam navavit operam, ut ſoluta ligataque oratione cultiſſime ſcriberet. Carmina ſane, quæ adulta ætate fudit, ſententiarum pondere, & latini ſermonis nitore excellunt; & quoniam græcæ latinis litteris ornamenta & adjumenta ſuppeditant, cum his illas conjunxit. Abſolutis ſtudiis Maphæus ad Urbem rediens, a Franciſco patruo ſuſceptus, filii loco habitus eſt. Habebat Franciſcus domum non longe diſſitam a Palatio Farneſiorum: qua occaſione ſumpta Maphæus cœpit Odoardo Farneſio aſſare, exeuntem comitari, ſive deducere, aliaque hujuſmodi obſequii genera præſtare, quibus Cardinalem ſibi arctiſſime devinxit. Erat enim eloquens, promptus, operæ alacer, forma decorus, dona naturæ, quæ amorem benevolentiamque conciliant.

Anno primo ſupra vigeſimum nondum exacto, majoris præſidentiæ inſtitutus Abbreviator, a Sixto V. inter juſtitiæ, a Gregorio XIV. inter Signaturæ Gratiæ Referendarios cooptatus, mox Fanenſibus regendis præfectus, deinde Septemvirali Romanæ Aulæ Protonotariali dignitate honeſtatus Ferrariæ matrimoniorum inter Philippum III. Regem Catholicum, & Margaritam Auſtriacam, inter Albertum Archiducem Auſtriæ, & Iſabellam Claram Eugeniam Hiſpaniarum Infantem, coram Clemente VIII. R. P. initorum, uti Septemvir Protonotarius monumenta conſcripſit. Poſt alia munera Apoſtolicæ Cameræ Clericus renuntiatus, alios Magiſtratus obivit. Anno a partu Virginis 1601. Ludovico primogenito Galliarum Regis in lucem edito, ad magnum Henricum ejus patrem, & Mariam Reginam matrem, peroptatum filioli natalem diem iis Pontificio nomine gratulaturus a Clemente VIII. R. P. legatus eſt. Hoc munere perfuncto Thraſymeni, clade Flaminii Conſulis cum multis Romanorum millibus cæſis ab Annibale celebris, aquas ſuperſtagnantes, agroſque & oppida obruentes, ejuſdem Clementis juſſu coercuit, dum eas idoneo excepit emiſſario, & alio deduxit, illoſque & hæc priſtino cultui nitorique reſtituit, Perusiam, & Umbriam ſibi devinxit. His actis, Clemens illum Nazarenum Archiepiſcopum renuntiavit, & in Galliam *Ordinarium*, ut ajunt, ſuum & Apoſtolicæ Sedis Nuncium legavit. Quo in munere pietatis atque religionis, quam a primis annis ſemper coluerat, egregia edidit documenta.

Anno 1605. a Paulo V. creatus Cardinalis, & Spoletanæ inde Eccleſiæ præfectus Antiſtes, ſingularis pietatis & vigilantiæ ſe illico monſtravit Epiſcopum. Diœceſim perluſtravit diligenter, & celebrata Synodo, latiſque legibus ad puriores indueendos mores uberrimum brevi ſollicitudinis ſuæ fructum retulit. Raphaelem Invitiatum Zacynthi Antiſtitem, innocentia, ſalutis animarum zelo, doctrina, & rerum eccleſiaſticarum uſu præditum, ad ſacri laboris partem aliquando adhibuit. Cum Paulus V. Maphæum Cardinalem magni faceret, perſpecta illius probitate, juſtitia, prudentia, humanitate, doctrinaque, Benedicto Cardinali Juſtiniano, pietatis & juſtitiæ cultori, in graviſſimo Bononienſis legationis munere, abſentem, ac ea de re nihil cogitantem ſucceſſorem dedit; quod munus difficile ſane non vulgari cum laude obivit, & Laurentio Magalotto ad nobiliſſimam Civitatem placide regendam pro-Legato uſus eſt. In hac Legatione Anno ſalutis 1612. pridie nonas Maji Pontificalibus indutus, Deiparæ Virginis Imaginem, cui nomen a ſubſidio, altari ad fores D. Petronii conſtructo ſuperpoſitam, & magnificentiſſimo apparatu circumpoſito, adſtantibus omnibus magiſtratibus Civitatis, Confraternitatum, & artium ordinibus ad propria vexilla collectis, platea etiam univerſi populi concurſu referta, & armato milite equeſtris pedeſtriſque militiæ ſtipata, muſicis interdum undique modulantibus, argenteo diademate auro gemmiſque intexto coronavit. Quam Coronationem, ad perpetuum rei præclare geſtæ monumentum, egregiis verſibus celebrarunt clariſſimi nominis Poetæ plures, videlicet Bernardinus Mareſcottus, Thomas Dempſterus, Joannes Dominicus de Baſſis, Julianus Rezzius, Antonius Aldrovandus, Joannes Baptiſta Cavalca, & alii. A Gregorio XV. Collegii Græcorum in Urbe Monachorum S. Baſilii, Græcorumque omnium Orientalium Patronus inſtitutus, & in conventum Patrum pro fide propaganda excubantium relatus, aliiſque purpuratorum Patrum cœtibus adſcriptus, nihil eorum, quæ munera illa poſtulabant, prætermiſit.

Gregorio XV. vita functo ſuffectus An. 1623. dum annum ageret quinquageſimum quintum, plurium annorum ſpatio bene ſancteque Eccleſiam gubernavit. Pontificatus initio Pii V. Conſtitutionem de non alienandis Eccleſiæ urbibus, oppidiſque firmavit, & ad divinam opem implorandam quadraginta horarum preces in Baſilicis Lateranenſi, Vaticana, S. Mariæ ad præſepe, & in duobus aliis cujuslibet Regionis Romanæ Urbis Templis quartis ſextiſque feriis, ſabbatiſque duarum hebdomadarum habendas indixit. Auguſtino Spinulæ Cardinali a Paulo V. renuntiato, purpureum galerum in Vaticano Palatio publico in Conſiſtorio tradidit; & ſanctæ fidei propagationem, Deique cultus incrementum exoptans, Religioſum Chriſtianæ militiæ ordinem Conceptionis Deiparæ titulo, ſub S. Franciſci regula, Sanctorumque Michaelis & Baſilii patrocinio inſignitum, inſtitutum a Carolo Gonzaga, vel ab Uladislao IV. Rege Poloniæ contra Turcas confirmavit; & Carolo Romam pernobili agmine ſtipato venienti, crucem dedit, & paludamentum; hic enim equeſtris ordo, ſeptuaginta lectiſſimorum virorum, in medio crucis rubeæ pendulam geſtabat ex aureo torque imaginem candidam Virginis conceptæ, dæmonem pedibus calcantem, his verbis ſuppoſitis: *Viciſti, vince, hoc inſigni vere noſtro*.

Ut res eccleſiaſticæ Romæ præcipue, quæ prima eſt Religionis Catholicæ ſedes, majoribus florerent incrementis, Eccleſias omnes, Monaſteria tam virorum quam mulierum, Xenodochia, Collegia, aliaque loca a viris gravibus in viſitationis Apoſtolicæ conventum relatis, luſtrari præcepit. Ante viſitationis exordia, Pontifex divini cultus amplificationi, & animarum ſaluti inſiſtens, in quibuſdam Patriarchalibus, Collegiatis, aliiſque Eccleſiis quadraginta horarum precationem celebrandam duxit, ſacros homines, ut reſtituta morum diſciplina Apoſtolicam viſitationem prævenirent, ex animo hortatus, & ipſe Patriarchales Eccleſias viſitare cœpit, ac viſitaſſet templa alia Urbis & ſacra loca, ſi id graviſſimæ Apoſtolatus occupationes permiſiſſent: qualibet autem hebdomada, quid in ea viſitatione ageretur

retur, cognoſcere voluit, & quæ ad eam pertinebant, curavit in dies. Idem ſalutis animarum ſtudium effecit, ut de Epiſcoporum reſidentia diligenter cogitaret, legemque vulgavit, ne Antiſtites e ſuis Diœceſibus abeſſent.

Electionis ſuæ anno contra Epiſcopos male ad ordines promoventes, & male promotos legem tulit; anno vero ſequenti 1624. Beati honores Andreæ Avellino Ordinis Clericorum Regularium Sacerdoti, & Beato Felici Cantalicienſi Capucinorum Ordinis alumno decrevit. Beatam etiam dixit in ſequentibus annis Mariam Magdalenam Florentinam, e Pazziorum gente, magnarum virtutum virginem, Romæque eo tantum anno in Æde S. Joannis Baptiſtæ Florentinorum, Florentiæ vero in Templis omnibus perpetuo horariis precibus, Sacroque ex communi virginis non martyris honorari poſſe cenſuit. Beatæ quoque Ritæ cultum ad aras decrevit. Servos Dei Cajetanum Thienæum Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum unum ex fundatoribus, & Franciſcum Borgiam Societatis Jeſu Generalem Beatos dixit, & ad aras ſacro cultu honorari poſſe declaravit; & anno 1629. Beato Andreæ Corſino Florentino Ordinis Carmelitarum, Feſulano Epiſcopo, ſacros Cæleſtium civium honores ſolemni ritu menſe Aprili detulit; quibus etiam honoribus Eliſabetham Luſitaniæ Reginam coli voluit, Sanctorumque tribuit etiam honores Japoniæ Martyribus viginti ſex, quorum aliqui e ſacro Ordine Minorum, tres e Societate Jeſu, & laici in Cruce haſtis transfixi & interempti triumpharant. S. Rocchum ſacris ad aram, & horariis precibus colendum pronuntiavit, ſanctamque Catharinam Senenſem Virginem ſemiduplicis officii colendam ritu ſtatuit.

Cum autem ex Pauli II. lege, an. 1625. Jubilæum Romæ celebrandum eſſet, Urbanus caritatis igne incenſus, diplomate vulgato, ſacrum maximi pretii theſaurum Chriſtiano Orbi propoſuit, multa in peregrinorum commoda decrevit, eorum ſecuritati conſuluit, Catholicæque Religionis Principes hortatus eſt, ut erga illos Romam venientes beneficentia uterentur, darentque operam, ut tutis itineribus poſſent incedere.

Statum ſex Eccleſiarum, quibus ſoli S. R. E. Cardinales præſunt, cognovit, earumque bono conſuluit. Hadriani molem, *Æliam* dictam, novis munitionibus adjectis, veteribuſque rejectis, contra hoſtium aſſultus firmiorem reddidit. Nummi cuſi, quid in ea egerit iis verbis ſatis oſtendunt, *inſtructa*, *munita*, *perfecta*. Archivum, Ærarium, & amplificatam a ſe Arcis ædificationem ſæpe ipſemet luſtravit, apud quam aream liberam, patentemque effici juſſerat: ad Sanctam Urbem, univerſam S. R. E. ditionem, ſacraſque res ab hoſtium furore tuendas magnum tormentorum bellicorum numerum Romæ, & Anconæ conflari præcepit; Archivum Cardinalium inſtituit, quod adjecta inſcriptio indicat:

Urbano VIII. Pont. Max.
Quod Archivum ſacri Collegii Camerarius
Ejuſdem interregni tempore
In Vaticano deſtinaverat
Pontifex aſſeruit
S. R. E. Cardinales
Grati animi Monumentum poſuere
MDCXXIV.

In Agro Bononienſi Arcem munitiſſimam, quam *Urbanam* dicunt, ad Pontificiam ditionem defendendam condidit: extat ibi hæc memoria:

Urbano VIII. Pont. Max.
Arcem hanc de ſuo nomine
Urbanam nuncupatam, validiſ-
ſimis propugnaculis, geminoque
vallo, geminaque Foſſa jugis
aquæ fluxu referta circumdatam,
ut ſoli patentis in ditionem Eccleſiaſticam
aditus, hoſticis armis intercluderetur,
publicæ ſecuritati conſultus, a
fundamentis excitatam abſolvit,
& uſui militari, rebus opportunis
inſtruxit & munivit.

Ludovicum Galliæ Regem Jubilæi munere affecit; Lipſana S. Joannis Chryſoſtomi ex Sacrario Baſilicæ Principis Apoſtolorum ad horarium ejuſdem Sacellum ejus juſſu translata ſunt. Cardinalium etiam Conventus habitus eſt de clavibus, portiſque Ærarii Molis Æliæ diligenter cuſtodiendis. Profligato a Catholicis in Germania Mansfeldii Comitis exercitu, Urbanus cum ſeptem ſupra decem Cardinalibus ad Ædem S. Mariæ de Anima Germanicæ nationis profectus, ſacrum fecit, ac Deo gratias egit: paullo poſt Rege Daniæ a Joanne Comite de Tilly ſuperato, idem eodem in templo præſtitit. Die S. Franciſci feſto primum lapidem Templi Fratrum Capucinorum in Urbe jecit.

Vaticanum templum a Conſtantino Magno erectum, religioſaque multorum Principum munificentia in ampliſſimam formam redactum, ritu ſolemni conſecravit. Aram autem maximam a Clemente VIII. conſecratam, cum non egeret conſecratione, integre ſublatam efferri voluit. Sacella quoque ſubterranea in angulis tholi ſacris marmoreis ſtatuis iis impoſitis ornata extruxit. Sacram etiam B. Petri Confeſſionem, cæteros ſanctiſſimos Prædeceſſores æmulatus, nobiliſſimo Mauſoleo ex ære Corinthio, auro ſuperinducto decoravit. Aram enim appello ſuperinductum Aræ thalamum ſolidumque ornatum ab integro conſtitutum, toti rei ſplendorem & nomina conferentem. Aram hanc equitis Bernini opus Lælius Guidiccionius carmine deſcripſit. Ut autem Baſilicam hanc auguſtiorem redderet, Mathildis celebris Comitiſſæ, quæ Patrimonii, Liguriæque provincias, & ditionem Ferrarienſem Romanæ Eccleſiæ reſtituit, corpus Romam deferendum curavit, & in Vaticana Baſilica nobili Mauſoleo condi voluit, hae deſuper inciſa inſcriptione:

Urbanus VIII. Pontif. Max.
Comitiſſæ Mathildi virilis animi Fœminæ
Sedis Apoſtolicæ propugnatrici
Pietate inſigni liberalitate celeberrimæ
Huc ex Mantuano Sancti Benedicti
Cœnobio translatis Oſſibus
Gratus æternæ laudis promeritum
Mon. Poſ. An. MDCXXV.

Navim D. Petri ex muſivo lapillo Jotti opus pluviis & turbinibus ereptam, inſtauratamque, in Vaticano ceu in portu collocavit. Quum autem ad æream Templi Vaticani Tribunam conſtruendam conflari juſſiſſet Urbanus trabes æneas, ablatas ex Atrio *Pantheon*, quas nec Vandali, nec Oſtrogothi abſtulerant, hinc natum illud vulgare effatum:

Quod non fecerunt Barbari, fecere Barberini.

Quod non in dedecus, ſed in laudem Urbani VIII. cedere ſapiens quiſque cognoſcit.

Serpentibus in Valle Telina armis, Franciſcum Card. Barberinum, ſanctæ Agathæ Diaconum ad Reges & Principes, ut ad pacem componendam incumberet, ſuum & Apoſtolicæ Sedis Legatum de Latere declaravit; utque res ex voto ſuccederent, ſupplicationes ad D. O. M. eſſe adhibendas cenſuit. Hinc An. 1627. Cardinalibus narravit negotium hujuſmodi feliciter fuiſſe compoſitum, redditaque Torquato de Comitibus Eccleſiaſticarum copiarum ductori propugnacula, ea ille mox Regum Galliæ & Hiſpaniæ miniſtris ſolo æquanda reliquit, & inter alia hæc protulit verba: *Demum quod noſtris erat in votis, ex unanimi Regum voluntate pax eſt firmata, omnem movimus lapidem, ne quid detrimenti Catholica religio pateretur; teſtes ſunt ipſi Reges, & ipſe novit Deus, cujus honorem & gloriam præ oculis ſemper habuimus.*

Sacri Senatus honorem curans, Conventum de Cardinalium dignitate reſtituenda prudenter inſtituit. Decretum Sacræ Congregationis Ceremoniarum, quo ſtatutum eſt, Cardinales *Eminentiſſimos & Reverendiſſimos* nuncupandos eſſe, ſua authoritate firmavit. Ordinem equitum S. Georgii, quem Paulus V. erexerat, abolevit. Collegium Illyricum a Gregorio XIII. in Urbe Lauretana inſtitutum, & nonnullis poſt annis Romam translatum, optima ratione auxit, Lauretoque reſtituit: ibi triginta ſex adoleſcentes Lauretana Domus ſuis reditibus alebat, cum duodecim tantum Romæ in Collegio Clementino aleret. Titulum S. Caroli ad Catinarios in locum tituli S. Blaſii de Annulo ſuffectum obliteravit, ædemque S. Caroli in via, quæ *Curſus* dicitur, in titulum Cardinalis erexit. Anno 1627. Eccleſiam S. Laurentii *in fonte & in carcere* dictam, conceſſit Fratribus Ruthenis, conceſſioneque poſtea his non utentibus, eandem Eccleſiam cum omnibus juribus, reditibuſque adſignavit Urbanæ Congregationi, quæ Eccleſiæ hujus reſtaurationem aggreſſa, viam præ foribus ſilicibus ſternendam procuravit, quam ideo *Urbanam Viam* nuncuparunt. Urbanam hanc Congregationem, erectam in Eccleſia S. Nicolai ad Cæſarinos pro Senioribus Aulicis Romanam Curiam ſequentibus, ad preces Franciſci Sfortiæ Epiſcopi Card. Portuenſis Urbanus amplexus approbavit, & *Urbanæ* titulo condecorari voluit, litteris ſub Annulo Piſcatoris expeditis, & in ſuo de hac Eccleſia opuſculo inſertis a Floravante Martinello.

Urbani authoritate in oppido Lucches, Diœceſis Toletanæ, Monaſterium erectum ſub titulo Immaculatæ Conceptionis a Gaſparo de Guzman & Agnete de Zuniga conjugibus, Comitibus de Olivares, quod Moniales ſub regula S. Dominici incolunt, cum obligatione ſingulis ſabbati diebus, officio duplici vel ſemiduplici non impeditis, officia Immaculatæ Conceptionis recitandi, ac ſingulis diebus in Completorio, Antiphonam & Orationem ejuſdem canendi, & ante pectus in Scapulario in ſcuto, opere phrygio expreſſam Imaginem Conceptionis geſtandi, ſub pœna excommunicationis nunquam deponendam. Utque Moniliabus iſtis ſe liberalem præberet, mille aureos annuos ultro elargitus eſt. Monialibus Diſcalceatis S. Franciſci Regii Monaſterii Matritenſis ad Philippi IV. Regis preces mille aureos annuos penſionis liberaliter conceſſit.

Volitabat toto Thyrreno Anſanus Calaſtatus præda & minis plenus, jamque eo veſaniæ devenerat temerarius pirata, ut Siciliæ, totique Italiæ catenas minari auderet. Non tulit minacis inſolentiam Urbanus, utque coerceret, fœdus cum Hiſpanis, & Thuſcis percuſſit; unam ex omnibus triremibus claſſem fecit, qua cunctorum armis puniretur, qui cunctos violarat. Hinc vela facta in contumacem, a quo pugnatum quidem eadem audacia, qua provocaverat, non tamen eadem felicitate. Nam a quibus jus & cauſa ſtabant, ſtetit Deus, & cum Deo victoria. Omnes piraticæ naves partim captæ, partim demerſæ.

Rupellas, arcem munitiſſimam in Gallia & ſedem hæreticorum ab exercitu Gallico obſidione cinctas Ludovicus Rex fortiſſimus in ſuam redegerat poteſtatem; Urbanus celeberrimam victoriam Deo, Ludovici deinde pietati, prudentiæ, & fortitudini, Cardinaliſque de Richelieu viri fortis conſtantiſque conſilio & operæ acceptam referendam putavit, Deoque acturus gratias a S. Auguſtini ad S. Ludovici Gallicæ nationis ædem frequenti ſupplicatione ſe contulit.

Collegium Pontificium Fuldenſe pro juvenibus nationis Germanicæ pietate & litteris imbuendis, fidei propagationi perutile reſtituit, eidemque nationi favens, Collegia Viennenſe & Pragenſe, magno tuendæ propagandæque religionis zelo inflammatus, inſtituit. Sepulcrum Pauli III. ad extremam Vaticanæ Baſilicæ partem a tholi latere ſummotum tranſtulit. Fontem luſtralem Conſtantini creditum in Laterano auro picturiſque ornavit, cujus ſolum diverſi generis marmoribus ſtravit; æſtimavit enim munificus Pontifex nullam in ornando Conſtantino profuſionem fieri, cum ille opes imperii in Pontificum amplificationem tam honeſte olim prodegiſſet. Injurioſi temporis ruinas Urbanus Pontifex tam cumulate penſavit, ut plus ſplendoris fonti vel paucis acceſſerit, quam aut multis ante ſæculis tempus abſtuliſſet; diceres quadam fortunæ induſtria fontem deformatum, quo ornatior reſurgeret. Tantus equidem eſt ejus ſplendor, ut præter aurum, tabulas bene pictas, & marmora videas nihil.

Epiſcopum Oſtienſem & Veliternum ſuffraganeo Antiſtite nunquam carere debere conſtituit. Qui vero morbis impediti epiſcopalia munera obire nequeunt, ne Eccleſiis præficiantur mandavit; qua in re Cardinales non excepit, etiamſi jam quis eſſet Portuenſis Antiſtes, & morbo deinde impeditus ad Eccleſiam Oſtienſem adſpiraret. Archivum, & Depoſitariam Urbanam inſtituit, legemque condidit, cui in Electione magni Magiſtri Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani celebranda obſequendum ſit.

Increbeſcentibus in Italia belli turbinibus anno ſalutis 1630. Joannem Jacobum Pancirolum ad pacis bonum procurandum legavit; mox juniorem ex fratre nepotem Antonium Card. Barberinum Legatum de latere per univerſam Italiam conſtituit, & Bononiam primum, deinde in Inſubriam Sabaudiamque ad diſcordiæ ſegetem evellendam miſit. Carolo fratri Generali Eccleſiaſticarum copiarum Præfecto Bononiæ e vita erepto, Thaddæum filium ejus, Prænestis principem, paternarum virtutum hæredem in ampliſſima Pontificiarum Cohortium Præfectura ſucceſſorem declaravit, quem cum Anna Columna, Philippi Paliani, Taliacotii, Marſorumque Ducis & Lucretiæ Tomacellæ filia, virgine lectiſſima in arcis Gandulphinæ Sacello matrimonii nexu conjunxerat. Quirinali Palatio ædificia addidit; Hortos maximos Quirinales altis firmiſque mœnibus vallavit. Ut publicæ ſecuritati proſpiceret vigil paſtor, Urbem mœnibus cinxit, & propugnaculis munivit, ut indicat hæc inſcriptio Janiculenſi Portæ impoſita:

Urbanus VIII. Pont. Max.
Abſolutis Civitatis Leoninæ munimentis
Et mœnibus ac propugnaculis ad Tyberim
Uſque excitatis
Imminentem Urbi Janiculum
Et Tranſtyberinam Regionem circumducens
Publicæ ſecuritati proſpexit
Anno Domini M. DC. XXV.

Armamentarium Vaticanæ Bibliothecæ adjunxit, illudque tot armis, quot quatuor millium, & eo amplius militum legionibus armandis ſufficere poſſint, inſtruxit cum hac epigraphe:

Urbanus VIII. Pont. Max.
Urbis & Ditionis Eccleſiaſticæ ſecuritati
Anno Jubilæi M. DC. XXV.

Urbanus VIII. Pont. Max.
Litteras armis, arma litteris
Pont. Ann. III.

Ut tranquillæ ornamento litteræ, & turbatæ Urbi arma præſidio eſſent, Romam Urbanus munitam ex inermi fecit. Bibliothecam quoque Vaticanam Græcis MSS. Codicibus locupletavit; illius partem ornavit; Bibliothecæ Palatinæ libris ex Germania ſuis impenſis advectis apud Vaticanam locum ampliſſimum, & congruentia dedit armaria. In Gandulphi Caſtro Palatium Romanorum Pontificum commoditati erexit; & Archigymnaſium Romanum, quod *Sapientiam* vocant, ornatius reddidit. Templa S. Caii apud S. Suſannam, S. Sebaſtiani in Palatino non longe ab Arcu Titi extruxit, alterum S. Mariæ Rotundæ ornavit. Fontem ex aqua virgine in *Foro Trinitatis* nuncupato ad Pincii Collis radices Quiritium in uſum corrivavit. Is navis eſt e quadrato lapide, quæ ex bellicis tormentis atque ex Apibus aquam effundens, aſpectu & fructu ſibi Urbis amorem conciliat. In Vaticano fontem alium excitavit, qui aquam per trium Apum ora effundit.

Rotæ Romanæ Auditoribus Sedem in Vaticano conſtituit. Horrea in Quirinali conſtruxit. Centumcellarum portum a Trajano Imperatore ſuam originem agnoſcentem, ab aliis Pontificibus inſtauratum refecit, ac tam magna acceſſione auxit, ut recens conditus videretur. Nam aggerem maximum ſaxis ingentibus, qui fluctus elidat, Portumque tutum efficiat, exſtruxit: ædes etiam Mercatorum commodis erexit. Dulcium aquarum copiam eo derivavit, demptoque maris vectigali mercatores undique attraxit. Ariminenſem etiam arcem, *Sigiſmundam* olim, poſtea *Urbanam* appellatam, Anconitanam etiam, & Urbevetanam inſtauravit. Arcam Porphyreticam ornatam æneis ſtatuis Maſſiliam direxit, ut in ea S. Mariæ Magdalenæ cineres conderentur: Sacram ſupellectilem ad Maronitarum Patriarcham miſit; Apoſtolicumque Protonotarium ad res Martyrum geſtas conſcribendas inſtituit. Breviarium Romanum expurgatum edidit. Sacros hymnos, & Pontificale item Romanum emendavit: Martyrologium etiam ſua authoritate recognitum publici juris fecit. Conſtitutionem Gregorii XV. de R. P. electione perpetuitatis robore communivit: abuſus, qui in colendis quibuſdam ſanctimoniæ aut Martyrum opinione ereptis, ſed a Sede Apoſtolica inter cælites nullo modo recenſitis, irrepſerant, abolevit. Congregationem de immunitate Eccleſiaſtica, & de ditionis Pontificiæ finibus inſtituit. Facultates diſponendi de vacabilibus Romanæ Curiæ officiis ſuſtulit, indultaque transferendi penſiones Eccleſiaſticas mitiora reddidit. Deambulacrum Pontificium Vaticanum coſmographicis tabulis inſigne, porticumque ante Bibliothecam Apoſtolicam firmis tectis armans ab interitu vindicavit: propugnaculum Vaticanum circumdans inſtauravit: partem collapſam reſtituit; ideo in Templo Virginis ab Ara Cœli Senatus Populuſque Romanus horum aliorumque beneficiorum gratia, quæ in Urbem Eccleſiaſticamque ditionem univerſam Urbanus contulerat, inſigne illi rerum ab eo geſtarum monumentum dedicavit. Cum Franciſco Maria Ruvereo Urbini Duce, Pontificum Romanorum beneficiario, religione & prudentia claro, negotium ditionis Urbinatis, Romanæ Eccleſiæ poſt ejus mortem reſtituendæ, ea prudentia confecit, ut ipſas radicum diſcordiæ fibras, quæ pullulare aliquando potuiſſent, penitus evulſerit, & clientelarem provinciam non armis, nec ſanguine, ſed prudentia recuperavit.

Romanorum Pontificum primus a Congi Regibus, Joanne Baptiſta Vives Oratore, ſolemne Chriſtianæ obedientiæ Sacramentum coram ſex Cardinalibus propagandæ fidei operam præcipue navantibus, excepit. Antonio Nigritæ Marchioni primum a Congi Rege ad Paulum

V. Le-

V. Legato, qui legatione ſolemni ritu nondum peracta in Vaticano obierat, ſepulcrum, quod idem Paulus decreverat, perficiendum curavit. Æthiopiæ Imperator ad S. R. E. ſinum cum ſuis reverſus, Dioſcori, Eutychetis, aliorumque ab Eccleſia damnatos errores coram Catholico Æthiopiæ Patriarcha ejuravit. Hic typos ad libros æthiopice cudendos a Pontifice petiit, & obtinuit: miſit etiam ad illos Urbanus Formulam, qua Æthiopes in Catholica fide profitenda uti poſſent. Miſit cum Evangelii præconibus & litteras, quas Æthiopum Imperator benigne excepit, locum iis ad templum erigendum tribuit, indulſitque, ut in ſuo regno Evangelicæ doctrinæ, quam S. R. E. docet, ſemen ab iis ſpargeretur. Catholicis apud urbem Conſtantini auxilia exhibuit. Commotus tamen Urbanus tot cladibus, ruinis, afflictionibuſque, quibus Chriſtiani ſeſe invicem conficiebant, pro Paſtoris univerſalis munere eos in concordiam reducere ſatagens, Legatum ad hoc in Germaniam miſit Martium Ginettum Cardinalem, qui Coloniæ cum Legatis & Oratoribus Regum ac Principum Catholicorum de pace tractaret. Carolum Ducem Lotharingiæ excommunicationis majoris fulmine percuſſit, quod relicta propria & legitima uxore Nicolaa, ad ſecundas nuptias convolaſſet cum Beatrice a Santacruce, prætextu non dati conſenſus in primis nuptiis, licet ipſe a Sede Apoſtolica obtinuiſſet diſpenſationem ad primum illud matrimonium contrahendum, in quo una cum Nicolaa uxore legitima palam & publice convixit plurimorum annorum intervallo. Epiſcopum Durantinis, ac S. Angeli in Vado civitatibus dedit, & ſublato priore *Durantis* nomine, *Urbaniam* indito ſuo nuncupavit, ac in majoris benevolentiæ argumentum, gentilitiis ſuis ſtemmatibus, ut pro inſignibus uterentur, conceſſit. Novum igitur Epiſcopum ambabus Eccleſiis illis præfecit, qui Urbaniæ & S. Angeli Præſul diceretur. Cum autem ob Ducatum Caſtrenſem ad mare Hetruſcum inter Urbanum Pontificem & Odoardum Farneſium Parmæ & Placentiæ Ducem, Eccleſiæ Feudatarium, bellum exortum eſſet, cumque Farneſiano militi junctæ eſſent auxiliares copiæ Venetorum, Hetruſcorum, & Mutinenſium, huc & illuc incurſionibus multis factis ab utraque belligerantium parte, pax tandem poſt nonnullos menſes inter illos firmata eſt interventu Regis Chriſtianiſſimi, qui eo fine in Italiam miſerat Alexandrum S. Sabinæ Cardinalem Bichium, Epiſcopum Carpentoractenſem, acturum de pacis conditionibus cum Joanne Stephano Donghio Diacono Cardinali D. Georgii in Velabro agente Ferrariæ nomine Pontificis. At Urbanus poſt expletos in Pontificatu unum & viginti annos, octo diebus exceptis, pie Romæ moritur die veneris hora undecima ſacra D. Marthæ 29. Julii an. 1644. ætatis ſuæ ſeptimo ſupra ſeptuageſimum. Ejus corpus in tumulo, quem ſibi vivens in Vaticana Baſilica ad Eccleſiæ abſidem juxta Pauli III. ſepulcrum ſtatuis & columnis ornatiſſimum ſplendide Bernino auctore inſtruxerat, compoſitum eſt. In Pontificatu ſeptuaginta quatuor viros conſpicuos ſacra Purpura ornavit. Scripſit in aliquot Pſalmos & Cantiços novi & veteris Teſtamenti paraphraſim; in Chriſti Domini, Beatæ Virginis, & aliorum Sanctorum dies feſtos Hymnos & Odas; in viros illuſtres Epigrammata, & alia hujuſce generis plura, quæ præclarum fuiſſe utraque lingua, Etruſca ſcilicet & Latina, poetam ſatis oſtendunt. In Argenide Barclay anagrammatico vocabulo dicitur *Iburanes*.

Conſtitutiones Eccleſiaſticas, & Litteras Apoſtolicas Urbani habes Tomo quarto Romani Bullarii. Apoſtolicæ Urbani vigilantiæ ſuppreſſio & annullatio Congregationis *Jeſuitiſſarum* debetur, de quibus ita ille in Conſtitutione ſua edita Idibus Januarii an. 1630. „ Licet orthodoxis Lateranenſis & Lugdunenſis Concilio„ rum generalium ordinationibus diſtricte prohibitum „ eſſet, ne quis novæ Religionis inſtituendæ auctorita„ tem ſibi arrogare præſumeret, pariterque felic. re„ cord. Joannis XXII. virorum, & piæ mem. Clemen„ tis V. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum no„ ſtrorum ſalutaribus Conſtitutionibus mulierum cœtus „ auctoritate privata & de facto inſtituti, tanquam „ exitioſi palmites damnati & ſublati fuiſſent: Et ni„ hilominus (prout non ſine gravi animi noſtri mole„ ſtia acceperamus) in nonnullis Italiæ & ultramon„ tanis partibus, certæ mulieres, ſeu virgines, Jeſuitiſ„ ſarum nomine aſſumpto, citra ullam Sedis Apoſtoli„ cæ approbationem ab aliquot annis in unum conve„ nire ſolitæ, vitæ religioſæ ducendæ prætextu peculia„ rem & diſtinctum a cæteris habitum uſurpaſſent, do„ mos probationum erexiſſent, ædificia in Collegiorum „ formam redegiſſent, in eiſque Superiorem ac prætenſæ „ Congregationis ſuæ Generalem, indito Præpoſitæ ti„ tulo, & attributis facultatibus bene viſis conſtituiſſent, „ in illiuſque manibus paupertatis, caſtitatis, & obe„ dientiæ vota ad inſtar ſolemnium emittere, clauſuræ„ que legibus non adſtrictæ pro libitu divagari, ac ſpe„ cie ſalutis animarum promovendæ, aliaque opera „ permulta ſexus & ingenii imbecillitati, & modeſtiæ „ muliebri, ac virginali præſertim pudori minime con„ venientia, & quæ viri ſacrarum litterarum ſcientia, „ rerum uſu, vitæque innocentia ſpectatiſſimi difficile „ admodum, & nonniſi magna circumſpectione adhibita „ aggrediuntur, attentare, & exercere conſueviſſent: „ Nos excreſcentes in agro militantis Eccleſiæ vepres „ mature evellere ſatagentes, Venerabili fratri Aloyſio „ Epiſcopo Iricaricenſi noſtro & Apoſtolicæ Sedis in „ partibus inferioris Germaniæ Nuntio, & nonnullis „ locorum Ordinariis dedimus in mandatis, quatenus „ propoſitis gravibus periculis, & ſcandalis exinde re„ ſultantibus, mulieres ſeu virgines præfatas ex parte „ noſtra Apoſtolica ſerio monitas a temerario incœpto „ ad ſaniora conſilia revocare conarentur. Verum quia „ illæ Dei timore ac noſtro & Sedis Apoſtolicæ reſpe„ ctu poſthabito, in grave animarum ſuarum præjudi„ cium, & bonorum omnium offenſionem arroganti con„ tumacia, paternis & ſalutaribus monitionibus noſtris „ nedum non paruerunt, ſed etiam in dies ſimilia at„ tentare, ac multa ſanæ doctrinæ adverſantia proferre „ non erubeſcunt: Nos tantam temeritatem acriori cen„ ſura coercendam, & plantas iſtas Eccleſiæ Dei no„ xias, ne ulterius ſe diffundant, radicitus evellendas, „ & extirpandas eſſe decrevimus. Habita itaque cum „ Venerab. Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ad„ verſus hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitori„ bus ab eadem Sede ſpecialiter deputatis matura con„ ſultatione, de illorum unanimi conſilio & aſſenſu, „ Conciliorum generalium præfatorum decretis, eo„ rumdemque prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhæ„ rentes, prætenſam Congregationem mulierum, ſeu „ virginum Jeſuitiſſarum nuncupatarum, illarumque „ *Sectam* & ſtatum ab ortus ſui primordio nullos & in„ validos, nulliuſque roboris vel momenti fuiſſe & eſ„ ſe, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium decer„ nimus, & declaramus. Et quia de facto proceſſe„ runt, eadem auctoritate penitus & omnino ſuppri„ mimus & extinguimus, perpetuæque abolitioni ſubji„ cimus, & ab Eccleſia Dei ſacroſancta funditus tolli„ mus, delemus, & abrogamus, ac pro ſuppreſſis, ex„ tinctis, evulſis, deletis, & abolitis ab omnibus „ Chriſtifidelibus haberi & reputari volumus, & man„ damus; nec virgines & mulieres hujuſmodi ad voto„ rum præfatorum obſervationem ullo modo teneri, aut „ obligari volumus &c. “

Litteratos viros maxime coluit Urbanus, multique ex iis fuere, qui aut eidem lucubrationes ſuas nuncuparunt, aut laudes celebravere. Studio in Religionem excitatus, Salmaſium ad Romanæ Eccleſiæ ſinum conducere ſtuduit, ut auctor eſt Petrus Aurelius in *Anæretico* adverſus Sirmondum; nam in ejus præfatione hæc habet: „ Ac ne me alieno certamini admiſceam, quod in „ ſæculari litteraturæ contentione maximam partem „ verſatum eſt, tantum dico, in Sirmondi ingenio, & „ litteris nihil eſſe, quod cum Salmaſio conferatur; nec „ parum accuſandam eſſe ipſius & Sodalium acerbita„ tem, quod hominem naturæ dotibus, & eruditione „ multa inſignem, in Sedem Apoſtolicam jam propen„ ſum, quem allicere penitus ad Eccleſiam, ſua ſpon„ te bene animatum debebant, ſic exagitarunt convitio„ rum & ſuperbiſſimarum ſcriptionum telis, ut nulla „ in iis religioſæ moderationis veſtigia extent, nec in„ ternoſci queat ex ipſa diſputationis facie, uter liti„ gantium ab Eccleſiæ communione alienus, utri do„ meſtici ejus ſint, religioſi Sacerdotes; ita omnia ſæ„ culari tipho redundant. Longe alia mens & pietas „ fuit Urbani VIII., qui pro eo quo eruditionem, & „ Eruditos proſequitur ſtudio, non minus eruditionis „ quam Eccleſiæ ipſe princeps, hominem tot naturali„ bus Dei muneribus ornatum, divinioribus gratiæ do„ nis cumulari exoptans, ſalutem ejus doctiſſimo nuper „ Aurelianenſium Epiſcopo Brevi Apoſtolico commen„ davit. Sed eorum, quibus tanta innata eſt ſuperbia „ in quoſcumque adverſantes, quanta in deditos & fa„ ventes adulatio, quorumque ideo genius exacerbandis „ avertendiſque, quam convertendis Sectariis eſt aptior, „ alii ſunt mores, alia inſtitutio “.

Plures dies feſtos abolevit, tum quod pauperes eorum multitudinem ob quotidiani victus laboribus ſuis comparandi neceſſitatem ſibi valde damnoſam conquererentur, tum quod ipſa multitudine populus uteretur non religionibus colendis, ſed vitiis. Propoſito autem dubio ad inſtantiam quamplurium Epiſcoporum, an ſtante Urbani Conſtitutione ſuper obſervatione feſtorum, quæ incipit *Univerſa* Idibus Septembris an. 1642. promulgata, Univerſitates, ſeu Communitates civitatum, ſeu locorum teneantur ex præcepto ſervare feſta ex voto eorundem inducta, die 10. Aprilis an. 1643. Sacra

Rituum

Rituum Congregatio cenſuit, ex diſpoſitione Conſtitutionis prædictæ perſonas voventes tantum teneri. Quam ſacræ Congregationis ſententiam ſibi relatam Urbanus laudavit & approbavit, dixitque intentionem ſuam fuiſſe per eam Conſtitutionem tollere feſta de Voto quoad vim præcepti, & reducere illa ad inſtar feſtorum de devotione, reſervata obligatione ratione perſonalis contractus ex vi voti provenientis ipſiſmet perſonis tantum, quæ voverunt, ut legere eſt apud Lambertinum Lib. 4. parte 2. cap. 15. num. 14. Operis *de Servorum Dei Beatificatione* &c. Diſceptari voluit controverſiam, poſſetne Sacramentalis Confeſſio Laicis etiam, non ſolum Sacerdotibus, fieri neceſſitate premente? Hanc excitarat imperitus Sacerdos neſcio quis miſſus ad Sinas lege Chriſtiana imbuendos, ut ſi reſponſum eſſet, id fieri licere, viam facilem aperiret audiendis Confeſſionibus pœnitentium fœminarum, quæ illic arctiſſime cuſtodiuntur. At non fuit valde laborandum Romanis Theologis, ut adverſus allatos ex jure Canonico locos evincerent, poteſtatem retinendi ac remittendi peccata ſolis Sacerdotibus a Chriſto Domino factam fuiſſe. Rem totam explicate narrat Marcus Battaglini in Annalibus Sacerdotii & Imperii ad an. 1637. §. 10. & ſeq. Præter Cardinales auxit titulo *Eminentiſſimi* Archiepiſcopos tres Electores Imperii, & magnum Magiſtrum militiæ Melitenſis.

Denique Paulum V. imitatus eſt Urbanus in augenda ornandaque familia ſua. Sed vero, quamvis ædes ampliſſimas Nepotibus ſuis extruendas curarit, Franciſco nempe & Antonio, cum purpura reditus magnos contulerit, oppida dederit, vetuſtamque Latii urbem Præneſtem, in hoc tamen vel ab ipſis Romanorum Pontificum oſoribus laudatus eſt, quod vita functo Franciſco Maria Urbini Duce, dominium illud, nec non Piſauri, Senogalliæ, Eugubii, & Montis Feretrani non ſuis, ſed ditioni Eccleſiaſticæ addixerit. Michaelis Baji errores jam proſcriptos denuo Apoſtolico mucrone confixit Urbanus, & Cornelii Janſenii librum famoſum, cui *Auguſtinus* nomen, primus damnavit, uti in hiſtoriça de Erroribus Diſſertatione palam fiet.

INNOCENTIUS X.

ANNO 1644. XVII. Kal. Octobris inauguratus eſt Pontifex Joannes Baptiſta Pamphilius Romanus, appellatus Innocentius X. Multis iiſque clariſſimis præfulſit virtutibus, præcipue vero propagandæ Religionis ſtudio, pietate, conſtantia, prudentia, & erga pauperes populumque ardentiſſima caritate, ut plura harum virtutum ſpecimina, quæ ille præbuit, argumento ſunt, quæ hic referemus, ab iis ſumto exordio quæ ad conſervandam incorruptam, promovendamque ubique fidem Catholicam peregit. Quia inter conventiones pacis, quæ ab urbe, ubi eſt inita, *Monaſterienſis* dicta fuit, multa erant, quæ ſacra jura lædebant, & religioni Catholicæ perniciosa habebantur, ut erat conceſſio facta Hæreticis libere ſuas ſectas profitendi, ſui muneris eſſe duxit Innocentius per Legatum ſuum Fabium Chiſium eandem refellere & exſecrari. Ut ergo toti innoteſceret poſteritati, quam alienus eſſet a pace hujuſmodi, Pontificium diploma promulgavit, quo pacem prædictam Monaſterienſem tum cum ſolis Batavis hæreticis a Rege Catholico, tum cum Germaniæ & Sveciæ Principibus a Cæſare Ferdinando ſancitam, tanquam Sedi Apoſtolicæ injurioſam reprobavit.

Eandem animi fortitudinem in eos pariter oſtendit, qui conabantur traducere captivum in Galliam Dominum Baupium, eo quod Cardinali Mazzarino mortales orditus fuiſſet inſidias: acriter iis obſtitit Pontifex Innocentius, & ad ſe tanquam ad ſupremum rerum eccleſiaſticarum judicem eam cauſſam ſpectare affirmans, Romæ eum detinuit, quoad cognita & examinata cauſa, quid faciendum eſſet de ipſo conſtitueret. Eximia hæc animi fortitudo, ſi nuſquam alias, tunc certe maxime enituit, cum audita nece iniquiſſima, qua Marchionis Gaufridi primarii tunc temporis in Aula Parmenſi adminiſtri mandato, per ſummum nefas ſicariorum manu ſublatus e vivis fuit Chriſtophorus Giarda Venerabilis Caſtri Invi Rutulorum oppidi Epiſcopus, quam urbem ad Pontificiæ jurisdictionis & juſtitiæ effectus impediendos validiori quam par erat arte Parmenſes muniverant, eandem urbem malorum omnium fontem & caput expugnandam & delendam in pœnam tanti ſceleris decrevit. Poſtquam enim ſacris diris, & horrendo anathematis fulmine eos percuſſiſſet, qui tam nefandi flagitii conſcii aliquatenus erant, conſcripto expeditiſſime exercitu, arcta cingi obſidione Caſtrum mandavit, Ducibus Comitibus Gabriellio & Widman viris præſtantiſſimis, deſtinatoque Pontificii exercitus generali Commiſſario Julio Spinula tunc Viterbii totiuſque S. Petri Patrimonii Gubernatore. Quia vero ex parte Bononienſis ditionis, quæ Parmenſi agro contermina eſt, vel ſuppetias obſeſſæ urbi a Marchione Gaufrido mittendas, vel in agrum Bononienſem bellum aſportandum credebatur, alium cogi exercitum in ea regione Innocentius mandavit, qui Duce Aloyſio Marchione Matthæjo Romano Dynaſta, hoſtem ex ea parte fatigaret, & a ſuo propoſito bellica vi armiſque diſtraheret. Et ſane votis reſpondit eventus; Marchio quippe Gaufridus, qui pro ſuo arbitrio Parmenſem Aulam moderabatur, ut expeditior eſſet ad tantam viarum longitudinem ſuperandam, ingenti collecto equitatu jam viæ ſe dederat ad Caſtri urbem ab obſidione Pontificia vindicandam. Promptus ei miles Pontificius occurrit, qua non ignobile oppidum viſitur ad fines agri Bononienſis vocatum *S. Pietro in Caſale*, & facile datur pugnæ locus, illinc Marchione Gaufrido, hinc Marchione Taſſono Eſtenſi agmen generoſe ducentibus: brevis, at cruenta fuit victoria, quæ, ſuam cauſam Deo protegente, penes Pontificios ſtetit: Gaufridus fugatus & victus, Parmenſis Ducis mandato captivus in arcem Placentiæ abducitur, multiſque detectis criminibus, qui ſui Principis optimi nomen per ſuam audaciam & perfidiam implicaverat, & præſertim de cæde Caſtrenſi Epiſcopo illata reus inventus, ſuorum ſcelerum pœnas luit, capite plexus, boniſque omnibus, quibus ſe largiſſime cumulaverat, ſpoliatus. Hinc Caſtri deditio, & totius belli finis brevi paucorum menſium ſpatio ad integram felicitatem perductus. Et ne, ſi Caſtri urbs ſupereſſet, nova ex aliis ætatibus pullularent bella, eam evertere & eradere ſtatuit Pontifex, dato ea de re mandato Julio Spinulæ, qui a fundamentis civitatem diruit, erectis ſolum quibuſdam crucibus iis in locis, ubi Eccleſiæ & Cœmeteria erant, quæ vigore delegationis ei factæ a Pontifice profanavit. Nomine Cameræ Apoſtolicæ illico poſſeſſionem accepit amborum Statuum Caſtri & Roncilionis vigore præter alios titulos venditionis contractus inter Summi Pontificis Theſaurarium & Miniſtros Ducis Parmenſis Romæ ſtipulati. Caſtri vero Epiſcopalis Eccleſia ad proximam Agulæ ſive Aquipendii cum omnibus prærogativis, & juribus translata fuit, & Dux ipſe Parmenſis, qui Gaufridi artibus & mendaciis deceptus viſus fuerat hujus belli author, certis quibuſdam conditionibus initis, Pontificiæ benevolentiæ reſtitutus. Quam quidem benevolentiam Farneſiæ familiæ ſatis ſuperque oſtenderat Innocentius, cum ſui Pontificatus initio non ſolum Parmenſi Duci Odoardo S. R. E. Vexilliferi munus, quo Farneſios Principes Romani Pontifices decorare conſueverant, Appio de Comitibus Poli Duce poſtulante, & fidelitatis ſacramentum præſtante, confirmavit; ſed multo etiam magis cum Franciſcum Mariam Farneſium ejuſdem Ducis fratrem germanum Vaticana purpura ornavit.

Ex hac animi fortitudine naſcebatur magnus ille juſtitiæ, & rectitudinis amor, quo Romanæ urbis & ditionis Eccleſiaſticæ regimen adminiſtravit. In cauſis habendis, ferendis ſententiis, dirimendis controverſiis, nulla habita vel divitum vel principum virorum ratione, integerrimo curſu voluit ut juſtitia procederet, & ſuum cuique daretur, & ſi quando hac in re Legatos & Adminiſtros ſuos vel leviter deliquiſſe compererat, ſevere arguebat, & ſi opus fuiſſet ab impoſito munere repellebat; indignum quippe ducebat, ut populis præeſſet, qui juſtitiam ſervare neſciebat populis ſuis. Quin etiam ad majora inferenda ſupplicia accedebat, ſi crimina graviora fuiſſent contra juſtitiam, & debitam juſtitiæ fidem. Nobilis ceteroquin vir, ſed cruentis flagitiis in juſtitiæ contemptum, & in eos, qui ad eam contra ipſum confugerant, patratis implicatus, cum in Præſulem publica officia adminiſtrantem comminatoria necis verba temere & audaciſſime pronunciaſſet, quibus ſignificabat ſe ad tempus futuræ Sedis vacantis ultionem de iis accepturum, quæ licet æquiſſima eſſent, inique ab ipſo ferebantur, poſt repetitos Sapientum virorum conventus, & ſolidiſſime rationes omnes excuſſas, judicum omnium criminalium ſententia damnatus, publica in platea capite plexus eſt. Alius pariter rerum criminalium,

lium, ut vocant, in foro Gubernatoris Romani judex, Romano populo præ ſua avaritia & rapacitate odioſiſſimus, carcere primum damnatus, mox in pœnam majoris flagitii ad triremes miſſus.

Ad puniendum & coercendum Firmanum populum, qui Uberto Mariæ Vicecomiti ejus urbis prætori ſeditioſe mortem dederat, cum ſuprema poteſtate Laurentium Imperialem Cameræ Apoſtolicæ Clericum illuc miſit valido militum agmine, Comite Widmanio Duce, ſtipatum, ut cauſam fortiter ageret, & quos reos inveniſſet gravi ſupplicio damnaret. Quæ autem hic ab eo acta fuerint, ſatis conſtat; alios enim carcere, alios capite, alios exilio, plurimos pecunia mulctans, magna cum laude fortitudinis & prudentiæ violatæ juſtitiæ ſatisfecit, & ſeveritati aliquam miſericordiam jungens, mœrentis populi preces & Principis optimi vota ſapienter implevit. Sed illud hac in re ſingulare fuit, quod in Franciſco Canonico alias vulgo nuncupato *Maſcanbruno* Urbs Romana cum magna commendatione juſtitiæ proſpexit; cum enim is Subdatarius eſſet, & in eo munere non ſui Principis famæ, non debitæ rectitudini, non fidei ſuæ, ſed pecuniæ cumulandæ tantum ſtuderet, in litteris Apoſtolicis falſandis maximis ſe implicavit criminibus, quibus non ſui tantum Principis illibatum nomen, ſed totius Aulæ Romanæ candorem apud exteros deturpabat. His, ea qua præſtabat vigilantia, ab juſto Pontifice perſpectis, poſt habitam cauſam accuratiſſime & diuturno examine ventilatam ſuo primum officio exui, hinc judicum plurium ſententia ad capitis pœnam damnatum, juxta catholicum ritum Sacerdotii dignitate ſpoliari, & capite diminutum toti Urbi ſpectandum exhiberi mandavit, ut in ejus ſupplicio violata fides, & corrupta juſtitia in Romanorum exterorumque animis inſtauraretur. Hæc autem tam recta integraque juſtitia in permittendo, ut judices ſævirent prout jus exigebat in reos, non officiebat, quin & in abſolvendo innocentes eandem oſtenderet, imo & pietatem, ac clementiam, in eos, quos aliquando judices non integri damnaverant, uti benigniſſimus parens amplectebatur. Quod in Cardinalibus Barberinis totaque eorum familia perſpectum fuit; poſtquam enim & eorum cauſa diſcuſſa, & ſolertiſſime agitata, innotuit eorundem innocentia & probitas, e Gallia, quo confugerant, revocavit, ad ſe venientes blandus excepit, eoque amore illos detinuit, ut tandem proneptem ſuam, filiam Mariæ Pamphiliæ Principis Juſtinianæ in matrimonium junxerit Principi Prænestino Maphæo Barberino; imo ut ſui animi majorem benevolentiam illis exhiberet, Carolum Barberinum Maphæi Principis fratrem ſacro Cardinalium Collegio adſcripſit, aliaque beneficia in Barberinam domum plena manu derivavit. Quam etiam beneficentiam late oſtendit non modo cum iis omnibus, cum quibus ipſe agebat, & quos Sedis Apoſtolicæ obſequio addictos noverat, ſed etiam cum Principibus, quorum amorem erga S. Sedem ſtudioſe conciliare vel conſervare nitebatur.

A primis Pontificatus diebus ſecum animo reputans ſe eſſe Vicarium Dei, in Dei honorem, cultumque totus incubuit. Catholici nominis hoſtes Turcas & Hæreticos acerrime inſectatus eſt. In Turcas tum Venetis, tum Melitenſibus Equitibus validas vires ſubminiſtravit; triremes Pontificias ſemel cum Principe Ludoviſio, ſimul cum triremibus Neapolitanis, Hetruſcis, & Melitenſibus, quas ab exteris Principibus impetravit, in mare Creticum expedivit, ut Cretæ inhiantes Turcas repelleret; triremes vero Pontificias quolibet anno ſui Pontificatus ad eandem cauſam Venetis in ſubſidium conceſſit. Iiſdem Venetis, cum Dalmatinum agrum Turca invaderet, cohortem pontificio ſtipendio collectam & ſervatam dedit, & ejus beneficio debetur quod a Sebeniceæ arcis obſidione repulſus cum magna clade fuerit Turca. Cum vero magnus Melitæ Magiſter certior factus fuiſſet de ingenti apparatu, quo Melitæ urbem, Italiæ & Chriſtianæ fidei propugnaculum magnus Turcarum Princeps erat aggreſſurus, Pontifex Innocentius paratiſſimam militum aciem illuc expedivit, & longe majora ſe ſuppeditaturum auxilia promiſit, ſi neceſſitas exigeret. Uladislao pariter Poloniæ Regi bellum in Turcas meditanti triginta millia aureorum ad faciendum bellicum apparatum dedit, regiumque animum ad tam illuſtre opus promiſſis majoribus erexit.

Cum e Galliis liber quidam anonymus prodiiſſet, qui Eccleſiaſtici nominis Monarchiam a Chriſto Jeſu in Vicario ſuo Romano Pontifice inſtitutam tentabat evertere, ſedulo primum exquiri, diligenter examinari a probatiſſimo Cardinalium, Prælatorum, & Theologorum cœtu mandavit: ubi autem conformi omnium ſuffragio doctrina illa, quæ aſſerebat omnimodam fuiſſe æqualitatem SS. Petri & Pauli ſine Pauli ad S. Petrum ſubordinatione, & ſubjectione in poteſtate ſuprema & regimine univerſalis Eccleſiæ, fuit reprobata tanquam falſa & evidenter erronea, Pontificiæ poteſtatis calculo ipſe eam damnavit & declaravit hæreticam, viroſque doctos excitavit ad eam proterendam, inter quos ſtylum acuere Joannes Auguſtinus de Bellis Clericus Regularis, Theophilus Raynaudus, Iſaacus Habertus Epiſcopus Vabrenſis, Petrus de Marca Archiepiſcopus Toloſanus, aliique. Quinque etiam propoſitiones ex libro Cornelii Janſenii excerptas damnavit confixitque.

Hiſce addenda ſunt, quæ ad Catholicorum ſuſtentandas vires in Hibernia contra hæreticos Anglos Innocentius perfecit. Ipſo Pontificatus initio in Hibernorum Catholicorum auxilium expedierat cum auro argentoque Catholicæ religionis ſervandæ ſtudioſiſſimum Joannem Baptiſtam Rinuccinum Archiepiſcopum & Principem Firmanum, morum integritate & ſacræ doctrinæ præſtantia Præſulem probatiſſimum, qui cum e Rupella ad Galliæ littus poſita ſolviſſet, ut Hiberniæ regnum appelleret, poſt arduam navigationem, evitatis Anglicæ navis eum per centum maris milliaria perſequentis feliciter inſidiis, appulit tandem in Kilmarii portum, ex quo uſque ad Kilcheniæ urbem in Momoniæ provincia primariam. Inexplicabile dictu eſt quam pie & officioſe Pontificius Legatus ab Epiſcopis, Nobilibus, Ducibus, totoque exercitu, & populo fuerit exceptus. Compoſitis hinc inde primo, multiſque pertractatis politicis & ſacris negotiis, in id demum ſuadente & urgente Rinuccino Legato ventum fuit, ut in Hæreticos variis artibus eludentes Catholicos fœdus ſacrum denuo firmaretur, & pontificia pecunia firmatus exercitus bellum in Anglos proſequeretur. Cum autem ex Ultoniæ latere contermina Scotiæ Hibernia ſit, ex Ultoniæ provincia aptiſſimum judicavit Rinuccinus Legatus, ſi tota belli moles ferretur in Scotiam, ex qua velut ex hæreſeos armamentario in Catholicos Hibernos arma ſumebantur. Quia autem ſupremi fœderati exercitus Duces Eugenius Onealius, & Thomas Præſtonus antiqua æmulatione ſibi invicem non admodum conſentiebant, acies dividere neceſſe fuit, & ſuas utrique dare, diverſo diſtantique loco ducendas.

Porro non tam diverſo ingenio, quam corde diſſabant ſibi invicem Onealius & Præſtonus. Erat hic vir generoſus; at Onealius, utpote qui ex antiquiſſimo Comitum Tyronum ſanguine progenitus, erat antiquæ nobilitatis ductor, Catholicæ religionis veraciſſimus æque ac fortiſſimus cultor, cætera omnia vel familiæ ſuæ vel vitæ commoda ejus ſanctitati poſthabebat. Cum enim pronepos ipſe eſſet illuſtriſſimi olim Comitis Hugonis Tyroni, qui poſt plurima egregie & fortiſſime in Hibernia pro Catholica religione confecta contra hæreticam feminam Eliſabetham, tandem Romæ cum immortali ſui nominis laude deceſſit, dignum ſe tanto patruo nepotem in eadem catholicæ fidei defenſione decrevit oſtendere. Et quia tum in Hiſpania & Germania, tum in Belgio & Anglia clariſſima dederat ſuæ virtutis in re bellica exempla, maximam ſibi apud totam Ultoniæ nobilitatem in rebus gerendis auctoritatem comparaverat. Onealio igitur mandatum fuit, ut in Ultoniam progrederetur, ubi Scotorum minæ validius intonabant. Thomas vero Præſtonus in Momoniam pari fere cum milite fuit expeditus, ut ex ea parte hoſtem quateret: ſua utrique laus danda: Onealius quippe Scotis irrumpentibus prope Bembordii oppidum in Armaghi Comitatu obvius factus, ſuorum virtute militum hoſtium numerum longe majorem compenſans, cum eo congredi aperto marte non dubitavit: nec brevis, nec cruenta pugna fuit: quippe multarum horarum ſpatio fortiſſime hinc inde dimicatum eſt; donec catholicis Pontificia benedictione ſuffultis aſpirante victoria, hoſtis vel neci datus, vel fugæ. Hoſtium quinque millia occubuere, ſupremus eorum Dux Robertus Monteroius, vix e pugna mutata veſte ſuperſtes fuit: e majoribus, & minoribus Scotorum ducibus ſexaginta fuerunt captivi; impedimenta & tormenta bellica victoribus in prædam ceſſere, & vexilla omnia, inter quæ primarium viſebatur, victoriam auxerunt. Hæc autem vexilla ſimul cum honore victoriæ miſit Romam Rinuccinus Legatus ad Innocentium Pontificem, qui tantæ victoriæ auſpex in triumphum religionis Catholicæ in Templo Vaticano ea explicari mandavit. Ex alia Momoniæ parte non otiabatur Præſtonus; Roſcomanenſi enim arce ad deditionem coacta, minoribuſque nonnullis oppidis receptis, Slicum urbem ab hoſte non ita pridem interceptam invadere moliebatur, niſi a conſilio eum removiſſent, qua ratione incertum, Senatus Catholici litteræ. Et quoniam in eadem Momonia Comes Tumondius Anglici Parlamenti partibus adhæſerat, eique ſuam patriam Arcem, *Bonratti* vocatam, defendendam commiſerat, optime factum cenſuit Rinuccinus Legatus, ſi ejectis Anglis iterum catholicis redderetur arx illa ſitu & opere munitiſſima. Donato igitur Maccartio Vicecomiti de Musgrey tantum opus commiſit, utque celerius quum poſſet illud

confi-

conficeretur, militarem ſtationem adire ipſemet Rinuccinus decrevit, & obſidionem fervide inchoatam præſentia ſua fovere: poſt duodecim dies non tam hibernico plumbo quam auro pontificio mœnia disjecta, locum victori Rinuccino dedere, qui arcem, triumphalem in modum, ingreſſus, hæretica Anglorum vexilla ad ſui triumphi pompam, tum in arce expugnata, tum in urbe Limerici explicavit.

Inter hæc tam feliciter pro Catholica religione inchoata, æmulatione ſuccenſus Præſtonus de univerſali quodam plauſu, quo Onealii nomen apud omnes catholicos excipiebatur, clam cum Ormondo agebat (is erat pro Anglis hæreticis prorex Hiberniæ hæreticus) ut pax Anglos inter & Hibernos catholicos certis quibuſdam conditionibus catholicæ fidei eorumque conſcientiæ injurioſis iniretur; & quamvis prædictam pacem Cleri totius conventus Vaterfordiæ, Rinuccino mandante, habitus reprobaret, palam illam ab Ormondo oblatam excepit, & publica militum gratulatione promulgandam dedit.

Poſt hæc placuit totam belli molem in unam Dublini urbem, quæ totius Regni primaria eſt, natura & arte validiſſima, devolvere, & hujus operis in partem vocare etiam Præſtonum, qui de accepta promulgataque pace ſe excuſans, neceſſario cum ſuo exercitu vocandus ad Dublinum obſidendum videbatur, tum ut validior eſſet obſeſſio, tum ne a catholicis rebus excluſus ad Anglicas partes accederet. Illum revera omnino excludere volebat Rinuccinus Legatus, qui illum ſuſpectæ fidei hominem habebat, ſed ut ſe aliorum ſententiæ accommodaret, prudenti quidem, ſed fatali conſilio ei ſimul cum Onealio Dublinum obſidendum commiſit; ex iſta enim duorum Ducum mutua æmulatione ſimul certantium non tantum irrita fuit multorum menſium ſpatio protracta obſidio, ſed in diſcrimen adductus fuit totus fere exercitus, hinc Onealio, illinc Præſtono cum ſuis unoquoque agminibus ad pugnam invicem habendam paratiſſimis. Diſcordes iratoſque Ducum animos ſedavit compoſuitque prudentia ſua Rinuccinus, & ſervatum ſua opera exercitum, Dublino omiſſo, deſtinavit ad alia.

Inter hæc Jacobus Buthler Marchio Ormundus Hiberniæ pro-Rex deteſtabili ſemper perfidia Dublini arcem pro exigua auri ſumma venalem Anglico Parlamento habuit, & e tam improbo pudendoque opere eæ calamitates poſtea pullularunt, quibus obvoluti Catholici rem catholicam fere funditus profligatam viderunt. Ad hæc ſignificanda Pontifici Innocentio Romam miſſus ab Rinuccino fuit Decanus Eccleſiæ Firmanæ, quem ſecum in conſiliorum ſuorum partem duxerat. Perlibenter eum excepit Innocentius Pontifex: auditiſque ab eo omnibus, quibus Catholica res agebatur in Hiberniæ Regno, ad ejus fidem & pietatem ſervandam fovendamque cum ingenti auri copia, quinquaginta ſcilicet aureorum millibus, eum in Hiberniam remiſit, majora etiam auxilia pro neceſſitate præbiturus, ut Catholicorum fœdus conſiſteret.

E Dublini arce poſſeſſa ſuperbiam magnam induerant Angli & Hæretici, noviſque copiis ex Anglia & Scotia inſtructi tum in Lagenia, tum in Conavia Catholicos acerbe divexabant. A Barone Inciquin viro ſtrenuo, qui tunc hæreticus erat, poſtea vero catholicam complexus eſt fidem, in Momonia totus ager catholicus miſerandum in modum diripiebatur, nequicquam obnitente Comite Chamorgano: in Lagenia non longe Dublino, ingenti clade fuſus Præſtonus; rurſus ab eodem Inciquino cruente cæſus una cum exercitu in Lagenia Vicecomes Taaf; Onealius rem catholicam ſervare viſus, & tot perpeſſas jacturas ſua virtute reſtaurare, & largius compenſare. Ex hac tamen Onealii felicitate, in quem tanquam in ſuum ſervatorem ſpes, & oculi Catholicorum convertebantur, vulnera diſſenſionum & rixarum cum Præſtono habita acerbius recruduerunt: & quia tamen nimis Onealio virtute & fama imparem apud omnes ſe Præſtonus agnoſcebat, quem virtute vincere non poterat, fraudibus ſuperare contendit. Illis igitur rurſus adhærens, qui Ormondio Marchioni favebant, in Onealium Catholicorum ducem & columen, & in Rinuccinum Legatum perfida cogitatione inſurgit, & ſacramentum, quo ſe de fœdere cum Catholicis ſervando obſtrinxerat, frangens, pacem ab hæreticis propoſitam rurſus amplectitur. Eo ejus odium in Onealium & inſidiæ in Rinuccinum pervenerant, ut ille non mediocre vel vitæ vel captivitatis periculum adierit, hic vero coactus fuerit, ut extremo diſcrimini ſe ſubduceret, occulta & improviſa fuga ex urbe Kilcheniæ, ubi ad omnia opportune componenda morabatur, abſcedere; e qua fuga mirum quanta conſternatione percuſſi fuerint Præſtonus ipſe & quotquot cum hæreticis Ormonii fautoribus conſentiebant. Sane ſi celeriori greſſu acies ſuas moviſſet Præſtonus, tentatum ſuæ perfidiæ opus confeciſſet, & tum Pontificium Legatum, tum Catholicorum Ducem Onealium nil tale ſuſpicantes facillime invadere potuiſſet, atque intercipere ad omnem defenſionem imparatos. Nihil intentatum reliquit Rinuccinus, ut Præſtonum hujuſque adſeclas tota qua poſſet vi refrænaret. Diligenti igitur Legati cura Ormoniorum factio maxime perturbata fuit, & præ conſcientiæ metu, ſeu reverentia legato Pontificio debita, duo millia militum e Præſtoni caſtris fugere ad vexilla Onealii. E contra accenſus Præſtonus in Rinuccinum & Onealium totum audaciæ ſuæ virus evomuit. Anglicæ Majeſtatis rebellem utrumque renuntiavit, expellendum e regno Rinuccinum, omnibus bonis ipſaque vita ſpoliandum Onealium ſcripſit; ſed irrite omnia ceſſere, quandoquidem Onealius, in quem Præſtonus & Inciquin Ormonicæ factionis duces conjunctis viribus properabant, catholicæ religionis tuendæ ſtudioſiſſimus, mira celeritate Præſtonum ab Inciquino disjungens, copias bellicas undique colligens, e Momonia ad Ultoniæ fines, ipſamque Kilcheniæ urbem Ormonicæ factionis ſedem acceſſit. Atque utinam tanta Onealii virtus in ipſam Kilcheniæ urbem vim feciſſet; exterritam enim, nulloque apparatu inſtructam facillime obruiſſet, & in unius urbis acquiſitione totam factionem Ormoniam labefactaſſet, imo deleviſſet. Plurima tamen ipſe fortiter, & feliciter pro Catholicis in Ormonios geſſit, tandemque cum ſuis Ultonienſibus inter paludes quaſdam eos coegit, coactoſque tam arcte circum clauſit, ut una tantum ex parte ſatis anguſta locus eorum fugæ pateret. Sed neſcio qua ratione fugere Ormonii dormitante Onealio, qui tot exercitus eadem æſtate vel aſtu eluſit, vel manu fregit. Ipſemet Comes Clavacardius Momonici exercitus præfectus, & præcipuus Ormonii adſecla vix ſibi fugienti credebat, nihil tentante Onealio. Hinc Ormoniorum victoria, & Catholicorum ſpes profligatæ. Onealius in Ultoniam ſe recepit, Calviæ Civitas Clavacardio obſidenti ſe tradidit, Decanus Firmanus a Præſtoni aſſeclis carceri mancipatus, exutuſque omnibus, ipſequemet Pontificius Legatus accurate ubique perquiſitus ad exilium, vel ad necem.

Hæc inter Marchio Ormonius, vocantibus Præſtonianis, ut ſui triumphi pompam lætus aſpiceret, ex Anglia Hiberniam repetiit. Hic ab omnibus ſalutari, muneribus, obſequiis tanquam pro-Rex excipi, ſuos celebrare, Catholicos perſequi, Pontificium Legatum deridere, pacem omnibus nomine Parlamenti Anglici præferre, & demum in urbe Kilchenia poſt concionem ipſi de pace componenda habitam Hibernicæ Inſulæ regimen & poteſtatem inter omnium plauſus aſſumere. Ad hæc Pontificius Legatus, nulla in tanto morbo remedii ſpe affulgente, indignum ratus ea in inſula diutius commorari, in qua tam fœde prorex hæreticus quiete dominaretur, ex urbe Calvia Waterfordiam petiit, quæ in catholicæ Religionis ſtudio conſtantiſſima, unica fuit, ad cujus exemplum ceteræ aliæ urbes efformare & corrigere ſe valuiſſent. Hic poſt affluentis populi fletus, preces, oſcula, navis copia datur Rinuccino, qui poſt triennalem legationem in Gallias appulit, & hinc Romam. Sic hæreticorum fraudibus diſſeminata inter Catholicos Duces odia ſanctiſſimum fœdus diſſolverunt, & pretio auri Pontificii iniquiſſima pax redempta fuit quovis bello deterior.

Quicumque tamen exitus expeditionis Apoſtolicæ fuerit, & vel ex Onealii tarditate & nimio Rinuccini Legati ardore, vel ut veriſimilius eſt, e Præſtoni hujuſque adſeclarum manifeſta perfidia emanaverit, Pontificia Innocentii charitas omnibus enituit ex tanta auri copia pro Catholicis tranſmiſſa. Sua etiam Rinuccino laus debetur ex impavida animi fortitudine, quam inter tot fraudes & diſcrimina præſetulit, non incommoda tantum remotæ regionis, viarumque & navigationum aſperitates devorans, ſed ipſam etiam captivitatis & mortis faciem aſpernatus, quam ei ubique tum Pſeudo-Catholici, tum hæretici aperta vi, & occultis inſidiis repræſentabant.

Et quoniam hoc eodem tempore, quo ad beneficium Catholicorum Hibernorum hæc Innocentius operabatur in Hibernia, magnis & cruentis factionibus Anglia conſpirabat contra Regem Carolum Stuardum, quem poſtea immaniſſimo & horrendo ſcelere regno ſimul & vita ſpoliavit, ad Reginæ Anglicæ Henriettæ Borboniæ preces non defuit ſuis partibus Pontificia Innocentii providentia; nam per equitem Dominum Digby Anglum Catholicum, & Romæ Reginæ mandata exſequentem plura aureorum millia ad eandem Reginam tranſmiſit, ut iis ad ſuum ſubſidium & Catholicorum Angliæ levamen uteretur. Ejuſdem religionis zelo explicari vix poteſt quantam ipſe conceperit lætitiam e converſione, qua rejecta ejurataque hæreſum fœditate, ſe Religioni Catholicæ addixerunt in Germania plurimi Principes, & Dynaſtæ; quorum aliquos ſumma

cum

cum voluptate excepit ipſe ad pedes ſuos, ſacriſque muneribus eorum fovit pietatem, & fidem commendavit. Quia autem ſub finem ſui Pontificatus a Franciſco Piccolomineo S. J. Generali litteras exceperat Chriſtinæ Svecorum Reginæ, quibus ipſi ſignificabat ſe quam primum abdicatis ſuis regnis ad fidem Catholicam publice profitendam Romam acceſſuram, vix dici poteſt quanto cum gaudio tantum ipſe negotium ſuſceperit, & idem Generali commendarit. Sane cum paulo poſt morti proximus eſſet, duabus tantum de cauſis immaturam mortem ſibi videri dicebat; ſcilicet quia nec videre Catholicam Sveciæ Reginam vivens potuerit, nec redditam Orbi Catholico pacem; quorum utrumque ardentiſſimis ipſe deſideriis non optaverat tantum, ſed indefeſſo labore procuraverat. Illud etiam illuſtre Pontificii zeli argumentum fuit, quod, ut ſanctiſſimas & celeberrimas vel ſanctorum virorum, vel Chriſti Domini, beatæque Virginis reliquias, quæ in Sanctis Palæſtinæ locis a Turcis poſſidentur, ab eorum poteſtate redimeret, & Romæ colendas transferret, ingentem auri vim ipſe obtulit Ibraimo Turcarum Domino, qui ad hoc pertractandum opus primarium quemdam Aulæ ſuæ virum Romam miſerat. Quia autem immaniſſimum & intolerandum erat pretium, quod avariſſimus Tyrannus ad eas concedendas exigebat, non opportunum Pontifex judicavit exhauſtum Eccleſiæ ærarium tanta vi auri magis magiſque minuere, ut Principem Catholicis infenſum diceret.

Romæ inſignia reliquit ſuæ beneficentiæ magnificentiæque documenta. Novos hic carceres ampliores, & commodiores, antiquis diſjectis, extruxit. Mœnia ab Urbano VIII. ædificata Transtyberim, ſub Pontificatus initio ad integram Urbis defenſionem & ſecuritatem perfecit Innocentius. Fontem in Vaticano aperuit ex aquis olim a B. Damaſo collectis & corrivatis, quas latentes & deperditas exquiri & inveniri curavit, inventaſque populis reſtitui. Et ne intra unius Urbis fines ſuam magnificentiam oſtenderet, in oppido S. Martini, quod in Patrimonii ditione ad ſuæ familiæ decus commodumque emerat, & titulo principatus ornaverat, præter multa haud ſpernenda ædificia, in Templo præſertim maximo S. Martini non modicam vim auri conſumpſit. Quod ſi his omnibus ea addideris, quæ ad Dei honorem, & ad Urbis venuſtatem in operibus magnifice erigendis liberaliter expendit, clariſſime apparebit, quod ejus in auro ſervando parſimonia ad id potiſſimum collimaret, ut ſcilicet vel divinum cultum, vel publica commoda magnificis poſtea ſumptibus augeret. Primo enim ſe convertens ad Baſilicam Lateranenſem, ex ea parte qua in longum porrecta mœnia Urbis reſpicit, pulcherrima forma eam integre reſtauravit. Templum Vaticanum etiam eximie ornavit, alterumque S. Pauli extra Urbem a vetuſtatis injuriis vindicavit. Cum autem avita Pamphiliorum domus in Agonali Foro poſita, ubi olim virgo ſanctiſſima Agnes Martyrii palmam inter flammas exceperat, ejuſdem S. Agnetis exiguo templo, ubi olim ejuſdem domus fuerat, fere adhæreret, viſum eſt pietati tanti Pontificis, S. Virginis Agnetis honorem excelſius propagare in magnificentiſſimo Templo, quod ibi voluit extrui, quodque perfeciſſet, niſi morte fuiſſet præventus. Ipſum vero Forum Agonale in tota urbe primarium, & olim ad Agonales ludos repræſentandos capaciſſimum pulcherrime nobilitavit Innocentius, plateam ſtravit, domos, quæ ejus rectam æqualitatem impediebant, ſolo æquavit, fontes duos ab utroque ejuſdem capite ſurgentes expolivit, & aquis locupletavit, ipſorumque medium alterum fontem, ſed elegantiſſimum, & omnium tum veterum tum recentium magnitudinem & venuſtatem ſuperantem conſtruxit, in ſcopuli undique prærupti formam, & largo varioque aquarum labentium curſu divitem: ſimulacra huic quatuor ingentia incumbunt, liguſtico in marmore, & ſingulari magiſterio cælata, quæ primaria quatuor mundi regionum flumina repræſentant. Europam Danubius, Aſiam Ganges, Africam Nilus, Americam Fluvius ab argento nuncupatus notat, & ſua unaquæque regio ſymbola vel animalium vel plantarum, vel mineralium præfert, ut ſe ab aliis invicem diſtinguat. Opus totum in ejus apice coronat Ægyptius obeliſcus, qui ex antiquo Caſtrenſi Circo deductus fuit in idem forum, & fonti tanquam baſi ſuperimpoſitus. Exquiſita arte perfecit hæc omnia Laurentius Eques Berninus.

Nec minora ad Capitolium Romanum exornandum exequutus eſt Innocentius; cum enim ex una tantum parte Michaelis Angeli Bonarottii ingenio illud perpolita ædium facie ornaretur, voluit ut ex alia etiam parte juxta eandem formam ædes aliæ aſſurgerent, quæ totum Capitolii verticem adeo triumphis antiquis clarum nobilitarent; quod non ſine magnis ſumptibus factum eſt, non tantum e tiburtini marmoris copia, quæ erat advehenda, ſed etiam quod disjiciendus erat monticulus, qui ad latus templi B. Virginis in Aracæli tumeſcebat. Quæ atque alia animadvertens Senatus Populuſque Romanus, ut tanto benefactori aliquod grati animi argumentum exhiberet, læneam illi ſtatuam in Capitolio dedicavit cum hac epigraphe:

Innocentio Decimo Pamphilio
Pontifici Optimo Maximo
Ob Capitolium, Agonale Forum ædibus, fontibus, obeliſcis ornata
ob principes Baſilicas magnificentiſſime inſtauratas
ob invectam difficili tempore Annonam
Eccleſiaſticam dignitatem feliciter vindicatam
Diuturnæ quieti brevi bello conſultum
Publicam utilitatem abſque publico onere procuratam
Fas juſque ubique ſervatum
S. P. Q. R.
Romano Principi meritiſſimo poſuit.

Deceſſit die ſeptima Januarii an. 1655. annos natus LXXXIII., poſtquam Pontificatum geſſiſſet annos decem, menſes tres, totidemque dies ſupra viginti.

Referunt paſſim Theologi, Pontificiique juris interpretes Innocentii non pauca decreta, eaque explanant. Proſcriptis quinque famoſis propoſitionibus Janſenii, Decretum edidit in Congregatione Generali S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis die 23. Aprilis an. 1654. quo plurimos libros damnavit, pro tuenda Janſenii cauſa recens editos cum aliis nonnullis. Tum ad ejuſdem Decreti calcem inſtar appendicis ita addidit: „ Ceterum „ cum tam Romæ quam alibi circumferantur quædam „ aſſerta Acta MSS. & forſan typis excuſa, Congrega„ tionum habitarum coram felicis recordationis Cle„ mente VIII. & Paulo V. ſuper quæſtione de Auxi„ liis divinæ Gratiæ, tam ſub nomine Franciſci Pe„ gnæ olim Rotæ Romanæ Decani, quam F. Thomæ „ de Lemos Ord. Præd. aliorumque Prælatorum, & „ Theologorum, qui, ut aſſeritur, prædictis interfue„ runt Congregationibus: nec non quoddam autogra„ phum ſeu exemplar cujuſdam aſſertæ Conſtitutionis „ ejuſdem Pauli V. ſuper definitione prædictæ quæſtio„ nis de auxiliis, ac damnationis ſententiæ ſeu ſenten„ tiarum Ludovici Molinæ Societatis Jeſu; eadem San„ ctitas ſua præſenti hoc decreto declarat, ac decernit, „ prædictis aſſertis Actis, tam pro ſententia FF. Ordi„ nis S. Dominici, quam Ludovici Molinæ aliorumque „ S. J. Religioſorum: & autographo ſive exemplari „ prædictæ aſſertæ Conſtitutionis Pauli V. nullam omni„ no eſſe fidem adhibendam; neque ab alterutra par„ te, ſeu a quocumque alio allegari poſſe, vel debere; „ ſed ſuper quæſtione prædicta obſervanda eſſe decreta „ Pauli V. & Urbani VIII. ſuorum Prædeceſſorum “ Hoc illud eſt extremum vallum, quo ſe Moliniani recipiunt, inquit Serriùs §. XII. præfat. ad Hiſt. Congregat. *de Auxiliis &c.* ceteris depulſi munimentis; ſed falſa iſtorum Decreti Innocentiani interpretamenta depellit brevis hæc adnotatio. Nempe eam Innocentii phraſim *nullam omnino eſſe fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, ſeu a quocumque alio allegari poſſe* tritam eſſe Romanæ Curiæ formulam, qua inſtrumenta quæque integra licet & incorrupta notari ſolent vel ob id unum, quod publica fide non conſtent; ſic ut ex fori Romani uſu, decretorum quorumcumque aut declarationum exemplis, ſeu cuſis, ſeu manu exaratis, nulla ſit adhibenda fides, niſi Cardinalis Præfecti chirographo ſigilloque munita prodeant. Ita ſanxit ſacra Cardinalium Congregatio Concilii Tridentini Interpretum, mendante Urbano VIII. die 2. Auguſti an. 1631. eandem illam formulam uſurpans, quam ſecutis inde temporibus Actorum iſtorum occaſione uſurpavit Innocentius. Quæ atque alia a Serrio eo loci adducta nota adeo certaque ſunt, ut mirum videri poſſet illud Innocentii Decretum adhuc a Molinianis nunc temporis jactitari, niſi exploratum eſſet eos ad conclamatæ cauſſæ defenſionem quæcumque ſemper arripuiſſe ad fucum faciendum imperitis.

Edidit quoque Conſtitutionem, ut omnia in Italia Cœnobia tollerentur, *in quibus ob parvum numerum Religioſorum regularis diſciplina juxta peculiaria cujuslibet Ordinis inſtituta ſervari non poſſet*, facta Epiſcopis facultate reditus eorum in ſacros uſus alios arbitrio ſuo convertendi. Anno 1650. Magnum Jubilæum tertium decimum celebravit. Decretum ſacræ Congregationis Ceremoniarum ratum eſſe juſſit, præcipiens *Cardinalibus etiam quacumque natalium præcellentia, aut aliarum dignitatum prærogativa inſignitis, quod ſolo nomine* Cardinalis *abſque ullo ſæcularis dignitatis additamento contenti, non aliis titulis nuncupentur quam* Eminentiſſimi & Reverendiſſimi, *nec non* Eminentiæ Reverendiſſimæ.

ALEXANDER VII.

INNOCENTIO X. novendialibus perſolutis exequiis, Cardinales die 18. Jan. an. 1655. ad Conclave proceſſerunt pro illius ſucceſſore deligendo Comitia facturi, quæ cum diutius, quam par erat, & neceſſitates publicæ paterentur, partium ſtudia protraherent, neque in magno Senum numero candidatorum ita quiſquam vel ab affectu partium eſſet intactus, vel meritorum & virtutis opinione cæteris anteiret, ut in eum Patrum ſuffragia facile conſenſura viderentur, conjecti ſunt oculi in Fabium Cardinalem Chiſium, qui licet ut ad tantæ dignitatis faſtigium perveniret, nullis adhuc ſenectutis inſignibus commendaretur, ob ſpectatam tamen ab ineunte ætate pietatem, magna cum ingenii dexteritate, atque eruditione conjunctam, & ob res ubique præclare geſtas, apud plurimos in exiſtimatione cultuque erat, fueratque ante ingreſſum ad Comitia, totius Aulæ ſermonibus celebratum Fratris Svecorum Regis dictum, univerſi ſeptentrionis converſionem, ſi Fabius renunciaretur Pontifex, augurantis. Quam ſane de ſe opinionem magis etiam augere ipſe ſtuduit in ipſo æſtu Comitiorum, cum cæteris Candidatis in omnem rei bene gerendæ occaſionem anxie intentis, ipſe non ſolum neminem foveret, ſed alto rejiceret vultu operam & ſtudia offerentes. Itaque ejus nomine in medium prolato, multiſque ſummæ auctoritatis Cardinalibus, præſertim vero Franciſco Barberinio, & Julio Sachetto, cujus potiſſimum cauſa Comitia hærebant, adnitentibus die 9. Aprilis, Fabius Chiſius omnibus ſuffragiis renuntiatus eſt Pontifex, Alexandri VII. nomine aſſumpto.

Natus eſt Senis an. 1599. ex Flavio Chiſio, & Laura Marſilia patritiæ utroque gentis, & primariæ nobilitatis. Amiſſo parente, a matre lectiſſima fœmina inſtitutus ad omnem pietatem, a privatis vero præceptoribus in omni liberali doctrina, præſertim vero a Celſo Cittadino excellentis ingenii viro, & in philologiæ ſtudiis clariſſimo, excultus fuit. Philoſophiæ in primis, Theologiæ, ac Juriſprudentiæ ſtrenuam dedit operam, & in unaquaque earum facto publico ingenii experimento non tam Doctoratus inſignia, quam multæ doctrinæ gloriam eſt conſecutus. Romam inde acceſſit amicis impellentibus, qui adoleſcentis indolem, atque ingenium ad ſumma capeſſenda natum in patrio delitescere otio ægre ferebant. Ut pedem in Urbem intulit, excepit eum cum magna honoris ſignificatione Sfortia Pallavicinus admirabilis ingenii & ſummæ ſpei adoleſcens, qui poſtea ab ipſo Alexandro Cardinalis creatus inſignia doctrinæ ſuæ monumenta reliquit. Qui Fabium ſermone multorum, præcipue vero Virgilii Malvetii magni tunc temporis nominis Philoſophi Avunculi ſui (is Fabium cognoverat, & impenſe coluerat Senis, quibus pater cum imperio præfuerat) commendatione cognitum ſibi arctiſſime adjunxit, & inſinuatum prius in litteratorum congreſſus, ad Urbani VIII. præclari ingeniorum æſtimatoris benevolentiam & gratiam, quibus ipſe in primis florebat, introduxit, præbente ad id opportunitatem non infelici quadam Fabii vena, & dexteritate ad non pauca poeleos genera, ſed præcipue ad carmen Horatianum, quod Urbanus ab adoleſcentia excultum, inter Pontificatus maximi curas aliquando recolebat. Porro quid eo in genere Fabius valuerit, impreſſæ *Philomati Muſæ Juveniles* declarant. Illud omnem prope fidem excedit, quod undecim annos natus nonnulla fecit verſuum millia ad imitationem homerici luſus de bello Pigmæorum & Gruum. Igitur cum ea occaſione Urbanus Fabii ingenium non minus Reipublicæ prudenter adminiſtrandæ, quam tractandæ feliciter poeſi idoneum perſpexiſſet, utriuſque Signaturæ Referendarium creavit, ac paulo poſt pro-legatum Ferrarienſibus dedit, Legato Cardinali Sachetto an. 1629. Quod munus quinque ferme annos magna cum prudentiæ & ſolertiæ laude obivit. Quod præcipue prodidit in ea provincia adverſus peſtilentiam per omnes circumpadanas regiones fœde graſſantem, & adverſus Mantuani belli incendium, ſi illud latius ſerpere unquam contigiſſet, egregie muniendа; in evellendis præterea diſcordiarum ſeminibus, quæ inter Venetum Senatum, & ſummum Pontificem ſuboriri cœperant in cauſa finium regundorum. Ferraria Melitam ab eodem Urbano miſſus eſt Apoſtolicus Inquiſitor. Per id autem temporis vita functo Epiſcopo Neritonenſi, præfectus illi eccleſiæ fuit, quæ in extremis Salentinorum finibus ſita cum non longo maris tractu Melita diſtet, viſa eſt commode ab eo etiam aliud agente regi poſſe; habitaque ratio ſuppeditandæ Fabio uberioris facultatis, dignitatem ſuam ac perſonam tuendi in æque ſumptuoſa, ac ſterili inſula.

Poſt quinquennium Melitæ ſumma cum Urbani, ac totius Aulæ commendatione tranſactum legatus eſt ab eodem Urbano Nuntius Coloniam Agrippinam, quod Catholicæ Religionis in Germania ſtatus ſuperiorum temporum hæreſi, ac recentibus bellis valde labefactatus, nihilque a diuturna Martii Cardinalis Ginetti legatione recreatus, imminente jam publicæ pacis tractatione novis injuriis expoſitus, ſummæ virtutis, & prudentiæ virum deſideraret. Neque ſpes de Fabio concepta Urbanum fefellit, quamvis res ab eo geſtas feliciter non viderit, cum paullo poſt mortuus locum Innocentio X. fecerit. Is confluentibus jam Monaſterium Weſtphalorum totius Europæ Principum Legatis ad pacem afflictæ Germaniæ ſtabiliendam, Fabium eo extra ordinem miſit, ut tam periculoſæ tractationi, in qua Germanicarum Eccleſiarum bona & religionis cauſa pene in diſcrimen capitis vocarentur, Pontificio nomine intereſſet. Per omnes Chriſtiani Orbis provincias ea occaſione Fabii nomen inclaruit, cum ipſi etiam Principum hæreticorum Legati morum ſuavitatem & elegantiam, rerum gerendarum uſum, prudentiam, dexteritatem, & in omni diſciplinæ genere doctrinam, præcipue autem zelum domus Dei laudibus in cælum efferrent. Illud ſatis conſtat, in difficillimo illo rerum hominumque in diverſa trahentium conflictu, in quo omnia diſſidiis ſuſpicionibuſque flagrabant, ita ſe Nuntium geſſiſſe, ut ſummam non apud Catholicos tantum, ſed etiam apud hæreticos exiſtimationem, authoritatemque ad extremum retinuerit. Omne illius ſtudium in eo erat, ut & pax componeretur, & nihil de Eccleſiæ juribus, atque authoritate imminutum iret hæreticorum conatibus. Quod ubi ſe id adſequi poſſe diffidit, & nonnullis quietis propriorumque votorum cupiditatem religionis cauſa potiorem eſſe perſpexit, libera (quod unum conclamatæ rei ſolatium potius quam præſidium reliquum erat) & priſcæ fortitudinis ac pietatis plena oratione pacem adeo Catholicæ religioni turpem atque infenſam infectatus eſt, ſeque eam Summi Pontificis nomine damnare, execrarique profeſſus, id in Acta ejuſdem pacis publica referri poſtulavit, e quibus etiam ſui nomen eradi voluit, quod iis Actis fuerat inſertum. Execratus etiam eſt pacem hanc initam firmatamque die 24. Octobris An. 1648. poſtea Innocentius X. ſed armis chartaceis, quæ nullum fere Potentibus metum incutiunt. Atque hi peſſimi malignique fructus tot bellorum fuerunt, quæ ſuſcitarunt, atque fovere ſtuduerunt Cardinales Richeleus & Mazzarinius, ut Domum Auſtriacam proſternerent, quorum ſcilicet uterque, dummodo ambitioni ſatisfaceret ſuæ, nihili Catholicæ religionis inſignia damna pendere videbatur.

Muratorius Annali d' Italia *ad an.* 1648.

Extincto Jacobo Panzirolo Cardinali, cujus opera & conſilio Innocentius X. utebatur in politica chriſtianæ rei adminiſtratione, cum omnium animi erecti eſſent expectatione illius, quem acerrimi judicii Pontifex muneri omnium graviſſimo, ac difficillimo deſtinaret, accerſitus eſt ad Urbem Fabius, eaque res ingenti Aulæ adprobatione accepta. Neque Innocentium facti pœnituit, qui in omni graviori negotio ab ejus ore conſilioque pendebat; ac brevi, quam ſibi grata illius opera, & perſpecta virtus eſſet, declaravit, Fabium Tituli S. Mariæ de populo Presbyterum Cardinalem creando. Quæ ſane dignitas non tam illi claritatem attulit, quam labores, addito priſtinæ rerum moli Cardinalatus onere, cui nulla in parte unquam defuit in ſacris præſertim Congregationibus, quarum multis iiſque graviſſimis adſcriptus erat, videlicet Sacræ Inquiſitionis, de Propaganda Fide, rerum Conſiſtorialium, aliarumque tam generalium, quam particularium, in quibus ea, quæ de quinque Cornelii Janſenii propoſitionibus inſtituta erat, magniſque ſciſſæ in partes Academiæ Pariſienſis ſtudiis urgebatur, tota pene ab eo adminiſtrata eſt.

In ſententiis vero dicundis, etiam ubi Principum maximorum negotia in diſceptationem caderent, ita ſe totum ad juſtitiæ & Sedis Apoſtolicæ reſpectum referebat, ut potentiorum offenſiones nihili faceret. Quod ei ingentem gloriam comparavit, & ad Pontificatum ipſum, contra quam nonnulli opinabantur, ſi non ampliorem, illuſtriorem ſane viam communivit.

Decem ferme dies a ſua ad Pontificatum evectione rebus domi foriſque ordinandis, audiendis Cardinalibus, Auliciſque ad pedum oſcula excipiendis de more conſumpſit.

pſit. Die 18. Aprilis mane ante fores Vaticanæ Baſilicæ coronatus, & in Ara maxima conſecratus eſt. Die eadem a prandio poſſeſſionem adiit Eccleſiæ Lateranenſis, nullumque prætermiſſum eſt vel ab eo erga populum Romanum regiæ beneficentiæ & paternæ charitatis argumentum, vel a populo Romano ullum officii genus, quo filialem ſuam in ipſum obſervantiam, & ſuſceptum de ejus Pontificatu gaudium aperiret.

Vix Pontifex creatus Pauli Apoſtoli dicto *Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Chriſtus*, in ſignum accepto, litteriſque datis ad Chriſtianos Reges manu ſua ſcriptis, communem concordiam vehementer ſuaſit, qua Turcas noſtris diſſidiis elatos, & intento in Europæ jugulum gladio furentes, junctis viribus coercerent; injunxitque Nuntiis Apoſtolicis, ut omne in id ſtudium induſtriamque intenderent. Sub ipſa Pontificatus initia magnis undique rerum anguſtiis circumventus, omnes invicto animo excepit, & incredibili labore ac ſapientia ſuperavit; & quod monendum præcipue, rigidam ſeveramque vivendi rationem, quam Cardinalis iniverat, Pontifex creatus ſervare velle viſus eſt. Ita cœpit binos hebdomadæ dies jejunio tranſigere. Olympiam Maidalchinam, quæ ad felicem fauſtumque ipſi Pontificatum augurandum acceſſerat, ab ſe repulit, & quum nemo eo vehementius adverſus nepotiſmum, ut dicunt, prædeceſſorum aliquot Pontificum declamaſſet, ne frater germanus hujuſque filii Romam accederent imperavit. Ad hæc addunt nonnulli Scriptores, feretrum ut antea ſubtus lectum ſtatui juſſiſſe, in calvaria cadaveris bibere, cineresque cibis admiſcere ſolitum fuiſſe; ac præterea illuſtriora geſta Pontificum ob oculos voluiſſe continuo, ut ad illa æmulanda excitaretur. Præclariſſimis hiſce initiis excitatus ad Alexandri vitam perſcribendam jam manus admoverat Sfortia Pallavicinius ſupra laudatus, cœptamque operam fuiſſet proſecutus, niſi Pontifex aliquot poſt menſes de egregiis initis propoſitis, auſteriorique vivendi ratione paullulum remiſiſſet. Nam exeunte primo Pontificatus anno Marium Fratrem, Flavium ejus filium, & Auguſtinum Auguſti alterius fratris filium ad Urbem vocavit. Quod antequam faceret, hoſque Reipublicæ regendæ admoveret, Cardinales in Conſiſtorio interrogavit, id ne Sedi Apoſtolicæ utile futurum arbitrarentur? utque certior de eorum ſententia redderetur, non in Conſiſtorio ipſo, ſed in privatis cubiculis ſeorſum ſingulos, poſtquam omnia ſedulo ſecum reputaſſent, audire voluit. Id nonnulli ſummam dexteritatem interpretati ſunt, ne ad ea ſcilicet excipienda conſilia compelleretur, quæ ſuæ voluntati adverſarentur. Sed ut ut hæc ſint, ne Urbs interim ſibi quicquam a parentum adventu metueret, tres præcipue corradendæ pecuniæ fontes obſtruxit, Conſtitutione ſcilicet Gregorii XIII. adverſus largitiones accuratius & gravioribus propoſitis pœnis renovata: locis Montium vacabilibus (utemur enim verbis forenſibus, quæ rem planius explicant, relicta viris politioribus latine exactius loquendi religione) ad non vacabilia traductis: officiis item vacabilibus levando Cameræ Apoſtolicæ ærario alieno addictis. Quæ ſane ipſe ſervare ſategit toto Pontificatus ſui tempore, adeo ut cum paucis ante obitum ejus menſibus vacaſſet Secretariatus Apoſtolicus, eumque Auguſtinus Chiſius pro Sigiſmundo fratre empturus ſupplicaſſet, ut aliquanto minoris quam publice veniret, ſibi emere liceret, repulſam tulerit.

Chriſtinam Svecorum Reginam, quæ Lutherana ejurata hæreſi, abdicatoque Regno, Catholicæ fidei nomen dederat, ad Urbem invitavit Alexander, Luca Holſtenio Hamburgenſi, Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtode, viro clariſſimo ad fines uſque Germaniæ obviam miſſo, ut feminam litteris quoque ingenioque illuſtrem exciperet. Venientem vero regio plane honore apparatuque præmiſſis quatuor Nuntiis Apoſtolicis, Annibale videlicet Bentivolo Archiepiſcopo Thebano, Luca Torrigiano Archiepiſcopo Ravennatenſi, Innico Caracciolo, Clericorum Cameræ Apoſtolicæ Decano, ac Philippo Cæſarino Clerico ejuſdem Cameræ, deinde duobus legatis a Latere, nempe Joanne Carolo Mediceo, Magni Ducis Hetruriæ germano fratre, S. Mariæ Novæ, ac Federico Landgravio Haſſiæ S. Mariæ in Aquiro, Diaconis Cardinalibus, excepit in ædibus Vaticanis menſe Decembris An. 1655. Plures annos Romæ vixit Regina, cui Alexander Pontifex nomen *Alexandræ* impoſuit, dum illam ſacro Confirmationis oleo inungeret.

Anno inſequenti 1656. Congregationem Canonicorum Regularium S. Spiritus Venetiarum abolevit, Conſtitutione edita die 28. Aprilis, exeunte vero eodem anno Innocentii X. Conſtitutionem, quinque ex libro Janſenii excerptas propoſitiones proſcribentis, confirmavit, damnavitque illas iterum in ſenſu ab Authore intento.

Initio Anni 1657. quod ſuperiores Pontifices magno ſæpe conatu, ſed tamen fruſtra tentaverunt, obtinuit, ut Jeſuitæ ſcilicet jam inde ab exorto inter Paulum V. & Venetam Rempublicam memorabili illo diſſidio, quod de Paulo V. agentes memoravimus, a tota ditione Venetorum proſcripti, & ob ſeveritatem edicti prope ab omni ſpe reditus excluſi, ſuis officiis & Caroli Caraffæ Epiſcopi Averſani eloquentia ac dexteritate, in priſtinum locum ſint reſtituti, ea tamen a Senatu conditione adjecta, ut dum publicis ſupplicationibus intereſſent, inter Confratres S. Marci & Theodori incederent. Quamquam id ſatis conſtat, exilii Jeſuitarum reſciſſionem magnis Reipublicæ anguſtiis omnino adſcribendam eſſe, Regiſque Gallorum precibus; nam illa Turcarum armis preſſa non exigua ſibi auxilia a Pontifice pollicebatur, qui hactenus viſus erat obdureſcere, ac eorum prorſus obliviſci, quæ a futuro Pontifice præſtanda eſſe vel in Conclavi exiſtens inclamaverat. Et re quidem vera Jeſuitis Venetias adire permiſſis, Pontifex Alexander, qui illis favebat, favitque ſemper impenſius, ad ferendas ſuppetias Venetis inflammatus eſt, non claſſe ſolum miſſa, & pecunia large ſubminiſtrata, ſed etiam illis facta poteſtate vendendi latifundia, & quidquid bonorum in Veneta ditione poſſidebant nonnulli Religioſi Ordines, quos collapſa veteri diſciplina parum Eccleſiæ utiles aboleverat. Hoc autem loco Cardinalium in eandem Venetam Rempublicam ſingularis pietas, & liberalitas prætereunda non eſt. Nam & qui in Urbe erant Alexandri exemplo, & qui aberant, Sacri Collegii litteris excitati, quantum quiſque pecuniæ potuit, ad illud Creticum bellum ſuſtinendum, uno alterove excepto, libentiſſime contulerunt. Quinque tamen præ cæteris Cardinalibus ea occaſione liberalitate inclaruere; Antonius nempe Barberinius, qui centum aureorum millia in bonis nominibus, Julius Mazzarinus, qui ducenta in numerato obtulerunt, Franciſcus Barberinus, & Flavius Chiſius, qui bellicas Triremes ſuo ære ſuſtentandas deduxere; & Nicolaus ex Comitibus a balneo, qui in ſumma ſenectute, ac pari egeſtate, cum vix haberet, unde ordinis ſui dignitatem tueri poſſet, divendita pretioſiori ſupellectile, & ſub haſta venire juſſis Palatio, vineiſque, quas poſſidebat in Agro Albano, ſi inveniſſet emptorem, in magnam illius gloriæ partem venit.

Quum in Hungariam Turcæ irrupiſſent, expugnatoque Varadino grave ex ea parte toti Chriſtianæ rei periculum immineret, Alexander quantum ex Apoſtolico ærario auri potuit exprimere, ad Cæſarem confeſtim miſit, eumque decimis Italiæ clero impoſitis ſtrenue tutatus eſt; initaque demum pace ad Pyrenæos an. 1659. inter Galliarum, & Hiſpaniarum Reges, utrumque principem hortari non deſtitit, ut communem *hoſtem* inſectarentur. Cujus rei aliarumque rerum exitus non procul abfuiſſet, niſi coorta inter Pontificis milites, & famulos Legati Galliarum Regis Ducis Crequii contentio grandem inter utrumque diſcordiam peperiſſet. Paucis rem præſtat enarrare. Quum Galliarum Rex Pontificem hujuſque conſanguineos parum honorifice de ſe ſuaque Regni adminiſtratione non ſemel ediſſeruiſſe comperiſſet, ſtatuit ad Urbem Legati ſui inſignitum nomine Ducem Crequium mittere, hominem elati ſupercilii, & naturæ quadam acerbitate ferocem, atque adeo maxime idoneum, ut ſibi quidem perſuaſerat Rex, ad deterrendum Pontificem, ejuſque conſanguineos coercendos. Cum is Romam ita comparatus, ac præterea ſecretis Regis ſui monitis inſtructus acceſſiſſet, brevi inter Gallos, Pontificioſque milites, illis provocantibus, contentiones exortæ ſunt. Turmæ demum Corſicæ, Gallorum injuriis exacerbatæ, obſeſſo Farneſiano Palatio, in quo Dux Crequius morabatur, contra jus gentium non pauca hoſtiliter perpetrarunt, in Legati uxoris currum catapultas diſploſerunt, necarunt etiam unum ex ejus ephebis, ſive honorariis pueris, feneſtriſque Palatii perfractis, contumeliis ipſum Legatum affecerunt. His graviter irritatus Crequius, cum mitius quam rei atrocitas & ſua ſuique Regis dignitas poſceret, cum Corſicis actum, ſeque a Pontifice Chiſiaque domo ſpretum putaret, Urbe diſcedens, indignatione in Alexandrum, Regem jam iratum prope inexpiabili incendit, ex quo illa poſtea mala ſunt inſecuta, quæ & Sedis Apoſtolicæ vires magnopere afflixerunt, & quietem publicam in maximum diſcrimen adduxerunt. Triennium ferme hæc diſcordia perduravit, occupatoque Avenionenſi Comitatu, aliiſque Pontificiis regionibus, miſit præterea Rex in Italiam copias quaſi Ditionem Eccleſiaſticam invaſuras, niſi ſibi de illata injuria ſatis fieret, cum tamen Alexander, propoſitis conditionibus parum, ut ei videbatur, honeſtis extrema potius pati, quam illis aſſentiri excelſo invictoque animo decreviſſet. Tandem poſt varias ineundæ pacis tractationes inter Cæſarem Raſponum, & Ducem Crequium, ac Aloyſium Burlemontium Sacræ Rotæ Auditorem Galliæ

Regis nomine conventum eſt Piſis, Ferdinando Magno Hetruriæ Duce incredibili ſtudio rem juvante, in conditiones, ut tum erant res Romanæ, ſatis honeſtas, inter quas eæ erant præcipuæ, ut primo Pontifex Cardinalem Chiſium in Gallias officii cauſſa mitteret, ut Corſicorum militum facinus a Pontifice ipſo amoliretur, palamque declararet, neque Pontificem, neque ex ejus Familia quemquam audacis illius facinoris participem fuiſſe. Secundo gentem Corſicam incapacem fore denuntiandam quæ Summo Pontifici impoſterum deſerviret: denique pyramidi e regione ſtationis militum Corſicorum extollendæ proſcriptionis ipſorum decretum inciſum iri. Hic fuit exitus acerrimæ concertationis.

Itaque reconciliatis animis, non arma depoſita, quæ Cæſari tradita ſunt ad ſuſtinendum impetum Turcarum, qui magno, ſi unquam, apparatu in Hungariam irruerant. Saluti fuere Galliæ cohortes, quæ barbaros jam pene victores ad flumen *Rab* (ita incolæ appellant) objecto pectore ſtrenue ceciderunt, debellandos ea die certe, ſi in cæteris idem ardor adfuiſſet. Caſtrenſem ditionem, qua Innocentius X. Odoardum Parmæ & Placentiæ Ducem, ut ejus creditoribus ſatisfieret, judicum decreto ſpoliaverat, niſi infra octo annos æs alienum diſſolveret, elapſo tempore & conditione non impleta, Cameræ Apoſtolicæ, omnibus ſacro Conſiſtorio ſolemniter actis, adjudicavit, & Conſtitutioni Pii V. de non alienandis bonis Eccleſiæ ſubjecit. A quo propoſito tamen illi recedendum fuit, ut ineundæ paci cum Gallorum Rege, mox commemoratæ, via adituſque ſterneretur.

Gliſcente An. 1664. apud Hiſpanos præſertim controverſia de Immaculata Virginis Deiparæ Conceptione, & niſi periculo obviam iretur, in grave aliquod diſſidium eruptura, Epiſcopus Placentinus a Catholico Rege ad Urbem allegatus ab Alexandro poſtulavit, ut recepta omnium pene Ordinum conſenſu opinio Virgini favens Pontificio Oraculo ſanciretur. Alexander poſtquam ex omni Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, & tum veterum, tum recentiorum Theologorum monumentis eam quæſtionem, ut erat in rebus theologicis apprime verſatus, diu diligenterque expendit, tota re cum viris in Urbe doctiſſimis neutri partium addictis communicata, Conſtitutionem per ſe compoſuit, ediditque, in qua abſtinuit quidem a referendo inter dogmata fidei articulo Immaculatæ Conceptionis, ſed ſe in hanc ſententiam valde propenſum oſtendit, & priorum Pontificum decreta illi faventia non confirmavit ſolum, ſed etiam in multis auxit, graviſſimis propoſitis pœnis, ſi quis adverſus eam ſententiam diſputare, vel aliquo modo diſſerere auderet.

Quinque propoſitiones ex libris Janſenii excerptas, & ab Innocentio X. Conſtitutione damnatas, quam ipſe confirmaverat, cum non deeſſent, qui callida interpretatione tueri conarentur, novo edicto an. 1664. repreſſit, & re explicata diligentius, omnem cavillandi occaſionem præcidit, compoſita etiam Formula, quam ii qui Epiſcopatum, vel aliquam aliam Eccleſiaſticam dignitatem conſequi vellent, jurejurando complecterentur, ut narrabimus. Qua re renaſcentis mali reliquias ſi non plane extinxit, ſaltem fregit, debilitavitque, regia præſertim authoritate cum Pontificia conſpirante. De ceteris ab Alexandro VII. editis decretis adverſus mollioris Ethices vindices, & Chriſtianæ doctrinæ corruptores in peculiari diſſertatione de erroribus ſæculi XVII. & XVIII. diſſeremus.

Juvabit modo eorum meminiſſe, quæ Alexander Romæ geſſit, quæque ejus memoriam magis magiſque perennarunt. Urbem multis in locis veterum ædificiorum prominentiis, & viarum anfractibus informem, atque incommodam, miro artificio, ac levi civium impendio, ad laxiorem ſplendidioremque formam redegit. Pantheon, clariſſimum veteris Romæ templum a M. Agrippa conſtructum & a Bonifacio IV. R. P. Beatæ Virgini dicatum, cum e via publica ad illud per multos gradus deſcenderetur, egeſta humo detexit, & inſignem illam porticum, & raræ magnitudinis columnas, antea ſemiſepultas, in lucem protulit, deterſo a ſordibus & a tabernis rerum venalium foro illi adjuncto. Forum etiam, in quo erecta eſt Columna Antoniana, & illud, quod adjacet Ædi S. Callixti, horridum antea & incultum, ad magnum ſplendorem traduxit. Ædes B. Mariæ de populo, Beatæ Mariæ de pace, pluraque alia tum ſacra tum profana loca inſtauravit, exornavitque. Vetera præſertim monumenta, ut erat antiquitatis amantiſſimus, ab interitu quantum licuit vindicavit. In his C. Cæſtii Epulonis Sepulcrum ad Portam Trigeminam, quod ſitu ac vetuſtate collabebatur, ingenti ſumtu reſtituit.

Archigymnaſium Romanum, a Leone X. inſtitutum, toto ambitu perfecit, in eoque egregii operis ædem in honorem S. Ivonis ab Innocentio X. inchoatam abſolvit, & Bibliothecam omnium librorum genere inſtructam, ingenti aula, ac thecis magnifice extructis publicæ commoditati aperuit.

Deſtinaverat & virorum collegium inſtituere litterarum laude præſtantium, ex omnibus Chriſtiani Orbis Provinciis legendorum, prout quiſque fama atque ingenio clarus eſſet. Horum opera & conſilio uti volebat in definiendis fidei controverſiis & retundendis Romanæ Sedis hoſtibus, quibus conficiendis eorum Theologorum opera idonea non eſt, qui Scholaſtica tantummodo delectantur. Statuerat ad hoſce viros liberaliter alendos, collegio adtribuere reditus Monaſteriorum, quæ ſpectatæ religionis, atque induſtriæ olim referta, collapſa tunc diſciplina a priſtinis moribus defecerant: & ex eorum virorum numero illos, qui diu probati merito & ſapientia eminerent, ad magiſtratus ampliſſimos & primos Eccleſiæ Romanæ honores atque dignitates provehere. Verum dum in eo erat, ut operi manum admoveret, ſubito coorta tempeſtate illud in aliud tempus rejicere coactus, ubi reddita ſerenitas eſt, conflictari morbo cœpit non minus acerbo, quam diuturno, ex quo decedens egregii facinoris gloriam naſcituro melioribus annis Pontifici occupandam reliquit.

Prope Hortos Vaticanos, novo atque admirabili artificio erexit monetariam officinam, in qua incidentium aquarum vi rotas aliaque inſtrumenta impellente, cujuſvis moduli generiſque pecunia, magno temporis operæque compendio ſignaretur. Peramplum ædificium familiæ Pontificiæ commoditati, & Palatii ornamento a fundamentis extruxit in Quirinali. Palatium item Caſtri Gandulphi ad lacum Albanium, quo ſecedere ad animi remiſſionem Majo & Octobri menſe Pontifices ſolent, non ſolum auxit, ſed etiam longe commodiorem fecit, & ad regiam magnificentiam perduxit. Erexit in eodem Caſtro dedicavitque Ædem S. Thomæ de Villanova, a ſe recens inter Sanctos relati, magnifice ſplendideque pro illius loci conditione extructam. Aliam pari elegantia, ac ſplendore Ariciæ Chiſiæ gentis oppidi B. Mariæ in cælum Aſſumptæ dedicavit, nec procul ab oppido Ædem B. Mariæ Gratiarum totius Latii religione cultuque celebrem inſtauravit exornavitque. S. Petri Cathedram a duobus Græcæ, totidem Latinæ Eccleſiæ Doctoribus ſuſtentatam ex ære, opus molis & impenſæ magnitudine mirandum, in Apſide Templi conſtituit. Scalas, quæ a Porticu S. Petri ad Aulam Regiam ducebant, anguſtas antea & obſcuras, tantique Templi majeſtati parum conſentaneas, incredibili artificio amplificatas, atque illuſtratas in ſummam magnificentiam elegantiamque convertit. Navale ad Centumcellas, ne Sedes Apoſtolica exterarum triremium, quas ingenti pecunia, nec ſine difficultate comparabat, in poſterum indigeret, inſtituit, omnibuſque earum conſtructioni neceſſariis liberaliter inſtruxit. Portum vero ipſum temporis & maris injuriis labefactatum, magnis jactis molibus & vinculis circumjectis inſtauravit, atque conſtabilivit.

Volumina litterarum, quæ de rebus graviſſimis ad Sedis Apoſtolicæ jura, authoritatemque, ac totius rei Chriſtianæ ſtatum ſpectantibus ad Nuntios alioſque Apoſtolicos Adminiſtros, quæque ab his ad ipſum Pontificem ſcribuntur, cum nullo certo loco antea aſſervarentur, ſolerentque Pontificum conſanguinei ea volumina, animam agente Pontifice, ad lares paternos, quaſi hæreditaria comportare, ex variis familiis Pontificiis ſingulari ſtudio expiſcatus, in unum collegit, & nobili extructo Archivo in Palatio Vaticano ibi omnia elegantter, & ordinate diſpoſuit, magno ſucceſſoribus ſuis documento, ut idem ipſi curent. Eadem ratione conſuluit actis monumentiſque Sacrarum Congregationum, quæ antea ab earundem Congregationum Secretariis domi privatim habebantur, magna plerumque incuria, erectis pro numero Congregationum Archivis. Omnia in iis reponi juſſit, & in poſterum aſſervari.

Bibliothecæ Vaticanæ adjunxit celebrem illam Ducum Urbinatum, magna manuſcriptorum Codicum copia refertiſſimam, cujus jacturam Urbinatibus large rependit. Aliam vero impreſſorum librorum Bibliothecam eorundem Ducum, quæ Urbaniæ in ſitu, atque inter blattas jacebat, compenſato pariter civium damno, Archigymnaſio Romano donavit. Neque inter hæc publica Urbis ornamenta oblitus eſt patriæ ſuæ, in qua & Cathedralem Eccleſiam diſjectis domibus illi adjacentibus, foro amplificato, & aucto numero Miniſtrorum, auguſtiorem effecit, & ædem Monialium de Refugio, quam olim Aurelius Chiſius a fundamentis erexerat, Lunenſi marmore ornavit.

Thomam de Villanova Hiſpanum, Archiepiſcopum Valentinum, in Sanctorum Canonem retulit; *indulſitque, ut Dei ſervus Franciſcus de Sales olim Epiſcopus Genevenſis in poſterum* Beati *titulo nuncuparetur; ejuſque corpus & reliquiæ venerationi fidelium exponerentur;* fuit autem iſta prima ſolemnis Beatificatio, quæ

facta

facta fuit in Basilica Vaticana, expletaque die 8. Januarii an. 1662. Officium Subdiaconorum Apostolicorum in Sacello Pontificio, quod nullo personarum delectu venale erat, abolevit, eoque ministerio insignivit Sacræ Rotæ Auditores, tributo colore violaceo, & sportulis palatinis. Tribus præcipuis Urbis Basilicis in Sacello Pontificio locum dedit, singulis singularum Canonicis Sacro Pontificio ministrare jussis: quos propterea Prælatorum insignibus, & familiaritate Palatii exornavit. Cardinalibus vero atrata veste, qua in suorum funere utebantur, cum id parum e tanti Ordinis dignitate videretur, interdixit. Cum in impetranda condonatione pecuniæ, quæ pro expeditione Ecclesiarum & Monasteriorum Consistorialium, Sacro Cardinalium Collegio, & Cancellariæ Apostolicæ Officialibus debetur, privatorum jura, qui in hujusmodi expeditionum partem veniunt titulo oneroso facile læderentur potentiorum commendatione, nova instituta forma suffragiorum, publicæ privatæque indemnitati consuluit. Multisque aliis cum ad ornatum Urbis, tum ad Christianæ Reipublicæ utilitatem, disciplinamque in Pontificatu præclare gestis, renium morbo, quo jam diu vexabatur, post diuturnos acerbissimosque cruciatus, invicta animi fortitudine toleratos extremum diem obiit die 22. Maji an. 1667. cum multo prius, idibus videlicet Aprilis, sacro Cardinalium Collegio pia ac diserta pro more suo oratione, Sedem Apostolicam commendasset, eosque ut virum Ecclesiæ tam difficili tempore regendæ idoneum deligerent pluribus cum lacrymis hortatus, obtestatusque esset. Nocte insequenti delatus, de more ad S. Petri in temporario tumulo non multos dies sepultus est, novendialibus Exequiis ejus animæ persolutis, quas Augustinus Favoritus debita laudatione est prosecutus.

Statura fuit paullo infra mediocrem, colore subpallido, facie oblonga, nigro ac protenso capillo, vix extrema ætate leviter albicante. Summa illi inerat oris suavitas & dignitas, ad amorem venerationemque conciliandam idonea; magna eloquentia, non ventosa & ad ostentationem facta, sed rerum potius quam verborum, gravis, perspicua, æquabiliter fluens, presso ac majestatis pleno dicendi genere, qualis in sacro Ecclesiæ senatu verba facturum Principem decet. Cui accedebat pronuntiatio excellens, rotundusque vocis sonus pergratus auribus; quamquam enim vitio humidioris cæli Monasterienſis dentium morbo contracto, ii quoque tandem excidissent, quorum loco supposititii alligabantur, nullum tamen in efferenda moderandaque voce sensit incommodum. Latine loquebatur ex tempore tam proprie, tamque dilucide, ut nemo meditate limatius scriberet. Non tamen in verborum delectu ea erat religione, ut nonnisi Augusti sæculo probatis uteretur, si posset aliis commodius sententiam suam explicare: ridebatque nonnullos cæteroquin claros Scriptores, atque in his Petrum Bembum, & Paulum Jovium, qui ut significent res in artibus, vel in Republica noviter inventis, ineptis circumlocutionibus utuntur, ne proferant voces novas, quibus tamen ii ipsi uterentur si viverent, quos se imitari gloriantur. Sermones familiares lepide ac facete dictis, ut erat acuto, ac amœno ingenio, mirifice condiebat. Historiolas vero & apologos, pro re nata, aliquando referebat tam appositе, tantaque oris ac verborum festivitate, nihil ut audiri posset argutius. Animo, si quis unquam, magno & erecto fuit, qui nulla fortunæ injuria, nullis tempestatum fluctibus debilitari posset, nedum frangi. Quod cum multis in rebus, tum maxime in horribili illa Gallici motus procella apparuit, in qua plane consternata Urbe, & constantibus etiam viris extrema metuentibus, hilari tamen & pacato semper vultu conspectus est Alexander, quamvis de avertendo periculo dies noctesque cogitaret. Tantæ autem animi magnitudini conjunctus erat etiam in illo fortunæ fastigio, ingenuus quidam pudor cum lacte haustus, qui non solum in ejus sermone, & moribus, sed in vultu quoque & oculis eminebat. In æstimandis ingeniis, & introspiciendis animis percallidus, certum de unoquoque judicium ferebat. Machinas primo congressu detegebat, si qua fraus subesset statim sentiens. Nec quicquam pernicioſius negotiorum successibus habebatur, quam si quis ad Alexandrum aulico artificio instructus accederet. Ad se adeuntes humanissime excipiebat, cum iisque sermones habens, ita loci, in quo erat, majestatem, vultus atque orationis comitate temperabat, ut simul etiam urbanitatem privati hominis, liberaliter educati, & mutua civilis vitæ officia colentis agnosceres. Quo fiebat, ut nemo ab eo tristis discederet, quamvis non deessent, qui nimium sibi de ea honoris significatione blandientes, primo de rebus suis bene sperare, optimi Principis virtutes in cælum ferre, nihil eo humanius posse fieri, nihil liberalius dicere; deinde vero ubi eorum votis plerumque insanis eventus non responderet, in indignationem spe versa, inanibus promissis oneratos & delusos se quererentur. Erat autem sicuti ad humanitatem, ita ad iracundiam vehementer pronus. Illam ad supremum vitæ spiritum constanter retinuit; hanc ab adolescentia virtute & consuetudine ita perdomuit, ut in magna etiam irascendi necessitate, nec minori ulciscendi copia, pacatum animum præ se ferret. Pietate summa fuit, cibi abstinentiæ, macerationi corporis, sacrorum librorum lectioni ab ineunte ætate assuetus. Idque Lauræ Marsiliæ Matri suæ referebat acceptum, de qua illud aliquando per jocum memorabat, quod ut puerum in libelli de Imitatione Christi lectione exerceret, hortata est ad ejus latinam versionem, quasi italice scripti ab Authore, spe proposita ingentis lucri a Transalpinis hominibus, unde sibi plurimos libros, quorum jam tum erat percupidus, compararet. Qua spe lactatus Fabius, incredibili studio provinciam occupavit, & ad exitum brevi perduxit, sero egregia fraude intellecta. Francisci Salesii virtutes & scripta præ cæteris coluit, ejusque monita fideliter animo imbibit, & pro vitæ regula habuit. Ex quibus illud identidem inculcabat: nihil petendum: nihil recusandum. Cumque magni nominis Præsul conquestus alicubi esset, primam quidem ejus dicti partem in potestate sua esse, seque ei libenter jam pridem satisfacere; alteri vero, quæ esset in Pontificis potestate, satisfaciendi nullam adhuc præbitam sibi occasionem, ubi id rescivit Alexander, renuntiari illi jussit: ad duo Salesianæ sententiæ membra addendum esse tertium, quo præcipitur: nihil dolendum. Hunc tamen Præsulem non multo post egregio munere, & reditu Ecclesiastico liberaliter exornavit.

Litteratos viros plurimi fecit, eorumque consuetudine quotidie utebatur pomeridianis horis, somni impatiens, etiam æstate summa. Frequentiores aderant Lucas Holstenius, Bibliothecæ Vaticanæ custos, Leo Allatius Chius, Holstenii in Bibliotheca successor, Hilarion Rancatus Mediolanensis, linguarum Orientalium notitia præcipue illustris, Sfortia Pallavicinus S. J., Franciscus Vethenius ejusdem Sodalitatis, Natalis Rondininius Brevium ad Principes Secretarius, Franciscus Nerlius Florentinus Archiepiscopus, Rondinini decessor, & postea successor, Joannes Bona Cistercienſis Ordinis, aliique. In horum igitur virorum consuetudine Alexander subsicivis horis animi remissionem quærebat, de re litteraria sermones conferens quæcumque se materia offerret, ut etiam ad Oratorum ac Poetarum delicias aliquando descenderent. Frequentiores tamen sermones habebantur de sacra historia, veterique Ecclesiæ disciplina, quam paulatim instaurare, si per temporum difficultatem licuisset, magnopere cupiebat, quemadmodum & alias facultates, ac præsertim bonas litteras, quas non solum a veteris Latii gloria excidisse, sed a superioris etiam sæculi laude in dies magis magisque excidere prædicabat. Sed ratio temporum sapientem Principem cogitare potius coegit de tuendæ Reipublicæ salute, quam de amplificanda dignitate. Antiquos Codices magno studio conquirebat, nullusque fuit tam barbarus exoletusque character quem non adsequeretur. Ab his magna cum voluptate plura colligebat ad illustrandam obscuriorum temporum eruditionem, illam præsertim, quæ populorum statum, ac mores, & familiarum originem continet. Poesim, in qua magna cum laude floruerat, & cujus studia, ne inter graviores quidem curas jam major natu unquam dimiserat, postquam ad Pontificatum pervenit, in honore quidem habuit, magnis etiam ingeniis ad eam excolendam præmio excitatis, sed ipse nunquam perrexit excolere, ultimaque ejus carmina fuerunt viginti hexametra, quæ e Comitiis Vaticanis ad Ferdinandum Furstenbergium jocabundus scripsit elegantissime de forma & statu Comitiorum. Tanta erat ejus animi tranquillitas, dum cæteri, vel sua vel amicorum causa, assiduis contentionum & cupiditatum fluctibus jactabantur. Bis annis singulis, Majo scilicet & Octobri mense ad Castrum Gandulphi prope lacum Albanum secedebat, modico apparatu, non tam ad animi sui remissionem, quam ut Aula universa ejus exemplo posset libero a curis animo rusticari, atque inde ad urbanos labores vegetior redire. Dolebat sæpe innumeras graveſque curas Pontificatus, minime dissimulans prioris vitæ desiderium: onus se Æthna gravius sustinere, impositam sibi sollicitudinem omnium Ecclesiarum, duram scilicet, specie honoris amplissimi, & miseram servitutem. Cardinalibus vero recurrentem initi Pontificatus diem gratulantibus reponere solebat Virgilianum illud *Dies quem semper acerbum, semper honoratum (sic vos voluistis) habebo*. Cæterum sicuti ad Pontificatum invitus accesserat, ita eo semel suscepto Christianæ rei procurandæ assidue intentus, nihil omittebat, quod ad officii sui munus pertinere arbitrabatur. Veteres amicos, qui tamen pauci supererant, singulari benevolentia complexus est, præsertim Cardinalem Julium

Sachet-

Sachettum, Volumnium Bandinellium, & Sfortiam Pallavicinum. Multos etiam concives ſuos peramanter excepit, & pro ſuo quemque merito ornavit. Nam ubi publica munera conferenda erant, nefas dicebat, aliorum haberi rationem quam qui eſſent eis gerendis idonei, & merito fideque inter competitores eminerent, illud Hannibalis uſurpans, quod eſt apud Ennium: *Hoſtem qui feriet, mihi erit Chartaginenſis princeps*; qui ſecus feciſſent, peſſum Rempublicam dediſſe. Quem tamen errorem tanto in Eccleſia deteſtabiliorem eſſe, quanto is principatus & originis dignitate, & poteſtatis magnitudine cæteris anteiret. Valetudinem neque neglexit, neque diligenter curavit. Quamquam enim initio Pontificatus in familiam ſuam adſciverit Mathiam Naldium Senenſem, inſignem Medicum, hujuſque artis ſtudium e primario Piſanæ Academiæ ſuggeſtu profitentem; id tamen potius tribuit veteri amicitiæ, ac multiplici Naldii eruditioni, qua menſam Pontificiam poſt ſacram lectionem oblectaret, quam ulli tuendæ prorogandæque vitæ deſiderio. Somni cibique parcus, in veſtitu omnique alio cultu munditiem & decorem, non affluentiam, aut pompam amabat, media ſemper incedens via, ut in neutram partem conſpici poſſet. Pecuniæ publicæ parciſſimus, cum ſuæ ante Pontificatum perliberalis fuiſſet, animo agitabat ingenti ære alieno Sedem Apoſtolicam liberare; ſed aliæ ſuper alias cumulatæ calamitates præclaro conatui interceſſerunt. Deteriorem tamen propterea non reliquit ærarii conditionem, ſicuti apud ejus curatores in confeſſo fuit, ut conjici hinc poſſit, quam lætam Pontificatus ſui memoriam relicturus fuiſſet Romanis, ſi in meliora tempora incidiſſet.

Hi certe non gravem in Alexandri obitu mœrorem conceperunt, Mariumque Chiſium, ceteroſque Pontificis Nepotes injuriis onerare non dubitarunt, quod ipſis Rempublicam adminiſtrantibus nova veteribus addita vectigalia perferre compulſi fuiſſent. Summæ tamen prudentiæ, æquitatiſque, qua imperavit, tum ſplendida exhibuit documenta, cum peſte annonæque inopia ingruentibus, gentes ſibi concreditas quoquo modo fovit ac juvit, maluitque iis, quas enarravimus, conditionibus cum irato Rege Galliarum pacem inire, quam cives militari licentiæ atque furori permittere. Cardinali Sfortiæ Pallavicino jam jam moriturum Alexandrum ſyngrapham tradidiſſe, in qua ſui hortabatur ſucceſſorem, ne Caſtrum & Roncilionem Duci Parmenſi reſtitueret, contra ac fuerat Piſis conventum, fama non mendax fortaſſe retulit. Revera cum Ranutius II. pro horum recuperatione locorum octingenta ſupra quindecim ſcutorum millia Romæ depoſuiſſet, qui hæc nomine Pontificis reciperet nemo inventus eſt; compulſuſque propterea Dux ipſe fuit, ut ſua jura tueretur, publice proteſtari, Regiſque Galliarum fidem implorare, ut data illi ſibique in Piſana Concordia fides ſervaretur, uti poſtea contigit.

CLEMENS IX.

FACTURUM me operæ pretium arbitror, ſi Clementis IX. mores reſque geſtas perſcribam, quippe qui regnandi ſapientia, & ſtudio in litteras bonaſque artes nemini conceſſit. Obruuntur ſæpe hominum interitu, & oblivione poſteritatis extinguuntur vita, mores, factaque eorum, per quos partum auctumque imperium eſt; bonæ leges, præclara inſtituta, ardens ſtudium excitandi homines ad laborem & gloriam immortalitati commendata eſſe videntur. Ex quo fit, ut perpauci Romam adeuntes de factis inquirant aut Gregorii VII., aut Bonifacii VIII. cum omnes ſcire cupiant, quid geſſerit Leo X. qua ratione tot ornamenta Urbi comparaverit, & illa lumina omnis præclaræ artis atque doctrinæ aut genuerit, aut provexerit. Profecto haud in dubium revocari poteſt, ſi Principibus propriarum rerum tanta cura eſſet, quanto ſtudio aliena aut parum, aut nihil profutura petunt, quin magis regerent caſus, quam regerentur, & melius famæ ac gloriæ, populorumque, quos ſibi divina Providentia regendos dedit, proſperitati eſſent conſulturi. Hac mente Roſpilioſium fuiſſe, facile ex ejus hiſtoria apparebit. Quapropter illo imperium capiente non ſpem modo ac votum felicitas publica, ſed ipſius voti fiduciam ac robur aſſumpſiſſe videbatur. Non licuit illi tamen niſi pauca ob vitæ brevitatem perficere; præterquam quod nemo ignorat eam eſſe rerum humanarum naturam, ut tardiora ſint remedia quam mala; & ut corpora lente augeſcunt, cito extinguuntur, ſic ingenia ſtudiaque oppreſſeris facilius quam revocaveris. Reliquit ſane præclara exempla, quæ ſucceſſores imitarentur; & nomine ipſo tanti Pontificis admonentur omnes illius geſta, ut ad ſui temporis gratiam, ſic ad memoriam ſpectare debere poſteritatis. Quod ſi reputaveris, quibus temporibus Pontificatum maximum adeptus eſt, eo magis ipſum laude dignum judicaveris, quod Reipublicæ partes unus omnes conſilio, cura, providentia, complexus ſit; quodque egregiis viris gloriæ virtutiſque flammam in pectore accendere curaverit. Plena erant diſputationum in Theologia, partiumque ſtudium omnia permiſcebat; ipſa Religio armaverat ſe contra Philoſophiam, ubi hæc diuturnam poſt ſervitutem extollere jam caput, & aliquando recreata ſe erigere debebat; in adminiſtratione Reipublicæ non erat populo conceſſa libertas, ut quod vellet ſuarum rerum faceret, non certæ leges, cum omnia plerumque ad unius paucorumque arbitrium collata eſſent; ſcientia morum novis quotidie errorum monſtris contaminabatur; dominabanturque homines, quos ad falſas & turbulentas opiniones, & ſuperſtitiones pene aniles excitandas natos dixiſſes. Oratores Chriſtiani totos ſe transtuliſſe videbantur ad turgidum & inane orationis genus, ad inverecundas allegorias atque metaphoras, omninoque ignorabant, quid ſimplex ratio veritatis exigat, ut ſe in hominum animos inſinuare poſſit: ipſi ſæpe ex Ovidio & Virgilio ſuorum dictorum teſtimonia producebant; contra ea cauſſarum patroni diſputationes ſuas SS. Auguſtini, & Hieronymi ſententiis confirmabant. Nihil dico de poeſi, quæ ut eloquentia omnem colorem ſuum & ſuccum miſere perdiderat. Iiſdem ineptiis, fucoque puerili, quibus humaniores litteræ, infici cœperunt pictura, architectura, ceteræque ſimiles artes; & nemo in his mediocriter verſatus ignorat Borromininum, magni ceteroquin ingenii architectum, cum Marinio quodammodo comparari poſſe. His adde malis, quod ambitio atque avaritia magis quam antea animos hominum exercebant, quibus dominantibus, minime probitate & induſtria, ſed divitiis & ſumptibus inter ſe contendebant; non virtuti honos; non divitiis & potentiæ modus; & plerique ad magiſtratus gratia & largitionibus potius quam bonis artibus nitebantur. Sed piget pluribus præteritorum malorum memoriam repetere; quod nimio ſtudio aut reprehendendi eos qui peccavere, aut laudandi illos qui remedia attulere, dictum videri poteſt. Itaque quod ſuſcepimus aggrediamur.

Piſtorii Etruriæ in urbe nobili & perantiqua ortum habuit Clemens, qui tum Julius nominatus eſt, V. Kal. Februarias an. a reparata ſalute MDC. patre Hieronymo, matre Catharina Roſpilioſis. Ac de hujus gentis nobilitate ac ſplendore, deque rebus a majoribus geſtis, quoniam illæ ſunt a noſtræ Civitatis hiſtoriarum Scriptoribus litterarum monumentis conſignatæ, minus multa arbitror recenſenda. Satis mihi erit commemoraſſe Thaddæum Mediolanenſis filium optime de patria meritum, a qua cum equeſtrium pedeſtriumque copiarum accepiſſet imperium, anno MCCCXXX. pro defendenda arce Montis Catini ſtrenue cum Florentinis pugnavit; Joannem, qui cum duceret copias Florentinorum & Piſtorienſium, qui Martino V. favebant, Urbem Veterem, Narniamque illius nomine cepit; Battum, ſeu Joannem Baptiſtam, qui caſtra Gallorum adoleſcens ſecutus, in bello Mirandulano ſingularia virtutis indicia edidit, cujuſque opera adeo æſtimata fuit in bello Parmenſi, quod a Paulo III. P. M. geſtum eſt, ut illo confecto Claſſi Pontificiæ præfectus delectus fuerit. Ac non minus illuſtres homines tulit Gens Roſpilioſia, qui artes pacis comites otiique ſocias coluerunt, quos ad imitandum ſibi propoſuiſſe vel a teneris annis oſtendit Julius. Primum ejus induſtriæ curriculum domi fuit, alterum in Seminario Romano apud Jeſuitas, tertium Piſis, ubi per quinquennium magnum ſtudium, multamque operam in Philoſophiam, Theologiam, ac utrumque jus contulit. Honores vero illos, qui ampliſſimi, confecto ſtudiorum curſu, decerni ſolent, Piſis conſecutus eſt an. MDCXXIII. cum antea hoc ipſo anno docuiſſet e ſuperiori loco in eadem Academia Philoſophiam, extraordinarii, ut loquuntur, Profeſſoris munere

nere fungens (1). Ex multis quos habuit Magiſtris Julius tum Romæ, tum Piſis, in primis commemorandos eſſe puto Famianum Stradam & Benedictum Caſtellium, a quorum altero in humaniſoribus litteris, ab altero in Philoſophia eruditus fuit. Plurimum etiam, dum Piſis fuit, frequentavit Paganinum Gaudentium virum Græcis latiniſque litteris in primis doctum; qui quidem quanti faceret Roſpilioſium maxime epiſtola illa declaravit, qua ipſi opus ſuum *de componendis & evulgandis libris* cum quibuſdam latinis epigrammatibus dedicavit. Talibus doctrinis excultus Roſpilioſius Romam venit, ſperans ſe poſſe in nobiliſſimo orbis terrarum theatro honori velificari ſuo. Et ſane qui illum noverant, omnia ſumma de eodem augurabantur, quod nulla eſſet trium illarum rerum, quibus fere verti dicitur virtus, quarum una eſt in perſpiciendo quid in quaque re verum ſincerumque ſit, altera in turbatis animi motibus cohibendis, tertia in utendo moderate & ſapienter iis, quibuſcum verſamur, in quibus non excellere putaretur Julius. Applicuit vero ſe ad claros & ſapientes viros bene conſulentes Reipublicæ; frequens erat cum Luca Holſtenio, Leone Allatio, Jo. Baptiſta Donio, & Jo. Ciampolo, hominibus ſane doctis, & in primis eruditis, omnibus opinionem afferens fore ſe ſimilem iis, quos ſibi delegerat ad imitandum. Maxime autem ſtuduit ſe in Barberinorum gratiam conſuetudinemque inſinuare, quorum nutu Pontificatum Maximum gerente Urbano VIII. omnia fere adminiſtrabantur, quibuſque ita carus & acceptus fuit, vix ut quiſquam unus uni carior fuerit, quam unus hic univerſis. Secutus eſt etiam Cardinalem Franciſcum, cum ad Galliarum & Hiſpaniarum Reges Legatus miſſus fuiſſet; & quamvis officia omnia obiret diligentiſſime, non tamen, quod plerique omnes Aulici faciunt, reliquum tempus otioſe conſumebat. Nam repetitis de integro ſtudiis, Platonis præcipue, Ariſtotelis, Xenophontis, ac Plutarchi, nec non SS. Eccleſiæ PP. libros ad gubernandam vitam, remque publicam pertinentes, ita ſtuditioſe pervolutabat, ut eos in ſuccum ac ſanguinem ſuum converteret, omniaque eorum præcepta in numerato haberet, quibus non ad inanem loquacitatem, ſed ad danda capiendaque de rebus maximis conſilia tempeſtive uteretur. In Hiſtoria quoque, & italica poeſi multum operæ, ac temporis poſuit, qua in poſtrema facultate ſic valuit non tam præceptis & arte quam natura ipſa, ut haud injuria in principibus illius ætatis poetis a Creſcimbenio numeretur. Extant pauca ejuſdem Lyrica (2), in quibus apparet limatum ac prudens Authoris judicium in declinandis ſuorum temporum vitiis, dum tamen floridum ſcribendi genus conſectaretur. Neque minus feliciter Drammaticam, ad quam præſertim ingenii habitu, eductuque ferebatur, excoluit, ſeptemque reliquit drammata, quorum pleraque in Barberinis ædibus maximo apparatu fuere recitata (3). Nihil vero ad illud ſincerum & ſubtile judicium Creſcimbenii laudabilius eſſe poteſt his drammatibus; neque is dubitat affirmare, ſi in vulgus ederentur, per illa facile intellectum iri omnes, qui cum Roſpilioſio in hoc poeſis genere contendere vellent (non enim tum Zenus & Metaſtaſius in lucem hominum prodierant) ipſum ſuperaturum. Illorum ornamenta ſunt quidem multa; ſed eminet maxime judicium Poetæ in transferendis artis præceptis ad ſuorum temporum uſus ac mores (4). Nemo ignorat, quantum tribueretur poeſi illo Pontifice, qui ad poetæ gloriam maxime adſpirabat. Et ſi non defuere, qui ſine ulla commendatione majorum illuſtriumque in Rempublicam meritorum hac una poetæ laude ad honores obrepſerunt, quanta ſpe teneri debebat Julius, qui non tam poetica facultate, quam præclaris animi dotibus, & nobilitate ipſa blanda conciliatricula erat opinioni Pontificis commendatus? Inter epiſtolas, quas ipſe dare de rebus ſuis ad matrem ſolebat (patrem enim hominem profecto antiqua virtute non multo poſt quam Romam venerat amiſit) plures inveni, quibus eam doceret de claris erga ſe Pontificis benevolentiæ ſignis, de ſermonibus quos cum illo habebat, de facillimis ad ipſum aditibus, idque non ſemel ſibi accidiſſe jucundiſſimum, ut in iis curis, quas Pontifex conferebat ad corrigendos hymnos aliaſque preces, quæ ſunt in uſu quotidianæ Romanæ Eccleſiæ, ad ipſum adjuvandum invitaretur. Deſiderio, quo tenebatur Julius, magis magiſque aucupandæ Pontificis gratiæ neſcio an tribuenda ſit exaggerata laus, quam, edito ſcripto quodam, impertitus eſt poemati Bracciolinii, quod inſcribitur *L' Elezione di Urbano VIII.* In eo quidem multa comparet induſtria, ſed hoc tantum vincit cetera Bracciolinii poemata, quantum hæc poematibus Taſſi & Areoſti concedunt. Hiſce rebus gratia a Pontifice inita, fructus officiorum ſuorum non mediocres conſecutus eſt Julius. Quum fuiſſet anno MDCXXXII. inter Romanos Præſules adſcriptus, eodem anno declaratus eſt Congregationis Sacrorum Rituum a ſecretis. Pœnitentiariæ a conſiliis, & a ſignis fuit. Locatus eſt in eorum cœtu, qui dicitur Viſitationis Apoſtolicæ, declaratuſque Judex *a latere* Legationis Avenionenſis. Liberianæ Baſilicæ Canonicus primum, poſteaque Vicarius factus eſt. Sed nunquam Pontificis beneficia jucundiora, nunquam gratiora Roſpilioſio extitere, quam eo tempore (accidit id anno MDCXXXXI.) quo ad ſcribendas Pontificias epiſtolas, quas Brevia ad principes vocant, accitus eſt. Erant competitores Pallavicinius, Maſcardius, Beneſſius, Conneus, Holſtenius, Achillinius, Villanius, Donius; ſed his omnibus antelatus Roſpilioſius fuit, qui ut liberius recenti muneri vacare poſſet, altero quod ſuſtinebat in Decuria Cardinalium Sacrorum Rituum, ut exſolveretur rogavit. Detulit hoc Pontifex Fachinetio Innocentii IX. gentili, jubens eum & Bononienſes ſuos in magni beneficii honoriſque loco ponere, quod ipſe Roſpilioſio ſuccederet. In magno numero eorum, qui operam ſuam Romanis Pontificibus in difficillimo ab epiſtolis munere præſtiterunt, non auſim Roſpilioſium latine ſcribendi elegantia comparare Bembo, Sadoleto, Antoniano, Boccapadulio, aliiſque, ſi qui præterea ſunt, in hoc genere ſcribendi principibus: ipſe quidem nemini fide, prudentia, dexteritate, atque diligentia conceſſit. Quapropter cum plane officia ſua probaſſet Pontifici, ab eo præter ſpem menſe Martio ann. MDCXXXXIV. declaratus eſt Archiepiſcopus Tarſenſis, miſſuſque ampliſſima & extraordinaria poteſtate Legatus ad Philippum IV. Hiſpaniarum Regem. Non ſane alias exercitior, majoribuſque in periculis Hiſpania fuiſſe videbatur. Defecerant Catalaunia & Luſitania; domi foriſque teterrima bella aut cum deſperatis civibus, aut cum potentiſſimis hoſtibus; inclinabant res Italicæ ad ruinam; ærarium & provinciæ ſumptibus exhauſtæ; neque tot malis ſperari poterat remedium aliquod ab Adminiſtris, quos nimia Regis indulgentia effecerat potentiæ, aut divitiarum præter modum cupidos, nec bene de Republica ſentientes. Ex his, qui primus numerabatur, cui inſolentia dominatus extulerat animos, & erat incredibili armatus audacia, in exilium ejectus: fremebat populus

---

(1) In Tabulario Academiæ Piſanæ ad an. 1622. & 23.

(2) *Canzone, Sonetti, e Cantata per le nozze di Taddeo Barberini e D. Anna Colonna.* Extant in Libro qui inſcribitur: *Componimenti Poetici di varj Autori nelle nozze &c. Roma nella Stamperia Camerale* 1629. in 8. *Sonetti, ed Epigrammi per la Cappella Nolfi di Fano* in Libro cui titulus: *Poeſie di eccellentiſſimi Autori in lode della famoſiſſima Cappella del Sig. Guido Nolfi eretta nel Duomo di Fano. Roma appreſſo Guglielmo Faciotti* 1625. *in* 8. Reliquit in ſcriptis alia plura, quæ edere fortaſſe meditabatur cum iis quæ ſoluta oratione confecit. Leo Allatius in libro, qui inſcribitur *Apes Barberinæ*, hæc commemorat ad Roſpilioſium pertinentia: *Diſcorſo ſopra il Poema di Franceſco Bracciolini inſcritto dell' Elezione di Urbano VIII.* impreſſum cum eodem Bracciolino. *Diſcorſo Accademico ſopra lo ſcoruccio*: extat in libro cujus inſcriptio: *Proſe volgari del Muſcardi. Orationum latinarum volumen. Diſcurſuum Academicorum volumen. Paralello fra la Politica, e la Medicina. Drammi Muſicali con altre poeſie* volumen. His adde Epiſtolas quaſdam. *Lettera tra le memorabili del Giuſtiniani p. 3. p.* 293.

(3) Horum nomina ſunt -- *il Palazzo incantato* -- *l' Armi, e gli Amori* -- *la Comica del Cielo* -- *la Vita umana* -- *del Male, e del Bene* -- *S. Bonifazio* -- *S. Aleſſio* -- Vel ab ipſo tempore, quo Piſis Roſpilioſius commorabatur ſtudiorum cauſſa, ingenium propenſionemque ad Poeſim Drammaticam oſtendit. Scriptum quoque invenio actorem bonum fuiſſe, cumque an. MDCXXIV. acta fuiſſet Piſis Lauri Septizonii Fabula, quæ inſcribitur *Roſelmina*, Julius perſonam Edmundi principis belle ſane repræſentavit.

(4) Hæc Creſcimbenius in Hiſtoria Italicæ Poeſis lib. 2. cap. 90. *Fu dunque Giulio da Piſtoja generoſo Cavaliere, e Poeta Lirico de' più dolci, e culti, e leggiadri del tempo ſuo; ed ebbe tale avvertenza nel maneggiare il fiorito ſtile, che nel fervore della luſſuria degl' ingegni ſi manteane maravigliosamente intatto da ogni ſtrania e ſconvenevole intrapreſa; come ſi riconoſce da molte ſue Rime, che ſi trovano ſparſe per le Raccolte di queſto ſecolo. Ma nè più nè meno drammaticamente compoſe; al che ſopra tutto inclinava il ſuo genio; e ſeppe sì bene accomodare al moderno uſo de' Teatri ciò che a ſimile ſpezie di poeſia è preſcritto, che nè prima nè dopo vi è alcuno più guardingo di lui, e di maggior gloria degno e di fama. Se i ſuoi Drammi, che in più Volumi originalmente ſi conſervano nell' Ottoboniana, godeſſer la pubblica luce, la moderna Drammatica poeſia avrebbe anch' eſſa qualche fregio, pel quale doveſſe con ragione gloriarſi, e gareggiare coll' altre ſpecie.*

pulus parem, aut majorem pœnam ab aliis expetendam, ſeque ultorem injuriæ, doloriſque ſui fore minitabatur. Rex perturbationi animi, & fortunæ ob publica & domeſtica mala (Iſabellam enim Borbonicam uxorem cariſſimam amiſerat) ſuccumbere videbatur, dolebatque ſpem nullam oſtendi fore aliquando melius ægrotam ac prope deſperatam Rempublicam. Hic ſtatus erat rerum Hiſpaniæ, quando Roſpilioſius Matritum advenit. Illius præcipuæ curæ fuerunt, ut cum ceteras res omnes, tum ingenium noſceret eorum, qui primas in negotiis publicis agebant, in eorum familiaritatem ſe inſinuaret, Regiſque animum ſibi demereretur. Id quidem ſic ei ſucceſſit, nullum ut ejus conſilium atque incœptum fruſtra eſſe videretur, ipſeque Rex omnes fere res cum Roſpilioſio communicaret, in amicis haberet, magis magiſque in dies ſingulos amplecteretur, quod non tam ingenii ſolertiæ, quæ in Roſpilioſio magna fuit, quam ſingulari bonitati naturæ aſſignaverim. Tanta porro erat opinio, quam Rex habebat de Roſpilioſii fidelitate, ut nihil valerent invidorum voces ad illam imminuendam, quamquam ſuſpicioni locum aliquem dare Roſpilioſius ipſe videretur ob arctam conjunctionem, quæ ei erat cum Cardinali Mazzarinio perpetuo Hiſpanorum hoſte. Neque litterarum modo commercium inter eos fuit, ſed & munera ſibi invicem mittebant, multiſque certabant officiis. Uterque jecerat fundamenta ampliſſimarum fortunarum in Aula Antonii Barberinii Cardinalis; ſed non eadem utrique via ad eas acquirendas. Vincebat omnes calliditate Mazzarinius; apertum pectus oſtendebat Roſpilioſius: intentum animum alter habebat tanquam arcum ad omnes captandas utilitates; non occurrebat alter fortunæ, ſed eam quieto animo præſtolabatur: ardens Mazzarinius tum amore, tum odio, tum conſcientia, nunquam ſibi imperabat niſi quando expediebat; contra ea Roſpilioſius, tanquam navigium aliquod tranquilliſſimo in mari, cupiditates ſuas moderabatur, & prudentia, gravitate, & officio conſilia omnia regebat: vanus ille, avarus, magno animo, & conſtanter manens in ſtatu ſuo, nullum habuit modum divitiarum & honorum; modeſtus hic, cautus, & ſæpe etiam timidus, ordinem, honeſtatem, & decus ſemper ſervavit. In tanta diſſimilitudine naturæ amicitiam inter eos extitiſſe, mirum videri poteſt. Inita, ut diximus, ſingulari gratia a Philippo Rege, facile fuit Roſpilioſio, quæ difficillima putabantur, explicare negotia. Dolebat tamen ſe non habere induſtriæ ſuæ approbatorem Urbanum VIII., a quo, ſicuti narravimus, legatus miſſus fuerat; & eo magis dolebat, quod non uni Innocentio, qui ſucceſſor ſimul & ultor electus fuerat, ſed aliis, quorum nimia potentia dominabatur in Urbe, ſerviendum eſſe intelligebat. Sed quidquid hi rogarent, facile juſteque ſemper agebat Roſpilioſius; cui nunquam non obverſabatur animo poſſe virtutem ſine præſidio fortunæ, quo contendiſſet labore & conſtantia pervenire. Vehementer tum agitabatur de pace componenda inter univerſos Europæ Principes. Locus opportunus, aptuſque ad diſceptandum de conditionibus viſus eſt Monaſterium, eoque jam convenerant plerique eorum, quibus conficiendi negotii cura commiſſa fuerat. Differebat quotidie ac procraſtinabat Hiſpaniæ Rex ſuorum legatorum miſſionem; cumque magni intereſſet & amicos rei Romanæ eligi, & eos cito legari, id ſciliicet magnopere curavit Roſpilioſius. Ut vero agi res cœpta eſt, non minus ille ſtuduit, ut Sedis Apoſtolicæ dignitati Rex ipſe faveret. Hæc quidem feliciter Roſpilioſio ſucceſſere. Nihilo tamen minus iis conditionibus pax confecta eſt, ut per eas plurimum læſa fuiſſe Catholicæ Reipublicæ jura graviter ſint conqueſti Romani Pontifices, eaſque hactenus recuſaverint. Per idem tempus actum a Roſpilioſio de machinationibus Janſeniſtarum, efflagitatumque, ut Urbani VIII. Conſtitutio, qua Janſenii liber damnabatur, ſolemniter in Belgio acciperetur. Nec deerant, & in his Archiepiſcopus Mechlinienſis, Epiſcopus Gandavenſis, & totum ferme Brabantianum Conſilium, qui acriter ſe ſe huic rei opponerent. Ajebant enim fraudes Jeſuitarum illam extorſiſſe; horum hominum ponderibus examinatum fuiſſe Janſenii librum; contra ipſius Pontificis voluntatem ac juſſa factam auctoris mentionem; eo ſpectare dolos & machinas eorundem, ut e Scholis non Janſenii, ſed ipſius Auguſtini de Gratia Dei doctrina exturbetur: nec dubitare ſe, quin illa Conſtitutio magnas allatura eſſet Belgio perturbationes. Hæc quanquam ex vero multi dici arbitrarentur, vicit tamen Regis animum auctoritas Roſpilioſii, qui quidem obtinuit non ſolum ut Conſtitutio in Belgio (5) promulgaretur, ſed etiam ut Eccleſiæ munera iis denegarentur, qui ipſi ſubſcribere recuſarent. Poſt id petiit Rex a Pontifice, ut diligentius & ſine partium ſtudio Janſenii liber examinaretur, ex quo examine nova rerum origo, novæ molitiones, de quibus non eſt hic dicendi locus. Cum videret Pontifex haud quicquam abnuere Roſpilioſio Philippum Regem, eo magis eminuit ejus animus elatus & acer in expetenda pœna ab Neapolitani Regni Proregibus, per quos ſuorum legatorum aut Eccleſiæ jura violata eſſe dicebat. In his Arcobrigæ Dux, vir notus multis nominibus, ſed præſertim ſeditione Thomæ Anielli, cui cauſſam dediſſe videtur, ſupplex veniam petere coactus eſt ab Æmilio Alterio Legato Pontificio, quod hominem abducere tentaſſet ab illius ædibus, in quas tanquam in aſylum confugerat. Poſtulante quoque Roſpilioſio, privatus munere fuit Beltranus Guerra, Onnatti Comes, præceptumque ſucceſſori, videret ne Pontifici, & Neapolitano Archiepiſcopo juſta querelarum cauſſa ſuppeditaretur (6). Inter tot beneficia, quæ a benevolentiſſimo Rege impertiebantur Roſpilioſio, nullum huic fortaſſe gratius fuit, quam ea largitio, ex qua Liberianæ Baſilicæ Canonicis tria fere millia aureorum quotannis penduntur (7). Qua in re Philippus Soceri Henrici IV. Gallorum Regis ſecutus eſt exemplum, qui Conſtantinianæ Baſilicæ ditiſſimi Sacerdotii jura & reditus donavit. Interim cogitabat Philippus de ducenda uxore, quod vehementer poſtulabatur ab Hiſpanis ad reparandam orbitatem maſculini generis. Duxit autem ineunte anno MDCL. Mariam Annam Cæſaris filiam; & fuit apparatus, fuit ſpecies tali conjuge digna. Illa ſolemnis nuptiarum pompa conſecrata voce & auſpiciis Roſpilioſii fuit, qui quidem nil vehementius optabat, quam ut fructus lætos & uberes hujus conjugii ſibi videre liceret.

Auctus haud multo poſt Rex filia, eam per Roſpilioſium luſtralibus aquis ablutam voluit; quod quidem maxima cum ceremonia, magnificentia, ac ſumtu factum ab eo eſt. In hac tamen cunctæ civitatis lætitia triſtem eum eſſe oportuit ob mortem filii fratris, quem ſecum in Hiſpaniam duxerat, & a quo omnia ſumma expectare poterat (8). Hæc & alia hujuſmodi homo chriſtianus perinde accipiebat, ac ſi a ſummo Parente admo-

---

(5) Promulgata fuit an. MDCLI. hac clauſula *Sans préjudice des Droits, Priviléges, & coutumes de Flandres*. Edito Edicto, qui nomine Regis Belgio imperabat, hanc clauſulam approbavit, & Archiepiſcopus Mechlinienſis quædam alia addidit, quæ idonea putavit ad defendenda S. Auguſtini de Gratia efficaci dogmata, & Janſenium ipſum. Hinc data Pontifici novarum querelarum cauſſa.

(6) Vide Vol. II. libri, qui inſcribitur: *Teatro Eroico, e Politico de' Governi di Vicerè del Regno di Napoli &c. di Domenico Antonio Parrini*.

(7) Hujus rei monumentum extat in Sacrario ejuſdem Liberianæ Baſilicæ, in quo hæc leguntur:

Clemens IX. Pont. Max.
Hanc Baſilicam
Olim Canonicus & Vicarius
Sancte coluit liberaliter ornavit
Suaque apud Philippum IV.
Regem Catholicum
Nuncius dexteritate & officiis
Annuo trium ferme aureorum millium
Proventu ditavit
Nunc vota pro optimi Principis
Incolumitate renovantem
Bene ſperare jubet
Et inter præcipuas
Pontificatus ſui curas
Paterne fovet.

(8) Hæc Matriti extat memoria in Ædibus Carmelitarum

D. O. M.
D. Hieronymo Roſpilioſio
Patricio Piſtorienſi
Equiti S. Stephani
Cui primogeniti prærogativam
Non tam natura dedit, quam virtus
Pietate in Deum humanitate erga omnes
Prudentia ingenio Litterarum ſtudiis
Et Equeſtribus diſciplinis apprime prædito
Quem vigeſimo ſecundo ætatis anno præreptum
Matritana Curia publico nobilium luctu deploravit
Agnoſcens haud defuiſſe
In adoleſcentiæ flore meritorum ſenium
Non enim annis vivunt mortales ſed factis
D. Julius Archiepiſcopus Tarſenſis
Et in Hiſpaniarum Regnis Nuncius Apoſtolicus
Cariſſimo ex Fratre Nepoti
Hoc amoris ſui Monumentum
Mœſtiſſimus poſuit.

admoneretur, cetera omnia falsa, incerta, caduca, & mobilia, virtutem unam altissimis defixam esse radicibus. Itaque nemo illo minus fortunæ stabilitate confidit; nemo illo magis alienus non dicam a superbia, sed & ab insolenti alacritate, quam secundæ res solent afferre; cumque præclare gestis in legatione minime exultaret, omniaque ad regis bonitatem referret, extra invidiam, nec extra gloriam erat. Abeuntem ab legatione An. MDCLIII. Rex magnifice laudavit atque donavit. Obtulit etiam ei litteras ad Pontificem, quibus hunc non modo rogasset, sed pene etiam coegisset ad adlegendum Rospiliosium in Cardinalium collegium. Verum hic temporum iniquitatem animo reputans, quibus plerique utebantur ad honores per malas artes potentiæ unius feminæ decus atque libertatem suam gratificantes, amantissimi regis officia recusanda putavit. Nec poterat tanto viro grave esse vitam privatam agere, cui in ipsa conscientia recte factorum satis magnus laborum fructus inerat. Itaque cum Romam rediisset, nec questus est, nec exprobravit Pontifici, quod nullis donatus esset præmiis, quæ dari amplissima legatis solent. Ubi vero nullam præclaram operam Reipublicæ vidit se posse navare, contulit se ad eas artes, quæ verissima sunt humanæ vitæ solatia, in quas dum tota mente incumbimus, nullus fere nobis sensus est præsentium malorum; quod ita perceptio magnarum rerum incredibili dulcedine animos perfundat, ut qui ea se assuefecerint, nihil omnino sentiant temporum indignissimorum acerbitatem. Cum iis etiam se oblectabat Rospiliosius, qui & pingendi & scalpendi arte maxime excellebant, familiaresque habuit Alexandrum Algardium, Petrum Berettinium, & Franciscum Albanium, quem sæpe consolari debuit & defendere contra malevolorum invidiam. Incredibile enim est, quantum ille afflictaretur cum audiret quotidie se non solum postponi Reno varietate nobilitateque formarum, Barbierio vi quadam coloris, Zampierio inventionis copia, Lanfranchio pingendi facilitate, sed infimis pictoribus comparari, & tanquam nimis mollem, enervatum & exanguem reprehendi. Habitabat Rospiliosius in Exquiliis, idque non tam salubritate & amœnitate loci quam amore otii & solitudinis. Aberat enim ab Urbe & Aulæ strepitu, & quo propius erat Liberianam Basilicam, cujus servitio jam diu se devoverat, eo facilius & copiosius pietati suæ in B. V. M. satisfaciebat. Interea Innocentius X. mœrore & annis oppressus, erat enim octogenario major, diem suum obiit. Tanta omnium indignatio in Olympiam ejusque fautores exarsit, ut non jam secretis odiis, ut antea, sed aperte & palam incesserentur, eo usque ut etiam a pueris e schola redeuntibus proditores appellarentur. Neque quisquam eorum cum excusatione aliqua mentionem facere posset, quin sibilis & tumultu exciperetur. Inter eos, quos deditos obstrictosque habuerat Olympia, fuit Aribertus, Urbi præfectus, vanus ingenio homo, & ex claris inimicitiis constantis animi famam appetens. Placuit itaque purpuratis Patribus eum magistratu movere, ejusque in locum cunctorum suffragiis Rospiliosius suffectus fuit. Insignia novæ dignitatis accepturus ad Patres cum exiguo servorum comitatu venit, sive ad pristinæ fortunæ misericordiam commovendam, sive quod probabilius est, ad moderationem animi ostendendam. Mitis Rospiliosii præfectura fuit, moribusque magis suis, quam populi Romani conveniens. Vigilantiam tamen & diligentiam mirificam præstitit, quod uno maxime confirmabimus exemplo. Vivebat in Urbe per ea tempora Franciscus Borrius Mediolanensis, qui cum antea esset in omni vitiorum cœno pervolutatus, repente vitæ statum commutavit, ficteque ac simulate loquens & agens adeo homines decepit, ut permulti existimarent quasi lumen aliquod elucere sanctitatem illius; sed interea mens vana & depravata agitando & exquirendo omni errorum genere alebatur, expectabatque tempus opportunum ad illos disseminandos. Sed cum intellexisset versari se sine periculo diutius Romæ non posse, vestigia illius persequente Rospiliosio, solum vertit, neque multo post Mediolani virus impietatis suæ evomere cœpit. Nullum est Christianum dogma tam sanctum & solemne, quod ipse violare & evertere non tentaverit, multosque sane in fraudem intulit. Demum illius perfidia omnis repente apparuit, favitque fortuna, cum e manibus Quæsitorum fidei illum eripuisset. In Bataviam tanquam in asylum confugit, medicinamque faciens famam & divitias acquisivit. Indulgentia Batavorum ferocem, arrogantem, infestum eum fecit; quapropter diffidens rebus suis, postquam in ea provincia plures annos commoratus fuisset, ad Germanos transivit. Inter hæc sævitum est Romæ a Quæsitoribus fidei in scripta, & imagines hominis impudentissimi, cum in corpus non possent; & Rospiliosius, qui tum e numero eorum erat, facile in reliquorum sententiam ivit. Quando hæc acciderunt, sedebat ad Reipublicæ gubernaculum Alexander VII. qui a singulari studio in Catholicam Religionem ineuntis Pontificatus commendationem ducendam putaverat. Sensit illico Pontifex, cujus summa erat exspectatio, huic tuendæ fore opportunissimum, si opera consilioque Rospiliosii in rebus tractandis uteretur. Itaque eum Secretarium, ut vocant, Status (summam rerum is administrat) creavit, neque multo post in Cardinalium collegium cooptavit. Utinam semper valuissent consilia Rospiliosii. Neque enim Pontifex in summas angustias adductus fuisset. Sed persuadere Principi quod oporteret multi laboris erat in magna assentantium copia, qui libentius cum fortuna Pontificis, quam cum eo colloquebantur. Principio quo is ad imperium vocatus est, raro sane exemplo ostendit nolle se in familia sua socios potestatis authoritatisque habere, & suorum magis quam Reipublicæ rationibus prospicere. Quod moderationis æquitatisque documentum magno gaudio, magnoque plausu acceptum est. Sed brevi commotus Pontifex sensu & indulgentia in fratrem filiosque ejus, a pristina severitate atque rigore discessit, omnemque fere potestatem in eos transtulit. Dignos hac fortuna anteacta vita eos ostendebat: sed cum irrupissent adulatio, blanditiæ, sua cuique utilitas, magna apparuit conversio voluntatum. Acribus sane stimulis secundæ res animos explorant, & qui fortunam adversam facile toleramus, felicitate corrumpimur. Hæc sunt, quæ conturbabant Julium in administratione Reipublicæ, dolebatque sæpe plus apud Pontificem paucorum, quam universæ Civitatis vocem valere & voluntatem. Sed in magno numero hominum, qui non erant dissimulanter irati, nemo tam iniquus extitit, qui vel minimam partem earum rerum, quæ minus laudabiliter gerebantur, in Rospiliosium transferre ausus fuerit. Non enim minus apud eum honestas & fides, quam apud alios utilitas valuit, tulitque semper & justitiæ famam, & constantiæ. Quando vero illud suum præclarum studium de Republica conticescere & obmutescere cogebatur, facile homo integer & castissimus consolabatur se cum bonæ mentis conscientia. Vivebat tunc Romæ Paulus Cardinalis Gondius, qui, ut erat ferendæ invidiæ & discordiæ mirabilis artifex, in odium offensionemque non modo Card. Mazzarinii, sed & ipsius Galliarum Regis incurrerat. Hi pœnas ab eo aut audaciæ, aut temeritatis exposcebant. Pontifex principio Cardinali favere, postea ad severitatem propensus & recusantem abdicare se Archiepiscopatu Parisiensi coacturus imperio videbatur. Miserebat tamen illius Rospiliosium, quanquam animus ferox misericordiam illius minime requirebat, deditque ei consilia plena prudentiæ & charitatis. Amabat enim hominem clarum natalibus, casibus, & præsertim ingenio. Sed hic illa rejecit, quod non tam præmiis periculorum, quam ipsis periculis lætus, pro certis & olim partis nova, ambigua, ancipitia malebat. Grata tamen Galliarum Regi fuerunt officia Rospiliosii, & gratiora quoque accidissent, nisi Rex, instigante maxime Mazzarinio, & causam aliquam ipso Pontifice dante, quidquid Romanum esset aversari videretur. Secuta sunt illa, quæ ad Jansenium, ejusque sectatores pertinebant, in quibus aliorum magis quam Rospiliosii valuere sententiæ, utque evenit in consiliis infelicissimis, optima visa sunt, quorum tempus effugerat. Profecto quæ in hac re gessit Alexander, multum Ecclesiæ Gallicanæ pacem turbarunt. Plurimis vero opem Rospiliosii in magna rerum perturbatione implorantibus respondit ille, rem suæ potestatis non esse, expectandaque meliora tempora, dum remitteretur intoleranda potentia Jesuitarum, qui clamabant Christianam Rempublicam deleri, si omnia ex eorum voluntate non fierent. Hæc infringere putabant aliqui gloriam Rospiliosii. Ipse vero qui intelligi volebat neque temporariam, neque callidam esse prudentiam suam, non florentibus se venditavit, sed afflictis quantum potuit succurrit, studiumque veritatis retinuit. Id etiam ex iis conjici potest, quæ dixit, scripsitque pro defensione Petri de Marca, cujus fama omni maledictorum genere oppugnabatur. Tantum porro tribuit testimonio Rospiliosii Baluzius, ut non posse melius consuli carissimi præceptoris famæ & gloriæ putaverit, quam si in medium proferret litteras, quibus Cardinalis amplissimus mortem ejusdem de Marca deflebat (9). Huic innocentiæ defendendæ cupiditati adjungebatur studium doctrinæ; nam quo magis

(9) En litterarum exemplum, quas Rospiliosius dedit ad Samuelem Sorberium pridie Kalendas Augusti MDCLXI.

„ Quanto mœrore me affecerit luctuosus obitus Illustrissimi, „ ac Sapientissimi Præsulis Petri de Marca, vel ex opria „ animi

in illa qua excellebat, eo vehementius iis temporibus exagitabatur. Magnificum illud quidem, & purpuratis Patribus maxime glorioſum, honori dignitatique favere hominum ſtudiis litteriſque deditorum; & nunquam non commemorandum Roſpilioſii exemplum, ad cujus gratiam atque amicitiam omnes ii receptum habebant, quos ingenii præſtantia decorabat. Ipſa ejus domus commendabat ad opinionem & innocentiæ & doctrinæ omnes, qui illam frequentabant, celebraturque quotidiana amicorum aſſiduitate atque frequentia. Neque ſolum in vivos, ſed etiam in mortuos officia amicitiæ diligenter ſervabat Roſpilioſius; cui rei indicio eſſe poſſunt, quæ geſſit ad quædam ſcripta colligenda edendaque Joannis Ciampoli, & Lucæ Holſtenii. Vixerat cum utroque familiariter Roſpilioſius, tantumque tribuebat unius muſis, & alterius eruditioni, judicio, & acumini, ut neminem ſe noſſe diceret, quem cum illis æquaret. Quod ad Holſtenium attinet, me quoque adſcribo Roſpilioſii ſententiæ; quod vero ad Ciampolum, ſemper quidem demiratus ſum ejus poeticum ingenium omnino ad Lyricen factum, ſed ei condonare non poſſum, quod neſciverit politius limare carmen, & ambitioſa recidere ornamenta, quodque non ſemper viderit, quo virtus, quo ferat error; ex quo factum eſt, ut dum vitat humum, nimis in ſublime feratur, deſcendatque interdum ab alto . . . . *Veluti merulis intentus decidit auceps in puteum foveamque*. Sed hæc vitia potius temporum, quibus Ciampolus vixit, quam poetæ dixeris. Abſunt quoque a perfectione quæ ſcripſit Ciampolus ſoluta oratione; & hæc in vulgus edere ſibi propoſuerat Roſpilioſius. Cum præſtare rem minime potuiſſet creatus Pontifex maximus, ejus perficiendæ Jacobo Antonio Celſio curam reliquit. Inter hæc accidit adventus in Urbem Chriſtinæ Svecorum Reginæ, quæ capta Roſpilioſii humanitate atque doctrina nullum officii genus prætermiſit, ut eum in perpetuum ſibi devinciret. Viciſſim Roſpilioſius omnes captabat occaſiones ad promerendam Reginæ gratiam, obſequebaturque voluntati illius, cum excitaret plurimos ad conſecrandam ampliſſimis monumentis memoriam fidei, pietatis, & moderationis, qua potentiſſima Regina non ſolum Regnum, ſed omnia pene a ſe abdicare viſa eſt, ut ſe Romanæ Eccleſiæ adjungeret. Qui norunt quem vitæ curſum tenuerit Regina, quique ejus acta & mentem introſpexere, facile judicare poterunt, num caſus eventuſque rerum, an ſincera pietas duces comiteſque illius conſiliorum fuerint. Jam vires cœperant deficere Alexandrum, dolorque minime deficiebat Roſpilioſium non bene proviſum famæ Pontificis, multis ceteroquin ornamentis & virtutis & ingenii præditi, ab iis, quos maximis affecerat beneficiis. Ipſe quidem ſe ſemper exiſtimationis illius ſtudioſiſſimum, cupidiſſimumque oſtendit, ac nulli pepercit induſtriæ, quo omnes officii ſui rationes conſtarent, & vel difficillimis ſatisfaceret (10). Mortuus eſt Pontifex XI. Kalendas Junias Ann. MDCLXVII. nonum ſupra ſexageſimum annum ingreſſus, poſtquam duodecim annos, menſem unum, ac dies regnaſſet omnino XV. Novendialibus juſtis illi de more factis, Cardinales omne ſtudium cogitationemque contulerunt in eligendum novum Pontificem. Fuit perelegans & graviſſimis plena ſententiis oratio, quam Stephanus Gradius Raguſinus Vaticanæ Bibliothecæ, ut vocant, cuſtos ad Patres Comitia ingreſſuros habuit, illos admonens, ut cognationis, amicitiæ, privati commodi obliti, eum crearent Pontificem, qui optimus, quique Chriſtianæ Reipublicæ, præſertim tam turbulentis temporibus, utiliſſimus foret. Inter hæc magna fuit contentio, an in Ædibus Quirinalibus haberi Comitia deberent, quod & maximi calores, & cælum inſalubre obſtare videbantur, quominus in Vaticanis, ut moris eſt, haberentur. Erant in hac ſententia, proque ea vehementer pugnabant Cardinales Ludoviſius, Odeſcalchius, & Pallavicinius; ſed contra maxime nitebantur Barberinius, Spada, Pallotta, ceterique Seniores. Sic triduum diſputationibus extrahitur, quoad inter omnes convenit eas eſſe Ædium Quirinalium anguſtias, ut ei rei nulla ex parte locus eſſet aptus accommodatuſque. Itaque nihil innovari placuit, præſertim cum nullus non arbitraretur ad breve exiguumque tempus duratura Comitiorum incommoda, adeo omnium mentem Roſpilioſius occupaverat. Verum multa rumor fingebat, ut primis diebus res ferme conficienda videretur. Itaque quatriduo vix elapſo undique ad Vaticanum concurritur: magni clamores, magnæque gratulationes fiunt, ſicque recte factorum, ac magnorum in Rempublicam meritorum gloriam conſecutus eſt Julius, ut eum prius univerſa civitas voce, quam Patres ſuis ſuffragiis, Pontificem declaraverit. Intus enim erant adhuc omnia ſuſpenſa, cum illis viſum fuiſſet aliquid temporis expectare, dum & ipſe magis convaleſceret (graviter enim paullo ante ægrotaverat) & ſi qua contra ab adverſariis confingi poſſent, diluerentur. Inter hæc e vita conceſſit Cardinalis Franciſcus Pallavicinius vir ſane doctus, cujus memoriam excipient omnes anni conſequentes. Romæ natus atque educatus, tantam vel a primis annis ingenii magnitudinem præ ſe tulit, ut non ſolum laudem, ſed etiam admirationem ſit conſecutus. Itaque adoleſcentulus & clarorum virorum floruit amicitiis, & in intimam Summi Pontificis Urbani VIII. familiaritatem pervenit. Operam honoribus a Patre dare juſſus Præſul Æſium, Urbem Veterem, atque Camerinum gubernavit; cumque & antiquitate generis, & gloria majorum, & ſua virtute maxime floreret, facile ſibi non ſolum augurari, ſed etiam polliceri ſummos honorum gradus potuiſſet. Sed vir altus & excelſus humana omnia deſpicere viſus eſt, cum S. J. nomen dediſſet. Magna fuit ſuorum de illo opinio, ut ei nemo anteferretur, perpauci pares putarentur. Quamobrem id habuit operis & muneris, ut Hiſtoriam Concilii Tridentini conſcriberet, confutaretque Paulum Sarpium, qui hanc ipſam rem accuſatorie magis quam libere tractaſſe putabatur. Elegans eſt verbis, ſapiens ſententiis, genere toto gravis. Et verendum quidem ei erat, ut tenere ſe poſſet, ut moderari iram, præſertim cum præjudicati aliquid ad cauſam afferret. Homo hac facultate magnam eſt gratiam Alexandri VII. conſecutus;

„ animi ægritudine colligere Dominatio tua abunde pot-
„ eſt. Neque enim te latet, qualiter ſingulari ipſius hu-
„ manitati me profitebar obſtrictum, quantumque inſigni-
„ bus ejuſdem meritis tribuebam; quo ſublato plurimam
„ in Chriſtiana Republica factam eſſe jacturam intelli-
„ gunt, & dolent omnes. Vitæ tamen innocentia, &
„ aſſiduum Religionis ſtudium cum illi aditum ad cælo-
„ rum præmia aperuiſſe non dubie exiſtimentur, noſtras
„ etiam lacrymas abſtergere & dolorem temperare poſ-
„ ſunt, ſperata tanti viri felicitate. Haud mediocre et-
„ iam exhibebant mihi ſolatium occaſiones omnes, qui-
„ bus paratiſſimam erga Dominationem tuam voluntatem
„ aliqua ratione declarandi, quemadmodum impenſe cu-
„ pio, opportunitas præbeatur, cui proſperos rerum o-
„ mnium eventus a Deo enixe precor. Erant tunc (pro-
„ ſequitur Baluzius) qui famam Illuſtriſſimi viri dehone-
„ ſtare conati ſunt maledicentiſſimis ſatyris ſuis. Pudeat
„ illos ſuæ temeritatis poſt tantum tamque illuſtre maxi-
„ mi Pontificis de Marca teſtimonium “. Hæc Baluzius in vita Petri de Marca, quam ſe ſcribendam ſuſcepiſſe Auctore Roſpilioſio, in aditu ipſius Vitæ exponit.

(10) Lubet hoc loco exſcribere quæ Angelus Corrarus prædicavit de Roſpilioſio cum pro officii ſui ratione (erat enim Venetorum ad Alexandrum VII. Legatus) de toto Romanarum rerum ſtatu ſuos edocendos ſuſcepiſſet. Elegans, ſincera, prudentiæ & acuminis plena hæc narratio eſt, de qua Fuſcarenus mentionem fecit, *Storia Letteraria Veneziana* pag. 463. n. 44.

„ Del Card. Roſpilioſi Piſtojeſe primo Segretario di Stato
„ non potrei dir tanto bene che non meritaſſe ſe ne di-
„ ceſſe ancor molto più; poichè non ſaprei quaſi, ſe
„ miglior natura d' uomo ſi poteſſe dare per empire de-
„ gnamente quel poſto; e lo conoſce ben il Papa, che
„ più volte ha avuto a dire d' aver ritrovato un Segre-
„ tario ſecondo il cuor ſuo. Ha giudizio ſincero, ſciol-
„ to affatto da ogni intereſſe, non s' innamora delle ſue
„ opinioni, e quando le ha eſpoſte, ha guſto che ſiano
„ cenſurate, e moderate, ſe così ricerca il ſervizio del
„ Padrone. Nutriſce affetti indifferentiſſimi; e ſebbene
„ corre opinione che eſſendo ſtato Nunzio in Iſpagna,
„ ove ſi fece grandemente amare dal Re e da tutta la
„ Corte, egli poſſa propendere con l' inclinazione ai
„ comodi di quella Corona, s' ha per falſo, perchè in
„ tempo mio ci ſono ſtati dei torbidi in quella Corte,
„ che avriano potuto facilmente raſſerenarſi con l' inter-
„ poſizione di un Miniſtro tanto accreditato. Ma quan-
„ to più ſi è potuto dubitare che ei parteggiaſſe con la
„ Spagna, tanto più ſi è aſtenuto di frapporne il ſuo pa-
„ rere. Sta ritirato quanto più può dal dar udienza,
„ non volendo egli altra occupazione che quella del ſuo
„ carico, al quale ſta affiſſo con tutta l' accuratezza,
„ portando ogni ſera i negozj digeriti a ſua Santità, e
„ pigliandoſi egli medeſimo la briga di far le minute
„ delle Lettere in quegl' intereſſi, ne' quali il Papa pre-
„ me. Poſſo però dire, che meco non abbia dimoſtrato
„ mai ritroſità in aſcoltarmi; maſſime che anch' io ho
„ avuto avvertenza di non chiederli udienza, ſe non in
„ occaſioni urgenti, ed ho avuto ſempre quella ſoddis-
„ fazione che ſi può aſpettare da un Miniſtro obbliga-
„ to a non recedere un puntino dai ſenſi del Principe.
„ E' tanto più ſtimabile queſto Cardinale, perchè dan-
„ doſi vacanza di Sede in queſto tempo, avrei per mol-
„ to ben fondate le ſue ſperanze, avendo i Spagnuoli,
„ e il G. Duca per ſe, e probabilmente ancora il con-
„ corſo delli due Capi, che predominarebbero in un
„ Conclave, cioè di Barberino, che a tempi di Urbano
„ diede impulſo alla ſua fortuna, e di Chiggi, di cui è
„ creatura benemerita “.

tus; nec defuere, qui crederent aſſentatione etiam aliqua ſe in Pontificis conſuetudinem penitus immerſiſſe. Creatus ab eo Cardinalis, multa habuit negotia; neque ulla res gravior geſta, de qua prius ſit decretum, quam Pallavicinii ſententia cognita. Sic beate acta vita, hoc unum ejus felicitati defuiſſe vere licet dicere, quod illum diem clariſſimum lætiſſimumque non viderit, quo Roſpilioſius Pontifex, ſicut ipſe divinarat, creatus eſt. Intercedebat enim inter eos magna ac vetus ſummis ſemper culta officiis amicitia, quam mutua virtutis opinio conciliaverat. Iiſdem quoque diebus vitam amiſit Cardinalis Volumnius Bandinellius Senenſis, ſane probus, bene moratus & integer vir, idemque nobilitate generis cum primis clarus. Erat enim Summi Pontificis Alexandri III. gentilis. Sed eo jam, unde digreſſi ſumus, revertamur. Erant e Cardinalibus nonnulli, qui Hieronymo Farneſio favebant, cumque is propter animi virtutes & non vulgarem doctrinam magno apud omnes eſſet in honore, difficile illis non fuit alios ad ſuas partes attrahere. Sed hi brevi tempore plane refrixerunt, repugnante maxime Card. Barberinio. Nec meliori eventu habita mentio eſt Cardinalis Scipionis de Ilciis, viri multis nominibus Pontificatu digni. Tali modo cum res ad XVIII. diem producta fuiſſet, Fautores Roſpilioſii expectari diutius non oportere exiſtimarunt quin de eo eligendo ageretur, in quo tanta felicitate uſi ſunt, nemo ut ſit inventus, ſi duos dempſeris (fuerunt vero LXIV. qui ſuffragium ferrent) quin ejus faveret dignitati. Quamvis nonnullas cauſas attulerit Roſpilioſius ad declinandam dignitatem laboris & periculi plenam, non tamen invitus ad eam acceſſit, declaratuſque Summus Pontifex fuit ſub occaſum ſolis XII. Kal. Quintiles. Hoc facto ipſe, ut erat homo omnium gratiſſimus, pro tantis erga ſe meritis graviſſima oratione (11) gratias Cardinalibus egit, & ex ipſo genere gratiarum agendarum intellectum eſt modeſtiam moderationemque perpetuas comites fore Pontifici, neque conquieturum unquam illius de Republica ſtudium, in eaque adminiſtranda eoſdem conjunctos ſecum habere velle conſiliorum omnium ſocietate. Cunctis in partes muneris ſui pollicentibus operam, Card. Barberinius collegii princeps adjecit: *Vehementer lætari omnes, quod divino beneficio is donatus eſſet Pontifex, qui exemplo ſuo non modo currentes incitare, ſed & commovere languentes potuiſſet; quare certantes ſecum ipſos anniſuros ut ei ſimiles eſſent, quem ſibi propoſuerant ad imitandum.* Ille accommodatiſſimo ſuis moribus ac naturæ Clementis nomine appellari voluit: utque homines ſe totum ad aliorum utilitatem commodumque, nulla proprii habita ratione, converſum eſſe intelligerent, in nummis qui per hos dies cuſi ſunt, Pellicanum ſe eviſcerantem hac Epigraphe juſſit incidi: ALIIS, NON SIBI CLEMENS. Pontifex quidem excitatæ de ſe ſpei nunquam defuit, etſi quandoque ipſi defuerit fortuna. Primum & non obſcurum voluntatis ſuæ in populum Romanum argumentum fuit, quod Pontifex dictus gravi in primis vectigali, quod pro frumento ac leguminibus molendis pendebatur, illum levavit, dimidio & amplius remiſſo. Cujus rei perficiendæ cogitatio eo quod ab Alexandro VII. eſſet ſuſcepta, vir ab omni laudatione remotiſſimus totam laudem in eum vertit. Neque hoc contentus panis pondus augeri juſſit, & annonam in macello laxavit. Piſtores lege ſolutos eſſe voluit frumentum emendi a rei frumentariæ Præfectis. Reddita enim naturali libertate ut emptores venditoreſque quid velint faciant, neceſſe eſt agriculturam plurimum augeri, qua nihil melius, nihil uberius, nihil in bene conſtituta Republica utilius eſſe poteſt. Pro quibus meritis quantopere ſibi omnium animos devinxerit, facile eſt exiſtimare. In mandandis magiſtratibus omnem curam ſapientiamque adhibuit, in quo profecto oſtendit id ſibi propoſitum eſſe, ut non aliud quam ex virtute ad honores pateret iter. Itaque Cardinalem Decium Azolinium rerum ſummæ præpoſuit; Datarium, ut ajunt, creavit Card. Petrum Ottobonium, qui poſtea Alexandri VIII. nomine Pontifex maximus factus eſt, eique Armandum Riccium ſubeſſe adjutorem voluit. Cubiculo præfecit Æmilium Alterium, qui etiam Pontificatum maximum conſecutus eſt. A libellis ſupplicibus juſſit eſſe Joannem Nicolaum Piccolomineum, a cognitionibus Neſtorem Ritam, cujus fratre Benedicto medico uſus eſt. Stephanum de Auguſtinis piis in pauperes erogationibus præpoſuit. Franciſcum Nerlium, qui erat ab epiſtolis, alioſque plures ſuis in officiis confirmavit. In ſuos vero, qui per hos dies Romam venerant, ea munera contulit, quæ dari a Pontificibus ſolebant conſanguinitate propinquioribus. Itaque Camillum fratrem ſummum Pontificiarum copiarum imperatorem fecit; ejus ex Lucretia Celleſia filios Vincentium triremibus, Thomam Arci S. Angeli, Joannem Baptiſtam prætorianis militibus præfecit; Jacobum vero, qui Internuntii Pontificii, ut loquuntur, munere apud Belgas fungebatur, Romam cum advocaſſet, in ampliſſimum Ordinem legit. Et licet de omnium virtute minime dubitaret Clemens, cujus certiſſima jam acceperat argumenta, illos tamen monere voluit, etiam atque etiam viderent, ne quidquam admitterent, quod conceptam de iis opinionem vel minimum offenderet: quærerent laudem in animi virtutibus, non in vana oſtentatione fortunæ; atque ita ſe cum omnibus gererent, ut intelligeretur non potuiſſe honoris auram illos de ſuo ſtatu movere: cogitarent conjectos in eos eſſe omnium oculos tanquam in exempla, quæ ſibi ad imitandum proponant: quare in nullius hominis, quam in ipſorum facta ſe diligentius inquiſiturum, & qui facilis erga ceteros futurus eſſet, ab iis tamen ſemper majora exacturum. Interea dies advenit, qui fuit V. ante nonas Quintiles, ineundæ Pontificatus poſſeſſioni in Baſilica Lateranenſi deſtinatus. Fuit ille quidem Clementi immortalitatis inſtar, adeo certatum ab omnibus eſt in ſignificanda gratulatione, benevolentiaque declaranda. Iter a Vaticano nunquam majori apparatu ornatum, nullus comitatus nobiliſor, in quo & eſſe voluit Magnus Etruriæ Dux viginti quatuor ephebos e primariis Etruſcis familiis; nulla unquam tanta celebritas omnis generis hominum; neminem populus Romanus magis fauſta acclamatione plauſuque proſecutus eſt. Nec in minori Civitatis lætitia ſeptimo die ante in Baſilica Vaticana Pontificia inſignia acceperat. Tales quidem fuere omnium ordinum & geſtus & voces, quaſi longo poſt intervallo juſtitia, facilitas, atque clementia reviviſcerent. Neque Romæ duntaxat dies feſti ac ſolemnes celebrati ob delatum Roſpilioſio Pontificatum; ſed & Matriti, ac Florentiæ, jubentibus Hiſpaniarum Regina, & Magno Etruriæ Duce. Chriſtina quoque Svecorum Regina, quæ relicta Roma, Hamburgi hoc tempore commorabatur, cum accepiſſet optatiſſimum Nuntium obtigiſſe Eccleſiæ Paſtorem Roſpilioſium, nihil earum rerum omiſit, indignantibus licet hæreticis, quibus ſignificari publice gaudium ſolet. Quilibet vero e Catholicis Principibus ex perpetuo majorum inſtituto ſuos Clementi quamquam diverſis temporibus Legatos miſit, qui ſummum honorem gratularentur, & obedientiam promitterent. Jam a primis Pontificatus diebus totum ſe Clemens dedit conſtituendæ Reipublicæ. Ejus potior cura fuit liberandi vicinias Urbis a graſſatoribus & la-

(11) Lubet ipſam orationem exſcribere, ex qua exiſtimari poterit, quam graviter apteque pro dignitate perſonæ ad ampliſſimum Ordinem dicere conſueverit Clemens, adeo ut non dubitem hoc de ejus orationibus affirmare, quod de Euripidis verſibus cenſebat ille, tertio quoque verbo continere immortalis præcepta vitæ. „ Cum ex Sanctiſ„ ſimi Pontificis Leonis documento ingratæ mentis in„ dicium ſit beneficia tacere divina, primum agimus, „ ac ſemper acturi ſumus humillimas gratias omnipo„ tenti Deo, qui noſtram humilitatem reſpexit ſupra „ meritum, ſupra votum. Deinde, ut Leonis Magni ver„ bis utamur, veſtræ quoque arbitrium debita gratiarum „ actione concelebramus, qui nullis præcedentibus meri„ tis tale de nobis judicium protuliſtis. Hinc imbecilli„ tatis noſtræ gemina exoritur in tanti oneris diſcrimine „ ſubſidii ſpes; altera ex præpotentis Dei patrocinio; „ ex conſilio veſtro altera. Certum enim eſt nos non „ modo agere non poſſe aliquid, ſed ne cogitare quidem „ a nobis tanquam a nobis metipſis, ſed omnem ſuffi„ cientiam noſtram eſſe a Deo. Ideoque gaudemus freti „ hac ſpe fore, ut Clementiſſimus Dominus, qui ad o„ ſtendendas divitias Omnipotentiæ ſuæ vocat ea quæ „ non ſunt tanquam ea quæ ſunt, nobis abunde imper„ tiatur eam divini Spiritus auram, qua feliciter in tot „ ſæculi fluctibus Eccleſiæ navim regamus. At nunquam „ navis regitur a ſolo Nauclero. Prævidere is poteſt pe„ ricula, curſum ordinare, inſtruere vela; ſed eget con„ ſilio & ope multorum. Igitur veſtra conſilia nobis eſ„ ſe perquam neceſſaria intelligimus, nam ex oraculo „ Spiritus Sancti, ubi multa conſilia, ibi ſalus; ideoque, „ uti par eſt, vos in conſortium laboris advocamus. „ Communis erit omnium noſtrum in cælo merces, ſi in „ Eccleſiæ rebus adjuvandis communis fuerit labor. Et „ veſtra intereſt, ne Chriſtiana Reſpublica judicio veſtro „ in nos eligendo inter tot ſapientia, virtute, atque ex„ perientia præſtantiſſimos Patres fraudatam ſe conque„ ratur. Nos certe non faciemus animam noſtram pre„ tioſiorem quam nos, nec refugiemus laborem aliquem, „ qui ad noſtri miniſterii partes adimplendas conferre „ poſſit. Hoc animo, divina favente Clementia, veſtriſ„ que coadjuvantibus virtutibus, quas nobis nunquam „ defuturas ſperamus, libenter humeros, quamvis longe „ impares, tanto oneri ſubjicimus “.

& latronibus. Populares tumultus in quibuſdam Pontificiæ ditionis Civitatibus; ac Peruſiæ præſertim, atque Aſculi exortos compeſcuit, & quantum fieri potuit, ne poſtea orirentur, cavit. Turbatam ex aliqua parte judiciorum formam ordinavit; & tribunal proprium illius regionis, quæ Civitas Leonina dicitur, eſſe amplius noluit. De reſtituendo commercio, quod admodum refrixerat, ſtatim egit. Octo idcirco adhibiti Præſules, qui vectigalium rationem cognoſcerent, dataque opera, ut portoriorum locatores in iis exigendis faciles eſſent. Deſtinavit & quoſdam Cardinales, qui rationem inirent levandi ſubjectos populos maximis tributis, & oneribus, quibus premebantur: quique, ſi quid in Republica ipſis videretur aut a principio male conſtitutum, ſive compactum, aut poſtea in illam infuſum, quod vel tollere vel corrigere opportunum exiſtimarent, id accurato conſilio animadverterent, ad ſeque deferrent. Ad continendos in officio Magiſtratus conſtituit, ut quarto quoque die cuilibet ad ſe aditus eſſet. Animum curamque intendit emendandis corruptis depravatiſque moribus, ordinandæque collapſæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, communicato prius conſilio cum doctis & ſapientibus viris. Deſtinavit Cœtum Cardinalium, qui *de reliquiis & indulgentiis* cognoſceret, ne quid fieret contra ſacrorum Canonum præſcriptum; deditque ei Secretarium (ſic enim appellant) Michaelem Angelum Riccium, cujus de doctrina ſingularibuſque virtutibus hoc loco mentionem facerem, niſi ſeparatim de ejus vita & moribus plura eſſem perſecutus. Eo etiam cogitationem convertit Clemens, ut jus aſylorum minueretur, cum probe noſſet impunitatis ſpem maximam eſſe illecebram peccandi. Quapropter repreſſit graviter ſermones cujuſdam Cardinalis, qui obſtruere hujuſmodi perfugia improborum, præſertim in templis, inhumanum & irreligioſum arbitrabatur. Et ſane quid Deo acceptius bonorum ſecuritate, ac Reipublicæ tranquillitate, quæ nulla eſſet, ſi juſta pœna minime ſequeretur ſontes? Mos erat erogandi pecunias ex publico ærario ad ſublevandos miſeros, & ad religioſa quædam inſtituta conſervanda atque fovenda. Quod grave id putaverat Alex. VII. difficillimo Reipublicæ tempore, abrogandum cenſuit. Reſtituit Clemens ſperans ab abſtinentia atque moderatione magnam ſibi fore copiam liberalitatis. Singularia in primis contulit beneficia Noſocomio S. Spiritus, providitque, ut ejus menſa nummularia commodo in loco eſſet (12). Pontificios milites onere ſolvendi decem denarios in ſingula capita liberavit. Pendebantur ab Optimatibus Matronis, quandocumque ingredi Sanctimonialium ſepta vellent, quinque centuſſes; quod, & alia multa hujuſmodi minime ferenda cenſuit Clemens, dicens gratuitam eſſe debere facilitatem atque clementiam. Domeſticos plures ſumptus ſua parſimonia diminuendos eſſe putavit, & illos præſertim, qui ad menſam quotidianam epulationemque pertinebant. Minuit numerum Helvetiorum militum (ad centum enim redegit) qui domum & corpus Principis cuſtodiunt, dicens malum eſſe cuſtodem metum, & ſecuritatem Principis in amore populorum poſitam eſſe debere. Quæſtores homines in rapacitate avariſſimi excurrere quotannis ſolebant Provincias Pontificiæ ditionis ad exigenda tributa. Id amplius fieri vetuit Clemens, dans libertatem Provincialibus tributa a ſe facta tolerabilia, ut vellent, ſolvendi. Quæ libertas cum illa conjuncta, qua permittebatur unicuique, prout liberet, fruges ſua induſtria perceptas vendere, maximas utilitates attulit. Obſtitit mors Pontificis, ne ſtabile hujuſmodi bonum permaneret, & ne diuturnitate temporis confirmaretur; dolendumque perpaucos extitiſſe, qui tam ſalutare exemplum fuerint imitati. Pauca enim ex veritate vulgus & principes æſtimant. At vero cum eſſet Clemens modeſtiſſimus, ſi quidpiam boni faciebat, aut depellebat mali, tum Deo gratias agebat, tum nihil ſuæ laudi aſſumptum eſſe arbitrabatur. Ad languentem & otioſum populum incitandum invitavit plurimos, & multos etiam coegit, ut lana & tela victum ſibi quæritarent, mandavitque Thomæ Roſpilioſio, ut nulli parceret induſtriæ ac ſumptui, quo florerent in Urbe opificia. Et hæc quidem humanis conſiliis providebantur. Dei autem opem tanto ſtudio implorabat Clemens, ſicque rebus divinis operam dabat, ut majora a SS. Pontifice minime expectari potuerint. Si ſupplicationes decernebat (& decrevit ſæpe, maximeque in Chriſtianæ Reipublicæ periculis) ipſe aderat ſemper pedibus incedens, miniſtrabat fere quotidie pauperibus, qui ad menſam ipſis in ædibus Pontificis apparatam vocabantur: inſerviebat infirmis in variis Urbis noſocomiis, ad quæ accedebat, non Aulicorum, ſed virtutum comitatu ſeptus; quæ & alia multa vix fieri poſſe putabantur ab homine, qui ſemper infirma atque etiam ægra valetudine fuit. Eodem tempore, quo res domeſticas componebat, Clemens ad externas animum convertit, quæ non minus ejus opem requirebant. Italia tota erat in metu propter furentes & violentos impetus Turcarum, qui poſtquam infeſtiſſime contendiſſent cum Hungaris, omnem vim belli, obſeſſa jam Creta, adverſus Venetos tulerant. Ardebat Hiſpania civilibus diſcordiis, & bello crudeli conflagraturum videbatur Belgium. Illuc enim Ludovicus XIV. prætexens potius deſiderium augendi, amplificandique imperium ſuum, cupiditatemque triumphi (tenuit enim ſemper eum infinita aviditas gloriæ) quam jus poſtulans (13) magnum fortiſſimumque duxerat exercitum. Et quidem quacunque movebatur & ſua virtute, & conſiliis Turenæ confirmatus, omnia Gallorum armis cedere videbantur. Ipſa Gallia, quanquam tantum ſpei haberet ad felicitatem proſperitatemque, quantum accipi poteſt a magni animi Rege, a fortiſſimis Ducibus, & a providentiſſimo Conſiliario, publicique ærarii adminiſtratore, qualis profecto erat Colbertus, ſua tamen patiebatur incommoda, lacerabaturque præſertim ab inteſtinis diſcordiis, quas Religio non bene culta pepererat. Luſitania octo ſupra viginti annorum teterrimum bellum adverſus Hiſpanos ſuſtinebat, ut ſuos Reges Bragantios ſua in ſede retineret. Nec externis magis hoſtibus, quam internis laborabat. Dum vixit Joannis IV. Uxor, magni animi magnæque prudentiæ fœmina, odia, quæ erant inter illius filios Alphonſum Regem & Petrum, non multum Rempublicam perturbarunt. Ipſa vero extincta, erupere adeo, ut Alphonſus deponere imperium coactus fuerit. Carebat quoque regnum magna parte Epiſcoporum, quod Romani Pontifices eos, qui fuere nominati ab Hiſpaniæ Rege, & ab ejus competitoribus Joanne & Alphonſo Bragantiis, haud eligendos eſſe putaverint ad vitandam partium offenſionem. Polonia agitabatur & perterrebatur civilium diſcordiarum & belli tædis ardentibus, ad quas extinguendas non multum ſpei oſtendebatur a Rege infirmi animi, qui Jeſuita & Cardinalis fuerat, quique non modo ſine cura quieſcere, ſed ne reſpirare quidem ſine metu poſſe videbatur. Quantum ſtudii adhibuerit Clemens ad hæc mala aut ſananda, aut minuenda; quanta cura providerit, ne Chriſtiana Reſpublica aliquid detrimenti caperet, ex iis quæ narrabimus facile intelligi poterit. Cum advocaſſet ad ſe Jacobum Roſpilioſium, qui uti narravimus, fuerat a Pontifice ad Belgas legatus, juſſit eum ex itinere adire Galliarum Regem, ab eoque petere & ſumme contendere, ut arma a Belgio revocaret, pacemque cum Hiſpanis faceret. Scripſerat hac de re primis Pontificatus diebus ad ipſum Regem, & ad Hiſpaniarum Reginam, utrique ex animo pollicitus ſe in Galliam, & quemcumque alium in locum venturum, ſi ad conditiones pacis eos adducere, id opus eſſe videretur. Expectatio, ſtudium, favor, quæ ſecum in Pontificatum attulit Clemens, efficiebant, ut raro fruſtra aliquid peteret; & quamvis inclinatione voluntatis illum propendere in Hiſpanos plures arbitrarentur, ſecus tamen judicavit Ludovicus Rex, qui Pontifici integerrimo ſapientiſſimoque ſua omnia ſe ſemper conceſſurum eſſe optima fide declaravit. Erunt indices hujus voluntatis & ſtudii Litteræ, quas (14) ad Clementem ipſe Rex de pace miſit, quaſque hic exſcribere juvabit.

BEA-

---

(12) Menſam Nummulariam
S. Spiritus
A Semp. mem. Paulo V. erectam
Has in Ædes
A Clem. VII. Medice cudendis nummis deſtinatas
Ab Alex. VII. nova ſtructione munitas
Clemens IX. P. M.
Felicibus Auſpiciis
Tranſtulit ſtabilivit
Anno Domini
MDCLXVII.

(13) Jure uxoris Mariæ Thereſiæ Philippi IV. filiæ ſe agere dicebat Ludovicus. Leges quidem Belgicæ in ſucceſſionibus fœminas ex primo matrimonio maribus ex ſecundo procreatis præferre videntur; ſed cum omnibus paternis juribus Regina Galliarum, priuſquam nuberet, renuntiaſſet, argumentum, quo utebatur Ludovicus, erat abſurdum, ſed quod tamen animum ad inferendam injuriam promptum oſtenderet.

(14) Ex Actis Conciſtorialibus Clementis IX. hujus epiſtolæ exemplum excerpſimus.

BEATISSIME PATER.

„ Reddet S. V. has noſtras Litteras tabellarius, quem „ citato curſu venire ad Urbem juſſimus, quo celerius ad S. V. perveniat gaudium, quod certo ſcimus „ ex pacis conciliatæ nuntio maximum eſſe capturam. „ Neque dubitamus, quin judicium hac de re noſtrum „ Sanctitatis veſtræ judicio comprobetur, ubi a Duce „ de Chaulnes Oratore noſtro acceperit, quæ hic heri inter Anglorum, & Hollandorum Miniſtros ſuper eodem negotio acta ſunt, quæque ut S. V. diligenter „ exponat ei dedimus in mandatis. Illud affirmare vere poſſumus, nos in munienda ad pacem via, removendiſque quantum ad nos pertinebat difficultatibus „ nullius rei potiorem duxiſſe rationem, quam faciendi „ rem gratam S. V. cui nihil cordi eſſe æque ac præſentis belli exitum noveramus. Et ſane nihil nobis „ majori incitamento fuit, ut rebus noſtris tam læto curſu fluentibus, aſſentiremur tamen armorum ſuſpenſioni uſque ad diem Maji ultimam, quam oratio „ Thebarum Archiepiſcopi Nuntii Apoſtolici id a nobis S. V. nomine impenſe flagitantis, cum eum quatuor ab hinc diebus ad ſecretam audientiam admiſimus. Ea potiſſimum oratio nobis arma de manibus excuſſit, licet is eſſet rerum ſtatus, ut non temere affirmare poſſe videamur, nos intra unum menſem vel alterum validiſſimam quamque Belgii arcem, quantumvis ſuppetiarum hoſtibus ferretur, armis ſubacturos. Nunquam tamen nos pœnitebit tam „ præclaram dimiſiſſe rei bene gerendæ occaſionem, reputantes moderationem animi noſtri, ſummam S. V. „ Pontificatus gloriam peperiſſe, quando ejus auctoritas propter flagrans ſtudium, & obſequium plane filiale, quo in ipſam ferimur, tantum apud nos valuit, ut pacis inter omnes chriſtianos Principes compoſitæ laudem, quæ aliquot ab hinc ſeculis Prædeceſſorum ſuorum contigit nemini, ſit conſecuta. „ Deum interim precor S. V. Eccleſiæ ſuæ bono incolumem atque florentem quam diutiſſime ſervet. Datum S. Germani die XVI. Aprilis MDCLXVIII.

Ludovicus Franciæ & Navarræ Rex.

Locus, quo pax confecta eſt, fuit Aquiſgranum, conditioneſque pacis præcipuæ fuere, ut Ludovicus Hiſpanis redderet Burgundiam, quas autem arces armis ceperat in Belgio, retineret. Qua in re ſtabilienda cum ſubortæ quædam diſputationes fuiſſent inter utriuſque Regis Adminiſtros, facile fuit Auguſtino Franciotto Legato Pontificio illas componere, quod in mandatis ii haberent, ut cederent vel potius parerent ſummi Pontificis auctoritati. Ceterum nemo non judicabit dignum eſſe æterna memoria hoc bellum propter celeritatem victoriæ, apparatum commeatus, virtutem Ducum, & Turenæ præſertim, ſapientiam Vobani in nova excogitanda arte ſepiendarum arcium operibus, munitionibuſque, felicitatemque qua uſus eſt Clemens in revocando ambitioſo Rege a victoriis, quibus veluti initiis ac fundamentis excitari ejus bellicæ laudes debebant (15).

Non minori cura adlaboravit Clemens, ut res Luſitaniæ componerentur. Non inclinabat quidem Gallorum Rex ad pacem procurandam, ſed vicere conſilia Pontificis, & ſtudia præſertim Britannorum, & Batavorum, quorum vehementer intererat concordiam in Luſitania conſtitui. His itaque pacificatoribus (16) pax confecta eſt idibus Februarii ann. MDCLXVIII. ſicque jura ſua obtinuit Familia Bragantia, confirmatuſque fuit in dominationem Luſitaniæ Petrus hujus nominis ſecundus. Fuit hic vir decoro aſpectu, corpore magno & firmo, ut obedire ſemper conſilio rationique potuerit in exequendis negotiis, & in labore tolerando, vultu, oratione, omni reliquo motu & ſtatu gravis, valens ingenio, quod non educatio & diſciplina, ſed ætas & experientia confirmavere; ſagax ad pericula providenda, facilis ad optima accipienda conſilia, quod præſertim oſtendit in gravi & periculoſo negotio occupationis regni; videbatur affectare hominis nihil dolentis ſtabilitatem, quamvis aliquando continere lacrymas minime potuerit in miſerrima fratris fortuna; modeſtus ſupra principis ſortem, juſtus, ſobrius, induſtrius, vigilans, intentis adeo oculis omnes Reipublicæ partes intuebatur, ut nemo illo melius cognoverit, nemo melius rationibus ejuſdem proviſerit. Si minus Mariam Eliſabetham a Sabaudia fratris uxorem amaſſet, juſta quidem reprehenſione caruiſſet. Huic enim amori illa converſio rerum Luſitanarum in primis tribuenda eſt. Hæc res, quod ad Clementis hiſtoriam plurimum pertineat, ab initio videtur eſſe repetenda. Nata illa erat Nemoſii & Albamarlæ Duce, deſponſataque fuerat Petro eodem tempore, quo parentes ejus ſororem natu majorem Alphonſo deſponderant. Hæ nuptiæ variis de cauſſis nullos habuere exitus; quare Alphonſus, ex conſilio præſertim Comitis Caſtelmelhorii, deſtinata fratri uxor ut ſibi in matrimonium daretur, poſtulavit. Nihil hoc conjugio infortunatius. Leviri enim, contra quam fas erat, amore capta Maria, ſtatim cœpit abhorrere a viro, cui & ingenium & forma deerat, indignabaturque ſe & eum, quem deperibat, ab ipſo male haberi. Delinitus Petrus blanditiis & illecebris Reginæ, in illius conſuetudinem penitus ſe immerſit, nutriebatque familiaritatem non modo cupiditas, ſed etiam utilitas, cum aptiſſimam eſſe feminam ad omnes aſtutias machinationeſque intelligeret, occupandi enim regni ſpem conceperat. Vix Petrus, dejecto Fratre, regni gubernacula prendidit, cum Regina ab Ulyſſiponenſium Canonicorum Collegio (nullus enim tum erat Archiepiſcopus) poſtulare cœpit, ut cognoſceret de ſuo matrimonio, idque irritum juberet eſſe. Ipſa interim de ſuo reditu in Galliam, deque reddenda dote continenter loquebatur ad novarum nuptiarum deſiderium occultandum. Dum Canonici conſulunt de ratione expediendi conficiendique negotii, eligitur a Clemente legatus, ut vocant, a Latere Cardinalis Vendocinenſis Reginæ avunculus. Cauſſa eligendi fuere preces, quibus Ludovicus Gallorum Rex petiit a Pontifice, ut quis ejus nomine natum ſibi filium ſuſciperet, dum luſtralibus aquis abluebatur. Legatus quaſi nullis terminis circumſcriberetur ſua poteſtas (& quidem ampliſſima ſunt jura hujuſmodi Legatorum) Reginæ licentiam permittit nubendi Petro (17). Quamvis nihil non dextere in hoc negotio actum, ſic tamen tulit caſus, ut antiquior dies adſcriberetur in Decreto

(15) „ Louvois nouveau Miniſtre de la guerre avoit fait des „ préparatifs immenſes pour la Campagne; des magazins de toute eſpece étoient diſtribués ſur la frontiere. Il introduiſit le premier cette methode avantageuſe, que la foibleſſe du gouvernement avoit juſque „ alors rendu impraticable de faire ſubſiſter les armées „ par magazin. De quelque côté que le Roi tournat „ ſes armes, les ſecours, & les ſubſiſtances étoient prêtes, les logemens des troupes marqués, leur marches „ reglées. M. de Turenne creé Marechal General commandoit ſur le Roi, qui declara qu' il vouloit apprendre l' art de la Guerre de ce grand homme. Hiſtoire „ de France liv. 23. “

(16) Ab iſto initio tractus eſt ſermo rerum quæ convenere inter diſceptantes Reges: „ Au nom de Dieu le Créateur: A tous preſens & à venir ſoit notoire comme „ par l' autorité & les ſoins paternels de notre Tres-ſaint „ Pere le Pape Clement neuvieme du nom, ſeant heureuſement dans le Saint Siege pour le bon regime de „ notre mere Sainte Egliſe, & par les continuelles exhortations & très-vives inſtances de ſa Beatitude; tant „ par pluſieurs & diverſes lettres écrites de ſa main qu' „ en voix, & negociations de ſon propre Neveu aujourdhui Cardinal Roſpigliosi, & de ſes Nonces extraordinaires, très-haut, très-excellent, & très-puiſſant „ Prince Lovis par la grace de Dieu Roi très-chrétien de „ France & de Navarre &c. “.

(17) „ Ludovicus miſeratione divina S. Mariæ in Porticu „ Diaconus Cardinalis de Vendoſmo nuncupatus ad Sereniſſimum D.D. Ludovicum Franciæ & Navarræ Regem Chriſtianiſſimum, & univerſum illius Regnum, „ illiuſque Provincias, Dominia, Civitates, Oppida, „ terras, & loca eidem Regi ſubjecta, dictoque Regno „ adjacentia, ceteraque alia loca, ad quæ nos declarare „ contigerit, S. D. N. Clementis divina Providentia Papæ IX. & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ de Latere Legatus, „ dilectis nobis in Chriſto Officiali, ſeu Vicariis Generalibus Eccleſiæ Ulyſſiponenſis ab illius Capitulo, Sede „ Archiepiſcopali vacante, Deputatis, & veſtrum cuilibet in ſolidum ſalutem in Domino ſempiternam. Oblatæ nobis pro parte Sereniſſimi Principis Petri Infantis „ Portugalliæ & Regni Regentis Laici, & Sereniſſimæ „ Principiſſæ Mariæ Franciſcæ Eliſabethæ de Sabaudia „ petitionis ſeries continebat, quod cum pro bono generali Regni Portugalliæ, & ſummopere deſiderantibus „ univerſis illius populis neceſſarium ſit, ut dicti Sereniſſimi Princeps & Principiſſa invicem matrimonialiter „ copulentur, dubitant matrimonium hujuſmodi contra„ here poſſe abſque diſpenſatione Apoſtolica, eo quod „ dicta Principiſſa cum Sereniſſimo & potentiſſimo D. „ Alphonſo Rege Portugalliæ fratre germano dicti Sereniſſimi Principis Petri alias matrimonium contraxit, „ & in facie Eccleſiæ ſolemnizavit, non tamen propter „ illius impotentiam conſummavit, ita ut nullum & in„ validum via juris declaratum fuerit; ex quo matri„ monio & ſponſalibus præcedentibus forſan ſupervenit „ impe-

creto quo Canonici Ulyſſiponenſes nullum eſſe declararunt prius matrimonium, quam in litteris legati, quibus Reginæ ſecundo nubendi libertas concedebatur. Vehementer improbavit Clemens Legati factum, cui tamen tenuis quædam venia dabatur excuſationis, quod de tota re Pontificem docuiſſet. Sed ejus litteræ, quæ per gallicos tabellarios perferri Romam debebant, detentæ conſulto fuere ab eo, qui ſummæ rerum in Gallia præerat: arbitrabatur enim is maximam eſſe in Legato poteſtatem, neque a Pontifice mutuandam. Nemo profecto non mirabitur Alphonſum non modo non proclamaſſe ſe injuria ſpoliatum uxore fuiſſe; ſed ſcripto, quæ protulerat Regina, ut ipſum gignendis liberis minime idoneum eſſe probaret, confirmaſſe. Quo facto Primores Regni adeunt Reginam ipſam, quæ ſe in religioſarum feminarum domum contulerat, ab eaque ſumme petunt ne Luſitaniam deſerat, ſeque matrimonio cum Petro conjungat. Nec minus Regem deprecabantur, quaſi neceſſe eſſet aut nolentes expugnare, aut titubantes confirmare. Concubuit Petrus cum uxore Alcantaræ, celebratuſque dies ille Ulyſſipone fuit magno tormenti bellici, & æris ſtrepitu ſonituque. Quid hoc eſſet, quæſivit Alphonſus. Ubi cauſam cognovit, non ſuam, ſed ſortem fratris viſus eſt conqueri. Minime enim ſe dubitare dicebat, quin ipſum brevi moroſæ feminæ & difficillimæ tæderet. Miſit etiam ex vinculis, ubi detinebatur, hominem ad conjuges, ut iis fauſta, & fortunata omnia ſuo nomine precaretur. Hæc quidem in magni animi viro conſtantiam, in Alphonſo vero animi infirmitatem declarare facile dixeris. Tali modo rebus in Luſitania peractis, e re ſua putarunt conjuges habere Pontificem, ſi ullo modo fieri potuiſſet, totius negotii approbatorem. Qua de cauſſa Petrus Legatum Romam miſit, & Regina quoque per hominem Jeſuitam, qui ſibi erat a confeſſionibus, ſubmiſit ſe Pontifici, ſupplicans eum, ut de tota re ſua cognoſceret. Id negotii dedit Clemens homini illi, qui Ulyſſipone inter Quæſitores fidei primum tenebat locum, committens quoque eidem, ut ſententiam pronuntiaret (18). Judicavit Quæſitor irritum fuiſſe prius matrimonium: quod judicium

---

„ impedimentum publicæ honeſtatis juſtitiæ. Quare „ iidem nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eis „ in præmiſſis opportune providere benigne dignaremur. „ Nos igitur ſufficienti ad infraſcripta per litteras dictæ „ Sedis, ad quarum inſertionem non tenemur, facultate „ muniti, quique ex commiſſo nobis Apoſtolicæ legatio„ nis officio omnibus ad nos undecumque confluentibus, „ ubicumque domicilium habeant, & undequaque origi„ nem trahant, opportune conſulere poſſumus, volentes „ erga illos, præſertim regiæ Stirpis nobilitate illuſtres, „ gratioſum & benignum exhibere, ipſos & eorum quem„ libet a quibuſvis excommunicationis & ſuſpenſionis & „ interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & „ pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel „ cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, „ dummodo in illis per annum non inſorduerint, ad ef„ fectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſe„ rie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ac certam „ de præmiſſis notitiam non habentes, hujuſmodi ſuppli„ cationibus inclinati diſcretioni tuæ, de qua in his ſpe„ cialem in Domino fiduciam obtinemus, Apoſtolica au„ ctoritate qua fungimur in hac parte per præſentes com„ mittimus & mandamus, quatenus depoſita per te o„ mni ſpe cujuſcumque muneris aut præmii etiam ſpon„ te oblati, a quo te omnino abſtinere debere mone„ mus, de præmiſſis te diligenter informes, & ſi per „ informationem eandem repereris, quod preces veritate „ nitantur, ſuper quo conſcientiam tuam oneramus, cum „ eiſdem, dummodo illa propter hoc rapta non fuerit, „ quod impedimento publicæ honeſtatis juſtitiæ hu„ juſmodi, & Apoſtolicis ac in univerſalibus, provin„ cialibuſque Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus „ Conſtitutionibus & ordinationibus, ceteriſque con„ trariis nequaquam obſtantibus, Matrimonium inter „ ſe publice ſervata forma Concilii Tridentini contrahe„ re, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizare, ac in eo „ poſtmodum remanere libere & licite valeant, dicta „ auctoritate diſpenſes, prolem ſuſcipiendam exinde le„ gitimam nunciando. Volumus autem, quod ſi tu ſpre„ ta monitione hujuſmodi aliquid præmii vel muneris „ occaſione præmiſſorum exigere, aut oblatum recipere „ temere præſumpſeris, excommunicationis latæ ſenten„ tiæ pœnam incurras, a qua non niſi a Romano Pon„ tifice, vel a Nobis, aut alio a Sede prædicta ſpeciali„ ter facultatem habente, abſolutionis officium valeas „ obtinere. Datum Pariſiis anno Incarnationis Domini„ cæ MDCLXVIII. XVII. Kal. Aprilis, Pontificatus S. „ D. N. Papæ Anno II.

L. Cardinalis de Vendoſme Legatus.

C. De Lionne Protonotarius Apoſtolicus Datarius.

J. Imonier Secretarius.

(18) „ Dilectis filiis Didaco de Souza primo Inquiſitori in „ officio Inquiſitionis adverſus hæreticam pravitatem in „ Portugalliæ & Algarbiorum Regnis auctoritate Apo„ ſtolica inſtituto, ac Antonio de Mendoza Commiſſa„ rio Generali Bullæ Cruciatæ &c. & in eodem officio „ Inquiſitionis deputato, nec non Martino Alphonſo de „ Mello Decano Metropolitanæ Eccleſiæ Eborenſis, iti„ dem in officio Inquiſitionis hujuſmodi deputato, ac „ Ludovico de Souza Decano Eccleſiæ Portugallenſis, & „ Emmanueli de Maghalhaens de Menezes Archidiacono „ dictæ Eccleſiæ Eborenſis.

CLEMENS PP. IX.

„ Dilecti Filii ſalutem &c. Injuncti nobis divinitus paſto„ ralis officii ratio exigit, ut omnium Chriſtifidelium, „ & præſertim ſublimium Perſonarum ſtatui, & quieti, „ quantum nobis ex alto conceditur, ſecundum æquita„ tis atque prudentiæ leges conſulere ſtudeamus. Oblatæ „ ſiquidem nobis nuper pro parte dilectiſſimi filii nobi„ lis viri Petri Principis Portugalliæ, & dilectiſſimæ in „ Chriſto filiæ nobilis mulieris Mariæ Elizabethæ a Sa„ baudia Principiſſæ de Nemours petitionis ſeries conti„ nebat, quod dicta Maria Elizabetha Principiſſa alias, „ poſtquam matrimonium per verba de præſenti cum ca„ riſſimo in Chriſto filio noſtro Alphonſo Portugalliæ „ & Algarbiorum Rege illuſtri contraxerat, & cum illo „ ſexdecim circiter menſium ſpatio in figura matri„ monii vixerat, cum illius ad matrimonium hujuſmodi „ carnali copula conſummandum impotentiam experta eſ„ ſet, eamque perpetuam exiſtimaret, coacta fuit ex „ conſcientiæ impulſu ſuper ejuſdem matrimonii invali„ ditate judicialiter agere coram dilectis filiis Vicario „ Capitulari Eccleſiæ Ulixbonenſis, illius ſede Archiepi„ ſcopali vacante, legitime deputato a Capitulo ac Ca„ nonicis ejuſdem Eccleſiæ Ulixbonenſis ordinaria juriſ„ dictione propter vacationem Sedis hujuſmodi fungen„ tibus, deputatiſque per eoſdem Capitulum & Canoni„ cos una cum dicto Vicario Capitulari nonnullis aliis „ Judicibus ad meliorem negotii cognitionem, & matu„ riorem cauſſæ determinationem, emanavit ab illis ſen„ tentia declaratoria nullitatis dicti matrimonii ex capi„ te impotentiæ hujuſmodi, quæ cum lecta & inſinuata „ fuiſſet dicto Alphonſo Regi, ipſe voce ſcriptoque illi „ acquievit, & ſubinde ipſa Maria Elizabetha Principiſ„ ſa, & dictus Petrus Princeps Alphonſi Regis frater ger„ manus, poſtulantibus Regni Comitiis ſeu Ordinibus „ tunc in Civitate Ulixbonenſi congregatis, pro conſer„ vanda quiete & tranquillitate ejuſdem Regni conſentien„ tes & volentes matrimonium inter ſe contrahere, cum „ dubitaſſent ex primo dicto matrimonio aliquod impe„ dimentum publicæ honeſtatis juſtitiæ inter eos exor„ tum fuiſſe, recurſum habuerunt ad dilectum filium „ noſtrum Ludovicum S. R. E. Cardinalem de Vendoſ„ me, Nuncium tunc temporis noſtrum & Sedis Apoſto„ licæ ad cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ludovi„ cum Francorum Regem Chriſtianiſſimum de Latere „ Legatum, qui cum litteras petitæ diſpenſationis ſuper „ impedimento publicæ honeſtatis juſtitiæ hujuſmodi „ concepiſſet, directas prædicto Vicario Capitulari ac „ Officiali Ulixbonenſi, & eorum cuilibet in ſolidum, „ alter eorum ſuper eodem impedimento publicæ hone„ ſtatis juſtitiæ diſpenſavit cum ipſis Petro Principe & „ Maria Elizabetha Principiſſa, qui poſtea in facie Ec„ cleſiæ matrimonium inter ſe juxta formam Concilii „ Tridentini bona fide contraxerunt, & carnali copula „ conſummarunt cum ſpe de proximo prolis edendæ. Cum „ autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, prædicti „ Petrus Princeps & Maria Elizabetha Principiſſa, uti „ obſequentiſſimi, & religioſiſſimi noſtri, & dictæ Sedis „ filii, eorum conſcientiæ ſecuritati, ſimulque Regni „ prædicti tranquillitati opportune in præmiſſis a nobis „ provideri, & ut infra indulgeri ſummopere deſiderent: „ nos matura ſupra his cum nonnullis Venerabilibus fra„ tribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, aliiſque viris gra„ viſſimis eximia ſacrorum Canonum & Theologiæ pe„ ritia ac ſapientia, prudentia, & rerum uſu conſpicuis „ conſultatione adhibita, eoſdem Petrum Principem & „ Mariam Elizabetham Principiſſam Apoſtolici favoris „ benignitate, quantum cum Domino poſſumus, proſe„ qui volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis „ excommunicationis ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque „ eccleſiaſticis ſententiis & pœnis a jure vel ab homine „ quavis occaſione vel cauſſa latis, ſi quibus quomodo„ libet innodati exiſtunt, ad effectum duntaxat præſen„ tium conſequendum, harum ſerie abſolventes, & ab„ ſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine „ nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ac de „ veſtra erga nos & Sedem eandem fide, doctrina, pru„ dentia, & integritate plurimum in Domino confiſi, „ certam tamen de prænarratis notitiam non habentes, „ diſcretioni veſtræ per præſentes committimus, & man„ damus, ut vos, aut ſi aliquis veſtrum legitime im„ peditus intereſſe nequiverit, ſaltem tres ex vobis con„ junctim ſemper procedentes, de præmiſſis diligentem „ inquiſitionem faciatis, & exactam informationem ca„ piatis; & ſi per hujuſmodi inquiſitionem & informa„ tionem de eorumdem prænarratorum veritate, & præ„ ſertim quod matrimonium primo dictum inter prædi„ ctum

cium cum confirmaſſet Pontifex, ſtuduit non tam ſanare conjuges, quam illos Sedi Apoſtolicæ magis magiſque conciliare. Et quidem Petrus ſæpe declaravit Pontifici nihil non ejus gratia ſe eſſe facturum; deſtinavitque Legatum, qui ipſi publice gratias ageret. De electione Epiſcoporum, quibus jamdiu carebat Luſitania, facile erat rem conficere poſt conciliatam pacem inter ipſum Regem & Hiſpaniarum Reginam; dumque ſua jura perſecutus eſt Pontifex, publicum ærarium haud mediocriter auxit.

Studia curæque Clementis de ſtabilienda concordia inter Chriſtianos Principes eo maxime ſpectabant, ut ipſos traduceret ad Chriſtianæ Reipublicæ defenſionem ſuſcipiendam. Dies enim noctesque cogitabat, qua ratione ſuccurrere poſſet Cretenſibus, quos circumvenerat urgebatque magnus Turcarum exercitus. Plurimum fiduciæ ponebatur in Rege Galliæ, utque ſtimulos admoveret homini ſtudioſo victoriæ, in mentem ei revocavit Clemens bella geſta, triumphoſque & ſanguinem, quem ſæpe & multum Galli pro Chriſtiana Republica profuderunt. Commemoravit etiam illius in ſe ſtudia & officia, juſtitiam, fidem, & recenter admiſſum facinus in ejus Legatum Vandelium: nam quod nomen ad omnes nationes ſanctum inviolatumque ſemper fuit, retentus ab Turcis, in vincula conjectus, & fuſtibus etiam crudeliſſime verberatus. Nihilo tamen minus haud multum ſubſidii tunc impetratum eſt, quod ita Galli a Majoribus, & a Franciſco præſertim I. inſtituti eſſe videantur, uti potius faveant, quam adverſentur Turcarum dominationi. Dedit Ludovicus octies mille pondo argenti, facultatemque conſcribendi milites in Gallia. Majora obtinuit Pontifex ab Hiſpaniarum Regina, quæ quantum habebat triremium, in expeditionem eduxit, præcepitque Neapolis & Siciliæ proregibus, ut quibus poſſent auxiliis ſuccurrerent Venetis. Eminuit quoque pietas Cæſaris, a quo ſubſidio venere quatuor fere millia militum, Duce Henrico Chimanſechio. Magnus Etruriæ Dux cohortem, quæ ſuo ſumptu militabat in Illyrico, frumentum, arma communis ſalutis gratia ſe ſubminiſtraturum facile ſpopondit. Obtinuit Clemens ab Sabaudiæ, & Lotharingiæ Ducibus pecuniam ad conſcribendum militem in Gallia, magnamque tormentarii pulveris copiam a Mutinenſi Duce, Lucenſi Republica, & Salisburgenſi Archiepiſcopo. Dedere alia alii, deprecatore Clemente, quæ ſingillatim referre minime neceſſarium eſſe putamus. Ipſe vero magnam argenti vim collectam ex ſuo ærario, & ex decumis Sacerdotiorum, quas Alexander Pontifex cauſſa Belli Pannonici imperarat, & centies mille pondo pulveris ſuppeditavit. Milite quoque, & ſuis triremibus, quarum imperium dedit Vincentio fratris filio, juvit Venetos, omnibus oſtendens ſibi cordi eſſe felicem exitum hujuſce belli, perinde ac ſi de totius Italiæ libertate, de omnibus Chriſtianæ Reipublicæ fortunis eſſet dimicandum. Uſque adeo incenſa ſunt Pontificis ſtudia, ut vel ipſos Perſas, Scythas, Armenos ſollicitaverit ad capienda arma adverſus communem hoſtem, conqueſtuſque graviter eſt cum Rege Poloniæ, quod liberatus metu Tartarorum, qui in fines regni hoſtiliter excurrerant, conſilium belli inferendi Turcis abjecerit. Tot ſubſidiis per Clementem comparatis, nihil non ſperandum eſſe videbatur. Sed non una erat auxiliaribus mens, non idem ardor in militibus; diſputationes ſæpe oriebantur inter Duces de imperio, in aliis tarditas, in aliis nimia celeritas erat reprehendenda. Quapropter haud injuria verebantur Cretenſes, ne idem ſibi accideret, quod Syracuſanis, quibus cum ſubſidio veniſſent Lacedæmonii, non magis ab amicis, quam ab hoſtibus timere ipſi debuerunt. Sed qui curſus & exitus rerum fuerit, haud ſilentio videtur eſſe prætereundum. Achmetes Viſirius, qui ſummam imperii in Turcas tenebat, tota hyeme anni MDCLXVII. commoratus eſt Cydone, ut expectaret copias rei frumentariæ, aliiſque rebus ad oppugnationem neceſſariis proſpiceret. Primo vere Candiam novam venit. Progreſſus inde cum paucis, ut mœnia & naturam Urbis contemplaretur, magnitudinem munitionum adeo ſuſpexiſſe dicitur, ut deſperans victoriam de pace cogitaverit. Sed ejus conſilia minime barbari probavere. Interim Venetiis ſolvit Imperator Maurocenus cum grandi pecunia, tribus millibus militum, & copia bellici inſtrumenti. Candiæ vero elaborabant Barbarus & Villa, ut majoribus munitionibus oppidum vallarent. Eodem tempore Turcæ ſtruere aggeres modico ab urbe intervallo cœpere: tum crebris diurnis nocturniſque eruptionibus Veneti aut aggeri ignem inferebant, aut milites occupatos in opere adoriebantur, mœnibuſque appropinquare prohibebant. Præſidium erat in urbe ſex millia lectorum militum, multitudo erat oppidanorum, ad omnia pro patria ſubeunda parati: abundabant commeatibus, armis, tormentiſque æneis gravioribus, quæ amplius quadraginta diſpoſuerant per muros. Claſſis pars portum, & vicina littora cuſtodiebat; pars Cymanum & Drepanum promontoria tenebat. Præerat huic Alexander Molinus rei navalis peritiſſimus, qui ubi primum pugnavit cum hoſte, undecim onerarias naves, quinque majoris formæ, & in his

præ-

„ ctum Alphonſum Regem & dictam Mariam Elizabetham Principiſſam, ut præfertur, contractum, nunquam carnali fuerit copula conſummatum vobis legitime conſtiterit, ſuper quibus omnibus & ſingulis veſtram, & cujuslibet veſtrum conſcientiam graviter oneramus, matrimonium primo dictum ab eadem Maria Elizabetha Principiſſa cum dicto Alphonſo Rege, ſicut „ præfertur, contractum, & nullum poſtea declaratum, „ nec carnali unquam copula conſummatum, ſi forſan „ ab initio conſtiterit, & de præſenti conſtet, aut conſtitiſſe, & conſtare, validumque fuiſſe & eſſe unquam „ apparere poſſit, illiuſque vinculum etiam diſſentiente „ memorato Alphonſo Rege, auctoritate noſtra Apoſtolica, quatenus opus ſit, diſſolvatis, perimatis, caſſetis, aboleatis; ac cum eiſdem Petro Principe & Maria Elizabetha Principiſſa ſuper impedimento publicæ „ honeſtatis juſtitiæ hujuſmodi, ita ut, cæteriſque præmiſſis, ac inde quomodolibet & qualitercumque forſan „ reſultantibus, & conſurgentibus impedimentis, ſeu quæ „ inde reſultare & apparere unquam poſſent, nec non „ Apoſtolicis ac in univerſalibus, provincialibuſque, & „ ſynodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus „ Conſtitutionibus & ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque nequaquam obſtantibus, in ſecundo „ dicto matrimonio, ut præfertur, contracto remanere „ libere, & licite poſſint & valeant, eadem auctoritate „ diſpenſetis, nec non præmiſſa a vobis vigore præſentium facienda & concedenda ex die contracti matrimonii ſecundo dicti valere, ipſiſque Petro Principi & „ Mariæ Elizabethæ Principiſſæ in omnibus & per omnia „ prodeſſe & ſuffragari dicta auctoritate ſtatuatis, perinde ac ſi eædem præſentes litteræ ante contractum matrimonium ſecundo dictum conceſſæ, & a vobis juxta „ illarum continentiam & tenorem executioni mandatæ „ fuiſſent: Prolem ex eodem matrimonio ſecundo dicto „ bona fide & in facie Eccleſiæ, ut præfertur, contracto, jam conceptam, ac forſan ſuſceptam, ac dehinc „ concipiendam, & ſuſcipiendam legitimam decernendo, „ nunciando, & declarando. Nos enim quamcumque „ neceſſariam & opportunam ad præmiſſa omnia, & ſingula facultatem vobis harum ſerie de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine tribuimus & impertimur. Decernentes eaſdem præſentes litteras, ac in eis contenta „ quæcumque, etiam ex eo quod præfertur, Alphonſus „ Rex, & alii quilibet etiam ſpecifica & individua mention & expreſſione digni in præmiſſis forſan intereſſe „ habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, illis „ non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, „ neque cauſſæ, propter quas ipſæ præſentes emanarint, „ ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ fuerint, „ aut ex alia quacumque quamvis legitima, juridica, & „ privilegiata cauſſa, colore, prætextu, & capite, etiam „ in corpore juris clauſo, nullo unquam tempore de „ ſubreptionis, aut nullitatis vitio ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet quantumvis magno, & ſubſtantiali, & individuam „ expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, „ infringi, retractari, aut ad terminos juris reduci, ſeu „ adverſus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, ſeu impetrato, aut „ etiam motu proprio, & de pari Apoſtolicæ poteſtatis „ plenitudine conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe; ſed ipſas „ præſentes litteras ſemper firmas validas & efficaces „ exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus „ ſortiri & obtinere; ac Petro Principi & Mariæ Elizabethæ Principiſſæ præfatis, & aliis, ad quos forſan „ ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in „ omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari; ſicque & „ non aliter in præmiſſis per quoſcumque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, & „ alios quoslibet, quacumque præeminentia & poteſtate „ fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet „ quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & „ auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & „ inane, ſi ſecus ſuper iis a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non „ obſtantibus præmiſſis, ac noſtra Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de jure quæſito non tollendo, nec non ſelicis record. Bonifacii PP. VIII. Prædeceſſoris noſtri „ de una, & Concilii generalis de duabus dictis aliiſque „ Apoſtolicis, ac univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus „ Conſtitutionibus & ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam „ Majorem ſub annulo Piſcatoris die X. Decembris „ MDCLXVIII. Pontificatus noſtri Anno II. “

prætoriam cepit, reliquis in fugam conjectis. Sed hæc res minime perturbavit barbaros, quinimmo ipsos audaciores fecit. Constabat eorum exercitus quadraginta millibus, & amplius armatorum, præter voluntariorum, & fossorum multitudinem, instructusque erat machinis, tormentis, omnibusque rebus, quæ sunt ad belli impetum sustinendum necessarii. Principio Visirius novam Candiam solo æquavit, ut spem receptus tolleret suis; deinde cohortatus milites sub primas munitiones successit, oppugnationemque instituit ab ea parte, quæ ad occidentem Solem spectat. Eodem tempore tentari urbis mœnia aliis in locis jussit, & quæ minime visa pars firma esse, huc concurritur. Sustinuere munitiones & obsessi impetum hostium, quorum non pauci occisi sunt. Sed cruentior etiam pugna fiebat in visceribus terræ. Cum enim Veneti transversis cuniculis hostium cuniculos excipere conarentur, non fossores modo, sed & milites, qui subsidio his veniebant, manus conserebant, tantusque erat furor pugnantium, ut sæpe cuniculi ferro, ruina, fumo, enectorum corporibus obstruerentur. Nec minores strages faciebat conditus sub terra pulvis sulphureus. Vix sufficiebant Venetis in singulos dies decies millia pulveris pondo. Utrinque magnus ceciderat numerus militum & fossorum, permagna erat copia sauciorum, ægrorumque, omninoque aggrediendo & defendendo pugnantes defecissent, nisi novis esset copiis subventum. In tanta atrocitate belli fremebant Turcæ, satis jam se expertos esse frustra adlaborari in expugnanda munitissima urbe; si pergeretur, omnem profecto exercitum periturum; quando Visirium cura non tangeret militum miserorum, consulturos ipsos sibi: prodenti ad certam perniciem neminem dicto audientem fore. His vocibus perterritus Visirius, modo victoriæ & præmiorum, modo pacis spe placare animos militum sategit, utque credibiliora faceret dicta sua, significat Mauroceno rem gratam sibi fore, si mitteret quibus cum disceptaret de conditionibus pacis. Inducias etiam petiit, quas negavit Imperator Venetus, quod ei esset persuasum dolo malo hæc fieri omnia. Extimescens Visirius tum insolentiam suorum militum, tum ferocitatem belli, tum iram sui Principis, desperansque subita subsidia pulveris tormentarii, & glandium ferrearum, omnisque instrumenti bellici, cujus summa inopia conflictabatur, sollicitavit obsessos omni promissionum genere ad se voluntarie dedendos; sed hæc spes quoque ipsum frustrata est. Nulla fortasse opportunior oblata est Venetis occasio opprimendi Turcas, & eam captassent, si quinque Triremes Romanæ, septem Melitenses, & octo Hispanæ, quæ subsidio his temporibus advenere, aliquam ipsis utilitatem attulissent; plus enim apud earum duces timor, quam pudor atque officium valuit. Validius deinde, quæ paullulum remiserat, instaurata est oppugnatio, nihilque non tentatum est seu vi, seu dolo. Parum abfuit, quin extremo fere autumno Visirius potiretur urbe, ad cujus mœnia per cuniculos, quos minime in tempore excepere Veneti, pervenit. Motus periculi magnitudine Maurocenus cohortatur milites: alii faces, atque aridam materiam in aggerem, quem incredibili celeritate extruxerunt hostes, jaciebant; picem alii, reliquasque res, quibus ignis excitari potest, fundebant; ut quo primum occurreretur, aut cui rei ferretur auxilium, vix ratio iniri posset. Eodem tempore clamore sublato duabus portis fit eruptio sexcentorum peditum, quæ res tantum timoris incussit Turcis, ut ipsi submoti finem tum pugnandi fecerint. Tribus & viginti millibus suorum oppugnatio hoc anno 1668. Turcis stetit; defensio Venetis septem fere millibus.

Nec minores clades sequenti anno fuere, tantusque erat ardor pugnantium, ut ne hyeme quidem conquieverint. Vere appetente Achmetes denuo ad urbem undique admovet exercitum universum, qui novis subsidiis acceptis admodum creverat. Adjecit præsertim animum ad occupandam Diam insulam, ubi Classis aquabatur, & quo Candiam petentes ex Italia naves omnes dirigebant cursum: erant in portu naves majores paucæ, & plures rostratæ; sed hæ carebant remige, quod in urbe ad fossiones aliaque adhibebatur. Laurentius autem Cornelius septem triremibus inter eam insulam & Cretam impediebat, ne ab Cydone & Rhitymna subsidia mari ad hostium castra supportarentur. Non dubitabat Achmetes, quin si naves Cornelii superasset, insulam in suam redacturus esset potestatem. Visæ huic rei sufficere triremes duodecim, remige & milite optime instructæ, quarum imperium dedit Duraco magni nominis archipiratæ. Quamquam caverat sedulo, ne consilium emanaret, rescivit tamen Venetus Imperator, ad exploranda hostilia quæque diligentissimus. Itaque viginti cum triremibus profectus Candia aggreditur Duracum nihil timentem tale, ut qui ad Cornelium unum opprimendum festinaret. Acerrime utrinque pugnatum est. Cum tres horas sic tenuisset prælium inter imperatoriam Venetorum, & prætoriam Turcarum, ut neutra ab parte spes victoriæ esset, imperat Maurocenus militibus, ut faces accendant, quas ad hujusmodi casus habebat paratas: tunc totam collucentem flammis triremem quanto maximo poterat impetu in hostes immittit. Quo repentino objectu viso, tantum terrorem injecit Turcis, ut arma sumere nemo auderet. At Duraco hortante, & pugnante ipso resisti est cœptum, & non missilibus solum, sed etiam gladiis dimicabatur. Veneti, Duraco & Turcis fere ad unum omnibus interfectis, triremi potiuntur, reliquæ claudæ mutilatæque, ubi captam Prætoriam conspexere omisso certamine fugerunt. Ea nocte pervenerunt in manus Venetorum quinque Triremes, Turcæ plus quadringenti, & Christiani captivi mille circiter & ducenti. Victoria, si qua alia, sermonibus hominum celebrata ea maxime est. Hanc post rem gestam non ita multis diebus quinque onerarias, & plures lembos cepit Maurocenus, & ipse, præfectique alii curam intenderunt, ne auxilia ad hostes trajicerentur. Tamen, quoniam partibus innumeris appulsus patebat ad insulam, tantum paullatim subvehebatur, ut Achmetes re prorsus nulla nisi virtute militum ad oppugnandum indigeret. Terror ablatus a Turcarum principe, qui Larissam venerat, ut rem propius cognosceret, crudelitas in supplicio, quod sumptum de iis est, qui minus fideliter negotium gessisse videbantur, nova religio jurisjurandi, spes proximæ deditionis alacriores fecere Turcas ad quidlibet audendum atque tentandum. Veneti quoque minime sese deseruere; quodque suspicio esset Turcas impetum præsertim facturos in S. Andreæ propugnaculum qua vergit ad mare, locum natura munitissimum, manu quoque munire adlaborarunt. Excitarunt quoque nova castella ad inimicorum opera disturbanda, cuniculosque tantæ altitudinis fecere, ut spiritum ducere fossores nequivissent, nisi folle fabrili per tubos ex corio confectos immisso aere iis subventum esset. Sed eodem tempore, quo barbari premere cœperunt S. Andreæ propugnaculum, magno impetu quoque in alia loca irruere, ut jam Veneti minus se munimentis, quam munimenta ipsa armis & corporibus defenderent. Supererant non amplius quinque millia militum, hique diurnis nocturnisque laboribus confecti. Oppidani flammarum vi, quas multis in locis continua glandium igniferarum procella excitaverat, perterriti, se in caveas abdebant, ut essent tuti ab ipsarum glandium ictu; neque erat quisquam omnium, qui non in hujus pugnæ exitu suarum omnium fortunarum eventum consistere existimaret. Edoctus Maurocenus de statu rerum, laborantibus succurrit millibus peditum duobus, & magna copia remigum, quibus fossoribus uterentur. Quo subsidio accepto, tanta lætitia excepit, ut urbs ab hostibus eodem vestigio liberata videretur. Excitatæ illico novæ munitiones fuere ad arcendos Turcas a propugnaculo S. Andreæ. Sed hi quo minime arduus ad munitiones adscensus videbatur, omnibus fere copiis repente irruere. Eo concurrunt Veneti, pugnatumque ab iis ita acriter, ut a viris fortibus in extrema spe salutis. Occisis eo die hostium millibus duobus, reliqui se se recipere coacti sunt. Alia deinde oppugnationis ratio excogitata. Quadruplicem ordinem aggerum jungere muris instituit Turca ea altitudine, quæ propugnaculum adæquaret. Longum quidem opus, sed quod perfectum magnas utilitates attulisset. Ad illud impediendum minime segnes fuere obsessi, objectisque contra pluribus tormentis bellicis, factis ex oppido eruptionibus, succensisque cuniculis quos pulvere sulphureo oppleverant, non parvum numerum hostium interfecere. Sed continuis certaminibus & laboribus minuebatur quotidie magis præsidium, eoque res adducta, ut non modo defesso ex pugna excedendi, sed ne saucio quidem ejus loci ubi constiterat relinquendi, ac sui recipiendi facultas dari videretur. Prope jam desperata salute, cum placuisset convocari consilium, nonnullæ hujusmodi sententiæ dicebantur, ut, eruptione omnis exercitus facta, aut submoveretur hostis, aut omnes pugnando glorioso occumberent. Majori tamen parti placuit, reservato tam præcipiti ad extremum consilio, defendi adhuc oppidum, & feliciora a Deo peti expectarique debere. Et quidem brevi magnus auxiliorum numerus advenit, qui animos addidit obsessis, spemque salutis restituit. Deinde ubi varias in partes nequicquam impetus facti, & aggeres immensi operis, qui propugnaculum pene contingerent, aut perrupti, aut cuniculo succensi, cumque luto, & assiduis imbribus tardarentur hostes ad nova construenda opera, frustraque Achmetes magnis propositis præmiis tentasset milites, oppidanos, & vel ipsum Maurocenum (offerebatur enim ei Valachiæ & Moldaviæ dominatio) ad tradendam Cretam, placuit experiri summæ rei fortunam. Sed fessi laboribus milites detrectare imperium, & pa-

& palam conqueri plus oneris injungi, quam vires humanæ ferrent; poſtea aperte tumultuari, ut Janiſſeri haud pauci deſertis caſtris in montes perfugerint. Litteræ etiam ad Regem miſſæ, quibus eum orabant, ut finem tam diuturnæ, tamque crudeli militiæ faceret. Durum tulere reſponſum, fruſtra eos alibi terminum laborum ſperare, quam inter Candiæ mœnia. Hæc denunciatio, ars Viſirii, & tribuni unius ſupplicium milites ad officium revocavit. Hoc ſtatu oppugnationis Kal. Novembris ſubſidio Venetis venit delecta manus voluntariorum ex Gallia, quibus præerat Fulliadeus Dux Roanneſius excellenti virtute. Fama accenſus defenſæ Candiæ illuc trajicere deliberat. Tanti Ducis exemplum movet ferocibus juvenibus animum, qui in illius ſe comitatum ſponte dabant. Eo ex numero Rex ipſe legit ſexcentos ætate & virium robore pares, egregia nobilitate & virtute, quorum neminem ſpreviſſes ducem. Tantus omnibus ardor erat in Cretam trajiciendi, ut non ad bellum duci viderentur, ſed ad certa victoriæ præmia. Regiis navibus ex Provincia in Cretam tranſvectos accipiunt obſeſſi gratulantes ovanteſque, eoque majori cum gaudio, quo propius metum res erat. Elati ſtudio gloriæ eam partem munitionum ſibi defendendam ſumunt, quæ pertinebat ad mare, in quam Turcarum major erat impetus, quam in cæteras. Locum cepere extra portam propugnaculi D. Andreæ, ibique ſe muniere. Depulſi a Turcis, ardore incredibili ſtationem recuperarunt. Sed neceſſe fuit Mauroceno retardare animos, atque impetus hominum, qui certo mortis periculo ſe committere audebant, locumque iis intra urbem juxta propugnaculum aſſignavit. Paucis poſt diebus advenere ex Melita trecenti milites, & equites ſexaginta, quos magnus ordinis Hieroſolymorum Magiſter, Pontifice ſtimulante, cum bellicis inſtrumentis miſerat. Statio iis data prope Gallos, ut eorum æmularentur virtutem; & quidem Veneti horum omnium opera optima fortiſſimaque ſunt uſi. Sed Galli graviorum certaminum cupidi minime uno loco contineri potuerunt, & poſt multa edita animi viriumque ſpecimina, univerſi erumpere deliberant, fruſtra diſſuadentibus non ſolum Venetorum Ducibus Mauroceno & Cornelio, ſed etiam Roanneſio ipſo. Tum ſibi unuſquiſque dux adhortatorque factus ad rem gerendam, acriter adoritur munitiones Turcarum, quas duo millia militum tutabantur. Non has modo Galli temeritate felici ſuperarunt, ſed amplius mille barbaros occiderunt, in his Caterſolium Mahumetem, ut vocant Baſſam, quem ſui ſcientia rei militaris omnibus præferebant. Horum internecione ſic omnes copiæ ſunt perturbatæ, ut vix judicari poſſet utrum ſecundis nimiiſque rebus inſolentiores, an adverſis mediocribuſque timidiores eſſent Turcæ. Hac re geſta, viginti circiter dies Galli ad Candiam manſerunt, omnes captantes occaſiones adjuvandi obſeſſos. Poſt id V. id. Jan. cum ſatis honori, ſatis gloriæ feciſſe putarent, in Galliam rediere, dimidia fere parte ſuorum amiſſa. Deſiderati in urbe hoc anno ad VI. millia militum, foſſorum aut remigum millia duo & quingenti. Turcæ vero viginti tria circiter millia armatorum, præter multitudinem foſſorum, captivorum, aliorumque hominum, amiſere. Exeunte anno actum de pace eſt. Hac de cauſſa Alexander Molinus vir conſilii magni & virtutis Lariſſam ad Turcarum principem venit. Ac primis diebus, ut videbatur, libenter auditus, reliquis ad colloquium minime admittitur. Diſturbavit enim, nulla non arte adhibita, rem totam Achmetes, cujus vehementer intererat, ſe inconſulto minime pacem fieri. Nam ſi Veneti traderent Candiam, cariturum ſe laude expugnationis videbat; ſi vero retinerent, non dubitabat, quin ſolus invidiam & cruciatus etiam ob male rem geſtam eſſet ſubiturus. Quamquam Turcarum princeps, qui mobilitate & impotentia animi novis ſemper ſtudebat imperiis, exercitum hyemare, atque inveteraſcere in Cretæ regno moleſte ferebat, ſubſidia tamen & commeatus omnis generis Viſirio conſtantiſſime affirmanti brevi rem confectum iri conceſſit. Nec minori diligentia rebus ſuis proſpexere Veneti, & multis pro merito dederunt dona, ſingulareſque honores, ut reliquorum animos ſpe præmii accenderent. Roſpilioſio quoque dari juſſa patera aurea viginti quinque pondo, idque ad magis magiſque demerendam Pontificis gratiam. Diem ex die expectabant, quo ipſe tolleret ſocietates tres Cœnobitarum S. Georgii in Alga, Jeſuatorum, & Congregationis Feſulanæ (S. Mariæ gratiarum nominabant) quarum publicatis bonis ærario ſubveniretur. Et quidem ſic illæ ab inſtitutis majorum deflexerant, ſicque labente paullatim diſciplina languori, deſidiæque ſe dederant, ut eſſe amplius haud mererentur. Sed rem quotidie differebat, ac procraſtinabat Pontifex, quod ſperabat per eam ſe impetraturum a Venetis, ut abrogarent legem, qua cavebatur, ne ſacris cœtibus ultra jus eſſet id bonorum genus adipiſci, quod moveri non poſſit. Verum ubi cognovit patres pertinaciſſime in propoſito permanere, permotus periculi magnitudine atque impenſarum, quæ fieri debebant in bellum, non ultra cunctatus eſt ſodalitates eas tollere. Permiſſum tantummodo Eccleſiaſticis emere bona Cœnobiorum, ex qua venditione ſupra ſexaginta millia pondo argenti ad Venetos pervenere. Nihil quoque non tentavit Senatus, ut prætextu Cretici belli pecuniam traheret ex bonis Cœnobiorum, quæ in aliena ditione erant; ſed hæc Pontifex aliis uſibus, & præſertim augendæ ornandæque Liberianæ Baſilicæ, deſtinavit. Facile quidem permiſit Senatui, ut tributum extraordinarium a Clericis Venetæ ditionis exigeret, & bona quædam divenderet, quæ ad Templum S. Marci pertinebant. Ad hæc aliis beneficiis, ac præſertim ſuppeditando commeatus, pecuniam, ac magnam pulveris tormentarii copiam voluit ſibi obſtringere Venetos; neque unquam ceſſavit urgere omnes de ferenda opera atque auxilio contra Turcas, videbaturque id unum curare, ut Chriſtiana Reſpublica ſalva & incolumis eſſet. Milites a Mutinenſium, & Etruſcorum Ducibus impetravit, habuit auxilia a Germanis, quos per Legatum ſollicitaverat, & præſertim a Joanne Friderico Duce Brunſvicenſi, ab Duce Bavariæ, a Magno Ordinis Teutonici Magiſtro, ab Epiſcopo Argentoratenſi, & multa continuaque prece tandem a Galliæ Rege obtinuit, ut claſſem in eaque cohortes duodecim, prætorianos milites quingentos, præter voluntarios, in Cretam mitteret. Non modo verbis, ſed re quoque gratum animum Regi declaravit, cum creaſſet Cardinalem Ducem Bullionenſem, quod vehementer ſe cupere Rex ante oſtenderat. Præter id vexillum cum imagine Chriſti Cruci affixi mittit Bellefortio Duci, ad quem ſumma imperii pervenerat. Hoc unice proponi juſſit Rex, cum ad arma concurri oporteret: mandavit etiam Bellefortio, ut in omni re principem ſemper locum authoritatemque teneret Roſpilioſius Pontificiarum Triremium ductor, in quo dignitatem magis Pontificis, quam virtutem ducis ſe revereri oſtendit. Ter enim ille Cretam venit, ter inde abiit, nulla re geſta, unde in aliquo imperatorum numero poſſit eſſe. Horum ſubſidiorum adventu obſeſſis cum ſpe defenſionis ſtudium propugnandi acceſſit, & hoſtes eadem de cauſſa ſpe potiundi oppidi dejecti ſunt. Sex illis menſibus, qui ab initio huiuſce an. 1669. ad Gallorum adventum interceſſere, hoſtiles acies quotidianis pugnis contenderunt, fœda utrinque cæde militum, & ducum. In horum numero fuit Cornelius, qui ſubiit quidem indigniſſimam fortunam præſtantiſſima gloria, & virtute ſua. Longum vero eſſet numerare foſſas, caſtella, cuniculos, muros, aggeres, & alia hujuſmodi opera aut extructa aut exciſa. Non ſemel vidiſſes barbaros ſuorum cadaveribus complere foſſas, & per eorum corpora audaciſſime tranſire. Ipſa opera ea erant magnitudine, quæ neque viderant antea Turcæ, neque audiverant. Permovebantur ii etiam celeritate Venetorum, qui ſi muro aut propugnaculo recedere cogebantur, continuo aliud interius excitabant. Ne feminæ quidem puerique in magno periculo conquieſcebant, omniaque facilia ex difficillimis animi magnitudo facere videbatur. Ubi nuntiatum eſt auxilia magna militum ex Gallia obſeſſis ſuppetias venire, Achmetes Molinum accerſit cum illo de pace acturus. Sed ne conficeretur, obſtiterunt non tam ii, quos adhibere in conſilium debuit Viſirius, quam Senatus Venetus nimium fiduciæ ponens in Gallorum auxiliis, & in tumultibus, quos magnos exortos fuiſſe Conſtantinopoli nuntiabatur. Galli interim pugnæ avidi vix Cretam appulere (quæ ſane res maximas habuit difficultates) cum periclitari illico quid Turcæ virtute poſſent, deliberant. Itaque paucis horis ab eorum adventu interjectis concubia nocte ab duabus partibus erupere. Fit impetus in vallum, quo ſciſſo conclamant Duces Belleſortius & Noalius occaſionem rei bene gerendæ omittendam non eſſe. Læti, velut explorata victoria, tanta vi in munitiones irruere, ut tres eorum ordines momento temporis ſuperaverint. Tantus injectus eſt terror hoſtibus, ut alii aliam in partem perterriti ferrentur, multique in vicinos colles confugerent. Ipſos aggeres, in quibus tormenta diſpoſita erant, nudatos defenſoribus Galli invenerunt. Jamque ventum huc erat, ut ſi tumulos, quos opere præmunierant Turcæ, unde fugere cœperant, tranſcendiſſent, victoriam in manibus fuiſſent habituri. Verum caſus intervenit, qui fortunam repente mutaret. Decidens forte ſcintilla in cados duos tormentarii pulveris incendium fecit, quo Galli abſumpti ſunt ad triginta. Exiſtimare tum alii cuniculum eſſe ſuccenſum a barbaris. Quare tantus ſubito pavor Gallorum animos præoccupavit, ut a proximis orto fugæ initio, omnes illico terga darent. Ubi Noalius turbata ſigna, & fluctuantem fugientemque aciem vidit, tum appellare,

tum adhortari milites, Tribunos principesque ordinum nominatim ad iterandam secum pugnam vocare. Sed cum neque precibus, neque minis quidquam profeciſſet, amplius quingentis ſuorum amiſſis, ſeſe in urbem recipere coactus eſt. Quam luctuoſa etiam & acerba tum fuit mors Bellefortii! Sed ambigitur, hoſtes ne, an ſui in tenebris ignoratum occiderint. Indignus certe tali exitu fuit vir ſatus regio ſanguine, omni bellica laude præſtans, qui ſi aliquam ſuſceperat maculam civilibus illis Galliæ motibus, delere quidem hac expeditione una potuiſſet. Quoniam vero nihil adverſi accidebat Candiæ, quod ſumma ſollicitudine non afficeret Pontificem, ipſe quoque doluit vehementer caſum Bellefortii, & qui potuere mortuo haberi honores, illius juſſu publice & magnifice in Capitolino templo habiti ſunt. Veriti Duces timorem Gallorum, quorum ut ad bella ſuſcipienda alacer & promptus eſt animus, ſic mollis ac minime reſiſtens ad calamitates diu perferendas mens ipſorum eſt, de ſummis ſæpe rebus conſilia ineunt; & ne caperent qualia in extremo caſu capi ſæpe ſolent, fecit adventus claſſis triremium, & navium majorum, milite, omnique copia inſtructarum. Tum maxime ſuos cohortatus eſt Noalius ad oblitterandam nova virtute præteritam ignominiam: Vobis, inquit, non licet timidis, & ignavis eſſe, qui toties bellicoſiſſimas nationes viciſtis, qui militatis ſub potentiſſimo & invicto Rege, qui ſequimini Chriſti vexillum hujuſmodi in bello, in quo non vincentium magis, quam bene morientium fortuna laudatur. Viſi ſunt conſcientia facti perculſi amiſſos animos recuperaſſe, & moræ jam impatientes feſtinare pugnam. Verum quoties infeſta ſigna hoſti inferre debuerunt, eadem ſemper in iis apparuit infirmitas, idem pavor; quæ res quantum animum addiderit Turcis facile eſt judicare. Porro his omnia in dies magis proſpere procedere videbantur, & tentata ſemel iterumque cum eſſet belli fortuna a Chriſtianorum claſſe, in qua ſpes præcipua ponebatur, contrarios ſemper exitus habuit. Nec exinde adduci Noalius potuit, ut navibus ſuis adjuvaret Venetum, querens ſe prope dimidiam partem ſuorum cæde, morbo, & fuga amiſiſſe. Ægre conceſſit imperatori ducentos milites, quibus ad tuendas ruinas, ſexcentos vero, quibus ad opera foſſionum uteretur. Sed hæc pro re perquam mediocria erant. Nam noſtris non ſolum deficiebant vires, ſed etiam inſtrumenta belli, quæ ſupportari intercluſis itineribus facile haud poterant: hoſtes vero acrius inſtabant, & foſſas jam compleverant, ſciderantque vallum, aliaque opera, quibus propugnaculum D. Andreæ & Sabulonariam (id Caſtelli nomen eſt) præmunierant Veneti. Sibi ſuiſque timens Maurocenus, celeriter advocato concilio, ſententias exquirere cœpit. Fere omnes ad unum ſentiunt unam eſſe ſpem ſalutis noſtris, ſi eruptione facta extremum auxilium experirentur. Summis precibus expoſtulatur a Noalio, ut rem adjuvet; ſed ipſe obſtinato crudelique animo denegat, denuntiatque imperatori ſe paucos poſt dies militibus ſuis in naves impoſitis vela in Galliam facturum. Vidiſſes pueros, feminas, ſacerdotes, ſaucios milites lacrymabili ſane ſpectaculo ad Noalium concurrere, eumque per quidquid eſt ſancti orare, ne ſua diſſenſione & pertinacia rem in ſummum periculum deducat, ſed ille inexorabilem ſemper ſe præbuit, ac diſceſſionem maturavit. Fuerunt qui ſuaderent Roſpilioſio, ut dux ipſe ſummus copiarum Pontificis, cujus ſub vexillo militarent ad Candiam Galli, præciperet Noalio, ne urbem deſereret. Sed experiri imperium non eſt auſus, metuens ſcilicet ne dicto audientem haberet. Ipſe quoque poſt Gallorum diſceſſum haud retineri potuit, cauſam interponens dignitati Pontificis non ſatis fore conſultum, ut Turcæ potirentur oppido, ubi ſigna ejus, & milites eſſent. Clamant omnes indigniſſime id fieri, & ipſe Pontifex irati animi poſtea ſigna dedit. At ſeverius egit Ludovicus Rex cum Noalio, quem utpote ignominioſiſſimæ fugæ macula notatum aditu ſuo prohibuit, & in exilium abire juſſit. Triſtitiam mœroremque obſeſſorum ob diſceſſum Gallicæ claſſis nonnihil levavit adventus trium & triginta navium, quas ducebat Alexander Picus Dux Mirandulanus. Videbatur Pontifex huic multum confidere, cum creaſſet Præfectum caſtrorum, & authoritatem in ſuas copias dediſſet. Sed ipſe quoque & Pontificis, & Venetorum expectationem decepit. Expoſito enim milite, pecunia, & commeatu, quem advexerat, nihil illi fuit potius quam ut in Italiam rediret. Interim hoſtes deſpecta noſtrorum paucitate, ex omnibus fere partibus impetum faciunt. Hunc fortiter adeo ſuſtinuere obſeſſi, ut barbari plus eſſe intus præſidii quam putaverant, timere cœperint. Facta etiam ad propugnaculum S. Andreæ exitu haud infelici eruptio fuit, ſuccenſiſque cuniculis ab ea parte, quæ vergit ad mare, Janiſſeri, qui eam premebant, multis eorum interemptis, ſe ſe recipere coacti ſunt. Singularis tum fuit Aloyſii Minii trierarchi virtus. Nam conſcenſa a Turcis Sabulonaria, cum vidiſſet in ſummo rem eſſe diſcrimine, ſeſe in eos confertiſſimos conjecit, corporeque ſuo velut cuneo viam militibus aperuit ad eoſdem ab ipſo Caſtello muriſque oppidi avertendos. Ad Caſtellum S. Pelagiæ diu pugnatum eſt ſingulari ardore, ut ne ſpatium quidem daretur militibus ad ſe ſe colligendos. Nihilo tamen ſecius cura gravis animum Imperatoris angebat, quia deſperabat poſſe ſemper parare aliquid adverſus machinationes oppugnantium, &, ut quæque pars oppidi nudata defenſoribus premebatur, in eam advolare veſtigio, atque defendere. Itaque communicato prius conſilio cum ducibus, deditionem haud differendam cenſuit. Sed eodem tempore quo pacem petiit a Viſirio, & de conditionibus ejuſdem diſputabatur, juſſit milites in munitionibus conſiſtere, ſpeciemque defenſorum præbere. Ad id nullam non artem adhibuit, ut perſuaderet Viſirio haud extrema pati Venetos, expectareque jam illos ab Italia nova ſubſidia. Re multum agitata (nam Turca a principio intoleranda poſtulaverat) VIII. Id. Septemb. pax tandem in has conditiones convenit: uti Veneti decimum poſt diem Candia excederent; uti oppidanis alio abeundi poteſtas eſſet; & hi militeſque omnia quæ vellent ſecum adſportare poſſent, relictis modo tormentis, quæ ante bellum in urbe fuiſſent; uti Amphimaliam, Grabuſas, & Spinam-longam, quæque iis adjacent parvæ inſulæ peninſulæve, aut ſcopuli, tum Cliſſam agrumque ejus, & quidquid in Illyrico, nominatim in finibus Boſnæ & in Albania, cepiſſet, Reſpublica Venetorum retineret; ut Conſtantinopolim ex more mitteret Legatum, qui ubi adveniſſet, redderentur invicem captivi: ne quis anteactarum rerum accuſaretur & mulctaretur: quibus belli tempore conceſſa eſſet facultas piraticæ faciendæ uti abrogaretur: uti demum rata haberentur, quæ alias in pace facienda conveniſſent. Sic exitus fuit belli diuturnitate, & atrocitate, & malis quoque civilibus, quæ inde conſecuta ſunt, ſane memorandi. Triennio, quo continuata eſt oppugnatio, amiſere Turcæ ſex & ſeptuaginta ferme millia militum, & duo de triginta millia foſſorum; Veneti, præter magnum foſſorum aut remigum numerum, viginti millia militum, & in his quingentos ferme nobilitate præſtantes. Haud tenuit oppidanos amor patriæ, quominus abeuntes Venetos ſequerentur. Septemdecim tantum remanſere ex ſepties millibus & octingentis militibus & oppidanis, miſeris ſane miſerrimi belli reliquiis. Vix credebatur exiguum adeo defenſorum numerum toties potuiſſe propulſare furentes impetus hoſtium. In hoc extremo caſu profuit etiam Cretenſibus liberalitas Pontificis, qui ſua pecunia multorum, ac præſertim ſacerdotum indigentiam ſublevavit. Ceterum haud dici ſatis poteſt, qui fuerit angor Pontificis ob infelicis Cretenſis belli exitum; & quaſi innoteſceret non eſſe amplius curæ Deo ſecuritatem noſtram, eſſe ultionem, ad illius numen placandum tum dictis, tum exemplo omnes invitare non ceſſabat. Si cui nimis longa videbitur hujuſce belli narratio, reputet quantum illud ad Clementem propter interpoſitam operam, ſtudium, & laborem pertineat. Non putavimus autem ipſam narrationem interjiciendo alia facta plures in partes dividendam, quod rerum magis quam temporum ordinem ſequi in hiſtoria conſcribenda oporteat.

Sed ut iterum referamus nos ad tempora, quibus Clemens Pontificatum iniit, læta hæc fuere propter ſpem omnibus injectam fore, ut Ludovicus Galliæ Rex conceptum odium in populum Romanum deponeret. Multæ cauſſæ illud genuerant, & in primis motus militum ex Corſica, qui a Mario Chiſio Alexandri VII. fratre facti fuiſſe videbantur ad compeſcendam ulciſcendamque intolerabilem Gallici Legati Ducis Crequii arrogantiam. Obſeſſa domus Legati fuit, plures vulnerati famuli, nobilis etiam ephebus ex familia occiſus, ſubiitque periculum vitæ ipſius Legati uxor, dum domum repetit. Facti hujus atrocitatem, aut indignitatem, aut omnino culpam auxit Legatus, ut Regis animum implacabili iracundia occuparet. Et quidem is minaciter terruit Pontificem, qui pacem petere & duras accipere conditiones coactus fuit. In quibus fuit, ut removerentur præſidia Corſorum ex Urbe, utque pyramis ad eorum ſtationem erigeretur, in qua inciſum eſſet decretum, quo cavebatur, ne qui poſtea Corſi milites conſcriberentur. Hoc monumentum hoſtilibus inuſtum litteris eſſe ægre ferebat Clemens, quare de illo tollendo ſtatim egit cum Ludovico Rege. Hic quidem rem differre in diem, quod ſe non ſuperbia facere, neque quo illius ſtudio rectiſſimo non obſequi vellet, ſed quod majora ſe habere diceret, quæ cum eodem tranſigeret. Omnes interim captabat occaſiones benemerendi de nomine & dignitate Pontificis, ac viciſſim curabat Clemens, ut ſua in Ludovicum benevolentia illius erga ſe benevolentiæ pariter

ter æqualiterque reſponderet. Quo vero hæc amicitia, non ſolum amoris, ſed etiam cujuſdam conjunctionis vinculis aſtringeretur, libentiſſime aſſenſit Ludovico, ut natum ei filium quis ſuo nomine e ſacro Baptiſmi lavacro ſuſciperet. Ad hanc rem legatum delegit, uti ſupra quoque commemoravimus, Ludovicum Cardinalem Vindocinenſem generis ſplendore (regia enim ſtirpe ortus erat) & divitiis ornatiſſimum. Illa ſolemnis cæremonia peracta eſt in Oppido S. Germani, quo in loco ortum Rex ipſe habuerat; qui quidem curavit, ut pompæ plena eſſet, ut haberet ſummam ſpeciem & dignitatem, non tam ut ſibi, quem nil niſi magnificum & ſplendidum delectabat, quam ut Pontifici ſatisfaceret. Invicem miſſa etiam munera ſatis larga, factæque aliæ voluntatis ſignificationes. Sed nihil Ludovico carius & acceptius fuit, quam delata ſibi a Pontifice poteſtas præficiendi quos dignos judicaſſet Monaſteriis, aliiſque majoribus Sacerdotiis, qui ſunt in Comitatu Ruſcinonis, & in ea parte Belgii, quam in ditionem ſuam redegerat (19). Nimium indulſiſſe viſus eſt Pontifex Hiſpaniarum Reginæ, quæ de hac re queſta etiam eſt, vetera officia ſua Clementi exprobrans. Sed facile ei fuit oſtendere nihil a ſe geſtum, quod non modo probabilem, ſed etiam ſapientem non haberet excuſationem. Porro multum ſemper interfuit Pontificum Romanorum habere benevolos Galliarum Reges; & hoc non mediocre grati animi ſui indicium eſſe putavit Ludovicus, quod Legato ſuo mandata dederit de tollenda pyramide (20), de dirimendis quibuſdam diſceptationibus cauſſa Avenionenſis Provinciæ, deque confirmando promiſſo ſe ſemper concordi voluntate Sedis Apoſtolicæ, & Chriſtianæ Reipublicæ dignitatem defenſurum. Vehementer tum agitabatur in Gallia de infirmandis, atque convellendis pluribus capitibus Nannetenſis Edicti quod Henricus IV. ann. MDLXXXXVIII. edixit, ut ſubjectas ſibi gentes, quæ a Catholica Religione diſceſſerant, pacaret, & quibuſdam pactionibus obligaret. Conſilia, quæ hac de re dedit Clemens, fuere plena moderationis, plena prudentiæ, plena ſtudii in catholicam Religionem. Et ſane qui immolandum cenſuere multorum civium ſanguinem, exuiſſe videntur omnem humanitatem atque lenitatem, quæ a Chriſto docta, & in communibus hominum ſenſibus, atque in ipſa natura poſita atque infixa eſt. Ipſum Xiſtum V. qui in eo fœdere, quod factum eſt in Gallia contra Calviniſtas, acerba & ſevera fœderatis pro ſuo ingenio dederat conſilia, facti poſtmodum pœnituiſſe fama eſt, reputantem a bono parente non ſtatim ultima experienda, molliter imo tractanda animorum vitia, revocandam prius omni arte & patientia vel dubiam, vel etiam in pejus inclinatam filiorum indolem; ſæpe mora ſanari, quæ exulceret alioquin feſtinata ſeveritas. Neque minus Clementis prudentia apparuit in iis rebus, quæ ad Janſeniſtas pertinebant; de quibus paulo altius ordiri licebit. Cornelius Janſenius Iprenſis Epiſcopus dolens nova a Jeſuitis in Theologiam inferri, librum incredibili labore compoſuit de Gratia Dei, in quo quidquid eſſet ſe hauſiſſe profitebatur ab Auguſtino, cujus ſumme ſtudioſus fuerat. Moriens librum haud vulgatum amicis commendavit, ſubjecitque judicio Romani Pontificis. Nihil reliqui ſibi fecerunt Jeſuitæ, ut opus, quod Moliniſmum præcipue oppugnabat, & pluſquam quinquaginta errorum reum Molinam faciebat, ſupprimeretur; ſed id fruſtra fuit. Vulgato Libro tum Lovanii, tum Pariſiis, magno conatu ſtudioque egerunt, ut ille damnaretur, ſatisfecitque, ſicut ſupra commemoravimus, illorum deſiderio Urbanus VIII. Eodem tempore venerunt ex Belgio Romam Legati orantes Pontificem, ne quid gravius de ſummo viro ſtatueretur, cujus honori cum proſpiciebant, dignitati quoque incolumitatique Auguſtinianæ doctrinæ ſe proſpicere dicebant. Fuit hoc chriſtianæ Reipublicæ malum, ut in unum Janſenium omnium animi ſpectare viderentur; ex quo factum eſt, ut concertationes in diſputando pertinaces, jurgia, convicia publicam tranquillitatem perturbaverint. Nec aberant doli, & machinæ, minimeque obſcurum eſt, quid Nicolaus Cornetus Collegii Sorbonici Syndicus molitus eſt, ut collegas ſuos ſuam in ſententiam traheret. Quæ ipſe geſſit plurimum valuere ad obtinendam damnationem quinque propoſitionum, quæ Janſeniſmo cauſſam dederunt; cumque judicio Sorbonæ plures ex eorum cœtu, & Senatus ipſe Pariſienſis ſe ſe opponerent, res delata ad Innocentium Pontificem fuit. Hic propoſitiones excutiendas mandavit, reque multum ac diu agitata, non ſolum definivit illas hæreticas eſſe, ſed etiam ex Janſenii ſenſu depromptas fuiſſe. Nullus profecto extitit, qui illa quinque capita ut impia minime deteſtaretur; ſed ita ſenſiſſe Janſenium plures fateri recuſabant, ajentes totum illius librum nihil aliud habere, quam vulgarem *Gratiæ*, ut vocant, *efficacis* doctrinam, ejuſque vitam mores & ſcripta omnem ſuſpicionem erroris evertere. Addebant alii, ex revelata fide traditioneque ad nos tranſmiſſa pendere chriſtianorum ſalutem; ex ſingulis vero factis minime a Deo revelatis non pendere: eamque ob rem in diſceptandis fidei controverſiis infallibili Dei ſpiritu regi Eccleſiam, at non item in facti quæſtionibus: quod plurimis argumentis & exemplis confirmabant. Quantos hæc clamores, quantaque odia excitaverint, non ſatis dici poteſt; cumque Jeſuitæ in ſuas partes traxiſſent Mazzarinium, non ſolum judicio atque diſceptatione, ſed vi atque impreſſione ſe everſuros adverſarios ſperabant. Impetus illorum fuit acrior in incolas Portus Regii, quam in ceteros, compleverantque totum pene orbem lamentatione, *S. Cyprani Abbate, & Iprenſi Epiſcopo ducibus, arcanam eo in loco coitionem factam ad evertendum Incarnationis myſterium, abrogandam Evangelii tanquam apocryphæ fabulæ fidem, delendam Chriſti Religionem: & hac nefaria Societate manente, nihil poſtea in tota Gallicana Eccleſia neque ſacri, neque religioſi futurum.* Qui mores, fidem, pietatemque illorum incolarum noverunt, non poterant hæc ſine horrore audire, nec ſine fletu videre malorum, quæ perpeti debuerunt, iliadem. Interim ſcriptis hinc & illinc acriter pugnabatur, dolendumque, homines ſummos, Arnaldum, Paſchalium, & Nicolium, ceteroſque hujuſmodi diſputationibus impeditos fuiſſe, ne Eccleſiam Dei, & Litteratorum Rempublicam præclaris utiliſſimiſque operibus magis magiſque augerent. Perpauci tum erant, quibus ſapientiæ laude perfrui tranquille liceret; cumque novarum perturbationum cauſſæ quotidie magis quærerentur, in magnitudine animi facillime pertinacia, & nimium adverſariorum odium innaſcebatur. Ut eos, quorum voce & ſcriptis erant violati Jeſuitæ, hæreſis accuſatione perſtringerent magis, excogitarunt formulam quandam, cui qui ſubſcribere recuſarent, communi maledicto notarentur. Fortiſſimus adjutor ad rem perficiendam fuit Petrus de Marca Toloſanus Archiepiſcopus, qui primus pronuntiare non dubitavit omnem *de facto*, ut loquebantur, controverſiam *ad partem dogmatis ſpectare*. Itaque illo authore, Clerus Gallicanus in Comitiis ann. MDCLVI. formulam propoſuit, cujus clauſula erat, eum fuiſſe Janſenii ſenſum, qui damnabatur in illis quinque hæreticis capitibus. Hæc delata ad Alexandrum VII. P. M. fuerunt, qui ut erat in Janſeniſtas concitatus tum ſua ſponte, tum ſtimulos admoventibus Cardinalibus Albizio, & Pallavicinio, vehementer lætatus eſt occaſionem ſibi datam eos opprimendi. Itaque Conſtitutionem edidit, qua poſtquam

(19) Plura ſunt indulta hujus generis, quæ Clemens Ludovico Galliarum Regi conceſſit. En eorum tituli eo ordine, iiſdemque verbis, quibus relata ſunt in volumine Conſtitutionum Pontificiarum.

„ Indultum Regi Chriſtianiſſimo nominandi ad quæcumque Monaſteria, Prioratus, dignitates, etiam majores, & principales, aliaque beneficia (exceptis curatis) in Civitatibus Metenſi, Tullenſi & Virdunenſi, eorumque territoriis dicto Regi ſubjectis.

„ Conceſſio Juriſpatronatus ad Eccleſiam Attrebatenſem.

„ Confirmatio Juriſpatronatus ad Eccleſiam Ellenen. ac Monaſteria conciſtorialia in Comitatibus Ruſcinonenſi, & Confluentino, & parte Ceradanæ verſus Galliam conſiſtentia.

„ Indultum nominandi ad dignitates Abbatiales, & regimina Monaſteriorum, Prioratus, & Præpoſituras, ſeu Præpoſitatus conventum habentes in locis & ditionibus Belgicis, quæ de præſenti poſſidet.

„ Indultum nominandi ad Eccleſiam Tornacenſem.

„ Ampliatio juris nominandi ad dignitates Abbatiales, & regimina Monaſteriorum Prioratus, Præpoſituras, ſeu Præpoſitatus conventum habentes in quibuſdam ditionibus Belgicis conſiſten. Regi Chriſtianiſſimo ante hac conceſſis ad ſimilia beneficia conſiſtentia in aliis ditionibus Belgicis, & per nuperum tractatum pacis a Rege Cattolico conceſſis & renuntiatis “.

(20) In litteris, quæ hac de re ſcriptæ fuerunt Legato Pontificio IV. Kal. Junias MDCLXVIII., hæc erant: „ Il Sig. Imbaſciator di Francia nell' eſporre a N. S. il conſenſo dato dal Re Criſtianiſſimo per la demolizione della Piramide diſſe, che ciò non ſi faceva da S. M. per porlo in conto di coſa conſiderabile verſo la S. Sede; e che però ſi farebbe ſolamente eſeguito, quando ciò foſſe ſtato piacere di S. S. “ Ipſe vero Legatus Pontificius hæc ſcripſit V. Kal. Quint. „ Il conſenſo del Re, perchè ſi abbatteſſe la Piramide, che fu eretta coſtì contro i Corſi, ha ſuſcitate in Francia voci d' applauſo, e concetto di particolar propenſione di S. M. verſo l' ottimo governo, e Pontificato preſente “.

in filios iniquitatis, ut ipſe appellabat, invectus eſſet, diris execrationibus Janſenium, ejuſque doctrinam inceſſit. Sed tum minime ſermo fuit de ejuranda illa doctrina conceptis verbis; qua de re ſollicitatus a Jeſuitis, eorumque fautoribus novam Conſtitutionem ann. MDCLXV. promulgavit. Facile Ludovico Regi perſuaſum, e re ſua eſſe, ut omnes, qui in Eccleſiæ caſtris militabant, conſtitutioni Pontificiæ apud ſæculares judices ſubſcribere cogerentur; addebatque Jeſuita Annatus, qui ipſi erat a confeſſionibus, peropportunam ſibi videri occaſionem ad homines pertinaces ac tumultuoſos exonerandos, duceſque amentiæ ablegandos. Extitit Alethæ Epiſcopus, qui de tota re docere Regem ſtuduit, ſed ei ferociter reſponſum eſt, execrationeſque atque minationes paſſim terrores afferebant. Nihilo tamen minus Regis minantis auctoritas quidquam haud obtinere potuit ab Epiſcopis tum Alethæ, tum Andegavi, Apamiæ, & Bellovaci, quorum exemplum ſecuti ſunt portus Regii incolæ, omnes una voce fatentes ſejungendum jus a facto; in illius confeſſione hujus defenſionem ſuſcipi poſſe; magnam quidem apud omnes, & in primis gravem eſſe debere Romanorum Pontificum auctoritatem vel in ipſis facti quæſtionibus, ſed in his haud injiciendam religionem; nec poſſe ſacramentum juſtum judicari, quod interponitur ab iis, qui probabilem & prope veram cauſſam reddere poſſunt, quare id, cujus confeſſio exigitur, non fuerit. Inventum temperamentum a quibuſdam aliis Epiſcopis, quo ſe ſubſcribere poſſe putarunt formulæ a Pontifice præſcriptæ (21). Sed quidquid novi excogitabatur, novarum diſputationum & diſcordiarum cauſſa & origo erat, omninoque ab Eccleſia Gallicana pax exulaſſe videbatur. Ad hanc revocandam tanquam hominem aliquem e cælo delapſum omnes intuebantur Roſpilioſium. Neque enim obſcurum erat, ipſum pacifica Deceſſori ſuo dediſſe conſilia, quando Choiſeulius Convenæ Epiſcopus, & Jeſuita Ferrierus, & ſummi illi Theologi Lalana & Girardus, ipſo approbante Rege, Pariſios convenere acturi de reconciliatione concordiæ. Nondum Roſpilioſius conclavia reliquerat, cum plures ei perſuadere ſtuduerunt ita animatos eſſe in Janſeniſmum quatuor, quos ſupra commemoravi, Epiſcopos, ut nihil ad eorum mentes flectendas proficere potuiſſet; quare, ſicuti præceperat Alexander, & Rex ab eo petierat, acria & ſevera judicia in eos exercenda.

Difficile eſt ineunti principatum omnia videre, omneſque declinare machinas; & quanquam populus ipſe monuiſſet Pontificem, ut caveret a Jeſuitis, his tamen eorumque fautoribus poſtulantibus, Decretum quod Alexander fecerat adverſus eoſdem Epiſcopos, magna ex parte approbavit, atque confirmavit (22). Verum re melius cognita, conſulendum eorum honori & famæ, providendumque tot malis, quibus jamdiu chriſtiana Reſpublica afflictabatur, putavit. Interim litteræ venerunt Pontifici ab novem ſupra decem Epiſcopis totius Galliæ doctiſſimis, ſapientiſſimiſque, quibus declarabant miſerum, acerbum, & calamitoſum ſibi videri impiorum pœnas ſanctiſſimis experi Epiſcopis, qui in exponenda populis ſuis Alexandri Conſtitutione & formula jurisjurandi ab eo præſcripta minime jus cum facto confundendum putarunt; novum eſſe atque omnino inauditum dictum illorum, qui tuentur ſi quid humani minimeque a Deo revelati Eccleſia & Pontifices factum eſſe affirment, his eandem fidem habendam ac illis decretis, quæ vocantur dogmata, quorum nullum ſine ſcelere in dubium revocari poteſt; bonos omnes deteſtari, quæ per ſummam fraudem atque malitiam fingebant nonnulli ad violandam exiſtimationem illorum, qui regendam Eccleſiam ſuſcepere; nec paſſuros, ut judicium fieret de horum factis & fama ex potentium libidine, ſed ex ſanctorum Canonum præſcripto. Eadem ferme, eodemque tempore ſcripſere Regi, fierique quædam ad meliorem ſpem inclinatio viſa eſt, faventibus Tellierio, Lionio, & Colberto, ipſoque Rege, qui paulo ante cruces, & tormenta Janſeniſtis minitatus fuerat, pacem expoſcente. Sunt enim plerumque regiæ voluntates, uti vehementes, ſic mobiles, & ſæpe ipſæ ſibi adverſæ. Præterquamquod animus ſuperbia elatus, qui ſe natum imperio putabat, tacite indignabatur, quod ſuos continere minime poſſet, dum potentiſſimas nationes obnoxias habebat. Ad rem gerendam præbuit ſe ducem Senonenſium Archiepiſcopus Gondrinus, cujus maxime pollebat auctoritas, & cum eo in colloquium Legati Pontificii Petri Bargellinii venerunt Eſtrenſis, Lauduni, & Vialartus Catalauni Epiſcopi. Convenit inter eos de non revocandis litteris (*mandamenta* vocant) quas vulgaverant quatuor ſupra commemorati Epiſcopi, dummodo ipſi convocatis Synodis declararent, quidquid damnaſſent Eccleſia & Pontifices, ſe quoque ex illorum ſenſu ſincere omnino, nullaque re excepta damnare, ſponderentque ſe ſuoſque tacite veneraturos, quod de Janſenii facto pronuntiaverat Alexander (23). Hæc approbarunt Epiſcopi, quamquam principio diſſenſerit Pavillonus Alethæ Epiſcopus, qui a Janſeniſtis ſuarum partium princeps habebatur. Vicit obſtinationem illius ſententiæ tum collegarum exemplum, tum Arnaldi authoritas; ipſeque cum reliquis ſubſcripſit litteras ad Pontificem, quibus eum docebant ſe juſſa executos eſſe, & prolixe de omnium voluntate erga ſummum Eccleſiæ Paſtorem pollicebantur. Hoc facto cognitoque, plerique læti, ac ſpei bonæ pleni fuerunt. Fuere, qui injecerint Clementi ſcrupulum ac dubitationem minime ſincere egiſſe in hac re Gallicanos Epiſcopos, deceptumque per eos Bargellinium fuiſſe (24). Dum quilibet de hac re pro ſuo quiſque ſenſu loqueretur, ea acta fuerunt (25) tum a Pontifice, tum a Gal-

---

(21) Archiepiſcopus Pariſienſis Præfixus declaravit credi debere factum non fide divina, ſed humana, & eccleſiaſtica. Magnos hæc ſententia rumores excitavit, & ad illam convellendam librum ſcripſit Nicolius. Nihilo tamen minus ipſe fateri debuit, pacem verſus gradum quemdam illa declaratione factum fuiſſe: „ On eſt, inquit ille, „ comme deſcendu du ciel en terre. Et il y a bien „ moins de diſtance de la foi humaine au ſilence, qui „ eſt l'unique moyen d'établir une veritable paix, qu' „ il n'y en avoit de la foi divine à cette foi humaine, „ à la quelle on s'eſt reduit ". Alia alii excogitarunt, quæ ſingula referre nimis longum eſſet.

(22) Novem Epiſcopi de eorum factis, & ſcriptis judicium ferre debebant, ab iiſque ſic expectabatur, ut ab hominibus ſtudioſis & fautoribus Jeſuitarum.

(23) „ A l'égard du fait contenu dans le dernier formulaire nous nous obligeons à une ſoumiſſion de reſpect, „ & de diſcipline, qui conſiſte à ne point s'élever contre la deciſion, qui en a été faite, & à demeurer dans „ le ſilence pour conſerver l'ordre, qui doit regler en „ cette matiere la conduite des inferieurs à l'égard des „ ſuperieurs Eccleſiaſtiques ".

(24) Ad confirmandum Pontificis animum hæc, ipſo jubente Rege, ſcripſere quatuor Epiſcopi, monumentiſque publicis eorum ſcriptum conſignatum fuit: „ Les quatre „ Evêques, & les autres Eccleſiaſtiques ont agi de la „ meilleure foi du monde, & n'ont aſſûrement que des „ penſées d'un très-grand zele pour conſerver la foi de l'„ Egliſe, & d'une profonde ſoumiſſion pour le ſaint Siege. „ Ils ont condamné, & fait condamner les cinq Propoſitions avec toute ſorte de ſincerité ſans exception, „ ni reſtriction quelconque dans tous les ſens que l'Egliſe les a condamnées. Ils ſont très-éloignés de cacher dans leur coeur aucun deſſein de renouveller les „ erreurs ſous quelque prétexte que ce ſoit, ni de ſouffrir „ que perſonne les renouvelle & donne aucun atteinte „ à la condamnation qu'en a fait l'Egliſe, n'y ayant „ point d'Eccleſiaſtiques qui ſoient plus inviolablement „ attaché à ſa doctrine ſur ce ſujet, & ſur tous les autres. Et quant à l'attribution de ces Propoſitions au „ livre de Janſenius Evêque d'Ypres, ils ont encore rendu & fait rendre au ſaint Siege toute la déference, & „ l'obeïſſance qui lui eſt dûe, comme tous les Theologiens conviennent, qu'il la faut rendre au regard des „ livres condamnés ſelon la doctrine Catholique, ſoutenue dans tous les ſiecles par tous les Docteurs, & „ même en ces derniers tems, par les plus grands défenſeurs de l'authorité du ſaint Siege, tels qu'ont „ été les Cardinaux Baronius, Bellarmin, de Richelieu, „ Pallavicin, & les Peres Petau, & Sirmond, & même „ conformement à l'eſprit des Bulles Apoſtoliques, qui „ eſt de ne dire, ni écrire, ni enſeigner rien de contraire à ce qui a été decidé par les Papes ſur ce ſujet. A quoi ils ont ajoûté qu'ils procederoient par „ les voies Canoniques dans leurs Diocèſes contre ceux „ qui manqueroient à l'un, ou à l'autre de ces devoirs. Nous declarons & certifions qu'ayant eu communication & connoiſſance particuliere des ſentimens „ des quatre Evêques, & de ce qui eſt contenu dans „ leur procès-verbaux, la doctrine qui eſt contenue dans „ cet écrit eſt entierement conforme à celle des ſudits „ procès-verbaux, & qu'ils ne contiennent rien de contraire à cette doctrine. C'eſt auſſi ma croyance, & „ celle de dix-neuf Evêques qui ont écrit à ſa Sainteté ".

(25) En exemplum litterarum, quas Clemens ſcripſit tum Epiſcopis, qui de pace conficienda egerunt, tum iis, qui cauſſæ Janſeniſtarum duces, & quaſi ſignifera fuerunt.

Vene-

Galliarum Rege, quæ non ſinebant amplius dubitare redditam tandem Gallicanæ Eccleſiæ pacem fuiſſe. Rex hac re maxime lætari ac gloriari viſus eſt; nec mediocre eſt indicium numiſma, quod ſibi cudi juſſit cum hac inſcriptione *Reſtituta Eccleſiæ Gallicanæ concordia* (26). Sed & Clementis conſilium laudandum eſt. Hinc enim redditi Collegiis Canonici, Monaſteriis Sanctimoniales; honos, dignitas, locus, ordo Eccleſiæ miniſtris reſtitutus; ſummus ille vir, & ſacrorum librorum interpres Sacius carcere emiſſus; multi, qui tenebris ac tectis continebantur, ad aſpiciendam lucem vocati; honorati in ipſa Regis Aula, qui indigniſſime contempti jacuerant (& ſane quam honorifice excepit Ludovicus Arnaldum, & quam ornate ac graviter de tota Arnaldorum familia prædicavit!) Claudius de S. Martha, Joannes Hamonius, Petrus Nicolius, & totus ille delectus virorum, qui egregiam operam dederant Abbatiæ Portus Regii, reſtituti, unde adverſariorum potentia illos dejecerat; illa ipſa Abbatia non ſolum calamitatem detraxiſſe, ſed etiam dignitatem auxiſſe videbatur; laudabanturque tanquam exempla innocentiæ & pietatis Virgines, quibus paullo ante ſacris interdictum fuerat, quarumque aditum ſermonemque multi ex adverſariorum conſilio defugiebant, ne quid ex contagione incommodi acciperent. Mirum autem videri poteſt in omnibus actionibus, ſententiiſque omnibus, quæ Jeſuitas videbantur offendere, homines, qui Janſeniſtarum partium erant, tantam ſemper conſtantiam tenuiſſe; nec modo præmiis, ſed ne periculis quidem ullis, quibus moventur etiam fortiſſimi viri, adduci potuiſſe ad ſuſceptam cauſam deſerendam. Reddita autem pace, omnes Clementis nomen in cælum ferebant, Deumque orabant, ut ſibi tam multa pro veritate atque innocentia perpeſſis atque perfunctis concederet, ut officium ſuum Chriſtianæ Reipublicæ, memoremque in benemeritos animum tuto ac tranquille præſtare poſſent. Hujus ſui ſenſus Arnaldus teſtimonium ampliſſimum dedit, cum dedicaſſet Clementi opus *De perpetuitate Fidei* in iis rebus, quæ ad Euchariſtiam pertinent, quo certe nullum nec nobilius, nec præclarius ad convincendos hac in re Calviniſtarum, cæterorumque hæreticorum errores. Inchoaverat opus Nicolius An. MDCLXIV. cum in agro vitam ageret apud Varetum doctum hominem, qui hiſtoriam pacis partæ per Clementem IX. duobus voluminibus complexus eſt. Etſi ille nemini concederet de cupiditate juvandi Eccleſiam ſcriptis ſuis, depoſuit tamen opus de manibus, ut locum relinqueret Arnaldo tractandi materiam dignam facultate & copia illius. Senſerat hic moderandum orationi, fugiendamque lectorum ſatietatem; ſed in quibuſdam capitibus, & in illis præſertim, quæ probant perpetuum mirificumque Orientalium Eccleſiarum cum Romana Eccleſia conſenſum, circumfluere & abundare voluit, ut funditus adverſariorum argumenta everteret. Ceterum non ſatis laudari poteſt judicium ac doctrina Authoris: quam appoſite, quam diſtincte, quam explicate, quam illuminate & rebus, & verbis dicit! Profecto ſi ipſa per ſe veritas cauſam ſuam defendere debuiſſet contra hæreticorum aſtutias, non majori eruditionis doctrinæque apparatu, vi, perſpicuitate, atque evidentia rem confecturam fuiſſe arbitror. Dum plauſus maximi a bonis huic Operi impertiebantur, uni ſilebant (invidioſe quidem) Jeſuitæ; dolebantque multi, magnum ingenium Arnaldi, magnumque optimarum artium ſtudium, tum omnis liberalis & digna homine nobili ab eo percepta doctrina, quibus temporibus florere in Eccleſia maxime potuit, aut caruiſſe rebus humanis, aut in inanes diſtractum fuiſſe diſputationes. Non deſtitit Clemens ſtimulare atque excitare divinum ingenium, ut novum aliquod opus pro defenſione veritatis ſuſciperet. Sed quæ ſoluto animo ſcribi ſolent, ea temporibus illis, quæ poſtea conſecuta ſunt (non enim diu pace frui licuit, minime erepta Jeſuitis omnia miſcendi licentia) excludebantur. Clemens autem cum hoc ſuſcepiſſet non ſolum juſtitia, ſed etiam miſericordia adductus, ut excellentes viros miſeriis & timore liberaret, non potuit in iis rebus, quæ adverſus eos machinabantur Jeſuitæ, negligens eſſe. Itaque Olivam, qui Societati præerat univerſæ, minis terruit, niſi ſuos juberet talibus viris pacatos eſſe, omneſque conſtituta concordia, ſine querela utilioribus ſtudiis vacare. Non me latet pacifica Clementis conſilia cauſam dediſſe malevolorum (quin dicam impiorum?) machinationibus; ſed has refellere injurium foret Pontifici Catholicæ rei ſtudioſiſſimo, pro qua ſe mori cupere, & cui ſe totum dediſſe, & in qua omnia ſua poſuiſſe, & quaſi conſecraſſe jure gloriari poterat. Hoc flagrans Pontificis ſtudium defendendæ veritatis, revocandique errantes ad eam cum fama & gloria ipſius vel ad remotiſſimas penetravit regiones. Itaque illo hortatore plures in gratiam cum Romana Eccleſia rediere, fueruntque alii, qui ejus amantiſſimis prudentiſſimiſque conſiliis confirmati in ſuſcepto propoſito permanſerunt. Impulit animum Julii Franciſci Angriæ & Veſtphaliæ Ducis ad defendendam cauſſam Catholicæ religionis; monet atque lacrymans obteſtatur, ut ſibi ſuiſque populis conſulat; ſatis ſe jam noſſe virtutem illius, nec pati debere ut in iis regionibus minus proſpere res Catholicorum procederent. Cum ejuraſſet Calvinianam hæreſim Comes Berthemienſis, cujus imperio ſubjiciebatur regio illa, quæ eſt inter Amiſem & Lupiam, providit Clemens ut quædam nova & ſalutaria ab eo inſtituerentur, per quæ vetus Religio ſtabilitatem in iis locis habe-

---

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Senonenſi, & Epiſcopis Catalaunenſi, & Laudunenſi

CLEMENS PAPA IX.

Venerabiles Fratres ſalutem &c.

„ Non ſine lætitiæ ſenſu pervidimus etiam ex litteris Fra„ ternitatum veſtrarum id, quod nobis prius ample ſi„ gnificatum, ac deinde iteratis ac gravibus documentis „ confirmatum fuit, de perfecta atque integra obedientia „ Nobis & Apoſtolicæ Sedi præſtita per Epiſcopos Ande„ gavenſem, Bellovacenſem, Apamienſem, & Alethenſem „ ſubſcriptione Formularii ſincero animo, & juxta præ„ ſcriptum Litterarum Apoſtolicarum ab eis facta; utque „ caritatis Apoſtolicæ fervore ſuccenſi potius in obe„ dientes clementia, quam juſtitia in contumaces uti „ gaudemus, voluimus iis paternæ benevolentiæ noſtræ „ argumenta præbere. Quæ profecto ſpeciali mentis af„ fectu cumulata vobis, Venerabiles Fratres, benevolen„ tiſſime tribuimus, ſperantes utique fore, ut doctrina, „ & probitas veſtra, quæ nunc optime merita eſt de Ec„ cleſia univerſa cooperando huic debitæ ſubmiſſioni ab „ illis Vicario in terris Jeſu Chriſti, ac ejuſdem viſibili „ capiti redditæ cum plena & ſincera executione Conſti„ tutionum Apoſtolicarum, etiam impoſterum eumdem „ promti ſtudii zelum adhibitura uſque ſit in efficiendo „ quidquid quavis ratione conferat ad extirpandas ab a„ gro Dominico zizanias omnium novitatum, veritati „ Catholicæ, & perfectæ Fidelium unioni contrariarum. „ Tales enim animi vere pii ac religioſi in vobis laudes ut „ perpetue, ac in dies etiam clariores eniteant ex ani„ mo precamur, Fraternitatibus veſtris Apoſtolicam be„ nedictionem impertientes. Datum Romæ apud S. Ma„ riam Majorem ſub anulo Piſcatoris die 19. Januarii „ MDCLXIX. Pontificatus noſtri an. II.

Venerabilibus Fratribus Henrico Arnaldo Andegavenſi, Nicolao Chorart Bellovacenſi, Franciſco Stephano Apamienſi, & Nicolao Pavillon Alethenſi Epiſcopis

CLEMENS PAPA IX.

Venerabiles Fratres ſalutem &c.

„ Venerabilis frater Archiepiſcopus Thebarum Nuntius iſ„ hic noſter miſit ad nos elapſis diebus Fraternitatum „ veſtrarum epiſtolam, in qua ingenti obſequii Nobis, „ & huic S. Sedi per vos debiti teſtatione ſignificatis, „ vos juxta præſcriptam litterarum Apoſtolicarum a fe„ licis recordationis Prædeceſſoribus noſtris Innocentio „ X. & Alexandro VII. emanatarum, ſincere ſubſcripſiſ„ ſe, & ſubſcribi feciſſe Formulario in ejuſdem Ale„ xandri VII. litteris edito. Etſi autem quædam de hac „ re ſecus circumlata occaſionem Nobis præbuerant in „ tam gravi negotio ſerius procedendi: nam dictorum „ Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus firmiſſime „ inhærentes, nullam circa illud exceptionem, aut re„ ſtrictionem admiſſuri unquam fuiſſemus; in præſens „ tamen, cum nova & graviora iſthinc acceperimus do„ cumenta veræ & totalis obedientiæ veſtræ, qua & For„ mulario ſincere ſubſcripſiſtis, & damnatis abſque ulla „ exceptione aut reſtrictione quinque Propoſitionibus in „ omnibus ſenſibus, in quibus a Sede Apoſtolica damna„ tæ fuerunt, alieni prorſus eſtis a renovandis in hac „ re erroribus illis, qui ab eadem damnati ſunt, tribue„ re vobis voluimus hoc paternæ benevolentiæ noſtræ „ argumentum, fidentes plane divinæ gratiæ, ac virtuti „ & pietati veſtræ, quod omni conatu facturi ſitis in „ poſterum, ut ſinceræ obedientiæ ac ſubmiſſionis a vo„ bis in hoc actu Nobis præſtitæ plenitudo ſemper ma„ gis appareat, doctrinam ac probitatem veſtram in id „ potiſſimum adhibentes, ut una cum obſequio Nobis & „ huic S. Sedi per vos debito Catholicam veritatem fir„ miter tueamini, zelo curæque Pontificis ſedulo coo„ perantes in extirpando ab Eccleſia Dei novitates o„ mnes, ac perturbationes fidelium animarum, vobis, „ Venerabiles Fratres, Apoſtolicam benedictionem per„ amanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam „ Majorem ſub anulo Piſcatoris die 19. Januarii 1669. „ Pontificatus noſtri anno ſecundo".

(26) Principio deerat verbum *Gallicanæ*, quod additum poſtea fuit. Inciſum eſt etiam Ectypum numiſmatis, in quo hæc erant: *Ectypum numiſmatis quod Ludovicus XIV. Rex Franciæ & Navarræ anno 1669. reſtituta in concordiam Eccleſia, cudi voluit ad inſignis facti memoriam.*

haberet. Petierat Hiſpaniarum Regina a Batavis pecuniam ad conſcribendos milites, ſeque iis partem Geldriæ pignori daturam ſpoponderat. Id ut audivit Clemens, vehementer obſtitit, ne quid Orthodoxorum Reſpublica detrimenti caperet. Plura geſſit in Germania aut per Legatos ſuos, aut per Epiſcopos, maximeque per Guidobaldum Card. Tunium Archiepiſcopum Saliſburgenſem, ne longius ſerperet hæreſis, utque rei catholicæ, quæ quotidie magis ruere videbatur, conſuleretur. Tum precibus, tum minis obtinuit a Jacobo Majoris Armeniæ Patriarcha, ut quibuſdam Armenorum erroribus, quos Florentinum damnaverat Concilium, quorumque præcipuus erat in eo, quod vino minime miſcenda eſſet aqua in Sacro peragendo, publice renuntiaret. Inter moras & dubitationes Henrici Tureniæ Comitis hunc quoque hortatus eſt ad ſe dedendum veritati; nec ſatis dici poteſt, quam lætatus ſit, cum litteris acceptis audiit, homini ſummo atque omnino ſingulari tum conſtantia in rebus adverſis, tum modeſtia in proſperis, tum prudentia in difficillimis, tum virtute in periculoſis additam veræ Religionis laudem fuiſſe. Optaſſet hunc habere Romæ Chriſtianiſſimi Regis Legatum, idque petierat ab ipſo Rege, a quo omnia, quæ vellet, obtinere poſſe videbatur. Sed ille ne rogari quidem paſſus eſt, quod e re ſua eſſe putavit, cum perſequi Batavos bello deliberaſſet, uti viri experientiſſimi opera, cujus vita non offenſionibus belli, ſed victoriis atque triumphis erat traducta. Hac mente nihil non egit Ludovicus, ut ſibi Carolum II. Angliæ Regem conciliaret: quæ dum agerentur per fœminas, quarum illecebris facile Carolus deliniebatur, ſperavit fortaſſe Clemens ex hac conciliatione utilitatis aliquid rem catholicam percepturam. Erat enim Carolus ſua ſponte in hanc propenſus, ſed reminiſcens indigniſſimum Patris infortunium nil niſi caute pedetentimque agebat. Præterquam quod retardabant eum voluptates blandiſſimæ Dominæ, & quædam iners, & pene ſomniculoſa natura, quam tamen plura animi ingeniique bona comitabantur. Huic quidem ſtimulos admoviſſe ſuſpicor Clementem per occultos homines, maximamque gratulationem ipſe fecit illius fratri Duci Eboracenſi, quod nuntium hæreſi, in qua natus & altus fuerat, remiſerit. Cauſſam huic mutationi dedit *Hiſtoria Reformationis* per Heylenum ſcripta, quæ caſu in illius manus pervenerat. Nam quo ſtudioſius ab hoc Scriptore abſconditur, eo magis apparet totam illam converſionem rerum Anglicanarum attribuendam eſſe Henrici VIII. incontinentiæ, Somerſetiæ Ducis ambitioni, Eliſabethæ malis politicis artibus, & avaritiæ illorum, qui in bonorum Eccleſiæ poſſeſſionem venerant. Hæc ſedulo meditanti obtulit ſeſe veritas, ad quam inquirendam cum minime præjudicatam opinionem afferret, ſtatim libentiſſimeque illam amplexus eſt.

Ut erat Clemens diligentiſſimus & ſtudioſiſſimus ſalutis Chriſtianæ Reipublicæ, circumſpiciebat omnes procellas, omniaque periclitabatur, ut eos, qui erant in lubrico, cura ſua ac providentia juvaret: & mirum profecto omnibus videri debet, in tam brevi Pontificatus ſui curriculo adeo multa & glorioſa ipſum perficere potuiſſe. Sæpe eum occuparunt res Polonorum, qui regiones obtinentes fertiles, & æquiſſimas longe lateque porrectas, ſiti videntur eſſe prope divinitus in Chriſtiani imperii limitibus ad propulſandam barbariem. Irrepſerant hæretici in Ducatum Maxovienſem, quorum contagione ne regio illa contaminaretur, factum eſt maxime providentia ſanctiſſimi Pontificis. Cum vero litteras tum ad Reges, tum ad Epiſcopos mitteret, quam paterne, quam ſtudioſe eos adhortabatur, ut patriæ Religionis defenſores eſſent, ut non ſolum introitu, ſed omnino regni aditu errores prohiberent! Accidit iis temporibus, ut Rex ipſe Caſimirus, cui nulla requies erat ab externis, & civilibus periculis, & domeſticis doloribus (quidni Aloyſiæ Gonzagæ optimæ cariſſimæque feminæ mortem defleret!) de abdicando ſe regno deliberaverit. Non hortatione modo, ſed & precibus cum illo egit Clemens de hujuſmodi repudiando conſilio, quod regno, & religioni periculoſum arbitrabatur. Ubi vero hæc nihil proficere intellexit, per Galeatium Mareſcottum Legatum ſuum eidem ſignificavit, ne ſperaret aut redire ad Jeſuitas, aut Cardinalatus inſignia repetere, poſtquam illis renuntiaverat: omnino miſerandam illius ſortem fore & regia majeſtate indignam, cum extorris patria, & domo ſolus atque omnium honeſtarum rerum egens, non haberet quos accederet, aut quos appellaret. Sed hæc quoque fruſtra fuerunt. Nam Caſimirus in propoſito manſit, ceſſitque Regno XVI. Kal. Octob. An. MDCLXVIII. Non dubitavit hic, quin aliquid ſibi præſidii foret in amicitia Ludovici Galliarum Regis, cujus ambitioſus animus lætandum magis, quam dolendum caſum putavit Regis, qui defeſſus injuriis fortunæ otium & tranquillitatem in Pariſienſi S. Germani Monaſterio quærebat, & ſubſidium rei familiaris a ſe poſtulabat. Huic ſubvenit, ditiſſimorum ſacerdotiorum reditibus eidem attributis; quod ut ſibi facere liceret, a Clemente impetravit (27). Interim de eligendo ſucceſſore a Polonis agi cœptum. Beati illi ſe putant, quod facultatem omnibus populis initio a natura conceſſam Reges ſibi adſciſcendi, illoſque in accipiendo Regno obligandi quibuſdam pactionibus pro incolumitate felicitateque Reipublicæ retinuerint. Comitia Regi creando habentur in campo. Equites, qui Poloniæ quamplurimi, in armis & centuriatim ſuffragia ferunt; plebs nullo in numero habetur, utpote quæ univerſa mancipii eſt. Candidati regno petendo tota ex Europa concurrunt, qui ſtirpe, qui opibus, qui belli gloria maxime florent. Erant tum plurimi, & apud illos gratioſi nominis fama, liberalitate, imaginibus; ſed eminere videbantur Condæus Princeps, Dux Neoburgenſis, Carolus princeps Lotharingius, & Regis Moſchorum filius, qui multa magnaque Polonis pollicebatur. Ex conſilio Caſimiri (28) Regis Clemens ſollicitavit Coſmum Mediceum, qui tum per Europam peregrinabatur, ut in Poloniam protinus pergeret, ac properaret, & ſi quidquam ad ſpem ei oſtenderetur (magna enim erat hominum opinio de illo) non dubitaret ipſe quoque cum ceteris contendere. Sed plures cauſæ fuerunt, cur Coſmus, quamvis graviſſimi magnæ rei eſſent Authores, in competitoribus annumerari recuſaverit. In variis voluntatibus non deſtitit Clemens hortari Patres, ut conjunctis animis eum eligerent, cujus juſtitia religioque cognita eſſet. Ventum eſt ad comitia IV. Kal. Junias an. MDCLXIX. vocati Patres, lata ſuffragia, deſcripta, renuntiata: longe plurimum valuit Michael Viſniovicius. Aberat tum a comitiis Archiepiſcopus Gneſnenſis Regni, ut vocant, primas, qui non tam cito confici rem poſſe putaverat. Sed ubi rumor ad eum perfertur de electo Viſniovicio, advolat ad campum, ibique eum, in edito loco velut in ſolio ſedentem magna fautorum acclamatione offendit. Sed nil tum ritu geſtum, multique obſtrepentes averſum ab eo animum oſtendebant. At brevi illæ turbidæ comitiorum undæ, & procellæ conſedere, ipſoque Primate ter, ut moris eſt, proclamante, omnes ferme Viſniovicium Regem eſſe juſſerunt. Fortunatiſſimus is habebatur, quod privatus pauper & inops (omnia enim bona illius Tartari occupaverant) nec prudentia ingenioque clarus, ad regnum evectus eſſet. Dignus tamen hoc honore videri poterat & quadam vitæ modeſtia, & præſertim majorum gloria. Nam oriundus erat a Koributo Jagellonis fratre. Scriptis amantiſſimis litteris Clemens hunc adhortatus eſt ad defendendam Catholicam Religionem, propoſuitque illi tanquam clariſſima exempla ad imitandum tum Wladislaum Jagellonem, tum ejus filium, ceteroſque Jagellonæ familiæ heroas, quorum eminuit pietas, & ardor animi ſingularis in omni re, quæ ad Chriſtianam Rempublicam ſpectaret. Flens quoque ei expo-

(27) Pinzonius in Tract. de Regaliis tom. 2. pag. 748. refert Indultum Clementis IX. conceſſum VII. Id. Martias MDCLXIX. Regi Caſimiro, ut de quamplurimis ditiſſimis Monaſteriis, nominante Rege Chriſtianiſſimo, in commendam provideri poſſet. Rigantus in Commentariis ad Regul. Cancell. Reg. 43. n. 36. refert aliud Clementis Indultum Joanni Paulo de Lionne.

(28) Hujus rei fides eſt penes Fridericum Montautum magni Ducis apud Pontificem Legatum. His enim verbis ſcripſit ad eum, qui in negotiis magni Ducis tractandis principem locum auctoritatemque tenebat: „ Il Sig. „ Card. Roſpiglioſi mi ha detto, che nelle lettere rice„ vuteſi in queſta ſettimana ſcrive Monſignor Nunzio di „ aver parlato lungamente con il Re intorno all' ele„ zione del Succeſſore, e che S. M. le abbia fatto co„ noſcere, che in Condè, in Neoburgo, e negli altri „ nominati ſi conſiderino molte particolari difficoltà, e „ che nel fine del diſcorſo diceſſe queſte preciſe parole: „ *Il Signor Principe di Toſcana, che va vedendo il mon*„ *do, perchè non viene a veder queſto Regno, e a farſi* „ *vedere in eſſo?* Il Papa ne fu lietiſſimo, e proponeva „ per parte ſua ogni ajuto. D' ordine del Papa ſi è or„ dinato a Monſig. Nunzio Pignatelli d' avviſare, ſe „ ſente altro di più, e di cooperare in ogni congiuntu„ ra che ſe gli offeriſſe. Anche il Card. Roſpiglioſi „ ſcriſse di pugno al Nunzio promettendoli le maggiori „ ricompenſe, ſe foſſe riuſcito in queſto affare. Si ſol„ lecita l' andata di Monſig. Mareſcotti anche per que„ ſto ". Litteræ, in quibus hæc leguntur, ſunt VI. Id. Febr. an. MDCLXVIII.

expoſuit infelicem rerum Cretenſium ſtatum; fortunam in extremo ſitam, hoſtem infeſtum, novi auxilii ſpem nullam, penuria rerum neceſſariarum bellum trahi non poſſe, ſeque luctu confectum contabeſcere, cum videret mala, quæ ab hoſte potentiſſimo & immaniſſimo univerſa timere debet Europa. Sed is, quem inflammare ſtudebat Clemens in communem hoſtem, erat quietus, placido ingenio, imo imbellis, & metuens magis, quam metuendus.

Inter hæc Romam rediit Chriſtina Svecorum Regina. Nullum ſtudii genus, quod ad ejus adventum honeſtandum excogitari poterat, ipſa deſideravit. Lætatus vero vehementer eſt Clemens, quod haberet occaſionem declarandæ voluntatis ſuæ erga Reginam & fama illuſtrem, & malis afflictam ob exacerbatam ſuperbiam atque avaritiam ſuorum Svecorum. Mortuo Carolo Guſtavo, illa rediit in Sveciam ſperans fortaſſe regnum, cui renuntiaverat, ſe recuperaturam; tanta eſt humanæ voluntatis inconſtantia atque mobilitas. Præteritorum recordatio illi erat acerba, & extrema verba magni Cancellarii Oxanſterni viri prudentiſſimi, magnique conſilii, quaſi morſu quodam animum illius exedebant. Moriens enim non potuit, quin exclamaret: *Spectaculum genere & exemplo miſerum ſibi videri Reginam ſpoliatam regno, extorrem patria, & rebus omnibus egentem, cui ſæpe & non obſcure prædixerat fore, ut conſilii ſui ipſam pœniteret.* Ubi nullam ſpem eſſe vidit recuperandi regni, curavit, ut ſaltem ſibi debita ex pactione pecunia ſolveretur, quæ inſtrumentum eſſet non modo ad liberalitatem, ſed etiam ad profuſionem exercendam. Solutione impedita, ſubortiſque inter ſe & Alexandrum Pontificem querimoniis, iter ſecundo in Sveciam direxit. Non longius tamen Hamburgo proceſſit, quod a ſuis injurias timeret, ibique commorata eſt, dum a procuratoribus penſionem exigeret. Obdureſcebant quotidie magis vel ii ipſi, quos ſtudioſos ſui in Svecia reliquerat, hique haud dubie ejus adventum improbabant. Itaque, ſpe undique abſciſſa, unum eſſe conſilium putavit, Romam ut rediret, ibique in ſinu, & complexu philoſophiæ nobiliſſimarumque artium vitam traduceret. Nec dubito, quin ad hujuſmodi ſuſcipiendum conſilium maxime ſtimulaverit illam & mors Alexandri, & delata Clementi Pontificatus dignitas. Solita enim erat dicere neminem ſe noſſe, quem virtute Condæo, ingenii vi Cardinali Gondio, indulgentia in ſe Cardinali Azolinio, & bonitate naturæ Roſpilioſio anteponeret. Et ſane quæ ab hoc beneficia, voluntatiſque ſignificationes non habuit? Mirifice quoque ei blandita eſt tota Roſpilioſiorum Domus; & conſentiens omnium ordinum voluntas ad illam honorandam efficiebat, ut tolerabilius igniculum deſiderii res amiſſas recuperandi ferret. His adde, quod regnante Clemente, Populus Romanus omnibus lætitiis lætus eſſe videbatur, cumque convivia paſſim ſplendide ab Optimatibus ornarentur, nec deeſſet ludorum elegantia, & ſcenæ magnificentia, reddita Romæ aurea tempora Regina dicebat (29), nec uſquam fore lætiora, atque pacatiora. Horum dulcedinem augebant bonitas, & moderatio Pontificis, omniumque qui cum illo conjuncti propinquitatis vinculis erant, & obſequium populi in hos ipſos, & æmulandi amor, validior quam pœna ex legibus & metus. Sed ineſt rebus cunctis quidam velut orbis, & quemadmodum temporum, ita morum vices pro diverſo principum ingenio vertuntur. Et certe Roſpilioſius multa laudis & artium imitanda poſteris tulit, quæ dum palam prædicaret Chriſtina, id non ſine reprehenſione conſequentium temporum eſſe videbatur. Manſit Romæ ad vitæ uſque terminum, in quo & in abdicatione Regni femina ceteroquin inconſtans & levis, ſingularem animi magnitudinem, humanarumque rerum contemptum oſtendit. Collata Reginæ beneficia plurimum addiderunt gloriæ Pontificis, cui nihil tam curæ fuit, quam ne quis expers liberalitatis ſuæ fieret. Intercedere caſibus, occurrere fortunæ, egentes non modo excipere, atque amplecti, verum conquirere atque adſciſcere, vel disjunctiſſimas terras munificentiæ ingenio, ut ita dicam, admovere, hoc principe dignum, hoc proprium Clementis fuit, qui in omnium laude ſolus beneficiorum ſuorum parciſſimus æſtimator eſſe videbatur. Fuerat per illa tempora ingens terræ motus in Illyrico, ex quo Epidaurus præſertim (Raguſium nunc dicunt) urbs maritima, & libera, tectis ac templis frequens, exornata vario genere operum, momento ferme ſic corruit, ut quodcumque ſupereſſet illius incolarumque, velut ſævum ſpectaculum a fortuna relictum ad commovendam magis hominum miſerationem eſſe videretur. Paſſim quoque lateque, ut evenit in hujuſmodi caſibus, vagatus eſt ignis, & ex paucis, qui evaſere inter ſonitus flammæ, & fragorem ruentium tectorum, nonnulli Romam venerunt rogatum auxilium a Clemente, ut pene deletæ patriæ ſuccurreret. Impetratum eſt quod poſtulabatur, oblatum etiam quod non poſtulabatur: tamque prompta ac larga fuit bonitas, ac liberalitas Pontificis, ut ærumnas perpeſſis id unum ſufficere aut ad remedium, aut ad ſolamen videretur, ut illas noſceret Clemens. Intentus hic demerendis ſibi iis, qui opis ſuæ indiguiſſent, facile rogari paſſus eſt a Joanne Auſtrio, qui filius erat Philippi IV. Hiſpaniarum Regis, ſed non juſto matrimonio natus, ut defenſionem ſuſciperet dignitatis ſuæ contra iniquorum perfidiam. Præclarum illi natura dederat ingenium, nec animi modo, ſed & corporis bona, quæ educatio & diſciplina plurimum perfecerant. Recti tenax, fortis, & conſtans in periculis, prudens ac providus, unus fortaſſe potuiſſet temporibus, ſalutique Hiſpaniarum Regni conſulere, ſi ſemper illius conſilia valuiſſent, neque dolus aut fraus, & etiam calumnia adhibita ad eum a negotiis publicis removendum. Nam clavum imperii tenente infirmi animi Regina, omnia ad unius Jeſuitæ (huic nomen Joannes Everardus Nitardus) arbitrium collata erant, qui cum nihil tam vereretur, quam oculos & voces Joannis, hunc perdere, quam ipſe periclitari maluit. Igitur cuncta exploranti opportuniſſimum viſum illum in Belgium mittere cauſſa bellorum, quæ illam florentiſſimam Provinciam afflictabant. Id ſpeciem habebat honeſti, neque recuſaturus putabatur Joannes, qui plus æquo appetens famæ eſſe videbatur; mediocre quidem vitium, quando etiam ſapientibus cupido gloriæ noviſſima exuitur. Sed cum ille noviſſet mentem Nitardi, excuſans morbum, ire recuſavit. Doluit vero eo perveniſſe improbitatem hominis, non ſolum ut ipſe ſuſpectus & infenſus Reginæ eſſet, ſed etiam ut vita injuſte privaretur Joſephus Maladas, quem conſiliorum ſuorum participem faciebat. Motus itaque atrocitate rei optavit, ut omnes æqui & iniqui intelligerent inimicisſimum ſe eſſe homini, apud quem ſui ſuorumque utilitas vim æqui habebat, & in quo neſcires, utrum inhumanitas ac ſuperbia, an Reipublicæ tractandæ imperitia major eſſet. De illo etiam extra Regni fines (ſæviora enim conſilia animus humanus horrebat) furtim deportando cogitavit; quod cum minime ſucceſſiſſet, ipſe coactus eſt vim inimici ſubterfugere, & procellam temporum, Aulam relinquens, devitare. Subſedit in Aragonia, maximis plauſibus, magnaque approbatione populorum; ex quo cauſam cepit Nitardus eumdem criminandi rebelli animo affectare viam ad imperium. Contra hæc Joannes non modo obviam ire injuriæ, & dicta dictis ulciſci, ſed propalam præferocis animi licentiam inſectari, omnibuſque oſtendere quot detrimenta ab uno homine publicis rebus importarentur. Alienato populo, nobilitate inimica, magiſtratibus fere omnibus averſantibus nimiam Jeſuitæ potentiam, & æquo libentique animo horum cauſam agente Borromæo Legato Pontificio, eo tandem perventum eſt, ut Regina Nitardum regno abire jufſerit. Diſcedentem non ſine magno dolore dimiſit, declaravitque illi, ut omnia a ſe & poſtularet, & expectaret. Ipſe Romam venit, ſperans, ſedatis adverſariorum animis, ſe brevi rediturum ad Hiſpanos, & ad ſua munia (erat enim Reginæ a confeſſionibus, & in toto Regno fidei Quæſitor) & novis etiam auctum honoribus. Summis enim precibus contendebat Regina a Pontifice, ut is Cardinalis crearetur. Offenſa contumeliis dignitas, ea ætate iiſque honoribus actis, ſtimulabat animum ſuperbia elatum. Neſcires, utrum ipſum inter Patres, an inter candidatos numerares; multa ac magnifica polliceri, ſe ipſum extollere, magno comitatu in publicum prodire, donec collegæ quoque conjecere in eum oculos, mirantes quid ſibi vellet. Graviſſimis verbis reprehendit Clemens intolerandam hominis arrogantiam; quamquam nonnulli, ut molliret ferocem animum manſuetudine & obſecundando, ſuaderent. Irritari enim Reginam non oportere dicebant iis temporibus, quibus omnia metuenda erant.

At

(29) Vide *Memoires de Chriſtine*. Alambertius, qui breviter ſummatimque deſcripſit Vitam Reginæ, ita de Clemente loquitur: „ Alex. VII. eut pour ſucceſſeur Clem. IX. „ dont le Pontificat trop court fut appellé l' âge d' or „ de Rome; Pontife liberal, magnifique, ami des let„ tres & des hommes aſſez eclairé pour vouloir rendre „ la Religion reſpectable en terminant toutes les diſpu„ tes, & dont l' eſprit pacifique auroit du avoir plus d' „ imitateurs “.

At Clemens, qui in omni actione nil nisi rectum & honestum spectabat, non solum dibaphum Nitardo negavit, sed & ipsum muneri Quæsitoris fidei renuntiare coegit. Quæ ut læta acciderunt Joanni Austrio, qui de his rebus plures ad Pontificem litteras miserat, ita dolenter accepta sunt a Regina, ut mœrore in febrim inciderit. Huic tamen non licuit queri de neglecto Nitardo, cum Clemens in Cardinalium Collegium cooptasset Ludovicum Emanuelem Portocarrerium, quem cum Antonio Benavidesio de Consilii sententia ipsa nominaverat Regina. Sed hæc palam & ficte. Secreto vero egerat cum Pontifice, ut Nitardus omnibus præferretur. Lata ab hoc repulsa reddidisset hominem ferociorem impotentioremque, ni Pontificis imperium jactatæque minæ coercuissent. Satisfactum postea hujus ambitioni, regnante Clemente X. cujus rei culpa danda in primis est illi, quem Pontifex socium & administrum omnium consiliorum assumsisse videbatur, qui tametsi a principio minime faverat Nitardo, animus tamen æger avaritia facile conversus est. Ceterum Clemens nihil earum rerum omisit, quibus probaret Hispaniarum Reginæ se ei & fuisse semper, & futurum esse benevolentissimum atque amicissimum; nihil magis cupere quam secum habere conjunctos Catholicos principes mente, consilio, ac studio in tuenda Christiana Republica, nullamque tam detestabilem pestem esse, quam homines, qui fictis sermonibus, & iniquis delationibus hanc consensionem & benevolentiam mutuam labefactare, ac convellere conarentur.

Eodem tempore, quo hæc acciderunt, instabat atque urgebat summo cum studio Galliarum Rex, ut Dux Bullionensis, de quo supra mentionem fecimus, Cardinalis crearetur. Sed justiores erant causæ postulationum, quam quas attulerat Hispaniarum Regina Nitardum commendans. His enim verbis ad Pontificem Ludovicus scripsit: *Si compertum haberem reperiri posse aliquem in regni mei finibus inter eos, qui se Ecclesiasticæ vitæ devoverunt, qui cum pari natalium splendore majus præsetulisset religionis studium, quique Ecclesiæ rationibus magis esset idoneus, quam consanguineus meus Alibretanus Dux, illum ego potius quam hunc nominarem, qui in Purpuratorum Patrum Collegium cooptaretur.* Tanti Regis desiderio libenter satisfecit Clemens, reportavitque beneficii præmium. Nam cum in Conventu, qui Pisis habitus est ad reconciliandum Alexandrum Pontificem ipsi Ludovico, inter cætera pactum fuisset (30), ut Duci Parmensi redderetur Castri Ducatus, cumque semel iterumque postulatum esset a Clemente ut maneret in conditione, de non renovanda hujusmodi postulatione Rex Pontifici promisit, atque recepit. Obtinuit etiam Clemens, ut abrogaretur lex, qua cautum fuerat ne quis ante XXV. ætatis annum religionis Sacramento se obligaret. Nec minus feliciter Clementi evenit ob delatum Portocarrerio Cardinalatus honorem, ut tollerentur Decreta quædam Ecclesiæ libertati omnino contraria, quæ fecerant ii, qui Hispaniarum Regis nomine Neapolitanum Regnum, & Mediolanensem Ducatum procurabant. Quibus rebus fiebat, ut vere gloriari potuerit Clemens in dandis honoribus & beneficiis se non solum utilitatem eorum, qui merebantur, sed & publicum bonum spectasse semper. Id præsertim se obtinuisse dicebat, cum in Cardinalium Collegium cooptasset Leopoldum Mediceum, de quo nobis hic repetere licebit, quod alibi de ipso prædicavimus. Id enim verum sincerumque est, & ingenio hominis declarando aptissimum. Facile fatentur omnes, Mediceorum genus ex ipsius Sapientiæ stirpe generatum esse videri; adeo multi eorum doctrinas nobilissimasque artes singulari studio ac liberalitate foverunt. Sed inter eos meo judicio veluti majora lumina elucent Laurentius, cui Magnifici cognomen factum, hujus filius Leo X., & qui hos longo post intervallo secutus est Leopoldus. Hic ab adolescentia mathematicas disciplinas plurimum excoluit, sed præsertim animum applicuit ad cognoscendam naturam, qua in contemplatione, confectis rebus necessariis, vacuus negotiis honeste ac liberaliter vivebat, efficiebatque industria, exemplo, institutisque suis, ut multa obscura prorsusque ignota illustrarentur atque patefierent. Quam singularia vero ac prorsus mirabilia sunt ea, quæ gessit ad illarum artium incrementum, quæ naturam adjuvant, ornant, atque ad vivum exprimunt? Ex insito menti cognitionis amore explicandi differendique cupiditas consequebatur, easque facultates, quæ ad id pertinerent, in se studiose coluit, & in aliis mirifice fovit. Mens, quam a natura habuit, acris, vigens, celerrimeque multa simul agitans, & ut ita dicam sagax efficiebat, ut non solum in excolendis disciplinis, sed etiam in omni vitæ actione gubernanda, in consiliis dandis, rebusque publicis administrandis (a fratre enim magno Etruriæ Duce plurimum adhibebatur) causas, & consecutiones rerum videret, similitudines transferret, disjuncta conjungeret, & cum præsentibus futura copularet sic, ut divinum virum, nedum prudentem, non immerito dixisses. Isthæc ingenita veri inveniendi cupiditas maxime in animi dotibus apparebat. Diligebat enim justa, fidelia, simplicia, constantia, gravia, id est vera omnia, habebatque in se expletam & perfectam honestatis, decoris, humanitatisque formam. Quamquam omnia quæ ageret ad societatem communitatemque generis humani referret, non tamen hominum testimonia quærebat, & esse magis quam dici bonus sapiensque vir optabat. Nihilo tamen minus omnes in illo consenserunt elogio, hunc ætatis suæ primarium fuisse vivum. Sed ad Clementem revertor, cui quidem nihil tam cordi erat, quam ut singularis amoris declarationibus sibi suisque Mediceos Principes obstringeret; idque eo vehementius optabat, quod decessor illius neglexisse eos videbatur. Itaque vix Pontificatum maximum consecutus est, cum significavit (31) Magno Duci Ferdinando se illius fratrum uni Cardinalatus insignia destinasse. Hæc concupiscere tum Mathias, tum Leopoldus visi sunt, quod ut audivit Clemens, *Cur mihi* (ait) *in optatis non sit complecti Principes florentes ætate, ingenio, virtutibus, & Romanæ Ecclesiæ*

---

(30) En conditionis verba: „ Ut Pontifex post conditiones „ peractas, Cardinalibus assentientibus, rescinderet Decretum, quo Ecclesiæ Romanæ Castrum in perpetuum „ addixerat; ut Duci Parmensi spatium præstitueretur „ octo annorum, quo sexdecies ferme centena millia „ argenteorum nummum persolveret, duabus pensionibus „ æquis; utque statim post primam pensionem reciperet „ dimidium Castrensium terrarum, reliquum post pensionem alteram “.

(31) „ Lettera del Conte Montauti Ministro del G. Duca „ Ferdinando II. in Roma.

SERENISSIMO PRINCIPE

„ L' ardire che io piglio di far pervenire mie proprie lettere a V. A. Serenissima, spero non le sarà discaro come atto di obbedienza dovuta ai cenni di N. S., quale dopo avermi benignamente ascoltato mi domandò se dovevo esporgli altro per ordine di V. A., ed avendoli detto che forse troppo avevo molestato S. S., mi soggiunse che doveva trattar lui meco di negozio importante, che richiedeva segretezza, e doveva perciò passare tra S. B. e V. A. con il mio mezzo; che con tal condizione me ne faceva partecipe, ordinandomi di scrivere a V. A., e di portargliene la risposta.

„ Dissemi che alla convenienza di dare un Cappello alla Casa Serenissima di Toscana tanto benemerita, si aggiugneva il desiderio che ha la S. S. di mostrar la memoria obbligata che conserva a V. A. per i continui favori compartiti da Lei alla Persona, e Casa sua; e che però senza aspettarne altri impulsi si dichiarava di voler ben presto soddisfarsi in uno dei Serenissimi fratelli di V. A., giacchè di presente non poteva allargarsi più, come forse potrebbe una volta portar la congiuntura; ma per l' esecuzione di questa sua intenzione, incontrando una difficoltà considerabile, che era il desiderio che hanno tutti e due questi Serenissimi Principi di Cardinalato, pregava V. A. di superargliela coll' autorità, e prudenza sua. Presuppone che il Papa Alessandro abbia fatta gran riflessione a questa circostanza. Ma disse che a lui dà assai più da pensare, perchè stima ugualmente l' uno e l' altro di questi Serenissimi; e sa che la sua l' è tenuta d' uguali obbligazioni, onde il gratificare uno con disgusto dell' altro sarebbe alla S. S. d' imperfetta soddisfazione; nè vorrebbe perciò, ch' ella li rispondesse che i suoi Serenissimi fratelli, e V. A. con essi son raffegnati nei voleri di S. S., ma che seriamente li dichiarasse, qual sarebbe di maggior gusto suo, e di più servizio della Serenissima Casa; e che anco l' assicurasse che l' altro s' acquieterebbe. In questa forma disse che stimerà per sua fortuna grande, che il suo Antecessore l' abbia lasciata questa opportunità di mostrar il suo affetto alla Casa Serenissima con un atto di convenienza e di giustizia. Parmi d' avere a sufficienza espressi i sensi di S. B., e dopo questo mi fo lecito d' accennare a V. A., che non mi pare ci sia tempo da perdere, perchè il Papa ha bisogno d' aiuto; onde si deve presupporre, che ben presto voglia far Cardinale il Nipote, con il quale si può credere, e par quasi che lo dica, che promoverà anche il Sig. Principe. Nè lascio di suggerirle ossequiosamente, che tutti i servidori e amici della Casa Serenissima stanno impazienti di vedere con mortificazione quelli che han trascurato questo debito, e di vederla anche ri-

„ far-

ſiæ addicere ! Utinam ſæculo virtutum ſterili plures ſimiles eſſent, quibus non donantur, ſed debentur præmia meritorum, & qui vel ſolo nomine ampliſſimas decorant Civitates. Sed valetudinis incommoda, quibus affici cœpit Mathias, effecerunt ut ipſe omnem de Cardinalatu cogitationem abjecerit; qua dignitate auctus Leopoldus id unum ſtuduit, ut omnia officia Pontifici & Eccleſiæ diligenter ſanctèque præſtaret. Sunt nonnulli, a quibus & nos quoque aliquando in errorem rapti fuimus, qui (impudenter ſane) affirmant Clementem ea conditione purpuram conceſſiſſe Leopoldo, ut phyſicis ſtudiis, & Florentinæ Academiæ, quæ illa unice excolebat (dixerunt eam *del Cimento*) nuntium remitteret. Quod quidem a veritate longe abeſt, ut ex certiſſimis conſtat monumentis, nec probabili aliqua conjectura ac ratione dici de eo poteſt, qui a Benedicto Caſtellio philoſophia eruditus fuit; qui Galilæo in iis ſuis urbanis calamitatibus, quantum potuit, favit; qui Pontifex dictus Joannem Dominicum Caſſinium ad præclara ſuſcipienda excitavit; & qui eo caruit ægre, cum ipſum concedere Ludovico Galliarum Regi coactus fuit. Adde, quod & ſua ſponte, & conſiliis Michaelis Angeli Riccii multa gerere meditabatur, quæ ad provehendas magnarum artium, ac præſertim philoſophiæ diſciplinas, plurimum, niſi mors obſtitiſſet, conducere potuiſſent. Omnino amabat Clemens præclara ſtudia, nec, ut alii, eximia ac vivida ingenia deprimebat, ſed fovebat attollebatque: his honores, his ſacerdotia offerebat: hæc gratia, amicitia, & judicio alliciebat; propoſitiſque præmiis integritatis & induſtriæ, dulcedine ſua carebat ignavia, & præſtans quiſque ingenio ad relinquenda poſteris illuſtria virtutum exempla ducebatur. Eminuit etiam inter eos, quos Purpuratis adlegit, Joannes Bona vir ſumma integritate & innocentia, in quo veteris ſanctitatis illuſtre habemus exemplum. Accedebat eo rerum ſacrarum doctrina, quam editis duobus Rerum Liturgicarum libris plurimum illuſtravit. Nam qui antea hanc rem tractaverant, ut Jacobus Pamelius, quamvis multa utilia collegerint, non ſatis tamen perſpexiſſe videntur quid in quaque re verum ſincerumque ſit; quapropter plura quæ erant incognita, ad Græcos, Syros, Ægyptios, alioſque Orientales populos pertinentia pro cognitis habuerunt. Primus omnium Bona rebus obſcuris lucem attulit, ediditque opus omnibus fere numeris abſolutum. Tanti viri opera & conſilio Clemens multis magniſque in rebus uſus eſt, atque in eo præſertim judicio, quod de Montenſi, ut vocant, novi (32) Teſtamenti interpretatione tulit, itemque de Ri-

„ ſarcita di quello ſplendore, che quanto ſe gli riconoſce dovuto, altrettanto li è deſiderato dai veri ſervidori. Qui umiliſſimamente m' inchino a V. A. S. "

Roma 11. Luglio 1667.

„ Di V. A. Sereniſſima, da cui attenderò gli ordini di come contenermi da qui avanti con lo ſcrivere del negozio medeſimo.

Umiliſſimo ſervo e Vaſſallo
Torquato Montauti.

Al Sig. Conte Montauto 15. Luglio 1667.

„ Le benigniſſime eſpreſſioni, colle quali la S. di N. S. ſi è compiacciuta di dichiararci i ſuoi generoſi e cordiali ſentimenti verſo di noi, e della noſtra Caſa, ficcome hanno ecceduto la noſtra aſpettazione, ancorchè grande; così hanno ripieno l' animo noſtro di ſanta conſolazione, ed accreſciuto a tal ſegno le noſtre obbligazioni, che noi non ſappiamo trovare parole proporzionate a confermare il debito che ne profeſſiamo a S. S. E veramente nel trovarci prevenuti in quello che andavamo meditando di ſupplicare la S. S., quando il tempo ne aveſſe maturata l' opportunità, ed invitati con viſcere di paterna benevolenza a non perdere la preſente congiuntura di far promuovere al Cardinalato uno dei Principi noſtri fratelli, è un tratto che reſterà ſempre impreſſo nella noſtra memoria, e del quale attenderemo con impazienza di moſtrarci grati verſo il ſangue di S. S., giacchè il poſto ſublime, in cui la Providenza l' ha collocata, non ci laſcia molta ſperanza di ſervire a lei medeſima con altro, che con un reverentiſſimo oſſequio, e con una totale raſſegnazione della noſtra volontà. Intanto accettando, e venerando le grazie, che la S. S. ſpontaneamente ci eſibiſce, ci faremo lecito di paleſare con interna ſincerità, e confidenza quanto fin' ora è ſucceduto in queſto propoſito, e ciò che ha ritardato per l' addietro, e ritardava ancora le noſtre riſoluzioni. Dovete dunque ſapere, che dopo ſeguita la morte del Sig. Cardinale Decano noſtro Zio, applicammo il penſiero a procurare il Cappello per uno dei Principi noſtri Fratelli; ma mentre ſtavàmo con qualche ſoſpenſione, giacchè l' uno per l' età, e l' altro per l' abito e per la ſua profeſſione parea da preferirſi, ed ambidue lo deſideravano, portò poi il caſo che il Sig. Principe Mattias dette in indiſpoſizioni aſſai faſtidioſe, e che lo rendevano più biſognoſo di quiete, che atto ad imbrogliarſi in nuove occupazioni. Non ſi è però tralaſciato con diverſi rimedj, e preſentemente con la doccia del bagno di S. Filippo, di tentare ſe il male ſia per riuſcire curabile; di che ancora non ſi vorrebbero perdere le ſperanze. Standoſi per tanto in una ambiguità di queſta ſorte, ſi protraevano da noi le deliberazioni per non rompere la concordia piucchè ordinaria, che è paſſata ſempre fra i noſtri fratelli, con dar preteſto al maggiore di dolerſi, che ſenza cauſa l' ultimo gli foſſe ſtato antepoſto. Ma poichè adeſſo ſiamo in procinto di vedere gli effetti del Bagno, non intendiamo di differir più a fermare le noſtre maſſime, e a ricevere le grazie di S. S., ſupplicandola ſolo a contentarſi di concederci pochi giorni di tempo a dichiarare, quale dei due Principi ſarà preferito, deſiderando queſto breve ſpazio per il diſinganno di chi dovrà reſtare indietro; con che ſi conſeguirà parimente l' intento che moſtra avere N. S. circa il non diſguſtare ragionevolmente l' uno per la promozione dell' altro. Ma quando il tempo ſtringeſſe, e non ci deſſe luogo di appianare maggiormente il negozio, volendo noi godere onninamente delle grazie di S. S. ci ſpedirete corriere eſpreſſo, ed in tutta diligenza per avvertirci dell' urgenza, perchè nell' iſteſſo modo vi manderemo ſubito la riſpoſta, e gli ordini del modo come dovrete contenervi; confidando che S. S. nel favorirci avrà il principal riguardo a quello, che noi giudicheremo eſſere di maggiore ſervizio della noſtra Caſa, e per conſeguenza anco della ſua propria, mentre ne dovranno eſſere così comuni gli intereſſi. Trattandoſi d' un negozio così grave, procurerete di eſſere quanto prima ai piedi di S. Santità; e mentre crediate di non importunarla, potrete leggerle la preſente per eſſere più certo di riferire puntualmente i noſtri concetti; e Dio noſtro Signore vi conſervi, e proſperi ".

Ex litteris ejuſdem Montauti datis XIV. Kal. Sext. ejuſdem anni MDCLXVII. hæc ſcimus:

„ Aggiunſe che avrebbe anche dilatato le ſue diſpoſizioni, ſe così foſſe occorſo a V. A., avendo particolar premura delle di lei ſoddisfazioni: ed in queſto particolare mi fece una lunga repetizione dei favori ricevuti dall' A. V. in perſona ſua e de' ſuoi, confermandomi che li voleva intieramente dipendenti dalla Caſa Sereniſſima; e che il loro maggior pregio dovea eſſere il mantenerſi ſudditi di V. A., penſando per queſto di provvederli qui ſolamente d' una coſa convenevole, e d' una vigna un poco più che ordinaria, acciò in ogni tempo chi vorrà applicare alla *Corte di Roma*, trovi queſte comodità; ma non *voleva* grandezze maggiori. Queſto penſiero *di S. S.* può variare ſecondo gli accidenti; ma par ben durabile la diſpoſizione che dimoſtra di voler eſſere molto favorevole agli intereſſi di V. A., e di mantener ſeco una vera corriſpondenza ".

Aſſervantur hæ litteræ in Tabulario Mediceo. Quoniam vero deſperare videbantur Medici de incolumitate Principis Matthias, captum conſilium a magno Duce, ut Leopoldus Princeps Cardinalis fieret. Inſignia Cardinalatus a Vaino Pontificis cubiculario ille accepit.

(32) Vulgo Montenſis dicitur hæc interpretatio; quia Montium Hannoniæ nomen pleræque Editiones præferunt, quamvis non ibi typis commiſſum fuerit opus. Hujus eſt inſcriptio: „ Le Nouveau Teſtament de notre Seigneur Jeſus Chriſt traduit in François ſelon l' Edition Vulgate avec les differences du Grec à Mons 1667. vol. 2. in 12. ". His autem litteris Clemens illam Interpretationem damnavit:

CLEMENS PAPA IX.

„ Debitum Paſtoralis officii, quo Eccleſiæ Catholicæ per univerſum Orbem diffuſæ regimini divina diſpoſitione præſidemus, exigit ut Sacras Scripturas in ea puritate, in qua per tot ſæcula ingenti divinæ bonitatis beneficio conſervatæ fuerunt, illibatas cuſtodire omni ſtudio, & vigilantia ſatagamus. Cum itaque, ſicut ad aures noſtras pervenit, liber quidam verſionis Gallicæ N. T., cui titulus eſt: *Le Nouveau Teſtament de N. S. Jeſus Chriſt traduit in François ſelon l' Edition Vulgate avec les differences du Grec*, Montibus Hannoniæ & Lugduni (ut inſcribitur) typis impreſſus, ac editus in lucem fuerit; Nos librum hujuſmodi nonnullis Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, aliiſque viris pietate, doctrina, atque ſapientia præſtantibus mature, quantum rei gravitas poſtulat, diſcutiendum atque examinandum commiſimus; quorum ſententiis auditis, atque conſideratis, eumdem Librum verſionis Gallicæ N. T. ut ſupra, & ubicumque impreſſum, ſive impoſterum imprimendum, tanquam temerarium, damnoſum, a Vulgata Editione prædicta diſformem, & offendicula ſimplicium continentem, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium damnamus, & prohibemus; ita ut nemo deinceps, cujuſcumque gradus & conditionis exiſtat, etiam ſpeciali,

tuali, quod in uſum ſuæ Diœceſis vulgaverat Pavillonius Alectæ Epiſcopus. Plures adlaboraverant in illa conficienda interpretatione, ſed præſertim Antonius Magiſter Arnaldus, Sacyus, atque Nicolius. Et illi quidem in prima Operis fronte pollicentur ſe a Vulgata, ut vocant, editione non diſceſſuros, ſed cum interdum ad Græca exemplaria lectores revocent, & multa convertant non ut interpretes, ſed ut παραφράσαι, non mediocrem inferunt varietatem, & quod gravius eſt, dextere adeo quaſdam ſententias ad eorum cauſſam accommodant, ut hæc ſine chriſtianæ Reipublicæ perturbatione eſſe non poſſint. Norunt porro omnes id potiſſimum intereſſe Romanæ Eccleſiæ, unum omnium eſſe de ſacris libris conſenſum, manereque auctoritatem illius interpretationis quam ipſa recepit. Hanc regulam, hanc normam in judicando de vero ac falſo, hanc præſcriptionem divinæ voluntatis; nec cuiquam ab illa diſcedere fas eſſe debere. Proferre equidem poſſem multa loca ab interpretibus Gallis minus fideliter, vel ſaltem nimio arbitrio libertateque converſa, niſi ad alia properaret oratio, & actum agere viderer (33). Quæ cum ita ſint, nonne id curandum Clementi fuit, ut materies ſubtraheretur novis diſputationibus, & damnaretur liber, qui minus congruere videbatur principiis, quæ ſemper ſecuta eſt Romana Eccleſia? Ac ſibi perſuaſerat fore, ut ſe dociles præberent Galli ad ſuam ſententiam; ſed ipſi, deprecandæ invidiæ cauſſa, plura ſcriptis mandarunt, quibus probare ſe poſſe putarunt, nil niſi fide optima ſingularique prudentia ac judicio actum in ea re fuiſſe.

Majorem etiam ſeveritatem adhibuit Clemens in damnando Rituali Epiſcopi Alectæ (34); in quo quidem humanitatem ac prudentiam ſapientiſſimi Pontificis licet requirere. Ea interdum eſt in judiciis noſtris infirmitas, ut non ſine cauſſa Clemens utpote modeſtiſſimus ſibi diffideret in præſentibus malis depellendis. Itaque prudentiorum judicium exquirebat, multiſque in conſilium adhibitis, facile erat Jeſuitis commoliri dolos & machinas ad contorquendos Judices in ſuorum ſententias. Quod fuerit in hac re Bonæ judicium me latet. Conjici quidem poteſt ex ipſa hominis doctrina, ac natura fuiſſe prudentiſſimum, & moderationis plenum. Nihilo tamen minus perſuaſum Pontifici plena errorum eſſe omnia, & ex ſumma indignitate libri labem aſperſam Epiſcopi dignitati. Itaque non ſolum damnatus eſt liber, ſed & ignominioſe combuſtus, malum iis minitatum, qui eumdem apud ſe retinuiſſent, nihilque omiſſum, quod ad illum omni dedecore infamandum valeret. Hæc perculerunt Epiſcopum non tam ſua, quam Pontificis quem venerabatur cauſſa. Et ignominiam fortaſſe ſine querela vir, qui magnam apud ſuos præſertim ſanctitatis opinionem habebat, tuliſſet, niſi dignitati debere defenſionem ſuam exiſtimaſſet; in qua conſcribenda ſi quid perſecutus eſt acrius contra Jeſuitarum machinas, id invitum & coactum ſe feciſſe dixit. Non bene quidem noviſſe videntur, qui Janſeniſtarum partium erant, libertatem non in pertinacia, ſed in quadam moderatione poſitam eſſe; & quidem Sapientum judicio quædam ſunt in illo Rituali cenſoria animadverſione digna, in quibus corrigendis, ſi Auctor ceſſiſſet Pontificis auctoritati, immortalem gloriam conſecutus eſſet. Fama tamen eſt ipſum, priuſquam moreretur, illa pœnitendo retractaſſe; quæ res delata ad Innocentium XI. Pontificem, itemque conſilia Michaelis Angeli Riccii, (35) aliæque cauſſæ ab eodem facile obtinuerunt, ut ſeveritatem acerbam Decreti, quod Clemens fecerat, multis condimentis mitigaverit. Ceterum ſeveritas Clementis habere poteſt aliquid excuſationis a ſummo ſtudio, quo ipſe tenebatur, ut in iis rebus, quæ ad religionem pertinent, omnia fierent rite, more, inſtitutoque majorum. A quo ſtudio ſane multa dimanarunt tum Eccleſiaſticæ diſciplinæ tuendæ utilia, tum ipſi Pontifici glorioſa. Circumſpiciebat omnia membra Chriſtianæ Reipublicæ, & ubi malum eſſe arbitrabatur, accedebat ad medicinam, non minus illam probans quæ ſanaret vitioſas partes, quam quæ exſecaret. Hinc, ut ſupra commemoravimus, de medio ſublatas tres religioſorum hominum Sodalitates, reductæ aliæ ad officium ſanitatemque, & quæ vigebant, ſaluberrimis confirmatæ inſtitutionibus. Eapropter prudentiſſimis tum Præſulum, tum Cardinalium Clemens curam commiſit, ut de omnibus rebus, quæ ad religioſos homines ſpectarent, cognoſcerent, judiciumque ferrent. Huic Cœtui (Congregationem dicunt) Secretarium dedit Proſperum Fagnanum, cujus pervulgatum erat nomen non tam doctrina, quam poteſtate, cum omnia Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. in hujuſmodi negotiis tractandis collata fuiſſent ad arbitrium illius. Sed Clemente Pontifice nihil erat in poteſtate ejuſdem; nihil niſi pro æquo & bono factum; & facile erat Principi continere eos, quibus imperabat, cum ſe ipſe ſuoſque contineret ordine, conſtantia, & moderatione dicto-

rum

„ ciali, & ſpecialiſſima nota dignus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ illum legere, retinere, vendere, aut imprimere, vel imprimi facere audeat, vel præſumat; ſed ſub eadem pœna quicumque illum habent, locorum Ordinariis, ſeu Inquiſitoribus, ſtatim atque præſentis prohibitionis notitiam habuerint, exhibere teneantur &c. Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die 20. Aprilis MDCLXVIII. Pontificatus noſtri anno I. “.

(33) Vid. *Hiſtoire Critique des Verſions du N. T. par Richard Simon* cap. 35. & ſeq. Monendi tamen ſunt Lectores, nimis infenſum videri Simonem iis, qui Janſeniſtarum partium erant.

(34) His verbis ſententiam pronuntiavit Clemens:

CLEMENS PAPA IX.

„ Creditæ nobis divinitus omnium Eccleſiarum ſollicitudinis ratio exigit, ut Eccleſiaſticæ diſciplinæ, cujus cuſtodes a Domino conſtituti ſumus, ubique conſervandæ jugiter incumbentes, omni cura atque vigilantia præcavere ſtudeamus, ne quid in eam irrepat quomodolibet turbari, aut a præſcriptis ritibus aberrare, & via erroribus aperiri poſſit. Cum itaque (ſicut nobis innotuit) anno proxime elapſo typis impreſſus, ac in lucem Pariſiis editus fuerit Gallico idiomate liber, cui titulus: *Rituel Romain du Pape Paul V. à l'uſage du Dioceſe d' Aleth avec les inſtructions & les Rubriques en François*: in quo non ſolum continentur nonnulla ab ipſo Rituali Romano juſſu felic. recordat. Pauli Papæ V. Prædeceſſoris noſtri edito aliena, ſed etiam doctrinæ quædam, & propoſitiones falſæ, ſingulares, in praxi periculoſæ, erroneæ, & conſuetudini in Eccleſia receptæ communiter, atque eccleſiaſticis Conſtitutionibus oppoſitæ & repugnantes, quarum uſu & lectione Chriſti fideles in jam damnatos errores ſenſim induci, ac pravis opinionibus infici poſſunt: Nos opportunum huic malo remedium adhibere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris librum ſub titulo Ritualis Gallico idiomate editum præfatum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium omnino damnamus, reprobamus, & interdicimus, ac pro damnato, reprobato, & interdicto haberi volumus, ejuſque impreſſionem, lectionem, retentionem, & uſum univerſis & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, præſertim Civitatis & Diœceſis Alethenſis, cujuſcumque gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ exiſtant, licet de illis ſpecialis & individua mentio habenda foret, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ perpetuo prohibemus: Mandantes, ut ſtatim quicumque illum habuerint, vel in futurum quomodocumque habebunt, locorum Ordinariis, vel Inquiſitoribus; qui vero venerabili fratri Epiſcopo Alethenſi ſubſunt, Metropolitano, aut uni ex vicinioribus Epiſcopis realiter & cum effectu exhibeant, tradant, & conſignent; qui nulla interpoſita mora, exemplaria ſibi tradita, & alia quæcumque habuerint, igne comburant, & comburi faciant, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Ut autem præſentes litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, & auctoritate prædicta decernimus, illas ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex curſoribus noſtris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, illaſque ſic publicatas omnes & ſingulos, quos concernunt, proinde afficere & arctare, ac ſi illorum unicuique perſonaliter notificatæ & intimatæ fuiſſent. Ipſarum vero præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eamdem fidem in judicio & extra illud haberi, quæ eiſdem præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die 9. Aprilis MDCLXVIII. Pontificatus noſtri anno primo “.

Edito hoc decreto defenſionem non tam Epiſcopi, quam ſui ſuſcepit Arnaldus, qui in illo opere conficiendo plurimum adlaboraverat; poſteaque opus ipſum Lovanii iterum impreſſum eſt, XXVII. Epiſcopis approbantibus.

(35) Libet hoc loci exſcribere quæ vir ſapientiſſimus hac de re exaravit, juſſus ab Innocentio XI. ſententiam ſuam exponere:

„ Poichè mi ſi comanda, ch'io dica il mio parere in queſt' affare tanto dibattuto del Rituale Romano accomodato dal morto Veſcovo d' Aleth a uſo della ſua Dioceſi, dirò d'averlo ſcorſo, e trovato nel Catalogo delle Feſte di precetto alcune feſte di meno indebitamente levate, come S. Giuſeppe, S. Anna, S. Silveſtro; ch'egli ſi dichiara di proporre il Romano Rituale di Paolo V. ma vi frammette del ſuo tante coſe, e ſenza dar modo ai lettori di poter diſcernere il Rituale dall'aggiunta, che per queſto riſpetto merita il libro principalmente la proibizione; eſſendovi

„ alcu-

rum omnium atque factorum. Ex multis vero, quæ aut jussit aut vetuit ratio sapientissimi Pontificis tracta a summa lege, quam Deus ipse humano generi dedit, hæc in primis commemoranda videntur. Non solum introitu, sed omnino aditu in Sanctimonialium Claustra, nisi facultas esset ab Episcopis, prohibuit religiosos viros; hos, ut & Ecclesiasticos omnes, eosque præsertim, qui religionis caussa in Indiis Orientalibus & in America degebant, quæstuosam negotiationem exercere vetuit (36), coercuitque omnes eos, qui ad pecuniæ quæstum nimium incumbebant. Eapropter Jesuitas aliquando reddere hæreditatem coegit, quam habuerant ab eo cui erant cognati. Tecta esse voluit quæ habent jura Episcopi, privilegiis quibusdam abrogatis. Hæc, ut omnium rerum principia, ab initio parva; sed homines libertatis amantes non continentur, progrediuntur longius, efferuntur; nec nisi modum severitatemque interdum etiam adhibeas, omnia permisceri necesse est. Et sane quid æquius, quid convenientius Christianæ Reipublicæ, quam sacra omnia, omnesque, qui Ecclesiæ fidem suam præstiterunt, sub unam eandemque tutelam potestatemque Episcoporum subjectos esse? Mirum quibusdam videri poterit Clementem, qui Religiosarum Sodalitatum imminuendum numerum aliquando putavit, sublatam annos antea Ecclesiæ reddidisse. Sed uberes præstantissimique fructus, quos ex ea Respublica cepit, hodieque suscipit, satis ostendunt sapientiam consiliorum illius. Fuerat vir sanctissimis moribus Calasanctius, qui miserans sortem inopum puerorum, quibus omnis educatio & disciplina deerat, de iis doctrina aliqua & catechesi excolendis curam suscepit. Deo bene juvante eo res processit, ut multi ejus exemplum sint secuti, & ad illius ductum arbitriumque

Ad Nat. Alex. Suppl. P. II.

„ alcuni passi ancora degni di correzione, o di spiegazione, e che volendo in certi capi di disciplina ecclesiastica rinnovare gli usi della Chiesa antica, parla in maniera, che si riprovano le consuetudini contrarie, peraltro tollerabili, e comunemente ricevute in Roma ed altrove; il che riesce tanto più dannoso appresso il popolo, mentre ciò legge nel Rituale tradotto in lingua volgare.

„ Tutto questo giustifica la proibizione fatta del libro; ma non già quell' insolito rigore di condannarlo ad essere abbruciato, il quale eccesso è fatto notorio, e molti desiderano che si risarcisca la riputazione del Vescovo dalla S. Sede, alla quale in fine di morte con la debita sommissione ricorse, e supplicò sua Beatitudine, che si compiacesse di togliere coll' autorità sua l' opinione ai fedeli, che egli abbia abbandonata la vera dottrina della S. Fede a segno di meritar dal supremo Giudice della Chiesa un sì rigoroso castigo.

„ Compatisco il buon Vescovo, ricordandomi che i Santi, i quali hanno sopportate senza scusarsi gravissime calunnie con pazienza esemplare, non hanno patito l' opposizione con silenzio, se gli hanno trattati da Eretici, ed autori di mala dottrina. Ed egli sotto Clemente IX. di felice memoria fece tal dichiarazione della sua fede, che se ne chiamò il Pontefice soddisfatto, nè poi si è mai sentita del Vescovo querela veruna, ma è sopravissuto con buon esempio, e credito di Prelato pio fino alla morte, per quel che ho da più parti sentito.

„ Per la qual cosa giudico, che S. S. potesse terminar questo affare, ordinando che nell' Indice dei Libri proibiti si ponga il Rituale d' Alet con la condizione *Donec corrigatur*; perchè in tal maniera si mantiene la riputazione della prima condannazione, mostrandosi che vi è fondamento di proibirlo; ma per altra parte si mitiga il rigore con un atto capace di doppia interpretazione; cioè, che nostro Signore l' abbia fatto per grazia, e sua benignità, e che per giustizia ed equità abbia compensato il soverchio rigore allora usato. Si edificheranno le Genti vedendo, che non è inutile il ricorso alla S. Sede; che non si vogliono sostenere gli impegni, ma che si ama la giustizia, e la verità. *Hoc solet habere præcipuum Apostolica Sedes*, dice S. Bernardo a Papa Innocenzio II. *ut non pigeat revocare quod a se forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Res plena æquitate, & laude digna, ut de mendacio nemo lucretur, præsertim apud sanctam, & summam Sedem*; le quali parole avendo il Baronio riferite all' anno 1135. soggiunse: *Ista Bernardus quam sapientissime*.

„ Non mancano esempj di libri proibiti, e poi levati dall' Indice dei libri proibiti; ovvero proibiti assolutamente, e poi ridotti ad essere proibiti *donec corrigantur*. Questo non significa, che non vi siano gli errori; ma che possa esser il libro utile, e che si possano emendare facilmente quegli errori notati. Crederei tuttavia, che non si dovesse venire alla correzione del libro; ma che ne facciano, se vogliono, un altro di nuovo, dove pongano le dottrine migliori, che vi sono, e si distingua il Rituale di Paolo V. da quello che vi si aggiunse. *Hæc salvo &c.*

„ Per ubbidire, come devo, ai comandamenti di S. S. rispondo, che si prendono a mio parere le cose del Vescovo di S. Ponzio troppo aspramente. Ricorre alla S. Sede per la causa del Rituale d' Alet con fiducia nella clemenza, e celebrata bontà di N. S. e ricorre dopo molte suppliche, sommissioni, ed umiliazioni fatte dal Vescovo autor del libro poco innanzi alla morte anche per consiglio di esso Vescovo di Pons; nè vedendo segno alcuno di perdono, e risarcimento della riputazione di esso Vescovo suo grande amico, riputato da lui, e dal popolo di ottimi, e di ecclesiastici costumi, si riscalda ed esaggera per muover l' animo di S. S. Non è dubbio, che in qualche parte eccede; ma non disdice punto al S. Pontefice, il quale conosce l' intenzione del Vescovo non esser cattiva, il compatire in lui con fraterna, e cristiana mansuetudine qualche eccesso di passione in rappresentare a S. S. perchè rimedj, rappresentare, dico, una causa che ha gran giustizia per se, e pur vi è apparenza che niente si pensi a rimediarvi. Imperocchè il P. Maestro Lauria medesimo ben informato del libro confessa, che notabilmente fosse aggravato il Vescovo nella qualità, e quantità della pena, con offesa grave della riputazione, non potendosi far più con i libri di Lutero, e di Calvino, e con questa mortificazione il Prelato è vissuto nove, o dieci anni fino alla morte.

„ Ricorre parimente il Vescovo per la causa del Formulario, e per quanto posso ricordarmi, dice due cose. La prima, che molti abusano la sottoscrizione del Formulario, valendosene a screditare uomini dotti e pii, non solamente privati, ma Prelati, e Vescovi ancora; e di qui nascono discordie, si mantengono gli odj, e si fanno calunnie alle genti con molta facilità, e frequenza: il che rappresenta il Vescovo a S. Santità, come cosa ch' egli insieme con molt' altri stima, che perturbi la quiete della Chiesa, e la carità, e concordia de' fedeli, e ne supplica di remedio.

„ La seconda cosa è, che la condannazione delle cinque Proposizioni di Gianfenio fatta da Innoc. X. essendo stata generalmente dai Cattolici ricevuta, non vi è più niun Cattolico, il quale difenda quelle Eresie. Il voler dunque, che vi siano tuttavia seguaci di tali errori, non è verità, dice il Vescovo, ma un' imagine, e fantasma di molti, che sono del partito de' Padri Gesuiti, che ciò per fini loro mantengono.

Questo non è ingiurioso ad Innocenzo X., anzi sua gloria, che abbiano tutti ricevuta la sua Costituzione.

„ Non è ingiurioso ad Alessandro VII. perchè l' Eresie, che vuole Alessandro, che si detestino, tutti le riprovano, non essendo diverse da quelle che Innoc. X. condannò.

„ Il Formulario poi, dice il Vescovo, esser oggi vano ed inutile, mentre gli Eretici non vi sono: e ciò dicendo il Vescovo, non condanna la medicina, ma vuol che essa non bisogni per essere il male cessato, non sentendosi quasi nessuno processato, e ritrovato reo di queste Eresie, benchè moltissimi con grande facilità chiamati Gianseniști.

„ Tale è il senso del Vescovo nella sua lettera, per quanto io posso raccogliere dalle sue parole, e da' sentimenti che hanno molti nella Francia, e in diversi libri gli hanno stampati. Nè dico ciò per approvare le cose del Vescovo, siccome non ho mai avuta tale intenzione; ma per suggerire con la debita riverenza a S. S. le notizie necessarie e poco sapute, onde possa restar pienamente informato, e con la somma sua prudenza regolare il tutto. *Ipsius est summum rerum judicium: nobis obsequii gloria relicta est.* Le quali cose supposte, crederei che si potesse rispondere al Vescovo senz' altre lunghezze

„ Che ben è dovere nelle occorrenze, ove si tratti di dottrina, e scandali generali tra Cattolici, che i Vescovi ricorrano prontamente alla S. Sede per l' opportuno rimedio. Che S. S. loda la fiducia, che ha nella sua giustizia e provvidenza; poichè all' una, e l' altra invigila di continuo, ed implora il divino ajuto per esercitarle con ogni puntualità. Che nella causa del Rituale d' Alet ha lungamente pensato, come potesse in qualche modo corrispondere alla buona volontà del Vescovo, dimostratagli vicino alla sua morte con tante suppliche, e sommissioni: ma che la maggior difficoltà, che s' incontra, viene dalle indebite pretensioni de' parziali del Vescovo morto, che vogliono liberare affatto dalla censura e proibizione il libro, in cui è fondamento, e materia di proibizione, e ardiscono usarlo pubblicamente in varie Diocesi, come sentiamo.

„ Quant' è al Formulario, che S. S. vorrebbe, che nessuno veramente aderisse agli errori condannati, e allora si renderebbe facile a condescendere, e levar la sottoscrizione di esso; ma che persone degne di fede significano a S. S. non esser estinto il male. Che sono degni di riprensione, e gastigo quei che l' abusano, e che non mancherà di pensare, come possa mettere quiete, e mantener la concordia, escluse le dissensioni e calunnie. Che esorta il Vescovo a non prendere la difesa di questa causa con tanto ardore, e che si contenti di credere, che ai disordini conosciuti, per quanto si può nelle difficoltà, e perturbazioni presenti, non tralascia S. S. di procurarvi rimedj opportuni “.

(36) Vid. Lambert. de Synod. Diœcesf. lib. 9. cap. 15. 7. Et lib. 10. cap. 3. 4.

ſeſe omnino contulerint. Tum de conſtituenda familia deliberari cœpit, annuitque eorum votis Pontifex Maximus Gregorius XV. At dum proſperum curſum teneret Societas Clericorum Pauperum Matris Dei (ſic enim appellatur) hique expeterentur variis Italiæ locis, graviſſimæ coortæ ſunt tempeſtates, quibus, ita imperante Innocentio X. illa ipſa eſſe deſiit. Non fuit illud judicium, ſed vis potius & potentia invidorum, maximeque Jeſuitarum. Non propterea tamen prohibiti ſunt homines utiliſſimo opere, ſervabaturque inter eos beneficio maxime Alexandri VIII. conjunctio, & communitas quædam. Hi vero ad dignitatis priſtinæ ſpem reviviſcere viſi ſunt, cum creatus eſſet Pontifex Roſpilioſius, qui ſtatim indicia dedit tum amoris ſui in illos, tum æquitatis, cum juſſiſſet, ut de adſcribendo in Beatorum numero Calaſanctio, cum quo ipſe amicitiam habuerat, ageretur. Poſt id de reſtituenda Societate cogitavit, deprecatoribus maxime Card. Leopoldo Mediceo, & ipſo Magno Etruriæ Duce, qui erga illos homines omni tempore fuerant animati. Veruntamen, ut ne minus conſulte quidpiam ſtatuiſſe videretur, totum negotium delegavit tribus viris, qui inter Romanos Præſules opinione prudentiæ eminebant, & apud quos minimum loci fore putavit gratiæ. Hi quidem judicarunt reſtituendos eſſe Calaſanctii alumnos in priſtinam dignitatem; quod judicium cum confirmaſſent poſtea Cardinales negotiis Epiſcoporum & Regularium præpoſiti, Clemens Societatem ipſam, & leges quaſdam ad eas pertinentes approbavit; quod teſtatum voluit Diplomate dato X. Kal. Novemb. MDCLXVIII. Id quidem eo libentius fecit Clemens, quod ſperabat per homines litteris maxime deditos non ſolum inſtitutioni puerili, ſed & rectis omnibus ſtudiis conſultum iri. Tantum enim enitebatur, ut his non deeſſet, quantum decebat Principem præſtantiſſimis Doctoribus, ac Magiſtris inſtitutum, optimiſque præceptis imbutum, &, quod caput eſt, naturæ bonitate præſtantem. Adde, quod perſuaſum erat Clementi, ad Romanos Pontifices litterarum patrocinium quaſi hæreditario jure potiſſimum pertinere, iiſque aditum patere debere in Urbem, tanquam in proprium domicilium. Quis enim ignorat omni tempore, & ex omnibus terrarum partibus viros Hebraicarum, Græcarum, Latinarum Litterarum ſcientia claros, Philoſophos, Juriſconſultos, Poetas, Rhetores præmiis ampliſſimis excitatos in Urbem conveniſſe? Qua tempeſtate omnium bonarum artium ignoratio obſeſſam Europam tenebat, & denſiſſimis tenebris omnia non ſolum circumfuſa, ſed pene ſepulta erant, nonne apud Romanos Pontifices viguit ſemper aliquis ingeniorum cultus? Cum vero dominante feudali & militari jure regebantur homines ad potentiorum libidinem nullo ſtabili conſilio, ac judicio, nonne effectum per Romanos Pontifices, ut eſſent certæ Leges, ac certi Judices, judiciorumque formulæ, & per ea manerent jus, æquitas, ſecuritas, bonorum proprietas, ſanctiſſima ſocietatis vincula? Quis recordari poteſt aut deletam (37) barbariem ex moribus & diſciplina Italorum, aut revocatas ab interitu litteras, aut languentes excitatas, quin præconia deferat Romanorum Pontificum ſapientiæ? Hæc ſpectans Clemens omni mente & cogitatione, curaque verſabatur, ut regnum ſuum optimis legibus, inſtitutiſque, concordia, opibus, virtute, omni præclara arte atque doctrina floreret. Mandata dedit Bonæ, & Riccio, ut inſtitueretur Academia, quæ ad excolenda Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudia præſertim incumberet. Leonis Allatii laudi favit quam qui maxime, & in illius morte lacrymas continere minime potuit. Provexit ſtudia & labores Athanaſii Kirkerii, dolebatque hominem ingenio ſummo ſæpe diſtrahi in inanes inveſtigationes. Animos addidit Joanni Ciampinio ad ſtadium gloriæ ingredienti. Amplis præmiis commovit Franciſcum Leveram ad edendum librum *de invicta veritate anni, menſis, & diei paſſionis & reſurrectionis Chriſti Domini, ejuſque nativitatis*, pluresque doctiſſimos viros conſuluit, quid ſibi faciendum eſſe cenſerent, cum a ſe poſtularetur correctio quædam & emendatio Gregoriani Kalendarii. Nec defuit humanioribus ſtudiis, plures invitans ad emendanda temporum vitia, ſeſeque interdum oblectans ſermone ac conſuetudine virorum, qui in iis excellere putabantur. Hanc enim animi remiſſionem humaniſſimam ſemper ac liberaliſſimam judicavit. Quod ſi perpaucis Principibus contigit, ut hæc ſtudia attingere, & ſenſu ſuo guſtare, ſicuti Clemens, poſſint; tamen ea mirari deberent etiam cum in aliis vident, & omni arte fovere, quaſi Dei aliquo dono atque munere commendata in primis eſſe videantur. Quoniam vero omnes liberales artes habent quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur, nemini mirum videri debet Clementem ſtudium quoque adhibuiſſe ad Picturam, Architecturam, & Sculpturam provehendas, & magnis honoribus illos affeciſſe, qui harum artium eſſent peritiſſimi. Quantum commotus eſt Petri Berettinii morte, cujus in ædes ſæpe ſuorum aliquem miſit, qui ægrum ſuo nomine inviſeret, ac oblatis beneficiis ſolaretur! Omnino propter excellentem artem, & venuſtatem, facilitatemque admirabilem repræſentandi quidquid animus delicatus & tenere libereque volitans naturæ finibus univerſis concipiebat, videbatur mori non debuiſſe. Favit ingenio Salvatoris Roſa, quamvis non illum in picturis horrida inculta abdita & opaca, contra vero nitida læta colluſtrata delectarent. Receperat in amicitiam privatus Nicolaum Puſſinium, & cum de mortuo Pontifex factus loqueretur, utinam, ajebat, ſolvere nobis præmia, quæ ſingulari hominis virtuti debebantur, licuiſſet! Borrominium amplexus eſt, eumque in caſu quo afflictus jacuit (nam vitio morbi furens ſibi gladio mortiferum vulnus inflixit) conſervare voluiſſet. Sed præſertim amavit (38) fœcunditatem, quæ ſe efferebat in Berninio, neque eam nimis luxuriantem (quod vitio dabatur Borrominio, qui plerumque a forma veritatis, & ab antiquorum regula abfuit) ſed arte judicioque ſummo contentam. Hunc adhibuit in abſolvendo Periſtylio Vaticano, quod opus omnium quæ aggreſſus fuerat Alexander VII. magnificentiſſimum, æternum poſteris monumentum erit, quantum ingenio valeret Berninius. Eodem uſus eſt Clemens Architecto & Sculptore, cum exornandum ſuſcepiſſet Ælium pontem. Cum ipſo quoque egit de augenda Liberiana Baſilica; quam in rem centum millia pondo argenti collecta ex ſuis reditibus ſepoſuerat. Optaſſet Clemens alia monumenta regni ſui nominiſque relinquere: idque non tam animi magnificentia, quam excitandæ induſtriæ cauſſa.

Et quidem omnia, quæ Reipublicæ pollicebatur, exitu præſtitiſſet, ſi longius ei ad vivendum datum eſſet tempus, & niſi omnis illa Cretenſis belli fortuna in eundem potiſſimum incubuiſſet. Erant quoque præclari ſtudii in nobiliſſimas artes & intelligentis judicii indices voces, quibus Clemens quotidie fere invitabat artifices ad monumenta antiquitatis imitanda, quæ ipſe non ſolum admirari, ſed plane venerari videbatur. Quapropter vehementer improbavit quæ fieri juſſerat Alexander VII. ad ornatum Panthei, præcepitque magnificentiſſimum illud templum integrum ſervari a petulantia illorum, qui omnia volunt calamiſtris inurere. Nihilo tamen minus vidimus ad ſempiternum dedecus noſtrorum temporum interiorem ædis partem multis onerari ornamentis, & perverſam ſapientiam illorum *qui faciunt ne intelligendo, ut nihil intelligant*, judicio prudentum anteponi. Similia & pejora quoque acciderunt aliis Imperii Romani gloriæ rerumque geſtarum monumentis; idque non odio hoſtili, neque licentia militari, ſed imperantium injuria. Quapropter ſæpe fit, ut ii, qui hoſpites ad ea quæ viſenda ſunt, ducere ſolent, & unumquidquid oſtendere, nunc converſam habeant demonſtrationem ſuam, & non quid ſit, ſed quid fuerit declarent. Ducant alii levia & contemnenda opera, artificia, ſigna, pictas tabulas, & cætera hujuſmodi; Clementem quidem illa maxime delectabant, & ex illius querimoniis intelligi poterat, quam dolenter aliquando viderit Amphitheatrum Flavii Veſpaſiani, aliaque ædificia, quæ tot ſæcula manſerant, tot bella effugerant, aut partim aut omnino everſa, aut ornamentis ſpoliata. Iſthæc accurata diligentia in conſervandis veteribus ornamentis, noviſque comparandis adhibebatur a Clemente non ſolum ad decus & laudem Urbis quondam terrarum dominæ, ſed etiam ad utilitatem. Fit enim mercatura quædam bonarum artium, quæ ſecum magna emolumenta apportant, gentes vel disjunctiſſimas dignitate ac pulchritudine ſua trahentes retinenteſque.

Magno

(37) Vid. *Introduction à l'Hiſtoire du Regne de l'Empereur Charle V. par Robertſon ſect.* 1. §. 2.

(38) Delegamus Lectores ad volumen, quod de vita Berninii ſcripſit Baldinuccius, ex quo intelligent, quam acceptus ille Pontifici fuerit, & quam liberaliter ab eodem donatus. Ibi quoque mentio fit cujuſdam machinæ, quæ decidentis aquæ murmur imitabatur, quamque excogitaverat Berninius ad ſomnum Pontifici concilian-dum.

Magno quidem animo prospiciebat Clemens publicæ felicitati, declarabatque omnibus cupere se diversas gentes commercio ita conjungere, ut quod genitum esset uspiam, id apud omnes natum esse videretur. Itaque illo imperante libere devehebatur quod terra genuerat, artesque perfecerant; fides, vigilantia, paucæ, sed opportunæ constantesque leges securitatem pariebant; inde copiæ, inde annona, inde incitamenta industriæ, & cum singulorum mala ad neminem, ad omnes omnium bona pertinere videbantur. Plurimum in his rebus utebatur Clemens opera Thomæ Rospiliosii hominis virtute & prudentia cogniti, & spectata fide amplissimi, quem rebus humanis ereptum pridie Non. Sext. ann. MDCLXIX. Populus Romanus veluti amantissimum Patrem deflevit. Cujus amoris ut æternum monumentum extaret, statuam eidem in Capitolio posuit. Ægre id quidem impetratum a Clemente, qui ea erat modestia, ut sibi aut statuam, aut inscriptionem decerni nunquam passus fuerit. Nam quæ ipse & sui laudabiliter gerebant, non in mutis lapidibus, sed in animis populorum insculpi malebat. Et quidem omnia personabant laudantium vocibus; & si quis malediceret, petulans, & plane insanus videbatur. Neque eo contentus fuit, quod civitates gravissimis tributis liberasset: consuluit præterea, ut graves tollerentur usuræ. Eapropter Judæorum avaritiam improbitatemque coercuit, & veteri monti pignoratitio (Pietatis vocant) qui fuerat a Clemente VIII. institutus, novum addidit. Opem ferebat miseris, sed iis præsertim, qui ignaviæ minime se dederant. Quotidie apportari sibi volebat per fidelissimos homines panem, aliosque cibos, qui publice venibant, ut de eorum pretio bonitateque judicaret. Et quia in omni re vigilantiam summam adhibebat, plus etiam scire, quam sciebat, putabatur; quod ad continendos in officio Magistratus plurimum conducebat. His adde bonis unam excellentissimam virtutem justitiam, quam sancte semper coluit Clemens suum cuique tribuens, & societatem conjunctionis humanæ mirifice & æque tuens. Qua de re quamvis multa proferre possumus exempla, paucis tamen contenti erimus, ne plura commemorando fatigemus lectores. Quum resciisset pupillum nescio quem iniquo judicio litem perdidisse, ejus detrimentum ex pecunia judicis sarciri jussit. Hominem indignum, qui Alexandro VII. Pontifice ad amplissimum honorem malis artibus obrepserat, de gradu dejecit. Continuit in Officio Bononiæ Legatum, cujus avaritia multis suspecta & invisa erat. Hoc quoque sit æquitatis Clementis exemplum. Ingredienti nobili feminæ in templum binæ forte occurrerunt puellæ, in quibus repente risus erupit. Facile mulier derideri se se arbitrata est: erat enim illi picta facies, & futili arte quæsitus decor. Suspicione in iram versa, misit ipsam puellarum domum certum hominem, a quo vapularent. Hac re cognita, Clemens quæsivit de bonis feminæ, cumque comperisset per eos dies lite ac judicio eandem recuperasse mille aureos nummos, hos dotis nomine puellis attribui jussit. Ceterum silentio minime prætereundum est, Clementem a natura leniissimum severitatis personam non appetivisse, sed sibi a Republica impositam ægre semper sustinuisse, cum contra partes lenitatis & misericordiæ egerit libentissime. Ac nescio, an indulgentia Pontificis in Cardinales Azolinium & Ottobonium modum excesserit, cum eorum in administranda Republica libido solutior fuisse videretur. Sed id extremis Pontificatus temporibus accidit, quibus tantum licuit iis ægrotationes Pontificis in suorum libertatem & licentiam vertere. Erat Azolinius avidus potentiæ, honoris, divitiarum, ceterum vitia sua homo natura & usu callidus dextere occultans; valebat ingenio & eloquentia a natura magis quam ab arte profecta: & cum esset navus, perspicax, promptus, & experientissimus, neque expers doctrinæ, politiorisque humanitatis, facile poterat se in omnium gratiam insinuare. Hominis ingenium probe noverat Clemens, qui familiariter cum eo vixerat in Cardinalis Barberinii Aula, nec dubitavit quin illius virtutes regno suo gloriæ futuræ essent, si cupiditatibus frænum injecisset. Illa ingenii bona prorsus deerant in Ottobonio minuto, angusto, sensus habente tardos, & omnia in dubium revocante. Sed utilitatis amor dissimillima natura homines facile conjunxerat. Quamdiu viguit animo Pontifex, nihil iis permissum: ægrotante autem illo, continere ipsos potuisset Cardinalis Rospiliosius, nisi in eo molle quiddam inesset, demissum, enervatum, & languidum. Sed hæc compensabat singulari bonitate, integritateque, quæ laus quidem ei communis erat cum tota Rospiliosiorum familia. Horum autem virtutes eo magis populus Romanus in cælum ferebat, quo rariora antea habuerat hujusmodi exempla in Pontificum propinquis. Hos enim plerumque viderat cupidos potentiæ divitiarumque avidos, privatæque utilitati publicum bonum posthabentes. Hæc autem non poterat sine horrore Clemens recordari, narrabatque sæpe suis ad confirmandos illos in glorioso proposito, quam perniciose de Republica ii meriti fuerint, quod non solum vitia conceperint ipsi, sed etiam infuderint in Civitatem, plusque exemplo suo quam peccato nocuerint. Plures extitere, & in his Christina Svecorum Regina, & magnus Etruriæ Dux Ferdinandus, qui sæpe a Clemente contenderunt, ut suis id saltem concederet, quod satis esset ad vitam in Urbe sustentandam, sicuti familiæ dignitas, & majorum amplitudo postulabat. Sed ille nunquam non respondit: consulere se suis, cum illos ad exempla moderationis & pudoris edenda incenderet: abunde pollentes & claros fore, si bonos mores colerent, & secum ipsi de virtute certarent. Ex quo factum est, ut eosdem pecunia prohibuerit, quæ erogabatur ab iis, qui in Clericorum, ut vocant, Cameræ collegium cooptabantur; quamquam hoc esset in more positum, ut ea ad propinquiores Pontificis cum aliis vectigalibus perveniret. Quæ quidem severitas Pontificis causa fuit contrahendi matrimonium, ex quo divitias, & fortunas amplissimas Rospiliosii habuerunt. Erat Genuæ puella primaria Lucretia Pallavicinia, non tam divitiis & genere, quam animi virtutibus spectata & nobilis. De ea collocanda Joanni Baptistæ Rospiliosio Romanæ arcis Præfecto (in locum enim Thomæ fratris successerat) agere cœpere Genuenses Cardinales Raggius, & Imperialis. Principio negitare Clemens illa usurpans verba: habeant sibi alii invidiosum divitiarum nomen, concedaturque meis ut in mediocritate fortunæ boni sint; postea precibus cessit tum Christinæ Svecorum Reginæ, tum Cardinalis Barberinii, & assensu suo matrimonium approbavit. Fuere hæ nuptiæ plenæ dignitatis & concordiæ. Sed Clementi illas spectare non contigit. Nam tricesimo postquam regnabat mense mors ipsum communi luce privavit. Dederat ei natura non bene firmam valetudinem, sed ipsum vitæ quam vivebat genus plurimum imbecillitatem auxerat virium. Etenim nulla ei requies erat a gravibus imperii occupationibus, & quæ animo defatigato concedebat, erant hujusmodi, ut non requietem, sed novam occupationem quærere videretur. Secedebat quotannis bacchanalibus in S. Sabinæ Cœnobium, ibique quantum de negotiis publicis detrahebat, tantum addebat pietati. Ut in illa solitudine simplicitas, bonitas, & religio summa Clementis elucebat! Nihil in illo, ex quo religiosi homines sentirent Pontificem maximum secum habitare, nisi illustria modestiæ, & sanctitatis exempla, quæ suspicerent, atque imitarentur. Defatigabatur etiam sæpe infirmum corpus, dum præcipua Urbis templa pedibus inviseret, & Scalam illam Christi Domini vestigiis consecratam genibus ascenderet; dum nosocomia ægrotis ministraturus obiret; dum confessiones Vaticana in Basilica solemnioribus quibusdam diebus exciperet; & dum ea sibi levamenta interdiceret, quæ facile cæteris ætate & morbo impeditis concedebat. Liquit eum animus, cum magnæ illi ceremoniæ præesset, qua in Sanctorum fastis adscripsit nomen Petri de Alcantara, & Mariæ Magdalenæ Pazziæ. Cum decumberet æger, feria V. majoris Hebdomadæ haud retineri potuit, quin saltem peregrinorum, ut mos est, pedes lavaret. Hæc, aliaque, & præsertim angores, sollicitudines, nocturni diuturnique metus ob captam a Turcis Cretam, & nimium fallaces medicorum artes illi profecto mortem maturarunt. Multi postremo adfuerunt morbi renum, vesicæ, pituitæ, epilepsiæ, ac demum apoplexis. Octavo die antequam moreretur, Cardinales ad se vocavit, eorumque numerum auxit, septem in collegium cooptatis. Hoc facto latinam ad eos habuit orationem (erat enim illi prompta & profluens, quæ deceret Principem, eloquentia) admonens ipsos, ut eum eligerent Pontificem, qui optimus, qui rei Catholicæ studiose prospiceret, & sua peccata corrigeret. Nemo tam durus & ferreus fuit, qui nobilissimis Pontificis de Republica, & de humanarum rerum levitate sensibus minime commoveretur, & oculis lacrymantibus illum doloribus confectum & anhelatis verbis loquentem non intueretur. Tum vero cognitum est, quam esset populo carus. Passim enim concurrebatur ad templa, fundebanturque preces ad Deum, ut servaret Principem, cujus vita erat caritatis, & modestiæ exemplum; quem securi & hilares omnes in Palatio veluti in communi domo conveniebant; cuique nihil tam cordi erat, quam omnia invisere, omnia audire, & undecumque invocatum, statim velut numen adesse, & opem auxiliumque ferre. Ineunte Decembri meliuscule illi quidem fuit; sed brevi omnis illa gratulatio spesque concidit, & populus quasi rursus ereptum acrius doluit. Vitæ extremum spiritum edidit V. Id. Decemb. Anni MDCLXIX. paullo ante lucem, jussitque corpus suum locari in Liberiana Basilica sine funeris pompa, sine orna-

ornamento ſepulcri, breviſſimamque Epigraphen inſcribi loco *Clementis IX. Cineres* (39). O fortunata mors, quæ naturæ debita tanquam extremus actus ceteras vitæ partes cumulatiori laude concluſit! Manet, manebitque in animis hominum, in æternitate temporum quidquid in Clemente admirati ſumus; & nos quidem geſta & virtutes illius contemplantes, quaſi ille aliquid de ſuo lumine accenderet, ad illa hiſtoriæ monumentis conſignanda non invitati, ſed inflammati ſtudio rapti fuimus. Utinam præclari facinoris, & artis bonæ famam obtinuiſſe me judicent omnes ii, quorum in manus hæc venerint! Magnum certe laboris fructum me percepiſſe arbitrabor, ſi tu, beatiſſima anima, aliqua excipies gratia officium, quod virtutibus tuis, quod Patriæ, quod Familiæ, cui magnis amoris & beneficiorum vinculis me obſtrictum eſſe confiteor, perſolvendum putavi.

CLEMENS X.

MORTUO Clemente IX. diſtractæ Patrum ſententiæ, & plurium, qui aderant, Cardinalium per ætatem, & per magiſtratus optime geſtos merita, grave Pontificiæ electionis negotium protrahebant: ipſaque partium ſtudia huic tam ſancto, & omni terrarum orbe expectato judicio obſiſtebant: ſua quiſque fretus fiducia ſuis votis obſequebatur; donec fracti animo diſſidentes Patres, concordi voto hominem quærunt, qui Chriſtianis virtutibus cæteros anteiret, quique nullis contentionum affectibus diſtineretur.

Facili negotio in Æmilium Cardinalem Altierium unanimi Patrum conſenſione itum eſt, qui mox in ultimis ſui Pontificatus diebus purpura ornatus fuerat ab Anteceſſore Clemente IX. quique nondum titulum Cardinalatui adnexum, nec purpurei galeri ſignum acceperat.

Ferunt etiam nonnulli Authores, ipſum Clementem IX. morti proximum, atque in lectulo jacentem, inter plurimos Cardinales ad ſe accitos, ut illis Eccleſiæ ſtatum, conditionemque commendaret, in *Altierium* oculos ſerio convertiſſe, & religioſæ, aut præſagæ mentis inſtinctu, eum ſibi in Apoſtolica Sede ſucceſſurum prænunciaſſe.

Vir erat Altierius præclara nobilitate præditus, inſigni etiam pietate, & ut ea ferebant tempora, doctrina quoque non vulgari. Natus eſt die 13. Julii An. 1590. ex Laurentio Altierio Patricio Romano, ac Victoria Delphinia Patricia itidem Veneta, quæ fuit ſoror Flaminii Delphinii militari gloria in Belgio, aliiſque provinciis celeberrimi.

Æmilius fratrem habuit Joannem Baptiſtam Altierium ab Urbano VIII. inter Cardinales adſcriptum, qui maximis enituit virtutibus; quique cum ſuis fratribus paternas ædes in antiquo Altieriorum foro, quod nunc ab Eccleſia ſub Jeſus invocatione ædificata *Platea Jeſus* vocatur, in meliorem amplioremque formam extruxit.

Huic igitur avitæ gentis nobilitati, ex qua ortum habuit Æmilius, parem ſortitus eſt educationem. Feliciter enim poſito litterarum tyrocinio, ad publicam arenam deſcendit, & ſub Innocentio X. qui tunc erat *XII. Vir* Romanæ Rotæ juriſprudentiæ ſedulo incubuit; & qui ſucceſſor poſtea futurus erat imperii, particeps ejus ſapientiæ effectus fuit; nunquam tamen particeps ejus amicitiæ: imo in Pontificatu ipſius Innocentii plures calamitates tulit Æmilius, & tota Altieria Domus. Mox inter Præſules adſcriptus, gravi lentoque greſſu varios obivit magiſtratus, & ad ardua tum Aulæ, tum Eccleſiæ negotia ab aliis Pontificibus promotus fuit ipſe, qui poſtea ab omnibus erat Pontifex approbandus. Primum munus in Pontificatu Urbani VIII. obivit in Polonia. Illuc ſequutus fuit Joannem Baptiſtam Lancellotum, qui officio Nuncii Apoſtolici ſtrenue fungebatur. Et ſub eo univerſæ legationis Aſſeſſor renunciatus, plura præſtitit ſedula rei ſacræ procuratione, maximaque prudentia.

Reverſus inde in Italiam ad Camerini Epiſcopatum promotus fuit, quem frater ejus Joannes Baptiſta natu major, dum inter Cardinales cooptatus fuit, reſignaverat; & quum plura in Epiſcopatu edidiſſet pietatis virtutiſque ſpecimina, nova auctus fuit præfectura Lauretanæ Domus, deinde etiam univerſum Picenum adminiſtravit, majori publicaque utilitate rependens diuturnam ab Epiſcopatu abſentiam. Vix Camertium Eccleſiæ reſtitutum alio divertere coegit miſera temporum conditio, & Pontificiæ Ditionis neceſſitas. Laborabant Ravennates ſolita aquarum inundatione. Urbanus VIII. qui plurimi Altierium faciebat, illuc eum pergere juſſit: iſque excitatis aggeribus, effoſſiſque canalibus, uber miſeris civibus ſolum reſtituit.

Succedente in Romano Pontificatu Innocentio X. Neapolim Nuncius Apoſtolicus eſt delegatus; quod munus ipſe quoque Innocentius, dum in minoribus eſſet, obiverat. Maximis ea tempeſtate agitabatur inteſtinis motibus Neapolitana Civitas, & aperta plebis defectio ſub duce plebejo ac furente, qui ſub celebri *Maſaniello* nomine recenſetur, omnia miſere perturbabat. Et licet Altierius maxima integritate octo annos officio functus fuerit, atque inter civiles tumultus mira velificandi dexteritate nullam declinans in partem, pacis vel author vel ſuaſor extiterit; tamen infelici actus temporum conditione, conceſſa nedum dignitate orbatus fuit, ſed bonis etiam ſpoliatus avitis, unicum fratrem ſuperſtitem in hac calamitate irretitum, ita dolore affecit, ut vitam amiſerit, tres tantum filias relinquens. Mortuo tamen Innocentio X. ab ejus ſucceſſore Alexandro VII. ſacræ Epiſcoporum, & Regularium Congregationis a ſecretis fuit renunciatus; ſed purpuram tamdiu dilatam, atque emeritam Clemens IX. Alexandro ſuffectus, qui prius illum Pontificio cubiculo præfecerat, ultro illi conceſſit in ultimo purpuratorum Patrum delectu; atque in extremis laborans, diviniſque meditationibus intentus, inter Cardinales adſcripſit die 26. Novembris an. 1669.

Quum igitur ardua quæque munera, totque Magiſtratus pie ſtrenueque expleverit Altierius, nil mirum ſi poſt quatuor menſium diſſidia, nedum Patrum purpuratorum, ſed etiam Populi geſtientis voce Pontifex eſt pronunciatus. Oblatam tamen dignitatem modeſto conſtantique animo recuſavit; & tamdiu reſtitit monitis, atque increpationibus totius Senatus, excuſationem implorans infirmæ valetudinis ætatiſque octogenariæ, donec Theologorum conſilio admonitus, concordi huic Cardinalium judicio, atque apertæ Dei voluntati eſſe obtemperandum intellexit.

Electus in Summum Pontificem die 29. Aprilis An. 1670. expectanti populo acclamatus eſt ſub nomine Clementis X. quod in memoriam anteceſſoris & creatoris ſui ultro ſelegerat. Die undecima Maji coronatus fuit. Deinde ſolemni pompa, & magna ſtipante Principum & Cardinalium turba, ſed majore populi lætitia ad Lateranenſem Baſilicam acceſſit, ut Romani Epiſcopatus de more poſſeſſionem aſſumeret. Qua occaſione, ut præ-

(39) Oratio, quam de laudibus Clementis habuit Auguſtinus Favoritus, eſt in manibus hominum. Cetera funebria more inſtitutoque majorum peracta ſunt. Concurrebatur undique ad viſendum, venerandumque cadaver Pontificis, beatoſque ſe putabant plurimi, ſi ei quidpiam veſtimentorum detraxiſſent. Scriptum quoque invenio, unum alterumve miraculum per eum peractum fuiſſe; ſed quia res non eſt graviſſimis certiſſimiſque monumentis teſtata, in medio relinquimus. Clemens X. clariſſimum Monumentum reliquit grati animi ſui in Roſpilioſium, a quo Cardinalis creatus fuerat, cum ei magnificum ſepulcrum in nobiliori Baſilicæ Liberianæ loco decreviſſet, in quo hæc legitur inſcriptio:

CLEMENTIS IX.
ÆTERNÆ MEMORIÆ PONTIFICIS
MAGNI CINERES
NE ABSQUE ULLO SEPULCRALI HONORE
SICUT IPSE JUSSERAT HUMI LATERENT
CLEMENS X. PONT. MAX.
BENEFACTORI SUO
ET OB SPECTATUM FIDEI ZELUM
OB EGREGIAM ERGA OMNES BENEFICENTIAM
ET CHARITATEM
DE RE CHRISTIANA OPTIME MERITO
GRATI ANIMI MONUMENTUM
POSUIT
ANNO DOMINI MDCLXXI.

præconceptam animo felicium eventuum ſpem Senatus, Populuſque Romanus exprimeret, nummum percuſſit cum effigie Beatorum Petri & Pauli, & cum epigraphe olim Veſpaſiano dicata *Roma reſurgens*.

Primis ſui Pontificatus initiis ſolemne indixit Jubilæum, ut Chriſti fideles excitaret ad opem cæleſtem impetrandam ejus futuro regimini; litteriſque ſua manu conſcriptis Reges omnes Catholicos certiores fecit de ſui facta electione; & ut veterem renovaret Eccleſiæ diſciplinam, Canones aliquot antiquos confirmavit, uti exponemus. Ad regimen etiam Pontificiæ Ditionis converſus, evexit ad munus Secretarii Status Palutium Albertonum, quem etiam Legatum dixit Avenionenſem. Hunc Cardinalem antequam Altierius Pontifex crearetur, quia agnatos natura negaverat, ne prænobilis familia periret, in nepotem adoptaverat, nomine & inſignibus collatis Altieriæ gentis. Mox vero ad Apoſtolicam Petri Cathedram evectus, Gaſparem Palutium ex Angelo fratre ejuſdem Cardinalis nepotem, cui Gaſpari jamdiu nupſerat Laura Catharina Altieria neptis Pontificis, nepotem ſuum declaravit, eique nedum totum prædivitis familiæ cenſum contulit, ſed Generalatum etiam S. Romanæ Eccleſiæ, Præfecturam triremium, & alteram S. Angeli attribuit. Ludovica altera neptis Pontificis nupta fuit Dominico Urſino ſecundogenito, & Duci Gravinæ, quia Vincentius Urſinus natu major ſolo religionis amore eidem fratri ſuo principatu reſignato, Ordinem S. Dominici fuerat profeſſus. Anna Maria demum Altieria, & ipſa neptis Pontificis, nupſit Ægidio Columnæ Duci Anticolenſi, quem dicunt de Carboniano. Cardinalis interea Palutius ſub nomine Cardinalis Patroni humanis diviniſque rebus dominabatur.

Sub hoc Pontifice agi in Gallia cœperunt diſputationes illæ, quæ poſtea ſub ſucceſſore Innocentio XI. magis recruduerunt, & quæ ſub nomine *Regaliarum* diu utramque partem divexarunt. Etenim contendebat Rex ad ſe pertinere quædam bona, imo & Beneficia Eccleſiaſtica Epiſcopatibus & Monaſteriis adnexa, præſertim tempore vacationis Epiſcopatuum & Monaſteriorum, quæque a regali beneficentia profectitia dicebantur. Sed cura Epiſcoporum Apamienſis & Alectenſis conſilia pacis injecta ſunt.

Immunitatem, qua Principum Oratores potiebantur in introductione victualium, aliarumque rerum in Urbem juxta juris gentium ſanctionem continuit, ac reduxit, nequidquam renitentibus iiſdem Oratoribus.

In Hungaria etiam civiles motus, & Proteſtantium, ac Rebellium conatus, Auguſtæ domus Auſtriacæ auxiliator repreſſit. Ducis Moſcoviæ Oratorem Romam miſſum An. 1673. pro ineundo contra Turcas fœdere cum Principibus Chriſtianis parum libenter excepit. Imo cum Moſcus tumidus & ſpecioſis plenus nominibus, titulo Cæſaris ſalutari contenderet Dominum ſuum, præter dona & lautitia generoſe a Pontifice collata, vacuus rediit etiam cum reſponſo. Polonis tamen immani bello preſſis a Turcis, & a Rebellibus Hungariæ ſecum conſpirantibus, magnam auri vim Clemens ſuppetias miſit: Decimam etiam Clero impoſuit Italiæ, adeo ut Sarmatæ his opibus excitati inſignem An. 1674. de immani hoſte victoriam retulerint, Cocimo aliiſque expugnatis oppidis, & cæſis inſuper XXX. Turcarum millibus; cujus rei Pontifex memoriam propagavit in nummo, quem percuſſit cum epigraphe *Turcarum ſigna a Polonis relata*. Pacem inſuper inter Cæſarem Hiſpano junctum Regi, & Gallos cum Epiſcopo Monaſterienſi, & Electore Colonienſi fœderatos adverſus Batavos componere conatus eſt, ſed fruſtra. Luſitaniæ Regis Oratorem inter alios Regios Adminiſtros primus admiſit; quod nuſquam ab anno 1640. quo ejectis Caſtellanis, Joannes IV. Rex Luſitaniæ eſt proclamatus, ne Hiſpanos offenderet, Aula Romana permiſerat, magnificoque apparatu, ac ſpecie quadam triumphi Romam venit cum titulo regii Oratoris Comes Pradenſis, ut vulgo ajebant de Prado. Duos etiam religioſos viros ex Ordine Prædicatorum excepit, litteras & reſponſa referentes Regis Perſarum de Bello adverſus Turcas, monitis & ſuaſionibus Clementis IX. Anteceſſoris ineundo. Italiam terræ inſuper motibus afflictam, & præcipue Ariminum pene in ſuis ruinis ſepultum in meliorem formam reſtituit liberalitate ſingulari,

Majora præſtitit pro Religione promovenda, & cultu divino amplificando. Baſilicam S. Mariæ Majoris, quam Clemens IX. exterius ornare cœperat, & quam morte præventus perficere nequivit, eleganti opere in honorem B. Virginis abſolvit. Cineres ejuſdem Clementis IX. quos ipſe abjecto, ut dictum eſt, & humili loco jacere voluerat, erexit, & excitato in eadem Baſilica Liberiana eximiæ artis ſepulcro, ſtatuam & inſcriptionem poſuit.

Petrum de Alcantara, quem Clemens IX. inter Sanctos adſcripſerat, ſed morte præventus Canonizationis, ut ajunt, Bullam expedire non potuit, ſua potiſſimum Conſtitutione per totum orbem cultu Sanctis debito venerandum exhibuit. Præterea ſex alios Servos Dei in Vaticana Baſilica inter Sanctos retulit, nempe Philippum Benitium, Cajetanum Thienæum, Franciſcum Borgiam, Ludovicum Bertrandum, Roſam virginem Limanam, & Margaritam Scotiæ Reginam; Pium V. inter beatos recenſuit; ac ut Sanctos Ferdinandum III. Caſtellæ Regem, & Albertum Magnum coli permiſit, ut ex Benedicti XIV. opere de Beatificatione & Canonizatione Sanctorum lib. 1. num. 5. & lib. 3. videre eſt. Sex vicibus promotionem habuit Cardinalium, in quibus viginti Cardinales creavit.

Portam deinde Sanctam reſeravit, & clauſit An. Jubilæi 1675. Eandem Portam nimirum aperuit die 24. Decembris An. 1674. pompa & apparatu ſolemni, & interventu præ cæteris Chriſtinæ Svecorum Reginæ, & Duciſſæ Mutinenſis. Clauſit autem eandem Portam Sanctam ipſo die An. 1675.

Septimo mortuus eſt ſui regiminis anno ætatis octuageſimo ſexto, ſalutis vero noſtræ 1676. die 22. Julii, laudatus in funere ab Abbate Malagonnello, & Guidone Paſſionæo, cujus Orationem e tenebris eruit Petrus Aloyſius Galletius Monachus Caſſinenſis (1). Placet ex hac nonnulla exſcribere, cum in ea eleganter non minus quam vere Clementis res geſtæ, virtuteſque celebrentur. „Si de homine privato, inquit Paſſionæus, „ſermo mihi eſſet, promtum erat ad illa vulgaria & „dictu facilia me conferre, ut Avorum decora enume„rarem, & celebrandam aggrederer nobilitatem fami„liæ, eamque ab antiquiſſimis Romanis civibus ortam „tot heroum & bello & pace, tum inſulis, tum ſa„cra purpura præfulgentium ſerie, ſummiſque Magi„ſtratibus uſque a Gothorum Regibus, atque in aula „Othonis hoc nomine primi, omni cum laude geſtis, „ornatiſſimam dicerem. Nunc quando de Principe, „eoque tot tantiſque laudibus ornato verba facio, Ma„jores ejus potius ab hoc nobiliſſimo fœcunditatis ſuæ „fructu, quam illum a Majoribus arbitror cenſeri de„bere. Et quamvis non poſſit arbor bona malos fru„ctus facere, tamen ut eædem ſacræ teſtantur pagi„næ, non ab arbore, ſed a fructibus eorum cognoſcetis „eos. Quis autem uberes ab eo omnium virtutum fru„ctus per omnem vitam editos non admiretur? Quis „laude & prædicatione dignam non *judicet in ejus* „pueritia egregiam indolem, in *adoleſcentia modeſtiam* „& continentiam, in *confirmata jam ætate* gravita„tem, atque prudentiam? Quarum virtutum non mo„do bonus odor & *fama*, ſed etiam uſus atque expe„rientia *longe lateque* per gentes & populos diffuſa, „admirabile boni & ſapientis hominis ſpecimen præ„buit, in altiſſimo tandem rerum humanarum faſtigio „merito collocandum. Teſtis eſt Polonia, in qua Au„ditoris, ut appellant, Nuncii Apoſtolici munus obi„turus admodum adoleſcens profectus cum eſſet, per „omnem illam vaſtiſſimam regionem venerabilem ſuæ „virtutis famam, memoriamque reliquit. Teſtes am„pliſſimæ Flaminiæ, & Piceni Provinciæ, in quibus ad„miniſtrandis ſumma cum humanitatis & abſtinentiæ „laude verſatus eſt. Teſtis Camerinenſis eccleſia, quam „ita rexit, ita novis ſynodalibus legibus temperavit, „atque ſui exemplo ita inſtituit, ut nullæ in eo vigi„lantiſſimi Paſtoris partes deſiderari poſſe viderentur. „Teſtis eſt Neapolis, in qua memorabilis illa populo„rum a Rege defectio cum incidiſſet, Nuncium vere „Apoſtolicum, hoc eſt pacis interpretem, & caduceа„torem conſtantem intrepidumque ſe præbuit. Teſtes „vos ipſi, Eminentiſſimi Patres, qui defuncto Inno„centio Pontifice, cum in Apoſtolico conclavi concluſi „eſſetis, quem alium ad reſtinguendum oriturí in Ita„lia belli pernicioſum incendium, niſi hunc tanto con„ficiendo negotio dignum judicaſtis? Teſtes omnes E„piſcopi, omneſque religioſorum Ordinum Familiæ, „quæ ſingularem ſummi hujus viri in Cœtu ampliſſi„mi Ordinis veſtri ad res ſuas gubernandas præpoſito, „ſapientiam & gravitatem plures per annos feliciter „experti ſunt. Teſtes iterum & ſæpius vos omnes fui„ſtis, qui ejus ſingulares virtutes propius inſpexiſtis; „quæ virtutes cum illum ad ampliſſimos honores pro„vehere diſtuliſſent, ſuæ tarditatis pœnituiſſe viden„tur,

(1) *Memorie del Card. Paſſionei ec.* pag. 192. & ſeqq.

„ tus, ac elapsi temporis moras præpropera emendatio-
„ ne cum purpuræ, tum sacrarum clavium traditione
„ sarciviſſe. Longum est singula enumerare, & omnino
„ supervacaneum, dum pleraque omnia, quæ dici a me
„ possunt, vos ipsi non auditione solum & fama, sed
„ etiam tractatione atque experientia cognita, & per-
„ specta habetis. Quare omissis quæ in privata vita
„ cum laude gessit, ad res in principatu gestas mecum
„ una repetendas adeste, Eminentissimi Patres. Et pri-
„ mum omnium quid ipso ad tantum honorem primo
„ accessu splendidius? Nam sententiis vestris ad eum eli-
„ gendum, etiam ad culmen humanæ dignitatis admo-
„ vendum effusis, quamdiu cum ejus animi moderatio-
„ ne, & Christianæ humilitatis studio luctandum fuit?
„ Quia nimirum unus fuit semper ambitus candidati ut
„ excluderetur. Cessit tamen vobis, quia se in imperio
„ nisi optimum esse posse existimavit, quem non una
„ dies sed plures menses, non propria ambitio, non
„ privatæ rationes, sed publica utilitas, non homines
„ tantum, sed divinum Flamen fecere Pontificem.

„ Vix humeris Clementis X. in quod nomen jam
„ privatum Æmilii transivit vocabulum, sacri imperii
„ onus insedit, cum de adjungendo sibi principalium
„ curarum socio, atque adjutore, qui honorifico fami-
„ liæ suæ nomine honestaretur, secum animo volita-
„ vit, atque eum illico adoptavit, cum quo parva aut
„ nulla cognatio, nulla necessitudo, sed nihilominus
„ eum asçivit, quia dignus erat ut eligeretur. Pontifi-
„ cum namque cognatos fuisse bonos, fortuitum; ado-
„ ptio tantum optimum quemque invenit. Fuit igitur
„ hæc summa, atque incredibilis virtus Pontificis, in
„ laborum curarumque consortium illum assumere,
„ quem sibi non natura, vel casus, sed virtus & pro-
„ bitas conciliavit. Hoc ille ministro, & adjutore per
„ annos sex & ultra optimis atque sanctissimis institu-
„ tis Christianam Rempublicam temperavit. Nec vero
„ in primis prætermittenda est cura, ac vere paterna
„ sollicitudo erga commoda & rationes populorum;
„ quo factum est, ut ad premendam vectigalibus Rem-
„ publicam nunquam animum converterit; quinimo in-
„ gravescente annona, ut jam plane inopia ac fames ti-
„ meretur, ope sua ingentibus pecuniarum jacturis a
„ longinquis & disjunctissimis terris rem frumentariam
„ incredibili providentia evehi curavit, qua Urbis an-
„ nona ita redundavit, quantum vix ex summa ubertа-
„ te agrorum consequi potuisset. Hujus generis etiam
„ est admirabilis ejus constantia, atque animi magnitu-
„ do, quæ in caussa fuit, ut persuaderi sibi nunquam
„ sit passus minuere quotam fructuum, qui ob eroga-
„ tas a privatis Apostolico fisco necessario tempore pe-
„ cunias bimenstruatim percipiuntur. Et quamvis ingen-
„ ti æris alieni pondere adeo prematur Respublica, ut
„ hoc neglecto remedio jam solvendo non sit, frugali-
„ tate potius & sumptuum moderatione, quam cujus-
„ quam damno & detrimento, publici ærarii inopiæ
„ subvenire proposuit: & nihilominus hac temporum
„ conditione neglecta, ob innatum erga omnes populos
„ studium Poloniam usque suæ liberalitatis monumenta
„ transmisit; nam conantibus contra Turcas Polonis,
„ quid hactenus non contulit liberalissimus Pontifex
„ monendo, consulendo, adhortando, & quod caput
„ est, magnam pecuniæ vim ad sublevandam eorum
„ inopiam assidue erogando? Sed hæc luculentissima li-
„ beralitatis atque eximiæ pietatis exempla in hoc
„ principe vulgaria extiterunt; quippe qui etiam priva-
„ tus ea perpetuo exercuerat. Sed quid de assiduo illo
„ suo orandi, mentemque ad Deum erigendi proposito
„ dicam? Quos enim sanctos viros ad conciliandam no-
„ bis divinam gratiam, altaribus admotos ad fidelium
„ cultum publice proposuit, eos privatim colere & ve-
„ nerari, sibique & suo gregi universo propitios redde-
„ re nunquam intermittebat; quæ virtus inter Christia-
„ nas laudes merito præstantissima, singularis in illo
„ plane & admirabilis fuit. Quam sæpe cladibus filio-
„ rum suorum illacrymatus est, effusumque nullo ope-
„ ræ pretio per mutua inter se vulnera eorum sanguи-
„ nem miseratus? Quapropter ad restinguenda inter
„ Christianos Principes discordiarum & bellorum in-
„ cendia, litteris Apostolicis, & legationibus, ac o-
„ mni reliqua paterni affectus, ac flagrantissimæ erga
„ eos caritatis significatione est adhortatus, ut nihil o-
„ mnino, quod ad tantum, & tam necessarium Chri-
„ stianæ Reipublicæ bonum opportunum esset, inta-
„ ctum atque inexpertum prætermisisse videatur. Quid
„ vero de accuratissimo hujus sanctissimi Pontificis stu-
„ dio proferam in sapientissimorum ac summorum viro-
„ rum delectu ad publica & ecclesiastica munia exer-
„ cenda, in quibus virtutes & merita, non gratiam,
„ & privatos suos affectus sequutus est? Quod idem
„ in promovendis ad amplissimas dignitates semper præ-
„ stitit, ut ingenio, doctrina, & nobilitate ad supplen-
„ dam sacri vestri Collegii frequentiam præstantissimos
„ viros semper elegerit “.

Laudat quoque præter alios scriptores Muratorius Clementem Pontificem ob utilissimum ab eo promulgatum Edictum, quo viri ditionis suæ nobiles admonebantur nullam claritatis suæ splendorisque generis passuros jacturam, si mercaturæ operam dare vellent, dummodo merces minutatim ipsi non divenderent. Nec minori laude prosequendus ob leges decretaque sapientissima, quæ edidit, ut antiquam revocaret Ecclesiæ disciplinam, veteresque confirmaret canones, præcipue de Monialium clausura. *Annali d' Italia* ad An. 1671.

Tres Clemens X. reliquit vacuas Sedes in Collegio purpuratorum Patrum, quas moriens implere recusavit, licet rogatus ac pene fatigatus precibus Cardinalis nepotis, ac plurium Cardinalium vicinæ illius morti illacrymantium. Rem gravem esse ajebat Pontifex & meliori indigentem consilio: se ultimis cogitationibus incumbentem, huic imparem esse judicio. Quare divinum implorans præsidium, statumque Ecclesiæ universum Cardinalibus commendans, ut futuræ scilicet prospicerent Pontificis electioni, & simultates ac partium studia deponerent, vitam, quam pie egerat, felici morte absolvit.

Decreverat Clemens An. 1675. ad augendam pietatem Christianorum sacros honores Martyribus Gorgomiensibus, sic dictis ab loco inlatæ necis, qui superiore sæculo apud Belgas mortem obierant vario affecti genere suppliciorum, quod confirmarent Romani Pontificis primatum, & verum Christi Corpus in Eucharistia contineri tuerentur.

INNOCENTIUS XI.

NOVOCOMUM nobilis est, pervetusque Insubriæ Civitas, in qua gentem Odeschalchiam a primis usque Regum Langobardorum temporibus summa nobilitate floruisse, & Annales Novocomensium, & monumenta vetustatis loquuntur. Sed, ne vetera colligam, sicut nobilitatis opinionem una plerumque excitat, & tuetur admiratio divitiarum, ita quidem plane constat, ad eam familiam superiore sæculo divitias ingentes, ac prope regias, non tenui, ac sordida, sed liberali, & splendida ratione quæsitas, perveniſſe. Cæterum hujus Civitatis, ac Gentis gloriam mirum in modum auxit, cumulavitque BENEDICTUS ODESCHALCHIUS, cujus vitam, atque res gestas latine scribere aggredimur.

Is Novocomi natus est generosis, piisque parentibus Livio Odeschalchio, & Paula (2) Castellia, quibus nihil fuit antiquius, quam ut optimis moribus imbueretur, atque ad omnes informaretur artes, quibus nobiles pueri erudiri solent. Neque vero ille tam diligenti parentum culturæ non apprime respondit. Adhuc enim puer non adumbrata, sed expressa edidit futuræ sanctitatis indicia. Etenim cum semper a ludicris rebus maxime abhorruit, tum nullis virtutibus caruit, quæ illam ornant ætatem. Summa vero illius pietas in Deum, Divinamque Matrem ita elucebat, ut æqualibus

(2) Hæc Paula Nicolai Castelli, & Juliæ Joannelliæ Bergomatum filia sororem habuit Cæciliam fœminam sanctissimam, quæ nupta Benedicto Joannellio Bergomati, deinceps in nobilitatem Reip. Venetæ adscito, mater fuit, celebris Joannis Andreæ Joannellii, qui militari laude floruit, & in Hungarico bello adversus Turcas diem extremum obiit. Hæc origo est necessitudinis, quæ Odeschalchios inter, & Joannellios Patritios Venetos intercedit.

bus incitamento eſſet ad imitandum. Illud autem omnino ſingulare, quod quamquam vultu, ac totius corporis habitu virginalem quandam verecundiam præſeferret, tamen generoſum & vitæ contemptorem animum gereret, atque in ipſo adoleſcentiæ flore nihil vehementius cuperet, quam militiæ nomen dare, ut cum teterrimis hoſtibus Chriſtiani nominis Turcis, qui id temporis in novas Europæ Provincias impetum fecerant, aut feliciter depugnaret, aut fortiter vitam pro Chriſtiana Religione profunderet. Sed huic voluntati fortaſſe parentum voluntas repugnavit. Falſo igitur a pluribus hiſtoricis, pleriſque tamen Gallicis, memoriæ proditum eſt, illum ſive in Polonia, ſive in Gallia, ſive alibi ſtipendium meruiſſe. Interrogatus enim hac de re jam grandis natu Odeſchalchius, præciſe negavit, ſe ulli unquam militiæ nomen dediſſe, præſertim cum ſi dediſſet, nunquam ei ſacris Ordinibus imbui licuiſſet, niſi bona cum venia Romani Pontificis publico monumento conſignata. Cujus quidem monumenti nullum exemplum, veſtigium nullum. Et tamen relatum eſſe oportuit (ſi fuiſſet) in acta legitimæ Inquiſitionis, quam in ejus vitam & mores diligentiſſime factam fuiſſe conſtat.

Hoc tamen loco prætereundum non eſt, quæ cauſa illi fuerit e patria proficiſcendi. Erat clarum Odeſchalchii in Civitate nomen, erat is apud omnes ordines gratioſus, & eo quidem acceptus, quod ad illius facilitatem ſumma gravitas morum, & vitæ innocentia acceſſerat, dictorumque, & factorum fides, atque conſtantia; quo fiebat, ut perſæpe, licet juvenis, in publicis, privatiſque negociis conſuleretur. Ventum igitur ad ipſum eſt, ut capitalem inimicitiam, quam duo primarii Cives inter ſe exercebant, quamprimum componere pro ſua ſapientia ſtuderet. Rem arduam, atque difficilem perlubenter ſuſcepit Odeſchalchius, perfecitque, ut duo illi inimici, immani odio depoſito, mutuo in gratiam rediiſſe viderentur. Sed dum maxime pax conſtituta videbatur, alter ex illis opportunitatem nactus, qua veterem adverſarium impune adoriri poſſet, fidem fefellit. Cujus rei indignitate commotus Odeſchalchius ſenſit, ſe ad ulciſcendam injuriam acrius incendi, quam deceret hominem Chriſtianum. Ut itaque moderaretur iræ, quæ ad perfidi hominis præſentiam vehementius efferveſcebat, decrevit, etiam ex amicorum, ac propinquorum conſilio, aliquandiu carere patria.

Primum itaque Romam venit, mox Neapolim profectus, literis impenſius operam dedit, atque in ſacro, civilique jure cognoſcendo ita diligenter verſatus eſt, ut non multo poſt publicos honores, laureamque conſecutus ſit. Deinde Romam reverſus eſt ea mente, ut in Urbe, tanquam in ſinu Religionis, quam unice colebat, privatus vitam tranquillam, quietam, & remotam ab omni ambitione traduceret. Sed ejus conſiliis Fratris natu majoris benevolentia, atque liberalitas obſtitit. Is enim Benedictum hortari cœpit, ut ad ampliſſimos Eccleſiaſticæ Reipublicæ honores animum adjungeret. Romam enim eam Urbem eſſe, quæ ſola peregrinam virtutem aſciſcit, excipit, ornat honoribus, ſola dominam facit rerum omnium humanarum, nullum eſſe honeſtiorem laborem, quam qui pro Catholicæ Eccleſiæ bono ſuſciperetur. Memoraret majores ſuos ſummis in Romana Eccleſia honoribus uſos, præſertim Thomam Odeſchalchium Epiſcopum Viglevanenſem, & Franciſcum, qui a Pio IV. Pontificio ærario præfectus fuerat, quorum exempla ſequi & ipſi, & familiæ univerſæ decorum foret. Sed cum id Frater Fratri perſuadere non potuiſſet, ad Franciſcum Paravicinium amicum ſuum, tum Romæ commorantem, litteras dedit, ut conſpicuum aliquod civile munus, quod nonniſi Aulæ Romanæ Præſules obire ſolerent, Fratri quamprimum compararet: pecuniæ vero ne parceret: quicquid autem in eam rem impenſum fuiſſet, ſe quantocius præſtiturum. Amico morem geſſit Paravicinius, ac non multo poſt rem confecit. Tum demum ceſſit Benedictus amantiſſimo Fratri, non tam ne propoſiti ſui nimium tenax deſidioſum otium honeſto labori anteferre videretur, quam (ut ego arbitror) occulta quadam mentis vi, ac potius immortalis Dei inſtinctu, qui conſilia hominum eo dirigit, quo ipſi minus putant. Ergo honorum ille curſum ingreſſus eſt, quem neſcio majore ne virtute, an celeritate perfecerit: Anno enim ætatis ſuæ undetrigeſimo jam vertente primum inter Romanos Præſules cooptatur (1). Anno trigeſimo quarto ineunte renuntiatus eſt Cardinalis. Neque tamen illi, etſi feliciſſimus videri potuit, ſuper fortunam virtus, atque induſtria non fuit. Nullum enim interea tempus præteriit, quo non aliquid gefferit memoratu dignum; atque illius opera non magno Reipublicæ uſui ſtatim fuerit.

Orta erat ſub idem tempus h. e. anno reparatæ ſalutis CIↃIↃCXL. Odoardum Farneſium inter & Cameræ Apoſtolicæ Adminiſtros magna diſcordia, quæ vehementi contentione utrinque agitata, in apertum bellum eruperat. Quod bellum cum juſtum ab Urbano VIII. Pont. Max. exiſtimaretur, & ad tuendam Pontificiam Ditionem neceſſarium: Ærarium autem exhauſtum eſſet, nova, eaque graviſſima vectigalia in ſingulis Provinciis conſtituta ſunt: Odeſchalchius autem cum extraordinaria poteſtate in Picenum miſſus eſt, ut imperatam pecuniam quamprimum a Picentibus exigeret. Acerbiſſima procuratione mirum dictu eſt, quam non acerbe perfunctus ſit. Neque enim ſibi imitandos cenſuit Aulicos illos, qui nullum certius, breviuſque compendium ad gratiam Principis promovendam novere, quam ut illi pecunia undeunde affatim ſuppetat, ſed dum novas perpetuo comminiſcuntur augendi Ærarii rationes, ſpecioſo communis boni nomine, eas ad privatæ avaritiæ prædam, non ad publicam utilitatem conferunt. At Odeſchalchius maximam quidem publici Ærarii, ſed aliquam etiam populorum rationem habendam eſſe duxit. Quapropter cum diu multumque expendiſſet, quid illa Provincia oneris ferre valeret, quidve recuſaret, planeque intellexiſſet, ultra vires ſortemque illius Provinciæ pecuniam efflagitari, nunquam induci potuit, ut ad totam imperatæ pecuniæ ſummam redigendam vi atque auctoritate abuteretur. Quamquam autem Cardinalis Barberinius ea de re ſæpe ſcriberet, inſtaret, urgeret, ille cunctari, moras nectere, ipſum denique ſummum Pontificem de populi inopia, de Provinciæ ſtatu certiorem facere. Quæ res toti Piceno ſaluti fuit. Summus Pontifex a tanto viro de rei veritate certior factus, ſtatim juſſit, ut quicquid adhuc perſolutum non fuiſſet, illi Provinciæ remitteretur: atque Odeſchalchius ampliſſimum humanitatis ſuæ fructum cepit; nam neque Principis gratia poſtea caruit, ac Picentum omnium benevolentiam, atque exiſtimationem promeruit. Difficillimo hoc munere perfunctus, non multo poſt juſſus eſt univerſæ illi Provinciæ cum Imperio præeſſe, de qua jam optime meritus fuiſſet. Quo in Magiſtratu ita ſe geſſit, ut ad ampliores honorum gradus Romam vocatus fuerit, atque inter eos Præſules (2) cooptatus, qui a Cardinalatu proxime abeſſe ſolent.

At Innocentius X. qui Urbano VIII. in Pontificatu ſucceſſerat, cum primum redeuntem Romam Odeſchalchium vidiſſet, peramanter complexus, nunc ſane opus eſt, inquit, ut illius amplitudini ſtudeamus, qui tam egregia fide Pontificiæ Ditionis bono, ac felicitati hactenus ſtuduit, eidemque mox fidem ſolvit. Obſtabat optimæ Principis voluntati Olympia Maidalchinia potentiſſima fœmina, cujus precibus nihil Innocentius negatum velle dicebatur, multaque moliebatur apud Levirum Pontificem, ut alter, cui illa maxime favebat, Præſul eum obtineret dignitatis gradum, quem nihilominus Innocentius ad Odeſchalchium detulit, ac poſt dies non plus quadraginta ipſum etiam inter Cardinales cooptavit.

Sed quamquam Odeſchalchius non ſane vafre, non cupide, non malitioſe ad hunc honorem obrepſerit, ſed eo pervenerit curſu, qui ſemper optimo cuique patuit; idemque Pontifex teſtatus ſit, ſe illius perſpectæ virtuti, non ambitioni præmium dediſſe; ipſam denique Olympiam certum, exploratumque ſit, illius amplitudini obſuiſſe potius, quam profuiſſe, tamen inventus eſt Sycophanta quidam neſcio cujus Ephemeridos auctor, qui ſcripſerit, Odeſchalchium ſe ſe in Olympiæ gratiam callidiſſime inſinuaſſe, ejuſdemque opera Cardinalatum eſſe conſecutum. Cum enim, inquit, Olympia, & Odeſchalchius una ſimul alea luderent, hic quaſi victus non mediocris pecuniæ jacturam fecit, quamvis revera victor extitiſſet, fore ſperans, ut rei veritate a conſciis ſpectatoribus Olympiæ renunciata, ſua in ipſam liberalitas maxime commendaretur.

Neque huic fabellæ diſſimilis eſt narratiuncula altera de argentea ſupellectile, miro artificio elaborata, quam Odeſchalchius magno pretio emiſſe dicitur, & Olympiæ dono dediſſe, poſteaquam ſubodoratus fuerat, eandem fœminam, etſi illius comparandæ cupiditate incenſam, tamen noluiſſe tanti emere, quanti venditor poſcerat. Sed hujus tantæ munificentiæ quaſi laqueo capta Olympia, memor, & grata celerem Odeſchalchio fortunam fabricata eſt. Verum etiamſi nulla plane ſit auctoritas, & fides hujuſmodi Ephemeridum, quæ facta infectaque comminiſcuntur, tamen neſcio quomodo

(1) h. e. Prothonotarios. (2) h. e. inter Primarios Cameræ Clericos.

hæc commenta vulgi ſermonibus longe lateque diſſeminata ſunt. Adeo verum eſt, nihil eſſe tam volucre, quam maledictum, nihil facilius excipi, nihil libentius audiri; præſertim ſi quid aculeorum in principes viros emittat. Non eſt tamen, cur in hiſce fabellis diluendis prolixius immoremur, cum id antea ſummi viri præſtiterint, atque imprimis Pontifex Benedictus XIV. qui mihi unus eſt inſtar omnium. Ego vero contra hujuſmodi falſas criminationes nihil magis valere arbitror, quam vitam, & mores Odeſchalchii, ſimul ac in Cardinalium ordinem cooptatus fuit. Neque enim quæ male comparata ſunt, non male geri ſolent; & nemo ſubito fingi poteſt, neque ullius repente in contrariam partem vitam mutari, aut naturam ita converti videmus, ut qui aut vitiis mancipatus, aut virtuti deditus fuit, ſtatim longe alios induere mores, atque aliam rationem vivendi inire poſſe videatur.

At Odeſchalchius, ubi primum honore eſt ornatus clariſſimo, eam in vultu, in ſermonibus, in convictu, in conſuetudine virtutem præſetulit, non recentem quidem ac novam, ſed diuturno jam uſu perſpectam, & ejuſmodi, ut proxime accederet ad veterem illam diſciplinam Antiſtitum ſanctiſſimorum, qui Romanam Eccleſiam auxerunt, atque illuſtrarunt. Hinc apud Odeſchalchium non magnifica, & ſumptuoſa ſupellex, non magna vis argenti cælati, nulla ſervorum, & curruum inſolens pompa: contra vero ſumma frugalitas, ſumma in egenos liberalitas, ſummus labor, & diligentia in iis muneribus obeundis, quæ ampliſſimo illi ordini impoſita ſunt.

Hæc inter munera plus ſplendoris, & vero etiam quæſtus habere cenſentur Legationes Provinciarum, quæ ſunt in imperio, ac Ditione Romani Pontificis. Vacua erat Legatio Ferrarienſis, & nemo unus Cardinalium erat, qui eam depoſceret propter charitatem rei frumentariæ, qua Ferraria, totaque Ferrarienſis Provincia miſerabiliter angebatur. Incuſſit ea res curam Innocentio X. Pont. Max. qui, circumſpectis omnibus, vertit ad Odeſchalchium animum, neque alium opportunius eo Legatum mittendum exiſtimavit, ut pauperum præſertim inopiæ in tam præſenti periculo opitularetur. Detrectavit primum Odeſchalchius tam difficilem provinciam, non aliam ob cauſam, quam quod vereretur, ut ſubſidia, quæ neceſſitas flagitabat, ſibi ulla pecuniæ vi in promptu eſſe poſſent. Sed cum certior deinde factus eſſet, reperiri in Apulia maximum frumenti numerum, morem ſummo Pontifici libentiſſime geſſit, ſtatim in Apuliam miſſis, qui plura modiorum frumenti millia ære ſuo coemerent, ac navibus onerariis impoſita, Ferrariam quamprimum deferrent. Cum ſe in viam dediſſet, ac multa agitaret animo, quæ nullam ſibi partem quietis capere ſinerent, metueretque imprimis, ne navium curſum venti, tempeſtateſque retardarent, Aſſiſium divertit, ut Joſephum Copertinatem e familia Conventualium, quos vocant, cujus fama ſanctitatis tota Italia percrebuerat, inviſeret, illique rem prolixius commendaret. Huic ſanctiſſimo Viro vidimus noſtra ætate cœleſtes honores rite, ac ſolemniter decretos a Clemente XIII. Pont. Max. Joſephus igitur Odeſchalchium bono eſſe, hilarique animo juſſit: fore enim, ut prius onerariæ naves in Ferrariæ portum, quam ipſe in illam Urbem, pervenirent. Revera perlatæ ad eum fuere literæ, quibus certior factus eſt, navigatione feliciter peracta, frumentum jam eſſe in tuto. Itaque biduo poſt Ferrariam ingreſſus, maximis vulgi acclamationibus exceptus, ſtatim effecit, ut ſummam annonæ charitatem inopinata vilitas conſequeretur. Cujus munificentiæ fama cum totam Italiam pervagata eſſet, atque in Urbem ad ipſius Summi Pontificis aures perveniſſet: Jam antea, Pontifex ait, nobis compertum erat, amantiſſimum egenorum patrem nos Ferrariam Legatum miſiſſe; atque iſta quidem laus vulgo illi a Ferrarienſibus tributa fuit, ac in plurimis frequentioribus ejus Civitatis locis, ubi ſtemma gentilitium Odeſchalchii poſitum fuit, erat inciſa hujuſmodi Inſcriptio BENEDICTUS ODESCHALCHIUS P. P. id eſt, Pater Pauperum. Demum nihil ab eo ad publicam Ferrarienſium calamitatem ſublevandam geſtum vel munificentius, vel opportunius, neque exemplum extat hujuſmodi Legationum adminiſtrandarum clarius.

Cum igitur Odeſchalchius tres ipſos annos Ferrariæ Legatus fuiſſet, itaque ex ea Provincia deceſſiſſet, ut Ferrarienſibus omnibus jucundam, diuturnamque memoriam Legationis, nominiſque ſui relinqueret, Innocentius X. P. M. illum Novarienſi Epiſcopatu prædivite, atque honorifico auctum, ornatumque voluit. At non ita quidem is erat animo comparatus, ut Epiſcopatum quaſi mercedem laborum, & otii portum exiſtimare poſſet, cum intelligeret multo plus oneris, ſolicitudinis, periculi illi dignitati eſſe impoſitum, quam forte quiſquam putat. Ergo Epiſcopatum Odeſchalchius ita accepit, ut ad magis magiſque in Eccleſia Dei elaborandum omni ſe officiorum religione obſtrictum arbitraretur. Nihil profecto neglexit, quod ad amplificandam, procurandamque populi ſibi commiſſi ſalutem pertinere aliqua ratione videretur. Summam in primis Ædium ſacrarum curam geſſit, eaſque omni ornamentorum genere, ac nobiliore ſupellectile inſtruxit, atque etiamſi in eam rem magnam pecuniæ vim impendiſſet; nunquam tamen permiſit, ut ſuum ſtemma uſquam apponeretur. Cupiebat enim, ut ſua quidem beneficia eſſent immortalia, ſui tamen memoria ſtatim periret. Xenodochia, Noſocomia, atque alia id genus inopum, atque ægrotorum perfugia frequentiſſime inviſebat. Nondum in ea civitate inſtructum fuerat publicum illud pauperum Ærarium, quod vulgo Mons Pietatis appellari ſolet. Ergo Novarienſibus auctor fuit, ut illud quamprimum inſtituerent; cujus voluntati ſtatim morem geſſere. Vehementer enim gaudebant Novarienſes, tam probum, tam vigilem, tam munificum Paſtorem ſibi obtigiſſe, illiuſque conſilia, atque auctoritatem perlubentiſſime ſequebantur.

Illis autem tam eximio bono frui diutius non licuit. Cum enim ea Civitas in humili planitie ſita ſit, quæ quo opportunior orizæ ſegeti, eo infeſtior hominum valetudini plerumque eſſe ſolet, aere ſibi minus æquo uti cœpit Odeſchalchius, atque illius valetudo non mediocriter tentari. Cum itaque vereretur ſanctiſſimus Præſul, ne, ſi valetudine minus commoda uteretur, minus aptus foret ad laborioſiſſimum munus, pro eo ſtudio, quo efferebatur, Chriſtianæ pietatis, perfungendum, Epiſcopatu ſe abdicavit. Nullus profecto fuiſſet Novarienſium dolori modus, niſi ſtatim in ejus locum germanus frater Joannes Baptiſta ſucceſſiſſet, qui Benedictum in omni virtutum genere quam proxime imitaretur. Hic autem, jamdiu humanis rebus omnibus neglectis, in Divi Benedicti Cœnobiis vitæ monaſticæ ſe addixerat, dignuſque ob eximiam ejus virtutem ſummo Pontifici viſus eſt, qui tanto Fratri ſuccederet. Jam vero is in utroque vitæ ſtatu non mediocri prudentiæ, ac ſanctitatis laude floruit, morienſque magnum ſui deſiderium Novarienſibus reliquit. Cæterum Odeſchalchius noſter, dum Epiſcopatum dimiſit, palam profeſſus eſt, ſe quidem illius Eccleſiæ honorem abdicare, non vero procurationem abjicere, quam procurationem ſibi perennem, & jucundam fore recepit. Neque fidem egregie non præſtitit: Penſionem enim trium millium nummûm aureorum, quam illi ſummus Pontifex de reditibus Epiſcopatus detractam ſolvi juſſerat, non modo non attigit quidem, ſed etiam ex ſua pecunia non mediocriter auxit, mandavitque, ut tota quotannis in pauperes Novarienſes tribueretur. Itaque nihil ad ſe ex illius Eccleſiæ reditibus, multum, dum vixit, de ſuis ad illam pervenit. Jura præterea, atque illius Eccleſiæ immunitates, quas contra nonnullorum potentium hominum conatus, qui Regio nomine atque auctoritate ad eas evertendas abutebantur, cum eſſet Epiſcopus, non minus fortiter, quam prudenter propugnarat, poſtea Romæ conſtanter defendit.

Romam, Epiſcopatu abdicato, cum rediiſſet, perſonam Eccleſiaſtici Principis in Romano Senatu pulcherrime ſuſtinuit. Ille adeſſe Romano Pontifici opera, conſilio, vigilantia, fide, ſemper aliquid aut ſuadere, aut moliri, aut facere, quod e Chriſtiana Republica eſſe videretur. Itaque nihil domi per ea tempora, nihil foris vel egit Pontifex, vel agere cogitavit, in quo Odeſchalchii aut ſententia, aut opera non uteretur. Non ſunt explicanda omnia, quæ in Cardinalatu geſſit, ut hiſtoriæ brevitati conſulatur. Sed illud eſt memoratu digniſſimum, quod cum apud Chriſtianos Principes, & præſertim Romæ, ageretur de comparandis ſubſidiis ad Turcicum bellum propulſandum, Cardinalis Odeſchalchius exiſtimavit, non poſſe melius opes, quibus abundabat, profundi, quam ad defenſionem Chriſtianæ Religionis, quæ in maximum diſcrimen vocabatur. Itaque, homo privatus cum eſſet, magnam auri vim Leopoldo Cæſari, ac Caſimiro Poloniæ Regi dono miſit, quo ea pecunia inſtructiores, ac paratiores eſſent ad bellum maximum, formidoloſiſſimumque ſuſtinendum. Tanta autem pecuniæ ſumma, quæ ad nonaginta millia nummûm aureorum perveniſſe dicitur, curata eſt Franciſco Bonviſio civi meo, & Pontificio apud Imperatorem Legato, quem deinceps Odeſchalchius, Pontifex factus, Cardinalem creavit nobilitate, virtute, rerumque gerendarum ſcientia, atque uſu præſtantiſſimum. Ea tamen lege Bonviſio curata eſt, ut ingentis beneficii auctorem ne omnino aperiret; quaſi tanta virtutis lux in obſcuro eſſe poſſet, ac fugere conſpectum, atque admirationem civium omnium.

At ſecus id apparuit tum maxime, cum Clemente IX. e vivis ſublato Cardinales plerique omnes neminem Odeſchalchio præferre auſi, ipſum ſolum Pontificatu

catu dignum ſentirent, & prædicarent. Quorum tamen perſpectæ voluntati vehementer reſtitit Odeſchalchius, & agendo, orando, monendo evicit tandem, ut in iis Comitiis nulla ſui ratio haberetur, & Clemens alter, qui X. hoc nomine fuit, Pontifex eligeretur.

Sed hic paucos annos regnavit: quo vita functo, cum iterum conveniſſent Patres, ut de ſucceſſore agerent, Odeſchalchio in Ædes Vaticanas proficiſcenti univerſus ferme populus Romanus Pontificatum fauſtiſſimis acclamationibus auguratus eſt. At ille: quam mallem, inquit, me Cardinalem e Comitiis mortuum, quam Pontificem viventem prodire! Vix tamen in Ædibus Vaticanis pedem poſuit, cum omnium Patrum votis, atque ſuffragiis deſignatus eſt ſummus Pontifex. Comitia tamen ad quadraginta duraverunt dies. Quam cunctationem ab Odeſchalchii modeſtia allatam fuiſſe conſtat. Nihil enim non conatus eſt, ut ſanctiſſimum munus abſe iterum ablegaret. Primum quidem nervis omnibus contendit, ut ſive Cardinalis Alderanus Cybus, ſive Nereus Corſinius ſenior, viri nobilitate generis, & virtute præſtantiſſimi, animo vero, & uſu ad graviora quæque negotia maxime idonei ſufficerentur. Sed cum ea conſilia minus ex ſententia procederent, jam certior factus, Cardinales pleroſque omnes ſummum ſibi Pontificatum concordibus ſtudiis, atque ſententiis eſſe delaturos, neque ullum ſibi poſt tam diuturnam cunctationem deprecationi locum relictum eſſe, primum obteſtatus eſt, ſibi quidem non licere diutius tam exploratæ Patrum voluntati obſiſtere, eos tamen obſecrabat, ut etiam, atque etiam conſiderarent, quid in ea re conſilii caperent. Is enim re adhuc integra, palam omnibus denunciare, nil ſibi prius in ſummo Pontificatu, aut antiquius futurum, quam ut veterem Eccleſiæ diſciplinam in priſtinam dignitatem, ſplendoremque reſtitueret, ac vitiis omnibus, ſi quæ in Eccleſia irrepſiſſent, bellum ſeveriſſime indiceret. Auſterior hæc loquendi ratio, quamquam pleriſque gratiſſima acciderit, nonnullis tamen non admodum probabatur, verentibus, ne vitæ ſuæ cenſorem ſibi ultro conſtituerent; quo factum eſt, ut magnum illud ſtudium deferendi Odeſchalchio ſummi Pontificatus per paucos dies aliquantum refrixiſſe videretur. Sed cum incidiſſet ſolemnis Beatæ Mariæ in Cælum Aſſumptæ feſtus dies, quo die Recanatus Cappuccinorum, quos vocant, familiæ alumnus, vir non mediocri eloquentia præditus, qui, a Confeſſionibus Cardinalium cum eſſet, atque Comitiis intereſſet, concionem apud Patres habuit, eoſque vehementer hortatus eſt, ut in deligendo Pontifice quid ea dignitas flagitaret, tantummodo ſpectare vellent. Dum autem virtutes ipſas fuſius deſcribit, quibus Pontificem Maximum inſtructum, ornatumque eſſe oporteret, prope Odeſchalchium ipſum indigitare viſus eſt. Itaque oratio tantum auctoritatis, ac momenti habuit, ut Patres non amplius cunctandum, at veluti conſpiratione facta ſtatim deligendum Odeſchalchium exiſtimarent.

Peropportune etiam accidit, ut ſub id tempus Cardinales (1) e Gallia profecti ad Vaticana Comitia pervenirent, qui cum eſſent erga Odeſchalchium egregie animati, vehementer gaviſi ſunt, ſe in eum ſtatim incidiſſe, ut ſuam ſuffragationem, & opportunam, & juſtam, & debitam, & vero etiam gratioſam exhiberent. Ergo Cardinalium omnium conſenſu, atque ſuffragiis electus eſt Pontifex Maximus, ſtatimque, ut moris eſt, cum adhuc in Conclavi eſſet, ſingulorum Patrum obſequia ſemel, atque iterum excepit, qui adorantium in morem ad illius genua acciderunt. Tum Populo Romano, qui ab univerſa Urbe in ampliſſimum Vaticanum Templum confeſtim convolarat, ſe in conſpectum dedit. Eo ſpectaculo commota plebs, non inconditis acclamationibus efferri, neque diſſoluta lætitia geſtire, ſed hilaritatem præſeferre viſa eſt, intimo quodam admirationis, ac pietatis ſenſu conjunctam, ac Deum Opt. Max. precari, ut ea res Eccleſiæ, Urbi, & univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ bene, feliciterque eveniret. Creatus igitur eſt Pontifex die XXII. Septembris ann. CIↃIↃCLXXVI.

Atque hic placet duo quædam Vaticinia innuere, quæ Odeſchalchii futuram amplitudinem jamdiu ſignificaverant. Novocomi enim primaria quædam Matrona ſingulari pietate prædita, cum Odeſchalchii matrem poſt puerperium, ut moris eſt, inviſiſſet: Infantem recens natum aliquandiu defixis oculis contemplata, matri beatiſſimam fœcunditatem gratulata eſt his plane verbis: habes, Paula, unde triumphes gaudio, quod Pontificem Maximum edidiſti. Alterum vulgo fertur, quod Odeſchalchio Roma Neapolim verſus iter agenti, ex improviſo obviam veniunt duo Religioſi homines e Cappuccinorum familia, quæ dicitur, Odeſchalchio ipſi omnino ignoti, perconctanturque, quo iter haberet: cum reſpondiſſet, Neapolim, tum illi brevi, ſed vehementi oratione ſuadent, quaſique imperant, ut Romam quamprimum redeat, ibique domicilium conſtituat ſuum: hanc eſſe Divini Numinis voluntatem. Quo habito ſermone, ex oculis repente dilapſi ſunt, neque amplius viſi. Sed (ut hæc omittamus, quæ habita ſunt divinæ vaticinationis loco) nulla certior vaticinandi ratio erat, quam quæ ab inſtituta ipſius vitæ, & morum ſanctitate ducebatur.

Hic autem non erit abs re paucis exponere, quis ea ætate fuerit Urbis ſtatus, quæque ratio Pontificatus gerendi: magna enim quinquaginta ferme ab hinc annis rerum mutatio facta eſt; & permagni ſane momenti eſt, cum omnibus in rebus, tum in actionibus clariſſimorum hominum dijudicandis, ratio, atque inclinatio temporum. Nam cum Odeſchalchius Pontificatum ſuſcepit, Roma exiſtimatione, opibus, magnorum hoſpitum frequentia maxime florebat. Omnes ferme Principes, quibus imprimis Catholica Religio cordi eſſet, Pontificis Maximi ſedem venerabantur; illinc enim, non a barbaris nationibus, legum, morum, & humani moderatique imperii exempla petebant, illiuſque dignitati perlubenter ſtudebant. Neque tam Apoſtolica Sedes de ſupremis Principibus, quam ſupremi Principes de Apoſtolica ſede omnium officiorum genere benemereri certabant. Optime enim illis compertum erat, nullam eſſe tutiorem rationem, ac viam, qua ſuos in officio continerent, quam Religionem: nullum eſſe firmius vinculum, quod populos cum Principibus conglutinaret, quam ſi inter ipſos Principes, & Religionis caput concordia vigeret, ac mutua benemerendi voluntas. Romæ igitur inter Regios Legatos, qui prudentia maximopere, & rerum gerendarum uſu præſtarent, de univerſa Chriſtiana Republica, de concilianda pace, de contrahendis fœderibus agebatur, atque hic in primis conſilia iniri ſolebant, quibus Turcarum potentia conteri, & hæreſeos peſtis extingui poſſet.

Sed ut ad propoſitum revertamur, ea cum eſſet temporum, & rerum conditio, ad ſummum Pontificatum aſcendit Odeſchalchius, ſibique Innocentii nomine indito, ſtatim maxima bene adminiſtrandæ Chriſtianæ Reipublicæ fundamenta jecit. Jamdiu erat, quod Romani Pontifices in aliquam invidiam, atque offenſionem vocabantur, propterea quod in Fratrum, aut ſororum filios plurimum auctoritatis conferre ſolerent. Quo fiebat, ut non longo temporis ſpatio ſummam iidem ſibi potentiam compararent, atque ad immenſas emergerent opes. Sed Innocentius longe aliam ſibi rationem ineundam eſſe duxit. Romæ jamdudum verſabatur Livius Odeſchalchius Fratris Filius, cujus conſuetudine mirum in modum delectabatur: ſed quo primum tempore ſummus Pontifex renunciatus eſt, illi ſtatim indixit, ut intra privatæ fortunæ fines ſeſe contineret; nihil cum Oratoribus Principum tranſigeret: nihil in ſe reciperet: nullam denique publici muneris partem attingeret.

Erat illi Mediolani alter ſororis filius Antonius Erba vir inſigni pietate prudentia, doctrinaque præditus, quicum magna ſibi, vetuſque amicitia intercedebat, ad quem etiam Pontifex ſolebat frequentiſſime ſcribere. Is tamen ab amiciſſimo Pontifice nunquam impetrare veniam potuit, qua ſibi liceret Romam venire, ut ad illius pedum oſcula accederet. Cum autem is quidem ſumma nobilitate eſſet, neque tamen fortunis admodum lautis uteretur, vix poſtremo Pontificatus anno duobus filiis Eccleſiaſticam Penſionem ducentum quinquaginta nummum in ſingulos, quo ſtudiis vacare facilius poſſent, ab Innocentio quaſi invito obtinuit; quem tamen hujus tenuiſſimæ liberalitatis non ſemel pœnituit, cum ſibi aliquanto profuſior in conſanguineos fuiſſe videretur. Ex eadem Erba Familia deinceps a Livio Innocentii Fratris Filio (qui ſine liberis deceſſit) aſcitus fuit, atque in Odeſchalchiam ſtirpem inſitus Balthaſſar Innocentii XI. ſororis Pronepos, & alterius Livii Pater; qui Livius Romæ nunc maximo ſplendore, munificentia, & omnium exiſtimatione ornatiſſimus ſimilitudinem repræſentat Odeſchalchiæ virtutis, & nominis.

Sed neque tum defuerunt, qui prævalido jam more aſſentandi Pontificis propinquis, palam prædicarent, nemini, quam Conſanguineis majori futuram curæ Principis

(1) Jo. Paulus Gondi de Retz nuncupatus Archiepiſcopus Pariſienſis Tit. S. Mariæ ſupra Minervam. Emmanuel Theodoſius a Turre ab Arvernia Bullionus, Tit. S. Laurentii in Paniſperna. Cæſar Deſtræus, Tit. SS. Trinitatis in Monte Pincio.

cipis gloriam; atque id fore ſperabant, ut Innocentius ſua conſilia eo tandem referret, ut Fratris filium Livium Odeſchalchium ad capeſſendam Rempublicam invitaret; præſertim cum bene noſſet, ea illum abſtinentia eſſe, ut nihil mali metuere, plurimum boni ſperare Reſpublica poſſet. Sed Innocentius omnium expectationem fefellit. Neque enim unquam de primum ſuſcepta ſententia dimoveri paſſus eſt, neque quicquam in hac re de priſtina ſeveritate remiſit. Quin immo certior factus, ſubductis rationibus, a Clementis VIII. Pontificatu ex Ærario publico ſeptemdecim decies centena millia nummum aureorum ad conſanguineos Pontificum perveniſſe, legem ſancivit Cardinalium ſuffragiis comprobatam; qua lege vaſta illa conſanguineorum Pontificis cupiditas certis finibus cohiberetur. Ea lex quidem non ſtatim publicata fuit, ne aliqua macula quibuſdam Pontificiis familiis aſpergeretur; ſed non multo poſt Innocentius XII. illam promulgavit.

Excluſis ſuis ab omni adminiſtratione Reipublicæ, paucos tamen Viros, ſed boni publici, Religioniſque ſtudioſiſſimos in conſilium adhibebat. Mentitur igitur Baelius, qui temere (ut pleraque omnia) affirmat Innocentium in eo errore fuiſſe, quo ducuntur ſæpe Principes, qui ad gloriam ſuæ dignitatis referunt, ut potentia, ſic ſapientia cæteros antecellere, & nihil præterquam ſe auctoribus fieri volunt. Cujus tamen pernicioſi erroris plerumque Reſpublica pœnas luit. Innocentius tamen Cardinales (inter quos primarium adminiſtrum Alderanum Cardinalem Cybum ſummo conſilio, præſtanti fide, ſingulari virtute præditum) & Theologos aliquot prudentiſſime conſulebat, eorumque conſilia libentiſſime ſequebatur, præſertim ſi libera, & ab omni aſſentatione aliena cognoviſſet. Monitus enim a Religioſo Theologo, quo intime utebatur, non eſſe e Republica, ut in Magiſtratuum delectu junioribus poſthaberentur ii, qui ætate, & meritis antecellerent (quod factum fortaſſe animadverterat) non modo Innocentius liberum hominis judicium probavit, ſed gratias illi agens, uberes profudiſſe lacrymas, & quicquid erratum fuerat, pœnitendo correxiſſe dicitur. Adeo in imperio non aſſentationis (quod perrarum eſt) ſed ſimplicis veritatis amicus fuit!

Cum autem nihil magis pertinere ad ſummum Pontificem, quam Religionis tutelam intelligeret, circumſpiciens quaſi ex ſpecula Catholicum Orbem terrarum quid negotii, quid periculi ipſi impenderet cogitabat. In Gallia præſertim maximas moleſtiarum moles Pontifici Summo imminere prævidebat. Ab Hugonottis enim periculum erat, ne ſaniorem Chriſtianiſſimi Regni partem peſtifere illius ſectæ contagio traheret: augebantur etiam in dies ſingulos Janſenii ſectatores, contra quos prodiit in aciem, pulcherrimeque pugnavit natio Theologorum, qui glorioſius viciſſent, ſi minus inſolentes in victoria fuiſſent. Sed cum cœco quodam impetu ferebantur opiniones obtrudendi quaſcumque ſuas, tum non erant ipſi erroris expertes: laxiorem enim quandam doctrinam induxerant, qua Evangelicæ ſeveritatis nervos omnes elidere videbantur. Ergo in hac cogitatione omnium maxima defixus Innocentius, edixit, ut in ſingulas hebdomadas binæ Cardinalium Congregationes, quas vocant, haberentur, quibus ipſe præeſſe, atque intereſſe nunquam non ſolebat, quaſque Pontificatus ſui veluti adjutrices manus eſſe voluit. In altera enim (quæ ſacræ Inquiſitionis appellatur) de Catholica tuenda Religione: in altera de eadem latius diſſeminanda diligentiſſime agebatur, & Congregatio de Propaganda Fide dicitur.

Neque ex ea fructus non maximos ſuo Pontificatu cepit. Etenim miſſis ad Orientales plagas, qui Evangelicæ veritatis lucem afferrent, plures ad Catholicam fidem, & Romani Pontificis obedientiam perduxit. Hos inter non ſunt ſilentio prætereundi Blaſius Epiſcopus Samogenſis, qui ann. CIↃIↃCLXXXII., tum Mandrinus Epiſcopus Samatruenſis, tum Euthimius Archiepiſcopus Tyri, qui conſequenti anno opinione, & fama Innocentii permoti, ſchiſmate depoſito, ſeſe Romanæ ſedis principatui, auctoritatique devoverunt; literiſque pietatis, obſervantiæ, fidei pleniſſimis Pontificem enixe rogarunt, ut optimos, doctiſſimoſque Sacerdotes mitteret, qui ſe, ſuoſque populos erudirent Romanis moribus, atque inſtitutis. Hoc idem præſtitiſſe commemorantur & Joſeph Chaldæorum Patriarcha, & Ignatius Patriarcha Antiochenus, aliique non pauci Schiſmatici Orientales Epiſcopi. Quare Innocentius inſtituit Gallorum Sacerdotum Collegium, unde ſtrenui milites educerentur quaſi ad bellum impietati indicendum; quorum pleroſque ad remotiſſima Sciami, & Tunchini regna miſit. Et Sciami Regis quidem Legatum, multis comitatum, qui recenter ſacro Baptiſmo initiati fuerant, publice, & magno in hominum conventu excepit. Quo ſpectaculo, vel potius Religionis triumpho nihil Sanctiſſimo Pontifici jucundius, nihil glorioſius fuit. Legationis autem ſententia erat: Regem illum, divina luce illuſtratum, impiæ ſuperſtitionis errores execrari, & ad Chriſti Vicarii pedes procumbentem orare, ut ſe, ſuumque Regnum in clientelam reciperet ſuam; atque illuc Chriſtianæ doctrinæ nuncios, atque interpretes mitteret. Quod prolixe pollicitus eſt Innocentius, & præſtitit; Legato non ſine magnis Paterni amoris, & liberalitatis ſignificationibus dimiſſo.

Neque tamen minus accuratus fuit in temperandis moribus Civitatis, unde Religionis, & Chriſtianæ diſciplinæ exempla peti oportere animadvertebat. Hujus extant ſanctiſſimæ leges, quibus luxuriam coercuit, aleam excluſit, Urbem purgavit flagitiis, & facinoribus, immodeſtam mulierum licentiam compeſcuit, & divini cultus, & templorum violatores exilio, aliiſque pœnis ſeveriſſime mulctavit. Cum non ignoraret permultos Romæ nobiles viros, ut immoderatis ſumptibus eſſent pares, maximum æs alienum facillime contrahere; ne vero contractum diſſolverent, potentia impudentiſſime abuti, edixit, ut ex publico Ærario creditoribus præſertim egenis fieret ſatis: Fiſco autem eſſet curæ, ut ne quid ex ea re detrimenti Ærarium acciperet. Quo facto ſignificavit, omnia ſe æquitati, nihil gratiæ daturum, atque artificum, inſtitorumque inopiæ, atque injuriis contra potentiam, ſuperbiamque nobilium certiſſimo præſidio fore. Præterea cognoverat, plurima in Civitate eſſe perfugia, quo facinoroſi homines ſeſe recipientes a juſtitiæ pœnis elaberentur: id quidem non ferendum exiſtimavit; ſed eo jam tum curas, & cogitationes convertit, ut Aſyla quæque Legatorum tollerentur, ne in ipſa Urbe, in ipſo Pontificis conſpectu improbus quiſque furere, atque impune latrocinari poſſet. Quod quidem ab Innocentio non ſine magnis difficultatibus perfectum fuiſſe mox demonſtrabimus. Interim tamen huic ſalutari operi quaſi præluſit publico Edicto propoſito, quo cavit, ne uſpiam in poſterum exterorum Principum ſtemmata in privatarum ædium fronte apparerent.

Erat tum etiam Roma referta diplomatibus, quas Patentes vocant, quibus freti Romanorum Procerum clientes, familiareſque ad retardandam, eludendamque juſtitiæ vim ſæpiſſime abutebantur. Quamplurima hujuſmodi diplomata in ſuos clientes tribuerat Laurentius Columnius Princeps Romanæ nobilitatis, atque, ut erat animo elato, indignabatur, ac minas opponebat, pericula intentabat, ſi quis eorum ab apparitoribus publicis ob aliquod facinus comprehenderetur. Neque hoc ferendum exiſtimavit Innocentius, cui nihil fuit antiquius, quam ut ſumma juſtitiæ ratio haberetur, atque ut inter inæquales illud æquum jus ſervaretur, quo quidem ſervato, nihil eſt Republica beatius, neglecto, ſolitudo quævis Civitatibus præſtat. Quid enim ſibi quiſque non metuat in ea ſocietate hominum, in qua peccandi licentiam certiſſima impunitas conſequatur? Itaque hac in re ea conſtantiæ, ac ſeveritatis documenta edidit, quibus a ſuſcipiendo ſacinoroſorum hominum patrocinio nemo non in poſterum abſterreretur. Nam Reſtium neſcio quem audacem hominem, qui tamen eſſet Principi Columnio admodum carus, ſeveriſſime proſcripſit: ipſum vero Principem ad ſe venire juſſit, ſummotiſque omnibus in ſecretius cubiculum peramanter induxit, & cum illo tres amplius horas ſermonem habuit. Ea fuit Pontificiæ vis eloquentiæ, ut Princeps ab eo colloquio omnino immutatus diſcederet. Ac revera, quamdiu vixit, tum ſanctiſſimi Pontificis memoriam pie coluit, cum in omnibus officiis Reipublicæ diligentiſſime ſatisfecit.

Romæ pluribus jam ab hinc annis verſabatur Chriſtina Alexandra Sveciæ Regina, quæ, poſtquam Catholicæ Religionis ſtudio cum Regno ſe abdicaſſet, peragratis plurimis Europæ regionibus, in Urbem una cum Holſtenio, quem doctiſſimum Præſulem Alexander VII. ad eam comitem legaverat, ad portam Flaminiam infinita civium frequentia, populique concurſu magnifice, ac ſumptuoſe triumphantis in modum invecta fuerat. Cum autem cæteras virtutes regias, quibus egregie inſtructa erat, ſuſcepto bonarum artium patrocinio, ſummaque in literatos homines benignitate, atque munificentia cumulaſſet, magnam obtinebat Romæ apud omnes ordines authoritatem, magnamque apud ipſos Pontifices gratiam. Itaque nihil eſſe tam arduum, nihil tam difficile videbatur, quod non facillime impetratura eſſet: At multis in cauſis plus apud Innocentium juſtitiæ cultus, quam Reginæ deprecatio valuit, præſertim, ſi ita ſtatus Urbis, conditio temporum, delictorum gravitas, publicæ denique tranquillitatis ratio flagitare viderentur.

Hoc loco non erit abs re narrare quod mirum accidiſſe fertur ad ejuſdem Reginæ, vel potius ipſius aulicorum audaciam frangendam. Cum eadem Svecorum Regina ſpectaculum, neſcio quod, edere conſtituiſſet certis

certis quibuſdam diebus, cum ludicra id genus Romæ celebrari non liceret; Innocentius Præfectum Urbi ad eam legavit, ut a ſuſcepto conſilio dimoveretur. Illa tamen contra perſpectam Innocentii voluntatem incœptum opus urgere, atque omnia, quæ neceſſaria erant, ad præſtitutum tempus parari, atque inſtrui jubet. Adit ſemel atque iterum Præfectus Urbi Pontificem, demonſtrat rem eſſe eo deductam, ut dubitari non poſſet, quin vetitum ſpectaculum fieret; rogat quid ſibi agendum foret ad tuendam Pontificiæ legis authoritatem. At Sanctiſſimus Pontifex, antequam reſponſum ferret, in interius conclave ſe recepit, & diu ante Chriſti Cruci ſuffixi imaginem provolutus ſacras preces fudit; deinceps e cubiculo egreſſus ad Præfectum Urbi: Tu, inquit, nihil ages, nihil molieris, quo ſpectaculum inhibeatur; ſed ſpectaculum certiſſime non edetur. Expectabant homines, quem exitum ea controverſia habitura eſſet; cum Regiæ domui Præfectus, qui ſignum ad ſpectaculum edendum jam prope daturus erat, repentina morte ſublatus ludum vertit in tragœdiam, qua ex morte interturbata omnia, & ſpectaculi cogitatio quævis abjecta.

Nonnullos etiam ejuſdem Reginæ aulicos non levium criminum reos, & Pontificiæ poteſtatis impudentiſſimos contemptores in carcerem duci, atque ſententiis Judicum tradi juſſit. Hoc ægre tulit Regina, quæ licet omni liberalitatis, atque honoris genere ab Innocentio aucta, volebat tamen Regiæ jus dignitatis ſanctum, inviolatumque tueri. Ergo cum intelligeret, Innocentio ſi obſiſteret, nihil profecturam, ad humiles preces deſcendit, & eos ita diligenter ſummo Pontifici commendavit, perinde ac ſi ſua res, aut honos ageretur. Sed nonnili poſt longiſſimum tempus impetrare potuit, ut ab Innocentio indemnati dimitterentur. Quamquam autem hæc Innocentii conſtantia minus fortaſſe grata Reginæ accidit, ea tamen ſæpiſſime experta eſt, ſe ab hoc Pontifice nihilo minoris fieri, quam deceret, ſuamque dignitatem nulli magis, quam Innocentio cordi eſſe. Nam cum magnam Pomeraniæ partem, e cujus Provinciæ vectigalibus centum millium nummûm penſionem ſibi illa reſervaverat, Marchio Brandeburgicus in ditionem iterum redegiſſet ſuam, Regina etiam maxima illius penſionis parte repente excidit. Cum igitur in ſummis pecuniæ anguſtiis verſaretur, neque Regiæ familiæ ſplendorem tueri diutius poſſet, Innocentius ejus rei certior factus, id conſilii cepit, quo Reginam ſibi Romæ domicilium conſtituiſſe non pœniteret. Illi enim duodecim millia nummûm ex Ærario Pontificio quotannis perſolvi juſſit. Quo beneficio Regiam fœminam Catholicæ religioni magis magiſque devinctam adjunxit.

Cæterum ubi de juſtitia ageretur, ita animum ſuum confirmaverat Innocentius, ut non gratia, non metu, non precibus ullis ab ejus adminiſtratione deduci poſſet. Quam firmitatem animi maxime declaravit in puniendo temerario Marchionis Gabriellii facinore. Nam cum Bacchanalibus diebus mos invaluiſſet, ut e nobilitate Romana Juvenes ferociores in via Flaminia ad oſtentandam aurigandi peritiam invecti Rhedis curſu contenderent inter ſeſe; unde plerumque rixæ, cædes, & magna incommoda oriebantur in Civitate; Innocentius Edicto ſeveriſſimo caverat, ne hujuſmodi curruum contentiones fierent, graviſſimis pœnis propoſitis in eos, quorum fraude id factum fuiſſe conſtaret. Sed Marchio Gabriellius ratus Reginæ Svecorum familiaritate, & clientela, qua utebatur, poſſe Edictum Pontificis impune violari, ſtulte arrogans currum Marchionis de Bubalo aggreditur, propellit, atque inaniter exultans ſubvertit. Ergo Innocentius illum ſtatim comprehendi, & in carcerem Molis Adrianæ detrudi jubet. Mox per Judices cognita diligenter cauſa illum exilio mulctat, & in Hungariam relegat, ubi decem ipſos annos adverſus Turcas militaret. Deinde ad Carolum Lotharingiæ Ducem, qui exercitui imperabat, litteras mittit, ut in Gabriellii vitam, & mores inquirat, & ſibi accurate referat, utrum militiæ labores ferens juſtitiæ ſatisfaceret. Poſt aliquod tempus accidit, ut Auſtriacus exercitus inſignem a Turcis victoriam reportaret. Marchio Gabriellius curat, per Lotharingiæ Ducem, in cujus gratiam ſeſe inſinuarat, ut a Leopoldo Cæſare ipſe nuncius victoriæ ad Pontificem deligatur. Deligitur, eique etiam vexillum ex hoſtium manibus ereptum ad Innocentium deferendum traditur. Gabriellius citatis equis, lætus, atque alacer ad Urbem volitat. Quod ubi intelligit Pontifex, non illum modo congreſſu, & colloquio ſuo prohibet, ſed intra tres dies Roma, quo non bona ſua cum venia accedere auſus fuerat, abire, & in Hungariam reverti jubet. Neque Cæſaris commendatitiæ litteræ, neque Legati Auſtriaci, qui Romæ erat, preces efficere potuerunt, ut a propoſito Innocentius dimoveretur. Adeo tenax juſtitiæ cultor fuit!

Dum ita Innocentius Pontificatum gerebat, ut in omnium ore, atque oculis eſſet, ut eum non minus cives diligerent, quam exteri vererentur, & Reges ipſi, ac Principes colerent, non tam reverentia Divini muneris, quod gerebat, quam opinione egregiæ, & propriæ ipſius ſanctitatis; fœda quædam tempeſtas exorta eſt, quæ tranquillum rerum Pontificiarum curſum vehementer perturbavit.

Placet hoc loco fontem licet remotum oſtendere hujus controverſiæ, quæ Pontifici cum Ludovico interceſſit, & unde maximam video in Pontificatum Innocentii invectam fuiſſe partem incommodorum. Manaſſe enim intelligitur a Baſileenſi Concilio, quod ubi ab Eugenio IV. prudentiſſime diſſolutum fuit, neque legitimam amplius authoritatem habuit, ſtatim graviſſima diſſidia Patres inter & Pontificem Romanum extiterunt. Ac primo quidem nulla in illo ſeditioſo Conventu Pontificiæ ſeu voluntatis, ſeu dignitatis haberi ratio cœpit; tum Apoſtolicæ Romanæ Sedi infenſa atque infeſta iniri conſilia, non pauca denique decreta ſanciri, quibus Romanorum Pontificum amplitudo, atque authoritas imminueretur. Quamplures Eccleſiaſtici homines Baſileam convenerant, quibus Romana Eccleſia odio eſſet: aderant plerique Epiſcopi ſua fraude e ſedibus expulſi ſuis: eaque colluvies in hoc præſertim ſtudium coaluit, ut nonnullæ leges conderentur, quæ eo gratiores vulgo eſſent futuræ, quo arctius Romanorum Pontificum jura, poteſtatemque coercerent. Itaque Romano Pontifici abrogatum jus fuit Eccleſiaſtica Beneficia conferendi, cautumque, qui ex ſingulis Beneficiis unius anni reditus ipſi Pontifici, quaſi tributi nomine, pendi ſolebant, ne in poſterum penderentur. Ea Concilii decreta paulo cupidius arripuere Galli; neque tamen ut primum ab eodem Concilio deſcripta fuerant, ſed partim immutata, partim novis additamentis aucta, atque in libellum congeſta Carolo Galliarum Regi confirmanda exhibuere. Carolus perlubenter Eccleſiaſticis morem geſſit, ſanxitque, graviſſimarum etiam pœnarum propoſito metu, ut hujuſmodi leges in univerſa Gallia fixæ, atque in perpetuum ratæ haberentur. Quo factum eſt, ut dum Pontificiæ ſervitutis jugum (ut ipſi interpretabantur) excuſſerunt, inter vulgaria mancipia turpiter detruſi fuiſſe viderentur. Hoc autem Regis decretum Pragmatica Sanctio appellari cœpit. Cui tamen permulti Epiſcopi, qui in Gallia doctrina, probitate, & morum ſanctitate cæteris præſtabant, conſtanter repugnarunt, quod ex hiſtoria hujus regni facile intelligitur. Nihil perdiu vehementius contendere Romani Pontifices, quam ut illa Sanctio antiquaretur. Sed neque Eugenio, neque Nicolao, neque Callixto Pontificibus res feliciter ceſſit. Sub Pio autem ſecundo ſopita potius, quam extincta fuit. Non raro enim ex illa Pragmatica Sanctione funeſtiſſima quædam diſcordiarum ſemina ſuboriebantur. Denique a Leone X. & Franciſco I. Galliarum Rege nova quædam perpetuæ pacis fundamenta jacta ſunt; & Pragmatica Sanctione abrogata, permiſſum ex indulgentia Pontificis Galliæ Regibus jus illud, quod Regalia appellatur, quod in eo conſiſtit, ut cui libuiſſet munerum Eccleſiaſticorum vacantes cenſus Rex attribueret, in ſua tantum ditione, quæ tum certis finibus continebatur. Hos fines Concilium Lugdunenſe ſtatuerat; ſed Reges ſuam his legibus poteſtatem coerceri indignabantur.

Cum autem Ludovicus XIV. permultas Urbes ac Provincias maximis victoriis late peragraſſet, & Noviomagenſi pace conſtituta, ſuo imperio adjunxiſſet, Regaliam ad eaſdem una cum politica juriſdictione propagarat, & quo ſupra memorato jure in Gallia utebatur, eodem ipſo in illis Provinciis, quas nuper ſibi ſubegerat, uti poſſe arbitrabatur. Reſtitit vehementiſſime Innocentius, docuitque illud ipſum jus, ad quod majores illius tolerabili magis, quam legitima ratione, & via obrepſiſſe dicebat, latius non eſſe amplificandum. Neque tamen Rex de ſuſcepto conſilio receſſit; quin immo plura deinceps molitus eſt, ut juri, quod Regiæ poteſtati innatum contendebat, ne in poſterum derogaretur. Nam & Cardinalem Eſtræum Romam miſit, qui ſua eloquentia perſpectam Innocentii conſtantiam expugnaret, perſuaderetque Pontifici, ut in ea controverſia Chriſtianiſſimo Regi de Catholica Religione optime merito gratificaretur. Mox Epiſcoporum Conventum in Gallia cogi juſſit, qui quidem in ea controverſia Regiæ voluntati obſequentes fuere: quo in Conventu ratæ, latæque ſunt quatuor illæ injurioſæ Propoſitiones, a quibus Romani Pontificis authoritas, & dignitas imminuta exiſtimabatur.

Fuit quidem in hac controverſia obſcuritas quædam, fuit diſſidentium certamen ſententiarum: cum alii dicerent, non debuiſſe a Pontifice ea repulſa irritari animum potentiſſimi Regis, & tum maxime incumbentis ad Hæreticos e Galliæ finibus exterminandos: leges

quan-

quandoque mutandas, temporibusque accommodandas: non semper adversissimis ventis inconsulto resistendum: sed arte quadam velis colligendos, ut adjumento sint, non impedimento ad secundum navigationis cursum. Alii autem negarent, qui custos esset legum Ecclesiasticarum, eidem ipsas violandas ad demerendam gratiam Principum sæcularium: cavendum, ne illa Pontificis indulgentia ad maximam exempli perniciem statueretur; multaque disputata, scriptaque sunt in utramque partem.

Nec sane dubito, quin hac ætate plerique omnes Innocentium multo impensius commendarent, si paulo liberalius Regiæ voluntati morem gessisset, aut saltem minus fortiter restitisset. Ex hac enim flamma ortum, atque excitatum putant vastissimum illud incendium, quod totam Ecclesiasticam authoritatem deinde corripuit, atque etiam nunc violentissime per universam Europam longe, lateque pervagatur. Sed plerumque nec tutum est, consilia ab eventu æstimare, neque admodum facile de rebus sæculo transacto elapsis judicium sapienter ferre. Nam & consilia prudentissime inita infelicissimos exitus non raro habuere, & longo temporis tractu magna fit ingeniorum, magna sententiarum mutatio; quæque tunc constantia appellabatur, quod Innocentius eas Ecclesiasticas sententias fortiter tueretur, quæ apud omnes consultissimos, sanctissimosque viros etiam Gallos verissimæ haberentur, nunc fortasse pertinacia diceretur, cum aliæ hominum opiniones vulgo invaluerint, quæ tamen si perdiligenter excutiantur, plus inanitatis habent, quam veritatis.

Verum cum ego historicum agam, non alterutrius sententiæ disceptatorem; hoc loco causam a persona sejungendam puto; atque illud verissime dicere posse videor, quod nemo, nisi studio partium iniquissime abreptus, inficiabitur, Innocentii propositum sanctum, rectum, incorruptum fuisse, & non ab inimico, neque cupido animo, sed a certa, stabilique bene agendi ratione profectum; denique nullam ad aliam rem, nisi ad officium, & veritatem omnia illius consilia, curas, vigilias, cogitationesque spectasse. Non enim hominum excellentium res gestas prudentiæ humanæ ponderibus examinari convenit, sed mentes nostras ad illam altitudinem virtutis excitari, qua constat, eos præditos fuisse, qui gesserunt. Spectandus etiam naturalis Innocentii habitus gravis, certus, severus, atque ad singularem fortitudinis præstantiam formatus. Virtus enim non immutat naturam hominum, sed perficit, ut mirandum non sit, cum tam variæ sint naturæ hominum, atque inter se dissimiles, non eadem esse etiam genera sanctitatis. Quare laudentur quidem alii, qui naturæ habitu fuerunt ad facilitatem, lenitatemque procliviores, atque in hoc dissimili genere virtutum præstiterunt, sed non ita laudentur, ut reprehendendus sit, qui natura insitam quandam gravitatem, & fortitudinem animi omnibus suis cogitatis, dictis, factisque declaraverit. Qualis Innocentius fuit, qui cum ita esset comparatus, ut maximæ sibi religioni duceret, Pontificiæ authoritatis defensionem fortiter non suscipere, simul in animum induxerat suum, sibi non licere in ea controversia de Lugdunensis Concilii decretis aliquid remittere. Habebat consentientes nonnullos Galliæ Episcopos, quos & sanctitate, & doctrina aliis antecellere arbitrabatur. Horum principes, & signiferos fuisse constat Episcopos Alectensem, & Apamensem, qui Regiæ voluntati sese quasi muros pro domo Dei opposuerant. Cæterum ne in ipso quidem controversiæ æstu verbum ullum Innocentio excidit, quo non egregia quædam erga Christianissimum Regem voluntas significaretur, quod profecto non leve argumentum est, Innocentium quicquid in ea controversia egerit, non cupide, non iracunde, sed recte, & constanter egisse.

Falso autem levissimi Scriptores nonnulli memoriæ prodiderunt, Pontificem iccirco erga Ludovicum minus obsequentem fuisse, quod jamdiu Nationi Gallicæ fuisset infensior. Atque hujus abalienationis causam repetunt a fabella quadam singularis certaminis, quod Innocentio in juventute fuisse cum milite Gallo, a quo etiam vulnus accepisse excogitarunt. Quæ omnia falsa, temere, imprudenterque ficta comperta sunt. Quin immo illud est exploratum, certissimisque monimentis testatum, Innocentium, Cardinalis adhuc cum esset, Alexandro VII. authorem, & consiliarium imprimis, atque impulsorem fuisse, ut in Pontificios milites, qui Regiæ legationis jura violassent, severissime animadverteret, atque omni ratione Regi Christianissimo satisfaceret. Extat author valde bonus Philippus Casonius, qui vitam Ludovici XIV. descripsit; extant Comitiorum Pontificiorum Ephemerides, ex quibus intelligitur, Gallorum Cardinalium præsertim opera, atque suffragiis summam Innocentio dignitatem delatam fuisse. Præterea nobilibus ille Gallicis viris familiariter utebatur, ac doctioribus illius Nationis hominibus impense favebat. Sed nullum majus Pontificiæ benevolentiæ argumentum erga Christianissimum Regem solicitudine illa vere paterna, quam Innocentius præ se tulit, ut Ludovici major natu filius (quem Delphinum vocant) sancte institueretur.

Cum enim Bossuetius Episcopus Condomnensis, ac Delphini Institutor, quam doctissimo, eruditissimoque libro complexus fuerat, explanationem doctrinæ Catholicæ Summo Pontifici dono misisset, eo munere delectatus est Innocentius, Pontificiasque literas, quibus egregium illud opus rite approbabat, & authorem meritis laudibus prosequebatur, Legato Apostolico, qui Lutetiæ Parisiorum versabatur, ad ipsum Bossuetium deferri jussit. Eidemque Legato Apostolico summopere commendavit, ut dum has Pontificias literas traderet, Bossuetio denunciaret, ne gravaretur certiorem Innocentium facere, quam viam, rationemque instituisset Delphini ad optimas artes ab ineunte ætate informandi; eam enim cognitionem maxime Innocentio voluptati fore, qui Regem, Regiamque sobolem præcipua quadam charitate complectebatur. Morem statim gessit Bossuetius, atque incensæ Innocentii cupiditati egregie satisfecit prolixiore latina epistola, in qua summa eloquentia, cum summa pietate, doctrinaque conjuncta, mirum in modum elucet. Et illa quidem regia institutione nulla elegantior, nulla sanctior, nulla maximo Principe dignior excogitari potest. Beatum vero se dicit Bossuetius, qui tanta in re tantum Pontificem, Leonem alterum, alterum Gregorium, immo Petrum adjutorem habeat, putatque a Deo istam Innocentio mentem injectam fuisse, ut ad suos labores respiceret, quos in Delphini institutione maximos, gravissimosque susceperat. Atque utinam cæteros Principum Institutores etiam nunc non puderet eandem ingredi viam, quam præclarissimum illud totius Galliæ ornamentum, ac lumen se institisse gloriatur! Utinam egregium hoc opus ab iisdem legeretur, profecto intelligerent, ita imbuendas esse teneras Principum mentes, ut nihil Religione prius, nihil antiquius habeant, ut omnia ad illius amplitudinem, ac sanctitatem revocent, ut nihil agant, nihil moliantur, quin eam in consilium adhibeant; ita enim & Regnorum stabilitati, & felicitati populorum, & ipsorum Principum veræ, solidæque gloriæ egregie consultum iri. Religio enim, ut semel animo insedit, atque altius radices egit, non cavet modo, ne imperio Principes pro libidine abutantur, sed omnino efficit, ut temperantia, fortitudine, æquitate, misericordia, beneficentia, summo Deo, cujus vicariam in terris potestatem gerunt, quam simillimi sint! Sed nescio qua publica calamitate hujusmodi libri e Principum manibus excutiuntur, atque in pretio sunt tenebricosissima quædam opuscula ab Etherodoxis plerumque in nostras usque Regiones immissa, eaque Regiis alumnis perlegenda traduntur, ut si quid bonæ frugis ex optima ipsorum indole expectari potest, veluti in semine interimant. Hæc fuit germana, & Pontifice digna erga Ludovicum caritas; ex qua facile perspici potest, Innocentium non Gallis modo non infensum fuisse, sed addictum potius, atque devotum.

In illa autem de Regalia controversia, in qua neglecti Apostolici muneris culpam pertimescebat, Ludovico Magno morem non gerendum duxit, sed fortiter repugnavit, atque id crebris solebat usurpare sermonibus, se quidem patienter laturum, ut in ultimas terras summa cum ignominia pertraheretur, quam de sententia, quam justitiæ, veritatisque plenissimam existimabat, dimoveri posset. Hæc autem cum diceret, ex ore atque oculis Innocentii mira quædam constantiæ vis, atque ingens divinæ opis fiducia eminebat. Quæ quidem Pontificis constantia ipsi Ludovico Magno admirationi fuit. Is enim, quanquam Innocentio obstaret, tamen illius sanctitatem veritus, nunquam insidiosis assentatorum consiliis acquievit, qui ferociora illi suadebant, authoresque imprimis erant, ut Galliarum omnium Patriarcha a Rege constitueretur, qui si minus verbo, re quidem certe a primo Ecclesiæ capite sejunctus esset.

Neque tamen Sacerdotalis animi robur cum præsto Innocentio fuerit, consilium, & prudentia defuit: Itaque cautionem adhibuit maximam, ut superbiæ, quæ falsa est magnitudinis animi imitatrix, suspicionem omnem a se amoveret. Pulcherrimas sæpe ad Ludovicum literas dedit, in quibus consiliorum suorum integritas mirifice apparet. In illis enim sæpe ad ultimas preces ita descendisse videtur, ut omnis controversiæ a Deo, atque ab ipsius Regis munificentia, animique amplitudine exitum sibi polliceatur.

Sed reliqua persequamur. Cum, ut jam superius indicavimus, Calvinistæ Galliarum Regno infensi, infestique essent, quibus impune liceret post Nannetense Edictum, quod specie constituendæ inter cives pacis præ-

potens

potens Hæreticorum aſtutia jampridem extorſerat, ea res ſummorum Pontificum animum angebat, atque Innocentius non ſemel Chriſtianiſſimo Regi author fuerat, ut, quas Reipublicæ vitioſas partes ſanare non poterat, exſecaret. Is tandem, & Pontificiis hortationibus, & avito Religionis ſtudio excitatus, Galliæ laboranti ſalutem ferre conſtituit, Nannetenſi Edicto revocato, penituſque abrogato. Intellexerat enim maximus ille Rex, ſectarum varietate inducta, ſanctiora ſocietatis vincula abrumpi; idque Reipublicæ prodeſſe nunquam, veræ autem Religioni obeſſe plurimum. Quæ quidem Religio, cum unus ſit Deus, una ita eſt, ut qui plures admittat, is omnes contemnere videatur. Utinam nulli hodie exiſterent, qui humanis rationibus Religionem, quæ res omnino divina eſt, accommodantes exiſtimant, poſſe tranquillitatem Reipublicæ in tanta ſectarum colluvie, & licentia conſiſtere. Nam qui ſapientiſſimum illud Regis conſilium maximopere improbarunt, atque Galliarum regnum, proſcriptis tot Calviniſtarum millibus, mancum ac debile factum fuiſſe contenderunt, ii quidem nunquam eo potentiæ, authoritatis, amplitudinis, gloriæ Galliam perveniſſe viderunt, quam poſt Calviniſtas e Regni finibus exterminatos. Hoc opus ſane pulcherrimum Ludovico gratulatus eſt Innocentius amantiſſimis, atque honorificentiſſimis verbis, oſtenditque aliis magnis, & innumerabilibus victoriarum, & triumphorum gratulationibus illam eſſe anteponendam, quæ gloriam veram, & Chriſtianiſſimo Rege dignam contineret. Fuerunt tamen, qui negarunt Regem fuiſſe pleniore ore collaudandum; propterea quod cum Calviniſtis Janſeniſtas etiam, aut qui tales inſimulabantur, non ejeciſſet e Regno; in quo ſubaccuſare non verebantur Innocentium, quod illius rei apud Regem author, ſuaſor, hortator non fuiſſet.

Hoc autem loco pertinet ad hiſtoriæ fidem, falſam criminationem refellere, quæ in ſanctiſſimum Pontificem conjecta eſt; perinde ac ſi Janſenianis partibus ille ſtuduerit. Ac fortaſſe non erit abs re in hujus maledicentiſſimæ criminationis authores inquirere: ſed paulo altius repetenda res eſt.

Jam ab ipſis Chriſtianæ Reipublicæ initiis ea orta eſt perdifficilis, & obſcura quæſtio, qua nimirum ratione divinæ Gratiæ vis efficax cum integra hominis libertate conciliari facile poſſit. Quæ quidem quæſtio ab ea non admodum diſtare videtur, de qua veteres Græciæ Philoſophi diu multumque conflixere, an aliquis ſcilicet, cum omnia fato fiant, humanæ libertati ſit locus. Ac mea ſententia, ut in Mamertino freto navigantibus difficillima eſt periculi fuga, dum enim alterum ex duobus illis infeſtiſſimis ſcopulis vitare diligentius ſtudent, in alterum facilius incurrunt, ita in hujuſmodi controverſia arduum omnino eſt modum ſervare, atque eos fines aut attingere, aut non prætergredi, quos ultra citraque ſi forte conſiſtimus, in graviſſima veritatis ignoratione verſemur neceſſe eſt. Qui enim humanæ libertati paulo impenſius favent, plus divinæ Gratiæ detrahunt, quam par eſt; qui vero divinæ Gratiæ efficacitatem paulo vehementius tuentur, libertatem labefactant, ac funditus evertunt. Cum vero & crebris diſputationibus, & monumentis plurimis in lucem editis, nulla hactenus Theologica quæſtio aut diutius, aut ingenioſius exagitata fuerit, neque tamen major quædam lux Theologis oborta ſit, prudentiſſimus quiſque ita ſentit, divinum arcanum hoc eſſe, adorandum quidem, ſed nulla ratione curioſius inveſtigandum.

At Romanus quidem Pontifex Catholicæ veritatis divinitus conſtitutus interpres, & cuſtos, ſemper diligentiſſime cavit, ne opiniones, quæ hac in controverſia adverſis ſibi frontibus pugnant, ad evertendam Catholicam ipſam veritatem aliquando conſpirarent, eamque ſemper cautionem adhibuit, ut quid in hujuſmodi quæſtionibus vitandum, conſtitueret. Hinc nullo non tempore rite proſcriptæ, damnatæque Romæ fuere veteres, recenteſque de divina Gratia, humanaque libertate abſurdæ, impiæque opiniones Pelagii, Calvini, Lutheri, addantur Janſenii quoque, e cujus libris hauſta doctrina multas nuper turbas excitaverat. Clemens etiam VIII. in celeberrima illa, quam vocant, Congregatione *De auxiliis* a ſelectiſſimis Theologis perdiligenter ſententiam expendi juſſit, quam Molina in Theologiam nuper invexerat. Cumque nihil contra ab eo doctiſſimorum hominum cœtu definitum fuiſſet, Moliniſtæ veluti triumphum ducere, ſuiſque adverſariis ferocius inſultare cœperunt. Extiterunt deinceps Janſenii Iprenſis Epiſcopi ſectatores, quibuſcum perpetuum ac inexpiabile bellum ſibi gerendum exiſtimarunt Moliniſtæ, qui quidem a Janſeniſtis non modo in ea controverſia, quæ de divina Gratia erat, verum etiam in aliis plurimis toto cælo abhorrebant. Moliniſtæ enim, dum ſubtilius ratiocinantes omnia ad logicas leges expendunt, Evangelicæ doctrinæ ſeveritatem penitus ſuſtuliſſe, laxiſſimaſque opiniones induxiſſe arguebantur. Janſeniſtæ vero divinæ legis ſeveritatem adeo urgebant, ut vix, aut nè vix quidem ſervari ea poſſe videretur. Itaque accidit, ut qui auſteriorem vitæ rationem aut ipſi excolerent, aut aliis commendarent, vulgo ut Janſeniani erroris ſectatores male ab imperitis audirent.

Sed ut ad hiſtoriam revertar, ubi primum (tempora enim ſedulo diſtinguenda ſunt) Alexander VII. Formulam edidit, in quam ab omnibus jurandum eſſet, qui Catholici in Gallia cenſeri vellent, non leves in florentiſſimo illo Regno turbas, obtemperantibus aliis, aliis recuſantibus, ea res excitavit. Sed cum deinceps Clemens IX. controverſiam illam componere ſtuduiſſet, fuit aliquando diſcordiarum finis, atque a periculoſis diſſenſionibus Eccleſia conquietura videbatur, idemque Ludovicus Magnus numiſmata cudi curaverat, quæ Galliæ hac de re pacem, tranquillitatemque repræſentarent. Nulla poſtmodum, Clemente X. regnante, mutatio facta eſt, eademque tranquillitas Innocentium XI. excepit. In hoc rerum ſtatu ſcripſit epiſtolas nonnullas Innocentius ad eos Epiſcopos, quos commemoravimus, ſcripſit ad Antonium Arnaldum, hominem ſumma eloquentia, doctrina, ingenio præditum, & in ſacris literis, & Eccleſiaſtica hiſtoria præſtantiſſimum. Hoc literarum commercium offendit apud quoſdam Theologos, qui ſibi videbantur ſoli ea pernoſcere, quæ de gratia, & libero arbitrio diſputantur, & aulici ipſi cum eſſent, & in aula gratia, & authoritate plurimum valerent, quos ſuis ſententiis adverſari ſuſpicabantur, ſtatim Janſeniani erroris inſimulabant. Neque deſunt, qui contendant diſcordiarum, & diſſenſionum omnium, quæ Innocentio cum Ludovico magnæ, & ſempiternæ fuerunt, authores & principes hujuſmodi homines extiſſe.

Sed non erat certe eo tempore cauſa, cur Innocentius ſibi nefas duceret, aut ad Epiſcopos ſcribere, aut Arnaldum tueri, quos id temporis non liqueret ſcitis Romanorum Pontificum pertinaciter refragari. Agebat igitur Innocentius authoritate, agebat conſilio, agebat exemplo deceſſorum ſuorum: quid Eccleſia, quid ſe dignum eſſet, quid ipſe eſſet, quid ſpectare unice deberet, diligentiſſime cogitabat. Legantur Epiſtolæ ipſæ ad Epiſcopos, quos nominavimus, ab Innocentio datæ. Nonne omnia ſummum tuendæ Religionis, ac Pontificiæ authoritatis ſtudium declarant? Ne unum verbum quidem eſt, quod in malam partem accipi, ac detorqueri poſſit. Ad Arnaldum vero quod attinet, perſonabant quotidie aures Innocentii fama, & laudibus doctiſſimi viri. Quid mirum igitur, ſi Pontifex ſibi volumen alterum de *Perpetuitate Fidei* ab Arnaldo inſcribi, dedicarique permiſerit, ſi humaniſſime reſponderit, ſi denique conſilium etiam ſuſceperit ejuſdem in Cardinalium collegium cooptandi, ut eum Eccleſiæ Romanæ rationibus arctius adjungeret? Equidem hoc non dubito dicere (quæ tunc bonorum omnium opinio fuit) ſi ea dignitate, tantoque Pontificis beneficio Arnaldus ornatus fuiſſet, aut nunquam deſipuiſſet, aut certe reſipuiſſet: ac nemo profecto etiamnum eſt, qui vehementer non doleat, tantum illud ingenium non ſemper meliorum partium fuiſſe. Huc accedit, quod Arnaldus in ſuis ad Pontificem literis, nunquam non ſummum obſequium præferat, atque Apoſtolicæ Sedis judicio ſe omnino obtemperaturum polliceatur.

At enim cum ad Arnaldum Innocentius ſcriberet, jam fama quædam manaverat eundem labe Janſeniana imbutum eſſe. Ita ne igitur hujuſmodi incertis rumoribus fides a ſapientiſſimo Pontifice adhibenda fuit, ea de re, quæ niſi multa diſputatione, multo ſermone, ſine firmiſſimis aſſeverationibus cognoſci non poteſt? Difficillima enim omnium dijudicatio exiſtimatur, in qua non verba, ſed animi ſenſus ad examen revocantur. Præterea quis ignorat, aliorum criminum, quorum reus agebatur Arnaldus, falſitatem Pontifici innotuiſſe? Fuit igitur ſapientiæ, fuit gravitatis Innocentii hujuſmodi leviſſimis rumoribus non commoveri. Sed qui Arnaldi inimici erant, volebant ſuarum inimicitiarum fautorem, & ſocium eſſe Pontificem: volebant jure ac injuria æque benedicta, & maledicta Arnaldi omnia repudiari. Et cum ſua levitate, tum favore aulico elati, tantum audebant, quantum cogitabant; nihil autem non audebant in eos, quos ſuarum partium non eſſe, aliaſque a ſuis opinionibus ſequi intelligerent: adeo verum eſt, nullas eſſe acerbiores inimicitias, quam quæ a concertationibus ingenii atque doctrinæ proficiſcuntur. Certe non defuerunt, qui certiſſimis monumentis teſtatum affirmarunt, iiſdem authoribus excitatum Tallonium ſeditioſam concionem illam publicaſſe, in qua nemo non videt vafrum, ac veteratorium ingenium, partium ſtudium, exulceratum animum, ulciſcendi libidinem, ſuperbiam, arrogantiam, temeritatem. Horret etiam nunc animus, ac refugit ea perlegere, quibus ille au-

le ausus est incesto ore Sanctissimi Pontificis existimationem proscindere, eumque accusare quasi proditorem, ac prævaricatorem Fidei, qui ejusdem tutor, ac vigilantissimus custos habebatur, & erat. Sed hanc Tallonii concionem plenissimam erroris, & impietatis Author Gallicus libro Gallice edito, qui non multo post etiam latine versus est, disertissime confutavit. Quamquam una, eaque ad celebritatem Innocentii sanctitatis maxima defensio petenda est ex epistola universæ Gallicanæ Ecclesiæ ad Hæreticos scripta, qua in epistola negat Gallicanus Clerus, *tempus offerri illis opportunius ullum posse, quam quo Romanam Ecclesiam gubernat Innocentius Pontifex, cujus vita & mores ad antiquioris, ac severioris disciplinæ formam exacti perfectum sanctitatis exemplar orbi exhibent Christiano, ut ad eum se adjungere virtutis omnis cultorem eximium, maximæ virtutis opus ad salutem, perinde ut ad gloriam in vobis futurum sit.* Verba sunt hæc omnia epistolæ illius, nihil addo de meo.

Huic Cleri Gallicani sententiæ mirum in modum suffragantur permulta, eaque verissima laudum testimonia, quæ ab Hæreticis ipsis eo tempore tributa fuisse integritati, abstinentiæ, ac severitati Innocentii legimus, ita quidem, ut susceptum ab ipsis odium adversus Romanam Ecclesiam vel sedatum, vel restinctum esse videretur. Innocentius homo fuit æquus, *humanus, abstinens, profusus in pauperes, sibi severus, aliis mansuetus, & facilis, & plane dignus eo honoris gradu, quem obtinebat.* Hæc verba sunt Etherodoxi authoris, qui vitas Romanorum Pontificum descripsit. Atque eadem scribendi ratione usi sunt permulti Hæretici auctores, quos silentio prætereo; cum vigeat etiam nunc opinio Innocentii sanctitatis apud multas nationes, quæ a nobis de Religione dissentiunt.

Audivi ego ex Joanne Francisco Stoppanio, Cardinali virtute, doctrina, prudentia, & permultis Romanæ Reipublicæ muneribus obitis præclarissimo, cum diceret, se, cum Legatum Apostolicum agens iter per Germaniam faceret, Norimbergam pervenisse, & cum a summo Magistratu omni humanitatis & honoris significatione exciperetur, sibi ostensum fuisse Innocentii XI. Breve ad Norimbergenses conscriptum, quod in tabulario Civitatis, quasi sacrum aliquod, & religiosum depositum, diligenter asservatur. Tanta est apud ipsos erga optimi Pontificis memoriam reverentia, quasique cultus!

Hæc satis ad virulentissimas criminationes adversus Innocentii religionem retundendas. Cæterum incredibile dictu est, quam intimis sensibus aversaretur universos errores, qui Catholicam veritatem aliqua ratione violarent. Nam de Janseniana labe si sermo habeatur, nihil quidem curæ, studii, laboris, operæ prætermisisse videtur, ut illa penitus deleretur. Vix enim ad summum Pontificatum evectus ad plerosque omnes Belgii Episcopos, qua in provincia pestis illa maxime grassabatur, literas dedit, quibus studiosissime pollicetur suas neminem partes in arcendis ab Ecclesia Catholica profanis illis novitatibus esse desideraturum. Cum autem Tornacensis Episcopus quædam sibi concedi postulasset, quæ Innocentii X. atque Alexandri VII. Constitutionibus repugnarent, id acerbissime tulit Pontifex, & non modo Episcopum jussit illorum Pontificum decretis statim obtemperare, sed etiam diligentius curare, ut ab omnibus, quotquot in eadem Tornacensi Ecclesia versarentur, sine controversia obtemperaretur.

Iprensis etiam Episcopus certiorem Innocentium fecerat, non deesse in Belgio complures magno suo cum dolore, qui se quidem Catholicos affirmarent, licet in nonnullis opinionibus, quas jam antea Romani Pontifices erroris convictas damnaverant, cum Bajo, Jansenioque sentirent. Vehementer gavisus est Innocentius, Iprensi Ecclesiæ tandem aliquando obtigisse Pastorem, qui cum ipse a pravis novarum opinionum commentis abhorreret, tum diligenter caveret, ne cæteri iisdem opinionibus temere imbuerentur; quin immo eam causam, Patribus in consilium adhibitis, cum plane cognitam, atque explicatam habuisset, rescripsit quid facto opus esset ad Janseniani erroris fibras omnes evellendas.

Sed his omissis, quæ negligi potius, quam refelli debent, quanto erga Catholicam religionem studio incensus fuerit, proclive est dijudicare. Summus enim Turcarum Imperator (Magnum Wizirum appellant) cum innumerabili instructissimoque exercitu, quem ad trecenta usque militum millia auxerat metus, Vindobonam repentino adorsus incursu, cum eam arctissima obsidione cinxisset, maximum non modo Urbi illi, sed toti Germaniæ, Italiæque terrorem intulerat. Cæsar ipse Leopoldus, cum desperasset contra immensam hostium multitudinem tueri eam Urbem diutius posse, una cum tota Augusta familia se Lentiam receperat, atque vix celeri fuga cavere potuerat, ne ab hostibus interciperetur. Civitas tamen, quamquam in summo luctu, atque in omnium rerum desperatione jaceret, non minus pertinaciter ab Turcarum exercitu oppugnata, quam constanter ab Austriacis defensa est. Sed jam vi tormentorum plus centum, disjectis dirutisque mœnibus ac penitus solo æquatis, de Vindobonæ salute actum erat, si in eam Urbem, ad cujus portas jam munitionibus, operibusque pervenerat, toto exercitu irrumpere summus Turcarum Imperator statuisset. At præpotens Deus ac Dominus Exercituum, diurnis, nocturnisque Innocentii precibus (ut opinio tum fuit) exoratus, hanc magno Wiziro dementiam injecit, ut, quam certissimam victoriam in manu habebat, turpi avaritia corrumperet. Cum enim intelligeret, deditione facta, Vindobonæ opes in suam unius prædam cessuras, quæ, vi capta, ad rapinam militum devenissent, ad id consilii descendere cunctabatur, fore sperans, ut Austriaci quam primum de deditione acturi essent. Hæc autem Imperatoris cunctatio, & Vindobonæ saluti fuit, & rem Turcicam perdidit.

Fortissimus enim Poloniæ Rex Joannes Sobieschius, & Germaniæ Principes plerique omnes, crebris, & præfervidis Innocentii epistolis excitati, & magna nummorum vi adjuti, ad sedem Imperii ab extrema pernicie vindicandam interea convolarunt: tum enim ab Christianorum armis in hostium castra impetu facto, Turcarum exercitus cæsus, fugatusque est; ac Vindobona, quæ triginta plus diebus acerrimam oppugnationem mira virtute sustinuerat, summa Christiani Exercitus gloria liberata est.

Statim de luculenta insperataque victoria nunciis ubique perlatis, nullus fuit in Italia, ac præcipue in Urbe Roma lætitiæ modus. Statim omnibus ferme templis immortales gratiæ Deo habitæ. Non mediocrem pecuniam in pauperes tribui, reseratisque carceribus obæratos libertate donari, atque creditoribus ære suo fieri satis Innocentius jussit. Incredibilem Urbis lætitiam auxit primum exercitus Vexillum, quod apud Turcas sacrum superstitiose servatur, a Poloniæ Rege per Michaelem Talentium Civem Lucensem, ipsius Regis ab epistolis, missum ad Pontificem, qui illius victoriæ auctor præcipuus habebatur. Et merito quidem: Nam quo tempore Vindobona infinita illa Turcarum multitudine obsessa erat, atque oppugnata vehementissime, non satis explicari potest in quanta solicitudine, atque angore animi diu noctuque Innocentius versaretur. Sæpissime familiares illum reperiebant ante Christi Cruci suffixi imaginem provolutum, collacrymantem, gementem, ejulantem, & manibus supplicantis in modum conjunctis pro Christianæ Reipublicæ salute causam agentem apud illum ipsum, cujus Vicarius divinitus ipse fuerat constitutus; ut nemini dubium sit, insignem victoriam illam magis effusis ad Deum precibus Innocentii, quam Ducum, & Militum armis acceptam referri debere. Hæc autem communis omnium opinio apertissime declarata est eo die, quo Innocentius Purpuratis cum Patribus, & Episcopis, aliisque Civitatis nobilioribus ad Basilicam Liberianam sese contulit, Deo, ac Deiparæ Virgini de tanto beneficio gratias acturus. Tum enim ex omnibus locis tantus concursus factus est, ut ipsæ regiones ex suis convulsæ sedibus obviam prodire viderentur ad complectendum liberatorem Christianæ Reipublicæ. Tum omnes omnium ætatum, omnium ordinum plenissimis viis, viri, mulieres ex oppidis, atque agris sese effuderunt cum conjugibus & liberis, ut Innocentium, non ut mortalem, sed lapsum de Cælo Pontificem intuerentur, ac colerent. Quos tamen plausus, gratulationesque ille ipse uni exercituum Deo acceptas referebat, sæpissime illa repetens: *Dextera tua Domine percussit inimicum.* Quæ verba nummis etiam, qui eo anno cusi sunt, incidenda curavit, ut perenne grati animi erga divinam opem monumentum extaret. Quinimmo in tanto plaudentium populorum motu, ac strepitu ita sese modestum, atque demissum præferebat, ut nullum tristiorem diem habuisse familiari suo professus sit, illo die, qui lætissimus ab aliis, gloriosus, ac triumphalis existimabatur. Cumque ea victoria in idus septembris incidisset (qui dies Vindobonæ alter natalis dies vocari jure potest) decrevit, ut per id tempus quotannis Festum Mariæ Nominis, cujus patrocinio victoriam referebat acceptam, perpetuo, solemnique ritu celebraretur.

Insequenti anno, eodem sequestro Pontifice, novum fœdus inter Leopoldum Cæsarem, Sobieschium Poloniæ Regem, Venetamque Rempublicam initum est, quo ex fœdere immensæ propemodum utilitates in Christianam Rempublicam universam profluxere. Partam enim sub ipsius Viennæ mœnibus victoriam multo plures, neque minoris momenti, incredibili celeritate consecutæ deinceps sunt. Strigonium, Noesselium, Buda, Taurunum fortissima Turcarum tyrannidis munimenta feliciter expugna-

pugnata. Quicquid in Hungaria, Dacia, Mœsia perpetuis Christianorum cladibus Turca occuparat, breviſſimo paucorum menſium ſpatio recuperatum eſt. Nec terra tantum, ſed mari quoque Chriſtianæ Ditionis fines Innocentii cura, ſubſidiiſque prolati. Aucta enim, atque inſtructa, Pontificia pecunia Pontificiiſque Triremibus, Venetæ Reipublicæ claſſis in Jonio, Ægeoque mari bene feliciterque rem geſſit, capta Epiro, receptis Dalmatiæ littoribus, expugnata veteri Achaja, ac Lacedæmone, Atheniſque devictis.

Cum læta omnia, & ſecunda Romam perferrentur, is lætitiæ quaſi cumulus acceſſit, ut Jacobus II. Magnæ Britanniæ Rex, vix Carolo Fratre mortuo, Regnum adeptus, multa cogitaverit, multa præſtiterit pro Catholicæ Religionis bono; imprimiſque publico Edicto impiam, & nefariam Eliſabethæ Reginæ legem abolendam curaverit, qua lege tenebatur, ſi quis ad munera Reipublicæ accederet, Religionem Romanam execrari; mox poſtquam Ferdinandum de Abdua Archiepiſcopum Amaſienſem Apoſtolicum Nuncium de accepto Regno Pontificis nomine gratulantem in magno admirantis populi conventu ac frequentia excepiſſet, Comitem de Caſtelmene Legatum ad Innocentium miſit. Quæ quidem legatio eo gratior, jucundiorque ipſi accidit, quod Romæ annos centum, & quinquaginta ferme deſiderabatur: habitaque ab omnibus fuit veluti munus quoddam Divinum ſingulari ipſius Pontificis pietati tributum, atque conceſſum. Non ea tamen lætitiæ cauſa ſtabilis, & diuturna fuit. Cum enim Magnæ Britanniæ Rex, quod Catholicam Religionem palam profiteretur, iccirco hæreticis omnibus eſſet inviſus, magna in omnibus Angliæ Regnis coorta ſeditio eſt. Perduelles autem Batavorum armis, opibuſque ſubnixi, cum Rege bellum gerebant, ipſumque de hæreditario Regni jure deturbare omni vi conabantur.

At Innocentius nihil non molitus eſt, ut Catholici Principes, atque imprimis Rex Chriſtianiſſimus, Regiam illam cauſam ſuſciperent, bellum Batavis terra, marique inferrent, Regemque Britannicum Religionis cauſa periclitantem fortiter tuerentur. Sed dum Catholici Principes diverſa partium ſtudia ſequuntur, ſeriuſque illius cauſæ patrocinium ſuſcipiunt; Angliæ Rex, creſcente in dies ſingulos hoſtium numero, fugam circumſpexit, atque una cum Beatrice Eſtenſi conjuge, atque Valliæ Principe in Galliam ſe recepit. Dici vix poteſt quam acerbe tulerit Pontifex graviſſimam illam Britannici Regis calamitatem. Accito enim Cardinalium Collegio, dolorem ſuum palam omnibus fecit, cui quidem dolori ſuo modum aliquem attuliſſe affirmavit ipſum Magnæ Britanniæ Regem, dum ſæviſſimam obortæ tempeſtatis vim forti animo exceperat, ac patriam, opes, Regnum, vitamque ipſam Catholicæ Religioni poſthabere non dubitarat. Tum Galliarum Regi gratias egit, quod Regiam illam familiam ſumma munificentia excepiſſet, eundemque pro ea amplitudine animi, qua ad difficillimas quaſque res incitabatur, ut Stuardiorum cauſam cum Religionis cauſa maxime conjunctam etiam in poſterum tueretur, graviſſimis literis hortatus eſt.

Sed multo ſecus, atque optaverat Pontifex, accidit. Jacobum enim III. Romæ exulantem vidimus, illiuſque virtutes Regias ſæpe admirati ſumus. Superſtites adhuc ſunt filii duo, alter Odoardus natu Major, qui admodum adoleſcens inauditæ fortitudinis documenta edidit. Nam ut avita Regna armis vindicaret, per Anglicis Claſſibus infeſtum mare in Scotiam pervenit, ibique, tentata belli alea, cum parva ſuorum manu non contemnendos ſucceſſus habuit, ac proculdubio de perduellibus triumphaſſet, niſi aliter placuiſſet Deo, quo volente, aut ſaltem permittente, geruntur ea, quæ cur ita fiant, cauſas indagare noſtrum non eſt. Alter natu minor Henricus inter Romanæ Eccleſiæ Cardinales cooptatus, factuſque Tuſculanus Epiſcopus, illius clariſſimi Collegii dignitatem, ac Tuſculanæ Eccleſiæ felicitatem auget in dies.

Jam vero cum in hoc Commentario ſcribendo non id ſpectaverim ſolum, ut, quod munus hiſtorici eſt, ne quid aut veri tacerem, aut falſi dicerem, ſed id etiam refellerem, ſi quid aut ſtudio partium, aut temeritate, aut ignoratione, & falſo errore affictum eſſe conſtaret; diſſimulare non poſſum falſam temerarii, ſed ignoti Scriptoris, criminationem, qui aſſerere non dubitavit, Pontificis artibus regreſſum in Angliam Jacobo Regi fuiſſe impeditum. Verebatur ſcilicet, ne id poſſet aliquando officere rationibus Auſtriacæ Familiæ, cui Innocentius præter modum addictus, deditus, atque obſtrictus exiſtimabatur (1). Ad quam criminationem refellendam valent, quæ a Bælio afferuntur in Diſſertatione illa (2), quam adverſus obſcuros libellorum authores edidit. Hos enim harpias vocat, quæ ſuorum libellorum intolerabili fœditate veritatem hiſtoriæ contaminant. Et facete irridet illos hujuſmodi libellorum inveſtigatores quaſi canes venaticos, qui ſi fortaſſe unum e pulverulentis bibliothecarum angulis extraxerint, ſibi plaudunt, triumphant, & imperitis obtrudunt, tanquam hiſtoricum aliquod opus veriſſimum & admirandum. Quid? quod rem ſerio agens Principum opem, juſtitiam, authoritatem implorat contra illos violatores fidei, ac Religionis, quibus maxime rebus hiſtoria munita eſſe debet, ut actiones hominum excellentium memoriæ poſterorum commendentur, & utilitati deſerviant. Sapienter hoc quidem, & veriſſime pronunciatum. Sed liceat mihi hoc loco Bælium Bælio opponere, liceat ex eo quærere, cur male ominati libelli obſcuro authori fidem habeat, ubi de Innocentio Pontifice agitur, quam aliis in pari cauſa ſcriptoribus abrogat? Ita enim illo uno teſte pronunciat, Innocentii artibus Ludovicum interpellatum fuiſſe, ne contra Anglos, fœderataſque Belgii provincias Jacobi Regis cauſam ſuſciperet, perinde ac ſi cogitatione una frangendæ, debilitandæque Gallicæ potentiæ ita vehementer abreptus eſſet, ut nullam tuendæ Catholicæ Religionis, nullam proſcripti Principis rationem haberet. Hanc tamen putidiſſimam fabellam ſibi perſuaderi facile patitur Bælius ille, ille hujuſmodi libellorum hoſtis perpetuus, additque (ſi Deo placet) politicas animadverſiones ſuas non paucas. Adeo quicquid præjudicatis noſtris opinionibus, ſtudiiſque favet, facile, ac libenter excipitur. At quam repugnantia, quam falſa ille confidentiſſime affirmavit, quam multa etiam, quæ in Ludovicum ipſum recidere videntur! Quid enim moliri, quid agere poſſet Pontifex inermis, & pecunia imparatus, quam in bellum Turcicum magnam effuderat? Contra vero Ludovicus habebat exercitum maximum, quo ſi fœderatas Belgii provincias aggreſſus fuiſſet, nunquam licuiſſet Hollandis, potentiſſima claſſe inſtructa, in Angliam deſcendere. Hoc enim auxilio fretus Aurantii Princeps Britannicum Regnum non difficulter invaſit, quaſi in conſpectu Regis Galliarum, qui (ut ea tunc fuit hiſtoricorum etiam Gallicorum communis opinio) bellum Germaniæ intulit, ut incredibilem illum victoriarum curſum retardaret, quibus de Turcico Europæ imperio jam actum videbatur. Extat Epiſtola ab Innocentio XI. ad Ludovicum conſcripta (3), in qua Epiſtola graviter, copioſe, vehementerque illum hortatur, & *per viſcera Domini noſtri Jeſu Chriſti* orat, ut quando fœdus cum Auſtriacis inire detrectet, ſaltem ab armis adverſus illos inferendis *abſtineat*. Quod contra accidit. Num autem Ludovico ſatis juſtæ cauſæ ſuppeterent, cur *intempeſtivo* tempore in Germaniam infeſtis armis *impetum* faceret; aliorum eſto judicium. Profecto neque neglectæ cognatæ poſtulatio, qua quicquid ad patrem, fratremque ſuum pertinuiſſe ſibi hæreditario jure repetebat, neque Colonienſis Epiſcopatus Clementi, uni ex Bavariæ Principibus a pleriſque Canonicis (penes quos jus liberum erat eligendi quem vellent) attributus, quamquam Galliarum Rex Willelmo Cardinali Furſtenbergio palam, atque impenſiſſime faveret, tanti fuiſſe videntur, ut nulla tranquillitatis publicæ ratione habita, ſtatim ad arma deveniretur. Sed Gallorum exercitus in Germaniam irrupit, dum Cæſaris copiæ, & nobiliores duces in ultimis Hungariæ, Serviæque finibus pugnabant. Philippopolim ſtatim vi cepit, Moguntiæ, Trevirorum, Bonnæ, Vormatiæ, Spiræ facillime potitus eſt; tum Palatinatum adortus, populis nihil ſibi tale expectantibus Haidelbergam, Manenium, cæteraſque Germaniæ munitas arces occupavit, atque omnia longe lateque ferro ignique vaſtavit. Atque hinc glorioſa illa numiſmatis inſcriptio *Viginti Urbes ad Rhenum uno menſe ſubactæ*. Hæc ita fuiſſe conſtat ex perpetua, & contexta illorum temporum hiſtoria, & propterea non Bælius, non alii ignoti Gallici Scriptores, aut vulgi rumoribus, aut aſſentatione ſua in errorem inducti, ubi de Innocentio agatur, audiendi.

Sed externæ maximæ res, quæ Innocentium ſolicitum habuerunt, non imminuebant curam internarum. Jam ſuperius demonſtravimus, Pontificatum Innocentii in perturbatiſſimum Urbis ſtatum incidiſſe propter intoleran-

(1) 'C'eſt qu'il craignoit plus l'agrandiſſement' de Louis XIV. qu'il ne ſouhaitoit l'agrandiſſement du Catholiciſme. Bayl. ad V. Eliſabeth.

(2) Diſſertation ſur les libelles diffamatoires.

(3) Dat. 20. Januarii 1683.

dam asylorum licentiam, quæ facinorosis hominibus impunitatis spem afferebat. Hanc igitur omni ratione coercendam existimavit; qua in re nescio, major ne fuerit Innocentii prudentia, an fortitudo animi. Primum enim Principes ferme omnes certiores fieri diligentissime jussit, quam gravia vulgo detrimenta ab hujusmodi perfugiis in Rempublicam redundarent; dum civium innocentium salus quotidie in periculum vocaretur, & sceleratorum hominum impunita esset audacia. Prudenter vero Oratoribus, qui tum Romæ aderant, ultro permisit, ut eo, quodcumque esset, jure uti liceret, donec ab Legatione revocarentur. Cæterum novos Oratores nullos se imposterum recepturum declaravit, neque adeundi sui potestatem facturum, nisi hujusmodi perfugiorum nullam in posterum haberi rationem paterentur, idque disertissimis verbis denuntiavit. Magni Sanctissimo Pontifici subeundi labores, multæque devorandæ molestiæ fuere, ut ad optatum exitum rem perduceret. Restiterunt primo Veneti antiquæ consuetudinis retinentissimi, sed tum e Republica esse putarunt, non irritare iis temporibus Pontificem optimum, & optime de se meritum ob admirandam liberalitatem, qua in bello Turcico incredibiles angustias, quibus premebantur, pecuniæ publicæ sustentaverat, cum præsertim apud illos tum ea opinio valeret sapientiæ plenissima, suam & Italiæ totius dignitatem atque libertatem non posse firmius consistere, quam perpetua illius Reipublicæ cum Romano Pontifice conjunctione animorum.

At Rex Christianissimus primum quidem respondit, id consilii capturum, quod cæteri Principes in ea controversia cepissent, neque porro se postremum fore, qui summi Pontificis voluntati morem gereret. Quare ingenti lætitia perfusus est Innocentius; quæ tamen non multo post evanuit. A Legato enim Apostolico, qui Lutetiæ Parisiorum versabatur, venere literæ, quibus certior fit Pontifex, Ludovicum XIV. nihil velle de eo jure remittere, quod Reges majores suos semper Romæ obtinuisse affirmaret. Cum autem ineunte anno CIↃIↃCLXXXIV. Galliarum Regius Orator vita perfunctus esset Romæ, illique justa honorifica persoluta fuissent, Summus Pontifex apparitores Farnesiano foro (illic enim tum inhabitabant Legati Regis Galliarum) libere discurrere, reosque, si qui illuc profugissent, comprehendi jussit, atque in carcerem duci. Tum lege perpetua, cui Cardinales subscripsere plerique omnes, diligentissime cavit, ne quis in posterum id sibi jus arrogaret; si quis secus fecisset, sacris interdictus esset, atque haberetur. Cum autem qui Romæ tunc erant Poloniæ, Angliæ, Hispaniæ Regii Oratores jam summo Pontifici obtemperassent; Lutetiam Parisiorum ad Cardinalem Ranuccium Apostolicum Legatum idem Pontifex literas misit, quarum literarum summa hæc erat: cæteros quidem Regios Oratores summi Pontificis voluntati morem gessisse, sperare se etiam Regium Ludovici Oratorem, cum Romam veniisset, communi jure in posterum contentum fore. Quod si Rex Ludovicus contra Summi Pontificis voluntatem animum obfirmasset suum, a novo Oratore Romam mittendo abstineret; Summo enim Pontifici a suscepta sententia discedere non licere, nisi Reipublicæ tranquillitatem, ac salutem, & Principis majestatem prodere vellet. Nihil Legati Apostolici oratione, nihil Innocentii precibus commotus Rex Christianissimus, Regium Oratorem statim delegit Lavardini Dominum: Romam proficisci jussit, atque antiqui juris possessionem omni ratione tueri. Lavardinius Romam profectus cum eo armatorum militum comitatu Urbem est ingressus, ut justi exercitus speciem præseferret, neque pacifici Oratoris, sed victoris in captam Urbem ingredientis personam repræsentare videretur. Ad ædes Farnesianas cum perveniisset, excubias cum armis, telisque Farnesiano foro dispositi, jussit armatos equites districtis ensibus per vicinas ædes & vias, ad quas Asyli jus antea propagabatur, dies noctesque discurrere. Tum confidenter sane semel, atque iterum efflagitavit, ut ad Summi Pontificis colloquium admitteretur. Tulit hoc graviter Innocentius: statuit tamen in tantis injuriis nihil sibi gravius faciendum, quam ut Lavardinium omni ad se aditu excluſum, tanquam Regis Legatum ne tractaret. Itaque universo Cardinalium Senatui, & cæteris, qui aliquam publici muneris curam Romæ gerebant, præcepit, ut a Lavardinii consuetudine abstinerent. At Lavardinius, ut Pontifici imperii contemptum ostentaret, nocte, quæ Natalitia erat Christi Domini, ad Divi Ludovici templum, quod Gallicæ nationi addictum est, solemni pompa accedens divinæ rei interesse non dubitavit. Quod cum resciviſſet Summus Pontifex, Templum illud atque Ecclesiasticos homines, qui Lavardinium exceperant, statim sacris interdixit. Tum ille contra Pontificem vehementius furere, minas objicere, pericula intentare, ipsumque Christianissimum Regem per literas acrius inflammare. Cujus quidem jamdiu concepta abalienatio, tandem erupit in apertum bellum, quod Innocentio indixit, belli causam prætexens repulsam Lavardinii ignominiosam. Hanc quidem causam & Archiepiscopus, & Senatus Parisiensis cupide, & ambitiose (ut solebant omnia) comprobarunt; cæterum illi ipsi rerum a Ludovico præclare gestarum Scriptores, & glorioſi præcones in hoc bello requirunt usitatam Regis magnitudinem animi, splendorem, dignitatem, & ad minuendam facti invidiam, ut aliquid afferant, quod minus odiosum videatur, contendunt, tantum dissidium non aliunde profectum esse, quam ab æmulatione illa potentiæ & dominatus, quæ duas inter Familias Borbonicam, & Austriacam jam biscentum annis, & tum maxime vigebat, magna cum pernicie Christianæ Reipublicæ; & quæ tandem aliquando eximia nostrorum temporum felicitate restincta fuit. Hac, inquiunt, æmulatione elatus Ludovicus oderat Innocentium, quem amicum inimicorum suorum suspicabatur. Sed huic suspicioni reclamitat perpetua agendi ratio Innocentii, omni vacans studio præterquam religionis. Hinc multa Ludovicus minaciter, atque hostiliter agere cœpit: Avenionem, & Comitatum Venasinum, quæ Pontificiæ ditionis erant, infestis armis occupat: Cardinalem Ranuccium Legatum Apostolicum per speciem honoris a militibus quasi obsidem custodiri imperat, & propediem in Italiam descensurum minatur ad Innocentium in officio continendum. Hæc res ad expugnandam Pontificis constantiam, & callide vulgabatur, & temere credebatur in civitate plenissima hominum otiosorum, & factis Principum immoderata quadam libertate obtrectantium. Hinc exaudiebantur in ipsa Pontificis aula sermones, & querelæ de Innocentii pertinacia. Ubi enim sapientia, irritare Regem potentissimum, & nunquam a bellis, & victoriis conquiescentem? Ubi amor & benevolentia populorum, qui in maximum discrimen hoc bello vocabantur? Reducebatur in memoriam importuna clades, & indigna direptio Civitatis, quæ Clemente VII. regnante contigit. At Innocentius nihil se a potentissimorum Principum minis, ac armis, nihil ab hujusmodi rumoribus, atque sermonibus metuere, se fortunatissimum fore, si pro tuenda populi salute, pro Religione, pro Pontificiæ dignitatis authoritate sanguinem, ac vitam profundere cogeretur. Hæc sensit, & præstitit Innocentius: cui in tot adversis temporibus semper idem vultus, eadem oratio, idem animus humana omnia despiciens, nihilque propositum habens præter honestatem, & Religionem. Cæterum hujus belli exitus, quam honorificus Innocentio fuerit, mox videbimus.

Sub idem ferme tempus Innocentio feliciter res cessit in nova pestilenti superstitione extinguenda, quæ cum Romæ primum oborta esset, arripuisſetque non paucos primariæ conditionis, ac dignitatis homines, tum per universam Italiam radices egerat, atque in dies latius propagabatur. Michael enim Molinos Sacerdos Hispanus, veterum Gnosticorum, Illuminatorum, & Beguardorum hæresim, & commenta turpissime Romæ instaurare, atque amplificare ausus, novum supplicandi Deo, vel (uti vocant) orationis genus invexerat, quod totum in absolutissima quiete quadam, seu potius oscitantia consisteret. Neque enim opus erat, ut intellectus rerum cælestium contemplatione sibi proposita, in Deum assurgeret, aut voluntas pios animi sensus eliceret; immo vero, si qui interea minus compositi, pravique motus suborirentur, nefas esset ab illa quiete discedere, ut hujusmodi motus aut extinguere, aut compescere voluntas conaretur. Incredibile dictu est, quam multos tam execrabilis, impiaque superstitio occuparit, quæ latissimam ad omne flagitiorum genus pandebat viam. Adeo verum est, nullam esse sine amatore fœditatem! Molinos enim simulata quadam magnæ pietatis specie in virorum Principum gratiam se callidissime insinuarat, eoque tutius pestiferæ doctrinæ virus credulis, atque imperitis hominibus propinabat, quo sanctior vulgo habebatur. Ac primo quidem secretæ indignationes bonorum exaudiebantur. Mox ubi ad publicam querimoniam excessit res, Innocentius hominem in carcerem duci, atque ab iis, ad quos ea cognitio maxime pertineret, de illius perversitate doctrinæ severissimas haberi quæstiones jussit. Statim violatæ Religionis Quæsitoribus id curæ fuit, ut pestiferum illud malum maxima celeritate opprimeretur. Missæ per totam Italiam literæ, ut qui in eam fraudem inducti fuissent, continuo resipiscerent. Libri, quibus perversa illa doctrina continebatur, publice interdicti, atque ad duodeseptuaginta Propositiones ex iisdem libris excerptæ severissimis censuris inustæ sunt. In ipsum impiæ hujusmodi hæreseos authorem severitas animadversionis temperata clementia fuit, quemque ad mortem duci oportebat, perpetuo tantum carcere mulctatus est. Ita Innocentius pravissimam illam hæresim, quæ in ipsa Catholicæ Religio-

ligionis ſede ortum duxerat, breviſſimo temporis ſpatio inveſtigavit, patefecit, extinxit.

Hactenus qualis in imperio, regendaque Chriſtiana Republica Innocentius fuerit, expoſui. Ad privatam, & interiorem vitæ rationem quod attinet, frugi illum fuiſſe, moderatum, temperantem, plenum pudoris, officii, Religionis, vel ex eo facile intelligi poteſt, quod in tanta obtrectandi licentia, quantam ſupra memoravimus, objectum nihil Innocentio fuerit, quo ſignificari veſtigium turpitudinis, & nequitiæ poſſet. Etſi enim auctores non pauci ad ineundam gratiam ab iis, quibus inviſus erat Innocentii Pontificatus, multum haberent & ad maledicendum licentiæ, & ad ementiendum animi, nunquam tamen auſi ſunt aut factum, aut fictum cum aliqua ratione, & ſuſpicione proferre, quo innocentiæ ipſius ſplendorem offuſcarent. Nihil illo igitur ſanctius, nihil ſeverius excogitari poteſt. Poſt brevem ſomnum bene mane in cæleſtium, atque æternarum rerum contemplatione prolixius verſabatur: tum animo ab omni labecula rite expiato, aut ſacrum facere, aut, ſi per valetudinem minus liceret, ſacro intereſſe ſolitus erat. Hinc autem ſolido integroque die Reipublicæ diligentiſſime operam dabat, neque facile patiebatur ſe ab hac cura interpellari. Nunquam animi cauſa domo prodiit, nunquam in Quirinales, aut Vaticanos pulcherrimos hortus pedem intulit. Plerumque in angusto cubiculo commorabatur, unde perraro ad exercitationem aliquam corporis per viciniora conclavia deambulabat. Minimi neque exquiſiti cibi fuit; illudque mirabantur omnes tam vaſtæ molis corpus tam tenui alimonia ſuſtentari poſſe. Præter externa Pontificiæ dignitatis inſignia, obſoleta & vulgari veſte utebatur, quam etiam ſuis manibus reſarcire deprehenſus eſt: neque multo lautior erat Innocentiani cubiculi ſupellex. Quanquam natura ſubtriſtior, atque ad ſeveritatem aliquanto eſſet propenſior, omnes tamen humaniſſime excipiebat, ac nemo ex illius conſpectu diſceſſit, qui non ſanctitatem admiraretur, humanitatem, clementiamque prædicaret. Cum ſtatis diebus in Vaticana, aut Quirinali æde Eccleſiaſticis muneribus perfungebatur, majeſtas quædam digna Pontifice Maximo ex illius ore, oculiſque eminebat, qua ſpectatores mirum in modum afficiebantur, atque ad ſupremi Numinis cultum, metumque excitabantur.

Sed jamdiu illum vitæ, rerumque humanarum omnium vehementer pigebat. Quamquam enim plurima ſibi in Summo Pontificatu obtigiſſent, ex quibus maximam lætitiam ceperit, non pauca tamen erant, quorum minus fortunatos exitus fuiſſe intelligebat. Hos autem cum nulli magis, quam ſibi propter miram animi demiſſionem tribueret, incredibili quodam animi dolore conficiebatur. Itaque jampridem nihil votis omnibus vehementius expetebat, quam ut ex iiſdem anguſtiis exſolveretur, fore ſperans, ut a quo ſibi in Summo Pontificatu ſucceſſum fuiſſet, quæ hactenus minus proſpere ceſſiſſent, facilius, feliciuſque explicarentur. Equidem haud dubito, quin divino quodam inſtinctu mortem ſibi proxime abeſſe Innocentius præſenſerit; nam cum primum tenuiſſima febris ejus valetudo tentari cœpit, ſtatim a negotiis omnibus abſtinuit, neque exoratus induci potuit, ut curam aliquam ſuſciperet, quæ ad futuræ vitæ beatam æternitatem non pertineret. Quæ res in malevolorum voculas incurrit, perinde ac ſi nimis abjecto, fractoque animo eſſet, qui tam levi morbo correptus, ſtatim humanis rebus nuncium remiſiſſet, omnemque recuperandæ ſalutis ſpem abjeciſſe videretur. Sed cum morbi vis ſenſim incrementum caperet, atque augeretur in dies magis, non modo obtrectationes illæ brevi compreſſæ ſunt, ſed etiam tributa Innocentio laus eſt, quod multo verius quam cæteri de valetudinis ſuæ ſtatu judicavit. Interea nulli ad ſe aditum patere juſſit niſi Ludovico Maraccio (1), quo ad animi labes chriſtiano ritu expiandas uſus fuerat & ante Pontificatum, & in ipſo Pontificatu. At Maraccius quidem, ut homo erat egregie cordatus, nec minori prudentia, quam pietate præditus, Pontificis animum in rerum æternarum contemplatione defixum, ne morbi vis eam ob cauſam magis, magiſque invaleſceret, tantiſper avocare ſtudebat, nunquam tamen id aſſequi potuit. Quoties enim ille ex induſtria alio, quam ad res divinas, ſermonem deflectebat, toties a Pontifice illico dimittebatur. Neque vero gravioribus etiam de cauſis ſolitudinem interpellari ſuam patiebatur.

Erant qui vehementer optarent, ut Cardinalium numerum, quorum omnino decem deſiderabantur, Pontifex ante mortem expleret, atque de ingenti illa pecunia, quam pro Reipublicæ Chriſtianæ bono in ærarium Pontificium contulerat, aliquid vivens ſtatueret. Ad hæc breviter, præciſeque Innocentius: ſibi jam integrum non eſſe de graviſſimis hiſce negotiis deliberare; cum ſibi non amplius ea vis eſſet mentis, quam prudens deliberatio flagitaret: ſe omnia novo Pontifici lubenter permittere, qui quidem ex ea pecunia in ærarium Pontificium congeſta facile poſſet, ſi vellet, de Chriſtiana Republica, atque imprimis de Pontificia ditione benemereri. Cæterum breviſſimi temporis uſuram ne ſibi inviderent, ac ſe, rebus omnibus poſthabitis, æternæ ſalutis curam gerere paterentur.

Vix quinquaginta poſt dies, quam in adverſam valetudinem inciderat, exorari paſſus eſt, ut a Fratris Filio Livio Odeſchalchio inviſeretur, quem cum amantiſſime excepiſſet, multa de humanæ vitæ brevitate, multa de cæleſtis patriæ beatiſſima æternitate perlocutus, ingeneratam Familiæ Odeſchalchiæ in pauperes liberalitatem illi maximopere commendavit, ipſumque etiam hortatus eſt, ut non mediocrem pecuniam in neſcio quas cauſas pias, uti vocant, conferret: quam ſanctiſſimi Patrui voluntatem mox idem Livius munificentiſſime præſtitit.

Interea cum diuturno graviſſimoque morbo pene confectus eſſet, jam inſtare ſibi extremum vitæ diem monitus, majorem quandam ore, & oculis lætitiam, atque alacritatem præſetulit. Tum nihil habuit prius, quam ut omnibus Chriſtianis ſacris rite muniretur. Cum autem jam nulli Summi Pontificis inviſendi facultas non eſſet, tum vulgo maxime admirationi fuit Innocentii fortitudo, atque conſtantia. Nullus enim gemitus, nullæ querelæ, vox illi nunquam excidit mollior, & languida maximos inter dolores, quibus acerbiſſime diſcruciari neceſſe erat. Diſſecto enim poſt ejus mortem cadavere calculi duo non uſitatæ magnitudinis ejus inhærentes renibus inventi ſunt. Atque ea tantum verba identidem exaudiebantur, quibus rogabat Deum, ut ſibi una cum fortitudine animi corporis cruciatus augeret. Nemo in ſanctiſſimum illud cubiculum pedem inferebat, quin ad morientis Innocentii conſpectum non vehementiſſime commoveretur. Nemo erat, cui illius virtus, majeſtas, ſanctimonia non gemitus, & lacrymas eliceret. Denique cum jam duo ferme menſes inter acerbiſſimos dolores Innocentio profluxiſſent, eſſetque jam biduum, ut ita dicam, cum morte luctatus, pridie idus Sextiles CIↃIↃCLXXXIX. hora XXII. inter circumſtantium lacrymas, atque ejulatus placidiſſime, ſanctiſſimeque obiit, ac maximum univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ ſui deſiderium reliquit.

Ut ex arce Capitolina ſigno edito *Innocentii* mors Romæ vulgata eſt, jam non *plebs Romana*, ut in aliorum Pontificum morte aſſueverat, licentius per vias diſcurrere ac debacchari cœpit, ſed univerſam Urbem ingens mœror, triſtiſſimumque ſilentium occupavit. Nemo enim non intelligebat, obiiſſe Pontificem ſpecimen virtutis, exemplum integritatis & innocentiæ, Religionis præſidium, atque egenorum parentem munificentiſſimum. Cum autem accidiſſet, ut in ipſo mortis articulo cælum, quod tota die ſudum ac ſerenum fuerat, repente denſiſſimis obduceretur nubibus, ac veteris Flaviani Amphitheatri pars quædam prolapſa cum ingenti fragore ruinam duceret; hæc ſupra naturæ ordinem contigiſſe vulgus interpretabatur, ac cælum terramque ipſam in ſui doloris partem adduci exiſtimabat.

Eadem nocte cadaver illius venerandum a Quirinali monte in Vaticanas ædes maxima cæremonia elatum ſumma hominum multitudo non ſine lacrymis proſecuta eſt. Quibus vero diebus juſta a Patribus Innocentio rite perſoluta fuere, tantus eo omnium ætatum, atque ordinum concurſus eſt factus, ut Vaticanum templum omnium ampliſſimum pro incredibili vulgi frequentia anguſtius videretur. Nec vero armati milites, nec ferrea clauſtra ab irruentis populi ſtudiis atque impetu ſacras illas exuvias ſatis tueri poterant, cum quiſque ad eas propius accedere, eas deoſculari, contingere, rapere ſtuderet, iique fortunatiſſimi haberentur, qui voti compotes facti eſſent. At Livius Odeſchalchius ſanctiſſimo Patruo anno ab ejus obitu undecimo in Vaticano Templo magnificentiſſimum, ornatiſſimumque ſepulchrum extruendum curavit; quod tum a Civibus, cum a peregrinis, præſertim ex Inſubria non ſine quadam

(1) Ludovicus Maraccius Lucenſis e Congregatione Matris Dei vir fuit ſingulari prudentia, eximia pietate, ſumma doctrina (ut ejus opera teſtantur) & a Confeſſionibus fuit Innocentii XI. cum Cardinalis, & cum Pontifex eſſet. Hoc enim demonſtrat elenchus familiarium Pontificis, hoc aſſerunt quotquot vitam Innocentii ſcripſerunt, ut mirum videri debeat, qui appendicem ad Ciacconium, auctor cæteroquin eruditiſſimus, publicavit, Michaelem Angelum Riccium (qui & Cardinalis fuit) a Confeſſionibus Innocentii XI. fuiſſe nullo teſte, nullo authore affirmaſſe.

Religione celebratur. At non ſolum in univerſam Italiam, ſed in extremas terras illius eximiæ ſanctitatis fama pervaſit. Quæ quidem nulla temporis diuturnitate compreſſa eſt, ſed viget adhuc, vigebitque memoria ſæculorum omnium.

Ludovicus ipſe ſtatim poſt Innocentii mortem conſilia in melius retulit, ſive commotus tantæ admiratione virtutis, ſive nativo quodam Religionis ſenſu, quæ ab illo ne in ipſa quidem diſſenſionis acerbitate, & militaris gloriæ inſolentia divelli unquam potuit. Nam Lavardinium Roma in Galliam revocavit, Avenionem, & Comitatum Venaſinum reſtituit: & in ea controverſia, quæ de Regalia fuit, ſua Romanæ Sedi dignitas conſtitit; & ſi quid de jure Pontificis remiſſum fuit, id ſupplicante Rege, & bona cum venia Pontificis remiſſum. Sed, quod magis animadvertendum, vix Alexandro VIII. in Innocentii locum ſuffecto, illico agi cœptum eſt de abrogandis quatuor illis Propoſitionibus Romano Pontifici injurioſis, quas commemoravimus, & in Gallia ratas, ſanctaſque haberi Rex juſſerat. Quod quidem feliciter confectum, ubi Alexandro Innocentius XII. ſucceſſit. Hujus rei certius documentum afferri non poteſt, quam Epiſtola (1) ipſa ad Innocentium ſcripta die XXIV. Septembris MDCXCIII. in qua Epiſtola Ludovicus plane explicateque denunciat, id a ſe imperatum fuiſſe, ut in Comitiis Cleri Gallicani Propoſitiones antedictæ funditus repudiarentur. Sed qui res a Ludovico geſtas ſcribunt, ſive ignoratione, vel malevolentia in Romanos Pontifices adducti, hoc illius pulcherrimum factum ſilentio, ac tenebris obruerunt. Sint ſane Ludovici actiones magnæ, quæ revera magnæ fuerunt, & Poetarum carminibus, & annalium monumentis celebratæ. Sed hanc illius moderationem animi, qua, vetere contentione abjecta, & renovato exemplo ſanctiſſimorum Regum, quorum in ſacra hiſtoria magnum eſt nomen, ſeſe totum judicio atque authoritati Romanæ Eccleſiæ devovit, equidem, alii, ut volunt, ſentiant, cæteris ejus laudibus antepono; & hanc unam ob cauſam Magni nomen illi tribuendum cenſeo. Etſi autem hæc omnia Innocentii mortem conſecuta ſunt, nemo tamen, niſi iniquus rerum æſtimator, & veritatis inimicus negabit, hunc ejuſdem conſtantiæ fructum maximum fuiſſe.

Extiterunt tamen maledicentiſſimi ſcriptores, qui tantæ luci tenebras offundere conati ſunt; exiſtimantes, gratiam inituros a Ludovico Magno, quem etiam (ſi Deo placet) in communi Chriſtianæ Reipublicæ mœrore, ac luctu exultantem inducunt. Atque hujuſmodi impudentiſſimi, & nefarii mendacii teſtes afferunt literas, quas Ludovicus ad ſacrum Cardinalium Collegium ſtatim poſt Innocentii mortem dedit. In his autem literis Rex Patres monet, ut Pontificem deligendum curent tanto muneri parem, illis præſertim temporibus, cum plurimæ longe, lateque gliſcerent hæreſes. Quas tamen literas dolo malo ita deformavit Bælius, aut quem ipſe authorem ſequitur, ut alius inde ſenſus eliciatur, ac ſcriptus ſuit. Hoc autem ſtatim incurrit in oculos, ſi verba Bælii cum genuina Regis epiſtola conferantur. Afferimus autem utriuſque Epiſtolæ exempla, ut videant legentes quæ hujuſmodi ſcriptoribus fides adhibenda eſſe videatur (2). Cæterum tantum abeſt, ut Ludovicus de Innocentii obitu gloriaretur, ut non ſemel præſeferret illam maledicendi licentiam, qua ſanctiſſimus vir ab impiis hominibus in aula impetebatur, non modo ſe improbare, ſed neque impunitam velle. Sic enim edixit: caverent aulici, ne magno Pontifici obloquerentur, quem conſtabat fuiſſe rectæ mentis, & eximiæ ſanctitatis hominem. Sed quid plura commemoro? Extant Philippi V. Hiſpaniarum Regis literæ ad Clementem XI. ſcriptæ, quibus hunc Summum Pontificem impenſius rogat, ut de cæleſtibus honoribus Innocentio decernendis quam primum agat. Jam vero Philippus Rex nunquam profecto hujuſmodi cauſam commendandam ſuſcepiſſet, ſi avum erga ſe amantiſſimum, atque beneficentiſſimum, & cujus penitiores animi ſenſus haberet perſpectiſſimos, longe aliter de Innocentii ſanctitate ſentire arbitratus eſſet. Quin immo non dubito dicere, ſi quo tempore inſtituta cauſa eſt de Canonizatione Servi Dei, Ludovicus adhuc vixiſſet, ſuo ſuffragio eidem juvandæ cauſæ fuiſſe acceſſurum.

Hactenus vitæ, & morum Innocentii non expreſſam quidem atque expolitam, ſed vix inchoatam, atque adumbratam imaginem exhibuimus; ejuſmodi tamen, ut nemo negare audeat, eum cum magnis illis, ſanctiſſimiſque Romanis Pontificibus comparandum, quorum memoria divinis honoribus conſecratur. Nulla enim in eo virtus deſiderata eſt, quam ea maxima dignitas, ac difficillima tempora, quibus Rempublicam geſſit, flagitare viderentur. Summa tamen in egenos inopeſque miſericordia, ac liberalitate, ſummo ſtudio tuendæ propagandæque Religionis, ſumma denique conſtantia mirum in modum excelluit.

Atque illud vere affirmari poteſt, Innocentii munificentiam ad omnes ferme perveniſſe, quam ad ſuos. Cum enim mira in conſanguineos abſtinentia, magna in aulicos parſimonia nunquam non uſus fuerit, in cæteros immenſas propemodum opes liberaliſſime effudit. Beneventum, aliaſque Piceni, Umbriæ, Æmiliæ civitates magnis terræmotibus concuſſas, vel labefactatas maxima pecunia juvit. Mamertinis Civibus plurimis, qui domi ſuæ nobiles, ac pecunioſi habebantur, ſed cum in perduellionis ſuſpicionem veniſſent, patria exulabant, ita liberaliter præſto fuit, ut illis in hoc ſplendore Urbis vitam degere honeſtiſſime liceret. Quamquam publicum ærarium non mediocri ære alieno obſtrictum eſſet, Romam, Pontificiamque Ditionem non paucis, iiſque graviſſimis vectigalibus liberavit; centum nummûm aureorum millibus in publicum cenſum relatis. Plurimas inſtituit domos, in quibus pueri, puellæque inopes & gratis alerentur, & probe inſtituerentur. Atque ampliſſimæ illæ duæ ædes, altera in Porticu Octaviæ prope vetus Marcelli Theatrum, altera ſecundum Tiberim e regione Montis Aventini, quarum ſumma utilitas jamdiu explorata, atque perſpecta eſt, erunt profecto Innocentii XI. atque totius Odeſchalchiæ gentis beneficentiæ teſtimonium ſempiternum. Plus vicies centena millia dono dedit Principibus Chriſtianis ad nervos Turcici belli. Hanc tantam liberalitatem Auguſti Principes Auſtriaci, qui maximam pecuniæ partem ad ſe perveniſſe ſenſerant, ut grato animo, regiaque munificentia proſequerentur, Odeſchalchiam familiam in potentiſſimam, ac perpetuam ſuam clientelam receperunt, & ampliſſimo Sirmii, aliorumque in Hungaria oppidorum dominatu, & Principis Imperii titulo, atque omni genere ornamentorum auctam voluerunt.

Ad Catholicæ Religionis ſtudium quod attinet, orbem univerſum magnitudine animi, atque invictis perpetuiſque laboribus complexus eſt, eoque primum curas omnes intendit, ut eam Principes maxime colerent, & tuerentur. Cumque intelligeret eandem Religionem, quæ charitatis vinculo maxime continetur, in certiſſimum diſcrimen vocari, ſi Chriſtiani Principes diſſentirent, nihil reliquum fecit, quo ipſi pacem inter ſe conſtitue-

---

(1) Très-ſaint Pere. . . . J' ai toujours eſperé de l' élevation de votre Sainteté au Pontificat pour l' avantage de l' Egliſe & l' avancement de notre Sainte Religion. J' en reconnois préſentement les effets avec beaucoup de joie dans tout ce que V. S. a executé de grand, & d' avantageux pour le bien de l' une, & de l' autre. Cela redouble mon reſpect filial pour votre Sainteté. Et parce que je tache de lui témoigner par les preuves les plus fortes dont je ſuis capable, que je ſuis bien aiſe de faire ſçavoir à V. S. que j' ai donné les ordres neceſſaires, à fin que les affaires contenues dans mon édit du 2. de Mars 1682. concernant la déclaration faite par le Clergé du Royaume (à quoi les conjonctures d' alors m' avoient obligé) *n' avoient point de ſuite* (ſed Archetypon: *ne ſoient point obſervées*). Et comme je ſouhaite non ſeulement que V. S. ſoit informée de mes ſentimens, mais auſſi que tout le monde ſache par un témoignage public la veneration, que j' ai pour ſes grandes & ſaintes qualitez; je ne doute pas auſſi que V. S. n' y reponde par toutes ſortes de preuves, & de témoignages de ſon affection paternelle envers moi. Cependant je prie Dieu, qu' il conſerve V. S. heureuſement pendant pluſieurs années.

(2) B Æ L I U S. (a)

Nous avons apris par votre lettre de ce mois la mort de notre S. P. Innocent XI. & nous avons juſte ſujet de croire, qu' il a plu à ſa Divine Majeſté de le retirer du Monde en un tems, où toutes les forces de l' Héreſie reunies ſemblent tramer la ruine de notre Religion.

(a) *Dictionnaire par Pierre Bayle Tome ſecond article Innocent XI.*

R E X.

Nous avons par la lettre du 13. paſſé la mort du Pape Innocent XI. nous avons juſte motif de croire, que dans un tems, que les héretiques s' uniſſent enſemble pour la ruine du ſervice Divin, & mettre la diviſion entre les Princes Catholiques, qu' il eſt très-neceſſaire à toute la Chrétienneté de choiſir un Pontife, qui ait les qualitez requiſes pour bien gouverner le S. Siege.

ſtituerent. Rebus enim compoſitis, & vocatis ad arma Gentibus, & Nationibus, quæ pro Chriſto emori poſſent, ac vellent, ſperabat ubique gentium elatum, & cultum iri Vexillum Crucis aureum, quod unum eſt Chriſtiani nominis hoſtibus horribile, & exitioſum. Enaſcentium hæreſum ſemina præſocavit. Ad compeſcendas vero quamplurimas quorumdam recentium Theologorum de morali doctrina ſententias, ab Evangelica ſeveritate abhorrentes, omnem Pontificiæ authoritatis vim contulit. Novum Sacerdotum collegium inſtituit, qui deinde in ultimas terras delati Catholicam Religionem ultra veteres terminos propagarent. Nihil denique non molitus eſt, ut non modo Romæ, atque in ipſa aula Pontificis, quæ modeſtiæ, & virtutis magiſtra habebatur, ſed ubique vetus Chriſtianæ diſciplinæ ſeveritas efloreſceret.

De ſumma Innocentii conſtantia ſatis ſuperque jam diximus, quam quidem ſi qui adhuc pertinaciam potius fuiſſe temere criminantur, næ illi, quo vitia a virtutibus internoſcantur, prorſus ignorare dicendi ſunt. Si enim cauſæ expendantur, propter quas maximæ illi graviſſimæque contentiones cum Ludovico Magno extitere, nihil æquius: ſi ratio, qua ad jus ſuum aut tuendum, aut vindicandum uſus eſt, nihil modeſtius: ſi ejus perpetua vitæ conſuetudo, a faſtu ſuperbiaque nunquam non vehementer abhorruit, quæ vitia ſunt pertinaciæ maxime affinia. Iccirco raro, aut ferme nunquam in publicum prodibat, ne plauſus acclamationeſque amantiſſimæ plebis exaudiret. Cum vero primum Lateranenſis Eccleſiæ poſſeſſionem ſolemni cæremonia neceſſario adivit, ita mœrens, demiſſuſque erat, ut ad ſervitutem rapi, non ad regnandum incedere videretur. Quo ſpectaculo quotquot aderant commoti, lacrymas tenere non poterant. Adeo autem patiens injuriarum fuit, ut quas facillime poſſet, ad eas vindicandas nonniſi ægerrime deſcenderet, atque tunc tantum, cum tranquillitati publicæ conceſſa impunitas obeſſet, aut certam perniciem in poſterum traheret; quod in Miſſoriorum cauſa maxime patuit, quos ad necem illi inferendam conjuraſſe fama fuit. Sed in eos aliorum graviſſimorum criminum, quam impiæ conjurationis reos capitali ſupplicio, quo damnati ſententia Judicum fuerant, animadverti juſſit. Eam ſemper in ſummo imperio moderationem animi præſetulit, ut etiam Hæreticis ejus modeſtia, ac temperantia admirationi fuerint, quæ quidem virtutes cum vera, germanaque conſtantia ſunt maxime conjunctæ.

Fuit Innocentius XI. procera, erectaque ſtatura, magno capite, gravi ſupercilio, vividioribus oculis, decora ac liberali facie, eo denique oris, & corporis habitu, qui & majeſtatem Principis, & Summi Pontificis ſanctitatem maxime deceret.

Hic vero ſilentio prætereunda non ſunt, quæ mira de Innocentio & ſtatim poſt mortem, & noſtris etiam temporibus divinitus accidiſſe ad ejus ſanctitatis gloriam oſtendendam feruntur. Duo tantum afferam, non quod plus admirationis habeant, quam ſexcenta alia, quæ hic a me percenſeri facile poſſent; ſed quod memoria eorum ſit admodum recens, & in Urbe multorum ſermone percelebrata. Itaque Maria Aloyſia Urſinia, quæ in ſacrarum Virginum Collegio ad quatuor Martyres religioſiſſime adhuc vivit, ex graviſſimo, diuturnoque hepatis morbo laborabat, quo ex morbo non modo ea nervorum infirmitas conſecuta eſt, ut pedibus incedere ſibi jamdiu non liceret, ſed multo etiam graviora ferebat valetudinis incommoda, quibus in extremum vitæ diſcrimen non ſemel adducta eſt. Peritiores Urbis medici nihil reliqui fecerant, quod ad eam ſanandam pertineret; ſed morbi malignitate, atque pertinacia omnis medicinæ vis victa fuit. Cum igitur ex medicorum ſententia nullam ſibi in arte medica reliquam eſſe ſpem ſalutis Urſinia intelligeret, ſuperum, atque in primis Innocentii XI. opem ſtudioſius imploravit, impetravitque, ut ſacræ quædam veſtes, quibus ille uſus olim fuerat, ſibi deferrentur. Quarum contactu auctus eſt quidem dolor, ſed mox incredibilis quædam cupiditas illam inceſſit, ut ex lectulo, in quo quinque jam ipſos annos decumbebat, ſtatim exurgeret. Dum ſpem inter, & metum id conatur, nullo ſe dolore affici, atque inſuetum quendam vigorem ſibi addi perſenſit, ac de reſtituta ſalute jam certior, nihil habuit prius, quam ut una cum ſociis, rei novitate, ac miraculo attonitis, Deo immortales gratias actura in Templum convolaret.

Ea res majores animos addidit Thereſiæ Margaritæ de Chartiæ, quæ in eodem Collegio eodem graviſſimo morbo conflictabatur, jamque extremis ſacris ritu Chriſtiano munita fuerat. Fore enim ſperavit, ut ab Innocentio, cui ſe commendari impenſius cœperat, ipſa quoque beneficio impertiretur. Neque illius vota fruſtra cecidere. Etenim die IV. Octobris CIↃIↃCCLXXII. ægrotanti de Chartiæ Innocentius adſtitit (quo tempore Angela Thereſia Cavaterra, quæ in eodem conclavi verſabatur, cæleſte quoddam ſplendidiſſimum lumen ſupra illius lectum ſe non ſemel, ſed iterum ac tertio vidiſſe jurejurando teſtatur) eamque ita ſanavit, ut quæ annos jam quinque, ac menſes octo pene immota, ſtipitique ſimilis nervorum vitio jacuerat, potuerit ſtatim exurgere, ac liberrime incedere.

Illud etiam addam, eſſe infinitos tam cives, quam exteros, qui habere cupiant cereas Divini Agni imagines ab hoc Pontifice conſecratas. Etſi enim vis illa ſalutaris cereis Imaginibus divinitus adjuncta a Pontificia poteſtate, atque a ſanctiſſimis cæremoniis proficiſci intelligatur, tamen propter ſingularem Innocentii Religionem, ac ſanctitatem, neſcio quomodo his Divini Agni ſimulachris ab hoc ipſo, ſicut olim a S. Pio V. confectis, omnes ſe in periculis inſtructiores, magiſque tutos fore arbitrantur.

Hiſce initiis, & quaſi fundamentis excitatæ laudes Innocentii adeo ſermone omnium cum Romæ, tum apud exteras nationes percrebuerunt, ut Clemens hoc nomine Undecimus tum ejuſdem fama ſanctitatis, tum literis, commendationibuſque ſummorum Regum, Principum, & Eccleſiæ Antiſtitum ſane plurimis permotus, de cæleſtibus illi honoribus decernendis cogitaverit, & judicium Canonizationis inſtituendum mandaverit. Mox Clemens XII. deſignavit certos, & proprios cognitores, & judices, qui, quæ opponebantur, diligenter inquirerent. Sed Benedictus XIV. ſemel atque iterum convocata apud ſe Rituum Congregatione, cum unamquamque rem examinandam, momentoque ſuo ponderandam ſuſcepiſſet, Decreta illa edere non dubitavit, quæ infra afferimus. At nemo ignorat tanti Pontificis immortalem in hiſce rebus pertractandis doctrinam, peritiam, authoritatem. Speramus autem fore, ut hæc cauſa ne diuturnitate temporis, & hominum negligentia in oblivionem deducatur, ſed reviviſcat potius, & ad honorem Romanæ Eccleſiæ, & ad poſterorum exemplum brevi exitum habeat felicem, maximeque optabilem, authoritate & beneficio Pii VI. P. M. quem Innocentii XI. dignitatis ſucceſſorem, & virtutis imitatorem colimus & admiramur.

ROMA-

ROMANA BEATIFICATIONIS, ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI. INNOCENTII PAPÆ XI.

POST *ſignatam a ſan. me.* Clemente XI. *præmiſſis præmittendis, commiſſionem introductionis cauſæ* VEN. SERVI DEI INNOCENTII XI. *& alia ad normam juris peracta, quæ pertinebant ad judicium ſuper paritione decretis* Urbani VIII. *& ad famam Sanctitatis in genere, cum deveniendum eſſet ad examen virtutum in ſpecie, placuit ſan. me.* Clementi XII. *particularem Congregationem deputare pro examine nonnullarum oppoſitionum ab R. P. D. Fidei Promotore proponendarum; cumque a Sanctiſſimo Domino Noſtro* Papa Benedicto XIV. *earumdem difficultatum examen fuerit a Congregatione particulari evocatum, & ad Congregationem ordinariam Sacrorum Rituum coram ſe habendam remiſſum, habitaque Congregatione prædicta coram* Sanctitate Sua *die prima Auguſti, cum ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Cardinalis Burgheſii in ea propoſitum fuerit ſequens dubium:* An deducta ſuper iis, quæ geſta præſumuntur a Ven. Servo Dei in ſtatu Prælaturæ, Cardinalatus, & Pontificatus, ſeorſim ab aliis objectis ſuo loco, & tempore promovendis, contra probationem, & relevantiam aſſertarum illius virtutum in gradu heroico, obſtent, quominus procedi poſſit ad ulteriora in caſu, & ad effectum, de quo agitur? *Ab omnibus nemine diſcrepante*, negative *reſponſum fuit*, oppoſitiones videlicet non obſtare, quominus ad ulteriora in cauſa procedi poſſit. *Adductis prædictis ſuffragiis* Sanctitas Sua *pro diluendis excitatis oppoſitionibus, multa, eaque validiſſima argumenta deduxit, petita ex monumentis, quæ Poſtulatores latuerant, quoſque idcirco inquit meliora omiſiſſe, nec eam in rependendo adhibuiſſe diligentiam, quæ cauſæ gravitatem decebat: & poſt hæc, nedum reſponſum prædictum approbavit, ſed ſilentium Promotori Fidei impoſuit, prohibuitque, ne ulla ex propoſitis ab ipſo difficultatibus uti poſſet in ulteriori cauſæ examine; firmo tamen remanente ipſius jure in reliquis per ipſum opponendis tum quoad probationem, tum quoad relevantiam aſſertarum virtutum heroicarum, tum quoad alias, ſiquas habuerit, oppoſitiones ex aliis fundamentis, & capitibus deducendas, & ne ullus in cauſa ſuffragator iis ullam ex oppoſitis difficultatibus, utpote ſufficientiſſime ſublatis, & a* Sanctitate Sua *rejectis, audeat refricare. Juſſitque, ut omnia hæc in Regeſtis Sac. Congregationis adnotarentur, quod a me infraſcripto Secretario Congregationis Sacrorum Rituum adimpletum eſt hac die 8. Auguſti* 1744.

Ita reperitur in Regeſtis Decretorum Congregationis Sacror. Rituum. In fidem &c.

T. Cervini Patriarcha Hieroſolymitanus Secretarius.

Loco ✠ Sigilli.

ALEXANDER VIII.

RE ſacra die 23. menſis Auguſti a Cardinali Bichio peracta, Cardinales ad Vaticanum Conclave proceſſerunt. Primoque ipſo Comitiorum momento Patrum ſuffragia, & voluntates in Petrum Cardinalem Ottobonum præ cæteris incumbebant. Aliorum tamen merita exquirenda erant, atque alea tentanda. Cunctandum quoque erat, temporique inſerviendum, ut commode pateret acceſſus pluribus Cardinalibus, qui ex Gallia, & ex Germania adveniebant. Interea temporis inutili experimento ad Apoſtolatum evehere curarunt nonnulli Gregorium Cardinalem Barbadicum virum egregium, & propter præclaram vitæ ſanctimoniam a Clemente XIII. Beatis adſcriptum; item & Angelum Card. Ranutium ſimili vitæ auſteritate & ſcientia commendatum; ſed iſte in Civitate Fanenſi, cui præerat Epiſcopus, intempeſtiva morte interiit die 27. Septembris hujus anni 1689. dum Romam properabat, comitiiſque futuræ electionis adeſſe curabat. Sed jam qui e longinquo expectabantur Cardinales advenerant. Præſertim vero tres Galliæ Purpurati; nempe Bullionæus, Bonſius, & de Fuſtenberg. Impenſius hinc ac ſerio agi cœptum eſt de novo eligendo Pontifice. Iterum unanimi fere conſenſione Petrus Ottobonus evocabatur. Probata omnibus erat, ſatiſque perſpecta ejus in rebus gerendis prudentia, & ſingularis doctrina, & morum gravitas, atque in ætate octogenaria ſolers conſilium. Fauſtiſſimis auſpiciis, brevique temporis intervallo optatum ad finem res eſt perducta. Concorditer atque una voce die 5. Octobris novus Papa conclamatus eſt. Hinc die ſexta ejuſdem menſis initis rite ſuffragiis Summus Pontifex renuntiatur, nemine inter quinquaginta duos Patres diſſentiente. Ipſe vero nomen aſſumſit Alexandri VIII. in memoriam Alexandri III. carum Venetæ Reipublicæ nomen, & Alexandri VII. cujus fuit admirator eximius.

Familia Ottobonia vel ex Florentiæ Civitate, ut plures aſſerunt, trahat originem, vel ut aliis placet, ex Dalmatia; aut ex Eubœa a Venetis ſubacta, cum primoribus illarum regionum familiis, Venetias appulerit; hoc certo aſſerendum eſt, quod pluribus abhinc ſæculis inter cives originarios illius Reipublicæ, qui primum poſt Patricios in rerum adminiſtratione locum tenent, eadem familia recenſetur. Hinc plures enumerantur egregii viri, qui ſtrenue pro Patria dimicarunt, & præſertim tres prudentia, & ingenio præſtantes, qui munus Cancellarii Magni, eximium quidem, in illa Republica maxima cum laude obiverunt, nempe Joannes Franciſcus, Leonardus, & Marcus.

Ex hoc Marco, qui jam inter Patricios Venetos cooptatus fuerat, & ex Victoria Torniellia clariſſimi ſanguinis matrona ortum duxit Petrus Vitus Ottobonus die 22. Aprilis An. 1610. Ab iſtis genitoribus pietatem & religionem hauſit avitam, deinde in Univerſitate Patavina muſas omnes excoluit, aliiſque ſtudiis ſollicite incubuit. Eximios præ cæteris nactus eſt præceptores Fortunium Licetum præſtantem phiſoſophum, & Bartholomæum de Vecchis inſignis illius Academiæ Juriſconſultum, ibique lauream doctoralem adeptus eſt anno 1627.

Anno 1630. qui erat ei vigeſimus, ſollicitum ad juriſprudentiam animum intendens, Romam venit, & in Rota Romano XII. viro eximio, ut ex ejus deciſionibus luculenter apparet, uſum Romanæ Curiæ percoluit. Sub Urbano VIII. pingui prius donatus Abbatia, deinde inter Referendarios relatus Utriuſque Signaturæ, plurium ditionis Eccleſiaſticæ Civitatum adlectus fuit Gubernator, nempe Interamnæ, Reatis, & Spoleti. In hac ultima Civitate non ſine laude, nec ſine Pontificis utilitate diſſidia compoſuit, quæ cum aliquibus Regni Neapolitani Urbibus irrepſerant de finibus decernendis.

Idem Urbanus VIII. Petri Ottoboni expertus fidem, morumque integritatem, eum vacanti Epiſcopatui Torcelli in Statu Veneto præfecit. Mira effulſit novi Epiſcopi religio, & vigilantia in ſedula ſuæ Diœceſis adminiſtratione. Anno autem 1642. evecto ad Epiſcopatum Patavinum Georgio Cornelio Patricio Veneto, qui pluribus annis ejuſdem Rotæ Romanæ Auditor extiterat, Ottobonus, qui a Veneto Senatu nominationem obtinuerat, ipſius Urbani beneficio in hoc eximio Magiſtratu ſufficitur. Quatuordecim annis laudabiliter geſſit hoc genus officii, ut ejus quoque deciſiones typis editæ palam oſtendunt.

Inno-

Innocentius X. die 19. Februarii An. 1652. eum inter Presbyteros Cardinales retulit ſub titulo S. Salvatoris in Lauro, quem poſtea immutavit in alterum Divi Marci, atque inde ad Epiſcopatum aſcendit Portuenſem. An. 1654. ab eodem Pontifice vacantem Brixienſem Epiſcopatum adeptus eſt, quem poſtea reſignavit Abbas factus Vangadicienſis ab Alexandro VII. qui illius reditum ad Urbem maxime acceptum habuit, ejuſque conſilio frequens utebatur; pluribus inſuper illum adjecit Congregationibus, nempe S. Concilii Tridentini Interpretum, Epiſcoporum & Regularium, Indulgentiarum & Reliquiarum, Viſitationis Apoſtolicæ, Conſiſtorialis, & præſertim S. Officii in ſingulare argumentum æſtimationis, qua ab omnibus Pontificibus probatus fuit. Quatuor Pontificum adfuit creationi, nempe Alexandri VII. Clementis IX. & X. & Innocentii XI. In Pontificatu ipſius Clementis IX. Datarii munus laudabiliter implevit. Tandem mortuo Innocentio XI. in Petri Cathedra collocatus eſt. Ad regimen ſtatim Apoſtolatus converſus, litteris ſua manu exaratis Principes omnes Catholicos de ſui electione certiores fecit. Reipublicæ itidem Venetæ dilectæ Patriæ ſuæ litteras miſit ſua quoque manu conſcriptas, magis ſui eximium amorem comprobantes, eaſque dedit Joanni Lando tunc Veneto Oratori ad ejus pedes advoluto, & lætitia, & quaſi lacrymis geſtienti. Quin etiam illi renunciavit, ſe Nuntium Apoſtolicum deſignaſſe Patriæ non ingratum, atque Indultum Decimarum favore Reipublicæ decreviſſe, ut bellum fovere poſſet, quod adverſus Turcas tamdiu exardebat. Duo etiam millia peditum conſcripta ære Pontificio, uſque ad littora, ubi ad navim conſcenderent, miſit Reipublicæ, ut inſulam Euboicam ab imperio barbarorum vindicaret.

Hæc cum Venetus Senatus accepiſſet, publico conſilio tribus ſequentibus diebus feſtivos ignes tota in Urbe decrevit, legationem inſuper adornavit honorificam ſex Oratoribus inſtructam ex Optimatibus Reipublicæ, qui fuerunt Antonius Grimanus, Angelus Maurocenus, Silveſter Valerius, Fridericus Marcellus, Sebaſtianus Fuſcarenus, & ipſe Joannes Landus qui Romæ degebat. Antonius vero Ottobonus Papæ Nepos Divi Marci Procurator effectus fuit.

Diſſidia, quæ inter Romanam Sedem ac Regem Chriſtianiſſimum exarſerant circa Oratorum immunitates, & de jure Aſylorum, ſtatim quieverunt. Ducatum Venaſinum, Urbemque Avenionenſem, quos Galli vivente Innocentio XI. interceperant, Ludovicus Galliarum Rex Romano reſtituit Pontifici. Nobili enim contentione utrinque de ineunda pace certabatur. Non ita tamen Pontifex prætereunda duxit ea vulnera, quæ ann. 1682. auctoritati Sedis Apoſtolicæ per Clerum Gallicanum inflicta putabat. Veſtigiis inhærens ſui Anteceſſoris abolevit, irritaſque dixit quatuor propoſitiones, quas eodem ann. 1682. Clerus Gallicanus Pariſiis congregatus evulgaverat, quaſque ſuo loco recitabimus. Nec ſatis eſſe putans, quod idem Innocentius eas aboleverit in Brevi, quod ad eoſdem Gallicos Epiſcopos conſcripſerat, ſolemnem de hoc evulgavit Conſtitutionem, quæ incipit *Inter multiplices*, quæque in Bullario recenſetur, ut orbis Catholicus univerſus ſciret, quo ſtudio amplificandæ immunitati vindicandiſque juribus S. Sedis arderet.

Inde ad regimen temporale animum intendens, ne peſtilentia, quæ in finibus Regni Neapolitani graſſabatur, terras ditionis Eccleſiaſticæ attingeret, duos ex Præſulum ordine elegit, quos Commiſſarios vocant, qui diligentia incredibili, militibuſque apte diſpoſitis, oras Status Pontificii ſervarunt. Electi autem fuerunt duo Veneti Patricii Georgius Cornelius, & Franciſcus Triviſanus. Plura providit, edictiſque publicis ſanxit, ut rem agrariam reſtitueret, & culturam camporum propagaret, magna in egeſtate annonam levavit, advecto ad ripam Tyberis undique frumento. Hanc Petro Ottobonio Pro-nepoti ſuo provinciam delegaverat. Vectigal tritici Civibus Romanis imminuit; julium ſcilicet in ſingulos frumenti modios, qui molerentur: ſic etiam vectigal carnis ſuſtulit, nempe quadrantem unum pro qualibet libra carnis. Ætate laboribuſque confectus, ipſe tamen fere cuncta peragebat; Secretarium vero Status ſibi adſciverat Joannem Baptiſtam Rubini Epiſcopum Vicentinum, & ſibi ſanguine conjunctum.

Ipſum vero Petrum Ottobonum filium Antonii, ejuſque Pronepotem, omni beneficentiæ genere cumulavit. Die namque 7. Novembris anni 1689. ætatis ſuæ 22. eum Cardinalem dixit tituli S. Laurentii in Damaſo, & Vice-Cancellarium S. Romanæ Eccleſiæ, & Præpoſitum Generalem Statui Pontificio. Sacerdotia inſuper fere omnia ei contulit, quæ Innocentius XI. vacantia reliquerat, quæque annuum quinquaginta millium nummorum reditum excedebant. Paucis inde exactis menſibus, die nempe 13. Februarii ann. 1690. aliam indixit promotionem undecim illuſtrium virorum; & demum duos alios adjecit Cardinales die 13. Novembris ejuſd. ann. 1690. ut quatuordecim omnino Purpuratos in Sacrum Senatum intulerit. Egregias inſuper paravit nuptias Marco Ottobonio alteri Pronepoti ſuo, cui Tarquiniam ex inſigni Columnenſium ſanguine copulavit. Eodemque procurante Pontifice, Cornelia Zena & ipſa Papæ proneptis nupſit Urbano Barberino Principi Prænestino. Prænobilem etiam inſtruxit Bibliothecam eidem Petro Cardinali, & codices MSS. magno pretio acquiſivit, quos Chriſtina olim Svecorum Regina moriens reliquerat. Hos vero codices pluteis ad id apte diſpoſitis in Bibliothecam Vaticanam invexit. Ut puritas Catholicæ fidei intacta coleretur, maxime ſtuduit. Hinc in eos omnes, quos moribus & religione ſuſpectos habuit, etiamſi in dignitate conſtitutos, Decreto Congregationis S. Officii ſevere animadvertit, eoſque vel exilio, vel vinculis, vel juxta delicti genus aliis pœnis coercuit.

Suppetias, ut promiſerat, Venetæ Reipublicæ confeſtim tulit; nam hæc in Turcicum bellum alacrius intendebat ſtudium & operam, quo in ſpem venerat validam accepturam opem a Pontifice Maximo cive ſuo; & hic ſpem haudquaquam fefellit. Nam, præter illius imperii Sacerdotiorum decumas, ingentem ipſis contraxerat pecuniam, Camaldulenſium cœnobii, quod ad carceres nuncupant, ditiſſimis fundis pretio addictis; ſubmiſeratque mille quadringentos milites cum quinque Romanis, binis Genuenſium quinqueremibus, tribuſque roſtratis Navibus, apertis quinque ad transvehendam legionem, & commeatus. Ejus quoque authoritate Melitenſes octo roſtratæ, quatuor onerariæ cum octogenis alba cruce ſignatis, ſexque armatorum centuriis ad eos acceſſerant. Magnum Etruriæ Ducem, ut quoque ſuas adjungeret, excitavit. Antonium vero Ottobonium, ex fratre nepotem ſuum, Generalem dixit S. R. E., & Marcum ejuſdem Antonii filium præfectum maris effecit: atque, ut Venetam Patriam ſuam honoribus magis afficeret, Franciſco Mauroceno Duci Reipublicæ galeam & enſem miſit ſtrenuis imperatoribus dari ſolitum, qui pro fide Catholica decertaverint.

Hoc officio functus fuit Michael Angelus de Comitibus Domicellus Romanus tunc Papæ Cubicularius; atque is eſt, qui per varios honoris gradus optime geſtos ad Summum Apoſtolatus apicem pervenit ſub nomine Innocentii XIII. Demum in ſolemni Canonizatione Sanctorum, quam habuit quinque Beatorum, Laurentium Juſtinianum incluſit primum Venetæ *Reipublicæ Patriarcham*. Cæteri vero ab ipſo *inter Sanctos* relati, fuerunt Joannes de Deo, Joannes de Capiſtrano, Joannes a S. Facundo, & Paſchalis de Baylon, qui & miraculis & claris virtutum meritis jam coruſcabant, fideliumque pietate colebantur.

Tot honoribus Veneta aucta Reſpublica, tantiſque excitata auxiliis, bellum in Turcas acrius eſt proſequuta. Epidaurum, quem hodie Malvaſiam vocant, maritimam Peloponneſi urbem ſtrenuus dux Hieronymus Cornelius obſidione cinxerat. Anno nuper elapſo tentata incaſſum res fuerat. Hoc vero anno 1690. licet valido militum præſidio barbari arcem firmaſſent, tamen egregius dux conſtituta acie ad urbem caſtra admovit, & ab eo intermiſſa obſidio non fuit, donec die 10. Auguſti civitatem expugnavit, omnemque Peloponneſi Peninſulam Veneto adjecit Imperio.

Epidauri ſortem excepit ſimili fato *Aulon*, quæ hodie *Vallona* nuncupatur, eratque in Epiro tutiſſimum barbarorum propugnaculum. Invictus belli ductor Cornelius brevi urbem expugnat, diviteque præda, & magno tormentorum bellicorum numero potitur: ſed has victorias dirus funeſtavit eventus. Repentina mors Hieronymi Cornelii tot rerum præclare geſtarum authoris dolore affecit Venetam Rempublicam, ipſumque exercitum maxima antea felicitate geſtientem. Dyrrachium in eadem Epiri provincia fortiſſimam arcem dum adoriri moliebatur, dumque actu caſtra movebat, mortali correptus febre vix Aulonem ſe recepit, omnibus deſideratus occubuit.

Cæſariani milites vario etiam marte pugnarunt hoc anno in Hungaria, & Liburnia (1) Caniſſa, quam portam ferream dicunt, vere ferrea Hungariæ civitas, laxiori obſidioni diu circumvallata, fame magis quam ferro victa, in Auguſti Cæſaris poteſtatem ſe dedit. Veteranius

(1) *Croatia*.

nius Auſtriaci ductor exercitus egregius pluries bello fregerat Comitem Thechelium, qui jam diu a fide Cæſaris defecerat, quique magnam Hungariæ & Tranſilvaniæ partem ad defectionem incitaverat; ſed alia ex parte innumeræ Turcarum copiæ, & Chiuperlius barbarorum Imperator Niſſam Hungariæ arcem munitiſſimam hoſtili aggreſſione, ac belli impetu invaſerat, eamque non ſine magna ſuorum cæde occupaverat. Tanta elatus victoria Taurunum (1) aggreditur. Ignita pila ab inimicis exploſa cellam promptuariam, qua in arce nitratus pulvis aſſervabatur, omnia fatali incendio miſcuit. Caſu ne, an dolo factum, incertum fuit. Auro tamen a barbaris profuſo fœde noſtros corrupiſſe, ut tantum incendium ſuſcitarent, traditum eſt. Sic illius Regni arx invictiſſima hoſtium paruit imperio. Vix Turcarum audaciam victoremque impetum cohibere potuit Princeps de Baden ſupremus belli moderator. Tranſilvaniam hoſtium patentem inſultibus, illamque Hungariæ partem, infeſtis irruptionibus afflictam, virtute ac dexteritate incredibili in tuto poſuit. Populum nimia felicitate ſolitaque ſuperbia tumidum ſæpius ad pugnam laceſſivit. Reſque ſuas ita apte diſpoſuit, ut hoſtes loco cedere, receptuique ſignum dare adegerit.

Ancipiti prælio dum hæc agebantur, incepit annus 1691. fatalis Orbi Chriſtiano ob mortem Pontificis. Decreverat ipſe potentiſſimum Galliarum Regem omni officiorum genere ad priſtinam amicitiam S. Sedis reducere, clamoreſque Cleri Gallicani univerſæ Eccleſiæ luctuoſos Apoſtolica authoritate componere, felicique concordia obruere. Pluraque alia in fidei augmentum animo ſtatuerat. Jamque earum rerum, quas cogitatione conceperat, firma jecerat fundamenta; ſed fruſtrata hominum expectatio, & celeriter immutata fuit Urbis facies. Initio menſis Januarii hujus anni 1691. lethali morbo correptus Pontifex, omnem ſpem recuperandæ ſalutis abjecerat. Omnibus adhibitis medicæ artis remediis, infirmitas tamen in dies augebatur. Inutilibus experimentis integer fere menſis inſumptus eſt. Pane Euchariſtico repetitis vicibus refectus fuit, adſtante præ cæteris, atque opem ferente Cardinali Colloredo Summo Pœnitentiario. In extremis conſtitutus ac pene moriens plures accivit Cardinales, eoſque præſertim, quos ipſe ad Sacræ Purpuræ honorem evexerat, illiſque ſtatum Eccleſiæ univerſum commendavit. Eos inſuper enixe rogavit, ut futuri Pontificis electioni impenſe conſulerent; ut ambitione ſepoſita a partium ſtudiis abſtinerent. Ipſe vero, quum regnaſſet menſes quindecim & dies 27., obiit die primo Februarii ann. 1691. annum agens 81. Ejus cadaver juxta veterem Eccleſiæ ritum triduo in Baſilica Vaticana patuit expoſitum; laudatus in funere ab Abbate Ludovico Sergardio, ſepultuſque eſt in eadem Baſilica cum hac Epigraphe, quam poſtea magnifico, quod erexit, ſepulcro Petrus Cardinalis Ottobonus cælare fecit:

Patruo Magno
Alexandro VIII. Ottobono Veneto
P. O. M.
Petrus Card. Epiſcopus Sabin.
S. R. E. Vice-Cancel.
Anno Jub. MDCCXXV.

Princeps ſane, & Pontifex fuit Alexander VIII. legum peritia, & longo rerum uſu aptus imperio, niſi effœta jam ætas non parum ejus in Rempublicam ſtudium retardaſſet, ut ait Luccheſinius. Inter decreta ab Alexandro promulgata pro fide Chriſtiana, ſaniorique Ethice ſarta tectaque cuſtodienda, unum eſt, editum die 24. Auguſti ann. 1690. quo *peccatum*, ut vocant, *philoſophicum* damnatur: quod ſuo loco exſcribemus. Hiſt. ſui temporis *lib. IX. ad ann. 1691.*

(1) *Belgrado.*

INNOCENTIUS XII.

ABUSUS, qui ex Nepotiſmi dilatatione irrepſerant in Pontificatu Alexandri VIII. plures ex purpuratis Patribus qui die 12. Februarii ann. 1691. in Vaticanum Conclave ingreſſi ſunt, excitaverant ad rem Pontificiæ electionis (maximi quidem momenti) ſerius tamen pertractandam. Virum undequaque quærebant pium, irreprehenſibilem, ſeverum, præterea a ſanguinis affectione alienum. Magnus erat iſtorum Cardinalium numerus, quos *Zelantes* vocabant. Iis vero tanquam caput & anteſignanus præerat Cardinalis de Colloredo, qui ob ſuam religioſæ vitæ integritatem, morumque auſteritatem atque innocentiam zelo domus Dei flagrantiſſime ardebat. Binos ipſe propoſuerat egregios Cardinales, ceteriſque de Collegio eligendos obtulerat; Gregorium nempe Barbadicum, & Antonium Pignatellium. Diu de Cardinali Barbadico actum fuit, diuque hæſerunt Comitia. Leviora tamen impedimenta pro Antonio Card. Pignatellio inventa ſunt. Itaque in locum Alexandri VIII. poſt fere quinquemeſtria Comitia pridie idus quintiles idem ſuffectus eſt; purpuratis Patribus, poſtquam tamdiu de quo eligendo non conveniſſent, extrema tum præcipue ætate (ſextum & ſeptuageſimum agebat annum) commendatus; deinde clarus egregiis optimoque Principi conſentaneis virtutibus, quæ nondum materiam nactæ haud parum in obſcuro manſerant.

Natus eſt Antonius die 13. Martii ann. 1615. in Baſilicata Regni Neapolitani Provincia, atque in Feudo, quod dicunt *Spinazzolæ*, ab hac nobiliſſima gente poſſeſſo. Hæc prænobilis familia ſive ex Ducibus Beneventanis ſuam ducat originem, ut gravibus Scriptoribus viſum eſt, ſive ex alio pervetuſto incertoque fonte deſcendat; hoc unum tamen ratum exploratumque eſt, quod pluribus ab hinc ſæculis opibus ac dignitatibus adeo fulſit in illa civitate & regno, ut plures connumeret illius Regni magnos Cancellarios, pluresque Pro-Reges, innumeros ad varios Europæ Reges Oratores, ſtrenuoſque duces exercituum. Egregiis præterea fulget titulis, ampliſſimiſque Feudis, nedum in eodem Regno Neapolitano, & in Sicilia, verum etiam in Indiis Occidentalibus. Horum tria Feuda præcipue commemoranda ſunt, quia dignitatem adnexam habent, quam dicunt magnatitiam in Regnis Hiſpaniæ, nempe Ducatus Montis Leonis, Ducatus Terræ Novæ, & Marchionatus *del Vaglio*.

Antonius patrem habuit Pignatellium, Minervini Principem, matrem vero Portiam Carafam, Andriæ Ducis filiam. Ipſe vero moribus integerrimis adeo ornatus erat, ut ad divini cultus incrementum a natura factus edituſque eſſe videretur. Hinc parentes ejus, ut vitam puer Eccleſiaſticam arriperet, ſecundum ejus deſideria probaverunt. Romam miſſus, litterarum ſtudiis impenſe vacavit in Collegio Romano Patrum S. J. Hoc loci cæteris præſtabat nobilibus adoleſcentibus exemplo pietatis, & auſteritate vivendi. Habitum quoque Hieroſolymitanum ſuſceperat, ſed inter Equites illius religionis ſervitium de more non præſtitit, nec navalibus adfuit expeditionibus, ut Dei ſervitio vacaret impenſius.

In Pontificatu Urbani VIII. cum annum vix ipſe vigeſimum attigiſſet, inter Romanæ Curiæ Præſules relatus eſt, ac Urbini Pro-Legatus effectus fuit. Innocentius X. eum in Melitenſem Inſulam ablegavit, deinde Viterbii, & totius Provinciæ Patrimonii Gubernatorem dixit, poſtremo ero Nuncium Apoſtolicum Florentiam miſit. In Pontificatu Alexandri VIII. ad Sarmatici Regni Nunciaturam admotus fuit; ſedente vero Clemente IX. ad Cæſarem abiit eadem dignitate Nuntii Apoſtolici ornatus; ſuccedente demum in Pontificatu Clemente X. (exiguum laboribus præmium) Epiſcopatum Aletii in Agro Hydruntino obtinuit. Caſum patienter tulit Pignatellius, gregemque ſibi commiſſum in via Domini dirigere non deſtitit; donec idem Clemens X. egregii viri meritis excitatus, Congregationis Epiſcoporum & Regularium eum a ſecretis dixit. Poſtremo vero præfecturam cubiculi Apoſtolici illi contulit. Hoc in munere confirmatus fuit a Clementis ſucceſſore Innocentio XI. qui die primo Septembris ann. 1681. illum in ſacrum purpuratorum Patrum Collegium cooptavit ſub titulo S. Pancratii, & Faventino Epiſcopatui præfecit, ac paulo poſt ad legationem Bononienſem promovit.

Tandem translatus eſt ad Archiepiſcopatum Neapolitanum. Hinc cum fere omnes Eccleſiaſticos Ordines luſtraverit, atque in quolibet Magiſtratu præclara ſemper ediderit exempla virtutum, merito quidem purpurati Pa-

ti Patres in hac novi Pontificis electione oculos in eum, animumque intenderunt, tantæque virtutes in ejus assumptione clarius patefactæ orbem terrarum universum ad æternorum operum spem erexerunt.

In Principis igitur Apostolorum Cathedra collocatus Innocentii XII. nomen sibi indidit, memor Cardinalitiæ dignitatis, aliorumque beneficiorum, quæ Innocentius XI. in eum abunde contulerat. Postquam die 15. memorati mensis Julii coronatus solemniter fuisset, ipsius Innocentii XI. exemplum sibi ad imitandum proposuit.

Initia sui regiminis a totali suorum gentilium, atque affinium abdicatione solemniter auspicatus est. Et ne locum quidem relinqueret obtrectatoribus, qui præsertim Romanum Pontificem, a quo magna in dies emergunt exempla virtutum, calumniis impetere solent, consanguineos suos nec etiam in urbe Roma esse voluit. Constantem hanc a suis alienationem, ut futuris etiam Pontificibus normam præberet, publica Constitutione (quæ incipit *Romanum decet Pontificem*) patefecit, qua Nepotismum, ut ajunt, penitus condemnat ac supprimit. Eosdem nepotes & affines Romanorum Pontificum tanquam extraneos dijudicandos esse decernit. Si inopia laboraverint, eo modo eorum paupertas sublevetur, quo pauperum cæterorum solet egestas adjuvari. Si meritis abundent atque opinione virtutis, præmia ad normam laboris persolvantur. Præterea ne color supersit, vel prætextus effusioni Romanorum Pontificum, titulos omnes abolevit, quibus Papæ affines intumescere solebant, nempe Legationem Avenionensem, Generalatum Romanæ Ecclesiæ, Præfecturam Arcium maritimarum, & classis Pontificiæ, omnesque alias fumosas dignitates, quibus & stipendia, & largitiones immodicæ admiscebantur. Hæc autem ejus Constitutio, ut nullo unquam tempore in discrimen vocari posset, neve desuetudine extabesceret, voluit omnino, ut ab omnibus Cardinalibus tunc temporis Romæ degentibus juramento confirmaretur.

Huic sanctissimæ, multorumque Scriptorum laudibus celebratæ Constitutioni aliam superaddidit Innocentius æque laudatam, maximeque servandæ distributivæ justitiæ, quam sine personarum acceptione constantissime excolebat, idoneam. Officia Cameralia, maximæ quidem jurisdictionis, venalia usque adhuc exponebantur. Hanc venalitatem suppressit, & ad os occludendum detractoribus, pretium restituit, & summam ab emptoribus impensam, quæ decies centena millia scutorum Romanorum excedebat, ut constat ex alia, quam edidit, piissima ejus Constitutione.

Omni hinc erepta spe ambitioni, & consanguineorum prædilectioni (a quo proposito se nunquam dimoveri passus est) justitiam undequaque propagavit. Humiles, abjecto loco positos, sed meritis sibi acceptos, & sola commendatione virtutis, inscios & quandoque etiam reluctantes, ad maximos Magistratus, & ad Cardinalitiam purpuram evocavit, ut Morigiam, del Verme, Norisium, Ferrarium. Ut justitiam uberius administraret, diem singulis hebdomadis constituit, qua cujuscumque ordinis homines indiscriminatim audiret.

In pauperes erat effusissimus, eosque Nepotes suos vocitare solebat. Munera ipsi oblata, parvi quidem momenti, nam tenuia atque esculenta tantum recipiebat, omnia Nepotibus suis, nempe egenis distribuebat. Quare Palatium Lateranense pauperibus curandis alendisque adscripsit; quæque olim fuit perampla Pontificum habitatio, in hospitium redacta est, quo pauperes usque adhuc excipiuntur. Vestigiis inhærens Sixti V. mendicos per Urbem vagantes & dispersos, eorumdem animæ simul & corporis saluti consulens, præcipue invalidos, in aliud hospitium recepit, quod vocant S. Michaelis ad ripam Tyberis, illudque pene a fundamentis extruxit, & in ampliſſimam formam adauxit. Plura alia pauperum favore produxit ampliſſima ædificia. Pueris puellisque victu indigentibus, præcipue vero iis qui parentibus carent, discretus locus datus est, ubi aluntur, & ad artes imbuuntur humanæ societati necessarias; magistri etiam non desunt, ut eos litteras edoceant juxta adolescentium modum atque indolem. Puellæ & mulieres lanificio incumbunt, & fidei christianæ rudimenta perdiscunt.

Tantus erat plebis ac præcipue pauperum in Innocentium XII. amor & benevolentia, ut unum præ cæteris publicæ existimationis monumentum silentio non liceat præterire. Redibat idem Pontifex a visitatione Centumcellarum, ubi pro illius Portu privilegia instauravit, aliaque admiranda gessit ad ampliandum commercium maxime idonea, ut ejusdem Diploma, quod incipit *in Supremo*, uberius declarat. Populi, ac præsertim pauperum multitudo pene incredibilis bino ab Urbe lapide obvia illi fuit, vocibusque lætitiæ, atque animo prorsus gestiente palam inclamavit: *Redit pater noster & pater pauperum*. Hinc corporis custodes, & satellitium arcebant; sellamque gestatoriam, qua Pontifex deferebatur, e manibus famulorum auferre pluries conati sunt, subjungebantque, & objurgabant renuentes: *Ad nos attinet deferre patrem nostrum*. Sic plusquam Pontificio famulatu, ab iisdem egenis humeris exceptus est, atque in eadem sella gestatoria vectus (nec enim ipse Pontifex multitudini restitit) Urbem ingressus est, maxima claudorum, & mutilorum, debiliumque stipante turba, eodemque comitatu Palatium Quirinale ascendit, non sine magno humilitatis triumpho.

Nova vero Pontificia dignitas non modo mores pristinos in Innocentio non immutavit, sed id prorsus effecit, ut ex novi Principis severitate quisque sumeret exemplum sibi. Frugalis ut solebat esse in victu, quotidiana ejus mensa ne trium juliorum sumptum excederet prohibuit. Similique ratione immodicas Palatii Apostolici expensas reformavit. Hinc nedum quas commemoravimus peramplas ædes extruxit, pauperibusque addixit, sed majores etiam in commune bonum, & pro justitiæ incremento constituit, posteris exemplum præbens, quam magnum sit vectigal parsimonia. Judicum & litigantium commoditati prospiciens, eosdem judices contubernales esse, simulque convivere jussit. Coemptis igitur Palatii Ludovisii vestigiis, illustrius iis superædificavit Palatium, cui Curiæ *Innocentianæ* nomen attribuit. Mons etiam Citatorius dicitur. Huc omnes Causidici conveniunt, publiceque jus dicitur. Notarii præterea, aliique justitiæ administri in eodem Palatio excipiuntur. Duas Publicanorum mensas, quas *Dohanas* vocant, pene extruxit a fundamentis; maritimam unam ad ripam Tyberis extra mœnia, magnificis ornatam receptaculis ad merces recipiendas, commodisque mansionibus pro Ministrorum habitatione; alteram vero terrestrem in foro nuncupato *Piazza di Pietra* inter rudera antiquæ Porticus & Basilicæ, ut putant eruditi, Antonini Pii Imperatoris. Extant adhuc excelsæ & marmoreæ columnæ, & vetus ædificii corona, quibus novi Telonii frons maxime exornatur. Portum Antii prope Neptunium (locus nativitate Neronis, & Claudii Cæsarum maxime famosus) instauravit, atque arce prævalida munivit. Alterum Centumcellarum Portum insignibus ditavit privilegiis, vectigalibus remissis, donatisque immunitatibus, & regimen ejusdem civitatis uni Præsuli Romanæ Curiæ primus adsignavit cum superintendentia civitatis Cornetanæ. In eandem Centumcellensem urbem saluberrimas aquas invexit, & splendida in id extruxit emissaria. Ampla hæc ædificia cum varios per annos erexerit Innocentius nedum Urbis nitori atque ornatui prospiciens, sed etiam commercii dilationi incumbens, alia ex parte quæ luxuriæ spectaculisque inserviebant ædificia, penitus disjecit atque evertit. Sic Theatrum Turris novæ, quod *Tordinona* dicitur, prope Pontem S. Angeli, diruit, ac solo æquavit.

Grandia hæc agebat Innocentius intra septa dominii Ecclesiastici pro vitiis extirpandis, pro Ecclesiæ & Pontificiæ ditionis utilitate; sed majora adhuc præstitit extra fines Italiæ pro fidei & religionis incremento. Pacem, cujus jam fundamenta jecerat Alexander VIII. cum Rege Galliarum Ludovico XIV. Innocentius absolvit. Multumque adlaboravit, ut inter ipsos Europæ Principes, diuturno, ac pertinaci inter se bello dissidentes, optata tandem omnium votis pax firmaretur.

Jamque in Conventu Ryswicensi postmodum inito pro eadem generali sancienda pace plura ab Hæreticis Orthodoxæ fidei intentata discrimina prudens avertit. Tantum enim apud ipsum Christianissimum Regem consilio precibusque potuit, ut idem invictus Rex evicerit, quod in pactionibus ibi vulgatis expresse caveretur, ne Catholici in iis urbibus ac ditionibus, quas infelix temporum conditio Etherodoxis addicebat, ab exercitio eorum religionis abstraherentur. Sed in iis etiam regionibus acatholicis Principibus restituendis, Catholico-Romana fides immota consisteret, prout hactenus stabili consuetudine recepta erat.

Parum tamen abfuit, quin Pontificis amor & fœdus amicitiæ cum Leopoldo Cæsare discinderetur. Comes Georgius Adamus Martinitius, Cæsaris Romæ Legatus, typis edito monumento an. 1698., propositoque per celeberrima Urbis loca edixit, ut qui ab Germanico Imperio fiduciaria tenerent oppida, ea vel apud ipsum Legatum, vel Mediolani apud Comitem Maximilianum Brennerium intra definitum tempus profiterentur, Diplomata si nondum accepissent relaturi. Negligentibus indicta resciſſi beneficii pœna. Palam erat digitum ad Romanos Proceres intendi, veluti oppida Cæsari obnoxia alieno titulo retinerent; quamquam unus tantum hac lege nominatim Princeps Augustinus Chisius postulatus de Farnesio oppido fuit. Perculit omnium animos quæstio jam diu penitus oblitterata.

Quid vero ad eam intempestive renovandam causæ fuerit, variarunt sententiæ. Sed illa præ cæteris increbruit, privatis dissensionibus excogitatam. Nam cum Legatus domi suæ salutari ab Optimatibus cuperet, & hi nisi illic ab ejus dextera incederent sederentque, illum convenire abnuerent, insinuasse Cæsari dicitur, de fiduciariis oppidis exquirendum esse, quorum cum uno aliquo singulos potiri certum crederet, neminem esse qui ad Legatum domi suæ salutandum venire, eique ibi principe loco cedere, non foret opus. Adeo respublica privato, ac non suo plerumque laborat vitio. Indoluit Pontifex Maximus ad rei novitatem, qua invicta Romanæ Sedis in quamlibet Pontificiæ ditionis partem jura percelli videbantur; vocatoque aliquot Patrum consilio, de ipsorum sententia Legati acta per Cardinalem Palutium Alterium Camerarium, ut vocant, rescindi, atque aboleri jussit, simulque deferri majestatis reum quicumque ad ea se conformaret. Cum Cæsare acceptam ab Legato injuriam expostulavit, repetivitque pœnam. Ille, se edicti authorem professus, nil aliud sibi propositum esse dixit ac Germanici Imperii jura sarta tectaque ubique retinere. Si longius Legatus processisset, extra noxam non fore. Cum pateret rem disceptando productum iri, Innocentius huic, ne ad se accederet, interdixit; nec diu, multum licet exoratus, a proposito declinavit, quoad mirifice exhilaratus, Thracibus ad Tibiscum amnem ingenti clade perculsis, clarissimæ victoriæ certior ab ipso Legato fieri annuit. Quievere deinde animi, veluti sopito dissidio, cum sub hujus anni æstatem dira iterum procella commoti sunt. Martinitius enim publico iterum Edicto Chisium compellavit, ut Cæsari de Farnesio oppido responderet, depulsionis pœnam, si abnueret, minitatus. Refricatum vulnus, cui cicatrix obducta videbatur, acerbiorem Pontifici Maximo dolorem movit, suasitque ejus prorsus causam exscindendam, ne posset unquam recrudescere. Itaque Fabritio Paulutio, qui Sarmatica functus Legatione in Italiam rediturus erat, negotium dedit, ut ad Cæsarem digressus argumentis evinceret, nihil Pontificiæ ditionis finibus contineri, quod obnoxium Germanico imperio foret; simulque excitaret insitam ejus animo religionem, ut ne amplius tanta publicæ tranquillitatis pernicie turbulentis ingeniis præberet aures. Leopoldus ut indole ac virtute erat pronus ad æquitatem, rem facile tenuit, jussitque oblivione quidquid gestum fuerat obrui. Non tamen obtinuit, ut Martinitio interseptus iterum ad Pontificem aditus recluderetur, implacabili plerumque injuria, quæ majestatem læsisse visa est. Ursit etiam Pontifex Leopoldum, ut sine cunctatione Oratorem illum revocaret. Paruit Cæsar Innocentii votis; atque in Martinitii locum Comitem de Lamberg suffecit. Qui, ut a Cæsare in mandatis habuerat, omni officiorum genere Pontificem coluit, & ab illis vocibus abstinuit, quibus ejus antecessor Romanam Sedem offenderat.

Non minori sollicitudine, atque animi magnificentia Principibus Christianis bello Turcico implicatis subsidio fuit. Retulerat in Hungaria an. 1691. invictus belli moderator Princeps de Baden insignem de barbaris victoriam. Supra viginti millia hostium cæsa sunt prope oppidum, quod vocant *Salanchemet*. Spolia insuper ditissima, atque omnia tormenta bellica Cæsareo triumpho adjecta sunt. Anno 1692. Varadinum expugnatum, atque anno sequenti 1693. plura oppida in Hungaria superiori, belli impetu capta, Reipublicæ Christianæ compendia in dies majora pollicebantur.

Incerto tamen marte dimicatum fuit a Venetis sub Duce Dominico Mocenico, tribusque annis ancipiti prælio actum fuit in Dalmatia sub altero egregio viro Francisco Mauroceno, qui eodem tempore princeps erat Reipublicæ, & supremus belli imperator, quique magno suorum dolore obiit hoc anno 1694. Huic Antonius Zenus suffectus fuerat, qui postquam pluries classem barbarorum munitissimam ad pugnam inutiliter lacessiisset, eamque ad portum Naupacti relegasset, Chium insulam in mari Ægeo florentissimam subita incursione cepit. Plura etiam Peloponnesi oppida Veneto adjecit imperio.

Infelix tamen Cæsareo exercitui sequens annus obortus est. Multitudo barbarorum pene incredibilis maximam Hungariæ superioris partem invaserat. Novus ipse Turcarum Imperator Mustafa II. filius Mehemeti IV. Taurunum advenerat, ut ingenti exercitui præesset, suisque animos adderet, eosque ad prælium incitaret. Lippam in Transylvania hostili incursione oppugnavit, omnemque belli apparatum, & commeatum nostris ademit. Tristior tamen fuit prope Lippam pugna, in loco qui *Lugos* dicitur. Ibi Fridericus Veteranius sex millia equitum, & vix quatuor millia peditum habebat. Hostium multitudo fere triplex Veteranium deprehenderat, citatisque equis illum circumdederat. Agmine inæquali atrox certamen initum est. Supra decem millia hostium cæsa sunt, cum vix mille & quingenti e nostris perierint, diuque in manibus Cæsareorum victoria fuit; sed numero barbarorum ferme obruti, multitudini paruerunt. Veteranius pluribus confossus vulneribus, iisque lethalibus, atque ex equo disjectus, omnem vincendi spem nostris eripuit. Alterum tamen equum ipse conscendit, suisque virtute & præsentia opitulabatur; sed novo accepto vulnere statim occubuit, cruentam hostibus relinquens victoriam. Ipse capite obtruncatus fuit, idemque caput pro spoliis opimis ad Turcarum Imperatorem allatum fuit. Sic, uti vixerat, præclare periit Fridericus Veteranius Urbinas, terror barbarorum, Cæsareique exercitus decus, & ornamentum. Ingruentem tamen hostium superbiam repressit Saxonum Dux, & Elector, bellique supremus moderator, qui pleniore exercitu in eos ferebatur, & ad pugnam provocabat; sed omnem novi certaminis occasionem declinavit Turcarum Imperator, relataque lætus victoria Bizantium rediit specie triumphantis.

Eadem animi constantia apparuit Christianus exercitus an. 1696. sub eodem Saxonum Duce. Ancipiti tamen marte pugnatum fuit. Themesvaria a nostris obsidione cincta est; non tamen ut ea potiri hoc tempore sperandum esset (munitissima enim erat, validoque præsidio tenebatur; quinimmo brevi obsidione soluta est) sed ut hostis abduceretur in casum universæ dimicationis. Varia etiam nostrorum oppida inutili experimento barbari aggressi sunt, propitiam quærens quisque sibi occasionem pugnandi. Mense tandem Augusti atrox initum est certamen non procul a Themesvaria, idemque usque ad noctem protractum, per tenebras intermissum est, dum pro Christiano exercitu victoria inclinabat.

Sed ancipitem belli fortunam erexit an. 1697. Princeps Eugenius a Sabaudia, qui in ipso supremi sui regiminis initio hostes immanissimos & clade & terrore vexavit. Non procul a Petro Varadino aciem ipse instruxerat. Trans Tibisci flumen hostes in castris erant prope oppidum, quod *Zenta* dicitur. Ut Cæsareos deprehenderet, maxima pars barbarici exercitus flumen trajecerat. Nec iter a nostris interceptum fuit, nec ullum transfretationi impedimentum est additum. Ut vero dimidia pars & ultra hostilis agminis flumen tranaverat, Princeps Eugenius rebus apte dispositis aggressores aggreditur. Tanta illorum clades facta est, ut Turcarum supra triginta millia cæsa fuerint, cum vix mille e nostris perierint. Fremebat, & dolens suorum cædem intuebatur ex opposita fluminis parte quod reliquum erat hostilis exercitus. Manubiæ, calones, atque omnia instrumenta belli capta sunt. Hæc insignis victoria die 2. Septembris ex hostibus relata, iisque in fugam actis, metu liberavit Hungariam, & Transilvaniam a rebellium excursionibus in tuto posuit.

Interea Innocentius istis Reipublicæ Christianæ curis agitabatur, atque ærarii Pontificii, ut Principibus fœderatis auxilio esset, thesauros exhauriebat. Hoc anno tamen mortem ingemuit Joannis III. Poloniæ Regis Christiano nomini fœderati, Turcarumque domitoris. Dies erat electioni novi Regis decreta. Friderico Augusto Misnienſi Octoviro, vix dum Joannis Regis tentari lethaliter valetudo cœperat, atque ætate ingravescere, principe donari ab Sarmatis loco, in mentem venerat. Obstabat Lutheri sequenti sectam dissimilitudo Religionis. Eo enim sacratis harum gentium legibus, qui Catholica veritate non sit initiatus, interdicitur. Verum ad hanc amplexandam se propendere, luce divina instinctum, non obscuris indiciis duos ante annos, dum Venetiis animi gratia diversaretur, patefecerat; idque Romæ compertum. Prima tantæ rei semina jecit apud Comitem Prebendouskium Culmiæ Præfectum affinem suum Comes Flemingus, Octoviro apprime carus, ejusque inter majores duces militiæ adscriptus. Ille, ut erat sagacissimo ingenio, re caute dissipata tentaverat plurium animos, nec abhorrentes repererat; subolueratque jam tum Reipublicæ curiosis, maximum Germaniæ Regulum ad Sarmaticum solium aspirare; nemo tamen Misnienſis utpote religione diversi consilium cogitando assequebatur. In id autem ille consulto se ostentaverat bellicosæ genti, Hungarico clarus bello, quod proximis duobus annis administraverat, antea quoque arma secutus in Belgio, & apud Rhenum. Mortuo Joanne eo cupidius ad rem adjecerat mentem, quod intelligeret disjectas inter candidatos, atque in diversa trahi procerum voluntates. Exasperatis enim contentione animis placet quidquid, & si nihil se juvat, æmulo nocet. Quamobrem fertur, ab exercitu dudum redeuntem remotis arbitris nudasse Cæsari, quid secum jam diu volutaret, ac suasisse, ut quandoquidem obnitentibus Gallis, ipsius affinem Jacobum Principem spes deficeret in paternam sedem evectum iri, studia clientelasque suas in virum verteret, qui, si non aliud, Germanus, & experto in barba-

barbaros odio, amore in ipſum Cæſarem eſſet. Certum illud: principio anni 1697. Romam legaſſe Baronem Roſam ex intimis amicis, majoribuſque armorum præfectis; nec ambigitur Innocentio Pontifici renuntiatum miſiſſe, ſe Catholicam veritatem diligentem, ei pridem nomen dediſſe; nondum quidem in aperto, quippe hactenus civium tranquillitati conſulendum fuiſſe, cui maximæ rerum mutationes diſcrimen afferunt. Non diu tamen fore, quin hac inſignis teſſera in publicum prodeat, veræque Religionis ſe ſigna ſequutum glorietur. Accepta ſimul arcani fide, Innocentium Pontificem latere noluiſſe, viam ſibi ad Sarmaticam Regiam clam, nec irrita ſpe ſternere. Illum proinde orare, atque obteſtari, ne iter filio non amplius degeneri, eo contendenti, obſepiat, quin ipſi potius expediat, utpote acerbo Turcarum hoſti, plurimoſque exemplo ſuo Romanis ſacris conciliaturo. Hinc Aulæ diligentius abdita perſcrutantibus opinio fuit, mandatum occultiſſimis literis Joanni Antonio Daviæ, Pontificio ad Sarmatas legato, ne Octoviro, ſi Catholica tranſgreſſum in caſtra percepiſſet, inter candidatos recepto, aditum ad regnum interſepiret, in eoque ut in cæteris parem Pontificis Maximi voluntatem nullo diſcrimine oſtenderet. Cum ita ab exteris Octovir ſe communiſſet, quæ ad Polonos obtinendos præcipua erant, comparat arma, & pecuniam. Non enim ſine maxima argenti vi eos vinci poſſe; nec ſine tumultu, cui compeſcendo militibus foret opus, rem confici. Igitur alia cauſatus, armatorum decem millia conſcribi, & ad Poloniæ admoveri fines juſſit. Pecuniam conflavit, partim mutuatus, partim acceptis a Brunſvicenſi Domo centum quinquagies Hungaricorum aureorum millibus, quorum pretio in illam traduxit quicquid in Lavemburgi hæreditatem ſibi eſſe juris arbitrabatur. Idus jam venerant Majæ, ad quas indicta creando Regi Comitia fuerant. Equitum ad centum millia coiſſe, fama tulit, inſigne potentiæ ſpecimen, ſi Sarmatæ ut viribus, ita & conſociatis animis valerent. Nam poſtquam Regem eligendum viritim, ut ajunt, decretum eſt, quiſque nobilium indigenarum ſua ſigna ſequutus tentorium locat apud Tribules ſuos in circumjacentibus Varſaviæ campis, qui inter quatuor ac triginta, quot Regnum habet, Tribus (Palatinatus nuncupant) ſtativis habendis dividuntur. Mille ab oppido paſſus area humili aggere ſecernitur (Colum appellant) quam quotidie comitialibus diebus Senatus occupat. Huic prima cura, ſacras obire cæremonias, legationes audire, diſcutere Candidatorum nomina, oblatas conditiones expendere. Interea privatim unaquælibet Tribus Legatos deligit, qui ejus nomine cooptando Regi ſuffragium ferant, niſi ſatius habeant, ab Senatus Principe, per turmas diſcurrente, fingillatim interrogari; ſimul omnes Comitiorum moderatorem decernunt. In hoc mandando magiſtratu luculenter patuit Contacienſem factionem ceteras longe ſuperare (1). Illum quippe ejus fautori Comiti Bieliuskio frequentiora ſuffragia detulerunt, non prius tamen quam Comitiorum tempus, quod lege duobus quadrageniſque diebus definitur, ad trigeſimum proceſſiſſet. Nam conſulto qui Gallis favebant, rem diſtulerant, diribendam ſibi pecuniam præſtolati, quam Apolloniacenſis mox affuturam pro certo affirmabat. Non enim in hujuſmodi negotio Sarmatæ promiſſis fidunt. Quæ fuerit tardandæ cauſſa, incertum. Non ſiquidem inopia, aut negligentia, quarum utraque Ludovico Rege uſque adhuc ab Gallis abfuerat, Creditum & ipſos, ut dare anteverterent, parum Sarmatis fidem habuiſſe. Hinc ſpes Contiacenſi extenuari, mox labi cœpit. Hoc rerum ſtatu, cum jam maturum putaſſet, Flemingus ad Comitia venit. Statim divulgare aggreditur, Miſnienſem Octovirum ejuratis Lutheri placitis ad Catholicorum ſententiam ſe ſe adſcripſiſſe, regnique candidatum finitimæ Sarmatarum genti ſe proponere. In eum illico non pauci a Prebendouskio Culmiæ præfecto clam ſolicitati conſenſere. Auxit non ita multo poſt agmen ſuis clientelis Regina Ludovica Maria Caſimira, quæ deſperata adverſus Apolloniacenſem victoria, horrebat ab æmulo adductum Regem. Quamobrem cum conveniſſet, ut ab Octoviro tantum ſibi rediret pecuniæ, quantum ipſa in Clientes diſperſerat, in ejus partes ingenti ope conceſſit, ſæpius deinde conqueſta, quod ita ſibi de Rege meritæ promiſſi argenti fides non ſolveretur. Ejus exemplum, quo nihil potentius ad flectendos animos, ubi adhuc ancipites, imitati Comes Stanislaus Jablonouskius Poloni exercitus ductor, quique ab eo ſecundus, Felix Potoskius Cracoviæ prætor, Joſeph itidem Sluska eodem inſtructus munere apud Lithuanos, & Vilnæ præſes, Stanislaus Dabskius Uladislaviæ Antiſtes ad Octovirum tranſierunt. Aliquot Auſtriacæ Domui benevolentia aut beneficiis obſtrictos adjecit Lambergus Paſſaviæ Epiſcopus Cæſaris Legatus. Plures ei demum conciliavit, & Contiacenſi eripuit præſens Miſnienſis pecunia, ambiguæ Gallorum prælata. Legitimum Comitiorum tempus in exitu erat, jamque ſæpius magnis contentionibus certatum in Senatu fuerat, cujus eligendi author ipſe fieret, & a Senatus Principe Comitiis proponeretur. Quamquam enim feceſſionibus vehementer debilitata Gallici Principis factio, ſuffragiis in Competitorem obniti haud amplius poſſet, jure obſiſtebat, inclamabatque nomen non accipiendum profitentis publice ab Romana diſſidentem religionem, cui lege interdictum foret Sarmatico diademate. Diſpergi quidem per vulgus hominum, poſtridie Kal. Jun. dum anniverſario ſolemni feſto divinæ Triadis Myſterium recoleretur, priſtino errore abjudicato, illum, Catholica ſe profiteri dogmata apud Arrabonis Antiſtitem cognatum ſuum, jurejurando affirmaſſe. Non alium tamen tantæ rei authorem proferri ac Flemingum hominem Calvinianum, cui non facile acquieſcendum eſſe, cum præſertim nullum Octovir mutatæ Religionis ſpecimen dederit. Poſtremus adventabat Comitiorum dies V. Kal. Quintiles, patebatque in ſumma, ut fit, animorum diſſenſione nihil ordine riteque geſtum iri. Itaque Cardinalis Radzieiouskius adverſam factionem prævertendam ratus, præoccupandoſque re utcumque geſta Civium animos (quod ſæpe ſaluti fuit) cum pridie poſt meridianum tempus jam prope altercationibus traductum foret, facta ſibi a Comitiorum moderatore, ut moris eſt, promulgandi Regis poteſtate, Franciſcum Ludovicum Borbonium Regem dixit, dictoque plauſerunt quotquot in ea erant ſententia, aſtabantque pone Senatum Legati, quibus ille ſecum adductis, confeſtim Varſaviam rediit, iis pariter comitatus, qui ex inſtructa in Comitiorum conſpectu acie, ei de Gallico Principe aſſentiebantur. Nec mora, diſcurſum ad oppidi præcipuum Templum D. Joanni ſacrum, actæque Deo maximo grates. Ad inopinatum eventum exarſerat pars Senatorum, Legatorumque major, diſſenſeratque ingenti ſtrepitu. Dein primores conferre capita, & quo remedio publica ſalus tutanda foret, conſulere. Placuit conſilium Uladislaviæ Epiſcopi, qui primus poſt Gneſnenſem in Senatu ſententiam rogabatur. Is quod evenerat, jam ante conſpicatus animo, quo pacto rem explicandam ſibi propoſuerat in medium attulit, ſic ad dicendum exorſus: Maximum Sarmaticæ libertati ab Cardinale Radzieiouskio vulnus dudum illatum, violatam Comitiorum majeſtatem, ſacratas Regni leges audacter peſſundatas, nemo noſtrum non videt, non queritur, non deteſtatur. Quapropter otioſi hominis, & Reipublicæ injuriam inutili queſtu lamentantis potius quam ulciſcentis eſſet, illam argumentis in apertum educere, horridaque ejus ſpecie ad inflammandos animos uti. Leviora mala verbis leniuntur; acerba ſilent, ac remedia meditantur; quorum illud præſentiſſimum, ſi malum ipſum ad ſalutem flectas. Quod nobis utique in promptu eſt. Provincialium Legatorum pars longe minor Regem ſibi aſcivit, nequaquam tot adverſantium vocibus conterrita. Cur idem majori parti non liceat? Potuit illa confracto jure tantum audere facinus. Et nos, eo ſervato, principem mandare locum non poterimus? cum præſertim ſi armorum præſidium legibus quærendum fuerit, ſupremi Poloni exercitus duces, ac Lithuani alter, præcipuique magiſtratus in eadem nobiſcum & cauſa & ſententia ſint. At plures e Comitio diſceſſerunt? Abeſt Archiepiſcopus Gneſnenſis Senatus Princeps, qui de Republica referat? Suffragiorum moderator reique gerendæ author ſe ſubripuit? Sanandum ne novo vulnere vulnus eſt? Primum dico: ſua ſponte leges, ubi ſemel vi agi cœptum, diſſolvi; nec ipſarum obſequio, dum ab aliis non audiuntur, deſerendam Civium ſalutem. Deinde nihil a nobis adverſus legem tentandum eſſe, quæ jubet, Senatus Principis, cum is Conventui non adeſt, munere defungi, quicumque ei dignitate in Conventu ſit proximus; nec ſi aliqui volentes recedant, infringi Comitia. In moderatorem vero confeſtim cooptari poſſe, qui ſuperiori Concilio moderatus fuit. Rem denique a majorum inſtitutis abhorrentem, atque exemplo deſtitutam confectum iri nemo arbitretur. Centum ſiquidem viginti duos ante annos Henrico Valeſio Rege noſtro poſt Caroli fratris mortem in Galliam reduce, indictis tum quoque viritim Comitiis, in duaſque diſciſſo partes equeſtri Ordine, Jacobus Vchauskius Gneſnæ Præſul, primumque in Senatu obtinens locum, nonnullorum

(1) Galliæ Rex Contiaci Principem Poloniæ Regem creare annitebatur.

lorum assensu Maximilianum Cæsarem; Uladislaviæ Antistes, *cujus* nunc me successorem videtis, reliquorum plausu Stephanum Bathorium, Transilvaniæ Principem pronuntiarunt Sarmatiæ Regem: isque Cracoviam portas aperientem ingressus, ac solemni pompa inauguratus, æmulo excluso, regnavit. Cum igitur idem Respublica a nobis pustulet, idem suadeat jus fasque, & mos majorum, ite in suffragium superis bene juvantibus, & cujus ego cooptandi Regis author ero, vos illum Regem esse jubete. Postremæ voces magnis acclamationibus exceptæ sunt, in ejusque sententiam discessum. Patebat, in Octovirum Misnienſem quidquid Legatorum in campo manserat, conventurum. Verum cum sol decederet, diei tempus ad rem pro dignitate gerendam non suffecturum, visum est. In crastinum dilata, postridie mane cum Senatores in Comitio jam sederent, astarentque pone subsellia Legati, circumjectaque foret Equitum acies; promulgandæ rogationi quidpiam injectum moræ, paucis, an vera, & ex animo Octovir de religione sentiret, adhuc solicitis. Illum in Romanæ leges Ecclesiæ conceptis verbis jurasse, falsis exutum opinionibus, Arrabonis Antistes publico documento consignaverat, quod ejus manu subscriptum Flemingus expendendum attulerat Pontificis maximi Legato, rogaveratque, ut (quod a Cæsaris Oratore jam gestum fuerat) Arrabonensis diplomati fidem & ipse adderet testimonio suo, secumque retineret insigne certissimumque tantæ rei monumentum, posteritati commendandum. Quocirca Legatus verum illud germanumque compertum in Tabulario asservari pervulgarique jusserat. Id quamquam per hominum ora pervagatum, non tamen apud omnes falsi suspicionem dimoverat, adversæ factionis studio. Visum proinde, Legatum ipsum quid in tanti momenti re certi foret, percunctatum mittere. Hic, ut se subtraheret contentionibus, quorum jacta jam semina, quibusque se nulla ex parte immiscere vellet, multo mane Viasdovam quarto a Varsavia lapide ad Abbatem quendam Cistercienſis Ordinis casu ibi diversantem se contulerat, cum eo diem in apricis ad Vistulam hortis traducturus, remiseratque rhedam cum Canonico Varmienſi Ludovico Fantonio, qui aulæ officiis moderabatur. Is advenientibus e Comitio forte fit obviam, rogatusque de Legato, quo illum duxisset, edocuit; ibi ne amplius maneret, an longius processisset, se latere. Eo statim citatis equis progressi deambulantem reperiunt, audiuntque, publice patere quicquid in hujusmodi negotio veritati obsequutus peregisset, & nihil non ordine, non rite gestum. Satis id fuit ad conciliandos Octoviro dubios animos. Itaque omnium, qui aderant in Comitio, Legatorum voce Rex conclamatur, plausumque statim reddidit directa coram Equitum acies. Inde simul Varsaviam profecti, aditoque ipsi pariter templo, quod illic D. Joanni sacrum est, Deum O. M. de creato a se Rege, peractisque Comitiis venerati sunt. Nec mora Flemingus eo vocatus Octoviri fidem jurejurando obstrinxit, quicquid ejus nomine pepigerat, servatum iri. Præcipua fuere capita, Catholicam Religionem sartam tectam per omnes Sarmatici Imperii Provincias habiturum; Reipublicæ munera non gratiæ, non familiaritati, non pretio daturum; quingenta Hungaricorum aureorum millia militibus in emerita stipendia erogaturum; sex Saxonum millibus ære suo conductis Sarmatarum exercitum ad recuperandum Camenæcum aucturum. Hæc præsente sacrosancto divini Servatoris Corpore, quod in Sanctissimæ Eucharistiæ Mysterio adorandum publice exhibitum fuerat, a Calvinianæ Sectæ viro veluti Religionis ludibrio gesta, sermonem præbuerunt. Sed habuere perturbatæ Reipublicæ, quæ omnium occupaverat animos, excusationem. Sub noctem Varsaviam regressum Pontificis Maximi Legatum Apolloniacensis convenit, querelasque interposuit, quod non expectato de mutata ab Octoviro circa res divinas sententia Romano judicio, suum protulisset, unde Sarmatia in civiles discordias maximasque calamitates adducenda foret. Ille perpenso probatoque Arrabonis Episcopi documento certus, Misnienſem ab erroris caligine in veri lucem transgressum, ac simul conscius, quid mandatum sibi Roma fuisset, modeste retulit, nihil ab se factum, quod non esset Pontifici Maximo probaturus. Nec ita multo post Varsavia discedens, ac longius pervagatus, extra turbarum culpam aleamque se posuit. Eæ quidem ingentes invaluerunt. Principio exhorrescentibus, ut fit, ad imminentium ærumnarum conspectum animis, a Barone Overbekio Brandeburgensi Legato tentata concordia est, pluresque ex utraque parte in colloquium venerunt. At Contiacenſis fautoribus, ut vicissim rescinderetur quicquid hactenus peractum fuerat, postulantibus, repulsam dederunt, qui longe numero, & authoritate validiores ab Octoviro stabant, ad eumque post dimissum Cœtum ingenti pompa Legatos cum delatæ regiæ dignitatis diplomate oratum miserunt, ut venire ad tantum munus publice ineundum non cunctaretur. Ille audito Comitiorum exitu Termovitium ad Poloniæ fines jam processerat, ibique Legatos excepit, quorum princeps Voliniæ Palatinus Jablonouski supremi copiarum Præfecti filius in hanc prope sententiam loquutus, dixit: Rempublicam inclytæ armorum gloria suæ Genti pari decore Caput dare cupientem, ipsi regium nomen atque authoritatem detulisse, quem sciret viridi adhuc ætate, rebus in bello fortiter gestis, illustria Majorum facinora æmulatum, splendidiora promittere, quibus esset sui famam, novorum Civium felicitatem, Imperii fines amplificaturus. Eoque lubentius, veluti redderet beneficii vicem detulisse, quod regale diadema, ut apud populares suos fama erat, tertio Otthoni, e regnatrice Misnienſium Familia Cæsari, acceptum referret. Frueretur igitur dono Majorum suorum meritis conciliato, suis virtutibus parto, ac lætis auspiciis in Regiam ascenderet non sibi reclusam sanguinis jure, sed populorum voluntate; simulque memor, fortunæ munera grato animo non indigere; virtutis maxime; hæc data scilicet consilio, illa casu. Rempublicam studio eodem, quo in ejus sinum confugisset, complecteretur; afflictam erigeret, labantem sustineret. Legatis Flemingus respondere jussus, Octovirum dixit Sarmatici Imperii principe donari loco, seu regiam dignitatem, seu clarissimam gentem, a qua deferatur, ob oculos habeat, adeo sibi glorioſum reputare, ut nihil huic decori anteponat. Cupere illud virtutibus meruisse, quas de se prædicent: sin minus, cum modo exploratum habeat, quibus comparatum velint, daturum operam ne se deficiant. Irent, Senatui renuntiarent, se libenter tantum munus accipere, non ut otiose utatur, sed ut ejus consilia sequutus, ac strenue rem gerendo, se bellicosæ Nationi non imparem Ducem præbeat, ratus ad famam nominis pertinere tantum de se factum judicium; sed nihil magis, quam commotam expectationem facinorum gloria sustinuisse. Dein convivio magnificisque donis exceptos non prius dimisit, quam pactas a Flemingo conditiones jurejurando postridie iterum roborasset, ac præsens factæ catholico ritu rei sacræ divinoque Sacrificio, sui in veram traducti religionem animi documentum attulisset. Dissipatis inde non difficili opera motibus, quos Contiacenſis Principis fautores excitaverant, ab omnibus Fridericus ut legitimus Poloniæ Rex agnitus habitusque fuit. Qui quidem fidei Catholicæ professionem, quam publice ediderat, antequam regni habenas susciperet, in manibus Innocentii, Christi in terris Vicarii iterare non destitit sequenti Epistola, quam Cardinalis Barberinus Polonici Regni Protector Romano detulit Pontifici.

BEATISSIME PATER.

„ Prævia humilissima, filialique reverentia, felicitatis ac sospitatis incrementum. Jam pridem intellexit „ Sanctitas vestra conversionis meæ mirabile opus, quod „ a pluribus annis mente conceperam, divina adspirante gratia, eo tandem deductum fuisse, ut Catholicam fidem in manibus carissimi, ac Serenissimæ Domui meæ cognati Christiani Augusti Episcopi Javarenſis, ante aliquod tempus professus fuerim. Hanc „ declarationem, utpote de uno peccatore pœnitentiam „ agente, gaudium attulisse non dubito Angelis Domini, ideoque vestræ Sanctitati, cui pro sua in me paterna benignitate, gratum quoque erit intelligere „ eandem orthodoxam fidem publice me contestatum „ fuisse postmodum Uratislaviæ in Silesia; prætereaque „ sancti Evangelii sententiæ innixum dubitare non posse, eo quod veritatem Catholicam coram hominibus „ confessurum me quoque esse coram Patre eodem, & „ unigenito Dei filio, ejusque in terris Vicario, qui „ testimonium hoc veritati, prout enixissime flagito, „ perhibere non dedignabitur. Annuat itaque Sanctitas „ vestra, ut ea, quæ prius de conversione mea in aure „ audierat, prædicentur in posterum super tecta ad solamen inclyti Regni Poloniæ, cujus coronæ nuper „ mihi ab ejusdem Reipublicæ ordinibus oblatæ, & „ nunc intra breve tempus per solemnem Coronationis „ actum capiti meo imponendæ, id ante submittere „ nolo, quam prius a vestra Sanctitate præventus in „ benedictionibus dulcedinis, nemo sit, qui deinceps „ ambigat, filium me esse obsequentissimum sanctæ Sedis Apostolicæ. Quam sinceram veritatem, ubi primum fieri potuerit, ubi & meum in thronum ascendam, solemni pro more ablegatione, quam citissime „ contestabor S. V. quod utrumque quidem etiam a „ me innotuisset, nisi moram prægravissimæ causæ in„ jecissent. Ad pedes demum S. V. devolutus me &

„ res

„ res meas instantissime commendo, & permaneo San-
„ ctitatis vestræ

Lobzoxii prope Cracoviam an. Christi 1697.

Obsequentissimus filius
Augustus electus Rex Poloniæ.

Libens atque animo prorsus gestiente nuncium tam mirificæ publicæque demum conversionis excepit Innocentius XII. rescribensque Augusto Regi præconceptam plane lætitiam patefecit. Eum vero hortari atque urgere non destitit, ut majore in dies constantia catholico se præberet nomini præsidium decusque. Anno 1698. cum Cardinalis Radzieuskius frustra semel iterumque pertentasset Contiaci Principem, ut in Sarmatiam rediret suam secumque conspirantium fidem experturus, ne inanem sequendo spem latius dilataret patriæ vulnus, reconciliare sibi Regem in animum induxerat; clam idcirco obtestatus Pontificem, ut pacificatoris munere, quod Sacrorum Principe dignum foret, defungi vellet. Gnarus Innocentius, turbarum pertæsum Regem concordiæ libenter adhæsurum, nec difficilem honestis pangendis conditionibus fore; Fabritium Archiepiscopum Paulutium ex Agrippinensi Legatione in Sarmatiam traductum, huc sedulam dare operam jussit. Nec diu fuit, quin is agendi lenitate, placidoque ingenio finem acerrimis contentionibus imposuerit.

Lucbesinius l. cit. ad ann. 1698.

Maximo interim gaudio Christiana Respublica perfusa est ob pacem initam in Conventu Ryswicensi in Batavia inter Catholicos Principes tot ab hinc annis pertinaci inter se bello dissidentes. Anno deinde 1698. altera subsecuta est pax, quæ *de Carlowitz* in Hungaria dicta est, quia prope hunc locum, sed in campis, & sub tentoriis est inita. Die tamen 26. Januarii 1699. est evulgata, atque ad concordiam revocata sunt pervicacia bella, quæ contra Turcarum imperia fovebat Leopoldus Cæsar, Moschorum fœderatus imperio, item & Poloniæ Regi, & Venetorum Reipublicæ. Lætitia efferebatur Innocentius propter Christiani nominis propagationem, pacemque Europæ restitutam. Eodem tempore ingens reverentiæ monumentum erga Romanam Sedem exhibuit Dominus de la Mothe Fenelon Archiepiscopus Cameracensis. Accusatus fuerat is, convictusque editis scriptis, ab illustri Bossuetio præsertim, de erroribus quibusdam Molinosii & Quietistarum ab eo renovatis in opere quod inscripserat: *Maximes des Saints*. Post diligentissimam biennio & ultra assertorum a Cameracensi Antistite excussionem, pluribusque institutis Theologorum congressibus, quibus ipse Pontifex Innocentius præerat, tandem ejusdem sententia liber ille proscriptus fuit. Fenelonius Pontificis acquiescens judicio damnavit etiam ipse propria scripta, palamque revocavit; nam an. 1699. in Templo majore Cameracensi publice ex suggestu gregem sibi concreditum edocuit, admonuitque, ut vulgatum ab se opus non aliter quam juxta Apostolicæ Sedis correctionem emendationemque reciperent. Maximis ob id Antistitem Cameracensem cumulavit laudibus Innocentius, litteraque ad illum dedit in forma Brevis amorem redolentes, & Pontificiam existimationem.

Cum gravissimæ quæstiones agerentur, quisnam Carolo Hispaniarum Regi sine liberis jam jam decedenti succederet, ne regnum divideretur; an scilicet Archidux Carolus, in quem primo propendebat regis animus, an Delphini filius Andegavesium Dux; consultum ab iis fuerat, qui Archiducis fortunas perurgebant, decretumque Germanicis præsidiis quidquid in Italia Hispanicnsis ditionis esset, insideri; petitum quoque diploma a Pontifice Maximo, quo Neapolis Siciliæque Regna, Romanæ Sedis fiduciaria, in Archiducem eodem jure post Caroli mortem traducerentur. Id ut consilium eluderet Ludovicus Galliarum Rex, clam egit cum Innocentio, contenditque, ne injuriam, quæ sibi inurenda curaretur, authoritate sua graviorem faceret. Palam simul Carolo Regi denunciavit, Italiam Germanis copiis prohiberet, ni se iterum bello involvi cuperet. Pontifex Maximus aversatus, negando aut assentiendo in alterutram partem descendere, sagaciter se subduxit, dato Diploma petentibus responso: se, nisi Romanorum Patrum consulto Senatu, de re tanti momenti quidquam deliberandum, haud æquum ducere; nec male Austriacæ Hispanæ stirpi, præoccupato rerum eventu, ominatum velle. Quum plura ab utraque parte inde Carolo Regi proponerentur, inciperetque illius animus in Andegavensem Ducem inclinare; at nihilosecius quam in sententiam abiret, hæreret; quæsita est machina, qua penitus impelleretur. Pontifex Maximus consulendus proponitur, quid e re publica in hoc maximi momenti negotio censeret esse. Religiosissimo Regi consilium placuit, datisque ad Innocentium litteris, atque obtestatus arcani fidem, quid ab se Procerum voce, Civium desiderio postularetur, ei palam fecit. Id ne jus fasque sinerent, in obscuro sibi esse. Explicaret proinde legum peritia dubiam impeditamque causam; dirigeret sagacitate fluctuantis animum; Summi Sacerdotii authoritate monstraret viam, quæ sibi pro communi salute ineunda foret. Innocentius re per interiores Aulæ ministros expensa, Regi ex horum sententia renuntiavit: patriam primas in hominum mentibus vindicare sibi partes, secundas propinquos. Hac lege unicuique vivendum; at quanto magis principi, cujus unica agendi regula, commune bonum? Satis id Carolo fuit, ut suam ad frequentissimorum Procerum Civiumque voluntatem adjiceret. Jusso proinde Antonio Ubilla, qui a publicis Epistolis ei erat, testamentum conscribere, quo Dux Andegavensium Philippus hæres institueretur, tabulas postridie Kal. Octobris legitimis cæremoniis, adhibitoque Cardinalium Portocarreri, ac Borgiæ, Ducum Medinæ Sidoniæ, Infantadi, ac Setiæ Aragonensis Pimentelli Beneventi Legionensis Comitis, & Emmanuelis Arias testimonio, sua manu subscriptas obsignavit.

Hæc anno 1700. contigere, quo adveniente Innocentius sæcularc Jubilæum indixerat. Solet urbs Roma eximia liberalitate, atque immani expensa turmas peregrinorum undequaque affluentes excipere, & gratis alere. Majori sumptu paraverat Innocentius unde victum ministrare, & eleemosynis juvare posset egenos Romam adventantes, sed morbo correptus, apertis Ecclesiæ thesauris, Portam tamen Sanctam Basilicæ Vaticanæ per se ipsum reserare non potuit, vita cum morte commutata IV. Kalendas Octobris ann. 1700. cum annum ageret octuagesimum quintum. Ægrotare incœperat pluribus antea mensibus, & cum videretur convalescere, tam magno & fidenti erat animo, ut cohiberi non posset quin prodiret in publicum, dilectoque & amantissimo populo benediceret. Operabatur assidue, ac si infirmus non esset. Pertinax hoc laboris studium ad obitum usque pertenuit. Ipso, quo mortuus est die, chirographum subscripsisse ferunt, quo erogabat quadraginta millia aureorum ad redimendos captivos, nec non pro solvendo residuo novi Palatii ad hospitium pauperum. Testamentum etiam condidit, quo omnia sua mobilia vendi jussit, pretiumque in egenos erogari. Ejus corpus humili sepulcro conditum fuit, quod sibi ipsi vivens paraverat, inscriptione distinctum, quæ solum ejus nomen exhiberet. Laudes ejus pro more complexus est Nicolaus Fortiguerrius Pistoriensis, obitis Romæ sub aliis Pontificibus magistratibus illustris, tum vero poemate quod *Ricciardetto* inscribitur celeberrimus. Ampla Innocentio frons erat, corpus procerum ac validum, oculi vivaces & nigri, aspectus modestus, hilaris vultus. Magnis sacrorumque Principi consentaneis virtutibus floruit, honestissime acta vita, morum suavitate, studio religionis, effusa in pauperes beneficentia. Illi non velox ingenium, nec multis subactum disciplinis; at promptum ad exquirenda sapientium consilia, solers ad meliora secernenda, idoneum ad exequenda. Litteras vero in aliis adeo amavit, ut, quos ipsarum compotes reputavit, cunctos honoribus ac liberalitate sit prosequutus, saluberrimaque illa morientis vox celebretur, id unum sibi imperanti in animo fuisse, ut non aliud, quam ex virtute, ad honores pateret iter. Si in aliquo eventus fefellisset, non sibi vitio, sed circumsessæ insidiis Aulæ, communi regnantium malo, tribuendum esse. Magnificum sane propositum, ac Principe sapiente dignum, quod si desit, Respublica ad interitum ruere opus habeat. Hinc severissimis ab eo legibus, ut diximus, obsessus futurorum Pontificum in propinquos amor, pulsusque e majorum instituto gravissimis pœnis ambitus, ut ne unquam sordidissima pecuniæ merces, at meritorum præmium Magistratus forent; neve Romanum Sacerdotale Imperium fœdissima hujusmodi peste labefactari posset.

Præter hactenus commemorata Innocentii præclara facinora, plura alia quoque gessit, ut Ecclesiasticæ Ditionis felicitati, & justitiæ, ac religionis ubique consuleret incremento. Solemnem indixit reformationem omnibus Tribunalibus Romanæ Curiæ. Nedum xenia & munera, sed etiam propinas judicibus prohibuit, quas solis concessit XII. Viris Rotæ Romanæ, judicibusque Commissariis. Nonnullos alios judices, & Tribunalia suppressit, utpote inutilia, vel quæ ex abusu irrepserunt. Advocatis ceterisque Causidicis honoraria, & mercedes constituit, aliaque istiusmodi præscripsit eximia & sanctissima, quæ etiam nunc temporis vigent, & sub nomine *Reformationis Innocentianæ* celebrantur. Alia æque salubria sanxit pro Cleri, & Regularium Reformatione; qua in re non leves difficultates est nactus, ut sui vota complerentur, librosque editos vidit, quibus admonebatur, ut ab iis reformationis exordia sumeret, qui ampliſſimis Sacerdotiis & dignitatibus in Ecclesia

cleſia præfulgebant. Prægrandem auri vim miſit Jacobo II. Angliæ Regi, ut eum ad avita Regna perduceret. Ingentem pariter pecuniæ ſummam quotannis pendebat pro alendis Miſſionariis, aliiſque Evangelii Miniſtris in qualibet orbis parte; atque uno die centum quinquaginta millia aureorum donavit Collegio Urbano de Propaganda Fide, quemadmodum inſcriptio declarat, quæ in clauſtro ſuperiori ædium Sacræ Congregationis de Propaganda Fide his verbis legitur:

Innocentio XII. Pontifici Maximo
Apoſtolicis Miſſionibus ad Sinas Æthiopas
Finitimaſque Nationes ampliſſima
CL. millium aureorum dote conſtituta
Largitori munificentiſſimo
Anno ſalutis MDCXCVII.

CLEMENS XI.

CLEMENS XI. Urbini in pervetuſto ac nobili Umbrorum municipio diuturna Metaurenſium Ducum ſede, editiſque civibus domi militiæque claris æque conſpicuo, undecimo Kalendas Sextiles anno a Virginis partu 1649. natus eſt, Parentibus Carolo Albano Urbinate, & Helena Moſca Piſaurienſi præſtantibus genere & opibus. Sacro mature expiatus fonte Joannes Franciſcus appellatur. Quo magis magiſque pietate & litteris proficeret, undecimo ætatis anno in Urbem cum patre proficiſcitur, divertitque ad eam, quam ipſemet genitor obtinebat, domum in primo Ædium ordine Palatii Apoſtolicæ Cancellariæ, ubi Franciſcus Card. Barberinus S. R. E. Vice-Cancellarius morabatur. Romanum inde Collegium alacrioris exercitationis palæſtram ſubiens, ibique præſtantibus continenti ſerie uſus magiſtris, brevi litterarii laboris fructus cepit, & emolumenta. Amœnioribus diſciplinis, latinarumque litterarum peritiæ, græcæ item linguæ cognitionem adjunxit. Quam ſane tam feliciter eſt adeptus, ut poſt ipſius obitum inter domeſticas ſchedas autographa epiſtola Clariſſimi Viri Petri Poſſini e Societate Jeſu reperta ſit, qua is Joanni Franciſco tredecim tum annos nato gratias agit de græcis litteris eleganter, ornateque conſcriptis ac ſibi tranſmiſſis. Anno 1666. nimirum quinquennio poſt Græci Menologii Baſilii Porphyrogenetæ Imperatoris juſſu ſeptingentos ferme ante annos ſcripti partem alteram, non ita pridem in Monaſterio Cryptæ Ferratæ Tuſculanæ Diœceſeos ab ſe repertam latine vertit. Eximium Sacræ Hiſtoriæ monumentum, quod velut amiſſum Viri Eruditi defleverant, cum Bollandi Sociis communicavit Joannes Franciſcus, Sanctorum Faſtis, quibus illi præclaro conatu allaborabant, Heroes aucturum & pretium. Alia græca Veterum monumenta ſub idem tempus latine reddidit, quæ in iiſdem Actis Sanctorum in tertio Menſis Aprilis volumine, & in Catena Græcorum Patrum Petri Poſſini reperire eſt.

Ad nobiliores ſimul facultates, nimirum philoſophicas & theologicas gradu facto, Præceptorum e Societate Jeſu vota abunde implevit. Expletis ſacræ theologiæ ſtudiis, utrique juri diſcendo in Archigymnaſio Romano adjecit animum, uſuſque eſt potiſſimum opera Joſephi Carpani legum peritia & eruditione in Urbe noti.

Urbinum reverſus an. 1668. poſt publicum ingenii atque doctrinæ factum experimentum, jurium & philoſophiæ laurea celeberrima pompa donatur. Haud ita multo poſt Romam rediit, Juriſprudentiæ & Judiciorum uſum aſſequuturus; ſic tamen, ut litteris politioribus & liberalibus diſciplinis animum inſimul excoleret. Ut autem mens graviſſimis doctrinis, & ſanctioribus imbueretur exemplis, divinis litteris, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, pariterque Dogmaticæ ac Polemicæ Theologiæ ſedulo operam dedit. Quarum omnium facultatum felicia ſæpe præbuit experimenta in illuſtribus Academiis Capitolina, Collegii Urbani de Propaganda Fide, præclaro ipſius opera incremento auctis, & in ea, quæ inter domeſticos parietes a Chriſtina Alexandra Svecorum, Vandalorumque Regina conſtituta fuerat, cui celeberrimi quique ejuſdem ætatis litterati viri nomen dabant, omnäumque, quotquot in Urbe erant, nobiliſſima habebatur.

Octavum atque vigeſimum exorſus ætatis annum patris ſuaſionibus & conſanguineorum impulſu, Præſulum Ordini Romanæ Curiæ adſcribitur, eodemque tempore ab Innocentio XI. P. M. utriuſque Signaturæ Referendarius, ac ſacræ Congregationis Conſiſtorialis renuntiatur Conſultor. Paucis poſt menſibus Reatinæ urbi Gubernator præficitur, certoque interjecto tempore, Sabinos primum, deinde Urbevetanos regendos accepit. Locorum numerus, atque diſcrimen ampliora virtutis argumenta patefecere, quam non unæ periclitatæ ſunt res arduæ, ac difficillimæ. Dum communi proſpiceret bono, e re ſua putavit lucrum negligere. Id autem facilius indepturus, ab opum cupiditate ac perſonarum ſtudio perpetuo alienus, incorruptiſſime explevit ſui muneris partes. Carolus Cardinalis Barberinus Vaticanæ Baſilicæ Archipresbyter ampliora in Joanne Franciſco demiratus virtutum exempla, ipſius Patriarchalis Eccleſiæ Vicarium delegit & Judicem. Locum ſuapte natura nobilem Innocentius Pontifex honorificentiorem Albano reddidit, facta poteſtate retinendi cum novo munere Canonicatum Baſilicæ S. Laurentii in Damaſo, quo auctus pridem fuerat a Franciſco Cardinali Barberino. Hic intentus gravibus, quæ ſeſe confertim offerebant, expediendis negotiis, quantum ingenio ac juris peritia excelleret, luculenter oſtendit.

Anno 1687. Joannes Gualterius Cardinalis Sluſius, qui ab Apoſtolicis Diplomatibus (Brevia ſecreta vulgo appellant) annos multos fuerat, vita ceſſit. Quumque graviſſimo muneri novus eſſet præficiendus adminiſter, qui eruditione, doctrina, ac ingenii maturitate polleret, Innocentius Pontifex ex univerſo Præſulum cœtu legit Joannem Franciſcum, de cujus præclaris animi dotibus multa jam pridem inaudierat, & ab Joanne Baptiſta Card. de Luca, aliiſque viris gravibus locupletiſſimum nuper acceperat teſtimonium. Paullo poſtquam novum munus Joannes Franciſcus capeſſivit, gravi tentatus eſt morbo, qui Pontifici de ipſius incolumitate ſollicito altum mœrorem attulit. Brevi tamen ille convaluit, & graviſſimi miniſterii fide alacriterque labores ſubiit. Apud Innocentium proinde non vulgarem indeptus gratiam, mox Vaticanæ Baſilicæ Canonicatu eſt auctus. Suo tamen minime contentus emolumento, Pontificiam beneficentiam in aliorum bonum convertit. Auctor enim fuit, ut Sacerdotes Pii Operarii Neapoli Romam accerſerentur, eiſque domus cum Eccleſia S. Balbinæ Virginis in Aventino Monte tribueretur; quorum impenſas pro animarum ſalute curas utiliſſimas Romani cives, & urbani cultores agri ſunt experti. Quum extremo afflicta morbo Svecorum Regina magnopere vereretur, ne, ſi vita decederet, e familiaribus, & quidem cariſſimis, plures patratorum ſcelerum, quæ ſui cauſa prudenter diſſimulabantur, pœnas luerent, ejus apud Pontificem uti opera ſtatuit, ut miſeris hominibus, qui regio plerumque fulti patrocinio (licet inſcia & maxime poſtea dolente ipſamet Chriſtina Alexandra) deliquerant, veniam impetraret. Adiens enim Innocentium Albanus, tanta prudentia & dicendi vi arduam in primis & ancipitem hanc provinciam obivit, ut contra ac vulgo credebatur, negotium omnino e Reginæ voto confecerit. Quæ mox peractæ rei certior facta, incredibilem ex nuntio lætitiam cepit, multa in Joannis Franciſci laudem cum præcipua debiti ſui confeſſione ſæpius effata: paulloque poſt æterno digna nomine Princeps e vivis exceſſit.

Mortuo Innocentio Cardinalis Ottobonus Venetus Alexandri VIII. nomine in Petri Cathedra ſufficitur. Qui munus, quod Joanni Franciſco Innocentius contulerat, ipſo primo Pontificatus die ratum habuit firmavitque. Mox ſtipendium auxit. Denique cum primis, quos a creatione fratris Nepotis Cardinales legit, tertiodecimo Februarii die, anno poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo nonageſimo ſupra milleſimum ingenti cum omnium plauſu in purpuratorum Patrum Collegium eumdem adſcivit. Ita erectus ad grandia quæque Joannis Franciſci animus dignitatis & honorum incremento illuſtrius dotes explicuit: id etiam diligenter cavens, quod vel nubeculam generoſæ integritati poſſet offundere. Acerrimo, ſi quis alius, ingenio Pontifex, ac diſcernendis virorum meritis judicio præditus ſingulari, quantum Albani opera Chriſtianæ Reipublicæ bono conferre poſſent, animo recolens, illi nulla mora interpoſita, plura officia demandavit, pluribuſque Congregationibus eumdem adſcripſit. Ejus mores & acta, quibus in dies Cardinalis prælucebat, idem Pontifex expendens, de ipſius virtute, doctrina, promovendæ rei catholicæ ſtudio,

dio, prudentiaque bene ſentiebat, & honorifice. Quamobrem parum arbitratus tantam uno tempore negotiorum molem ingeſſiſſe, in adminiſtrando orthodoxæ Eccleſiæ Pontificatu conſiliarium adhibebat fere quotidie. Tum graviora pertractanda, vel conficienda negotia, illius cum primis judicio examinari, & expendi volebat. Utilem probatumque experimento morem ad extremos vitæ dies retinuit: quibus Apoſtolica ſedulitate, dignaque maximo Sacerdote conſtantia Gallicani Cleri Acta in Comitiis generalibus an. 1682. habitis irrita pronuntiavit & caſſa, ut in ejus vita monuimus. Calendis Februarii an. 1691. vita functo Alexandro VIII. qui eidem ſucceſſit Innocentius XII. ratus inter graviſſimas & permoleſtas Apoſtolici miniſterii curas magno ſibi adjumento fore Albani conſilia, eum prioribus ornatum muneribus, noviſque auctum ſtipendiis in Pontificio Palatio retinuit, quo facilius prudenti ipſius opera uteretur. Certe orthodoxæ præfectus Eccleſiæ triduum integrum ad cæteros univerſos Summi Pontificatus adminiſtros deligendos Cardinalem Albanum unicum conſiliarium adhibuit, unde illi feliciſſima Chriſtianæ Reipublicæ contigit adminiſtratio.

Interea quinto Calendas Octobris, decimo recurrente Pontificatus anno, Innocentius XII. ab humanis eripitur. Ad novum deligendum Pontificem octo & quinquaginta Cardinales convenerant, patria, ſtudiis, voluntate, ac mente diſcordes. Hoc fiebat, ut Comitia turbulenta futura plerique crederent: nec niſi multos poſt menſes, qui Religionis cauſſa expiationis anno Romam conceſſerant, novum renuntiandum Catholicæ Eccleſiæ Antiſtitem præſtolarentur. Intentos tanto operi ampliſſimos Patres non parum turbavit Vaini Principis auſus: qui Equeſtri Ordinis S. Spiritus a Gallorum Rege ornatus inſigni, tuendarum ædium ſpecie, durante interregno, multis armatis hominibus ſtipaverat januas. Hi quum vigiles cuſtodiendæ nocturno tempore Urbi a Cardinalium Collegio deſtinatos per ſummam audaciam prohibere vellent, ne libere illac pertranſirent, ac ſuo late fungerentur munere, rem indigne tulere Patres. Debitam proinde crimini pœnam decernentes, delectorum cohortem militum ſatellitibus addi imperant: flagitii authores in carcerem trudi: neque Principem liberum relinqui, ſi quid contra temere auderet. Cardinalium expleturis juſſa ſatellitibus tam audacter obſtitere Vaini homines, ut, quum effractis, dejectiſque foribus, nec tutum ſeſe tuendi haberent locum, nec expeditum evadendi tramitem, pluribus ultro citroque exploſis ſcloporum glandibus certatum ſit, non ſine gravi utriuſque partis detrimento, & ſparſo ſanguine. Vainus, qui ſuis in eo conflictu addebat animos, quum rem cominus agi videret, captaque ac miſere per ſatellites, militeſque afflicta majore parte domeſticorum hominum, graviora quæque in ſe veritus, vim dolo ſuperare ſtuduit. Decepto itaque Tribuno militum per ſpeciem adeundi Eminentiſſimos Patres, familiarem hominem ad Grimaldum Monachii principem, & Gallorum Regis Oratorem mittit. Is permoleſtæ rei certior factus, mox citato vectus curru parum ſapienter ad Vainum convolat. Cui audacius quam par erat, dum inter armatorum militum, & ſatellitum globos opitulari contendit, novis utrinque ſcloporum intentatis ictibus, parum abfuit, quin occideretur. Sua itaque fruſtratus ſpe, & gravibus in eo conflictu violatus injuriis, quum in ſatellites ac milites ea pœnarum exempla depoſceret, quæ rei gravitas, ſuique & Regis dignitas poſtularent, non ſuo duntaxat fruſtratus eſt voto, quin etiam ab ampliſſimo Ordine eſt improbatus. Nec mora: utroque parum ſecundo triſtis conatu, indignatus Roma digreditur, ac in oppidum S. Quirici in Hetruria, diriſſima ab Rege minitans, ſecedit. At Cardinales veriti, ne res aliter, quam jure debuerat, a Ludovico acciperetur, paucis ex præſtantiſſimo delectis ordine, quos inter non ultimum locum obtinebat Albanus, negotii cum Rege tractandi, componendique onus imponitur. Mature itaque communicatis conſiliis, Joannes Franciſcus dirigendæ graviſſimæ ac difficillimæ rei rationem præſcribit. Certum deinde in Gallias Tabellarium cum litteris mittunt, tanto obſequio, prudentia, & judicii maturitate ab Albano conceptis, ut Ludovicus totius facti ſeriem, & conditionem facillime ab illis edoctus, Oratorem reprehendendum putaverit.

Laborantes in Comitiis Patres nondum plane ea cura levati erant, quum tertio decimo Calendas Decembris An. 1700. a Franciſco Aquaviva Apoſtolicæ Sedis in Hiſpania Nuntio triſtiſſimas litteras accipiunt ſignificantes, Carolum II. Hiſpanorum Regem Matriti Calendis Novembris e vivis ereptum, hærede ex Teſtamento relicto Philippo Duce Andegavenſium Delphini (ut vocant) filio, ac nepote Ludovici Gallorum Regis. Lugubrem caſum dum animo recolerent, ingentes calamitates, quæ potiſſimum imminebant Italiæ, obverſabantur. Feralia belli theatra Inſubriam, ac utriuſque Siciliæ Regna cum primis futura: quæ quamvis Romanæ eſſent Eccleſiæ fundi jure beneficiario Hiſpanorum Regibus conceſſi, non latebat plures illis principes varia fretos ratione inhiare. Ad ea ſibi vindicanda, quæ hæreditario nomine Hiſpani Reges poſſederant, Andegavenſes confecto ab Carolo Teſtamento niti: Auſtriacos potiori jure ſanguinis, aliiſque momentis contra contendere. Ex diſſidio pertinax excitari bellum, quod Italiæ & Europæ univerſæ ingentem eſſet perniciem allaturum. Incenſos jam eſſe diſſidentium animos ad vim inferendam & clades; neque invalidos orienti bello fomites a ceteris Principibus acceſſuros. Hæc momenta, quæ jam tum aliorum etiam erant ore vulgata, pro loco & tempore ſapienter excuſſa, tanti apud Patres in Comitiis fuere, ut de creando quam citiſſime Summo Pontifice ſerio cogitarent. Virum proinde impigrum, prudentem, ac parem impediti ſſimorum temporum conditioni quærendum: non ſenio pene confectum, nec morbis obſeptum, ut malis ingruentibus, ac curis forti & alacri animo poſſet occurrere. Hinc factum, ut ætas, quæ alias minime congruens gerendo Pontificatui eſſet habita, tunc maxime opportuna cenſeretur ac peridonea. Plures ſumma Eccleſiæ Præfectura longe digniſſimi, quibus ampliſſimus Cardinalium cœtus abundabat, in examen vocati. Quum tamen variis ex cauſſis minus tempori viderentur congruere, tandem tertio decimo Calendas Decembres in Joannem Franciſcum Card. Albanum conjecti ſunt oculi. Tantoque mox conſenſu vota omnium acceſſere, ut quatuor non amplius horarum ſpatio in negotium impenſo, eum doctrina, prudentia, ceteriſque dignis ſacro Principe dotibus clarum, ad gerendum hac ætate maximum Orbis Catholici Pontificatum natum arbitrarentur & prædicarent.

Qui primus rem tranſactam Joanni Franciſco nuntiavit Cardinalis de Judice, ipſummet viribus totis ſummæ accipiendæ dignitati obnitentem offendit. Contra vero laboranti, ut unanimo Cardinalium deſiderio, ac voluntati cederet, modeſto Albanus pudore ſuffuſus, intimamque animi demiſſionem præſeferens *ſe Apoſtolico miniſterio prorſus indignum* reſpondit; *nec unquam paſſurum, ut Collegæ tantum ſibi onus imponerent*. Urgentibus poſtmodum Cardinalibus, & religionem identidem incutientibus, ea perculſus quidem Joannes Franciſcus, at non victus, quo ſapientius ac tutius in re tanti momenti ageret, Abbati Fabio Oliverio ſobrino fratri viro gravi, & nobili cubiculo ſuo tunc præfecto, ad Comitia evocato imperat, ut quatuor e clarioribus Theologis in Urbe delectis rem aperiat, matureque ab ipſis expenſam mandatam litteris ſententiam referat. Oliverius qua cura decebat, negotium expleturus, Fratris Antonini Maſſoulié ex Ordine Prædicatorum, Joſephi Alfari e S. J. ſupremi Tribunalis Pœnitentiæ Theologi Conſultoris, Fratris Caroli Franciſci Vareſienſis ex Ord. Minorum *ſtrictioris*, ut vocant, *obſervantiæ* Lateranenſis Baſilicæ Pœnitentiarii, & Joſephi Mariæ de Thomaſiis e Clericis Regularibus, poſtea S. R. E. Cardinalis, vitæ probitate juxta ac doctrina illuſtrium ſententiam rogat, ſcriptoque acceptam tradit Joanni Franciſco. A quo non ſine graviſſimi criminis labe oblatum ſummum Eccleſiæ Catholicæ Pontificatum dimitti poſſe uno atque concordi judicio pronuntiarunt. Conſultos in id potiſſimum adegere difficillima temporis conditio, cui nihil magis obeſſe videbatur, quam Pontificiæ electionis prolatatio; ſpectata inter ardua negotia electi indoles, & congruentes tanto muneri dotes animi; conſtans denique ſuffragantium voluntas magnis impulſa & nixa momentis. Gravibus itaque Theologorum conſiliis, noviſque Cardinalium ſuaſionibus, precibus, niſibuſque tandem cedens Albanus delatam dignitatem acceptavit, ſeque Pontificem renuntiari paſſus eſt. Quæ res Orbem univerſum lætitia ſumma complevit.

Nulla ſubinde honorum torpens illecebra, ad ea diſponenda, quæ ſuſceptam dignitatem recte gerendam propius ſpectabant, non ſine certa atque conſtanti rerum methodo animum intendit. Quas aliis ſanctiorum morum ac diſciplinæ præfixerat leges, ſuo ipſe, quantum pro dignitatis conditione fieri licuit, expreſſit exemplo, & a familiaribus ſervari contendit. Illud ubique ſollicite curans, ut animarum Paſtores & Chriſtifideles ex ejus verbis factiſque probe inſtitutæ vitæ monita, & bonorum operum exempla caperent. Nihil proinde in Pontificio Palatio rationi diſſonum, nihil intemperans. Unus omnium Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ac morum ſanctimoniæ rigidiſſimus cuſtos, acerrimo judicio familiarium pendebat indolem, inveſtigabat acta. Religioſarum actionum & negotiorum quotidie diſcretæ horæ: certi quoque ſolemnibus obeundis miniſteriis pro rerum diſcrimine decreti dies, vel interdiu ſubjecta tempora.

pora. Quæcumque tamen illa fuerant, divina privatim ac publice religiose peragebat munia. Sacris majoris Hebdomadæ diebus confessiones peccatorum in Templo Vaticano, & alibi consuevit excipere; Eucharistiam identidem impertiri; celebrioribus diebus festis inter Missarum solemnia ad populum Majorum more homilias habere; publicis supplicationibus frequens interesse; cetera Summi Pontificis, vel etiam Episcopi diversi generis explere munera, adhibitos in Ecclesia Catholica ritus diligentissime servans. Clementis studiis, & exercitationibus in Germania inter Hæreticos patefactis, honorifica de ipsius virtute, & administrandi summi Pontificatus ratione emersit prædicatio.

Pari sedulitate ad ea avertenda incommoda, quæ Italiæ, atque Catholico imminebant Orbi, Clemens incubuit. Post defletam in Apostolico Senatu ingentem, quam Christiana Respublica ceperat ex interitu Caroli II. Hispanorum Regis jacturam, ipsique in Pontificio Sacello pro more justa soluta, gravibus ad summos Principes missis litteris, publicam totius Italiæ & Europæ asserere tranquillitatem studuit, atque instantis belli periculum amoliri. Cum primis Leopoldum Imperatorem impense hortatus est ad rejiciendas curas belli, quo terrifico armorum apparatu jura sua pro Hispanæ Monarchiæ regnis vindicandis Carolo filio Archiduci Austriæ statuerat persequi. Æqua Clementis consilia & officia visa sunt Leopoldi animo vim aliquam intulisse. Ergo per Apostolicum in Germania Nuntium, ac suum in Urbe Oratorem significavit, se libentissime stabiliendæ concordiæ sequestrem Pontificem habiturum, neque missurum in Italiam copias, dummodo Galli Hispanique pari interim moderatione uterentur. Si quæ vero illorum legiones Italiæ fines essent ingressæ, quam celerrime loco cederent, & absisterent. Nihil utrique auderent novi, paterenturque Andegavenses, ut non modo Neapolis, atque Siciliæ regna, quæ beneficiario Apostolicæ Sedis jure Hispani Reges possiderant, verum etiam Insubrium & Belgarum Provinciæ ad Romanum spectantes Imperium a Summo Pontifice, aut alio Principe concordibus suffragiis lecto vicaria Apostolicæ Sedis imperii potestate interea loci regerentur, ne quid aliena jura detrimenti caperent. Nihil de his potuisse statuere supremis tabulis Regem Carolum: nec cuiquam alterutra sibi arrogare licere propriis invitis & obtinentibus Dominis. Designatas ab Leopoldo conditiones Cæsareus apud Pontificem Orator æquiores porro reddidit, testatus, post expensa a sequestribus rationum momenta utriusque partis, compositasque Hispanæ Monarchiæ res potiores, nullum de Italis *Feudis*, Belgicisque Provinciis futurum dissidium; quum ea prudenter iniri posset divisionis ratio, qua, librata locorum & jurium præstantia, facile quisquis oblatis contentus existeret. At Ludovicus, qui norat Philippum Ducem Andegavensem unanimo Hispanorum Optimatum suffragio salutatum Regem, talemque ab se celeberrima pompa habitum & publicatum Versaliis, Hispani imperii regnis concordi populorum voluntate jam potitum gaudebat, Pontificis consilia, prolatasque Leopoldi nomine conditiones aure surda præteriit. Quin tantum abfuit, ut illas acciperet, ut etiam de feriendo cum Clemente cæterisque Italiæ Principibus fœdere adversus Austriacos communibus armorum auxiliis ex Italia arcendos ageret. Concepti proinde tenax propositi, omnem posthac impensam a Pontifice operam delusit & officia. Actum subinde est cum Italis Principibus de sanciendo fœdere, quo communibus saltem opibus, atque præsidiis Italiæ tutelæ, ac indemnitati consuleretur; neque in illam pervadendi exterorum Principum copiis ad bellum procinctis liber permitteretur aditus. Honesta altercantibus conditione proposita, ut qui victor, exacto bello, Hispania potiretur, Italas quoque provincias ac ditiones haberet. At vero quum non una Italorum esset sententia, nec eodem universi servandæ integritatis studio ducerentur, enixe a Pontifice provecta tractatio prorsus evanuit: semel insuper, atque iterum redintegratæ graviores obices interceſſere.

Sublata non sine magno Clementis angore spe constabiliendæ inter maximos Christianæ Reipublicæ Reges optatæ concordiæ, bellique arcendi ab Italia: mox turbulentissima & ingentium malorum ferax visa est Europæ incubuisse procella. Enim vero dum suo quisque studet commodo, & alter in alterum potiora jura, non ratione ac sapientum judicio, sed ferro manuque experiri mavult, id repente conflatum est bellum, quod publicam totius Europæ tranquillitatem perturbavit. Et spem quidem certam Leopoldus & Ludovicus Clementi fecerant, fore ut Pontificiæ ditionis oppida immunia prorsus ac libera ab eo malo servarentur. Promisso fidem habuerat Pontifex, quum inopinato Quintili ineunte mense An. 1701. Germanos milites in Ducatum Ferrariensem irrupisse audit. Qua de re cum Cæsare vehementer expostulavit: fidemque tot nominibus debitam, nec semel exhibitam imploravit. Ne apertas cum Pontifice viderentur discordias alere, sæpe jussi milites recedere: at sæpe etiam non minori instructi audacia redierunt. Pedites, quibuscum frequentes immixti erant hæretici, ac perditissimi ex Venetorum & Romanæ Ecclesiæ provinciis exsules, multis subjectos Apostolicæ Sedi populos affecere damnis. Malis nihilominus longe majoribus, qua licentia obvia quæque populabantur, miseros afflixissent, nisi validus equitum numerus, quos Clemens repetito Cardinalium suffragio mature conscripserat, ducibusque Aloysio Paulutio e Comitibus Calbuli, Fabritii Cardinalis germano fratre, & Marchione Francisco Maximo Hadrianæ Arcis præfecto, Ferrariam miserat, fuisset auxilio, vagosque ac rapinis intentos opportune frænasset.

Galli Hispanique rati accommodam rebus augendis occasionem se nactos, omnem movere lapidem, ut Clemens in fœdus coiret. Utriusque Siciliæ Regna Philippo Andegavensi, ejusque stirpi, concepta ex jure formula, fiduciario nomine traderet: eumque Hispaniarum Regem, non una tenus Regnorum spectata possessione, sed jure amplissimo salutaret. Neque aliter quos ipse Ecclesiis regendis idoneos nominabat, crearentur Episcopi. Venturum in Urbem Regem, ut petitos ab Summo Pontifice honores caperet. Conditiones ob id offerre honestissimas, quas inter non ultimum habere locum novam Pontificio imperio ex Neapolitano Regno adjiciendam provinciam. Dissidia de jurisdictione & caussis *mixti fori*, de Ecclesiarum & Clericorum juribus uno Romani Pontificis judicio diremtum iri, remoto penitus regali delegato. Traditurum se insuper Albanæ Familiæ Philippus pollicebatur in alterutra Sicilia ditionem cum oppidis congruentem consanguineis Summi Pontificis, addito aurei velleris Torque cum primis Regni honoribus & dignitatum insignibus. Qui conditiones afferebant, rem argumentis urgebant validis, aliaque plura nec sane contemnenda Apostolicæ Sedi accessura commoda singillatim memorabant, tam arcte potentissimis Christiani Orbis sibi devinctis uno tempore Regibus. Austriacos Caroli testamento, supremis Hispanorum Optimatum suffragiis, populorum voluntate, re ipsa exclusos regnis: male propterea de Pontifice mereri & merituros. Borbonios contra longe lateque auctos viribus & imperiis, Apostolicæ Sedi emolumentum, & dignitatem ad extremum vitæ spiritum provecturos. Hi conatus nihilominus fuere irriti. Etenim Clemens neutiquam splendida moratus promissa, maluit se integrum, ac dignam communi parente æquitatem servare, quam Austriacis adversanti studere parti. Horum pro Neapolitano ac Siciliæ Regnis Carolo impetrandis scripto expositas a Lambergio rationes, ut Gallorum artes cassæ redderentur, benigne audivit. Præsentiens autem, ne jactatis juribus alteruter Princeps cederet, vel etiam caderet, studiosissimas ab utroque impendendas curas, ut pro more veteri pridie diei festi Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli debitum Apostolicæ Sedi censum cum strato equo certatim offerret; neutri Clemens acceptione adversus vel obsecundans, gravissimas hac etiam in parte contentiones sustulit. Ne autem oblati tributi detrectatio & abstinentia Pontificiis obesset juribus, sexto Calendas Quintiles litteras præcipuas vulgari jussit, quibus plena & suprema potestate denuntiavit: tempus hujusmodi pendendi censum, donec aliter sibi videretur, minime labi: neque ex dilata ipsius solutione, devolutæ, lapsæ vel caducæ rei detrimentum, jurium quorumcumque imminutionem, vel adversi quidpiam Apostolicæ Sedis rationibus officiens sequuturum. Quas amplissima ex lege formula perpetuo integras, & illibatas asseruit. Id tamen consilii, quod apud sapientes partium studio vacuos prudentiæ ac solidi in utrumque Principem amoris non obscurum fuerat argumentum, tam iniquis nonnulli accepere animis, ut duriorem certe non subiisset invidiam, si se se Pontifex præstitisset adversum. Injuriæ nihilominus constanter patiens & incommodi universos, nullo ob id facto discrimine, paterno semper ac liberrimo est amore complexus.

Talibus in communem Europæ tranquillitatem incumbentem studiis turbavit non parum certis rumor comprobatus nuntiis, Fridericum Marchionem Brandeburgensem in frequenti cœtu, nulla quidem sacrorum pompa, simulatis tamen per hæreticos ministros aliqua ex parte ritibus, quos Catholica Ecclesia in consecrandis Regibus obire consuevit, nomen & insignia Regis Prussiæ sibi publice arrogasse, antiquo violato jure, quod in eam Regionem sacro, ac militari Theutonicorum Ordini competebat. Factum, velut Apostolicæ Sedi injuriosum, atque eidem Equestri Militiæ noxium, Pontifex gravi ad Cardinales in Consistorio sermone habito,

bito, tum etiam datis ad Orthodoxos Principes litteris damnavit. Moleſto Brandeburgenſis negotio & triſtes curæ acceſſerunt ob diſſidia inter Pontificiam Sedem & Victorium Amedeum Ducem Allobrogum nuper obortа, de quibus in Benedicto XIII. & Clemente XII. ſermo habebitur. Deflevit hoc anno Clemens XI. Jacobi II. Magnæ Britanniæ Regis mortem inopinatam, & qua ſtudii magnitudine hunc fuerat proſequutus, eadem & Mariam Reginam viduam, orbumque puerum Valliæ Principem eſt complexus, collatis opportune monitis, & opibus, amantiſſimi parentis vicem parteſque ſubiens. Catholicos populos Thraciam, Armeniam, & Syriam incolentes maximis beneficiis cumulavit. In Perſide quoque rem catholicam auƈturus, Evangelicæ legis præcones eximios Regi peculiaribus litteris commendavit. In Guineam Ordinis Prædicatorum fratres allegavit, quorum opera res catholica multifariam auƈta eſt.

In Ryſwicenſis pacificationis capitibus tertio Calendas Novembris anno præteriti ſæculi nonageſimo ſeptimo inter Leopoldum Cæſarem, Romanum Imperium, & Ludovicum XIV. Gallorum Regem initæ illud etiam ſtatutum fuit articulo IV. ut Religio orthodoxa in Imperii Provinciis in eo ſtatu deinceps maneret integra, quo tum vigebat. At Proteſtantes in Germania hæretici labentium temporum conditioni minus congruens id arbitrantes, ad eas ſuſcipiendas probandaſque conditiones improba ſedulitate Imperatorem ſollicitabant, quæ, quidquid olim in iis, quibus præerant Regionibus & oppidis, Catholicæ religioni favebat, immutarent, ac funditus tollerent. Impotentibus illorum conatibus acerrime reſtitit Clemens, ſtrenueque laboravit, ne quid perturbatis ceteroquin in Germania & apud Batavos catholicis rebus novum inferretur hac in parte diſpendium. Excitata adverſus Catholicos in Regno Cocincinæ peracerba tempeſtate, horum nomina, cruciatus, & aƈta conſcribi, Romamque mitti juſſit Clemens, ut in faſtis & monumentis Eccleſiæ orthodoxæ ad perennem ipſorum laudem, cæterorumque Chriſtianorum incitamentum percenſerentur.

Utrobique periclitantis Religionis negotio ſtrenuam Pontifici navanti operam non leves in Italia ingerebant curas Germanorum atque Gallorum exercitus: qui pro Inſubria mordicus certaturi, ut alii in alios validiores inſurgerent, contra fas in alienis quoque provinciis montes, arces, oppida propriis opportuna commodis uſurpabant. Militarem probe noverat licentiam & audaciam Clemens, triſtibus in dies experimentis edoƈtus, quid ipſamet ignorantibus, vel etiam invitis ſupremis Principibus poſſet. Satius itaque ducens malis aditum obſtruere quam mederi: qua prudenti ſedulitate cætera Apoſtolicæ Sedis jura integra ſervavit & aſſeruit, urbes item Parmam, atque Placentiam adverſus concurſantes circum infeſtis ſignis tot militum acies Pontificio communivit præſidio, arceſque firmavit: nec id ante removit, quam tutior regni conditio facta eſt: ratus Auſtriacis juxta ac Gallis id non ingratum futurum: dum ea adverſa libertati cura, alio, prout libebat, expeditiores ipſi poſſent arma convertere, pacatamque, in hoc ſaltem, præſtare rem Eccleſiæ.

Anno 1703. decimonono Calendas Februarias hora fere prima cum dimidia noƈtis, Italia pene univerſa, largo interim perfluente nimbo, horrifico terræmotu concutitur, quo multis diebus per intervalla ſæviente, detrimentum ingens Ditionis Romanæ Eccleſiæ populis allatum eſt. In Umbria plura Reatinæ Diœceſis oppida magna ex parte ædificiorum ruinis fœdata, triſtiſſima multorum civium nece publico atque privato auƈto diſpendio. In Sabinis Nurſia, Caſſia, Præcis funditus corruere, paucis admodum, iiſque labantibus, reliƈtis ædibus. Alia finitima oppida vario, at gravi afflicta damno ſpeƈtantibus lugubri funeſtiſſimi caſus ſpecie miſerationem diu ingeſſerunt. Spoletum & Aſculum urbes ruinis vicinæ fuere, damnorumque participes. Oƈtingenti corruentibus ædificiis oppreſſi promiſcue periere homines: ſupra tria millia vulnerati lethaliter, aut graviter læſi. In Agro Faleriorum terra deſedit. Urbs Roma eodem concuſſa motu ædificiorum rimis alicubi fatiſcentium non parva ſubiit damna. Tanto præterea terrore cives correpti ſunt univerſi, ut imbribus ventiſque expoſiti, plateas quoque & aperta inquirentes ſpatia, admodum pauci domi conquieverint. Poſtridie mane Pontifex Cardinales in Conſiſtorium evocatos tumultuaria oratione commonuit, recentem calamitatem divinæ iræ mortalium peccatis laceſſitæ perſpicuum eſſe argumentum. Eoſque primum, tum Pontificiæ Ditionis, ac totius Italiæ populos ad illa edenda non fiƈtæ patratorum ſcelerum pœnitentiæ, & chriſtianæ pietatis opera inflammavit, quibus offenſi Numinis gratia conciliari merito poſſet. Ceteris ipſe futurus exemplo, ſupplicationem pedes & imbre madens inſtituit, e Tranſtiberina beatæ Dei Genitricis Baſilica in Vaticanam procedens, precibus & lacrymis Numen propitianti immixtus populo. Ubi autem Pontifex triſtiſſimum tot oppidorum ac miſerorum hominum caſum novis in dies auƈtum malis accepit, ut patrem decebat, ac Principem, non potuit ſummopere non mœrere, omnique modo afflicƈtos populos adjuvare.

In ipſa Urbe interim Sacrorum præſide atque magiſtra ſacris rebus intentus, rationem iniit diſcernendi, evellendique temporaneos errores, ſi qui poſt Gregorianam emendationem temporum in Eccleſiæ faſtos, ſacrorumque dierum tabulas obreperent. Enimvero omnium optima Lilii comprobata ratio, jam tum, quum in uſum, ac novæ ſupputationis regulam, eodem Gregorio Summo Pontifice mandante, fuit recepta, viſa eſt quandoque leviuſculos induƈtura lapſus, niſi hos ipſos prudens ac tempeſtiva caveret mutatio. Innocentio XII. P. M. plures orthodoxi Antiſtites, & inſignes Mathematici ad Apoſtolicam Sedem dedere litteras, quibus varia de ſacris temporibus exorta dubia diſſolvi poſcebant, quæ negotium prima fronte videbantur ingerere. Rei conſcius Clemens ſucceſſor inter primas ſummi Pontificatus curas, objeƈtas difficultates expendendas ſuſcepit: mox tribus S. R. E. Cardinalibus Ferrario, Pamphilio, Noriſio, ac duodecim viris gravibus ſacrorum Canonum, Aſtronomiæ, temporariæ rationis, ac Cycli Paſchalis peritia claris opus maturandum tribuit. Quo vero facilius ea quiſque aſtronomicarum rationum momenta invenire poſſet, quæ in rebus dubiis maxime proſunt, ſtudio & cura Franciſci Blanchini Veronenſis ab honorario Pontificis cubiculo, & illuſtris Mathematici, qui Philippum Maraldum eodem nomine commendatum ſocium aſſumſit, in templo S. Mariæ Angelorum, quo nobilior pars fuit Thermarum Diocletiani Imperatoris, formata eſt meridiana linea ab horizonte palmis quinque, & biſcentum in longum portenta, intercipiturque latis ſegmentis marmoreis in pavimento defixis, varie diviſa, duodenis zodiaci diſtinƈta ſignis & poli gradibus: per quos annuo atque perpetuo motu gradientem ſolem ingenioſo ſchemate licet adſpicere. Præclarum opus, quod a Clemente nomen retulit, aptiſſimum eſt comprobatum ad metiendum ſolis, lunæ, ſiderumque motus, queis probe noſcitur, ſervaturque reƈta Chriſtiani Paſchatis recolendi ratio, juxta conſtituta Nicænæ Synodi, & nuperrime a Gregorio XIII. emendatam ſacrorum temporum conſtituendorum ſeriem: tum etiam omnium ejus generis exaƈtiſſimum habetur, quæ ad noſtram ætatem in illuſtribus Italiæ urbibus, præſertim Venetiis, Bononiæ, Florentiæ, Senis, & Neapoli ſunt confeƈta. Deleƈtum vero id loci ſpatium ſolidum, ſtabile, tot ſeculorum diuturnitate confirmatum, atque altiſſimis innixum fundamentis immanis operis, ne deſidentibus ſoli mutationibus eſſet obnoxium, quibus cetera alibi conſtituta menſuras priſtinas in dies fallebant, ludebantque Authorum operam. De linea meridiana Clementina multi ſcripſere. Nec deſunt qui operoſa commentaria adjiciunt, ut clarioribus argumntis patefaciant, quanta hujuſmodi majoris helioſcopii ſit utilitas atque præſtantia. Præterea divinæ gloriæ ac populorum ſaluti; magnopere conducere monitus duobus remotiſſimis locis ſacris opem ferre, a quibus præſentiſſima in Catholicos homines derivabant emolumenta, utrique ſervando & augendo bono conſuluit. Oreſtæ (Adrianopolim nunc appellant) in Thracia conſumptam incendio Eccleſiam, quam viri orthodoxi Epidaurenſes curabant, impenſis Pontificis reparari juſſit. Eodem ſtudio Ruthenorum Catholicorum utilitati proſpiciens, Leopoli in Ruſſiæ auſtralis celeberrimo emporio domicilium conſtituit, ubi adoleſcentes ſinceris imbuti doƈtrinis & moribus, in patriis deinde regionibus de reƈta fide & Apoſtolica Sede utili opera bene merentur.

Moleſta in Germania Clementi fuit Hæreticorum licentia. Et Bonnæ quidem heterodoxorum illic hoſpitio exceptorum militum eo progreſſa eſt audacia, ut vi atque injuriis ejeƈtis Sacerdotibus, qui locum curabant, præcipuam Epiſcopalis Palatii partem ſuæ ſeƈtæ miniſteriis addixerit, in qua Colonienſis Antiſtes ædem ſacram & altare conſtituerat. Veritus proinde Pontifex, ne majora in dies auderent, poſtquam non formidarunt ſub ipſis Catholicorum oculis divino cultui, & ſanƈtioribus veræ Religionis aƈtis conſecrata loca temere occupare, obſiſtente nemine, cum Chriſtiano Auguſto Jaurinenſium Epiſcopo, aliiſque Germanicarum Eccleſiarum Antiſtitibus, ac Romani Imperii Principibus communicatis mature conſiliis, eam prudentem rationem inivit, qua proveƈta removit, & fœdiora deinde molimina antevertit. Imminebat eodem tempore Ratisbonenſis Conventus, in quo ſapientes Catholicæ fidei cultores nihil non religioni noxium ab hæreticis pertimeſcebant. Hi opportunitatem nullam dilatandi

fines ſuos, erroreſque latius propagandi prætermittentes, multa proculdubio in medium erant allaturi, quæ orthodoxis rebus cederent perincommoda. Illorum ut præriperet Clemens mala conſilia, & ſimul everteret, eos, quos opportunum eſſe putavit, Clemens admonuit, non vulgarem conſtantiam in provehendis orthodoxæ fidei rationibus id tempus expoſcere. Novarum rerum in Catholicam Religionem motus ſignificare non ita pridem viſa eſt Anglorum & Batavorum inſtructiſſima Claſſis, quæ veluti minax in orthodoxæ fidei præcipuam ſedem Italiam aliquandiu contra Ligurnum ſtetit ad anchoras, objectamque urbem, & propinqua mari Pontificiæ ditionis oppida ingenti terrore complevit. Ipſi junctis cum Leopoldo viribus atque conſiliis, Carolum Hiſpanorum Regem Viennæ ſub idem tempus pronuntiaverant. Cujus promovendis juribus cum amplitudine quamvis ſummopere ſtudere fœderatos hæreticos & Imperii Principes Clemens noſceret, adduci tunc validis impulſus rationibus, ac prudentum virorum conſilio nunquam potuit, ut regios illi honores & inſignia decerneret, vel in Urbe ac poteſtatis ſuæ oppidis ab ceteris publice ore, ſcriptis, aut imaginibus conferri ſineret. Quod permoleſtum Leopoldo juxta ac fœderatis accidere, latere non poterat. Clementis tamen cura atque prudentia factum, ut in tanta rerum perturbatione, & animorum æſtu, nihil hac de cauſſa id maxime temporis apud Germanos & Batavos orthodoxa Religio detrimenti caperet, quamvis ſummum undecumque diſcrimen eidem impenderet. Neque deerant voluntati conatus. Vix tamen ſuas in rem catholicam illi vires exeruere, quum validiſſime per Clementem ſunt retuſi. Pertinaciores autem aliquando facti, tandem conſtantiſſimæ ejuſdem Pontificis operæ victi ceſſere.

Ut idem in Britannia obtineretur, acerbiore cura laboratum eſt. Anno ineunte 1703. Dublini in Hibernia Conventus generalis eſt habitus, a quo publicam fidem, æquitatem, & naturæ jura, indignis violata exemplis, Romanæ Communionis homines ſummopere querebantur. Oppoſita quoque Limaricenſium pactionum capitibus primo, ſecundo, & nono decreta eſſe, queis liberam catholicæ Religionis profeſſionem cum ſacris ritibus Hibernis vi & armis ſe ac ſua tuentibus perpetuo concedendam, conventum fuerat, & firmatum ſacramento. Ab innocentibus populis nulla læſi injuria Proteſtantes ad eam diem edita in ſacros cujuſcumque ordinis, ceteroſque viros orthodoxos Decreta confirmarunt. Præterea quaſi leviſſima hæc eſſent detrimenta, mala malis aggerantes, patri quibuſcumque ſceleribus fœdatos filios exheredandi poteſtas adempta: modo ipſi, ejurata Religione Catholica, Proteſtantium dogmata profiterentur. Additionem hæreditatis, quocumque jure vel nomine debitæ, orthodoxis vetuere; eoſdemque gravibus nec ferendis oneribus undique preſſos, publici ſuffragii jure privarunt. Domi militiæque muneribus exuerunt. Quo dejectior eſſet inferioribus hominibus vitæ conditio, liberalium artium exercendarum libertas coercita. Arma conficere ſeu vendere interdictum: in ædibus item retinere, geſtare, ac generoſos equos alere. Litterariæ ſublatæ ſcholæ & adoleſcentium Collegia cum poteſtate agendi magiſtros. Ita vero Parochi munere viri catholici fungi permiſſi, ut id ipſum, inconſulto Magiſtratu hæretico, minime obirent. Initum autem propria duntaxat, non vicaria aliorum opera quocumque vitæ tempore gererent. Mortuus amotuſque Rector Eccleſiæ, nullum catholicum Sacerdotem ſucceſſorem haberet. Prædia & jura perennantia emendi, eademque locandi & conducendi ſublata facultas. Orthodoxam matrem defuncto vita conjuge, prolis ſuæ curam habere, atque tutelam agere noluere, juribus univerſis præpoſtero etiam rerum atque naturæ ordine translatis in hæreticos homines. Matrimonium cum Proteſtantibus non inirent Catholici: ſi qua vero in Anglia, & Scotia, ut legem eluderent, in poſterum contraherent, nulla haberentur apud Hibernos. Præter ſervandæ Regi fidei ſacramentum, aliud inſuper ab Orthodoxis expoſci decreverunt, quo conceptis verbis ſignificaretur, Jacobum Stuartum in Angliam, Scotiam, & Hiberniam jus nullum habere, nullamque ſe illi opem laturos aliquando; imo pro virili parte conaturos, ut regia dignitas Proteſtantibus Principibus, qui rerum potiebantur, eorumque ſtirpi, & legitimis ſucceſſoribus integra ſervaretur. In eos, qui contra agerent, non leves decretæ pœnæ, univerſæ fere ad exuendum fortunis ſuis Catholicos, & Romanam Religionem quamcitiſſime extinguendam recta tendentes. Multi fortiter iniquis legibus obluctati, publicatis bonis, extorres acti, plures in carceres truſi. Adhibita non uno conatus genere fuit opera, ne Anna in Britannia dominans tam abſurda conſtituta comprobaret: quin potius adverſa lege nequiſſimis ſulta momentis deleret. Induſtriæ nihilominus, juxta ac rationes, quum irritæ cederent, id demum Clementis niſu, & maximorum Principum officiis impetratum, ut novarum legum rigor ſenſim miteſceret, contrarioque more pedetentim, velut inſcia & minime curante Principe, nova decreta negligerentur. Id vero quoniam arcanis Anna promiſſis indulſit, aliquando una tenus ſpecie Orthodoxis obniti videri voluit, re tamen & animo ab iiſdem vexandis prorſus abhorrens. De ingeſta Catholicis ab generalibus regnorum Comitiis, & hæreticis adminiſtris ſacramenti ſæpenumero mutata formula durior viguit obluctatio. Nonnulli mentem rebus præſentibus callidiſſime accommodantes, præſcriptis verbis non inviti juraverunt. Alii non idem ſentientes, conſtantiſſime recuſarunt. Graves ultro citroque ſcriptæ conſultationes, & data a Theologis in utramque partem docta, & ingenioſa reſponſa. Conſulta de re ipſa & Apoſtolica Sedes eſt: quæ prudenti judicio quæſtione dirempta, ut pacatiores hac etiam in parte eſſent Orthodoxi, Leopoldo Imperatore, ac Petro Luſitanorum rege adnitentibus, tandem obtinuit, ut conſueto Regina contenta jurejurando, ſupervacaneis adminiculis, quibus non æque omnes Britanni aſſentiebantur, proborum hominum ſollicitandis conſcientiis parceret.

Æque importuna erat cura ſacrorum jurium cauſſa urgens in Barri Ducatu, & Lotharingia. Leopoldus Joſeph utriuſque Regionis Dux leges quaſdam condiderat, quæ Nancei gallico ſermone publicis typis impreſſæ in univerſa Lotharingia ſunt promulgatæ, & ab authore Duce *Codicis Leopoldini* nomen adeptæ. Liber ad Pontificem tanquam noxius confeſtim delatus, ab eodem nonnullis Cardinalibus, delectiſque theologis, ac juriſconſultis excutiendus traditur. Nec magno negotio plura continere deprehenditur, quibus Eccleſiæ juriſdictio, atque libertas divinis humaniſque conſtituta legibus cum ipſamet ſuprema Romani Pontificis poteſtate non lædi tantum, ac violari manifeſte, verum etiam everti videbantur. Itaque Apoſtolicæ Sedis, ſacrarum perſonarum, locorumque Deo dicatorum juribus conſulturus Pontifex, eundem Apoſtolica authoritate damnavit, legique, retineri, atque ſervari vetuit. Vulgata etiam proſcripſit edicta, quibus profani Magiſtratus opera ejuſdem codicis exſequutio decernebatur. Eademque cenſura perſtrictam voluit alteram ab ipſomet Duce editam Conſtitutionem, quæ confirmabat potius damnati ſcita codicis, quam emendabat, quum id tamen una tenus ſpecie præferret nova ſanctio. Hæc omnia, luculentis additis litteris, ipſemet Pontifex univerſis Epiſcopis, qui in Lotharingia, Barrique Ducatu Diœceſano jure fungebantur, ſignificavit, vehementer illos adhortans, ut inflictis Eccleſiæ vulneribus quam celerrime admota medela, ſacrorum immunitates & jura ſtrenue tuerentur. Epiſcopalis officii partes, in ſua quiſque Diœceſi, expleverunt Antiſtites. Quumque non adeo feliciter principio res cederet, præ cæteris Henricus *de Thyard de Biſſy* Tullenſium Epiſcopus ſacerdotali pectore pro Eccleſiaſticis juribus adverſus codicem decertavit: dignus profecto, qui ad nobiliorem tum Eccleſiam, demum vero ad eminentiſſimam Cardinalatus dignitatem a Clemente proveheretur. Multi Religioſi viri auſi inflictis ab Eccleſia noxis illos abſolvere, qui damnata per Clementem Edicta, vel Conſtituta codicis ſacræ poteſtati ac juriſdictioni noxia exſequutioni mandaverant, temeritatis non ferendæ luere pœnas. Nec ita diu poſt Leopoldus quid in eo volumine peccatum eſſet agnoſcens, læſæ ſatisfacturus Eccleſiæ, certum ad Pontificem Legatum miſit, qui de componendo negotio Romæ ageret. Ipſum tamen excipere noluit Clemens, niſi prius in eo ſtatu res ponerentur, quem ante vulgatum codicem in Lotharingiæ, & Barri Regionibus obtinebant. Male factis ergo infectis per Ducem redditis, omnia juxta Pontificis mentem & voluntatem ſunt peracta, emendato ad ejus præſcriptum in nova editione codice. Cujus rei cauſſa Leopoldus præcipuas a Clemente laudes retulit. Ut id tamen obtineretur, ſeptem fere annos laboratum eſt ea ſedulitate, quam in omni fere re gravi idem Pontifex adhibuit, ac perpetuo veluti propriam uſurpavit.

Anno 1704. Carolus Svecorum Rex immoderato ad difficillima audenda abreptus animo, quum acerba in Auguſtum Sarmatarum Regem indignatione flagraret, pertinax de eodem regia dignitate exuendo propoſitum conceperat. Valido igitur inſtructus exercitu, magniſque in eo regno pollens clientelis & opibus, in Conventu a fœderatis Sarmatis Varſaviæ habito de Jacobo Sobiesko Joannis III. filio novo creando rege agere cœpit; cui præſtantiſſimis copiarum ſubſidiis ſe adſiturum pollicebatur. Multorum mentes animoſque turbavit iniquum conſilium. At tractatione minus turpis res facta: duri, vel obſiſtentes paullatim molliti animi. Vicere tandem omnia Michaelis Cardinalis Radzieouski regni Primatis authoritas, felicioris ſpes quietis, & a Svecorum Rege repentinus terror univerſis incuſſus.

Dum

Dum de loco & tempore perficiendæ rei agitur, non inſcio quidem, nec repugnante Sobieskio, Auguſtus Rex de ſingulis certior factus, Jacobum & Conſtantinum fratres prope Uratislaviam incautos intercipit, tutaque vallatos cuſtodia Lipſiam in arce ſervandos mittit. Acerbiora inter Sarmatas ſuborta diſſidia quum ægro ferret animo Clemens, ad ſingulos Regni Ordines celerem Tabellarium cum litteris mittit, monetque univerſos, ut memores, quibus erga Patriam, regiumque nomen vinculis tenerentur, novarum rerum cupidos celerrime comprimerent, civeſque diſſidentes ad concordiam, & pacem revocarent. Certum quoque Romanæ Eccleſiæ Cardinalem de latere Legatum ſe propediem miſſurum nuntiat, qui nullis partium addictus ſtudiis, ea ineat, provehatque conſilia, quæ Deo grata, Religioni, Patriæ, ac Regi honorifica, utilia denique univerſis, & ſalutaria videantur. Pontificiis tamen monitis fœderati nihilo mitiores facti, quum ad regiam capeſſendam dignitatem captivi Principes inepti haberentur, regnum offerunt germano fratri Alexandro. Is veritus, ne gravis illa re fieret fratribus, ſimulque extremam utrique perniciem, novo auſo tam alte oſtenſo, conciret, privatus vivere maluit. Novis proinde agitatis conſiliis, connivente Cardinali primate, ac Hieronymo Lubomirſckio ſupremo exercituum Regni Duce non obnitente, Comitia tumultuaria inſtituunt ante hoſtiles acies, & circumſtrepentes militum cuneos minis extorquentes quod libera Optimatum voluntate præſtari debuerat. Facti turpitudinem plures exoſi, validiſſimis rationibus deteſtabantur. Multi fugam maturantes in Conventum retracti: nectentes porro electioni moras & obices indigne habiti: nonnulli etiam probris affecti. Graviſſimorum virorum mens erat, in liberiorem locum, tempuſque opportunius rem differri, ut vitio careret electio. At celeritas inter tumultus quæſita & juſſa, mox etiam ſuſcepta eſt. Reclamantibus Podlachiæ Legatis, multis, qui ſuffragari debuerant, abſentibus & inconſultis, vis rurſus in præſentes adhibita. Mareſchallorum Regni nemo unus fuit, qui iniquum conſilium ſua præſentia, ac juſto ſuffragio comprobaverit. Svecorum militum Dux Hornius terrore rem agebat, urgenſque denuntiabat: quam citiſſime, & unum Stanislaum Poſnaniæ Palatinum Regem creandum. Id ſuffragatores ni facerent, extrema quæque Sarmatas ſubituros. Querebantur Optimates Reipublicæ libertatem opprimi, regni leges violari, contra fas vim inferri: obluctabatur & fœderis Mareſchallus. Irritis tamen bonorum omnium monitis, & utilibus publicæ tranquillitati cedentibus ſtudiis, quarto idus Julias, poſt ſolis occaſum, inter hoſtium arma, & inconditos conſternatæ multitudinis clamores, contra leges ac morem Regni ad Svecorum voluntatem Rex dicitur Stanislaus Leszczynskius Palatinus Poſnaniæ, vir ſane animo impiger, & prudentia præditus non vulgari. Ratus ſe ex Apoſtolicæ Sedis gratia magnam nutantibus rebus authoritatem, nec leve pondus acceſſurum, per celerem curſorem de electione ſua ad Clementem litteras dedit, officiis & veneratione cumulatas, tempeſtive Pontificium patrocinium implorans. At voto fruſtratus ſuo, ne reſponſum quidem retulit. Publicis proinde denunciationibus non ſemel conqueſtus, contra meritum, infauſtum res ſuas apud Pontificem nactas ſucceſſum. Publicata nova Regis creatione, non una Sarmatarum fuiſſe vota compertum. Epiſcopi (tribus fere, aut quatuor demptis) Pontificis incitati ſtudiis, improbo facinori audacter obnitebantur. Populi autem ſervandæ mordicus Auguſto fidei opportune ab ipſis commoniti fœderatis hæreticorum arte ac dolo impulſis quam oppido erant infenſi. In partes itaque regnum diſciſſum, triſtiſſimam omnium, quæ unquam in Sarmatia acciderant, civilium diſſenſionum faciem induit. Potentior habebatur multo, quæ ab Stanislao pars ſtabat: at fida parum & inconſtans. Auguſtus æquiſſima in æmulum jura fovens, ſanioribus & conſtantiſſimis nitebatur præſidiis. Ac is quidem primis ingraveſcentibus belli motibus lecto promptoque exercitu ſapienter occurrens, ſic hoſtiles protrivit vires, tubavitque perduellium conſilia, ut non dubiam feliciter provehendæ expeditionis ſpem ceperit. Quin abſoluto de hoſtibus triumpho nequaquam carere poterat ſapientum judicio, ubi amicorum Principum ſubſidiariæ opes acceſſiſſent. Eo in numero uti prior habebatur Clemens, ita ipſius potiſſimum authoritate, & cura ſtabilem demum in regno ſedem Auguſto fuiſſe relictam, conſtans vel adverſantium ſententia fuit. Nec aliter ſenſit Rex ipſe, qui Clementem in Epiſtolis *Regni ſui ſtatorem*, *& ſolii regalis conſervatorem* appellare conſuevit. Expugnata Varſavia, quam Hornæ Comes mille Svecorum militum præſidio propugnandam acceperat, multa ſubinde oppida in fidem & poteſtatem victoris ultro dedita. Inter receptæ urbis captivos inventus Nicolaus Suuecieskius Poſ-

naniæ Epiſcopus, factioſorum partibus ad eam diem fidus, magnis potius inimicitiis, quam dignis ſacro Antiſtite factis illuſtris. Hunc e veſtigio propriis ac Reipublicæ commodis immolandum, ut perduelles ex eo ſumerent exemplum, plura ſuadebant. At humanis rationibus generoſius poſthabitis, debita ſacris juribus & Eccleſiæ reverentia leniorem ſententiam indidit. Nec ita multo poſt, honorifica erga Pontificem declaratione præmiſſa Rex Apoſtolicæ Sedis Nuntio Nicolaum tradi juſſit, eas criminis pœnas laturum, quas comperta Summo Catholicæ Eccleſiæ præſidi nota popoſciſſet. Clemens, cui nihil moleſtius talibus nuntiis potuit accidere, ubi extremos in Auguſtum conatus peractos audivit, improbavit quam maxime; ac tum Michaelem Cardinalem Radzieouſckium, tum etiam Poſnanienſem Epiſcopum, qui facti authores præcipui ferebantur, intra tres menſes patrati ſceleris cauſſam dicturos, Romam accerſit. Vetuit, ne quis Epiſcopus, & e Clericorum Cœtu indictæ vel indicendæ coronando Stanislao celebritati, in quam fœderati magnopere ſtudebant, intereſſet, nec quidquam ageret, quod auſum comprobaret foveretque. Conjuncta præterea cum Regni Ordinibus adverſus perduelles validiori ope, & opportunis pro re nata communicatis conſiliis, eo rem provexit, ut cum hoſte potentiſſimo ſuperiori fere marte certaretur. Qui Auguſto mordicus adverſabatur Poſnanienſis Epiſcopus, ab Nuntii Apoſtolici cuſtodia Romam ductus, in arcem S. Angeli truditur. Radzieouſckius gliſcentem imbecilli corporis valetudinem, & affectam obtendens ætatem, quum Romanum detrectaſſet iter, a Clemente tanquam levibus ac longe accerſitis rejectis cauſſis, regimine Gneſnenſis Eccleſiæ & jure Primatus, quo late potiebatur in eo Regno, interdicitur. Mox Dantiſcum, animo a publicis negotiis revocato, ſe recipit. Ubi acriori Pontificis indignatione, ac rebus adverſis ſenſim intabeſcens, tertio idus Octobris anni 1705. conſumitur. Cui, veluti ſtudioſo patriæ libertatis vindici, rectoque animo cuncta molienti, nec amici Romæ defuerunt, neque in Sarmatia defenſores acerrimi.

Quindenniorum controverſia paullo ante ab Luſitanis Jeſuitis cum Sede Apoſtolica agitari cœpta, Sarmaticis ingraveſcentibus diſſidiis, ita efferbuit, ut validis ac pertinacibus aucta fomitibus, importunas æque ac diuturnas plurium annorum moleſtias Clementi intulerit. Sunt *Quindennia* penſiones quædam Apoſtolicæ Sedi debitæ ex Sacerdotiorum reditibus ejus generis ſubrogatæ decimis, quæ ad ſupremam tuendam dignitatem, cæteraque Catholicæ Eccleſiæ perferenda onera Romano Pontifici orthodoxæ Religionis capiti ex antiquiſſimo inſtituto perſolvi conſueverunt: ejuſque ſolutionis debito quæcumque Beneficia Eccleſiaſtici, Laici, ſeu etiam Regii Patronatus titulo vigentia, habentur obnoxia. Quindennia vero dicta, quod ex hujuſmodi *Sacerdotiis*, locis ſacris perpetuo addictis, nec unquam ſuo rectore vacaturis Pontificio Quæſtori decimo quinto quoque anno a cujuſque addictione peracta dinumerando exſolvuntur. Hæc pendendorum Quindenniorum ratio a Paulo II. P. M. peculiari Conſtitutione probata, cum in aliis Chriſtiani Orbis Regionibus, tum præcipue in Luſitaniæ Regno, ad annum præteriti ſæculi quintum, & octogeſimum conſtanter ſervata eſt. Nec unquam eo potiſſimum nomine ſeſe immunes putarunt Jeſuitæ, quod poſſeſſa ab ipſis Sacerdotia authores haberent Reges vel patronos. Quo tamen leviſſimo nixi momento tanta nuper contentione id oneris detrectarunt, ut nec antiqua conſuetudine, nec ullis rationibus flecterentur. Quin etiam Petro Regi in partes attracto, non modo noxia Apoſtolicæ Sedis juri inſtillabant animi ſenſa, ſed & mandatis Michaelis Angeli de Comitibus Archiepiſcopi Tarſenſis Apoſtolicæ Sedis Nuntii mordicus obſiſtentes, Pontificem coegere facultatem ipſis adimere alios Societati adſcribendi, quouſque memoratum Quindenniorum debitum docerent pependiſſe. At vero quum idem Nuntius Clementis imperium Societatis Præſidibus in Luſitania ſignificaſſet, Ulyſſipone atque e regio conſpectu eſt juſſus abeſſe. Duriora timebantur exempla, cum gravi Petrus tentatus morbo, facti pœnitens, Michaelem Angelum revocat, iis proſequutus venerationis officiis, quæ tantum Romani Pontificis decebant Miniſtrum. Pergebant porro Jeſuitæ in Luſitania Apoſtolicæ Sedis juribus & juſſis obniti, neque in Urbe deerant Cardinales, & viri graviſſimi, qui extrema ſuaderent, ut auſum merita pœna compreſſum exemplo eſſet, quo cæteri terrerentur. At Pontifex patientibus & moderatis conſiliis id tandem obtinuit, quod ſeveritate celerius fuiſſet adeptus.

Primas curas in Luſitanum negotium vix adhibuerat Pontifex, quando Æmiliam infeſtis Leopoldi Imperatoris, ac Ludovici Regis exercitibus vexari comperit. Primi in Ferrarienſem agrum Germani rurſum irrumpunt,

quos nulla mora interpoſita, ſi preces & hortationes irritæ cederent, vi ac minis expellere jubetur Fulvius Card. Aſtallius, qui tum Ferrariæ Sedis Apoſtolicæ Legatum agebat. Verum dum curſor citato equo cum Pontificiis mandatis in ipſam urbem contendit, Magnus Galliæ Prior e Ducibus Vindocinenſium acriter Germanos inſequens, Gallorum copias eodem impellit. Novi auſus nuntio vehementer exturbatus Clemens, utriuſque exercitus ducibus denuntiari jubet: niſi octo intra dies loco cederent, publice irrogandas ex religionis ritu execrationis pœnas, nedum hoſtilia quævis eos fore ſubituros. Plures ultro citroque detrectationis inductæ ſimul atque rejectæ cauſſæ. At paruere tandem Legato Auſtriaci. Parem tamen emiſſionem militum non prolatarunt modo Galli, verum etiam relicta ab Germanis loca temere occuparunt cum Figarolo & Meſula. Diviſo mox exercitu, parte altera ſtativa fixere; altera extremas amice cedentium hoſtili more aggreſſi cohortes, compoſitis ſarcinis exuerunt, & militari inſtrumento. Hinc prona ſemper ad obtrectandum ſanctioribus & integerrimis Principum actis malignitas gravioris in Pontificem invidiæ cauſſas apud Cæſarem comminiſci, atque diſſidii. Ab Æmilia tandem receſſere Galli duriora quam Germani ibidem auſi. De Gallorum interea temeritate Rex Ludovicus admonitus, rem tulit permoleſte, nec authores criminum animadverſione carere voluit. Graves & ad Vindocinenſem dedit litteras, quibus nihil Pontificiis Provinciis noxium agi imperatum. Reſtitutæ mox Auſtriacis ſarcinæ cum militari inſtrumento ſunt; atque inlata ſarta diſpendia. Hoc anno 1704. Menſe Martio multos Turcas, & Hebræos homines, divino illuſtratos lumine, ipſe ſacro baptiſmate expiavit celeberrima pompa. Evangelii præcones complures in Ægyptum miſit, ut gentes plurimas Dioſcori erroribus irretitas ad fidem orthodoxam adducerent. Selectos quoque Romanæ fidei doctores pietate, eruditione, & dilatandæ catholicæ Religionis ſtudio ſpectandos in Æthiopiam allegavit. Uberrimos vero impenſæ Paſtoralis ſollicitudinis fructus eſt ſibi pollicitus ex novis in vaſtiſſimo Sinarum Oceano detectis inſulis, quas *Palaoſias* appellant. Ratus enim non admodum magno locorum intervallo ab regionibus, quibus Philippus Hiſpanorum Rex potiebatur, ipſas eſſe diſſitas, peculiares ad eum ſcripſit litteras, impetravitque ut viris ſacris ad invehendam in illas Inſulas catholicam Fidem accinctis navigia, commeatum, quidquid denique tantæ maturandæ expeditioni prodeſſet, impertiretur. Opus ipſum expetitis etiam Ludovici Gallorum Regis officiis promoveri curavit: hortatuſque vehementer eſt Manilæ Archiepiſcopum, ut divinæ gloriæ incremento, & ſalutari populorum bono ceſſuram Provinciam quibuſcumque opibus atque ſubſidiis adjuvaret. Nec fructu vigilantia Pontificis caruit, qui nihil prætermiſit quod ad celerem & exactam procurandam hominum illorum ſalutem poſſet conducere. Clericorum Collegium, quod Didacus Manilæ Archiepiſcopus, ac Tournonius Antiochenus Patriarcha, dum Sinas peteret, in Inſulis Philippinis ſtabilire ſtuduerant, ſtrenue provexit. Ab Rege Hoſaino (quem *Schiach* & *Sultan* appellant) impetravit, ut liberrima Perſis Catholicis Religionis profeſſio eſſet. Braſilienſium, aliorumque populorum Americæ nunquam immemor, per certa annorum intervalla lectos ex Hiſpaniis, & Luſitania viros allegare ſolitus fuit, ut res chriſtianæ meliori ſemper loco ſtarent. Quæ Joannes Villelmus Neoburgi Dux, Comes Palatinus Rheni, ann. 1705. peculiari ſanctione vulgaverat Catholicæ Religioni adverſa, damnavit Clemens Apoſtolica poteſtate, & nulla ac irrita pronuntiavit; nec ante conquievit, quam univerſa ab Duce ſint impleta, quæ ipſe opportune maturanda præſcripſerat.

Celebritati Viennæ habitæ, quum Carolus Archidux Auſtriæ Rex Hiſpanorum ſalutatus eſt, adeſſe noluit Joannes Antonius Davia Nuncius ad Cæſarem Apoſtolicus, Pontificiis obſequens mandatis; more itaque pene hoſtili Vienna pulſus fuit, nulliſque litteris aut officiis exorta tam importune diſcordia a Clemente componi potuit. Interea die 5. Maji obierat Leopoldus Imperator ſtudio fidei chriſtianæ & rebus præclare geſtis in ævum memorabilis Princeps. Joſeph Romanorum Imperator Patri ſucceſſerat, qui iiſdem inſiſtens ſuſpicionibus, eaſdem diſſidii cauſſas cum Pontifice alebat. Nec nova defuit occaſio, qua utrinque ſubortæ ſimultates potius augerentur; imperatorio ſiquidem Diplomate Cæſar denuntiaverat omnibus iis, qui in Germania jure conferendi cujuſvis generis Sacerdotia potirentur, ut commendatis a ſe Clericis beneficium cujuſcumque illud eſſet naturæ tribuerent. Certi etiam deſignati Epiſcopi, qui renuentes intra ſtatutum tempus ad id compellerent. In quos ipſe Imperator interea non pœnam duntaxat *gravis indignationis* decrevit; *verum etiam omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, & donationibus a Romanorum Imperatoribus & Regibus eo ipſo privatos, & Imperiali patrocinio exutos pronuntiavit*. Vulgato per Germaniam Imperatoris diplomate, nihil Clemens antiquius habuit, quam, aſſertis Eccleſiæ juribus, quibus limitibus Cæſaris poteſtas contineretur, exponere. Datis præterea ad Epiſcopos, & *Capitula* Germanicarum Eccleſiarum litteris oſtendit, nullum Cæſari jus eſſe hujuſmodi *preces* vulgandi *primarias*. Abſurdiſſimum autem haberi iiſdem etiam minas adjungere: quum nihil tam rationi diſſonum ſit, vel a jure & Eccleſiæ legibus abhorreat, quam ut profana Principum poteſtas Epiſcopos, alioſque viros ſacros incuſſo pœnarum timore ad conferendum quibuslibet Sacerdotia, annuoſque Eccleſiarum reditus adigat. Id poſtulationis genus, niſi Apoſtolica auctoritate fulciatur, nuſquam ſane vim habere: at in Germania nequidem poſſe, ob celeberrima *Concordata* jam pridem inter Nicolaum V. P. M., Fridericum III. Imperatorem, atque Germanos præſcripta. In quibus accurate ſancitum, ne *libertas collationum*, quas fieri accideret, per Summum Pontificem, Epiſcopos, vel conſtituta in Eccleſiis ſacrorum virorum Collegia certis, diſtinctiſque menſibus aliquando, vel quoque modo lædatur. Si qui Romanorum Imperatores poſt ſtabilitam cum Apoſtolica Sede, Germaniſque Antiſtitibus, & Eccleſiis concordiam per Germaniam miſere preces, eas certe fuiſſe inermes, longe alia conceptas formula, nec ſine præcipua Romanorum Pontificum auctoritate vim adeptas. Inanes contra decidiſſe, quæ ſola nixæ Cæſaris poteſtate prodierunt. Hæc Imperatori, Epiſcopis, ſacriſque Epiſcopalium Eccleſiarum Cœtibus validis a Clemente denuntiata litteris, ac fidenter objecta, Apoſtolicæ Sedis Nuntius locupletiſſimis teſtimoniis & accerſitis a vetuſtate exemplis opportune aperuit. Certis etiam admonitus nuntiis de inſigni dignitate Electoris Imperii favore Hannoveriani Ducis heterodoxi tribuenda juxta Ratisbonenſis Cœtus decreta, moleſtum id ſibi accidiſſe multiplici documento patefecit, & cum Joſepho Auguſto Cæſare, & cum Moguntino Archiepiſcopo graviter conqueſtus eſt, quod conatui Eccleſiæ pernicioſo graviter non obſtitiſſent. Eandem Ratisbonenſem ſententiam irritam & inanem dixit, ut, quantum in ſe erat, indemnitati Eccleſiæ & S. Romanæ Sedis conſuleret.

Eodem anno 1706., quo acerbiore dolore ex crurium humore noxio vexabatur, Franciſcum Ticinenſem ex Ord. FF. Minorum Cappucinorum virum egregium Mariæ Congi Reginæ ex Africa ſibi deferentem officia excepit. Catholicæ Religionis ſtatum & incrementa in eo Regno, aliiſque finitimis Provinciis, ubi diuturnam Franciſcus operam Apoſtolicis miniſteriis impenderat, Pontifex diligentiſſime perconctatus; Petro autem ſupremo Congi Domino, potioribus de Chriſtiana Eccleſia beneficiis optime merito, regium diadema pretioſis ornatum gemmis, & globulorum ad ſignandas preces decades ſacris ditatas veniis impertiit. Excepit comiter & nobiles Æthiopes in Urbem religionis cauſſa profectos: quos variis muneribus auctos dimiſit. Jacobum Petrum poſt Gabrielis obitum recens electum Antiochenum Maronitarum Patriarcham confirmavit, ornavitque pallio, utrumque flagitante Ferdinando a S. Liduina ſeverioris inſtituti Carmelita, qui ea de cauſſa e Syria a novo Præſule fuerat Romam miſſus. Paratam ſuo conſilio a Tournonio, Manilæque Archiepiſcopo in Philippinis Inſulis frequentem Apoſtolicorum miniſtrorum manum, Imperium magni Mogolis petere juſſit: alioſque allegavit in Tartariam Sinenſem.

Quo gravioribus bellorum fluctibus, Rege Svecorum Carolo impellente, Sarmatia jactabatur, eo potiore cura indigebat Pontificis. Exacturus ſiquidem Regno Auguſtum Carolus tanta in res ſacras licentia bellum inſtauravit, ut ejuſmodi Stanislaum niti præſidiis Epiſcopi, & pii Sarmatæ indigniſſime ferrent. Bipartito exercitu ſæpe ſecundo prælio a Svecis pugnatum eſt. In Saxones demum Carolo arma vertente, Auguſtus in Sarmatia non ſemel Svecos attrivit cladibus. Late fuſam ad Caliſium quarto Calendas Novembris intulit: qua occupata, Poſnania Clementi nuntiat: ſe omnibus partibus noviſſima pugna hoſtes ſuperaſſe: ipſam proinde multis adverſis certaminibus jure opponi potuiſſe. Gaudium tamen, quo læto perfuſus eſt nuntio Pontifex, breve Regis inconſtantia fecit. Etenim qui æquo tandem marte dimicans, propoſitum majoribus in dies incrementis urgere valuiſſet, optatæ tranquillitatis allectus ſpecie, Saxoniam vindicaturus ab hoſte, e regno diſcedit, & in ſpem pacis inanis ultro flectitur. Hæc cum Carolo & Stanislao in Pago Altranſtadenſi ſancita: certis adjectis conditionibus orthodoxæ Religioni, atque animarum ſaluti, tum etiam libertati Eccleſiæ & juribus Sedis Apoſtolicæ quam infeſtis. Anceps aliquandiu hæſit Pontifex, an crederet vere illa ex animo, ac mandato Regis Auguſti proceſſiſſe; ſatis ſuper-

que

que exploratum habens, hujuſcemodi probroſi conventi pacta a Miniſtris, non Rege ipſo conſtabilita atque ſubſcripta fuiſſe. Studuit nihilominus violata Religionis jura integra præſtare.

Anno 1707. Imperatori & Eugenio copiarum duci aperuit, quam gravis ea eſſet injuria, quæ iterum amico & benefico Principi, Summo Pontifici moleſtiſſime inferebatur; nam Germani milites frequentiori & inopinata impreſſione in agros Bononienſes & Ferrarienſes irruperant; ubi hibernis ſtationibus fixis, duces menſtrua pro illis alendis tributa populis imperaverant. Militiæ Principes rationem inituros pollicitus eſt Imperator, qua ſubjectis Romanæ Eccleſiæ populis minuerentur incommoda. Nihil cunctatus Pontifex Abbatem Dominicum Riviera prudentia & ingenii acrimonia clarum in Inſubres allegat. Ab eo cum exercitus ducibus certæ pactæ conditiones, quarum vi in agro Bononienſi & Ferrarienſi hibernantes copiæ, tum aliæ adventantes cohortes receſſerunt. Id etiam pactione cautum, ut milites, qui in Mutinenſis Ducis Meſolano jam pridem muniti conſederant, ex Æmilia diſcederent. Quod tamen obſiſtente, ut ferebant, Duce ipſo, qui jam tum alta moliebatur, ſervatum non eſt. Paratam ſubinde in Neapolis regnum expeditionem Cæſar obtendens, quum non lateret quantum ſibi opis atque præſidii Clementis gratia ſibi eſſet allatura, ab eo in pacatioris temporis, ac feliciſſimarum rerum ſpem erecto, ineunte vere amicum exercitus tranſitum per reliquas Apoſtolicæ Sedis Provincias obtinuit. Inde tamen aucta, non imminuta Pontifici & Eccleſiæ Romanæ damna, privatis ac publicis cumulata diſpendiis.

Eodem anno Dux Boriſius Kurakinus a Petro Magno Moſchoviæ Czare ad Clementem legatus, permoleſtum expertus iter, ſumma hieme Romam ingreditur. Inſolens importuno tempore potentiſſimi Principis legatio velut arcanarum rerum ferax ſermone vario jactata, & evulgata per Italiam atque Europam eſt. Pontificem, cui veræ itineris cauſſæ perſpectæ erant, & exploratæ, magno perfudit gaudio: valido etiam inter tot pertinaces, & undique congeſtas malorum ærumnas extulit levamento. Miſſus enim ad Clementem Dux fuerat, ut eum Czaris verbis ſalutaret, certioremque faceret: conſtitutum ſibi eſſe, liberum & publicum Catholicæ Religionis cultum, in univerſis ampliſſimæ ſuæ ditionis Provinciis, oppidiſque permittere. Indulſiſſe præterea, ut in urbe Moſchua Cœnobium Ordinis FF. Minorum, quos Cappucinos nuncupant, fundaretur: templumque ac domus Sacerdotum S. J. cum Gymnaſiis ad erudiendam litteris & chriſtianis moribus juventutem conſtruerentur. Futurum denique ſignificavit apertum tutumque per regiones ſuas tranſitum Apoſtolicis Romanæ Eccleſiæ miniſtris in Sinarum Imperium, ac cætera Orientalium Indiarum Regna, ut Chriſti fidem nuntiarent. Longe vero præcipua erga Pontificem voluntatis & gratiæ teſtimonia explicuit ob prudentiſſimam rationem, atque propoſitum, quo ille hactenus Sarmatarum res publicas permoleſtis acciſas bellis juverat, & pro viribus ſublevabat, nihil de priore in Auguſtum Regem amore remittens, nec patrocinio. Multa præterea utrimque in rem ipſam arcano ſunt tranſacta negotio, quæ rerum potiſſima gravitas, atque conditio poſteritati occuluit.

Paullo poſt in Urbem pervenit Bernardus Theodorus Baro de Schenk ab Auguſto Rege miſſus, ut conſtantem ejus in Apoſtolicam Sedem venerationem teſtaretur, actorumque in pago Altranſtadenſi modum & rationem Clementi exponeret. Præſenſerat enim Rex, ejuſmodi iniquæ pactionis cauſſa maxime fuiſſe commotum Paſtorem vigilem, paſſuſque non eſt diutius ea cura torqueri. Aperuit itaque Pontifici Schenkius: ubi primum Altranſtadenſis pacificatio Auguſto innotuit, ſatis ſuperque ſapientem Principem intellexiſſe, quam duræ ac improbæ eſſent pleræque conditiones, a quibus propterea ipſe magnopere abhorruerat, & abhorrebat. Univerſa tranſacta eſſe prava opera atque perfidia regiorum Miniſtrorum, ipſomet Auguſto inſcio, decepto, vel contra fas piumque coacto. Quamobrem eodem tempore, quo Sveci in Saxonia prævalido copiarum robore inſidebant, illos in carcerem conjectos, ſimulque dignitatibus & muneribus exutos, ad geſtorum rationem reddendam fuiſſe compulſos. Graviſſimum aſſertis pondus addidit Auguſtus publica typis excuſa expoſtulatione per Europam ſparſa, ac nullo mox non argumenti genere fraudulentæ pactionis actis contra Deum, orthodoxam fidem, regium honorem, æquitatem, rectoſque mores initæ vehementer adverſans. Tot ſolidis fulta momentis ſignificatio conceptum jam pridem mœrorem non parum abſterſit. Ne quid tamen Clemens Pontificia vigilantia prætermiſiſſe videretur, quo Religionis cauſſa fieret tutior, improbata iniquæ pacificationis capita, veluti catholicæ fidei, divino cultui, animarum bono, & Apoſtolicæ Sedis juribus noxia, perampla concepta formula damnavit, prorſuſque inania pronuntiavit & caſſa. Svecorum nihilominus provectæ armis conditiones pacis deteriores habebantur bello. Improba offenſus audacia Pontifex, de reparandis Auguſti viribus, regnoque illi vindicando conſtituit. Tanti negotii primæ curæ communicatæ fuerunt cum Chriſtiano Auguſto Cardinali e Ducibus Saxoniæ, Regni Ordinibus, & Apoſtolico in Sarmatia Nuntio. Per quos rurſum ad regnum capeſſendum incitatus Auguſtus: ipſe nulla mora interpoſita, Baroni Schenkio Romæ degenti imperat, ut opportunam perficiendi negotii rationem ineat, conjunctis cum Czare viribus, & opibus promoturus ipſe propius in Saxonia. In tanta rerum magnitudine ac perturbatione, quamvis tot aliis longe graviſſimis Provinciarum ſuæ ditionis, atque Catholici Orbis permoleſtis negotiis animum intenderet Pontifex, rem tamen Sarmatiæ velut unicam atque præcipuam pertractavit: atque ita Regni commoda publicamque tranquillitatem provexit, ut non modo primas ſemper Religio ſibi ſumſerit, verum etiam debita Apoſtolicæ Sedi reverentia & accurata jurium ſacrorum vindicatio. Quum in Parmenſem & Placentinum agros ad ſupremum Romani Pontificis jus ſpectantes Germani milites hibernas fixuri ſtationes, irrupiſſent, multa incolis damna intulere. Tum inita cum Ducis miniſtro certa concordia ad militarem comparandam annonam, ſacros etiam Deo homines adigebant. Quum autem irritæ ceſſiſſent interpoſitæ admonitiones, & digna amantiſſimo parente ſtudia; Calendis tandem Sextilibus poſt aperta in Conſiſtorio, ac ſimul defleta gravi oratione prave facta, eas ad juris præſcriptum publicis conceptas litteris cautelas adhibuit, quibus adverſi conatus cederent irriti, ac violatas Romanæ Eccleſiæ, ſacrarum rerum, ac perſonarum rationes in integrum reſtitueret: confirmatis etiam eodem tempore pœnis & maledictis, quibus in extremam animarum perniciem malorum authores ex ſacrorum diſciplina & Eccleſiæ legibus gravabantur. In Hiſpaniis quoque ſacrarum perſonarum ac ſuprema Pontificiæ poteſtatis jura Clemens propugnavit. In Gallia Carolum Archiepiſcopum Ebredunenſem juriſdictionis ſuæ limites prætergreſſum ad ſaniora conſilia revocavit. Ne in Pannonia Auſtriacorum rationes in ultimum adducerentur diſcrimen, tempeſtive Imperatori depoſcenti opem tulit, Pontificiaque interpoſita authoritate, extremis malis aditum obſtruxit.

Anno 1708. Svecorum ac fœderatorum illa erat in Sarmatia licentia, a qua ſapientes extremam Reipublicæ perniciem, & majora in dies inferenda orthodoxæ Religioni & ſacræ diſciplinæ diſpendia formidabant. Caroli Regis potentia, & felix qua ad id tempus uſus ille eſt fortuna belli, audentiorem reddiderant Principem, ac Sarmatiæ juxta atque Germaniæ formidoloſum & noxium. Late bacchantem frænaturus hoſtem opportuna Clemens jam pridem cœperat cum Sarmatis Optimatibus, Auguſto Rege, ac Magno Moſchoviæ Czare agitare conſilia. Meditata mature tranſacta omnia. Bellum ſubinde validiore conatu inſtaurantibus Auguſto, & Czare, Svecus, cujus unice præſidiis Stanislaus nitebatur cum fœderatis, paucos intra menſes deletus a Moſchis omnino eſt. Cruentiſſima ſuorum clade fuſus Carolus, & caſtris exutus, victori longe lateque triumphalia circumferenti arma ſuccubuit. Mox pejora in ſe veritus, in oppidum Benderium Turcicæ ditioni ſubditum, ignotis itineribus maturata fuga, ſeſe recepit. Divini Numinis in tanto rerum diſcrimine præſentiſſimam opem non unis editis in orthodoxam Religionem eximiæ beneficentiæ argumentis hoc ipſo difficillimo tempore Auguſtus Rex promeruiſſe viſus. Etenim dum ferocientis hoſtis præteritis elata victoriis obſtreperent agmina, procul a Sarmatiæ Regno, de quo deceſſerat, agens, in urbe Dreſda juxta Electorale Palatium, publicum, ac præſtanti mole theatrum, quod omnium maximum in Europa habebatur, in inſigne Catholicorum templum Deo Uni Trinoque dicatum, ac multis ornatum altaribus convertit, proventuſque annuos eidem attribuit, ut frequentior ac ſplendidior eſſet Religionis cultus. Ubi Clemens inter tot imminentes Catholicæ Religionis calamitates, lætiſſimarum harumce rerum nuntium accepit, maximo exſiluit gaudio.

Ineunte vere Virricus Comes de Daun Neapolitanorum Prorex, Caroli nomine poteſtatem ductandi Germanicum equitatum e regno ad Inſubres per Picenos & Æmiliam a Clemente popoſcit, atque certis quibuſdam conditionibus poſitis obtinuit. Liberali beneficio gratiam a Cæſare, & Carolo fratre Clemens iniviſſe putabat, quum Neapoli, ac Mediolani publicum vulgatum Edictum accepit, quo gravibus pœnis Caroli nomine cautum fuit inter alia, ne qua pecuniarum ſumma

ma ullis ex cauſſis a quibuſcumque perſonis, præſertim vero Mercatoribus, atque Menſariis in Urbem Romam, *aliumve* Ditionis Romanæ Eccleſiæ locum tranſmitteretur. Paullo poſt utrobique eadem poteſtate, ac pœnarum objectu alterum mandatum edicitur, quo annui Sacerdotiorum reditus intercepti, ſepoſitique, ne Clericis extra Inſubriam, ac Neapolitani regni fines morantibus, penderentur. Pontificiis adminiſtris cauſſam ſciſcitantibus Vincentius Cardinalis Grimanus, velut arcanum referans, ſignificavit: Joſephum, & Carolum vicem Clementi rependiſſe, quod ad Elizabeth Chriſtinam Principem Luneburgenſem eidem Carolo Archiduci nuptam, per Italiam Barcinonem petentem, Hiſpanorumque Reginam habitam, nullum Apoſtolicum de Latere Legatum miſerit, qui eam Pontificio nomine ſalutaret. Quum tamen Pontificem, quoad ratio & dignitas ſineret, honorificentiſſima Principi ſponſæ deſtinantem officia memoratus Grimanus, plus æquo depoſcens, omnino removerit a propoſito: ne damnoſa Clementi & Apoſtolicæ Sedi fallacia quemquam deluderet, adornatum per eos dies ſcriptum luculentum & grave Barcinonem, atque Viennam eſt miſſum: æquam ac prudentem in ea re ſervatam a Pontifice agendi rationem perſpicuis argumentis aperiens.

Delecti interea ad iter milites, Duce Alexandro Comite Bonævallio, Neapolim Inſubres perituri diſcedunt, præſcriptaſque tenentes vias Apoſtolicæ Sedis provincias egrediuntur. Confeſtim tamen in Æmiliam reverſi, nullo Pontifici indicto bello, Comaclum urbem, alioſque nonnullos circumpoſitos Ferrarienſis Agri vicos intercipiunt. Ubi conſtituto præſidio, Cæſareiſque explicatis ſignis, tanquam in terris juſto bello acquiſitis inſident. De inopinata re Pontifex monitus confeſtim datis ad Imperatorem litteris ſignificavit, Pontificii muneris partes ſe impleturum, niſi æquis ille poſtulatis annueret. Joſephus tamen conſtans in incœpto, æquis Clementis poſtulatis minime indulſit, quique Imperatoris partes agebant, hæc fere urgebant: *Comaclum ejuſque ditionem ad Imperii jus ſpectare: non ſine injuria a Clemente VIII. P. M. Ateſtinis ademtam, quibus olim fiduciario nomine Imperatores tradiderant. Majores liberali in Apoſtolicam Sedem uſos beneficentia neutiquam ægre tuliſſe, ut pingui annuis reditibus urbe & florentiſſima regione potiretur, quum ea tunc non indigerent, nec locum mora rentur. Ipſam tamen modo, quod ad Imperii in Italia ſervandas rationes maxime conduceret, ſe jure veteri repetiiſſe: receptam vero fidenter habiturum.* Nec mora, ad fidei ſacramentum Imperatori ſervandæ Comaclenſes compelli jubet. Spe ſua deluſus Pontifex, prætereaque noſcens validis operibus & propugnaculis muniri Comaclum, novaſque copias ad Ferrarienſem infeſtandam Provinciam urbemque circumſidendam accingi, in eam conjectus neceſſitatem eſt, ut conſilia ſcribendi milites tandem aliquando comprobarit. Scripta itaque in ſubjectis regionibus militum peditum equitumque viginti millia. Bellica inſtrumenta, commeatus, & arma parata. E ditione præterea Avenionenſi tria millia lecta. Ex Helvetiis quindecim fere millia evocata. Clientes, Dynaſtæ pro Feudorum numero & dignitate ad certos armandos tribuendoſque milites compulſi: quorum multi ſupra debitum integras etiam centurias, veſtibus & armis inſtructas, obtulerunt. Nec vani fuere metus; dum enim hæc aguntur, Germani Ferrariam & Urbani Arcem vexant. Alia præterea alibi tentant, quæ objecta præſidia irrita reddiderunt. Levibus in Æmilia congreſſionibus, fortuna varia juſtæ pugnæ proluſum potius, quam factum initium. Utrimque multi ex gregario milite, pauci nobiles, ac duo minoris ordinis duces interemti. Qui uni locorum tutelæ Pontificii inſiſtebant milites, ſatius habuerunt, ubi res exegit, vim amoliri, quam inferre. At Cæſar amaris actam ſtimulis voluntatem quum magis magiſque in dies proderet, ſimul diploma paucorum impulſu atque commoto conceptum animo Viennæ vulgavit, quo Parmam, Placentiamque urbes Imperii fundos dixit. Dum aucta in Germania, & Italia mala permoleſtum Provinciis Apoſtolicæ Sedis bellum inferrent, Comiti Daun Neapoli in Æmiliam ad militum imperium contra Pontificem evocato, Vincentius Card. Grimanus pro-Rex ſufficitur. Qui immemor erga Apoſtolicam Sedem debiti & dignitatis, quidquid adverſus ſacrorum immunitates, & Romanæ Eccleſiæ jura a Germanis imperatum fuerat, per publica Edicta urgebat augebatque. Pontifex Cardinalem increpuit, audentemque frænaturus ſupremæ poteſtatis uſus imperio, ac terrore Religionis injecto, mandavit ne talia audere pergeret. Gliſcentibus tot malis, eo tandem Pontificis & Romanæ Eccleſiæ videbantur res tractæ, ut ſine præcipuo Dei auxilio componi non poſſent. Itaque publicæ ſupplicationes in Urbe, & alibi per Clementem indictæ. Plures ſequeſtres inde reparandæ concordiæ ſua ſponte interpoſiti mitiora Cæſari ingeſſere conſilia, quæ capeſſeret. Ipſamet Anna Anglorum potita regno, ac fœderatarum provinciarum Ordines veriti, ne ob Pontificiam & ingratam Orthodoxis diſſenſionem Itali Principes fœdus icerent, unde ingens Auſtriacis diſpendium oboriretur cum emolumento Regum Ludovici, atque Philippi, ſoliciti navarunt operam, ut res quam citiſſime componeretur. Itaque dum Joſephum in id ſtimulant, alios ſimul Principes, præſertim Palatinum Comitem, ac Magnum Etruriæ Ducem, qui cum Pontifice agant, interventores deligunt, precibuſque & argumentis impellunt. Conjunctis piorum precibus id Clemens a Deo exoraturus quarto nonas Januarias An. 1709. religioſiſſimam ſupplicationem inſtituit. Non multos poſt menſes certis ſtabilitis conditionibus inter Pontificem & Auſtriacos ſancita eſt pacificatio. Quarum præcipuæ: ut Joſeph Imperator, & Carolus vulgata Mediolani atque Neapoli Edicta adverſus Romani Pontificis authoritatem, immunitates, & jura refigerent. Univerſi Cæſarei milites quam citiſſime ex Romanæ Eccleſiæ Provinciis decederent. Suos nuper ſcriptos & Pontifex cum exteris ducibus remitteret. Propugnacula contra adverſæ ditionis fines utrimque exſtructa ſubruerentur, amotis præſidiis. Utriuſque partis captivi & bellica tormenta viciſſim reſtituerentur. In maritimis Pontificii imperii portubus Auſtriacorum naves tanquam amicorum Principum exciperentur. Comacli res, obnitente interim Duce Mutinæ, qui peculiares Romam Miniſtros miſerat, ut rationes ſuas promoverent, diſſidentium momentis a delectis per ſummum Pontificem Cardinalibus expenſis, celeriter & amice componerentur. Legerentur & a Clemente Cardinales, coram quibus & Marchione Turrinetto de Priè Cæſaris Legato ſubortæ de Placentia & Parma urbibus diſſenſiones pro rationum pondere, & monumentorum, quæ conferenda erant, gravitate atque præſtantia, tollerentur. Viennam Nuntius Apoſtolicus revocaretur. Pontifex Carolum Hiſpanorum Regem agnoſceret, ſuumque Romæ oratorem haberet. Factum id a Pontifice eſt Octobri menſe ad normam tamen Conſtitutionis Clementis Papæ V. caventis: *Si quem ſummus Pontifex ſub titulo cujuslibet dignitatis ex certa ſcientia, verbo, conſtitutione, vel litteris nominet, honoret, ſeu quovis alio modo tractet: per hoc in dignitate illa ipſum approbare non intelligatur, aut quidquam ei tribuere novi juris.* Quo prudentiſſimo actionis momento non minus Apoſtolicæ Sedis in utrumque Siciliæ Regnum, quam aliena, præſertim vero de Hiſpana ſucceſſione contendentium, jura æqualiter ſalva, & illæſa manſerunt.

Carolo Archiduci Auſtriæ regium nuper attributum nomen, honoreſque Regi Hiſpaniarum congruentes porro decreti, tametſi adeo prudenti, ac temperata Pontificiæ mentis declaratione coerciti, ita Philippum offenderunt, atque egere tranſverſum, ut idem plane modum exceſſerit. Ad quæ commotus quidem, ſed nihil cunctatus Pontifex, lenem ſuo more crudis vulneribus medelam admovendam cenſuit. Hiſpanorum idcirco Antiſtitum matura opera cum primis uſus, rei ſuæ plus æquo ſtudentem Principem ad ſaniora conſilia flectere ſtuduit, depulſis, quibus idem offundebatur, tetris nubeculis. Hoc eodem Anno 1709. Clemens ad Fridericum IV. Danorum Regem Bononiam inviſentem Equites Carolum & Alexandrum germani fratris filios miſit, qui ſuo illi nomine honores impertirent & officia. Hannibalem Albanum Apoſtolicæ Cameræ Præſidem ad Imperatorem, alioſque Europæ Principes legare conſtituit, ut in Pacis tractationibus propediem ineundis, orthodoxæ fidei emolumenta, & Apoſtolicæ Sedis jura pro viribus tueretur. Feſtinum in Sarmatiam reditum ab Auguſto maturandum curavit. Apoſtolicas expeditiones ſuamet opera & Auguſti patrocinio fauſtiſſime in Saxoniam invectas miniſtrorum numero auxit. In Septemtrionalibus regionibus alia ad id genus utiliſſima religioni, ac ſalutaria populis miniſteria pari vigilantia ampliora reddidit, provexitque. Monitus in Chaldæorum tractu, qui non exiguam Majoris Aſiæ partem occupat, latiſſimum feliciter propagandæ orthodoxæ fidei patere campum, multos præſertim e Prædicatorum Ordine, qui optata perficerent, doctrina atque divinæ gloriæ ſtudio præſtantes viros eodem allegavit.

Anno 1710. decubuit dolore tibiæ Clemens. Quo vix relevatum adeo acerba afflixit gravedo conjuncta febri, ſpirituſque difficultati, ut negotiis in dies multos abſtinuerit. Ad reparandas vires in oppidum Gandulphum ſummo vere divertit. Confirmatis viribus in Urbem reverſus, non minore quam pridem diligentia, negotiis gravibus, & orthodoxæ religionis bono ſtuduit. Calvinianæ hæreſeos ſectatores, publicas, ubi nunquam habuerant, litterarias ſcholas aperire, aliaque multa catho-

catholicæ fidei noxia in Germania, & apud Batavos molientes, ſummorum Principum authoritate intercecedente, coercuit. In Cardinalem Bullionium mitiorem ſe Ludovicus Galliarum Rex præſtitit, Clementis litteris excitatus; illumque apud Belgas honorifice agentem, & opulentis Sacerdotiis auctum nequaquam vexavit in poſterum. Joſephum Imperatorem Pannoniæ Regem ab inſtituendo judicio adverſus Agrienſem Epiſcopum arcuit.

Anno 1711. Hannibalis ſtudio in Germania eo jam Comacli negotium erat adductum, ut quum ſemel & iterum Viennæ apud Cæſarem in conſultationem vocatum eſſet, delecti ab ipſo Conſultores conſtanti judicio ſemel, atque iterum Romanæ Eccleſiæ urbem reddendam pronuntiaverint. Una excogitabatur ratio, qua id ſapienter exequutioni mandaretur, ſervata dignitate utriuſque partis. De hac dum ultro utroque diſcurritur, Imperator ipſo die, quo Comacli reſtitutionem ea de cauſſa prolatandam conſtituit, importuno puſtularum morbo corripitur: pauciſque diebus vix elapſis, pernicioſa ejuſdem contagione quinto decimo Kalendas Majas extremum diem obiit, non uno edito chriſtianæ pietatis, & integerrimæ Religionis ſpecimine. Intempeſtivam ejus mortem die ſequenti Pontifici nuntiavit Eleonora Magdalena Thereſia Auguſta genitrix Caroli Hiſpaniarum, Pannoniæ, Bohemiæque Regis, aliarumque avitarum Provinciarum hæredis vices gerens, enixe a Clemente poſcens, ut idem Princeps conjunctis Electorum ſuffragiis ad Imperium eveheretur. Tam libenter Pontifex Eleonoræ morem geſſit, quam prona in Carolum voluntate ferebatur: notæque rei teſtes luculentas reſcripſit litteras. In ſpem felicis Imperii, & amplioris Orthodoxæ Religionis boni quarto idus Octobris Carolus Auſtriacus, pro Pontificis voto, & collatis opibus, Romanorum Rex atque futurus Imperator dicitur. Ubi primum de creatione ſua Electorum Principum litteris Mediolani factus eſt certior, præſtantem genere ac munere virum ad Clementem allegat, eundem cum ipſo nuntium, fauſtumque Comitiorum exitum communicaturus. Quas autem tunc litteras Princeps adjecit, tanta in Pontificem Maximum & Apoſtolicam Sedem honoris ac præcipuæ venerationis ſignificatione referſit, ut avitæ pietatis ac Religionis exempla non imitari tantum, ſed & æmulari voluiſſe videretur. Eidem contra Mediolano Francofurtum proficiſcenti Hannibal Albanus menſe Novembri ad Œnipontem jubetur occurrere, ac Pontificio nomine impoſitam ſibi nuper graviſſimam perſonam & dignitatem gratulari. Albanum honorifice Rex complexus, nullis non reverentiæ ac obſervantiæ argumentis debitas Clementi gratias rependit. Hæc omnia Pontifex Cardinalibus in Conſiſtorio aperuit, merito Carolum proſequutus elogio. Ipſius tamen in Romanorum Regem electionem peractam Francofurti, excuſſis, quæ in memoratis Comitiis geſta fuerunt, riteque ſervatis omnibus, quæ in re tanti momenti juxta veteres & Apoſtolicæ Sedis mores erant ſervanda, nonniſi quartodecimo hujus ſæculi anno, Februario exeunte menſe, ratam habuit comprobavitque. Iniquorum temporum conditione ſpectata, benigne indulſit, ut quæ Electi nomine per Oratorem extra ordinem miſſum fieri debebant, opera Marchionis de Prié, qui jam tum Romam allegatus fuerat, agerentur. Suprema quoque & Apoſtolica authoritate, quidquid in ea electione peccatum comperit, ſuſtulit. Cui non leves æquo & abſoluto judicio Clementis labes adſperſerunt Joſephi Clementis Archiepiſcopi Colonienſis, & Maximiliani Emmanuelis utriuſque Bavariæ Ducis orthodoxorum ſacri Romani Imperii Electorum facta præteritio: admiſſi contra ad ſuffragium per legatos ferendum Fridericus Marchio Brandeburgenſis, ac Georgius Ludovicus Dux Hannoveranus hæretici: quorum uterque, Summo Pontifice reluctante, Electorale munus obtinuit. His actis Pontifex jus Apoſtolicæ Sedis vetuſtiſſimum integravit, quo ipſa uno temporum rerumque neglectu ante annos ferme ſexaginta fuit exuta. Præterea quum obices, propter quos *primarias Imperiales preces* minime olim admittendas edixerat, ſublati omnino eſſent: tum etiam conſuetis Pontificiæ benevolentiæ argumentis enixe per Oratorem expetitis Carolum afficere cuperet: peculiares *ad Capitula & Canonicos quarumcumque Cathedralium etiam Metropolitanarum & Collegiatarum Eccleſiarum* intra Germanici Imperii fines exiſtentium litteras dedit, mandans, ut preces ipſas a Carolo aperiendas pro Sacerdotiis, aliiſque Eccleſiæ muneribus certis perſonis ab ſe commendatis tribuendis, quum primum ſuis illa eſſent Rectoribus vacatura, ſuſciperent, implerentque; *ſervatis tamen reſtrictionibus, & exceptionibus ſolitis.*

Anno 1712. validos & acceptos divino Numini conciliatores gratiæ ex Beatorum cum Chriſto in cælis regnantium agminibus conquirere ſtatuit, poſtquam ſingulari aliquo venerationis ac reverentiæ argumento de ipſis meruiſſet. Animum propterea, & ſtudia convertit ad augendum novis ſanctorum nominibus Eccleſiæ faſtos, eoſque potiſſimum ſibi & chriſtiano populo patronos adſciſcere. Hoc honoris genere digniſſimos cenſens Pium V. P. M. ex Ordine Prædicatorum, Andream Avellinum e Clericis Regularibus, quos Theatinos appellant, Felicem Cantalicienſem / Cappucinum, & Catharinam Bononienſem ex Ordine Minorum, die Dominica undecima ante Kalendas Junias tanta majeſtate ac pompa actionem explevit, ut non alia majorum memoria auguſtior celebritas, nec magnificentiores ejus generis apparatus ſpectati ferantur.

Et Clemens quidem non ſine cæleſti aliquo mentis inſtinctu per id potiſſimum temporis præcipuos ſibi apud Deum patronos comparavit. Quandoquidem tot paſſim cum graviſſimis Catholicæ Religionis periculis, velut agmine facto, impendere curæ, ut Gandulphi Junio menſe ſtabiliendæ valetudinis cauſſa verſanti ſomnum pene ademerint. Undevigeſimo poſt die reverſus in Urbem, ægrotanti ſimilis menſes plures, hiememque tranſegit. Nunquam vero præſentius divinum in tot adverſis expertus auxilium, quam quando majora imminebant Eccleſiæ damna, nullæque inter homines ſpes profuturæ opis affulgebant. Jam tum novi anni initia celeberrimas Liparenſes & Siculas contentiones de ſacra in eo Regno conſtituta Monarchia Epiſcopis juxta ac Summo Pontifici permoleſtas invexerunt: quæ temporis auctæ decurſu, extremam malorum attigiſſe metam viſæ ſunt. Quod expendens Clemens id ferme ſibi eveniſſe identidem pronuntiavit, quod olim patientiſſimo viro Job divinæ Litteræ contigiſſe memorant: ut triſtis ſcilicet nuperrimæ ærumnæ nuntius, alium gravioris calamitatis relatorem exciperet. Diſſidiis principium tribuêre regii Liparum Miniſtri, vulgo *Catapani*, qui quum certum leguminum genus ex epiſcopalibus collectum prædiis, & ad Epiſcopum ſpectans inſuetæ vectigalium ſolutioni reddidiſſent obnoxium, violatæ immunitatis Eccleſiæ rei ſunt habiti, & a Nicolao Maria Tedeſchio Antiſtite catholica communione privati, ac procul a ſacris acti, inflictæ pœnæ ſolutione uni Romani Pontificis poteſtati ex jure ſacro & more ſervata. Liparenſis Eccleſia uni ab origine ſubjecta viget Romanæ Metropoli, ac Summo Pontifici, nullo nomine Siculum regnum attingens. Ipſam vero parvam Inſulam ſupremo jure Neapolitano addictam, atque conjunctam Regno, non alia de cauſſa, quam ſubjectorum commodis conſulendi propinquitate, Philippus III. utriuſque Regni Dominus Siculis adminiſtris parere voluit, integris, quæ cuique erant, inter primævos Inſularum fines manentibus juribus. Inſtitutum a Liparenſium Epiſcopo in *Catapanos* judicium Regii *Siciliæ* adminiſtri ægro ferentes animo *Catapanos* ea pœna multatos, acerbiſſime vexarunt, atque objectu authoritatis *Monarchiæ Siculæ* illos priſtinæ ſacrorum communioni reſtituerunt.

Siciliæ Monarchia, de qua non ſemel habendus erit ſermo, Pontificia in eo regno Legatio ab Rege geſta audiebat. Ab eo in Regios translata miniſtros præcipuum conflavit Tribunal, quod Romani homines ipſa ſui nominis novitate Apoſtolicæ Sedi injurioſum ſacriſque juribus immani & abſurda amplitudine, qua explicabatur, infeſtum & oppido noxium judicarunt. Illam Urbano II. Pontifici Maximo acceptam Monarchiam Siculi referebant, Pontificiumque Diploma Rogerio Siciliæ Comiti miſſum ajebant, quod Joannes Lucas Barberius ann. 1513. primus in lucem protulit, dum antiqua ad Siciliam ſpectantia Diplomata in præcipuum volumen congereret, quod *Caput Brevium* appellavit. In eo Pontifex conſtituit, ut quoad viveret Rogerius, ejuſque filius Simon, ſeu alter heres legitimus, nullus Apoſtolicus in Siciliam Legatus præter aliorum voluntatem aut conſilium accederet, ſed ipſimet Legati munere fungerentur. Si quando vero Pontifex Epiſcopos & Abbates evocaret ad Synodum, quos liberet, mitterent: alios ad *ſervitium Eccleſiarum* retinerent. Tredecim poſt annos, dum Europa exitialibus ac late fuſis æſtuaret bellis, edictum in Sicilia *Advocati Fiſcalis* cura vulgatur, quo vis, & pondus exoptato privilegio additum. Liber etiam prodiit cum titulo *Monarchia*, cui quotquot Regi a Conſiliis erant, ſubſcripſere: miſſis itidem ad Imperatorem Carolum, & in Hiſpaniam exemplaribus, quo executioni mandato juri major in dies authoritas accederet. Apoſtolicæ interim Sedis authoritatis ſtudioſiſſimi hujuſce Barberiani Diplomatis non paucis cum primis animadverſionibus ſuſpectam αυθεντίαν efficere adniſi ſunt; tum hac etiam admiſſa, nullum imperatæ Legationis Apoſtolico nomine in Sicilia perpetuo gerendæ, juriſque ſacri & Eccleſiæ dicendi veſtigium idem Diploma præ ſe ferre contenderunt. Quia ad effrænes potius Siculorum abuſus coer-

cen-

cendos ſpectare dixerunt, eaſque duntaxat, quæ Principi congruerent filio, auxilii partes eo fuiſſe demandatas, ut ille Apoſtolica juſſa pro ſua in Eccleſiam reverentia exſequeretur. Addebant inſequentium ab Urbano morem temporum nihil facilius evincere, quam plurium Summorum Pontificum litteris atque decretis præcipuas Romanæ Eccleſiæ in eo Regno legationes, quoties oportuit, a viris ſacris fuiſſe obitas, & ad ſupremum Romani Pontificis Tribunal Siculorum provocationes interpoſitas ex Inſula patria. Igitur de medela opponenda malo Clemens cogitans, impertitam a Siculis ſolutionem nullam, & irritam *ob defectum jurisdictionis pronuntiavit*. Decretum Pontificis juſſu vulgatum eſt Liparis, ac pro conſtanti Eccleſiæ more violatores immunitatis Eccleſiæ catholica communione ab Epiſcopo orbatos, illorum inſtar, quibus aqua & igni eſt interdictum, ab omnibus Chriſtifidelibus haberi mandatum.

Nihil tamen Siculæ Monarchiæ adminiſtri Pontificem reveriti, ubi actum norunt, Panormitanæ Eccleſiæ S. Petri Canonicum cum notario, & ſatellitum manu armis inſtructa Liparas mittunt. Ipſe homines novo Pontificis decreto catholica communione privatos ſacrorum uſui exemplo reſtituit, atque coram ipſis divinum Sacrificium obtulit. Sacerdotibus deinde ad ſe vocatis imperat, ut, quos ipſe irrogatis ab Epiſcopo & ſummo Pontifice pœnis ſolverat, Sacramentorum participes efficiant: graves renuentibus multas minitans, quas & inflixit. Neque his contentus, fratris filio cum viatore ad Didacum Hurtadum, Nicolai Mariæ Epiſcopi generalem Vicarium, de rebus graviſſimis ad ſanctæ fidei Inquiſitionem ſpectantibus in Epiſcopali Palatio agentem miſſo, domum illi pro carcere habere juſſit. Quum autem Hurtadus injuriam Pontifici Maximo, Eccleſiæ, & ſacris Miniſtris illatam ulturus, talia ac deteriora audentes in judicium expulſionis a Catholicorum cœtu, exhibita per binos Sacerdotes expreſſa monitione, advocaſſet, utrumque idem Canonicus, nulla mora interpoſita, diris vinculis adſtrictos teterrimum detruſit in carcerem. Mox ſubſidiaria ſtationariorum militum aſſumta cohorte, Epiſcopale Palatium, ubi Didacus morabatur, hoſtili more circumſepſit. Portam vi disjectam occupavit, ipſumque, Epiſcopalis Curiæ Miniſtros, Cathedralis Eccleſiæ Parochum, & Benedictini Ordinis Monachum, qui a ſacris confeſſionibus erat Epiſcopo, quoniam Apoſtolicæ Sedis Decreto obſequebantur, ac renuebant obniti, impoſita diu noctuque militari cuſtodia, torſit. Domeſticam Vicarii ſupellectilem cum inſtrumento e juris forma accurate deſcriptam, ac jam jam venalem in foro ſub haſta expoſiturus, numerata pecunia redimi compulit: aliaque porro molitus eſt, quæ prætermittimus. Priſtinam Didacus pretio libertatem adeptus, non ita multo poſt, quod alia de cauſſa Clementis mandato obtemperaſſet, ab ejuſdem Siculæ Monarchiæ Miniſtris Liparis inſula pellitur. Vir tamen fortis ut Eccleſiæ juribus conſuleret, continuo urbi ac Diœceſi publicis ſacris interdixit. Quæ omnia Generalis Vicarius memoratus tametſi etiam prævio ipſiuſmet Pontificis mandato peregerit; alter nihilominus Panormitanus Eccleſiæ S. Petri Canonicus Monarchiæ *Delegatus Judex* publico evulgato Edicto revocavit. Tot acta Siculorum Clemens damnavit, auctoreſque, & illos omnes, qui quovis modo opera ſua tot auſa provexerunt, a Catholicorum conſociatione & ſacris arcuit. Contra Miniſtri Monarchiæ adſertores acerrimi, Pontificiis decretis & imperiis nihilo mitiores facti, in eos, qui Pontifici obſequebantur, acerbiſſimis ſæviere pœnarum exemplis, & plures Antiſtites ab Inſula pepulerunt: in his Joſephum Milliacium Archiepiſcopum Meſſanenſem, Andream Rigium Epiſcopum Catinenſem, Franciſcum Ramirez ex Ord. Prædicatorum Epiſcopum Agrigentinum e Sicilia ejecerunt, collugentibus Paſtorum deſiderio populis. Epiſcopos ſequi compulſi miniſtri, Eccleſiarum præfecti, & quotquot eandem retinebant voluntatem Sacerdotes, Clerici, cujuſvis Ordinis religioſi homines, ſodalitiorum Præſides, collegæ, Juriſconſulti, civeſque probi. Exſilio multati & adoleſcentuli, qui in Eccleſiarum Collegiis pietate & litteris informabantur. Alicubi agmen migrantium compleverat vias, & conſpectus aliorum mutua miſeratione angores augebat, vel integrabat lacrymas. Paullo poſt eximios viros Petrum Hurtadum, Joſephum Mariam Rhinum, & Gaſparem Salernum, tres continenti ordine a laudato Agrigentino Epiſcopo Generales conſtitutos Vicarios, ob libertatis Eccleſiæ ac Pontificiæ auctoritatis defenſionem horridum conjecerunt in carcerem. Ubi dira conſtanter patientes, ac moleſtioribus in dies auctos incommodis Clemens præcipuis litteris, monitis ſalutaribus, & Apoſtolica caritate refertis, eſt conſolatus. Quum ipſimet Epiſcopi ſecundum Eccleſiæ leges in Diœceſibus, unde pellebantur, publica fieri ſacra vetuiſſent, luctumque, eodem comprobante Clemente, viduatis indixiſſent Eccleſiis, juſſa hæc poſthabita omnino & contempta fuere. Reſciſſa, rurſuſque damnata Apoſtolicæ Sedis auctoritate Acta, confeſtim ab regiis Miniſtris inſtaurata ſunt, editis etiam libellis ex utraque certantium parte, quos utpote notiſſimos recenſere non eſt neceſſarium.

Creſcentia in dies late apud Siculos mala acerbiora Clementi reddebant inteſtini belli faces inter Helvetios; cujus cauſſa non minus catholicorum pagorum libertati, quam religioni graviſſima impendebant pericula. Ubi primum orientis mali ab Hæreticis intentati ac foti Clemens nuntium accepit, nihil non fauſtum orthodoxo populo, ac Religioni apprecatus, eam ſollicitudinem ultro libenſque ſuſcepit, quam Apoſtolici muneris ratio, & paterna caritas in gentem inclytam de Chriſti Eccleſia, & Pontificia Sede benemeritam poſtulabant.

Hoc anno 1712. Clementis animum inſigni gaudio perfudit optatiſſima Friderici Auguſti, Regii Sarmatiæ Principis & Electoralis heredis Ducatus Saxoniæ ad orthodoxam Eccleſiam acceſſio. Hæc quemadmodum ingenti catholicæ rei emolumento futura putabatur, ita immortale Clementi nomen conciliavit; cujus paſtoralis vigilantia tam inſigne religioni bonum peperit. Enim vero ubi ſummam Eccleſiæ dignitatem inivit, nihil antiquius habuit, quam ut æternæ ejuſdem Principis ſaluti proſpiceret. Nullum proinde officiorum genus prætermiſit, & curæ, qua regium Genitoris animum ad catholicam puero educationem impendendam flecteret. Prono tamen in id Principi, & æquo Pontificis voto obſiſtebant res maximæ. Domi tenerrimis vallatæ ſtimulis mater & avia, hæreticis innutritæ erroribus, ne cariſſimum ſibi pignus ab infelici, cui mordicus inhærebant, communione ſuiſque amplexibus avelleretur, pertinaciter obluctabantur. Foris horridiore occurſabant facie inteſtina Sarmatarum diſſidia, quæ quum regnum malis graviſſimis reddidiſſent obnoxium, Regem deterrebant, ne Hæreticorum animos importune laceſſeret: quorum opes vireſque validæ tunc potiſſimum patrem natumque in extremum diſcrimen potuiſſent attrahere. Nullis tamen retardatus obicibus Clemens, conſtanti ſolicitudine, niſuque rem provexit. Hannibali vero Albano ante triennium in Germaniam allegato inter potiora ſedulo labore conficienda negotia hoc præcipue commendavit. Gravi provinciæ operam navans Albanus, adeo feliciter negotium provexit, ut in magnis eximiæ voluntatis argumentis ab Rege acceptis, peculiares quoque ad Clementem ſcriptas litteras impetraverit, quibus Auguſtus regiam fidem obſtrinxit, daturum ſe quamprimum Principi filio educatores magiſtros & familiares orthodoxos: eumque cedentem ex ephebis, & ab Hæreticorum conſuetudine atque contagione ſecretum ad Catholicorum peragrandas provincias dimiſſurum, ut integra tunc Fridericus libertate utens, animæ ſuæ ſaluti conſuleret.

Obligatam Pontifici fidem liberavit Rex Auguſtus, fauſtoque novæ inſtitutionis, & ſuſcepti itineris fructu potitus Princeps, quum Bononiam perveniſſet, quinto Calendas Decembris poſt maturam ac diuturnam multorum menſium deliberationem adhibitam, ſuperato ingenti obverſantium moleſtiarum numero, una cognitæ veritatis ratione motus, ſoloque perpetuæ ſalutis deſiderio incenſus, Lutheranæ Hæreſeos, qua parentibus irretitis natus fuerat, & imbutus adolevit, ejuravit errores. Simul Catholicæ Religioni juxta ritum nomen dedit. Ex præcipua Apoſtolicæ Sedis auctoritate præſentes robur actioni præſtitere Laurentius Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Caſonus Bononiæ Legatus, e Generalibus in Chriſtiana Republica fidei Quæſitoribus, & Joannes Baptiſta Salernus e Societate Jeſu Theologus. Cujus fidem, diligens ſtudium, atque prudentiam in re tanti momenti ſapienter conficienda ſatis ſe Clemens commendare nequiviſſe, Cardinalium Senatui teſtatus eſt. Effuſas quoque laudes viro nobiliſſimo Joſepho Kos Palatino Livoniæ tribuit. Qui ab Auguſto Rege Principis nati Catholicæ educationi præpoſitus, magnam, quam jam pridem de ſe Pontifex ceperat, exſpectationem egregie ſuſtinuit, implevitque. Graviſſimo peracto negotio, Fridericus Auguſtus abſolutiſſimas litteras debitæ ſuæ in Clementem & Apoſtolicam Sedem obedientiæ, gratique animi erga Deum vocantem & miſerantem teſtes addidit. Quæ tamen humanæ rationes juvenem Principem diutius erroribus noxiis implicatum detinuerant, prohibuere ne per integrum fere quinquennium glorioſiſſimi facti memoria evulgaretur. Interea etſi privatim orthodoxam Religionem profeſſus, non Hæreticorum duntaxat ritibus prorſus abſtinuit, ſed & quotidie divinæ Miſſæ Sacrificio interfuit. Præterea ſæpenumero Pœnitentiæ expiatus Sacramento, & Euchariſtia refectus, ceteris omnibus veræ pietatis, ac Religionis exercitationibus, quæ obſequentiſſimum Romanæ Eccleſiæ commendant filium, frequentem dedit operam. Identidem quoque Clementi per Epiſtolam teſtatus eſt: ægerrime

ſe ferre occultandæ religionis neceſſitatem impoſitam: nec quidquam ſibi gratius futurum, quam in Urbem proſectus, publica coram ipſo Eccleſiæ Capite Romanæ communionis teſtimonia edere. Hoc quinto demum poſt anno, Septembri exeunte menſe, Viennæ in Auſtria, inter ſolemnia Catholicæ Religionis officia, in Aulæ Imperatoriæ celebritate, ac totius Germaniæ luce præſtitit. Illico per celerem curſorem Pontificem obteſtatus, ut ſuo etiam vocis præconio in ipſa veræ Religionis arce ſine mora promulgaretur. Actum id quinto Idus Octobris, Apoſtolico plaudente Senatu & Urbe: quo die Clemens luculentam de rebus ipſis in Conſiſtorio orationem habuit, futurum ominatus, ut nobiliſſimæ ſtirpis gloria longo intervallo eam excedat, qua priores illi viri orthodoxi ex eodem genere prognati Principes floruere.

Anno 1713. Ultrajecti ab Europæ Principibus inſtituta Comitia graviſſimis exercebant curis Pontificem. Stabiliendam inter diſſidentes Reges præſeferebant concordiam, quam & Clemens enixe provehebat: nihil tamen Hæretici ſtudioſius moliebantur, quam orthodoxæ religionis violatis juribus, ampliores hæreſi fines conquirere. Ope maxima in primis nitebantur, ut quod unum pro catholica fide in Imperii provinciis, ubi ea vigebat, integre ſervanda, quarto Ryſwicenſis Pacificationis *articulo* ſtatutum fuerat, abrogaretur: contra, Veſtphalicæ pacis damnata jamdudum Religioni adverſa pacta innovari flagitabant: e quibus extrema, nedum ingentia, in orthodoxam Eccleſiam mala redundatura fugiebat neminem. Ex inita præterea inter Rhætos fœderatos, & Inſubres *tranſactione* in Ultrajectinis per Carolum Imperatorem Inſubrum Dominum firmanda Comitiis id ſubmoveri caput conabantur, quo cautum fuit, ne unquam heterodoxis hominibus ſectarum exercitationes, ac publica ſuæ hæreſeos munia in Volturenæ tractum, eique adjacentes Comitatus Bormii, & Clavennæ liceret invehere. Non enim latebat callidos Romanæ fidei hoſtes, ubi ſemel obtinuiſſent in ea regione conſiſtere, qua veluti propugnaculo Italia univerſa ab incurſu tantæ labis per finitimas provincias late graſſantis diutiſſime intacta perſtitit, nihil tam impervium futurum, quo non eſſent aliquando pervaſuri. Et quidem apud Rhætos ipſos vel ante luſtrum eo fuerant animo ad res novas moliendum comparati, ut de duobus ſibi arrogandis noſocomiis Plutii atque Clavennæ vi, miniſque contenderent; quum tamen utrique jure veteri orthodoxi, iidemque ſacri Deo viri præfuiſſent. Januario menſe pejore, quam quo erat, loco res Catholica eſſe non poterat. Multi, quorum Pontifex alacri fidebat opera, illam pene negligere; alii frigide tueri videbantur. Nec deerant viri Catholici graves, & inſignes miniſterio, qui humana potius quam divina ſpectantes, ejuſmodi pernicioſis poſtulatis ſuorum Principum nomine ſuffragarentur. Negotii infelicitatem, & impendentis diſpendii magnitudinem prudenter veritus Franciſcus Lotharius Moguntinus Archiepiſcopus mœſtis litteris Clementi nuntiat. Hic periclitantis Eccſiæ juribus potiora celerrime eſt nactus præſidia; ſolicitatique ab eo orthodoxi Principes tanto deinceps robore hac in parte Chriſti cauſam propugnarunt, ut Hæreticorum vim omnem fregerint, vanamque reddiderint. Felicius vero ac latius religionis jura in Ultrajectinis Tranſactionibus provecturus, Dominicum Paſſionæum eruditione, & ingenii præſtantia clarum Pontificium adminiſtrum juſſit intereſſe. Qui ſuis naviter perfunctus partibus, poſt peracta Comitia in Urbem rediit: mox Prælatus domeſticus a ſecreto Pontificis cubiculo, ac utriuſque Signaturæ Referendarius dicitur. Tandem, ſed ſero nimis Romana purpura ornatus eſt.

Labores impigros a tot Principum legatis Ultrajecti impenſos optata votis omnium conſequuta pax eſt hoc anno 1713. cum Gallis, Hiſpanis, Luſitanis, Anglis, Allobrogibus, Batavis, & Pruſſis Aprili menſe contracta. In concordiam tamen cum Borboniis Carolus Imperator non ivit: biennioque poſt cum Gallis duntaxat, excluſis Hiſpanis, rem compoſuit. Allobrogum Dux, qui Ultrajectina Pacificatione Siciliam Inſulam a Philippo relictam, poſſidendam accepit, dum Pontificem de priſtina ſuis provinciis reſtituta tranquillitate officii gratia certiorem redderet, conſulto nullam de Sicilia mentionem ingeſſit. Duci contra ipſe reſcribens officioſam quidem miſit epiſtolam, ſed iis pro rei gravitate refertam momentis, quibus facile Apoſtolicæ Sedis in eam Inſulam jura, hac etiam in parte patefacta, & integra ſunt aſſerta. Mandatum ſubinde univerſis Epiſcopis, & Generalibus in eo Regno Eccleſiarum Vicariis, ne quid proventuum, oblationum, ſeu munerum ab Clericis, ſacriſve locis novo Siciliæ dominatori pendi ſinerent, Apoſtolica Sede inconſulta: cujus peculiari facultate vel temporario privilegio ſuperiores Siculorum Reges id genus penſionum obtinuere. In has Victorii Amedei miniſtri præſenti videbantur erecti animo: quum tamen nihil re ipſa apertius in ea Inſula conarentur, quam Pontificem Maximum moleſtiis inceſſere. In Allobrogibus quoque ejus poteſtatem, & ſummi, ut vocant, jura dominii in *feuda* Montafiæ, Ciſternæ, & Cortantiæ Aſtenſis Diœceſeos violare, ac Duci quocumque niſu arrogare pergebant, ab anno hujus ſæculi altero ad undeviceſimum vario rerum protracto molimine. Hoc opportunis denunciationibus per Apoſtolicas litteras Romæ & alibi promulgatas Pontifex irritum dixit, evertitque, vigili conſtantique enitens ſtudio, ne quid utrobique publica Præſidum ac Magiſtratuum poteſtas factis, edictis, Senatus conſultis Romanæ Eccleſiæ rationibus obeſſet. Dum Allobroges in Sicilia multifariam id contendunt, Miniſtrorum contra, quos Philippus in eadem Inſula habuit, mira repente eſt facta converſio. Carolus Philippus Antonius Spinula Marchio *de los Balbazes*, olim pro-Rex, Franciſcus Miranda, & Gajarre præcipuus Monarchiæ judex, aliique plures illa rite præſtiterunt, quorum cauſſa digni ſunt habiti, qui catholicæ communioni reſtituerentur.

Negotium eodem tempore ingerebat & Ratisbonenſis Conventus, ubi non remiſſe de dilatandis in Germania regionum, atque ſectarum finibus Hæretici laborabant. Spe tamen in hoc fruſtrati, cura non parva levavere Clementem. Verum ſolicitudinem, quam imminuerunt Ratisbonæ Comitia, auxere alii. Marchio Brandeburgicus poſt Friderici patris obitum ampliſſimarum regionum adeptus imperium nonnulla tentavit Romanæ religioni & orthodoxis populis noxia, quæ præſentem Pontificis operam occuparunt. Nec oppoſitum ab eo ſtudium ceſſit irritum. Etenim propitiis Germanorum præſertim Principum vigil Paſtor uſus præſidiis, immunes Catholici ſunt aſſerti a recitatione publicæ precis Marchionis nomine conſtitutæ, typiſque vulgatæ, quam in Cliviæ, aliiſque ditionis ſuæ oppidis conſiſtentes Parochi, ſingulis dominicis feſtiſque diebus poſt concionem in omnibus Eccleſiis conceptis verbis recitare cogebantur, eaque cum adſtanti populo a Deo poſcere Calvinianæ ſectæ felicitatem, & incrementum. Succeſſu quoque ejuſdem Pontificis vigilantia caruit imperata a Duce Hannoverano orthodoxis ludimagiſtris ſubjectas ſibi regiones incolentibus jurisjurandi formula non uno nomine Religioni adverſa. Quoniam vero id tacita conniventia Principis, non autem edictorum reſciſſione fuerat actum, paullo poſt Catholici omnes Heterodoxorum impetiti dolis, gravibus moleſtiis ſunt conflictati. Sua enim hoſtes maxime intereſſe putabant eo modo trepidos, & ancipites habere Romanæ fidei ſectatores; quo ſcilicet in promtu ſemper eſſet, unde pro libidine illos vexarent, tributæque per pactionem liberæ in Hannoveranæ ditionis tractu orthodoxæ Religionis exercitationi impedimenta, tricaſque interponerent. Inſtaurata ſunt igitur vehementiori ſedulitate apud Carolum Imperatorem, alioſque Principes Clementis officia, quibus tandem populis juxta, ac Religioni cautum. Majora interim animo volvens Apoſtolico in ſeptentrionalibus regionibus amplificando operi validiora miniſtrorum adjecit præſidia: quibus alendis largam nummorum ſummam impertiit. Perpetuo præterea ipſorum emolumento conſulens, quod per ſe conferre non potuit, exoravit ab Imperatore Carolo. Is Clementis hortatu flexus ingentem auri vim, quæ ſibi ex aſſe hereditario ſui apud Danorum Regem conſidentis adminiſtri obvenerat, in ejuſmodi ſacri miniſterii commodum, & populorum Romanam fidem profitentium emolumentum digna Auguſto Principe liberalitate erogavit. Ex ea Hamburgi, Altenæ, Hafniæ, ac Volfembutelæ quondam ſtructas ac ruinoſas Eccleſias reparari juſſit: reliquam in fundos fructiferos mox impendi, quorum annuo proventu Sacerdotes ipſarum Eccleſiarum miniſteriis addicti in poſterum viverent; ſimulque orthodoxæ propagandæ fidei conjunctis ſtudiis, ac viribus alacrius navarent operam.

At ſi quis alius felix fauſtuſque catholicæ Religioni nuntius gaudio Clementi fuit, effuſum profecto ingeſſit, qui tentatam jam pridem, ac ſtrenue ab eo provectam conjunctionem Patriarchæ Græci Alexandrini cum Romana Eccleſia, dudum tandem peractam attulit. Samuel Capaſulis Chius Majoribus natus orthodoxis ea tunc dignitate Schiſmaticorum Alexandriæ regebat Eccleſiam. Divino illuſtrante lumine, de noxio, cui inhærebat, diſſidio ſæpe ſolicitus, nec uno modo ad veritatem inveſtigandam impulſus, poſtremo, quum Hieroſolyma conceſſiſſet, rationum vi, quas Frater Laurentius a S. Laurentio ſacri Templi, atque Cœnobii dominici ſepulcri Cuſtos differuit, facile ceſſit. Ex animo ergo mutata mente, ſimul priſtinæ voluntatis labes exuit, & averſatus eſt. Catholicam porro Romanæ Eccleſiæ doctrinam, & mores ab Archangelo Melitenſi, & Joanne Joſepho Mazet ex Ordine

Minorum, quos *Obſervantes* nuncupant, diligenter edoctus, deteſtatis erroribus, orthodoxam fidem eſt profeſſus. Negotium vero cum primis grave numeris omnibus abſoluturus, ipſum Joannem Joſephum Romam ad Pontificem Maximum cum opportunis monumentis & litteris legatum miſit, ut is actum ſuo nomine pro more confirmans, debitam illi obedientiam & reverentiam, tanquam ſupremo Catholicæ Eccleſiæ Præſidi & Chriſti in terris obeunti vicem exhiberet. Subdoli animi ſuſpicionem multis injecerunt miſſi a Samuele eodem tempore, quo Romam Mazetus eſt allegatus, in Angliam, aliaſque Chriſtianorum Principum, & Turcarum regiones Græci Monachi, qui piam ſtipem levandæ oppreſſæ Eccleſiæ ſuæ cauſſa conquirerent. Notam potiore fortaſſe momento meruit Samuelis Byzantii diverſantis uſus cum Patriarcha ſchiſmatico. Id tamen ipſe quum non ſine rogata, & accepta ibidem quorundam orthodoxorum Theologorum ſententia egiſſet, pravo ſaltem animo factum cenſeri jure non debuit. Quo porro ſapientius, licet tardius quam par erat, religioſe, nedum libenter, abſtinuit. Redintegrata demum Catholicæ fidei profeſſio ante obitum, ac orthodoxi duntaxat vocati Sacerdotes, qui ſibi morienti adeſſent, omnem mutatæ mentis & voluntatis dubitationem adimunt.

Anno 1714. negotium arduum ac perdifficile Clementi exhibebant Comitia Badæ in Ergovia indicta pro ſtabilienda inter Carolum Imperatorem & Ludovicum Gallorum Regem toties incaſſum quæſita concordia. Hæretici Principes Auguſtæ Domui militari juncti fœdere, ne viderentur inter humana difficillimo & ancipiti bello quæſita commoda propriæ ſectæ neglexiſſe emolumenta, gregalium impulſi ſtudio, quas in Ultrajectino Conventu fruſtra propoſuerant, non minori ſolicitudine petitiones urgebant. Quartum autem Ryſwicenſis Pacificationis articulum omni machinationum genere & artibus rurſum impetebant. Novis Heterodoxorum conatibus validiora præſidia Clemens oppoſuit. Neque contentus potentiſſimorum Principum patrocinium pro re catholica in præſenti diſcrimine imploraſſe, Dominicum Paſſionæum ſupra commemoratum in Badenſem Conſeſſum allegat, ut pro re nata periclitantibus Catholicæ Religionis & Eccleſiarum juribus opituletur: potiſſimum vero rationes tueatur Epiſcopatuum Colonienſis, & Hildeſienſis, & quæ maxime tunc ſollicitabant, res afflictas pagorum orthodoxorum in Helvetiis. Par negotiorum numero & magnitudini ſtudium Paſſionæus adhibuit, ut datæ ſibi provinciæ, ac Pontifici Maximo uno tempore ſatisfaceret. Sancita pax eſt ſeptimo Idus Septembris. Quamvis autem Comitiorum exitus diffuſo Clementis voto non omnino reſponderit; is nihilominus fuit, qui non immerito Catholicæ Religioni fauſtus poſteritati audiat. Enimvero tertio ac decimo conſtitutæ Pacis capitibus tam rigide Ryſwicenſis Pacificationis articuli in ſacris & profanis conſtabiliti leguntur, ut plane nullus ambigendi locus ſit relictus, *quartum* ejuſdem *Articulum*, pro quo tantopere contra validos ac identidem inſtauratos Heterodoxorum conatus a Clemente laboratum eſt, integrum & inviolatum fuiſſe exhibitum. Quin etiam, ſicubi idem nondum eſſet exſequutioni mandatus, vel quidquam poſt exſequutionem adverſus illius vim immutari contigerat, ut in eum ſtatum, qui per Ryſwicenſem tranſactionem eſt decretus, revocaretur, imperatum. Hujuſmodi maturæ ſanctionis pondere infelix *Conſtitutio, ſeu Declaratio*, jam pridem ab Apoſtolica Sede proſcripta, quam *Receſſum Religionis pro inferiori Palatinatu, atque annexis ditionibus* nuncuparunt, reſciſſa penitus eſt & abrogata. Quintodecimo inſuper Badenſis Pacificationis articulo conventum eſt de reſtituendis Joſepho Clemente Archiepiſcopo Colonienſi, & Maximiliano Emmanuele utriuſque Bavariæ Duce ſacri Romani Imperii Principibus Electoribus ad jura priſtina. Cujus decreti vi quæcumque tranſacti occaſione belli in orthodoxam religionem, libertatem Eccleſiæ, ac ſummi Pontificis poteſtatem attentari contigit, erant abolenda. Et quod mirum in modum Clementis lætitiam auxit, ipſomet ſancitur articulo, a Colonienſi Archiepiſcopo præcipue poſſeſſionem adeundam Epiſcopatus *Hildeſienſis cum omnibus prærogativis, juribus, & bonis ad eundem Epiſcopatum & Eccleſiam ſpectantibus, ut ea ante præteritum bellum Epiſcopi ſui prædeceſſores & Eccleſia poſſederant, aut poſſidere debuerant. Ita ut nulla litis aut prætenſionis ratio a quocumque mota, ſeu movenda integram ejus reſtitutionem impedire poſſit*. Quo capite irritæ penitus decidere iniquæ illæ pactiones, ad quas triennio ante hæreticus Princeps vi metuque adegerat Capitulum, atque Canonicos Hildeſienſis Eccleſiæ, nullas præcipuo diplomate a Clemente dictas, quod multifariam ipſius Eccleſiæ & Epiſcopi juribus adverſarentur. Viceſimo ſeptimo item articulo pactum, ut in regionibus, urbibus, & locis, quæ ab Ludovico Rege Imperatori cedebantur, univerſa ad orthodoxam religionem ſpectantia eo in ſtatu, quo ante bellum fuerant, immutata permanerent. Magiſtratibus conſueto more nonniſi viri Catholici honeſtarentur. Epiſcopi præterea, ſacrarum perſonarum Conventus, religioſorum hominum Cœnobia, militaris ordo Hieroſolymitanus, Clerus univerſus in ſingulis Eccleſiis, libertatibus, rebus, reditibus, immunitatibus, præſtantiis, juribus, & honoribus, quæ Romano-Catholicis imperantibus Principibus obtinuerant, tuto gauderent. Si quo vero quavis ratione deſtituti eſſent, redintegrarentur. Parta hæc per Badenſem Conſeſſum orthodoxæ religionis emolumenta Pontifex quinto poſt menſe in Apoſtolico Senatu facunda oratione ad Cardinales habita recenſuit. Doluit tamen improbavitque, damnata ſæpe numero per Apoſtolicam Sedem Veſtphalicæ Pacis capita pro norma, ac veluti fundamenta pactionis aſſumta. Multa præterea e nuperis Ultrajectinis ac Radſtadienſibus Tractationibus derivata ipſimet Badenſi adjecta concordiæ, parem Apoſtolici judicii cenſuram ſunt promerita. In his præcipuam moleſtiam ingeſſere dignitas electoralis Romani Imperii Duci Hannoverano aſſerta: variarum ditionum catholicarum eidem, aliiſque hæreticis Principibus ceſſio, non ſine magno labefactandæ religionis periculo, aperto ſimul gravium, atque perennium diſſenſionum fonte. De utriuſque pariter Siciliæ Regnis, quæ ad *directum*, ut vocant, ſupremumque Apoſtolicæ Sedis dominium ſpectant, ſic inſtituta tractatio, perinde ac nullum in ea jus eſſet Romanæ Eccleſiæ, ac ſummo Pontifici. Quod in Ultrajectinis potiſſimum Comitiis factum, quum de Sicula Inſula ultra Pharum Victorio Amedeo Allobrogum Duci tradenda ageretur. Utrobique tamen Clementis juſſu a Dominico Paſſionæo illæ declarationes, & ad juris regulas peractæ expoſtulationes ſignificationeſque ſunt interpoſitæ, quibus Pontificia cujuſvis generis jura integra, nedum ſarta & tecta abunde ſunt præſtita. Quum autem inſueto prorſus more, nemo illic ſequeſtras partes ageret, qui obnitentium & adverſantium declarationes exciperet: Paſſionæus illorum ſcite ſequutus exemplum, qui in noviſſimo Ultrajecti Conventu nonnullis, quæ inibi decreta fuerant, refragari voluerunt, denuntiationes ſuas coram publico oppidi Magiſtratu emiſit. Quin imo plenius atque uberius rem acturus, cautelas cumulavit: mox oppoſitas rebus actis expoſtulationes coram legatis, ſeu *plenipotentiariis*, ut appellant, Caroli Imperatoris, Ludovici Galliarum Regis, aliiſque pluribus aliorum Principum adminiſtris notas fecit, ac demum in pleno ac publico Lucernenſis Reipublicæ Senatu innovavit, & ad plura extendit, quæ in Radſtadienſibus, atque Ultrajectinis pactionibus ſtabilita fuerant catholicæ religioni, & Sedi Apoſtolicæ adverſa.

Multa præterea extra belli aleam ab Hæreticis nuper erepta ſacris viris, & locis prædia, templa, & rationes aſſeruit; viſuſque eſt plus aliquid, collata ab aliis item opportuna ope, præter ſpem omnium confeciſſe, quam iniqua temporum ferret conditio. Felicia orthodoxæ Eccleſiæ incrementa in Brunſwicæ, & Wolfembutelæ ditionis locis, quæ iniquo animo Hæretici ferebant, tutatus eſt. De hominibus Catholicis Tartariæ Præcopenſis, ſi quis alius, benemeritus fuit. Maluiſſet Clemens ex Pontificio ærario ſubſidia ampliora depromere, ut unius Romanæ Eccleſiæ opibus miſeris Tartaris abunde ſuccurreret. At quominus id pro voto exſequeretur, adverſa temporum conditio fuit impedimento. Interceſſit & principibus in pium opus conſummandum ſubrogatis, ne communis Paſtoris deſiderium & preces implerent. Enimvero Turcarum Imperator diffuſum in orthodoxos populos, eorumque provincias inſtruebat bellum, tantis ex Europa, Aſia, & Africa collectis copiis, & ingentibus terra marique procinctis apparatibus, ut vel ſolo numero terrorem incuteret. Primus de oppugnanda Melita rumor invaluit. Hoc maxime turbatus Pontifex, ſedulitatem convertit ad ubera contrahenda, & Hieroſolymitanorum militum ordini impertienda auxilia: quibus tutiores ac validiores facti, illatum ab Turcis bellum ſuſtinere fortiter poſſent, alacriterque repellere. Mox in Sarmatiam belli robora hoſtiles acies converſuras ferentibus nuntiis, eodem Pontificiam ſollicitudinem, ac providentiam intendit. Ad unius Caminiekzianæ arcis paranda munimenta decem aureorum millia largitus eſt. Pari interea timore ſolicitante Venetos, eadem cura, nec minori beneficentia ipſiſmet adfuit: adjumenta longe majora, ſummorum Principum tempeſtive exoratis opibus, ſuppeditaturus, ubi neceſſitas in alterutram partem ingrueret, & ampliora depoſceret. Potiſſime Imperatorem Carolum, Regemque Sardiniæ eſt adhortatus, ut memores ſacri fœderis, quod Innocentio XI. P. M. connitente, adverſus Turcas icerant, ſi contingeret illorum

lorum in Venetos arma ferri, quoſcumque poſſent belli apparatus, atque præſidia prompte celeriterque ſuppeditarent ſociis.

Anno 1715. Achmetes undecim ante annos Turcarum adeptus imperium, pacis a Muſtapha fratre cum Chriſtianis principibus jam tum ſancitæ pertæſus, magna volvens animo, cædeſque & incendia cogitans, Venetæ Reipublicæ bellum indixit. Ab ejus Oratore opem flagitante certior factus Pontifex, poſt larga e ſacris reditibus collata nummorum ſubſidia, Pontificias triremes, aliaſque tumultuario ſtudio comparatas naves bellicas cum delectis militibus Venetorum claſſi auxilio decernit. Tum quanta licuit contentione, Reges Gallum, Hiſpanum, Sarmatam, Luſitanum, aliolque Catholici Orbis Principes, Epiſcopos, Abbates divitiis atque potentia claros, ac militarium ordinum ſupremos Præfectos ad ferendam appetitæ Reipublicæ opem urget. Dum hæc agerentur, hoſtes Teno capta Inſula, terra marique Peloponneſum adoriuntur. Regnum univerſum amplitudine, ac veteri præſtantia clarum, quod Veneti non ſine duro multorum annorum labore atque diſpendio tranſactis bellis receperant, unius circiter menſis ſpatio Turcæ ſubigunt. Corinthum, Neapolim, Coronem, Methonem, luculentas urbes, & munitiſſimas arces: itemque Æginam, Calauriam, utramque Citheram, aliaſque in Ægeo parvas Inſulas, & valida oppida non tam hoſtium virtute, quam propugnatorum debilitate intercipiunt. Nonnulla Græcis pro more prodentibus in hoſtium poteſtatem venere. Arduam ac diuturnam Zacynthi expugnationem Turcæ veriti, cum claſſe in Cretam tranſmittunt. Ubi vix prima tentantibus belli ſpecimina Amphymalia, & Cherſoneſus deduntur. Præterea velut ex condicto Piratarum ingens numerus diviſus, vel agmine facto, Tyrrheni, atque Adriatici maris oras frequentibus incurſionibus infeſtans, prædis & latrociniis inſtitit. Nocturnis illi minime contenti impreſſionibus, interdiu amica mentiebantur ſigna, tutique appellebant ad littora: tum late excurrentes armati, addicta paſcuis vel operibus abigebant armenta: ſimul homines nil tale verentes in miſerrimam ſervitutem trahebant. Novis malis augetur terror, nec una poſitos circumquaque populos acris cura ſolicitat. Hoſtium temeritatem late graſſantem compreſſurus Pontifex, multa ad curſum maritimum, & piratica certamina in ſupero inferoque mari navigia inſtruxit, quibus id genus hoſtes non ſemel ſuperati fuſique ſunt.

Turbatis ſic rebus Chriſtianorum fauſta omnia Clemens impetraturus, generales toto orbe ſupplicationes indixit, plenam ſingulis delictorum largitus veniam, qui anteactæ vitæ ſordibus vacui id beneficii genus Numen poſcerent, ac promereri conniterentur. In Sicilia interim acerbius de Monarchia funeſtæ diſſenſiones vigebant. Ex uno ſacerdotali ordine extorres tredecim ſupra quadringentos Romam conceſſerant. Immani exulum numero, quamvis iniquo tempore, ac in ſumma Pontificii ærarii anguſtia Clemens liberalitate, cura, patrocinio nulla unquam in re defuit. Nec ante larga & quotidiana ſubmovit auxilia, quam patrium regnum tuti repetiiſſent. Id factum poſt ademtam Allobrogo Siciliam, bellumque inter Carolum atque Philippum pactione diremtum. Fida ſubducta ratione nummorum, quos Siculis Clemens ad id temporis erogaverat, aureorum ſexaginta millia centum octoginta quatuor ſunt comperta. Cum vero Magiſtratus, Siculæ obtentu Monarchiæ, Romani Pontificis poteſtatem proculcare pergerent atque contemnere; Clemens poſt imploratum a Deo lumen, & auxilium privatis ac publicis totius Italiæ precibus decimo Calendas Martias diplomate, cui initium *Romanus Pontifex*, Apoſtolicam in Regno Siciliæ Legationem, ſeu *Monarchiam* damnavit; eademque die ad Eccleſiarum Sicularum Antiſtites litteras dedit, quibus nuntiata Monarchiæ abrogatione, methodum præſcripſit exactam, qua deinceps cauſſæ ad Eccleſiaſticum ſpectantes forum dirimerentur. Utrique Clementis Conſtituto in Sicilia promulgato mox regii Fiſci Procurator adverſatus, a Pontifice male inſtructo ad eundem certioribus monumentis erudiendum, Panormi publicis typis edito ſcripto, provocationem interpoſuit: quam paullo poſt peculiaribus item litteris Clemens damnavit, nullamque dixit. Deletam in Sicilia Monarchiam & Philippus Hiſpanorum Rex cum Pontifice expoſtulavit, veluti ſua perinde ac Ducis Allobrogum intereſſet, id genus licentiæ in ea Inſula præſtare integrum, quippe qui non abſoluto ac penitus libero dominio, ſed certis obnoxiam conditionibus ipſam Socero poſſidendam tradiderat. A Philippo regius Pariſienſis Senatus gratiam initurus emiſſa denuntiatione Auditoris Apoſtolicæ Cameræ litteris, quibus Clementis juſſu Siculæ Monarchiæ defenſores perſtringebantur, obniſus eſt.

Intempeſtivæ Ludovici Gallorum Regis jacturæ hoc eodem anno 1715. vita functi, aliqua ab nonnullis ex parte datus infelix Scoticæ expeditionis exitus, quæ magnarum exſpectatione rerum poſtremis menſibus Europam erexit. Georgius e Ducibus Hannoveranis rerum potiebatur, Annæ Sextili menſe anni proxime præteriti vita functæ ſuffectus. Bello autem initium & fomites dederunt primores Regni Nobiles: qui quum contra leges patrias, ac mores priſtinis juribus & privilegiis orbati, multifariam opprimerentur ab Anglis, de regia dignitate vindicanda Jacobo, cujus parenti optimo multi olim ex eodem numero contra fas adverſati fuerant, decreverunt. Ille ad avitum ſolium, atque imperium capeſſendum e Galliis evocatus, Octobri menſe fido ſtipatus agmine, interfuſum mare quam celerrime trajecit: atque ignotus hoſti tenuit Scotiam. Interea præcipuum ab Apoſtolica Sede præſidium opperiens, de re univerſa arcanis litteris Clementem monuit, ad confovendum pro virili juſtos conatus, adjunctis Mariæ Reginæ genitricis officiis, vehementer inflammans. Ubi molimina Pontifex novit, pro negotii conditione ac magnitudine in altam conjectus curam eſt. Suo ſubinde impiger fungens munere, publicis privatiſque precibus grandia conanti fauſta a Deo precatur. Continuo inſuper largam ac majorem, quam temporum anguſtiæ ſuppeditare ſinebant, nummorum vim contulit: cujus opportunitate Jacobo fludentes confirmati prima belli diſpendia ferrent. Mox ut viribus aucti alacriores fierent, & cœptis inſiſterent, tumultuaria quoque ab aliis Europæ Principibus, qua via licuit, procuravit auxilia. Philippo præterea Hiſpanorum Regi, qui Jacobi ſtrenue provehebat partes, poteſtatem fecit, ut in militares comparandas ſuppetias ſatis grandem pecuniæ ſummam converteret, quam multorum annorum ſpatio ex annuis reditibus Epiſcopatuum & Sacerdotiorum in Hiſpaniis & alibi rectoribus carentium Rex ipſe inter nota diſſidia contraxerat, Apoſtolico, rebus compoſitis, illaturus ærario. Dum hæc accurantur, Scoti nobiles triplici inſtructi exercitu primo feliciter congreſſi prælio, ſpem ſolidam cauſſæ ſuæ ſtudioſis injecerunt, futurum ut pari proſperitate continuandi labores abſoluto demum triumpho, quæſitoque victoriæ fructu non eſſent carituri. Quod ſane rerum ac regionis peritorum judicio cumulate impletum illi ſpectaſſent, ſi militiæ duces ſapientius inita conſilia maturaſſent, nec majori quam par erat celeritate, belli aleam fuiſſent experti quo tempore in Regno & alibi validæ inſtruebantur opes diſtractis Jacobi copiis aucturæ vires, ac timorem hoſtibus. Enimvero qua feſtinatione diſſipati in apertum proſilivere, inſtauratis certaminibus brevi fracti ac profligati, tutum adverſantibus Regnum reliquerunt. Rex maximis terra marique perfunctus periculis, cum acciſæ factionis principibus remenio mari, in Galliis ad S. Germanum conſedit: plura infelici rerum ſucceſſu amittens, nihil adeptus. Scotorum præterea incaſſum exerta molimina multa conſequuta ſunt Catholicis Britannis adverſa. Quibus temperandis, minuendis, depellendis Clementis deſudavit induſtria, potentiſſimorum Principum ſuffulta opibus. In hac ſedanda tempeſtate commendata præcipue pietas eſt Caroli Imperatoris, Joannis Luſitanorum Regis, & Victorii Amedei Ducis Allobrogum; quorum erga Catholicos & Religionem ſtudia æmulatus Philippus Rex Hiſpaniæ, quæ recta conferre non potuit, contulit Philippi Ducis Aurelianenſis opera ſequeſtra, & fidis auxiliis.

Anno 1716. inſtans terra marique Turcarum bellum ſextodecimo Summi Pontificatus oriente anno potiſſimas Clementis curas occupavit, diſtinuitque permoleſte, donec fauſtior præliorum exitus affectis, nec uno in loco periclitantibus Chriſtianorum rebus affulſerit. Corcyræ Inſulam illi valida obſidione cinxerant. Et ut hoc potirentur Italiæ propugnaculo, quadraginta peditum equitumque millium terreſtrem inſtruxerant, fortiſſimamque aciem objecerant urbi. Veneti contra congruo locum præſidio firmaverant, atque munierant arces; aucto ulterius navium numero, inſtructiſſimam claſſem paraverant. Hanc auxerat Clemens duabus triremibus, & quatuor majoribus bellicis navibus. Alias quinque Pontificia mercede conductas Equitibus Hieroſolymitanis commendavit, earumque regimen ſtrenuis viris ex eodem Ordine demandavit. Ad has naves ducendas ſuſtinendaſque æs alienum tercentorum millium aureorum contrahi juſſit ex annuis reditibus Vaticanæ Fabricæ diſſolvendum. Hiſpaniarum Rex quinque triremes, & ſex majores naves, Luſitaniæ item Rex ſex majores naves immiſerant. Raymundus de Perillos Magnus Ordinis Hieroſolymitani Magiſter ſuam adjecerat claſſem. Coſmus quoque Magnus Etruriæ Dux quatuor triremes, & duas Genuenſis Reſpublica obtulerant. Hæc omnia Clementis ſtudio, & Chriſtianorum Principum zelo parata hoſti terrorem injecerant. A maritima Corcyræ oppugnatione barbari abſtinebant, navalem declinantes pugnam, quam noſtri peroptabant. Timidi ac circumſpecti ſibi ipſis

ipſis cavebant, & ſolum navigia Venetiis ſuppetias adferentia deturbabant. Terreſtri tamen obſidione urbem crudeliſſime vexabant. Non ſemel irruptione facta ac belli impetu inter ſuorum cædem, ac ſanguinem valida loci propugnacula ac munimenta ceperant; ſed invicta defenſorum virtute rejecti, latiori accepta clade, parta relinquere compulſi fuere. Sic pluries pugnatum eſt, donec noſtrorum alacritate, & militari peritia Ducis Sculemburgii ſupremi in arce moderatoris ſæpius attriti ac retuſi, urbem metu atque obſidione ſolverunt.

Majus tamen emolumentum Chriſtianæ Reipublicæ obveniebat ex fœdere, quod adverſus Turcas Carolus Cæſar cum Venetis inſtauraverat. Omni abrupta mora lectiſſimo exercitu hoſtem in Pannonia minitantem prævenerat. Eugenius ex Allobrogum Principibus Auſtriaci ductor exercitus die 4. Auguſti ingenti prælio Turcas in Hungaria vicerat non procul a Petrovaradino, & uſque ad internecionem profligaverat. Captis demum caſtris ipſis, & ducum tentoriis, ærario, cunctoque bellico apparatu, & centum octoginta bellicis tormentis, totidemque vexillis, inſignem Cæſari nunciavit triumphum. Rerum feliciter hoc anno geſtarum citatis equis nuncii ad Clementem pervenerant. Publicas idcirco preces pro gratiarum actione in Baſilica Liberiana indixit. Partam in Pannonia victoriam Cæſarei milites proſecuturi poſt collecta hoſtium ſpolia recta Themeſvariam petunt, ut urbem munitiſſimam expugnarent. Et licet in tertium uſque menſem obſidio protracta fuerit, tamen oppidum una cum arce in Auſtriacorum poteſtatem redactum eſt. Plura etiam minoris ordinis oppida idem fatum ſubiere. Invicta hinc Eugenii Principis virtus non laudibus ſolum a Clemente celebrata eſt, ſed etiam galea & enſe ſolemni benedictione aucto cumulata juxta morem, quo Romani Pontifices egregios duces & Chriſtianæ Reipublicæ defenſores ornare conſueverunt.

Laborabat hoc anno Clemens ſurarum ulcere, & conſueta ſpirandi difficultate. Ubi pauliſper vis morbi remiſſa fuit, die 7. Maji Joannem Franciſcum Regis e Societate Jeſu Beatis adſcripſit. Præclara item merita recolens Luſitaniæ Regis, & valida ſubſidia ab eo in Turcas collata, enixis ejus precibus annuit pro Regalis Sacelli honore amplificando. Hanc Cappellam Divo Thomæ Apoſtolo ſacram, atque in regio ſitam Palatio præſtanti Dignitatum & Canonicorum numero inſignitam ceu novam Metropolim conſtituit. Ita Ulyſſiponæ diviſa urbe, partem, quæ ad Orientem ſpectat, veteri Archiepiſcopatui Ulyſſiponenſi reliquit; partem vero, quæ ad Occidentem vergit, novæ Metropoli adſcripſit. Fines utriuſque Diœceſis diſtinxit; atque utrique ſuos conſtituit Epiſcopos ſuffraganeos. Occidentalem Ulyſſiponenſem Metropolitam præfectura regiæ Cappellæ, ac juriſdictione in univerſos Clericos alioſque Miniſtros potiri juſſit. Præterea ſæpius inſtante Rege, eumdem Epiſcopum Patriarcham dixit ad inſtar Veneti. Omnia illi contulit privilegia & prærogativas, quibus idem Venetiarum Patriarcha vel jure, vel conſuetudine gaudet. Uſum quoque purpureæ veſtis conceſſit, quo Archiepiſcopi Salisburgenſes utuntur, & plura alia attribuit effuſiſſima liberalitate decoris ornamenta, & juriſdictionis inſignia. Ampliora Rex petebat, ſed adduci Pontifex non potuit, ut novo Præſuli majora decerneret, ne Nuncii Apoſtolici læderetur auctoritas, aut Eccleſiæ Hierarchia turbaretur.

Pro hiſce privilegiis Luſitanus Rex vices cumulate rependit ſequenti ann. 1717., majorique fervens zelo juvandæ Chriſtianæ Reipublicæ, ad augendam Venetorum claſſem undecim maximas naves ſubſidiarias miſit. Eaſdem Magnus Etruriæ Dux, & Ordinis Hieroſolymitani Magiſter, quas inſtruxerant anno præterito, ſuppeditarunt. Eadem quoque auxilia Clemens obtulit, ſed majore lectorum militum numero. Pluries in mari Ægeo dimicatum eſt magna Venetorum contentione. Hi fere totum belli pondus ſuſtinuerunt, & ſcientia & virtute militari barbaris præſtitere. Pleniſſimam retuliſſent victoriam, ſi opportune fuiſſent auxiliaria claſſe ſuffulti, qua generale prælium iniri potuiſſet.

Grandia quoque ſubſidia Hiſpanus Rex pollicebatur, nuntiabatque adfutura. Sexdecim naves e Gadibus in Orientem ſolverant; novas præterea copias, novoſque pedites, & equites evocarat. Tantus belli apparatus pleriſque admirationem injecerat. Ipſe Clemens XI. in ſuſpicionem venerat, ne Catholicus Rex Cæſari nondum plane conciliatus quidpiam moliretur. Et profecto moleſtum nimis, atque grave fuiſſet Reipublicæ chriſtianæ, ſi quid hoc tempore pertentaſſet. Etenim Eugenius Princeps acrius adverſus Turcas in Pannonia expeditionem urgebat. Taurunum obſidione cinxerat, neve obſidio protraheretur, extremam belli aleam tentare decreverat. Chriſtianus exercitus ab immani hoſtium numero pene circumfluebatur, ut obſeſſus magis, quam obſeſſor videretur. Proxima montium juga barbari occupaverant, omnibuſque intercluſis itineribus, nihil inferri, aut afferri ſinebant. Princeps Eugenius barbarorum conſilia minaſque antevertit. Copias e vallo tacitus educit, hoſteſque intra foſſas & aggeres turo conſiſtentes repente aggreditur. Peculiari Dei beneficio inter æſtivos calores die 16. Auguſti denſa nebula oborta eſt, amneſque & imæ valles adeo caligaverant, ut Auſtriaci ſilenti agmine obtecti incederent. Tum Eugenius improviſo barbaros adoritur. Animo primum dejecti hoſtes, deinde ſolita audacia obſiſtunt, & pugnam reſtituunt. At Cæſareorum virtute & conſtantia tandem fracti, ac conſternati prælium & caſtra deſeruerunt. Turcarum fere triginta millia cæſa ſunt. Ingens captivorum numerus, ærarium, vexilla plurima, & ſupra centum quadraginta bellica tormenta in noſtrorum venere poteſtatem. Urbs ipſa ſuorum cæde exturbata, quum nulla proximi auxilii ſpe aleretur, poſtridie exorata fide victoris in deditionem recepta eſt.

At hic quoque annus prodidit, quo tandem ſpectarent bellica Hiſpani Regis conſilia, & tanta rerum molimina. Obtentu enim ulciſcendæ injuriæ, quam a Cæſareis Miniſtris in Civitate Mediolani ſibi illatam Philippus V. aſſerebat, quum Joſephum Molines, jam XII. Virum Rotæ Romanæ, & mox Hiſpaniarum Quæſitorem fidei generalem renuntiatum, & Hiſpanias petentem, in itinere comprehenderant, captumque retinuerant; naves, pedites, equiteſque, omnem denique militarem apparatum quam citiſſime cogit; hæcque omnia, quæ ad Turcas, Mauroſque evertendos ſpoponderat, in Sardiniam vertit. Imparatus Cæſar & bello diſtractus Turcico, credulitatem accuſavit Pontificis, magiſque fidem expoſtulavit Philippi Regis, quod importuno chriſtianæ Reipublicæ tempore, Chriſtianorum trumphos remoraretur, & Dei gloriæ dilatandæ obſiſteret. Hiſpani contra, Calari quam citiſſime expugnata illius Regni metropoli, minores alias ad deditionem compulerunt, & brevi totam Inſulam in ſuam redegerunt poteſtatem.

Cæſar de amiſſa Sardinia certior factus, atque ira exæſtuans, nedum Philippi Regis, & Cardinalis Alberonii ſupremi Regni Hiſpanici adminiſtri violatam fidem inſimulabat, ſed ipſius Romani Pontificis infidam mentem incuſabat, doloſque ex condicto ſuſpicabatur. Non jure tamen, nec recte. Immemor enim eſſe non poterat maximi ſubſidii Principibus chriſtianis collati magna Clementis ſinceritate, magnoque ſumptu. Hiſce tamen poſtpoſitis, Nuncium Apoſtolicum ab ſe, atque Aula Viennæ removit. Alterum Neapoli agentem quatuor & viginti horarum ſpatio toto Regno juſſit abſcedere. Fructus præterea rerum Eccleſiaſticarum vacantes quotannis ſeponi voluit; & Tribunal Fabricæ Divi Petri in eodem regno conſtitutum abolevit. Patienti animo Clemens has ærumnas tulit: cum Cæſareo Romæ Oratore Comite de Gallas indoluit, & datis ad Carolum Cæſarem gravibus litteris de tanta cifra rationem concepta indignatione ſolum conqueſtus eſt. Ne tamen eodem tempore ſuo deeſſet muneri, ſumma ope Catholici Regis animum ab inceptis avertere conatus eſt.

At propoſiti tenax Philippus, nedum tueri parta, ſed in Siciliam arma victricia transferre ſtatuit. Pontifex vero, ut Cæſari & Orbi patefaceret quam invito ferret animo moras Turcico bello importune interpoſitas, ubi precibus & ſuaſionibus flectere Hiſpanum Regem non potuit, quotquot illi in certum tempus tribuerat ſacra emolumenta, & ex reditibus Eccleſiarum ſubſidia ſuſtulit. Et Julium Card. Alberonium primum Regii conſilii adminiſtrum, & præcipuum in Carolum expeditionis (ut ferebatur) authorem ab Archiepiſcopatu Hiſpalenſi, ad quem ex Malacitano Epiſcopatu eum Philippus Rex transferre deſtinaverat, conſtantiſſime repulit.

Carolus interea Imperator perſpicue tot factis edoctus de ſincera Pontificis voluntate, abjecta ſuſpicione, Apoſtolicum Viennæ Nuncium ad ſolita officia revocavit. Nec multo poſt Præſulem Vincentinum Apoſtolicum Nuncium Neapolim redire juſſit, integramque juriſdictionem nullo prorſus læſam nomine reſtituit: unum Tribunalis Fabricæ Divi Petri negotium remanſit infectum. Cæſar interim invito prorſus animo, ac magnopere dolente Pontifice, inducias ad Paſſarovitzium cum Achemete Turcarum Principe pepigit, quas Veneti non improbarunt. Potiſſima iis adjecta conditio fuit, ut quæ quiſque haberet oppida, arces, & inſulas, retineret. In reliquo iidem prorſus fines, qui ante bellum fuiſſent, remanerent. Sic nobilibus Chriſtianorum triumphis finis impoſitus eſt. Sic ad priſtinam Cæſar rediit amicitiam cum Romano Pontifice, & ad priorem erga S. Sedem reverentiam.

Sed ita ferebat illorum infelix conditio temporum, ut

uno

uno cum Principe Pontifex pacem habere non poſſet, quin in alterius ſuſpicionem adduceretur. Sacra ex annuis Eccleſiarum reditibus emolumenta, quæ jam pridem Hiſpano Regi conceſſerat, ut adverſus catholicæ Religionis hoſtes adhiberentur, Clemens, uti innuimus, ſuſtulerat. Impium quippe illi videbatur, ſi ex iis civilis aleretur diſcordia Chriſtianorum. At hoc etiam Papæ conſilium judiciumque ægre tulit Philippus Rex. Apoſtolicum proinde Nuncium Pompejum Aldrovandum ſubmovit officio, vetuitque regiis miniſtris, ne cum illo conſuetudinem ullam haberent. Hiſpanos Romæ agentes domum revocat. Aldrovandus autem veritus, ne Tribunali Nunciaturæ in Hiſpaniis ſublato, vis aliqua eidem inferretur, neve pelleretur Regno, ab Hiſpaniis injuſſus diſcedit, atque iter in Italiam parat. Suæ fortaſſe Aldrovando rationes non defuerunt; ignotum tamen utcumque fuerit arcanum, conſilium ejus & Rex, & Pontifex ipſe improbarunt, juſſuſque fuit Bononiam patriam ſuam petere, ibique ſubſiſtere.

Cæſar Turcico ſolutus bello propter factas inducias, in Philippum Siciliam invadentem arma converterat. Angli, Galli, & Allobrogum Dux cum eo fœdus percuſſerant. Propterea licet indigenarum ope fultus Hiſpanus maximam Regni partem ſubegiſſet, fœderatorum tamen viribus terra marique obrutus, & nedum in Sicilia, ſed etiam in Hiſpaniis laceſſitus, & deterritus, pacem quærere cogitur. Cæſari Siciliam, Allobrogum Duci Sardiniam poſſidendam reliquit. In hac pactione, juribus S. Sedis prorſus neglectis, cautum fuit, quod Parmæ & Placentiæ Ducatus, ſi Farneſiam Familiam ſine filiis maribus extingui contingeret, Carolo Principi Philippi V. & Eliſabethæ filio deferretur. Negotium ſecretis actum firmatumque conſiliis improbavit Clemens, ne Romanæ Eccleſiæ jura tacitus violare videretur.

Sedulam dilatandæ Religionis curam non prætermittens, ubere pecuniarum ſubſidio pauperes Batavos, Hibernos, & Scotos levavit; & Caroli Cæſaris, & Philippi Ducis Aurelianenſis interpoſita authoritate, ut Chriſti nomen abſque metu profiterentur, obtinuit. Iniquas etiam, quas ab iis hæretici Magiſtratus conditiones exigebant, amolitus eſt, novoſque Verbi Dei præcones in Angliam miſit. In Germania Eccleſiaſticam diſciplinam, morumque honeſtatem, Clericorum præſertim vitio exemploque collapſam, reſtituit. Encyclicas ad univerſos Germaniæ Epiſcopos ſcripſit litteras, ut in id ſollicite incumberent.

Sinenſium, Indorumque cura æque Pontificem urgebat, apud quos exortæ jam pridem de ritibus contentiones, etſi Apoſtolicis decretis non ſemel diremptæ, acrius efferveſcebant. Nihil non egit Clemens, ut Conſtitutio ab ſe edita *Ex illa die*, qua ii ritus damnabantur, firmitatem omnem & authoritatem conſequeretur; novumque propterea Legatum, & novos Evangelii præcones ad Sinas miſit, ut fuſius ſuo loco exponemus. Ruthenorum porro ſchiſma uſque ab initio Clementis Pontificatus in Sarmatia extinctum, mirificos Eccleſiæ catholicæ proventus exhibuerat. Cogi hoc anno 1720. debebat Provinciale Concilium a Græcis Ruthenis habendum. Epiſcopi ex univerſa regione convenerant, ut ſalutaria Eccleſiæ decernerent, & incompoſitos ordinum, plebiſque mores corrigerent. Conſilium probavit Clemens, juvitque propoſitum. Conſeſſui itaque præſidere juſſit Hieronymum Grimaldum Edeſſæ Archiepiſcopum, & Apoſtolicum in Sarmatia Nuncium. Quatuor aureorum millia donavit, ut in Conventus expenſis impenderentur; & Leoni Kiskæ totius Ruſſiæ Metropolitæ, aliiſque Ruthenis Epiſcopis litteris ſuis perſuaſit, ut ſtrenue pio operi inſiſterent, graveſque abuſus præcipue in electione ſacrorum Miniſtrorum evellerent. Acta abſoluti Concilii ineunte Innocentii XIII. Pontificatu Romam delata, & tanquam pie ſapienterque geſta a S. Sede probata ſunt.

Hiſpanum quoque Regem anteactis querelis a Pontifice diſſidentem conciliavit hic annus. Apoſtolicum Nuncium Alexandrum Aldobrandinum Rex honorifice excepit, omniaque in priſtinum ſtatum Nunciaturæ jura & emolumenta reſtituit. Ut indultis etiam, & Pontificiis largitionibus frui poſſet de reditibus vacantium Eccleſiarum, ipſius Pontificis incitatus monitis in Africam contra Mauros arma converterat. Inſignem etiam de iis victoriam retulerat; Septenſem enim urbem ſexto ſupra vigeſimum anno a barbaris obſeſſam metu & obſidione liberarat, & ſexto idus Decembris commiſſa pugna, ampliſſime de illis triumphaverat. Cæſis fugatiſque Maurorum copiis, cunctam regionem priſtinæ libertati aſſeruerat, hoſteſque ſemel atque iterum majori apparatu bellum redintegrantes, turpiori affectos nota, iterato certamine ſuperaverat. Partos virtute Chriſtianorum militum triumphos, ſcriptis propria manu litteris Rex Pontifici nunciavit, & plura illis erepta vexilla dono dedit.

Multiplici hac tempeſtate Clemens morbo, atque inveterato correptus, nec tam ſenio quam curis graviſſimis undique preſſus, ineuntem annum vigeſimum primum expertus eſt infeſtiſſimum. Noxius crurum humor in dies augebatur cum pertinaci dolore; & ineunte hyeme ex febre laborare cœpit. Nauſea etiam, & ſtomachi flacceſcentis irritatione cruciabatur. Diuturna ac variante periodo, plures in menſes luctatum eſt. Quando depulſa febri pauliſper convaleſcebat, Apoſtolicas curas reſumebat, nec ullam ſibi elabi occaſionem patiebatur juvandæ Reipublicæ Chriſtianæ. Orthodoxos Chaldæos multifariam a Turcis vexatos, miſſis aliquot nummorum millibus, & implorato Chriſtianorum Principum patrocinio liberaliter adjuvit. Diſſidia inter Maronitarum Patriarcham, & ejuſdem gentis Antiſtites, miſſo Gabriele Eva Monacho Syro-Maronita ex Ordine S. Antonii Abbatis, ſuſtulit atque extinxit. Idoneis Gabrielem inſtruxit conſiliis, addidit & litteras Apoſtolicas, quibus univerſæ Nationis Antiſtitum, Principum, & populorum authoritatem illi conciliaret & fidem, ſed brevi ex humanis rebus Pontifex ereptus Maronitarum diſcordiam feliciter extinctam, ac diremptam audire non potuit, nec tot aliorum laborum, quos extremo etiam hoc vitæ tempore pro Deo, & pro Catholica Eccleſia ſtrenue ſuſceperat, fructus intelligere.

In poſtremo, quod die 28. Novembris habuit Conſiſtorio, quaſi inſtantem ſibi mortem prænuntiaret, Cardinales alloquens aperte teſtatus eſt *ſe ad divinum tribunal villicationis ſuæ rationem redditurum, brevi ſiſtendum admoneri* (1). Corporis viribus fractus quotidie magis, pallore ac macie perfuſus, cum S. P. A. Magiſtro, quem Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrum ſibi delegerat, reliquos inſumpſit dies. De rebus divinis, deque ſancta oppetenda morte cum eo differebat. Hannibali Card. Albano modeſtum ſibi in Vaticana Baſilica ſepulcrum parari juſſit. Epigraphem marmori apponendam ſibi ipſe compoſuit, in hæc verba conceptam

D. O. M.
Clemens XI. Pont. Max.
Hujus Sacroſanctæ Baſilicæ
Olim Vicarius & poſtea Canonicus
ſibi vivens poni juſſit
Obiit die . . . . . Ann. Sal. MDCCXX.
Sedit in Pontificatu A. XX.
Orate pro eo.

Cui inſcriptioni annum appoſuit vigeſimum, dixitque quod ſi quid parum ſibi ſupereſſet vitæ, facile & dies & menſis ſuperapponi potuiſſet. Die 17. Martii poſt oblatum Deo Sacrificium, toto corpore rigere cœpit, & licet remiſſior veſpere febris eſſet, ſequenti tamen die occultas vires exeruit. Conclamata jam ſalus erat. Admonitus de inſtanti periculo, non expavit ad nuncium mortis. Anteactæ vitæ noxas generali exhomologeſi expiavit. Sacro Chriſti Corpore pro Viatico refectus, ac Oleo Sancto inunctus, catholicæ Fidei profeſſionem emiſit. In lacrymas poſtridie, piaſque preces ſæpe effuſus, amorem & miſericordiam adſtantibus excitabat. Adſtabant autem qui ab eo creati fuerant Cardinales, quotquot Romæ erant, & ingentem chriſtianæ Reipublicæ jacturam dolebant. Die S. Joſepho ſacra, quem ſibi jam pridem in ſui patronum adſciverat, quemque novo, ut vocant, officio chriſtifidelibus colendum voluerat, & in cujus anniverſaria die mori ipſe exoptaverat; eadem, inquam, die 19. Martii placidiſſime occubuit ann. 1721., ætatis ſuæ 71. menſ. 7. die 25. Laudatus eſt a Vincentio Luccheſinio.

Statura Clemens procerus fuit, capite oblongo, alta fronte, vultu ad gravitatem compoſito, colore ad album accedente, nigreſcentibus oculis, capillis in juventute nigris, voce ſuavi & clara. Animi vero dotes, acutum ingenium, tenax memoria illi fuerunt. Ab ira & odio alienus fuit; comis & perhumanus, ſecreti tenax, doctrinæ & eruditionis cupidus; ſtudio propterea intentus, & rigidus exactor temporis. Multa hinc geſſit, & ſcri-

(1) Inter ejus Orat. 91. pag. 314.

& ſcripſit. Bullarium Romanum ex ejus Apoſtolicis Conſtitutionibus plurimum excrevit. Epiſtolæ, & Brevia ſelectiora in vulgus ſunt etiam edita, quemadmodum Homiliæ, & Orationes, quæ in diverſas linguas quoque converſæ ſunt. Duos maximos Germaniæ Principes, ſcilicet Antonium Ulricum Brunſwicenſem, ac Luneburgenſem Ducem, & Fridericum Auguſtum Electoralem Saxoniæ Principem Lutheri erroribus nuntium remiſiſſe vidit. Cultum honoremque Dei, præcipue ſacris in templis, promovit. Vaticanæ Baſilicæ plura id generis contulit beneficia; Vaticanam vero Bibliothecam lectiſſimis ex Ægypto, Syria, & alibi conquiſitis libris ditavit. Lateranenſem Eccleſiam marmoreis duodecim Apoſtolorum ſignis egregio artificio ſculptis ornavit. Doctos homines, & nobiles diſciplinas tutatus eſt. Ut novas artes in Urbem inveheret, egregios opifices undequaque accivit. Pictores, Sculptores, aliarumque artium peritos honoribus affecit, & præmiis. In Hoſpitio S. Michaelis ad Ripam fluminis præſtantes operarios & artifices excepit; eos præſertim qui aulæa contexunt, & quidem tam concinne ac mirifice, ut acus picturam ſuperaſſe videatur. Atque hæc de Clemente XI. ſcribenda erant. Conſulto autem factum, ut labores curaſque ſilentio involverimus, quas idem tot annis adhibuit, ut cum Sinenſium Rituum vindices bonam in frugem revocaret, tum Queſnellianos comprimeret; nam & his, quum longiora verba poſtularent, ſuus erit in Diſſertatione locus, in qua errores enarrabimus hac tempeſtate excitatos.

INNOCENTIUS XIII.

PRO veteri Eccleſiæ more Novendialibus juſtis Clementis XI. abſolutis, Cardinales Vaticanum Conclave ingreſſi, die 8. Maji, nemine eorum contradicente, Pontificem delegerunt Cardinalem Michaelem Angelum de Comitibus Romanum, qui Innocentii XIII. nomen aſſumpſit in memoriam Innocentii III. qui unus fuit ex pluribus Summis Pontificibus, qui ex hac præclariſſima familia prodierunt.

Natus ipſe eſt die 13. Maji ann. 1655. parentibus Carolo Duce Poli, & Iſabella Muti clariſſima Matrona. Sub diſciplina patrui ſui Cardinalis Joannis Nicolai de Comitibus Anconitani Epiſcopi educatus fuit. Alexandri VIII. Cubicularius honoris aſſumptus ad Franciſcum Maurocenum Venetiarum Ducem miſſus eſt Internuntius, ut illi Pontificio nomine enſem & galeam deferret. Sub Innocentio XII. in Præſulum ordinem cooptatus, Aſculum, Fruſinonem, & Viterbium gubernavit; ann. vero 1695. Archiepiſcopus Tharſenſis & Nuntius Apoſtolicus ad Helvetios dictus eſt. Demum ad Luſitanos mittitur eadem Nuntii Apoſtolici dignitate inſignitus. Qua poſtrema legatione ſtrenue multoſque annos geſta, die 7. Junii ann. 1706. a Clemente XI. Cardinalis, & Epiſcopus Auximanus renuntiatus fuit. Romam adveniens ann. 1710. Titulum obtinuit SS. Quirici & Julittæ. Auximum inde ſe recepit, atque in Eccleſia ſua annos duos prudentia & morum integritate claruit. Ann. 1712. mortuo Card. de Sancta Cruce Epiſcopo Viterbienſi, ad hunc Epiſcopatum translatus eſt. Quam Eccleſiam parum firma uſus valetudine aliquot poſt annos dimiſit. In Apoſtolica Sede collocatus prudenti conſilio optimos ſibi adminiſtros elegit. Ut opem conſequeretur divinam pro ſalutari Eccleſiæ catholicæ regimine, Jubilæum indixit, & publicas ſupplicationes decrevit. In iis die 4. Junii pedibus inceſſit, & Cleri, Præſulum, atque Cardinalium ſtipatus ordinibus, Vaticanum Periſtylium luſtravit. In primo, quod habuit, Conſiſtorio Cardinalium auxilium popoſcit, ut quod ſibi impoſuerant ſupremum Eccleſiæ miniſterium, atque onus graviſſimum, diviſis cum ipſo laboribus, imminuerent. In altero, quod habuit die 21. Junii hujus anni, Conſiſtorio, ut aliquem ſibi conſiliorum ſuorum participem atque intimum adjutorem aſſumeret, Bernardum Mariam de Comitibus ſui germanum fratrem, olim Terracinenſem Epiſcopum, inter Cardinales adſcripſit. Die vero 16. Julii ejuſdem anni Guillelmum du Bois Archiepiſcopum Cameracenſem, & Alexandrum Albani Clementis XI. ex fratre nepotem eadem Cardinalitia dignitate inſignivit.

Ad privilegia Sedis Apoſtolicæ conſervanda animum intendens, Cæſari utriuſque Siciliæ Regnum jure belli poſſidenti legitimam dedit poſſeſſionem, quam inveſtituram vocant. Recepto itaque Aſturcone, quem noſtri *Chineam* dicunt, cum tributo quotannis pendi ſolito, & fidelitatis juramento, quod ipſe Cæſar jamdiu exhibebat, illi Neapolitani Regni dominium tradidit. Certas adjecit conditiones juxta vetus Romanæ Sedis inſtitutum, & directum in illud regnum dominium & proprietatem. Sic tandem Eccleſiæ jura vindicavit, & controverſias diremit, quæ toto Clementis XI. Pontificatu Romanam Sedem fatigarant.

Inſulam Melitenſem terra marique oppugnare hoc anno Turcæ minitabantur. Stimulis paternæ pietatis excitatus Innocentius nullum prætermiſit officium, ut Chriſtianos Principes commoveret ad opem ferendam ampliſſimo huic Hieroſolymitanorum equitum Ordini, qui ſe vitamque ſuam offert pro ſtatu Religionis, & pro Chriſtiana libertate. Sacrum Cardinalium Cœtum gravi oratione commonuit, ut pecuniam quiſque ſuam juxta vires tribueret ad fratres ſuos ab immani periculo eripiendos. Utque exemplo magis quam precibus, aut ſuaſionibus cæteris anteiret, viginti millia nummorum contulit ex ære proprio. Quamplurimi idcirco ex Cardinalibus, Præſulibuſque Romanis ejus veſtigiis inſiſtentes magnam pecuniæ vim conflarunt, ſuppetiaſque Melitenſibus miſerunt. Novos ob id Ordinis Magiſter conſcripſit milites, ſtipendia triariis auxit, noviſque munimentis Inſulam vallavit. Pari ſollicitudine Corcyræ Inſula, in Mari Jonio fortiſſimum Italiæ propugnaculum, firmata eſt. Centum millia ducatorum depoſuit in æde ſacra Montis Pietatis Urbis, ut iis Jacobus III. magnæ Britanniæ Rex uteretur, ſi ſpes regni recuperandi aliquando illi affulſiſſet.

In Conventu Cameracenſi, atque in Comitiis Imperii Ratisbonæ habitis, Catholico Rege vehementer flagitante, ſancitum fuerat, Parmæ & Placentiæ civitates inconſulta Sede Apoſtolica Carolo Hiſpaniarum Principi eſſe deferendas. Inflictum Pontificiæ authoritati vulnus, dominiumque S. Sedis poſthabitum doluit Innocentius, gravibuſque Cæſarem, alioſque Germaniæ Principes litteris commonefecit, ut a cœptis abſtinerent. De reſtituenda quoque S. Sedi Comaclenſi civitate apud Cæſarem aſſidue egit.

Sed infirma nimis erat valetudine, quam ut hæc & alia urgere poſſet. Ex quo Apoſtolicas ſollicitudines in Eccleſiæ regimine inſumpſerat, gravius ægrotare incœperat. Medicorum conſilio ſub cælo ſalubri apricari juſſus eſt. Itaque prope caſtrum Poli, vetuſtiſſimum Comitum Anagninorum feudum in Villa nuncupata *la Catena* hoc anno ruſticatus eſt. Avito hoc in fundo magnifico atque eleganti nitore a Majoribus ſuis extructo, mirifice Pontifex viſus eſt refici ac recreari. Roma Innocentium excedentem, atque illuc redeuntem Romanus populus ingenti plauſu, lætiſque clamoribus continenter comitari non deſitit. Tanto eum ſtudio venerabatur, diligebat, obſervabat.

Romam redux interno ditionis Eccleſiaſticæ gubernio, & Paſtorali Orbis univerſi regimini intentum, ut ſolebat, adjecit animum. Annonam levavit, & frumenti promercalem negotiationem repreſſit. Ad Apoſtolicas inde ſollicitudines converſus, diffluentes in Hiſpania Clericorum plebiſque mores ſpeciali Conſtitutione emendare ſtuduit, quam uti ſalutarem, & temporum conditioni idoneam probavit confirmavitque ejus ſucceſſor Benedictus XIII.

At in medio ſui Pontificatus curriculo, juſtitiæ omniumque virtutum operibus nondum abſolutis, quarum tam firma jecerat fundamenta, ereptus, ac pene avulſus viſus eſt Innocentius. Obeſa illius corporis habitudo fere in hydropem deſierat. Huic tandem acceſſit inteſtinorum inflammatio, & ardens febris. Quare die 7. Maji hujus anni 1724. naturæ conceſſit. Omni ope moriens contendit, ut quam piiſſime vitam exegerat, piiſſime quoque compleret. Rite Sacramentis munitus, conſuetas Eccleſiæ preces tanta religione pronunciavit, ut qui ægrotantem ſepiebant viri graves & ordinum religioſorum Generales Præſides, vix a lacrymis abſtinerent. Vixit annos 68. menſes 9. dies 24. Sedit in Cathedra Principis Apoſtolorum annos 2. menſes 9. & dies 29.

Statura Innocentius fuit ultra mediocrem; corpore obeſo & gravi; vultu ſubpingui ac ſerio; placido tamen & ad hilaritatem compoſito; albicantibus oculis; na-

ſo

ſo patulo; facie colore alba, & rubore ſuffuſa. Ut Innocentii mors Romano populo innotuit, repente omnes invaſit triſtitia, & rerum luctuoſa eſt facta converſio. Poſtridie corpus ejus ad Vaticanam Baſilicam translatum ibidem amantiſſimo populo triduo expoſitum manſit. Demum juxta vetus Eccleſiæ inſtitutum exequialibus juſtis rite peractis, e conſpectu tumuli Chriſtinæ Svecorum Reginæ ſepultum eſt. Nitida oratione laudes ejus recenſuit Jacobus Amadorius olim de Lanfredinis, Præſul doctrina celebris, & poſtea ampliſſimus S. R. E. Cardinalis. Intra tumulum, in quo conditus fuit, hæc appoſita inſcriptio:

D. O. M.
Innocentius XIII. Pont. Max.
Antea Michael Angelus de Comitibus
Romanus
Ob. die VII. Martii Feria tertia
An. Dom. MDCCXXIV.
Vix. an. LXVIII. Menſ. IX. Dies XXIV.
Sedit in Pontificatu Annos II. Menſ. X.

Apoſtolica authoritate firmavit Innocentius cultum immemorabilem B. Andreæ de Comitibus Alexandri IV. ex fratre nepotis, & Dominica poſt Epiphaniam ſecunda feſtum Sanctiſſimi Nominis Jeſu in Eccleſia univerſa celebrandum decrevit.

BENEDICTUS XIII.

BENEDICTUS XIII. antequam ad Romani Pontificatus faſtigium eveheretur, Frater Vincentius Maria Urſinus appellabatur. Is Patritius Neapolitanus, ac Venetus, ſed genere Romanus, ubi Urſinam Gentem, ſummo quidem loco ſemper habitam, alii ſanctitate præſtantes viri, & Romanæ Eccleſiæ Cardinales, atque etiam Pontifices Maximi, multæque Regiæ cognationes, excelſique honorum gradus, ampliſſimæque ditiones illuſtrarunt, Ferdinando Gravinatum Duce, & Joanna Frangipane Tolphia poſtremo germine hujus præclariſſimæ ſtirpis, quæ eadem cum Anicia cenſetur, parentibus natus eſt Gravinæ IV. Nonas Februarii anno MDCXLIX. Petri Franciſci nomen ſortitus. Adoleſcens humanioribus literis, philoſophiæ, ac utrique juri in Patria operam navavit, optimis præceptoribus in diſciplinam traditus; utrumque enim illi contigit, bene inſtitui, ac feliciter naſci. Adeo vero in literis profecit, ut epigrammatum libellum tenera adhuc ætate in lucem ediderit: epigrammatum autem argumenta omnia ſacra, nihil prophanum. Ferdinando Patre defuncto, Petrus Franciſcus poſthabito Familiæ Principatu, ſibi uti Primogenito debito, divino affiante Spiritu, ſpecie quadam ac obtentu luſtrandi Italiam, Venetias ſe contulit, ibique Prædicatorum Ordini in S. Dominici Cœnobio nomen dedit, Vincentius Maria appellatus, ceſſitque Dominico fratri ſecundo loco nato avitas opes, amplaſque ditiones majori abrenunciandi ſtudio, quam alii acquirendi cupidine hæc maxima fortunæ bona proſequantur.

At hujus rei nuntius adeo Matrem, & Conſanguineos perculit, ut non ſolum apud Præſules Ordinis Prædicatorum, ſed etiam apud Clementem IX. tunc Romanum Pontificem eorum querelæ invaluerint. Dicebant, Petrum Franciſcum juvenili potius fervore, quam maturo conſilio, divinaque vocatione ſacræ Religionis Clauſtra ingreſſum. Rem, ex qua nobiliſſimæ Familiæ ſpes pendebat (parabantur enim illi ſplendidiſſimæ nuptiæ) non inconſulta, inauditaque Matre, & Conſanguineis tranſigi oportere. Clemens adoleſcentis animum exploraturus, juſſit illi, ut Romam veniret. Ubi Frater Vincentius Maria coram Pontifice fuit, ita vehementer cauſam oravit vocationis ſuæ, ut Clemens nonniſi divina voluntate id factum eſſe intellexerit. Non ſolum itaque querelas Matris, & Conſanguineorum compreſſit, conſiliumque Adoleſcentis laudavit, verum etiam probationis annum, ſacris legibus indictum iis, qui Religionem profeſſuri ſunt, ad ſex menſes contraxit, adeo pro certo habuit, Fratrem Vincentium Mariam divino Numine e ſæculo ad Eccleſiam traductum, præmatura virtute excellere, & majora quæque portendere. Ille lætus, & alacer, quaſi de ſæculo victoria adepta, regreſſus ad ſuos, virtutum omnium ſplendore inter tyrones enitere, infimo loco eſſe, viliſſima quæque officia ſibi depoſcere, nunquam de genere, & Patria quidquam locutus. XIII. Februarii anno MDCLXVIII. ſolemnibus Religionis votis ſe obſtrinxit; mox in Philoſophiæ ac Theologiæ curriculo Theſes Neapoli, Bononiæ, ac Venetiis propugnavit magna cum laude ingenii ſui: cœperat enim virtus animum, mentemque illius inſidere ante diem. Inde, ſacris initiatus, Brixiæ Philoſophiam docuit: ibi Antonium Cardinalem Barberinum, Ordinis Prædicatorum Protectorem defunctum, funebri oratione, quæ typis mandata fuit, diſerte laudavit, & apologeticam Epiſtolam pro regulari habitu a Regularibus Epiſcopis deferendo in Joſephum Ciantes ex Ordine Prædicatorum Marſorum Epiſcopum, qui adverſam ſententiam tuebatur, edidit. Ut ſacrarum literarum ſtudiis prolixius vacaret, inœnatum dormire, & poſt nocturnam Pſalmodiam ſomnum non repetere, mos illi fuit. Contracto itaque cibo ac ſomno, a vino quoque abſtinuit, ut animam ſuam transferret ad ſapientiam. Vigeſimo ſecundo ætatis anno vix expleto a Palutio Cardinali de Alteriis ex Apoſtolica diſpenſatione Presbyter ordinatus, amantiſſimam Parentem conſolaturus, Gravinam acceſſit; ibique, cum ad Aram faceret, ea caſula uſus eſt, quam dum Mater prægnans phrygio opere in Gynecæo cum ancillis ſuis pingebat, a Religioſo Viro Ordinis Prædicatorum intellexit, a puero, quem geſtabat in utero, futuro Divi Dominici alumno, primo deferendam fore.

Inde cum Bononiæ moraretur, proximo tunc ſacratiſſimæ quadrageſimæ tempore Conciones in ea Diœceſi habiturus, Clemens X. XXII. Februarii Anno MDCLXXII. ne tanta virtus, cujus pleni, ac uberes ſupra ætatem fructus undique apparebant, inornata jaceret, quaſi prænoſceret Fratrem Vincentium Mariam Urſinum, tunc vigeſimum tertium annum agentem, futurum aliquando Apoſtolicæ Sedis decus atque præſidium, Presbyterum Cardinalem renunciavit. At ille, qui deliteſcere magis, quam apparere cupiebat, ubi Cardinalatus honorem ſibi delatum eſſe intellexit, averſari, refugere, obſecrare, & deprecari a ſe eminentiſſimam dignitatem. Longa cum illius modeſtia pugna fuit: nec ſane acquievjſſet, niſi Clemens datis Kal. Martii literis Apoſtolicis in forma Brevis, miſſo etiam Generali Ordinis Prædicatorum Magiſtro de Roccabertis, interpoſito præcepto ex religione ſacramenti coegiſſet, ne promotioni ſuæ diutius obſiſteret. Itaque Romam profectus, Titulo S. Sixti ornatus, novum Romanæ Aulæ invexit exemplum; priſtina enim vivendi conſuetudine nihil admodum immutata, ea animi moderatione, cultus modeſtia, victus parſimonia, eo religionis ardore, ea vigilandi, ac precandi aſſiduitate, & in Eccleſia Dei ſtrenue laborandi ſtudio vitam inſtituit, ut dignitatis ſuæ ſplendorem fide tantum, ac operibus quæreret.

Sacræ Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum præfectus, aliiſque Cardinalium Congregationibus annumeratus, quantum doctrina valeret luculenter oſtendit. Sed cum ille animarum ſaluti ſeſe propius impendere vehementer cuperet, ampliſſima Præfectura, quam Romæ præcipui inter Cardinales optare ſolent, ultro dimiſſa, Archiepiſcopatum Sipontinum ad oram Adriaci Maris longe ab Urbe diſſitum, a barbaris direptum, cælo inſalubrem, penſionibus prægravatum, quem Benedictus Capellettus ſponte ceſſerat, die XXVIII. Januarii MDCLXXV. a Clemente X. accepit, prætulitque Archiepiſcopatui Salernitano multis nominibus, ac divite cenſu percelebri, qui eidem a Carolo II. Hiſpaniarum & utriuſque Siciliæ Rege offerebatur. A Palutio Cardinali de Alteriis Archiepiſcopo Ravennate, Viterbienſi, & Imolenſi Epiſcopis cooperantibus, III. Februarii eodem anno in Templo SS. Dominici, & Sixti conſecratus, ſublato a Clemente ætatis defectu (non enim ipſi XXVII. annum vix ingreſſo Pontificalis conſecrationis munus recipere per ætatem licebat) Sipontum proficiſcitur, inde Gravinam, ubi Fratri Jacobo Mariæ Conilio Veneto Ordinis Prædicatorum, a quo Priore Venetiis religioſum habitum acceperat, vices magnifice reddidit; illum enim ex Apoſtolico mandato in Epiſcopum Zacynthi, & Cephaleniæ ordinavit. At Siponti primum ſumma illa Paſtoralis vigilantia illuxit, qua deinde Diœceſes alias, ac univerſam Eccleſiam Cardinalis Urſinus erat illuſtraturus. Annuo cenſu reparationi Metropolitanæ Eccleſiæ conſuluit. Seminarium Clericorum, poſtrema Turcarum invaſione ſublatum, reſtituit, in quo viginti quatuor

Alu-

Alumni *numerati* ſunt. Xenodochium etiam pro infirmis & *peregrinis*, Mons Pietatis, & alius frumentarius ad Cardinalem Urſinum referunt initium. Synodum Diœceſanam anno MDCLXXVIII. coegit, cujus decreta uno volumine, altero appendicem complexus eſt, utrumque vero typis edidit: ſed & nova editione in memoriam, ac uſum hominum revocavit Statuta Provincialis Concilii Sipontini ſub Ptolomæo Gallio Cardinali, & Archiepiſcopo habiti anno MDLXVII. quæ oblivionis caligine obruta jacebant.

Verumtamen anno MDCLXXX. XII. Januarii ab Innocentio XI. ad Cæſenatenſem Eccleſiam translatus, dum ibi Cleri mores emendare, multis propoſitis edictis, chriſtianam diſciplinam tueri, ſacris miſſionibus Populum excolere, Cathedralem Eccleſiam inſtaurare, aliaque pietatis officia exhibere ſatageret, cœpit adverſa valetudine laborare, quod ipſe abſtemius Cæſenatenſes aquas graves admodum & inſalubres ferre non poſſet. Quare Neapolim valetudinis cauſa ſe contulit, divinoque conſilio factum eſt, quod Metropolitanæ Eccleſiæ Beneventanæ, ex obitu Hieronymi Cardinalis Gaſtaldi tunc vacanti, ab eodem Innocentio XI. XVIII. Martii MDCLXXXVI. præficeretur, ut Paſtoralis ejus ſollicitudo pateret latius, & amplior Dominici gregis portio tanti Paſtoris munere frueretur. Pacificam epiſtolam ad Clerum, & Populum ſibi concreditum Neapoli XXX. Martii dedit, ubi Archiepiſcopali Pallio in Templo Divi Philippi Nerii Congregationis Oratorii XXVI. Maji recepto, ad novæ ſponſæ amplexus Beneventum properavit, inſtituto ibi XXX. ejuſdem menſis ſolemni ingreſſu magno exterorum accurſu, plauſu, ac lætitia.

Primas inter curas Metropolitani Templi, Eccleſiæ S. Bartholomæi, ſacri Seminarii, fatiſcentis Archiepiſcopii, Domorumque campeſtrium inſtauratio, quibus reparandis triginta aureorum millia biennio impendit. Kalendis Junii MDCLXXXVI. ſabbato de laudibus Deiparæ ſermonem ad Populum habere cœpit, quem morem ſervavit ſemper, quoties ipſe in Civitate præſens fuit; fere bis millies dixit ſanctiſſimæ Virginis laudes, & vitam per ſingula proſecutus; ſed centum tantum ex his ſermonibus pietate plenis, & ſacra eruditione refertis typis vulgavit. Perpetuum tamen hoc obſequii genus in Deiparam eſſe voluit ſtatuta dote, ut unus ex Ordine ſuo Prædicatorum in Metropolitana Baſilica illud per ſingula ſabbata præſtet. Decima quinta ejuſdem menſis Junii Diœceſis viſitationem aggreſſus fuit, eique ea methodo operam dedit, ut bienniis ſingulis univerſam Diœceſim luſtraverit tanto divini cultus incremento, ut brevi in ea Archidiœceſi (quæ olim diu caruerat proprii Paſtoris præſentia) facies alia fuerit rerum ſacrarum. Die XXIV. Auguſti ejuſdem anni primam Diœceſanam Synodum coegit, & mox alteram XXV. Octobris, quam peculiari ritu Litaniarum vocant, ſervavitque hunc morem quotannis: propterea cum Cardinalis Urſinus triginta octo annis, antequam ſupremam Beati Petri Cathedram conſcenderet, huic Eccleſiæ præfuerit, totidem etiam celebravit Synodos; ſi tamen addamus Synodos diœceſanas, quas poſt adeptum Pontificatum Romanum celebravit, earum numerus ad XLIV. excurrit, præter illas in Litaniis. Nullus ex tot Synodalibus conventibus optimis ſanctionibus caruit ad retinendam, ſervandamque Eccleſiaſticam diſciplinam, quarum Synodorum Conſtitutiones ſigillatim prius editas, deinde in egregium, & grande volumen collegit, quod Synodicon Diœceſanum S. Beneventanæ Eccleſiæ inſcripſit continens XXXVIII. Synodos ante Pontificatum Romanum, illudque ex Typographia Archiepiſcopali vulgari juſſit anno MDCCXXIII. Divi Philippi Nerii Parrocinium in Clerum ad univerſam Civitatem ampliavit, curavitque Clerum ſuum in Urbe & in Diœceſi excolere, inſtitutis in ſingulas hebdomadas collationibus de ſacris ritibus, ac de regulis morum.

At dum hæc Paſtoralis regiminis initia felicibus ſucceſſibus, ac uberi fructu procederent, quinta Junii anno MDCLXXXVIII. Sabbato ſacratiſſimæ Pentecoſtes repente terra tremuit, cujus vehementes motus univerſam Civitatem quaſſarunt. In ipſa Metropolitana Eccleſia tranſverſa Crux cum Odæo, Paſtophoriis, & novo Secretario everſa; quinque ejuſdem Naves concuſſæ, & ipſæ itidem corruiſſent, niſi novi laterales parietes illas ſuſtentaſſent. Archiepiſcopium, una aula maxima excepta, totum corruit, & ipſe Cardinalis Archiepiſcopus, qui tunc in ſacram Baſilicam deſcendere, ac Veſpertinis horis operam dare meditabatur, a ſummis ædibus ruinis murorum & laquearium involutus cecidit, ſed Divi Philippi Nerii imaginibus, quæ in armario erant, obtectus, inſigni plane miraculo ſervatus fuit. Cætera quoque Civitatis Templa proſtrata fuerunt, ita ut nulla ſacra Ædes ſupereſſet, in qua Miſſæ ſacrificium offerri Deo poſſet. Duo & amplius hominum millia in Civitate ac Diœceſi inter ruinas perierunt. Stetit tamen infractus Cardinalis Archiepiſcopi animus, qui quamvis oculis læſus, nihil de paſtorali ſollicitudine remittens primo Virginibus ſanctimonialibus conſuluit, eaſque ad Montis Herculis oppidum ſuæ Diœceſis, ac inde Neapolim tranſtulit, diſtribuitque plura per Aſceteria. Animum tunc adjecit reparandis templis, Archiepiſcopio, & Cœnobiis; & brevi adeo reſtituit rem, ut abſque ulla cunctatione, poſtquam interfuit Comitiis, quibus Alexander VIII. ad Apoſtolicæ Sedis faſtigium evectus eſt, Roma Beneventum reverſus menſe Majo MDCXC. novum Archiepiſcopium cœperit inhabitare, & mox Moniales Neapoli Beneventum reduxerit. Anno vero MDCXCII. die XXVI. Maji feria ſecunda Pentecoſtes Divi Philippi Nerii (in cujus memoriam grati animi ergo propriam Miſſam a Sede Apoſtolica impetravit) feſto recurrente, Metropolitanam Baſilicam optime inſtauratam, & Aram maximam ſolemni ritu dicavit, aliis vero diebus ſeptemdecim minores Aras ejuſdem Baſilicæ.

Inſequenti anno MDCXCIII. menſe Aprili Provinciale Concilium celebravit, in quo quatuordecim Suffraganei Samnii Provinciæ Epiſcopi, ac inſuper tres honoris cauſa cum Abbate Generali Montis Virginis, aliiſque Abbatibus interfuere, in quo nihil plane ad ſacræ rei ſplendorem, præclarumque totius actionis ordinem, nihil ad inſtaurandam, retinendamque in univerſa Provincia Eccleſiaſticam diſciplinam, cui optimis ſanctionibus non conſuleretur, deſideratum fuit. Marcus Battaglinus Epiſcopus Nuceriæ in Umbria totius rei ſeriem in Annalibus ſuis Sacerdotii, & Imperii Tom. IV. ſummis laudibus commendavit. Ingens hujus Provincialis Concilii pro univerſis Neapolitani Regni Eccleſiis pretium ac fructus; nam data Synodica Epiſtola ad Innocentium XII. qua Concilii Patres poſtulabant, ut ille ſpolia Epiſcoporum, quæ ad Cameræ Apoſtolicæ jus referebantur, Cathedralibus Eccleſiis remitteret, clementiſſimus Pontifex benigne annuit edita de hac re Conſtitutione Apoſtolica, cujus præclari beneficii hoc monumentum Cardinalis Archiepiſcopus in Metropolitana Baſilica excitavit.

NEAPOLITANI REGNI
SVBLIMIA TEMPLORVM TECTA ÆTERNVM
QVATIAT ALLELVIA:
NE DEINCEPS NVDA SINT PASTORVM SPOLIIS DITAVIT
INNOCENTIVS XII. PONTIF. OPT. MAX.
INSTANTE PROVINCIALI BENEVENTANO CONCILIO
CELEBRATO
MENSE APRILI ANNO MDCXCIII.
DIVINO CERTE CONSILIO FACTVM.
PSEVDO-CLEMENS VII. HIS ADINVENTIS SPOLIIS
VRBANVM VI. NEAPOLITANVM PONTIF. MAXIMVM
SPOLIARE NIXVS EST.

INNO-

INNOCENTIVS XII. NEAPOLITANVS
SPOLIORVM ABOLITIONE
CONCIVIS MEMORIAM ET NATIONALIVM ECCLESIARVM
INOPIAM DECORE VESTIVIT.
TANTO HIERARCHÆ BENEFICENTISSIMO
HOC IN MARMORE
NOVVM TROPHÆI GENVS
NON EX ADEMPTIS SED EX REMISSIS SPOLIIS
FR. VINCENTIVS MARIA ORDINIS PRÆDICATORVM
CARDINALIS VRSINVS METROPOLITA
AC CÆTERI DVO DE VIGINTI
SAMNITIVM PROVINCIÆ PONTIFICES
FREXERVNT
ANNO AB ORBE REDEMPTO MDCXCIV.

Alterum Provinciale Concilium menſe Majo MDCXCVIII. celebravit, cui interfuerunt tres ſupra viginti Epiſcopi, plerique ſuffraganei, ac cæteri honoris cauſa: eoque tempore ſacra Divi Bartholomæi Apoſtoli lipſana perſcrutatus, ſtato ritu & cultu poſt ſolemnem ſupplicationem porphyretica in urna ad Aram maximam in novo, & eleganti ejuſdem Apoſtoli Templo condidit. Vetus enim Divi Bartholomæi templum ultimo Terræmotu disjectum anno MDCLXXXVIII. corruerat. Ubi inter confoſſionis ruinas ſacra lipſana in arca ærea inaurata adinventa, ſtatim in Metropolitana Æde depoſita fuerant, donec idem Templum ab Archiepiſcopo reſtitueretur. Adeo populo frequens, ac etiam apud exteros celebris actio fuit, ut a Dominico Viva Societatis Jeſu Presbytero, & ejuſdem Concilii Theologo accurate deſcripta, typiſque vulgata etiam ab Innocentio XII. Romano Pontifice legeretur; qui captus ſplendore ac ordine rerum, eundem ordinem in translatione, quæ tunc inſtabat, ſacri Corporis Divi Pii V. ad tumulum in ſacello Sixtino in Exquiliis magnifice paratum, ſervari mandavit. Illud non prætereundum, quod in ſolemni ſupplicatione Beneventi ducta per Urbem, quamvis Concilii Patres in geſtatione ſacræ urnæ cum Archiepiſcopo per vices alternarent, ipſe tamen Archiepiſcopus nunquam ſuccedi ſibi voluerit.

A Clemente XI. cui in Pontificiis Comitiis ſuffragatus fuit, uſum Mitræ cum indumentis, & paramentis inſtar Abbatum pro Dignitatibus, & Canonicis ſuæ Metropolitanæ Baſilicæ ampliſſimo Diplomate impetravit, ac in pervigilio Nativitatis Domini anno MDCCI. ſolemni ritu Mitras benedixit, impoſuitque Dignitatibus, & Canonicis ſuis. Alias etiam ab Alexandro VIII. Pontificalium ornamentorum uſum pro Pompejo Sarnello inſignis Collegii Sancti Spiritus Abbate, viro eruditiſſimo, & multis ſacris lucubrationibus ſatis noto, tunc Auditore ſuo Generali, atque inde Vigiliarum Epiſcopo impetraverat. Sed iterum XIV. Martii MDCCII. Terræmotu Civitas concuſſa fuit. Templa, ædes, ac ædificia omnia vel everſa, vel labefactata. Cardinalis Archiepiſcopus in Archiepiſcopio degens, piaſque preces in Divi Philippi Nerii honorem recitans, ejuſdem ope etiam hac vice ſervatur incolumis: Archiepiſcopium ſtetit, fatiſcens tamen; atque inde nova enituit Archiepiſcopi ſollicitudo pro Sanctimonialium tutela, ac Templis, aliiſque ædificiis reparandis. Quicumque ſane vir cæteroquin ſapiens & fortis in ea tempora incidiſſet, ad hanc ſecundam Civitatis cladem deſpondiſſet animum, atque iiſdem iterum ſupervenientibus malis tandem cedere, non indignum putaſſet. Sed contra Cardinalis Urſinus audentior ivit. Ipſi enim Deus excelſam adeo, erectamque mentem dedit, ut adverſa omnia infra ſpei magnitudinem, quam in Divina Providentia collocaverat, arbitraretur. Talem ſiquidem ſemper ſe exhibuit Epiſcopum, qualem Magnus Gregorius docet Epiſcopum eſſe oportere, *qui ſcilicet cunctis carnis paſſionibus moriens jam ſpiritaliter vivit; qui proſpera mundi poſtponit; qui nulla adverſa pertimeſcit, qui ſola interna deſiderat*. Tantæ virtuti defuiſſet occaſio, niſi hæ publicæ calamitates, atque ærumnæ ſummam illam animi vim, fortitudinem, patientiam, tolerantiam acrius exploraſſent, atque acuiſſent. Ipſo ſecundi Terræmotus anno, ut pauperes pueri in literis, ac moribus diligenter inſtruerentur, Clericos Regulares Matris Dei, quos a piis ſcholis appellant, Beneventum evocavit, juſſitque ut Collegium erigerent octo ducatorum millibus in fundationis ſubſidium erogatis.

Eccleſiam cum Cœnobio S. Mariæ Angelorum Fratrum Ordinis Servorum Beatæ Mariæ, donatis decem millibus, perfici mandavit; abſoluto tamen opere, ac Fratribus poſtliminio reverſis, marmoreo in monumento, proprio eorundem Servorum ære Eccleſiam cum Cœnobio a fundamentis erectam fuiſſe, juſſit inſcribi, ne tam pii operis gloriam ſibi vindicaret in terris, qui mercedem unice præſtolabatur in Cælis. Presbyteris Societatis Jeſu primo pro abſolvenda Templi ædificatione multum æris tribuit, deinde propriis ſumptibus conſtruere cœpit Collegii ædes, quæ amplitudine ſua Conditoris magnificentiam ſatis ſuperque demonſtrant. Pro reſtituendo vero Templo, Cœnobioque ſancti Dominici ſui Prædicatorum Ordinis ſeptemdecim, & amplius ducatorum millia impendit. Pro fundatione Cœnobii Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum decem ducatorum millia contulit. Hos enim, & Fratres Minores Sancti Franciſci, quos Reformatos vocant, & Clericos Regulares Miniſtrantes Infirmis, quos Cruciferos dicunt, multis ſumptibus in urbem invexit. Pro quotidiana Officii B. Mariæ Virginis recitatione a Metropolitanæ Baſilicæ Canonicis, ac Manſionariis peragenda viginti-quinque ducatorum millia cum ſeptingentis quinquaginta erogavit. Novum in Vitulani oppido erexit Canonicorum Collegium, quorum quatuor ab ipſo dotem acceperunt. Divi Bartholomæi Xenodochium, bis dirutum, ſemel atque iterum ædificavit, in quo ſingulos Peregrinos diebus tribus alere, iiſque pedes abluere, menſæque humiliter miniſtrare conſuevit.

At non licet ire per ſingula, quæ pius, ac munificentiſſimus Archiepiſcopus Cardinalis in diuturno ſui Archiepiſcopatus regimine geſſit, ne ſcriptio noſtra modum excedat. Ut itaque paucis multa complectamur, nullus præteriit annus, non menſis, non dies, qui præclaro aliquo aut pietatis, aut liberalitatis opere notari, ac ſignari non poſſit, Præſulibus ad exemplum, poſteris ad memoriam. Nullum eſt officii Paſtoralis genus, in quo ipſe non fuerit diligentiſſime, ac frequentiſſime verſatus. Quidquid ad Dei cultum, ad Templorum ornatum, ad ſacræ ſupellectilis nitorem, ad ſacrarum Reliquiarum cuſtodiam, ad veteres Eccleſiæ ritus retinendos, ad ſervanda Eccleſiaſticæ libertatis jura: quidquid ad animarum ſalutem, ad prædicationem verbi Dei, ad erudiendum Clerum, & Populum, ad imbuendos in ſacra Catecheſi pueros, ad emendandos mores, & corruptam diſciplinam reparandam: quidquid ad Pauperes, Peregrinos, Infirmos, Orphanos, Viduas, Defunctos fovendos, ac juvandos excogitari poteſt, omnia præſtitit, cuncta implevit. Unum in ipſo ſemper ſtetit in clade illa, & calamitate, quam ſemel atque iterum Benevento Terræmotus intulit, fractis, perditiſque rebus præſidium. Nulla fuit in Civitate, ac Diœceſi Eccleſia, Cœnobium nullum, nullum hominum genus, quod ejus providentiam, ac profuſam in omnes liberalitatem non ſenſerit: & ne præſens tantum

ætas, ſed & futura quoque ejus beneficentia uteretur, ſacras Miſſiones a Presbyteris Societatis Jeſu per Diœceſim ſingulis trienniis obeundas, ſtatuta dote, produxit in ævum. Montem unum ſex millium ducatorum dote conſtituit ad reparandas pauperiores Archidiœceſis Eccleſias. Pro pauperum vero annona frumentarium unum in Civitate, in Diœceſi vero centum ſexaginta ſex ære ſuo aut erexit, aut auxit. Tantum etiam ſtudium, curam, diligentiam adhibuit in conſervandis, & augendis Eccleſiarum ſuæ Diœceſis bonis, quamvis duplici Terræmotus clade imminutis, ut quæ ſub initium ſui regiminis in unum omnia collata vix ſeptem ſupra ſexaginta ducatorum millia in reditibus quotannis excedebant, ducta ratione anno MDCCXV. quinque ſupra centum triginta millia quotannis excedere compertum ſit. Ita enim miſericors Dominus addidit ei omnia quæcumque fuerunt, duplicia.

Unum ne prætereamus; cum Beneventum, quamvis inter duos amnes conditum, fontibus careret, ac propterea ſumma Civitatis pars aquarum penuria laboraret, Cardinalis Archiepiſcopus Theodoretum Cyrenſem Antiſtitem, qui hujuſmodi beneficium Civitati ſuæ præſtitit, egregie imitatus, longo ductu, decem aureorum millibus impenſis, largas in Urbem intulit aquas, illaſque in fontem deduxit ante Templum S. Sophiæ, cujus Monaſterium vetus olim ac celebre, poſtquam ex reſignatione Benedicti Cardinalis Pamphilii commendatum ſibi fuit, ſplendide reſtituerat, S. P. Q. B. tanti beneficii memor ad fontem in Divi Bartholomæi foro poſtmodum extructo hoc monumentum poſuit:

FRATRI VINCENTIO MARIÆ ORDINIS PRÆDICATORVM
EPISCOPO PORTVENSI S. R. E.
CARDINALI VRSINO ARCHIEPISCOPO
QVOD POST CLXVII FRVMENTARIOS MONTES
ESVRIENTIBVS ERECTOS
SALVBRES SITIENTIBVS SVFFECERIT AQVAS
TANTI BENEFICII MEMORES S. P. Q. B.
BENEFACTORI INSIGNI
PERENNE MONVMENTVM POSVIT.
ANNO MDCCXVIII.
CLEMENTE XI. PONTIFICE MAXIMO.
IOSEPHO ERCVLANO GVBERNATORE
IOANNE HIERONIMO DE ALBINO ET
BARTHOLOMEO DE LEONE
HVIVSCE FONTIS STRVCTVRÆ DEPVTATIS.
GAUDETE CIVES AC PASTORI OPTIMO
QVI VESTRAM SEMPER SALVTEM SITIENS
NE VOS SITIENTES ASPICERET
LARGAS INTVLIT AQVAS
VBERES GRATES PERSOLVITE.

Qui rationes impenſarum Cardinalis Urſini inierunt, fere ſexies centena ducatorum millia in Archiepiſcopatu Beneventano illum erogaſſe in pias cauſas teſtantur, antequam Romanus Pontifex eligeretur. Ingens profecto pecuniæ vis, & quaſi ſupra fidem inſignis liberalitas, præſertim ſi Archiepiſcopatus reditus computentur. Sed his accedebant alii Eccleſiaſtici proventus, & annuæ præſtationes e re familiari, præſertim a pia genitrice Joanna, quæ Filium imitata Monaſterium Sanctimonialibus Ordinis Divi Dominici Gravinæ condiderat, in quo Religioſum habitum induit, Profeſſionem vero emiſit ſub finem vitæ MDCC. legatis Filio, qui Matri decedenti omnibus pietatis officiis præſto fuit, XXV. millibus ducatorum. Et hac quidem pecunia anno MDCCII. ille potitus ſtatim ad levandas ærumnas ſecundi Terræmotus, cum quibus tunc luctabatur, uſus eſt. Magnas præterea vires habuit frugalitas Archiepiſcopi, quæ multis impendiis, multis erogationibus ſola ſufficere videbatur; ac propterea mirandum non eſt, ſi Beneventum, quod una cum Diœceſi informe acceperat, ac duplici Terræmotu bis quaſſatum, ſplendidum ornatumque reliquerit, merito habitus poſt Diomedem Ætoliæ Regem, & Achaſim Ducem tertius conditor urbis.

Et hæc quidem omnia Beneventi, cujus tamen Civitatis & Archidiœceſis fines Cardinalis Urſini zelus, vigilantia, pietas prætergreſſa, univerſam illam, & quidem ampliſſimam Samnii Provinciam implevit, & ad alias quoque Diœceſes Neapolitani Regni ſe extendit. Si quod enim grave & arduum negotium in regionibus illis emerſit, fidei, ac ſapientiæ Cardinalis Urſini Sedes Apoſtolica committere conſuevit. Viſitavit propterea Apoſtolicus Delegatus Diœceſes plures, ubi optimis decretis Eccleſiaſticam diſciplinam, pacem, tranquillitatem aut reſtituit, aut firmavit. Comitiis Congregationis Monachorum Montis Virginis, & aliorum Regularium Ordinum compluries præfuit. Sed & extra Italiam quoque Clemens XI. legationem Apoſtolicam illi decreverat anno MDCCXVI. menſe Februario: cum enim Chriſtiana Reſpublica Turcarum armis Corcyræ, & Italiæ imminentibus in ſummum diſcrimen eſſet adducta, & ſpes propulſandi periculum in Cæſare tantum foret, Clemens XI. Cardinalem Urſinum Romam evocavit, ut Legatus a Latere ad Cæſarem proficiſceretur, quem ad ſuſcipiendam communis ſalutis cauſam, & inferenda contra Turcas victricia Germanorum ſigna vehementer hortaretur. Confeſtim paruit Cardinalis; nec ulla valetudinis ſuæ ratione, non hyemis magnitudine, non viarum aſperitate commotus Romam venit pleniſſimam laborum legationem ſuſcepturus; ſed cum inter hæc Cæſar jam arma pararet, nec amplius mittendi Legatum urgeret neceſſitas, ab hujuſmodi Legationis onere Cardinalem Urſinum Clemens abſolvit, ſummis laudibus ejus fidem, & ardens pro Chriſtiana Republica ſtudium, & alacrem paratamque adeundi voluntatem proſecutus.

Titulum Sancti Sixti, donec inter Presbyteros Cardinales fuit, retinuit; ſed tertia Januarii anno MDCCI. ex ordine Presbyterorum ad Epiſcoporum ordinem aſcendit, conſueto optandi jure Tuſculanam Eccleſiam aſſecutus, ex qua deinde anno MDCCXV. decima octava Martii ad Portuenſem & S. Rufinæ tranſivit. Utrobique præclara pietas, ac liberalitatis ſuæ veſtigia. Utrumque luſtravit Epiſcopatum, & in Tuſculano Diœceſanam celebravit Synodum, cui ejus vice præfuit Franciſcus Maria de Aſte Archiepiſcopus Hydruntinus Salenti-

lentinorum Primas anno MDCCIII. & mox Synodales conſtitutiones typis vulgatæ magno illius Eccleſiæ bono. Accidit vero anno MDCCXVIII. ut Nicolao Cardinali Acciajolo Epiſcopo Oſtienſi, ac Veliternenſi ſacri Collegii Decano graviter ægrotante, Cardinalis Urſinus Romam vocaretur, ut præſens in Curia foret, cum ille decederet: atque ita ſervata Conſtitutione Pauli Papæ IV. anno MDLV. die XXIII. Auguſti edita, Eccleſiam Oſtienſem ac Veliternenſem optaret, & Decani munere in ſacro Collegio fungeretur. At qui præſto fuit, cum de ſuſcipienda ad Cæſarem legatione laboris plena propter communem Chriſtianæ Reipublicæ cauſam agebatur, renuit ire, cum de pinguiori Epiſcopatu, ac de honoris incremento res erat, ne ſcilicet amantiſſimi Fratris, & Collegæ ſui Cardinalis Acciajoli mortem præſtolari videretur; nec ei ſuaderi potuit, ut viæ ſe committeret, niſi certo nuntio præhabito de illius obitu, ac Beneventi principe in Templo defuncti Decani exequiis religioſiſſime celebratis. Tuſculum tunc acceſſit, inde in ſuburbanum Sancti Paſtoris, ubi ad Clementem XI. ſummum Pontificem literas dedit, quibus adventum ſuum ſignificavit, non tamen animo contendendi cum Fulvio Cardinali Aſtallio antiquiore ex Epiſcopis Cardinalibus, qui Romæ præſentes erant, cum Decanus obiret, memor Apoſtolicæ vocis *Servum Dei non oportet litigare*, & rurſus: *Si quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei*, ſed juri ſuo ſe libentiſſime cedere, & enixe rogare, ut optio Eccleſiarum Oſtienſis, & Veliternæ cum Decanatus honore Cardinali Aſtallio permitteretur: cuperé tamen, ut Apoſtolico judicio decerneretur, an Reſidentia Cardinalium apud proprias Cathedrales aut majores Eccleſias ſit publica, ac neceſſaria cauſa, vel potius privata & voluntaria, a Paulina Conſtitutione excepta, cum hoc non ad ſui tantum, ſed & multorum Cardinalium, qui jugiter & laudabiliter in propriis Epiſcopatibus reſidebant, jus referretur. Clemens animi moderationem, ac ſapientiſſimi Cardinalis prudens conſilium vehementer probavit, quod & cæteri ſummis laudibus extulerunt. Contigit tamen illi, ut defuncto Innocentio XIII. cum Romæ eſſet in Vaticanis Comitiis, Sebaſtianus Antonius Tanarius (cujus memoria in benedictione eſt) Epiſcopus Oſtienſis & Veliternenſis, & Sacri Collegii Decanus decederet, ut divina providentia palam teſtaretur, & hunc honoris gradum Cardinali Urſino deberi, quamvis tunc ad ſupremum honorum omnium apicem provectus, & Romanæ Eccleſiæ Pontifex renuntiatus, illo fungi non potuerit.

Inclytum Prædicatorum Ordinem, cui adoleſcens nomen dedit, receptamque eo in Ordine regulam, quam ſemel profeſſus eſt, coluit ſemper, & quantum Epiſcopo licet, ad unguem ſervavit. Perpetua illi a carnibus, immo & a vino abſtinentia; perpetuus etiam lanearum vellium uſus: aſſiduum orandi & pſallendi ſtudium. Generalem Ordinis Magiſtrum, quaſi unus ex Fratribus, ſingulari obſervantia, cæteros vero Ordinis Fratres, ac univerſam Divi Dominici Familiam omnibus charitatis ac benevolentiæ officiis diligentiſſime proſequebatur. Ordinis ſtemma inſeruit gentilitio ſuo, retinuitque etiam cum Romanus Pontifex eſſet. Expleto quinto ab inſtitutione Ordinis ſæculo rei memoriam ſæculari feſto integris octo diebus Beneventi in Eccleſia Metropolitana celebravit menſe Junio anno MDCCXVII. pluribus Epiſcopis illuc honoris cauſa convenientibus. Nobiles Oratores, ac præcipui muſicæ artis magiſtri præclaras illius celebritatis actiones exornarunt. Quatuor ducatorum millibus ſtetit impenſa, quibus Cardinalis Archiepiſcopus adjecit inſignem Divi Dominici ſtatuam ex argento opere fuſorio conflatam, quam a ſe rite benedictam Eccleſiæ ſui Ordinis dono dedit. Præter inſtauratum Beneventi Cœnobium, & Eccleſiam Ordinis ſui, etiam in oppido Sancti Georgii de Molaria Cœnobium alias ſuppreſſum eidem Ordini & Congregationi Fratrum, quos vulgo Gavottos vocant, attribuit, dotemque auxit.

Plura ingenii ejus præclara monumenta apud ſacrarum literarum ſtudioſos in pretio habentur; etenim præter ſermones Marianos, & Synodicon Diœceſanum, quorum ſupra meminimus, edidit etiam anno MDCXCV. Synodicon Provinciale Beneventanum, in quo collectis actis omnium Conciliorum Provincialium, quæ in ea Metropoli vel a Summis Romanis Pontificibus, vel a ſuperioribus Archiepiſcopis celebrata fuerunt, eruditas addidit notas, inſeruitque primum ſuum Provinciale Concilium, & in egregium volumen opus excrevit. Duo quoque edidit volumina lectionum in Exodum, ac duodecim Conciones ad Populum de tempore ſacratiſſimæ Quadrageſimæ ac Paſchatis, & ſexaginta ſermones de purgatione Animarum a corporibus excedentium, ſuffragiiſque adhibendis, & alia opuſcula: nec mirum has, & plures alias ineditas a Cardinali Urſino extare lucubrationes, ipſe enim (ut de Nepotiano ſcribit Hieronymus) *lectione aſſidua, ac meditatione diuturna pectus ſuum Bibliothecam fecerat Chriſti*. Præſtantes etiam ſacris litteris viros ſemper inter familiares habuit, quos benigne reſpicere, & pro meritorum ratione beneficiis augere conſuevit. Quindecim ex his Epiſcopatus honore dignati fuerunt, antequam Cardinalis Urſinus Romanus Pontifex eligeretur; plures deinde, quorum aliqui etiam Romanæ Eccleſiæ Purpura fulgent. Porro Beneventanum Archiepiſcopium ſub Cardinali Urſino non Aulæ ſpeciem referebat, ſed vetus Athenæum, ſive, ut aptius loquamur, Pictavienſe Epiſcopium ſub Hilario, aut Hiſpalenſe ſub Leandro repræſentabat; ibi enim ſub tali, ac tanto Magiſtro Eccleſiaſtici Ordinis viri erudiebantur in ſpem aut recte Eccleſias adminiſtrandi, aut doctis lucubrationibus, quarum plures in lucem prodierunt, ſacras litteras illuſtrandi. Nec in familiaribus ſuis tantum, ſed & in aliis bonarum artium ſtudia Cardinalis Urſinus amavit, ac fovit. Iis ſe Mæcenatem ac patronum præbuit: multi propterea Scriptores inſignia volumina Cardinali Urſino nuncuparunt, cujus patrocinium, ac beneficentiam experti fuerunt. Sed hæc in minori fortuna. Jam hoc noſtro commentario libello proſequamur quid ille in majori, cum ad Romanæ Eccleſiæ faſtigium evectus eſt.

Romæ itaque juſtis perſolutis Innocentio XIII. & invocata divini Spiritus ope, habitaque a Franciſco Blanchino Veronenſi utriuſque Signaturæ Referendario, & Liberianæ Baſilicæ Canonico, gravi, elegantique de eligendo Summo Pontifice oratione XX. Martii anno MDCCXXIV. Cardinales Vaticana Comitia inchoarunt, quæ celer, & inopinatus Pontificis obitus multis difficultatibus implicaverat. Longa fuit animorum ſuſpenſio, cum modo de uno, modo de alio eligendo ageretur, donec Patres omnes quaſi divino Spiritu ducti in Fratrem Vincentium Mariam Urſinum Ordinis Prædicatorum, Epiſcopum Portuenſem, & Archiepiſcopum Beneventanum, ætate tunc, & dignitate ſacri Collegii Principem vota ſua mirabili conſenſione intenderunt. Et ſane cum jam annus Jubilæi immineret, graviſſima quoque Sedi Apoſtolicæ inſtarent negotia, tum in Galliis, ubi Conſtitutioni Clementis XI. cujus initium *Unigenitus*, adhuc quamplures refragabantur, qui ad ſaniorem mentem redigendi erant, tum in Italia, ubi de reſtitutione Comacli a Cæſarianis militibus occupati nondum res tranſacta erat, nil magis opportunum, ac publico bono profuturum videbatur, quam in Apoſtolica Sede conſtituere Cardinalem Urſinum, cujus viri ſanctimonia, ſapientia, & pro domo Dei zelus tantam apud omnes vim authoritatemque haberet, ut libenter ei omnes obſequerentur. Itaque XXIX. Maji anno MDCCXXIV. ſuffragantibus omnibus Pontifex Maximus renuntiatus eſt. Plura ille electioni ſuæ objecit, ætatem gravem, fixumque propoſitum, propter ſuæ infirmitatis conſcientiam, Romanum Pontificatum non capeſſendi, & hæc quidem non ſpecie quadam ac ſimulatione virtutis, ſed ex animo. Verumtamen Cardinalibus urgentibus, ut Chriſtianæ Reipublicæ opem ferret, tandem acquievit, ac Benedicti XIII. nomen aſſumpſit, ut Beatum Benedictum XI. ex Ordine Prædicatorum, virum ſapientia ac vitæ ſanctimonia celebrem, qui brevi paucorum menſium Pontificatu multa præclara complexus eſt, in memoriam hominum revocaret. Ubi primum res populo rite nuntiata a Benedicto Cardinali Pamphilio Diaconorum primo, ingens omnes inceſſit lætitia, ac mirum gaudium univerſam pervaſit Chriſtianam Rempublicam, omnibus inde non temere ſperantibus magnum publici boni incrementum. Cum enim in ore hominum verſarentur, quæ, & quanta in Archiepiſcopatu Beneventano, & in toto longævæ vitæ decurſu bene ac ſapienter Cardinalis Urſinus feciſſet, atque ejus animi religio, fortitudo, liberalitas ubique prædicarentur, quid non ſperandum ab illo Pontifice Romano, qui tot ac tanta Cardinalis & Archiepiſcopus Beneventanus præſtitiſſet? Quod ſi exempla recte vivendi ac ſingulis benefaciendi in minori fortuna ab eo petebantur, quanto magis in maxima? Si Beneventum terræmotibus quaſſatum bis reſtituerat, ſi Clerum ac populum ad religionis cultum, & meliorem vitæ rationem traduxerat, eadem merito quiſque ſibi ab illo pollicebatur in Eccleſiæ univerſæ adminiſtratione. Inter plaudentis igitur populi acclamationes, cum jam adveſperaſceret, ad Vaticanum Templum deductus, ubi primum ad ſacræ Baſilicæ limina venit, e geſtatoria ſella deſcendit, pronus oravit, & ſacra limina non ſine lacrymis oſculatus eſt, ac nonniſi pedes ipſam Baſilicam ingredi voluit, in qua geſtatoria ſella uti ex veræ humilitatis ſtudio recuſavit. IV. Junii Dominica ſacratiſſimæ Pentecoſtes ad eandem Baſilicam ſolemni apparatu deſcen-

descendit: ibi ab Annibale Cardinali Albano ejusdem Basilicæ Archipresbytero hac salutatione exceptus. „Factus est etiam nuper, ut olim in Apostolos, hac ipsa „die de cælo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis, cum omnium eligentium mentes, & vota Te, „Beatissime Pater, invitum licet ac reluctantem adegerunt ad supponendos Apostolicæ sarcinæ humeros pares. „Imperii igitur tui auspicatus initia, Basilicam hanc sacros Petri cineres veneraturus ingredere, cui in te ipso „dignissimum Successorem exhibes: Ecclesiæ autem toti „Pastorem optimum, nec sacræ doctrinæ copia, & absoluta vitæ sanctimonia primis ejusdem sæculis invidendum". Post solemne Sacrum, ante fores ejusdem Basilicæ a Petro Cardinali Othobono more majorum coronatus est.

Principibus electionem suam significavit. Cardinalibus in consueto Senatu die VII. Junii gratias egit his verbis Patres allocutus: „Venerabiles Fratres. Est quidem „divinis institutionibus traditum, ut glorietur Frater „humilis in exaltatione sua; quo dextera Domini magnificetur in laude; & qui dixit de tenebris lumen „splendescere, mirabilium suorum gloriam in figmenti „infirmitate luculentius ostendisse videatur. Nos tamen „dignis Apostolico ministerio virtutibus destitutos, nostrique reatus conscientia pavidos, vicem magis nostram dolere decet, atque a judiciis ejus potius timere, quam de exaltatione gloriari. Propterea cum „primum de sollicitudine omnium Ecclesiarum Nobis „imponenda agere cœpistis, merito verebamur, ne „Deus terribilis in consiliis super filios hominum elevans allideret nos, ac ne fortiora suscipientes incusso „pondere contereremur, aut irrumpentes in sancta, „opprimeremur a gloria. At vero dum ingenti metu „perculsi ministerium nostræ imbecillitati jure formidandum detrectaremus, mira illa, & officii plena „Fraternitatum vestrarum consensio certissimo Nobis „argumento fuit cælestium mandatorum, quibus nefas „esse duximus diutius obluctari. Primum igitur Omnipotenti Deo, qui per vestra suffragia humilitatem „nostram in hac sublimi Apostolatus Cathedra collocavit, immortales submisso corde gratias agentes, fore confidimus, ut qui vocatione sancta sua compulit „ad inchoandum, vires quoque sufficiat ad perficiendum, & virtutem conferat, qui contulit dignitatem. „Præclara deinde Fraternitatum vestrarum de nostra „tenuitate judicia, fraternæque benevolentiæ officiosissimam contentionem, etsi nulla verborum vi satis ornare possumus, grato certe semper animo recolemus, „neque ullam referendæ gratiæ, officiique reponendi „opportunitatem elabi, aut excidere patiemur. Superest, Venerabiles Fratres, ut qui pro studiis, judiciisque vestris nostræ quoque administrationis rationem „Pastorum Principi reddituri estis, Ordinis, ac muneris vestri memores infirmitati nostræ subsidium sedula „opera, & sapientibus consiliis conferatis; & qui Pontifici eligendo tanta animorum alacritate suffragati estis, trepidantem vero ac defugientem tam studiose „erexistis & confirmastis; electum jam demum, impositaque sarcina laborantem ac fatiscentem pari pietatis, studiique contentione adjuvetis. Ut autem inde „ducamus Apostolicæ servitutis initium, unde habent „bona cuncta, velut a perenni fonte claritatis & salutis originem, vestrarum in primis obsecrationum apud Patrem misericordiarum suffragia requirimus; „cæteros autem Christi-fideles Jubilæo proxime indicendo ad divinam clementiam pro salubri dominicæ „plebis regimine per supplicationes, eleemosynas, jejunia, aliaque christianæ pœnitentiæ & religionis opera nobis conciliandam excitabimus. Exhibeamus igitur, Venerabiles Fratres, nosmetipsos sicut Dei Ministros; & sacrosanctæ Ecclesiæ necessitates, quas sine lacrymis intueri non possumus, sedulo reputantes, „in omnibus præbeamus nos ipsos exemplum bonorum „operum, ut Christianorum moribus, & Clericali præsertim disciplina ad pristinam sanctimoniam reformatis, certius nobis auxilium de sancto polliceri valeamus". Nec sterilis, nec ad speciem tantum gratiarum actio fuit; cum enim ipse, cæteras inter virtutes, gratum animum, beneficum, ac maxime liberalem pro viribus exhibuisset semper, jam ad summum rerum arbitrium evectus cœpit cum omnibus liberalissime agere, & post auctas fortunas Cardinalibus illis, qui tenuioribus proventibus dignitatem suam ægre tuebantur, Præsulibus quoque, qui in ministerio Sedis Apostolicæ sunt, honesta pro modo laboris, atque industriæ stipendia aut dedit, aut auxit. Siquidem Romæ multis & gravibus muneribus, ac publicis procurationibus nulla erant constituta stipendia. Carebant enim his omnes ferme Præsules, qui sacris Cardinalium Congregationibus a secretis erant, quique in iisdem Congregationibus causas aut proponebant, aut dirimebant, viri sane de Republica optime meriti, & multis nominibus illustres. His profecto omnibus, aliisque Magistratibus Benedictus XIII. certos, ac liberales proventus attribuit.

Interim sicut statim post electionem suam per aliquot dies, cæteris sepositis curis, segregatus ab hominibus, consilium & opem a Deo rogaverat, ut universæ Ecclesiæ regimen feliciter auspicaretur; ita etiam in eandem causam ab omnibus Christi-fidelibus pias preces, & bonorum operum suffragia postulavit, indicta in Urbe ad XXV. Junii supplici Processione ab Ecclesia S. Mariæ supra Minervam ad Ecclesiam S. Mariæ in Vallicella, peccatorum omnium Indulgentia, & remissione concessa, sicut Anno Expiationis Romani Pontifices largiri solent. Tunc Regni Neapolitani Ecclesiis consuluit, quibus ipso authore, primi Beneventani Concilii Patribus rogantibus, Innocentius XII. spolia decedentium Episcoporum, quæ olim ad jus Apostolici ærarii referebantur, attribuerat: cavitque ne Metropolitanæ, aut Cathedrales in eo Regno Ecclesiæ hujusmodi spoliis privarentur, etiamsi Archiepiscopus, aut Episcopus extra Diœcesim suam diem obiret. Mox Fidelium animabus, quæ purgatoriis locis detinentur, piam adhibuit curam, potestate facta orthodoxis Præsulibus totius orbis, ut in unaquaque Patriarchali Metropolitana seu Cathedrali Ecclesia unum ex Altaribus seligerent, in quo ex Apostolico privilegio (si eo Ecclesia careret) quotidie posset quilibet Sacerdos uni ex illis incruento Sacrificio suffragari, ut a pœnis ignis purgatorii erueretur.

Cum autem ipse natus omnino esset ad sublevandas generis humani calamitates, adeo facilem audiendis cunctis, adeo benignum excipiendis singulorum votis se exhibuit, ut naturæ necessitatibus tempus subduceret, quod aliis benefaciendo impertiretur. Multis diebus a prima luce usque ad vesperam nullo sumpto cibo, nulla indulta corpori quiete, omnibus ad se accurrentibus, nulla majestatis suæ objecta specie, volens libensque se impendit, ac superimpendit; nec tot ad se confluentium, si non plane iniqua postulassent, vacuum ullum, tristemque dimisit. Deinde vero ut facilius, & ex ordine posset facere omnibus satis, hebdomadæ dies pro unoquoque hominum genere distribuit, pro Præsulibus, pro Clero sæculari, pro Regulari, ac denique pro laicis, ut unicuique stata die liceret ad ipsum accedere. His sane laboribus in plures menses, atque inter æstivos calores exantlatis, publicam addidit populi audientiam, ut nullus plane esset, cui copiam sui non faceret.

Enituit præsertim summa ejus animi benignitas, atque clementia in excipiendis Episcopis, quos non tantum nomine, sed & re dilexit ut fratres; agens cum ipsis familiariter, non passus est illa sibi ab eis exhiberi obsequia, quæ a cæteris exhibentur. Libentius ad fraterna oris, quam ad communia pedum oscula admittere, nec flexis genibus, sicut reliquos homines, sed stantes, aut sedentes Episcopos audire decentius duxit. Quatuor primis Patriarchis Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, ut exomide super amiculo breviori in Urbe, & ubique uterentur, indulsit. Ipse enim præ omnibus Episcopalem dignitatem maximi semper fecit. Propterea tot sub initium ejus Pontificatus exteros Episcopos, fama ejus benignitatis illectos Roma vidit, quot fortasse post ultimum generale Concilium Lateranense vix unquam viderat. Multas eorum causas, quæ jamdiu in Romana Curia magnis sumptibus, nec levi Ecclesiarum incommodo agebantur, mira sapientia brevi explicavit, atque diremit, ut qui plures in annos inter multarum litium anfractus Romæ detinebantur, compositis rebus ad commissi sibi Gregis curam, atque custodiam alacres, atque omnibus difficultatibus una Summi Pontificis voce expediti regrederentur.

Animum tunc adjecit ad imminuenda subditis vectigalia, quæ superiorum temporum calamitas invexerat. Inter hæc populo maxime grave, ac plebi acerbum vectigal erat, quod ex unaquaque libra carnis, qua quis uteretur ad vescendum, pendebatur, non solum quia nec miser ullus, aut infimæ plebis homo immunis ab eo habebatur, verum etiam quia pauperibus rusticis injuriæ opportunis durus instabat exactor, si forte aut ovis, aut vitulus extinctus statim non fuisset repræsentatus. Hujusmodi itaque vectigal plane sustulit; & cum nonnulli publici ærarii angustias objicerent, quod vix ferendis sumptibus par esse poterat, si hujusmodi vectigalis reditibus ad septuaginta & amplius aureorum millia quotannis excurrentibus minueretur, Pontifex sapienter respondit, malle se a superfluis sumptibus temperare, & exhausto ærario parcere, quam tanto subditorum incommodo parari sibi unde sumptus faceret, & pecunia in ærarium inferretur. Alia etiam vectigalia Romæ abolevit, quæ plebi injuriosa videbantur.

Ipso Pontificatus exordio cœpit Benedictus detestari usum

uſum comæ fictitiæ, qui, rarus olim inter laicos, paulatim in Clerum irrepſerat adeo frequens, ut nonnulli viri, Eccleſiaſticis dignitatibus etiam primariis conſpicui, comis ſuppoſititiis uterentur. Siquidem Pontifex exiſtimabat, hujuſmodi morem Clericali tonſuræ adverſari; quibus enim propriam comam nutrire interdicitur, fas eſſe non poteſt aſſumere alienam. Ubi hæc Pontificis ſententia innotuit, ſtatim Eccleſiæ Principes, mox Aulici, quorum exemplum alii in Urbe, inde extra Urbem ſecuti fictas cæſaries deponere, ita ut nondum ullo vulgato Edicto, nondum ullis propoſitis pœnis, brevi ubique locorum mos male cœptus e Clero tolleretur. Eadem facilitate & alios ſuſtulit, qui exteriorem Clericorum habitum, & cultum, quem a laicis diſcretum eſſe voluit, deformabant. Sapienter etiam monuit illos, qui a Regularibus Ordinibus ad Epiſcopatum aſſumuntur, ut memores profeſſionis ſuæ, quantum cum Epiſcopali dignitate liceret, proprii Ordinis inſtituta ſervarent; cum Epiſcopatus ſemel emiſſa vota non ſolvat, ſed potius impleat, atque perficiat.

Inde ne Clericorum delicta impunita manerent, qui proprii Epiſcopi diſciplinam refugere tentantes, ejus ſententiis beneficio appellationis ad Romanam Curiam illudebant, in qua cum Epiſcopi proprias ſententias magnis impendiis tueri aut nollent, aut interdum nec poſſent, Promotorem Fiſcalem pro omnibus Curiis Eccleſiaſticis in Urbe delegit, eique ex Apoſtolico ærario ſtipendium conſtituit, ut cauſas ſuſciperet, & Epiſcoporum judicia adverſus criminum reos tueretur. Suſtulit hoc pacto Pontifex Appellationum invidiam, ac veteres compreſſit querelas, olim a Divo Bernardo Clarævallis Abbate ad Eugenium III. delatas; nam ſalvo primæ Sedis jure, ad quam unicuique, qui ſe Judicis ſententia gravatum putat, confugere licet, conſuluit quieti, & tranquillitati Epiſcoporum, ſumptibus eorum pepercit, æquitatemque judicii reſtituit, ac vigorem diſciplinæ.

Infelicem deinde Paſtorum animarum conditionem miſeratus, qui gravibus penſionibus obnoxii proprias Eccleſias a temporis injuriis vindicare, & paternam pauperum curam gerere non poterant, prout quinquaginta annorum, quos ſanctiſſime in Epiſcopali officio tranſegerat, experimento didicerat, Apoſtolica Conſtitutione cavit, ne deinceps Parochiales Eccleſiæ ullo penſionum onere graventur. Decrevit etiam, ut Cardinalibus Epiſcopis, quamvis Roma abſentibus, apud proprias tamen Eccleſias commorantibus, nihil juris deperiret, quominus Decanatus ſacri Collegii, & optio Epiſcopatus Oſtienſis, ac Veliterni eis deferretur, ne alienæ mortis deteſtabile votum in Eccleſia Dei appareret. Vix enim hujus mali ſpecies poterat arceri, ſi graviter ægrotante ſacri Collegii Decano, Cardinales Epiſcopi (quod tamen interdum accidebat) amicorum literis incitati, confeſtim Urbem aut ſuburbia peterent, ut ibi Decani mortem præſtolantes, tanquam in Romana Curia præſentes ex Apoſtolica inſtitutione Pauli Papæ IV. jus ſuum tuerentur.

Mens illi erat ſingulas in Urbe ſacras Ædes inviſere, memoriis Martyrum, aliorumque Sanctorum frequenter adeſſe, Xenodochia viſitare, & paſtoralis vigilantiæ atque Apoſtolicæ charitatis officia palam omnibus, & fere quotidie exhibere; ſed his conceptis votis mos Aulæ obſtabat, quod Summus Pontifex nonniſi ſolemni apparatu & erecta cruce, & magno Præſulum, Aulicorum, aliorumque Nobilium comitatu, multis prætorianis militibus circumſeptus, ac levis armaturæ equitibus, partim præeuntibus, partim ſubſequentibus, e Palatio pedem efferre, & in publicum prodire ſoleret; quæ cum non ſine totius Aulæ commotione fieri poſſent, idcirco ſuperiores Pontifices raro in publicum producebant majeſtatem ſuam. Hunc morem ſeu ad tuendam ſummam Pontificis dignitatem, ſeu ad parcendum Aulicorum incommodis, ſeu potius ne ſupremus Princeps cuncta inſpicere, ſcrutari, ac ſui copiam omnibus facere poſſet, ſed Adminiſtratorum fidei committere, & ex aliorum relationibus agere cogeretur, jamdiu receptum, probandum non putavit Benedictus; ſegnius enim irritant animum demiſſa per aures, quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus; ac propterea voluit ſibi licere, non ſolum ſolemni publicoque apparatu, ſed & minus ſolemni & quaſi ſemipublico, ac inſuper omni apparatu poſthabito, quaſi privato in Urbe homini, exteroque Epiſcopo palam prodire. Quo pacto cœpit Religioni largius indulgere, luſtrare ſingula, & ad omnia charitatis officia ſe ultro demittere; fere quotidie, cum per graviſſimas Pontificatus curas liceret, ſacras Ædes adire, Martyrum, aliorumque Sanctorum memorias venerari, valetudinaria inviſere, infirmis humiliter miniſtrare, pauperibus, ægrotis, & in agone cum morte luctantibus opem ferre: & quod ad ſervandam rite pſallendi diſciplinam plurimum contulit, in ſingulis Baſilicis, atque etiam in aliis Eccleſiis, ubi a Canonicorum, aut ab aliorum Clericorum collegiis divinæ laudes perſolvuntur, choro intereſſe, exemploque ſuo cæteros docere divinum opus pro dignitate diligenter agere.

Conſuevere veteres Romani Pontifices Epiſcopis, qui Romæ ordinabantur, conſecrationis munus impertiri; quod ſi hujuſmodi officium implere non poſſent, id jure ad Oſtienſem Epiſcopum pertinebat, cujus eſt & Romanum Pontificem conſecrare. At cum & Summi Pontifices magnis diſtenti curis, & Epiſcopi Oſtienſes plerumque annis prægravati, non levem hujus actionis laborem refugerent, ſæpe diu electi Epiſcopi detinebantur in Urbe, incerti a quonam ordinarentur. Verum Benedictus delicias ſuas in ſacris actionibus ponere aſſuetus, omnem ſuſtulit difficultatem, ac priſtinum morem reſtituit; ipſe enim quotquot peterent, & quandoque etiam non petentibus Conſecrationis munus impertiri decrevit; ac propterea factum eſt, ut ſicut in cæteris Pontificalibus actionibus omnium frequentiſſimus fuit, ita & plures Epiſcopos ipſe unus conſecraverit, quam multi ſuperiores Romani Pontifices. Deinde etiam Pallia, quæ de Beati Petri corpore ſumpta electis Archiepiſcopis Apoſtolica Sedes largiri conſuevit (in ipſis enim eſt plenitudo Pontificalis officii) ſtatis ritibus Archiepiſcopis in urbe præſentibus ſacratiſſimis ſuis manibus tradenda fore exiſtimavit, cum antea a Cardinali Diaconorum primo tradi conſueviſſent, & mihi quidem Archiepiſcoporum minimo humillime petenti, cum me a Nucerina ad Firmanam Eccleſiam tranſtuliſſet, VII. Idus Januarii anno MDCCXXV. in Templo SS. Dominici, & Sixti primum Archiepiſcopale Pallium impoſuit, poſtquam Antonium Fonſecam ordinaſſet in Epiſcopum Æſinum, eo ſcilicet in Templo, quo & ipſe Benedictus in Archiepiſcopum Sipontinum fuerat conſecratus, cujus accepti a Sanctiſſimo Pontifice ac benigniſſimo Principe inſignis beneficii memoriam nunquam animo meo exceſſuram puto. Solemnes quoque Eccleſiarum & Altarium dedicationes, quæ in ipſa Urbe Religionis magiſtra inſuetæ fere erant, in uſum revocavit, nil plane labore deterritus longæ & gravis actionis. Prima autem, quam Romæ ſacravit, Baſilica fuit duodecim Apoſtolorum. Hanc olim a Conſtantino Auguſto conditam, atque inde plurium Romanorum Pontificum ope inſtauratam, jam vetuſtate fatiſcentem Fratres Minores Conventuales a fundamentis reſtituere cœperant ſub Clemente XI. qui primum novæ conſtructionis lapidem jecit. Opere magnifice & eleganter abſoluto, Benedictus XIII. die XVII. Septembris, qua anniverſaria ſacrorum Stigmatum memoria ex alterius Benedicti ſcilicet XI. Romani Pontificis ejuſdem Ordinis Prædicatorum inſtitutione recolitur, Baſilicam una cum Ara maxima ſolemniter dedicavit, mirantibus cunctis, Pontificem ætate gravem, & quintum ac ſeptuageſimum annum agentem multarum horarum laborem, & operam alacriter ſuſtinuiſſe. Ceſſit tamen quæcumque admirationis occaſio iis, quæ ſubſecuta ſunt, magis adhuc ingraveſcentibus annis, quorum hæc præludia tantum, & initia fuerunt.

Inſtaurationi Baſilicæ Divi Pauli via Oſtienſi decem aureorum millibus attributis conſuluit. Ut reparationis noſtræ myſterium devote Fideles recolerent, ſtatas preces ad auroræ, meridiei, ac noctis ſigna flexis genibus recitandas cenſuit, quem morem primo exemplo ſuo e rheda deſcendens, dum ea per Urbem veheretur, invexit: deinde ſacramentum indulgentiarum largitione firmavit.

Hæc omnia præſtabat Pontifex, & adhuc propter æſtivos calores non tam ſibi, quam aliis ut parceret, nondum Lateranenſis Eccleſiæ ſolemnem inierat poſſeſſionem. Menſe vero Septembri die XXIV. in quam incidit Dominica XVI. poſt Pentecoſten, inſtituto omnium Romanæ Curiæ ordinum ſolemni equitatu, ipſe albo equo vectus ad Lateranenſe Patriarchium proceſſit. A Quirinali Palatio uſque ad proximum ibi Templum Divi Sylveſtri Philippus Urſinæ Familiæ Princeps jure inclytæ Gentis ſuæ Pontificio ſolio aſſiſtens, Gravinæ Dux, & Benedicti XIII. ex fratre nepos, inde Populi Romani Conſervatores, & Prior ſtratoris officio functi ſunt. Marius Marchio Frangipani Urbis Senator eum in Capitolio excepit his verbis gratulatus: *Vetuſtos Capitolii triumphos inſtauras & refers, Beatiſſime Pater; hic olim Senatus, Populuſque Romanus læti excipiebant Cives ſuos in Patriam reduces, bellica virtute conſpicuos; hic modo Senatus, Populuſque Romanus Te præclariſſimo Civium ſuorum ſanguine genitum venerabundi excipiunt, ad patriam veluti reducem, eximiis virtutibus, & Dignitate omnium maxima ornatum. Tibi itaque, Sanctiſſime Pater, Civi, Principi, Paſtorique ſuo omnia venerationis, obſequii, fidelitatis argumenta pollicentur, & offerunt.* Decreverat Senatus, Populuſque Romanus triumphalem arcum optimo Civi, Principi, ac parenti, quem ſtatuere conſuevit Summis Pontificibus Romano ſanguine progenitis; ſed Benedictus XIII. mira humilitate

tate ac modeſtia hos honores inhibuit, mortales caducoſque titulos deprecatus; ſciebat enim ubi ſita vera ſit gloria. At in Romano Foro ad Palatinos hortos Franciſcus Farneſius Parmæ, & Placentiæ Dux, S. R. E. Feudatarius triumphalem Arcum erexit hoc titulo:

BENEDICTO XIII. PONT. MAX.
HEROVM, PONTIFICVM, DIVORVM
VIRTVTE, SACERDOTIO, PIETATE,
NEPOTI, SVCCESSORI, HEREDI,
CHRISTIANI ORBIS PRINCIPI,
PARENTIQVE OPTIMO
FRANCISCVS FARN. PARMÆ ET PLAC. DVX &c.

In quo hæc legebatur inſcriptio:

AD SVPREMAM PETRI CATHEDRAM
TRIVMPHANTIS MILITANTISQVE ECCLESIÆ VOTIS
IAMDIV EVOCATVM,
SACRAS CVM ECCLESIARVM OMNIVM MATRE
CÆLO, TERRAQVE PLAVDENTIBVS
FELICITER NVPTIAS ADEVNTEM
BENEDICTVM XIII.
LÆTITIA AC VENERATIONE PROSEQVITVR
FRANCISCVS FARNESIVS DVX.

Inter lætas ac fauſtas acclamantis populi voces in Lateranum venit, ubi a Benedicto Cardinali Pamphilio Lateranenſis Baſilicæ Archipresbytero gratulatoria, & eleganti oratione exceptus, ſolemnem adeptus eſt Romani Pontificatus poſſeſſionem. Præ foribus Baſilicæ hæc legebantur inſcripta:

OCCVRRE SPONSO, GRATVLARE PRINCIPI
EXCIPE PATREM, VENERARE PONTIFICEM
BENEDICTVM XIII.
PRIMOGENITA CHRISTI, DOMINA GENTIVM,
OMNIVM MATER ET CAPVT ECCLESIARVM
LATERANENSIS ECCLESIA,
RECLVDE HOS POSTES ÆNEOS, ILLOSQVE RESERA,
QVI PLAVSIBVS EXVLTANTIVM RESPIRANTIBVS
INCLYTVM REBOENT, QUO DECORANTVR,
NOMEN CELESTINI III.
VT SACROS ATAVI HIC QVIESCENTES CINERES
VIRTVTVM OMNIVM TRIVMPHANS COMITATV,
ET FAVSTE NVNC, FELICITERQVE INGREDIENS
EXHILARET PRONEPOS.

Intus vero:

INGREDERE SANCTAM IERVSALEM NOVAM,
O DOCTOR OPTIME, MAXIME PRINCIPVM,
TOT, TANTISQVE MERITIS IPSIS A CVNIS
SANCTISSIME PONTIFEX
BENEDICTE.
ID OMNIVM VNA VOX, ET SINGVLORVM OMNIS

PLV-

PLVRIMIS, ET INNVMERIS FIRMAT ARGVMENTIS.
SED POPVLI SILEANT, MIRENTVR PRINCIPES,
ET SACRI TANTVM RESONENT CONCENTUS,
NE SVBLIMIS, ET CONSTANS TVA
HVMANIS, QVAS SEMPER RESPVIT, LAVDIBVS
TRISTETVR HVMILITAS:
HÆC TE NAM DOCVIT AVITOS FVGERE,
SED VT CELSISSIMO, LICET INVITVM
MVNERARET PRINCIPATV.

Ad Aram vero maximam hæc habebantur:

ASCENDE PRIMVM MAIESTATIS SOLIVM,
SVMMOS, ET PLVRES QVOD ADHVC PONTIFICES
GEMINO TIBI SANGVINE COGNATOS REDOLET PARENTVM
VTRISQVE DIGNVS, AC NON IMPAR AVIS,
QVOS INTER SATIS FELIX, ET GREGORIVS
SANCTORVM, ET MAGNI CELEBRES INSIGNIBVS,
APOSTOLORVM PETRI, AC PAVLI CAPITA,
ET CHRISTVM PACIS HIC LARGITOREM
PARI QVO PROAVVS TVVS
NICOLAVS III.
CVLTV SVPPLEX ADORA,
VT PACEM TIBI, SPONSÆQVE SERVET TUÆ
QVAM IN TE VNO, PLVRIMOSQVE IN ANNOS
MIRE DVM DATVS ES PROXIMIORI
ET EXPERIMVR, ET DEPRECAMVR OMNES.

At Benedictus de ſpirituali ſalute illorum, qui ægritudinis cauſa in Valetudinariis Urbis commorantur, ſollicitus, Clementem X. imitatus, ſingulos Præfectos Regularium Ordinum ad ſe accerſitos paterne monuit, ut per vices aliquos Religioſos viros ad Xenodochia ſubmitterent, qui ſpiritualem opem infirmis ferrent. Inerat dictis non ſolum imperantis authoritas, ſed & illa, quæ efficacior eſt, vis exempli, cum ea Pontifex aliis mandaret, quæ frequenter ipſe exequeretur. Templum S. Mariæ in Domnica propriis ſumptibus inſtaurandum curavit. Cathedrali vero Eccleſiæ Civitatis Aquilæ in Aprutiis jampridem, anno ſcilicet MDCCIII. Terræmotu dejectæ, ſpolia Clericorum illius Diœceſis ad decennium attribuit, ut tandem inſtauraretur.

Anno MDCCXXIV. jam ad finem vergente, conſilium iniit Synodum celebrandi cum Epiſcopis peculiaris Romanæ Provinciæ, quæ inter Capuanam, Senenſem, & Piſanam ad inferum, inter vero Firmanam, & Urbinatem ad ſuperum mare ſita eſt, & cum aliis, qui nulli Metropolitæ ſubſunt, ut rogatis Epiſcoporum ſententiis, certius de communi Eccleſiæ bono ſtatueret, atque primæ Sedis exemplo cæteros Metropolitas ad cogendas Provinciales Synodos vehementius excitaret. Cum enim Romæ, ubi primis Eccleſiæ temporibus frequenter hujuſmodi Epiſcoporum Conventus agebantur, jam a pluribus ſæculis ceſſarent, & poſt Innocentii III. Pontificatum nulla Provincialis Synodus habita fuiſſet, alii etiam Metropolitæ ab hujuſmodi Conventibus abſtinebant, quamvis & ſacrorum Canonum authoritas, & Generalis Tridentinæ Synodi Decreta, ut ſingulis trienniis a Metropolita Provincialis Synodus celebretur, diſerte præcipiant. Ut itaque reſtitueret rem, communicato prius in Conſiſtorio ſecreto cum Cardinalibus conſilio ſuo, in pervigilio Nativitatis Domini anno MDCCXXIV. Concilium Provinciale indixit in alma Urbe ad diem Dominicam in Albis proximi tunc anni MDCCXXV. celebrandum.

Cum autem poſt ornatos ſacra Purpura Præſules in Romana Curia emeritos Joannem Baptiſtam Alterium Clementis X. pronepotem, & Clericorum Cameræ Apoſtolicæ Decanum, Alexandrum Falconerium urbis Gubernatorem & Vice-Camerarium, Vincentium Petram S. Congregationis Epiſcoporum & Regularium conſultationibus præpoſitæ a ſecretis, & Proſperum Marefuſchum Auditorem ſuum, eundem honorem decreviſſet Fratri Auguſtino Pipiæ Ordinis Prædicatorum Generali Magiſtro, ut Ordini honorem redderet, quem ipſe Pontifex in eo acceperat, magnifice contenderunt Benedictus, & Nepos ejus Philippus Urſinus Gravinatum Dux in proferendis grati animi erga inclytum Ordinem argumentis: quem enim Patruus inter Cardinales promovit, Nepos ejus multis largitionibus eſt proſecutus, annua etiam oblata penſione ſexcentorum ducatorum, primo ipſi, deinde uni ex Cardinalibus Ordinis Prædicatorum ab Urſinæ Familiæ Principibus ſolvenda.

Annus Jubilæi XV. præ foribus erat. Hunc Benedictus Apoſtolicis literis univerſi Chriſti Fidelibus denuntiaverat in natalitiis ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli: ſubinde Epiſcopos monuerat de iis, quæ agenda erant, ut qui Religionis cauſa Romam peterent, rite ac recte piam peregrinationem aut ſuſciperent aut proſequerentur. In pervigilio vero Nativitatis Domini, poſt indictum Provinciale Concilium, Portam ſanctam Vaticanæ Baſilicæ ſolemni ritu, magnoque populi accurſu aperuit. Sacræ actioni duo Bavariæ Principes, qui devotionis cauſa Romam venerant, interfuere. In aliis vero Patriarchalibus Baſilicis idem præſtiterunt officium Legati ab eo Cardinales de Latere, ſcilicet in Baſilica Divi Pauli via Oſtienſi Fabricius Cardinalis Paulutius Epiſcopus Portuenſis, ægrotante tunc Fran-

Franciſco Cardinali de Judice Epiſcopo Oſtien. ac Velit. ſacri *Collegii* Decano : in Lateranenſi Benedictus Cardinalis Pamphilius Archipresbyter, & denique in Liberiana Petrus Cardinalis Othobonus Archipresbyter & S. R. E. Vice-Cancellarius.

Optatiſſimus & frequens advenis ac peregrinis fuit annus Jubilæi & remiſſionis. Horum enim plurimi etiam ex magnis Principibus (inter quos Violantis Beatricis de Bavaria Magno Etruriæ Principe viduæ pietas enituit) Romam venerunt religionis cauſa, fama ſanctitatis Summi Pontificis illecti. Unum Hoſpitium Sanctiſſimæ Trinitatis tot peregrinorum millia in ſingulos menſes excepit, quot ducta totius anni ratione tercentum & amplius millium numerum excederent. Pia etiam Sodalitia charitatis officiis decertarunt, quibus unumquodque poſſet Confratres de longinquo Romam venientes liberalius ac ſplendidius excipere. Summus vero Pontifex poſt adhibitam rebus omnibus, & advenarum, peregrinorum, ac pauperum commodo ſingularem providentiam, cæteris exemplo præire, ſacras Baſilicas religioſe, ac frequenter inviſere, peregrinorum hoſpitia adire, pedes peregrinis lavare, atque eorum menſæ miniſtrare in deliciis habuit, mirantibus exteris in Pontificia majeſtate culmen veræ humilitatis. Plures eorum poſt explorata Romæ, quæ & quanta Pontifex aut egerat, aut agebat, aut in dies agere meditabatur, iiſque non ex vulgari fama (quæ ſummis Principibus quandoque invidet, quandoque blanditur) acceptis, ſed proprio oculorum perſpectis intuitu, aſſerere de Benedicto non dubitarunt quidquid olim de Rege Salomone Regina Saba ; dicebant enim : *Verus eſt ſermo, quem audivimus in terra noſtra ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua, & non credebamus narrantibus nobis, donec ipſi venimus, & vidimus oculis noſtris, & probavimus, quod media pars nobis nuntiata non fuerit. Major eſt ſapientia, & opera tua, quam rumor, quem audivimus. Beati viri tui, & beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuiſti, & poſuit te ſuper thronum Iſrael*. Pontificis exemplum Cardinales, & Præſules ſtatim ſecuti. Unum illi fuit in explendis Religionis, & charitatis operibus commune certamen. Sed nec prætereundum, quam religioſe Jacobus III. Magnæ Britanniæ Rex, & uxor ejus Regina Clementina Sobieſchi, Romæ degentes, ſacris actionibus intereſſe, Baſilicas viſitare, aliiſque pietatis operibus, ſicut ſemper, ita & hoc anno magis operam dare ſtuduerint. Ne autem ob ſuſpenſas juxta veterem morem Indulgentias omnes populus, ſtatis ad lucrandam Jubilæi remiſſionem ſacrarum Baſilicarum viſitationibus contentus, ad cætera torpeſceret, Pontifex indulſit, ut quiſque poſſet conſuetas Indulgentias lucrari, non ſibi tamen, ſed Animabus in purgatorio igne detentis, ſuffragii jure applicandas.

Cum autem hujus anni initio, Franciſcus ab Aquaviva & Aragonia Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis Romæ diem obiiſſet, pius Pontifex, vetus quoddam Benedicti III. decretum in mores revocare cupiens, funebribus exequiis voluit intereſſe, & ſolemni ſupra Cadaver abſolutionis officio fungi, quod deinde aliis omnibus S. R. E. Cardinalibos in Urbe degentibus præſtitit, quos etiam ægrotantes inviſere conſuevit. In his vero, aliiſque funebribus actionibus, ac præſertim in anniverſariis exequiis Clementis X. quibus interfuit ſemper, gratus & memor purpuræ, qua ab illo fuerat donatus, pluviali veſte violacei, non autem rubri, ut antea, coloris ei placuit uti, quod & violaceum & atrum aut nigrum colorem ſacras ſummi Sacerdotis veſtes decere, pro temporum ac officiorum ratione, juxta veterem Romanæ Eccleſiæ diſciplinam ſit arbitratus.

Interim celebris ætate noſtra Sedis Apoſtolicæ cauſa, ex juſtitia, & æquitate Cæſaris, Benedicto ſummopere urgente, finem accepit. Res erat de Comaclo in Ferrarienſis Legationis provincia non obſcura civitate in paluſtri ad Adriacum mare ſinu condita, piſcatoribus divite, & ad Pontificiæ ditionis fines protegendos opportuna : inſignis quoque ex ea cenſus in Apoſtolicum ærarium quotannis inferebatur. Hanc Pipinus Francorum Rex, e poteſtate Aiſtulphi Longobardorum Regis vindicatam, Stephano II. Romano Pontifici anno DCCLV. reſtituerat. Carolus deinde Imperator ex rerum geſtarum amplitudine cognomine Magnus, interceptum a Deſiderio Longobardorum Rege Comaclum Adriano I. anno DCCLXXIV. reddiderat. Inde plurium ſæculorum decurſu Sedes Apoſtolica Comaclum tenuit, donec ſub initium ſæculi XIV. Principes Ateſtini, recepta a Romanis Pontificibus vicario jure Ferraria, Comaclum quoque, tanquam Ferrarienſis ditionis oppidum ſeu civitatem a Ferraria dependentem obtinuerunt. Paulus II. Borſum Ateſtinum Ferrariæ, aliorumque locorum illuc pertinentium, Ducis titulo ac dignitate ornavit ; ita deinde Ateſtini Principes Ferrariam una cum Comaclo, beneficio Sedis Apoſtolicæ, fiduciario jure tenuerunt, præſtita clientela, & cenſu quotannis ſoluto. Sed Alphonſo II. poſtremo Ferrariæ Duce defuncto, Clemens VIII. anno MDXCVII. univerſum Ferrariæ Ducatum una cum Comaclo, tamquam ad Sedem Apoſtolicam jure directi dominii devolutum, recepit. Exinde Romani Pontifices pacifice Comaclo potiti ſunt, quamvis interdum Principes Ateſtini modo ſibi, modo Romano Imperio in civitatem, & valles Comaclenſes jura obtendere non intermiſerint. Tandem anno MDCCVIII. cum univerſa Italia magno bellorum incendio conflagraret, de Hiſpanicæ Monarchiæ ſucceſſione ſummis Principibus Germanis, & Gallis decertantibus, Cæſariani milites, nihil tale Clemente XI. ſuſpicante, ex improviſo Comaclum adorti ſunt, atque oppido nullo negotio occupato præſidium impoſuerunt. Quæ & quanta Clemens XI. tum paternis ad Cæſarem adhortationibus, tum prolatis Apoſtolicæ Sedis juribus, atque iis, quæ ex adverſo inferebantur, rejectis, ad recuperandum Comaclum gravi, & aſſidua hujus rei tractatione præſtiterit, non eſt hic narrationis locus. Porro ſub finem Pontificatus, Alexandro Albano ejus ex Fratre Nepote cauſam hanc apud Cæſarem ſolerter agente, ſpes erat recipiendi Comaclum, quæ magis etiam ſub Innocentio XIII. confirmata fuit ſapientiſſimi Pontificis cura. Res tamen adhuc infecta erat, Divino Numine poſtremam, ſed maximam ſervante confectæ rei gloriam Benedicto XIII. & ſacri Jubilæi anno, quo apud Hebræos unicuique licebat ad agrorum ſuorum poſſeſſionem redire. Hoc enim anno, compoſitis inter Pontificem, & Cæſarem rebus, menſe Februario Cæſariani milites ultro Comaclo exceſſerunt, & Apoſtolica Sedes primæva poſſeſſionis ſuæ ſeptemdecim integris annis interceptæ jura recepit : atque hinc facile patet, quam alte ſummis Principibus inſita ſit erga Apoſtolicam Sedem reverentia, ut ſi quid unquam, quod & alias retroactis temporibus accidit, ex ejus patrimonio attigerint, ocyus ſerius religione ducti ex integro, & quandoque etiam cumulatius reſtituerint. Benedictus rem in conſueto Senatu habito XXIX. Januarii Cardinalibus ſignificavit, nil ſibi, ſed Deo Optimo in primis, deinde Clementi, & Innocentio, ac denique Cæſari felicem rei exitum gloriæ, ac laudi vertens, his verbis Cardinales allocutus : *Venerabiles Fratres. Reſpexit Dominus in hæreditatem ſuam, & Sanctuarii jura, collatis concordi fœdere Sacerdotii, & Imperii officiis, per Cæſaream pietatem, juſtitiamque reparavit. Diuturnis quidem ſtudiis, curiſque, ut Fraternitatibus veſtris exploratiſſimum eſt, nihil intentatum reliquerat felicis recordationis Clemens XI. prædeceſſor noſter, ut in priſtinam poſſeſſionem civitatis Comaclenſis hæc Sancta Sedes reſtitueretur. Ac licet adverſa temporum conditio fructum Pontificiæ ſollicitudinis retardaverit, rationes tamen hujus ſanctæ Eccleſiæ aſſerere eximia cum ſui nominis gloria, ad extremum uſque vitæ ſpiritum ille non deſtitit. Pari quoque ſollicitudine, prudentiaque, quod vos reſcire non dubitamus, rem ad optatum prope exitum perduxerat felicis recordationis Innocentius XIII. prædeceſſor itidem noſter ; ſed mors interveniens etſi illi de ſolertiæ laude nihil decerpſit, confecti tamen operis lætitiam intercepit. Nobis vero, qui noſtram agnoſcentes, ac teſtantes infirmitatem in labores eorum introivimus, gaudium hujus proſperi ſucceſſus conſolator humilium Deus reſervavit, in hoc operam, & labores adhibendo dilecti Filii noſtri Cardinalis Cienfuegos, quod vobiſcum hodierna die ex hoc loco, ut moris eſt, communicandum duximus, Fraternitatibus veſtris ſignificantes, chariſſimum in Chriſto Filium noſtrum Carolum Romanorum Regem in Imperatorem electum, pia, & illuſtria Majorum ſuorum exempla proſequentem, ſuæque religioni, & æquitati, ac noſtrorum ſimul, quos laudavimus, Anteceſſorum, paterniſque noſtri Apoſtolatus officiis obſecutum, poſſeſſionem Comacli dimiſiſſe, ut in eam hæc Sancta Sedes reſtitueretur ut prius. Quo autem pacto res ipſa peracta ſit, præſtat ex tractatus conventionibus, quas vobis recitari volumus, Fraternitates veſtras accipere. Magnificemus igitur, venerabiles Fratres, Deum protectorem, & demus gloriam laudi ejus, qui ad noſtræ imbecillitatis miniſterium propterea opus miſericordiæ ſuæ diſtuliſſe videtur, ut nomini ſuo, quidquid eſt proſpere geſtum, unice aſſignaretur. Ejuſdem præterea chariſſimi in Chriſto Filii noſtri laudes digno præconio celebremus, qui in colenda juſtitia, ſanctæque Eccleſiæ rationibus tuendis præcipuam Auſtriaci ſanguinis, & Cæſarei nominis gloriam collocare geſtit.* Ita Benedictus virtute in perficiendo, verecundia in prædicando, adeptus laudem & gloriam apud omnes, invidiam apud neminem.

Xenodochii Divi Gallicani in regione Urbis Transtyberim pro mundandis curandiſque iis, qui ſcabie laborant

borant, novum ædificium ac Templum, Petro Marcellino Cardinali Corradino Pro-Datario maxime procurante, hoc anno a Pontifice cœptum: qui in majori Hebdomada ſacris actionibus, quas Romani Pontifices eo tempore in Vaticano obire ſolent, addita etiam Chriſmatis, & Olei catechumenorum atque infirmorum conſecratione, minime contentus, ſabbato ejuſdem Hebdomadæ cæteris ſolemniter functus eſt in Laterano, ubi poſt Baptiſmalis Fontis, qui a Conſtantino Magno nomen habet, benedictionem, plures ad regenerationis lavacrum, veteri Eccleſiæ ritu ſalutaribus aquis immerſit, ac omnibus, quæ ad ejus diei officium pertinent, expletis, reliquum tempus expiandis ſacra exomologeſi quotquot accurrebant, impertiit. Feriis IV. V. & VI. Paſchalis Hebdomadæ ceris, quæ ab impreſſa Agni Dei imagine nomen accipiunt, ſolemniter benedixit, prout Romani Pontifices primo Pontificatus ſui anno Paſchalibus diebus facere conſueverunt. Ingens diſtributa copia, & ad exteras quoque regiones adducta. Illas Chriſti fideles excepere magna animorum devotione. Enſem, & Pileum in Natalitiis Servatoris noſtri rite benedictum, quibus Apoſtolica Sedes Principes viros, Duceſque ſummos pro Chriſtiana Republica ſtrenue, ac feliciter pugnantes interdum ornat, Antonio Emmanueli de Vilhena Magno Magiſtro Ordinis & Militiæ Hieroſolymitanæ dono miſit, ablegato Melitam Joanne Franciſco Oliverio, qui ſibi erat ab honore Cubiculi. Dedit id Benedictus non meritis tantum Magni Magiſtri, quæ cæteroquin multa, ac præclara erant, ſed & Ordinis totius, cujus Milites nobilitate generis, ac fortitudine animi præſtantes ex ea Inſula, veluti præcipuo Chriſtianæ Reipublicæ propugnaculo Africæ objecto adverſus Turcas, alioſque barbaros Piratas jugiter dimicant.

At imminebat tempus Provincialis Concilii ad Dominicam in Albis indicti, cum ſummus Pontifex dedit literas prorogationis ad Dominicam ſecundam poſt Paſcha, quæ incidit in XV. Aprilis, ut Epiſcoporum, qui jam in itinere erant, præſtolaretur adventum. Statuta vero die cum Romam conveniſſent plurimi ex Prælatis, quos ad Synodum vocaverat, ii vero, qui canonica præpeditione detenti adeſſe non poterant, vices ſuas idoneis Procuratoribus demandaſſent, initium operi dedit in Patriarchali Lateranenſi Baſilica; nam poſt ſolemnem cum Cardinalibus, & Synodi Patribus ſupplicationem, verba fecit ad univerſum Conventum, omnes vehementer hortatus, ut ſepoſitis domeſticis curis, & quæ carnem & ſanguinem ſapiunt, Dei gloriæ, & Eccleſiæ utilitati vacarent. Septem ſeſſionibus peracta res eſt, præmiſſa unicuique Seſſioni Congregatione Patrum præſynodali, in qua quidquid in ſeſſione decernendum erat, ad trutinam revocabatur. Poſtremæ ſeſſioni addita fuit ſolemnis ſupplicatio ad Templum S. Crucis in Hieruſalem die XXIX. Maji, quæ Benedicto XIII. electionis ſuæ anniverſaria erat: XXX. vero ejuſdem menſis in Sacello Sixtino ad Vaticanum Benedictus S. Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopus Synodalibus Conſtitutis a ſe probatis atque firmatis ſubſcripſit. Tunc ſubſcripſere Cardinales S. R. E. XXXII. Archiepiſcopi VI. Epiſcopi XXXIX. Abbates III. Procuratores abſentium XXXV. Quantum in his actionibus ſapientia ac zelus Summi Pontificis enituerit, referri vix poteſt. Multa Eccleſiaſticæ diſciplinæ capita fuerunt, de quibus ſalutaria decreta condita ſunt: & ne Romanæ tantum Provinciæ conſuleret, qui univerſæ Eccleſiæ ſupremam curam, ac ſollicitudinem gerit, plures addidit Apoſtolicas Conſtitutiones, dum Romanum Concilium celebraretur, ſapienter editas, ut earum uſus cæteras Provincias pervaderet. Hujuſmodi ſanctionibus multas ſuſtulit difficultates, quibus quædam ſaluberrima Concilii Tridentini decreta, ac præſertim de Præbenda Theologali, & Pœnitentiali in qualibet Cathedrali Eccleſia inſtituenda, & de Seminariis Clericorum in unaquaque Diœceſi erigendis, fruſtrabantur. Conſuluit etiam reparationi Eccleſiarum Cathedralium, aliarumque, quæ Canonicorum Collegiis fulgent, attributa eiſdem medietate proventuum, qui a novis Beneficiariis ex ordinaria authoritate Beneficia obtinentibus primo anno percipiuntur. Quæſtiones etiam omnes diremit, quæ frequenter ſuboriebantur de Eccleſiaſtica Libertate, & Immunitate, dum celebrem de hac re Conſtitutionem Gregorii XIV. diverſimode unuſquiſque pro ſuo libito, ac proprii ingenii licentia interpretabatur. Præterea efficacem normam præſcripſit coercendi Clericos, qui Eccleſiæ proventibus gaudentes, habitu tamen, & cultu laicos imitantur. Canonicorum Collegia peculiaribus legibus muniri, firmarique juſſit. Abbatibus Regularibus, ut Epiſcopalem benedictionem ſuſciperent, anni tantum a die electionis inducias ſtatuit. Parochis quartam funerum portionem multis privilegiis a monaſtico ac Regulari Ordine iiſdem præreptam, Benedictus XIII. & ipſe ex Ordine Regulari, nil tamen æquitati ac juſtitiæ præponens, reſtituit. Apoſtolicas literas Sixti V. de recenſendis bonis, ac reditibus Eccleſiaſticis ad uſum revoi cavit: multaque addidit de Eccleſiarum Archivis, ub tabulæ, & documenta tuto ſerventur, recte ordinandis, & cuſtodiendis. Denique celeberrimi Monaſterii Caſſinenſis privilegia, & jus quaſi Epiſcopale in civitate S. Germani, multiſque in oppidis confirmavit.

Verum neque inter Concilii Romani actiones a cæteris, quæ religionis erant, Pontifex abſtinebat. Nam gratum animum erga Divum Philippum Nerium, cujus precibus ſalutem ſuam inter ædificiorum ruinas Beneventi referebat acceptam, multis modis aucto ejuſdem cultu, teſtatum voluit. Poſtquam enim XVI. Kalendas Junias ad Templum ſanctæ Mariæ in Vallicella Aram Sacelli interioris, in quo mortales Divi Philippi exuviæ conduntur, ſolemni ritu dicaſſet, plura privilegia largitus eſt: feſtumque Divi Philippi diem in Urbe & agro Romano vacatione ab omni ſervili opere quotannis ſervari voluit. Presbyteri Congregationis Oratorii acceptorum beneficiorum memoriam marmoreo monumento contra fores Sacelli ſtatuerunt. Hanc Lector accipe, ut rem penitus intelligas,

BENEDICTVS XIII. PONTIFEX MAXIMVS
EX ORDINE PRÆDICATORVM
DIVI PHILIPPI NERII SUI LIBERATORIS
SACELLI INTERIORIS ARAM XVI. KALENDAS IVNIAS
OCTAVO DIE ASCENSIONIS ANNO IVBILÆI
A PARTV VIRGINIS MDCCXXV. SACRAVIT
IN DIEM DOMINICUM EIVSDEM FESTI
ANNIVERSARIA DEDICATIONIS TRANSLATA MEMORIA
QUORUM UNI PLENARIAM LARGITUS EST INDULGENTIAM
ALTERI L. PŒNALIUM ANNORUM
TOTIDEMQVE QVADRAGENORVM DIERVM VENIAM
INVISENTIBVS QVOTANNIS INDVLSIT
ET LIBERANDI QVOTIDIE A PVRGATORIIS PŒNIS
CHRISTIFIDELIUM ANIMAS SACRIFICIO INCRVENTO
ALTARE EXTERIVS PERPETVO PRIVILEGIO AVXIT
COMPROBATO SACERDOTVM CONGREGATIONIS VSV

QVO RECVRRENTE SOLVM DEFVNCTORVM COMMEMORATIONE
NIGRIS IN EO VESTIBVS DIVINA MYSTERIA PERAGVNTVR
S. PHILIPPI DEMVM DIE FESTO IN VRBE EIVSQVE DITIONE
AB OMNI SERVILI OPERE VACARI IVSSIT
AC VTRVMQVE ILLIVS ALTARE PRIVILEGIARIVM
PONTIFICIO DIPLOMATE SANXIT
IBIQVE ORANTIBVS PŒNITENTIÆ SACRAMENTO EXPIATIS
VEL EXPIARI FIRMITER DELIBERANTIBUS
INTEGRAM TOTIES OMNIVM CRIMINVM RELAXATIONEM,
DEFVNCTIS ETIAM COMMVNICANDAM
PERENNI MVNERE IMPERTIVIT
ORATORII CONGREGATIO TANTIS DEVINCTA BENEFICIIS
SVPREMO ECCLESIÆ PASTORI BENEFICENTISSIMO
QVAMVIS MERITO LONGE IMPAR
GRATI ANIMI MONVMENTVM POSVIT.

Præterea feſtivitatis D. Philippi ſolemne officium eo in Templo celebrandum inter illa retulit, quibus Romanus Pontifex cum ſacro Cardinalium Collegio intereſſe ſolet: & non ſolum Benedictus quotannis, cum Romæ eſſet, interfuit, ſervatuſque deinceps eſt mos; ſed etiam ipſe fere quotidie, præſertim cum in Vaticanum reverteretur, ad Templum Vallicellanum deſcendere, & ad illud Sacellum orare conſuevit, aluitque etiam pauperes, qui eo in loco aſſidue orarent.

Dum hæc Romæ agebantur, inter multiplices adeo Eccleſiæ curas nil Pontifex intermittebat de ſtudio pacis inter Chriſtianos Principes, ac præſertim inter Carolum VI. Cæſarem, & Philippum V. Catholicum Hiſpaniarum Regem procurandæ, inter quos poſtquam de Hiſpanica ſucceſſione diu certatum eſt, licet ab armis foret temperatum, nihilominus XXV. annis animorum diſſenſio interjecta adhuc erat. Tandem his conditionibus compoſita res eſt, ut ſalvis utrique ampliſſimorum Regnorum titulis, Cæſari quidquid in Italia, & in Belgio, Philippo vero ipſa Hiſpaniarum Regna, & quidquid in Aſia, Africa, & America ad Hiſpanos pertinet, cederent. Divina Providentia factum puto, quod vix Romæ confecta Provinciali Synodo, Pontifex nuntium acciperet confectæ tandem optatiſſimæ pacis, ut ſatis mortalibus omnibus conſtet, quantum Divina Clementia majorum Sacerdotum ſtudia, atque operam in publicum Chriſtianæ Reipublicæ bonum fortunare dignetur, ſi Sacerdotes ipſi Regnum Dei primo quærant, atque ad ea, quæ Religionis ſunt, præcipuam animi curam intendant. Unum tamen conceptam compoſitæ pacis lætitiam turbavit, quod cæteras inter conditiones ea erat, qua Carolo Hiſpaniarum Principi ex ſecundis nuptiis Philippi V. cum Eliſabetha Farneſia Primogenito, non ſolum Etruriæ, ſed Parmæ etiam ac Placentiæ ſucceſſio adjudicabatur: cum enim Farneſii Principes has civitates beneficiario jure a Sede Apoſtolica obtinerent, nihil de his ſtatuendum videbatur, niſi ex Summi Pontificis placito. Quare Benedictus, accepto pacis nuntio, in Senatu habito XI. Junii coram Cardinalibus de ſervandis juribus Sedis Apoſtolicæ in Parmam & Placentiam adverſus initæ pacis conditiones proteſtatus fuit.

Præterea eodem in Senatu Pontifex cum Præſules duos, ſcilicet Nicolaum Coſcia Archiepiſcopum Trajanopolitanum, cujus operam multis in rebus XXV. annorum experimento probaverat, & Nicolaum de Judice jamdiu ſub Clemente XI. Innocentio XIII. atque ipſo Benedicto Apoſtolicis Palatiis Præfectum in ſacrum Cardinalium Collegium cooptaſſet, alio deinde in Senatu Eccleſiam S. Mariæ in Domnica, quæ Diaconia erat, in Presbyteralem titulum erexit, & Cardinali Coſciæ attribuit: Eccleſiam vero S. Mariæ ad Martyres, quæ vetus fuit Romanorum Pantheon, magnificentiſſime a Marco Agrippa conditum non ſolum firmiſſimæ molis magnitudine, præcelſis columnis pretioſiſque varii generis marmoribus conſpicuum, ſed etiam ſacris Religionis noſtræ monumentis celebre, Cardinalium Diaconiam eſſe voluit, eamque primo contulit Nicolao Cardinali de Judice. Mox Cingulo nobili in Piceno oppido Auximanæ Diœceſis antiquum Cathedræ Epiſcopalis honorem, & civitatis jura reſtituit, ac Cingulanam Eccleſiam Auximanæ æque principaliter unitam fore decrevit. Oppido etiam Pontis Curvi, in quo Aquinates Epiſcopi commorari ſolent, civitatis jura dedit, & Cathedram Epiſcopalem, quam Aquinati conjunxit. Ac denique poſt reſtitutam veterem Setinæ Eccleſiæ Cathedram, Privernati quoque Eccleſiæ reſtituendam cenſuit, ita ut unus Tarracinenſis Epiſcopus idem Setinus ac Privernas eſſet, ac tribus Cathedralibus Eccleſiis, Tarracinenſi ſcilicet, Setina, ac Privernate potiretur.

Metropolim quoque Urbinatem Benedictus benigne reſpexit, quam non ſolum antiquus Principum ſplendor, & præclara in bonis artibus civium nomina ei commendabant plurimum, ſed potiſſimum felix & fauſtus ortus Clementis XI. prædeceſſoris ſui, qui natale ſolum ibi ſortitus Catholicam Eccleſiam diu ſancteque adminiſtraverat, cujus Nepotes duo Annibal & Alexander Albani in ſacro Cardinalium Collegio grandium virtutum laude florebant, & adhuc florent. Itaque poſtquam ſub initium Pontificatus Dignitatibus & Canonicis Eccleſiæ Urbinatis, ut mitris aliiſque ſacris indumentis inſtar Abbatum uterentur, indulſiſſet, hoc anno edita Conſtitutione Apoſtolica X. Kalendas Junii, alteram Pii IV. confirmavit, qua Urbinum Metropolis honorem accepit, ac inter ſuffraganeas Eccleſias Eugubinam quoque eſſe voluit, quæ hactenus jus Metropoliticum detrectaverat, omni ſublata diſputatione, ac veteri lite, quæ adhuc vigebat, extincta. Præterea Roſam auream Eccleſiæ Urbinati donavit pro amoris ſui ſignificatione & honoris incremento. At ne Poeſis quidem ſine honore apud Benedictum fuit; cum enim Bernardinus Perfectus Senenſis ſummam extemporanei carminis gloriam adeptus, non ad laſciviam, ut plerique faciunt, verum ad honeſtatem & ſapientiam cantare paratus, atque his artibus apud magnos Principes gratioſus foret, Pontifex coronam poetici cantus in Capitolio Romano illi decrevit. Maxima omnium ordinum frequentia III. Nonas Maji laurea data, mirantibus cunctis non tam inſuetæ actionis celebritatem, quam mentem, ingeniumque Poetæ, qui ad quodcumque italici carminis genus (multa enim ab eruditiſſimis viris meditata proferebantur) eodem ſervato metro extemplo reſpondit non minus appoſite, quam eleganter.

Sed non ita his Benedicti animus detinebatur, quin ad ea, quæ Religionis ſunt, etiam in remotis ab Italia Provinciis Paſtoralis vigilantiæ ſollicitudinem adhiberet. Cum fœderatum Belgium, in quo noſtra etiam ætate fere quingenta millia Fidelium Catholicorum capita cenſentur, poſtquam ab iis, quos Apoſtolicæ Sedis mandatis refragantes vel in doctrina error, vel pervicacia in moribus accuſabat, miſere in varias partes, factioneſque diſtractum foret, illa videbatur ſalutis ſpes, quod Sacerdotibus refractariis paulatim aut reſipiſcentibus, aut deficientibus, alii Operarii inconfuſibiles rite ordinati, ac miſſi ab Apoſtolicis Nuntiis ſeu Vicariis ſtationes decedentium implerent; qua in re Jo. Baptiſta Cardinalis Buſſius cum in Belgio Internuntium, & deinde

inde Coloniæ Agrippinæ Nuntium Apoſtolicum ageret, ac Miſſiones illas etiam præſens luſtraſſet, ſummopere laboravit, ut ſileam de me, quem, poſt ornatum Purpura Buſſium, Clemens XI. iiſdem Miſſionibus præeſſe voluit, ac etiam de aliis, qui Cardinalis Buſſii veſtigia ſunt ſecuti. At Refractarii interitum ſui pertimeſcentes, ut pravitatem, quam fovebant, poſteris traderent, quoſdam errorum ſuorum conſortes ab exteris Epiſcopis perperam ordinari, & a Dominico Maria Varlet Epiſcopo Babylonenſi, nullam in fœderato Belgio poteſtatem habente, Sacramentum Confirmationis adminiſtrari curarunt: illo ſcilicet Epiſcopo alienæ plebis homines uſurpare tentante, quem gravibus ex cauſis ſuſpectaque doctrina Sedes Apoſtolica ab ordinis Epiſcopalis uſu, & executione ſuſpenderat, etiam antequam Epiſcopatus poſſeſſionem iniret. Et nihilominus cum ſeptem Clerici, Canonicorum Capituli Ultrajectini, quod a centum & amplius annis intercidit, nomen præſumentes, Cornelium Steenoven Eccleſiaſticis cenſuris obſtrictum in Archiepiſcopum Ultrajectinum nullo jure elegiſſent, ejuſque electio a Sede Apoſtolica fuiſſet rejecta, adhuc illum per ſacrilegam præfati Epiſcopi Babylonenſis manuum impoſitionem conſecrari impetrarunt, duobus aliis Epiſcopis, qui juxta ſacros Canones intereſſe, & cooperari debent, non adhibitis. Ad hæc Benedictus inſurrexit datis literis XXI. Februarii MDCCXXV. ad Catholicos in fœderato Belgio degentes, quibus electionem Cornelii irritam, conſecrationem vero illicitam, & execrandam fuiſſe declaravit, additis contra eundem Cornelium pœnis, ne quidquam attingeret eorum, quæ ordinis, vel juriſdictionis ſunt Epiſcopalis, & contra alios, ſi cum illo præſertim in Divinis communicarent. His literis XVII. menſis Martii in fœderato Belgio evulgatis cum idem Cornelius nil territus Sacramentum Confirmationis adminiſtrare, Ordineſque conferre fuiſſet auſus, ſtatim lethali morbo correptus, paucis interjectis diebus conſumptus eſt, III. ſcilicet Aprilis; brevi etiam alii duo, Presbyter Jacobus Kriis, qui cæteris vehementior, auctor fuerat ſacrilegæ conſecrationis, & laicus Donkens, in cujus ædibus illa peracta erat, perierunt, nullo edito pœnitentiæ ſalutaris argumento. Veruntamen iidem Refractarii, viſitante Domino in virga, & verberibus iniquitates eorum, appoſuerunt adhuc peccare ei. Siquidem Lugduni Batavorum iterum inani Canonicorum Ultrajectinorum nomine aſſumpto, XVI. ejuſdem menſis Aprilis alium Cornelium nomine Berckman, Clericum ſuarum partium, ſuæque pertinaciæ participem, in Archiepiſcopum Ultrajectinum eligere non reformidarunt. Rei nuntio accepto, Benedictus vehementer indoluit, occurritque gravioribus, quæ timebantur, malis, editis literis XXIII. Auguſti, quibus præpoſteram, invalidamque electionem Cornelii Berckman rejecit, ac nullam prorſus, & irritam declaravit, adjecta in eum ſententia excommunicationis, ſi Archiepiſcopi nomen uſurparet, ſi conſecrationis munus ab ullo licet Catholico Epiſcopo reciperet, ſive ſaeram juriſdictionem in fœderato Belgio exerceret.

Ludum ſortium ſeu urnæ ſæpius a Romanis Pontificibus interdictum, ſed importunis populi precibus tandem utcumque permiſſum, tum ad ſublevandas Apoſtolici ærarii anguſtias, cum etiam ne illi, qui ejus cupidine tenebantur, ad exteras provincias, reipublicæ damno, pecunias tranſmitterent, multi apud Pontificem accuſabant; objecta enim ſpe lucri ſæpius inani, at ſemper magna, gliſcebat & augebatur in dies ludendi libido, quæ fere omne hominum genus, & loca cuncta Pontificiæ ditionis pervaſerat non ſine domeſticæ rei jactura. Benedictus gravibus & ſapientibus viris mandavit, ut re penitus explorata dicerent, quid fieri præſtaret. Illi referebant plura eſſe, ex quibus ab omni ſpecie mali hujuſmodi ludus liberari vix poterat. Et quidem ſuperiores Pontifices ante Innocentii XIII. tempora compluries diris pœnis luſores damnaſſe: a ſacris quoque Canonibus ludos omnes vetari, ne ab Eccleſiaſticis viris exerceantur, in quibus caſus ac temeritas valent, prout in urnæ ludo maxime valere compertum eſt. Nullum in eo induſtriæ, nullum honeſtæ arti locum, nullum ludendi finem; non enim ad moderatam animi relaxationem, ſed ad cupidinem lucri videri compoſitum. Hunc itaque ludum ex Pontificis placito Romæ palam agi, ubi potior incolarum pars ex viris conſtat in ſortem Domini vocatis; hunc in ditionis Pontificiæ provincias invehi, etiam in remotas illas montanaſque regiones, quæ ſeveram adhuc, & antiqui moris retinentes Italiam, hactenus perniciem hanc ignoraverant, minime probandum fore. His accedebat, quod nonnulli inconceſſam hominibus ſcientiam futurorum, quæ a nulla naturali ac neceſſaria cauſa, ſed a Dei tantum nutu, & libera actione pueri ſortes extrahentis ex urna dependent, temere tentantes, non ſolum ſtudium omne, cogitationemque vanis ſortiendi artibus intendebant, ſed quod humanis viribus aſſequi non poterant, tandem mali Dæmonis ope (cui nec hujuſmodi ſcientia conceſſa eſt) per nefas omne fruſtra impetrare conabantur. Et quamvis hæc, aliaque plura mala non ex natura ludi, ſed ex hominum malitia manarent, illud certe ex ratione ludi ſequebatur, quod ſacræ leges ſolverentur, & quidquid ærario Principis, quidquid emolumenti conductoribus ludi obveniebat (quod ſane ingens & ſupra modum erat) cum ſubditorum detrimento conjungeretur. Pontifex his auditis, & ad Sanctuarii pondus expenſis, primo religioſis viris, tum Clero & Populo gravibus propoſitis pœnis illum interdixit, parvi faciens ærarii ſui jacturam, quæ cæteroquin ad quinquaginta & amplius aureorum millia quotannis erat, omnia poſthabenda ratus, ne ſubditis ſuis ulla damni pateret occaſio aut in Chriſtianæ diſciplinæ ſanctimonia, aut in re familiari; & cum ad compeſcendas inſtitorum artes, luſorumque libidinem quælibet pœna, quæ pecunia redimi poſſet, vix valere videretur, addidit etiam graviſſimas Eccleſiæ cenſuras, a quibus nemo (ni foret in mortis articulo conſtitutus) ab ullo Sacerdotum eſſet abſolvendus, niſi a Romano Pontifice. Verumtamen cum vulgus hominum nitatur in vetitum ſemper, cupiatque negata, tantis adhibitis pœnis adhuc ludendi libido non apud omnes extincta: idque vitio infirmitatis humanæ: atque inde factum eſt, ut Clemens XII. qui Benedictum in Pontificatu Romano excepit, ne per contemptum cenſurarum ſalus infirmorum prorſus deſperaretur, hujuſmodi ludi genus, aliis quoque urgentibus cauſis, Romæ duntaxat rurſus agi permiſit: alibi enim ne a Pontificiis ſubditis agatur, immota manet Benedicti ſententia, ut latius patet in ſui Motu proprio.

Menſe Novembri ingentium laborum, quos in conſecrandis Eccleſiis & Altaribus, atque in ordinandis Clericis, & Epiſcopis, aliiſque Eccleſiæ Sacramentis miniſtrandis Pontifex Romæ ſubierat, minime pertæſus, etiam extra Urbem operam ſuam deſiderari non eſt paſſus. Franciſco enim Mariæ Ruſpolo Cerveteris Principi ſummis precibus petenti, ut novum Parœciæ Templum in honorem Præſentationis Beatiſſimæ Virginis Mariæ in oppido Vignanello ditionis ſuæ conſecraret, benigne annuit; nec mora injecta, illuc ſe contulit, ubi Templum, & Aram maximam conſecravit, dum alii Præſules cætera novi Templi Altaria dedicarent.

Inter hæc anno Jubilæi MDCCXXV. feliciter evoluto, præclaris adeo religionis ac pietatis tum exemplis, tum documentis Chriſtiano populo datis, XXIV. Decembris Portam Sanctam in Vaticana Principis Apoſtolorum Baſilica ſolemni ritu clauſit, quam & in aliis Baſilicis Cardinales Legati a Latere clauſerunt; ſcilicet in Baſilica Divi Pauli via Oſtienſi Fabricius Paulutius Oſtienſis ac Veliternus Epiſcopus, ſacri Collegii Decanus, & Urbis Vicarius, in Lateranenſi Benedictus Pamphilius Archipresbyter, & in Liberiana Petrus Othobonus Archipresbyter, & S. R. E. Vice-Cancellarius.

Nihil tamen elapſo expiationis anno de pietatis operibus Pontifex remiſit; nam ſub finem Januarii MDCCXXVI. ſacra lipſana Beatorum Martyrum Joannis & Pauli, quos Urſinæ Gentis fuiſſe ferunt, plumbeis loculis condita in Eccleſia ad eorum nomen & memoriam Romæ olim conſtructa, & a Fabricio Cardinali Paulutio eleganter inſtaurata, ſolemni ritu in porphyretica urna concluſit. Tunc cognoſcendis, abſolvendiſque cauſis eorum, quibus ſacræ, & Chriſtianæ Apotheoſis honor decernendus erat, operam dare, & Regulares Ordines ad ſanctiorem veteris diſciplinæ normam traducere. Fratribus enim Excalceatis Ordinis S. Auguſtini, ut ubique locorum Gregoriano cantu pſallerent, & rotundo caputio uterentur: iiſdem etiam, & Clericis Regularibus S. Pauli, ut barbam raderent, præſcripſit. Præterea inhibuit, ne quis, inconſulto Romano Pontifice, e Religioſis clauſtris tranſiret ad alium quemcumque Ordinem, etiamſi Hoſpitalarium, & Militarem, ubi clauſtralis obſervantia non vigeat. Decrevit quoque, ut qui ex monaſticis, aliiſque Regularibus Ordinibus ad Epiſcopatum aſſumuntur, ſi apud Eccleſias ſibi commiſſas non commorentur, aut ſi illas dimittant, ad clauſtra Ordinis ſui revertantur. Ut vero in Romana Curia, ad quam ex univerſo Orbe cauſæ dirimendæ confluunt, juſtitiæ ordo adamuſſim ſervaretur, Viſitatorem ſtatuit unum ex Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ſingulis decenniis; ac primo loco provinciam hanc demandavit Vincentio Cardinali Petræ, inter ampliſſima munera diu in eadem Curia verſato.

Ad hæc Pontifex, qui Eccleſiis, & Altaribus in Urbe dedicandis operam dabat, poſtquam Eruditorum judicio accepiſſet, Lateranenſem Baſilicam, alias a Summis Pontificibus, ac præſertim a Nicolao III. gentili ſuo, qui illam reparavit exornavitque, conſecratam,

poſt plures inſequentibus temporibus, ac poſtremo ab Innocentio X. factas inſtaurationes, nova conſecratione indigere, die Dominica XXVIII. Aprilis MDCCXXVI. ſolemni ritu in honorem ſanctiſſimi Salvatoris, ac memoriam ſanctorum Joannis Baptiſtæ, & Joannis Evangeliſtæ ſolemniter dedicavit, una cum Ara Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quam nuper ipſe inſtaurari, & marmoreis cancellis muniri juſſerat; & hæc quidem ſexageſima ſupra trecenteſimam Eccleſia fuit, ſicut etiam quartum Altare fixum ſupra MCCCCXC. quæ hactenus Benedictus XIII. qua Archiepiſcopus, & qua Romanus Pontifex ſacraverat. Deinde multa aureorum millia contulit, ut hujus Lateranenſis Baſilicæ ſarta tecta ſervarentur.

Academiam Theologicam, alias ſub Clemente XI. opera præſertim Raphaelis Coſmi de Hieronymis Florentini probatiſſimi in Romana Curia Præſulis Romæ cœpram, & ab eodem Pontifice Maximo Apoſtolicis literis firmatam, conſtituto ei loco in Archigymnaſio Romanæ Sapientiæ, multiſque gratiis attributis tum illis, qui exercitationibus ejuſdem Academiæ operam darent, tum etiam Academiæ Cenſoribus, ſingulari amore ac benignitate reſpexit. Non ſolum enim quidquid Clemens indulſerat, confirmavit, verum etiam ex Dataria emolumentis ſibi obvenientibus mille aureos inter viginti Academicos diſtribuendos quotannis aſſignavit; & quod ad hujuſmodi ſtudia, adeo neceſſaria in Urbe Religionis Magiſtra, fovenda ac promovenda plurimum contulit, placuit Pontifici Maximo hujuſmodi Theologicas exercitationes aliquoties majeſtate ſua in Quirinali, vel in Vaticano dignari.

Interim cum Fabricius Cardinalis Paulutius Epiſcopus Oſtienſis & Veliternus, ſacri Collegii Decanus, Urbis Vicarius, vir laudatiſſimæ famæ, cujus opera veluti primario Adminiſtro, ac totius Regiminis a ſecretis utebatur, e vivis exceſſiſſet, Pontifex vices ſuas in Urbe Proſpero Cardinali Marefuſcho, quem ſacra purpura donaverat, commiſit; a ſecretis vero Regiminis Nicolaum Mariam Lercarium Archiepiſcopum Nazianzenum ſacro cubiculo Præfectum adhibuit, quem etiam merito inter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales mox adlegit. Menſe Julio decedente Galeatio Cardinali Mariſcotto Presbyterorum primo in ſumma ac bona ſenectute, qui totius Ordinis Prædicatorum apud Sedem Apoſtolicam Patrocinium geſſerat, Pontifex ipſe inclyti Ordinis, quem olim profeſſus fuerat, & impenſe ſemper amavit, protectionem ſuſcepit.

Hyacintham Mariſcottam Romanam Comitis Marcii Antonii, & Octaviæ Urſinæ filiam, Monialem tertii Ordinis S. Franciſci in Monaſterio S. Bernardini Viterbii Beatarum Virginum albo VII. Auguſti adſcripſit: cujus rei ſolemnes ritus in Vaticana Baſilica VII. Septembris ex liberalitate Franciſci Mariæ Ruſpoli Cerveteris Principis, & ejuſdem Beatæ Hyacinthæ Pronepotis, ſplendide celebrati ſunt.

Eccleſiam Lucenſem, multis olim a Romanis Pontificibus, & Cæſaribus privilegiis ornatam, Archiepiſcopali titulo & honore decoravit, ac Bernardinum Guiniſium ejuſdem urbis Epiſcopum primum Archiepiſcopum eſſe juſſit. Ad Cæſenatem vero Eccleſiam, cui ſex & quadraginta ab hinc annis Paſtorali præfuerat officio, oculos paternæ ſollicitudinis convertens, Seminario Clericorum, novis attributis proventibus, ac rectæ locorum piorum adminiſtrationi, edita XVIII. Kal. Septembris Conſtitutione, conſuluit.

Interea parabantur omnia, quæ ad rite celebrandam ſolemnem octo Beatorum Canonizationem neceſſaria erant. Is honor decernebatur Toribio Mogrovegio Archiepiſcopo Limano, Jacobo Picenti Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci, quos ab Obſervantia nuncupant, Agneti de Monte Politiano Virgini tertii Ordinis Sancti Dominici, Peregrino Latioſo Ordinis Servorum Beatæ Mariæ, Joanni a Cruce Carmelitæ Diſcalceato, Franciſco Solano Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci, Aloyſio Gonzagæ, & Stanislao Koskæ e Societate Jeſu. Itaque X. Decembris in Vaticana Principis Apoſtolorum Baſilica Beatorum Toribii, Jacobi, & Agnetis Canonizatio a Summo Pontifice celebrata fuit; & Beatum quidem Toribium Sanctis Confeſſoribus Pontificibus, Jacobum Confeſſoribus non Pontificibus, & Agnetem Sanctis Virginibus adſcripſit. Die XXVII. eodem ritu, ac in eadem Baſilica ſecundam habuit Pontifex Canonizationem Beatorum Peregrini, Joannis, & Franciſci, quos inter Sanctos non Pontifices retulit; ac denique extrema Decembris die eundem honorem exhibuit Beatis Aloyſio Gonzagæ, & Stanislao Koskæ e Societate Jeſu, quos Sanctorum Confeſſorum non Pontificum albo inſeruit, & Beatum quidem Aloyſium Scholarum Societatis Jeſu Patronum elegit. Prius autem Sancti Joſephi Beatiſſimæ Virginis Mariæ Sponſi cultum ampliaverat; juſſerat enim in Litaniis omnium Sanctorum, atque etiam in Litaniis brevibus, quæ pro commendatione animæ decedentis recitantur, poſt invocationem Sancti Joannis Baptiſtæ, Sanctum Joſephum invocari, atque inde omnes Sanctos Patriarchas, & Prophetas.

Inter hæc pietatis opera annus MDCCXXVI. tranſigebatur, quibus & inſequenti anno MDCCXXVII. Pontifex inſiſtendum ratus, primo Vaticanæ Baſilicæ Altaria conſecranda duxit, atque ibi unum ſupra viginti dicavit. Presbyteris Societatis Jeſu, ut magnifico in Urbe Templo Divi Ignatii aream, & forum adjicerent, Romanum vero Clericorum Seminarium ædificiis ampliarent, indulſit. Sed, quod maxime mirabere Lector, Benedictus, qui ubi primum Summi Apoſtolatus apicem aſcendit, de emendando, illuſtrando, atque etiam ampliando Cæremoniarum libro, quo utuntur Epiſcopi, cogitare cœperat, ipſemet inter ingentes labores & curas pro ſtudio, quo ferebatur in ſacros Ritus, opus aggreſſus, adhibitis piis ac doctis viris, initio hujus anni perfecit, ediditque, ut ab omnibus ſervaretur. Porro nullus de hac re ipſo certius decernere poterat, qui annis quinquaginta Epiſcopi & Metropolitæ munere perfunctus, nil habuit antiquius, quam ut ſacros Ritus ſecundum veterem, & laudabilem Romanæ Eccleſiæ diſciplinam adamuſſim exhiberet. Ad hoc etiam ſtudium referendum eſt, quod anno Jubilæi fontem regenerationis humanæ veteri ritu inſtauraverit in Baſilica Vaticana.

Servaverat ſibi Pontifex regimen Eccleſiæ Beneventanæ, quam amore nunquam interituro proſequebatur, Divum Leonem IX. & Alexandrum II. prædeceſſores ſuos imitatus, quorum primus Tullenſem Eccleſiam, alter vero Lucenſem, quibus in minoribus præerant, una cum Romano Pontificatu tenuerunt. Decreverat etiam Pontifex in eadem Beneventana Eccleſia Coadjutorem ſibi in ſpem futuræ ſucceſſionis Nicolaum Cardinalem Coſciam; ſed nihilominus, ut veteres clientes ac diœceſanos ſuos præſens inviſeret, & paterna cura ſolaretur, ſtatuit ex Urbe Beneventum ſeſe conferre cauſa præſertim conſecrandi Templum, quod voti reus ad nomen, & memoriam Divi Philippi Nerii in ea civitate conſtruxerat. Poſtquam itaque profectionem ſuam Cardinalibus in conſueto Senatu ſignificaſſet, XXIV. Martii modico comitatu Roma diſceſſit, eoque die pervigilio Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis morem ſuum nihil cocti, & vix aliquid crudi in ſeverioribus jejuniis ſumendi, quamvis iter ageret, diligenter ſervavit, paucis caſtaneis & brevi aqua contentus: ad majorem tamen abſtinentiæ exercitationem interfuit menſis a Cardinali Lercario primo Benedicti Adminiſtro in Albano Familiaribus ejus ſplendide paratis, ut ſigno Crucis benediceret, ac Deo gratias ageret. Albano ad Portum Antium profectus, inde per agros Pontinis Paludibus proximos Tarracinam venit, ubi ex veteri Romanorum Pontificum iter agentium more, Sanctiſſima Euchariſtia perpetuo in itinere ante eum deferenda ab uno ex ſacri Sacelli Miniſtris ſuſcipiebatur. Mox cum Regni Neapolitani fines attingeret, protinus Pontifici occurrit Michael Fridericus Cardinalis ab Althan, qui regia poteſtate pro Cæſare Regno præerat, tum ſuo, tum Cæſaris nomine Pontificem veneratus, deinde regio cultu, ac liberalibus menſis, ſplendidoque apparatu præſto fuit, donec Pontifex in agri Beneventani fines veniret. II. Aprilis Beneventum ingreſſus eſt ſumma Cleri ac Populi lætitia, quem tamen obviam ſibi procedere noluit, inhibuitque veræ humilitatis ſenſu, qui ſibi parabantur, honores. Recta in Metropolitanam Eccleſiam ſe contulit, ubi Clerum allocutus ex Evangelii verbis: *Oves meæ vocem meam audiunt;* & quaſi nil ex itinere fatigatus eodem die ſub veſperam Peregrinorum Hoſpitium adivit, quibus poſt lotionem pedum in menſa miniſtravit, ſervavitque hunc morem reliquis diebus. Et cum Hebdomada major, & Paſchales dies imminerent, temporis opportunitate uſus eſt, ut largius pietatis operibus indulgeret. Præter enim ea, quæ his diebus unuſquiſque Epiſcopus ex Eccleſiæ ritu præſtare ſolet, frequenter ad populum dicere modo deſiderium, quo deſideraverat hoc Paſcha manducare cum illis, modo ad religionis cultum & pietatis ſtudia inflammare, modo diſceſſum ſuum prænuntiare ex Evangelii verbis: *Modicum & non videbitis me:* modo pueros in ſacra Catecheſi erudire, modo accurrentibus ex finitimis locis ſupplici Proceſſione Fidelibus benedicere, modo Diœceſanos ſuos, & exteros quoque benigne audire, & ſingulorum poſtulatis ſatisfacere, ſingulis vero Sabbatis de laudibus Marianis differere. Feria II. poſt Paſcha Maffeum Farſettum in Ravennatis Eccleſiæ Archiepiſcopum ſolemni ritu ordinavit, novem ſecum cooperantibus Epiſcopis, Dignitatibus vero & Canonicis infulatis Metropolitanæ Eccleſiæ miniſtrantibus, & aſſiſtentibus, tradito etiam eidem Archiepiſcopo Pallio.

lio. Feria IV. novam Eccleſiam Clericorum Regularium miniſtrantium infirmis ad nomen & memoriam Divi Philippi Nerii conſecravit. Dominica II. poſt Paſcha tribus Abbatibus benedixit. Dominica IV. Templum in Caſtro Padulii Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum Joannis Baptiſtæ, ac Joannis Evangeliſtæ dicavit. Denique poſtquam Eccleſias omnes Civitatis Beneventanæ luſtraſſet, ac magnæ pecuniæ vim in Templorum inſtaurationem, aliaque pietatis opera per civitatem ac diœceſim diſperſiſſet, deſiderium ſui Beneventanis fecit, apud quos in arce civitatis rei monumentum Rizzardus Iſolanus Gubernator poſuit:

BENEDICTO XIII. PONT. MAX.
QUOD URBEM HANC OLIM INGENTI
TERRÆMOTU PENE PROSTRATAM
TEMPLIS IN ELEGANTIOREM FORMAM
RESTITUTIS
NOVISQUE EXCITATIS
AQUIS PER IV. MILLIARIA PURISSIMIS
FONTIBUS DEDUCTIS
ATQUE IN ARCEM DERIVATIS
FELICI NUNC FAUSTOQUE ADVENTU
BEATISSIMAM REDDIDERIT
LIBERALISSIMO AC PIISSIMO PRINCIPI
RIZZARDUS ISOLANUS GUBERN.
P. C.
ANNO DOMINI MDCCXXVII.

Diſceſſit itaque XII. Maji, & cum ad agri Beneventani fines perveniſſet, non ſine lacrymis pro ſinceri amoris ſignificatione tellurem illam maxime beatam, quia diuturnis ſanctiſſimi Pontificis laboribus culta adhuc ejus ſudore manabat, oſculatus, iterum a Michaele Friderico Cardinali ab Althan Neapolitani Regni Prorege exceptus, Capuam venit, cujus Eccleſiæ Canonicos a biennio mitris ornaverat. Illic aliquantulum immoratus, ut primum Altare in Sacello Ærarii conſecraret, & Nicolaum Cardinalem Caracciolum Archiepiſcopum ægrotantem inviſeret, ad Montem Caſinum inde contendit, atque ibi XIX. Maji Caſinenſem Eccleſiam conſecravit, habito ad populum ſermone de ritu dedicandi Templa, quem in triplici Mundi ſtatu, Naturæ, Legis ſcriptæ, & Gratiæ perpetuo ſervatum fuiſſe, luculenter oſtendit, cooperantibus ſibi eodem Cardinali Vaccienſi Epiſcopo, ac tribus ex Ordine Divi Benedicti, ſcilicet Nicolao Maria Tedeſchio Archiepiſcopo Apameæ, Angelo Maria Quirino Archiepiſcopo Corcyrenſi, & Alphonſo Mariconda Epiſcopo Triventino, qui eodem tempore quatuor minores Templi Aras dedicarunt, aliis præterea ex eodem Ordine Prælatis aſſiſtentibus, ita ut ſeptem Archiepiſcopi, Epiſcopi etiam ſeptem, ac totidem Abbates Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Caſinenſis numerarentur. Extat rei memoria ad principem Templi portam.

CASINENSEM ECCLESIAM
QUAM FALSI NUMINIS FANO ARAQUE
SUBVERSA S. PATER BENEDICTUS ANNO DXXIX. VERO DEO DICAVERAT,
QUAMQUE A LONGOBARDIS VASTANTIBUS EVERSAM A PETRONACE ABBATE
RESTITUTAM, MOX A SARACENIS INCENSAM A JOANNE ABBATE REFECTAM,
ET A DESIDERIO ITIDEM ABBATE AMPLIORI GYRO CONSTRUCTAM ZACHARIAS P P. ANNO DCCXLVIII. PRIMUM,
ET ALEXANDER II. ANNO MLXXI. SECUNDO CONSECRAVERAT: TERRÆMOTU ANNI MCCCCXLIX. PRORSUS DIRUTAM, ET URBANI V. JUSSU ERECTAM,
AC RURSUS RUINA OBRUTAM, ATQUE
A FUNDAMENTIS ANNO MDCXLIX. EXCITATAM, ET RECENS MAGNIFICENTIUS EXORNATAM BENEDICTUS XIII.
P. M. ORD. PRÆDIC. ANNO MDCCXXVII.
DIE XIX. MAJI SOLEMNI RITU TERTIO
CONSECRAVIT.

Inde Aquinum venit patriam Divi Thomæ Ordinis Prædicatorum, & Angelici Eccleſiæ Doctoris ex Aquini Comitibus orti inviſurus. Mox dimiſſo Cardinali ab Althan, qui eo uſque magno comitatu Pontificem deduxerat, in fines propriæ ditionis venit, atque in Conventu Fratrum Excalceatorum Ordinis S. Auguſtini prope Froſinonem feſtum Aſcenſionis celebravit. Proſedem deinde acceſſit, ac nova inter abrupti montis ſaxa a Livio de Carolis Proſedis Marchione aperta via tenuit Setiam, ubi in Cathedrali Eccleſia conſtructum pretioſis marmoribus Altare Divi Philippi Nerii conſecravit, & feſtum diem Sancti Philippi Nerii XXVI. Maji egit. Setia Ciſternam, atque inde Velitras venit a Franciſco Cardinali Barberino Epiſcopo exceptus, ac tandem XXVIII. Maji Albano in Urbem feliciter redux intravit, poſtquam toto profectionis ſuæ tempore multa paſſim & ubique locorum religionis, & charitatis exempla ac documenta dediſſet: ſed illud non omittendum, quod cum in veteri Latio nautam myſteriorum Chriſtianæ fidei penitus ignarum deprehendiſſet, ſecum alio duxit, ut erudiretur, deſignato etiam qui inſtitueret.

Interim Pontifex, ut gratum animum erga inclytum Ordinem ſuum Prædicatorum ſolemni aliqua ſignificatione, ac perenni in ævum monumento comprobaret, ſuſceptique ſuperiori anno uberiorem patrocinii fructum largiretur, omnia & ſingula privilegia a Prædeceſſoribus ſuis eidem Ordini liberaliter indulta confirmavit, ampliavitque edita Conſtitutione Apoſtolica Setiæ VII. Kalendas Junii anno MDCCXXVII. Eadem liberalitate deinde erga plures Regulares Ordines uſus, eorum privilegiis Apoſtolicæ ſuæ confirmationis robur adjecit.

At non levis illi cura ab ipſo Pontificatus initio de ſtatu Eccleſiarum in ditione Pedemontana incumbebat; ibi enim exortis olim ſub Innocentio XII. inter Sedem Apoſtolicam, & Regem Sardorum Pedemontis Principem diſſidiis de Epiſcopatibus, aliiſque Sacerdotiis conferendis, deque juriſdictione, & immunitate Eccleſiaſtica, nondum res compoſita erat; ac interim decedentibus Epiſcopis, & Abbatibus, fere omnes illius regionis Eccleſiæ viduæ lugebant Paſtores ſuos non ſine gravi rei Eccleſiaſticæ detrimento: & quamvis compluries tentatus compoſitionis modus, nondum controverſiarum inveniebatur finis. Sed Pontifex, qui pro religione, ac ſapientia ſua nihil periculoſius arbitrabatur, quam Eccleſiarum viduitatem & luctum diutius protrahere, probatis ante iter Beneventanum nonnullis capitibus ac regulis, quibus eccleſiaſtica res contineretur, aliis vero, quæ objiciebantur, difficultatibus poſthabitis, Romam regreſſus novos Epiſcopos, & Abbates hoc anno Eccleſiis illis ac Monaſteriis dedit, qui reſtituerent rem, & Chriſti-Fidelium Gregem paſtorali cura

cuſto-

cuſtodirent, magno ſane religionis bono, quæ ſtatim ſub Epiſcopis, aliiſque Præſulibus reflorescere cœpit.

Poſt exceſſum Franciſci Farneſii Parmæ, & Placentiæ Ducis, Antonium ejus fratrem beneficiario jure in clientelam, præſtito fidelitatis juramento, recepit. Joannem Baz Principem Montis Libani reipublicæ cauſa Romam venientem benigne habuit, & Chriſtifidelibus ibi inter Barbaros degentibus paterna cura conſuluit. Inde Clementem Auguſtum e Bavaria electum Archiepiſcopum Colonienſem, eumdemque Monaſterienſem, & Paderbornenſem Epiſcopum, ſacri Romani Imperii Principem Electorem, qui una cum Violante Beatrice a Bavaria magna Hetruriæ Principe ejus amita (quam ſuperiori anno Summus Pontifex inſignis pietatis ac virtutis amore aurea Roſa donaverat) Romam petebat, ut a Benedicto conſecrationis munus acciperet, Viterbii juſſit conſiſtere: mens enim ipſi fuit, non omnia Romæ danda, ſed pontificiis actionibus veterum Pontificum more alias quoque civitates decorare. Propterea Viterbium proficiſcitur, ubi in Eccleſia S. Mariæ de Quercu Ordinis Prædicatorum X. Novembris Franciſco Antonio Finio olim Epiſcopo Abellini, tunc Archiepiſcopo Damaſceno, & ſacri Cubiculi Præfecto, quem mox non tam ex veteri familiaritate & gratia, operaque præſtita in Diœceſanis ac Provincialibus Beneventi Synodis, quam in Romana, additis novis in Sedem Apoſtolicam meritis, inter S. R. E. Cardinales retulit, Maffeo Farſetto Ravennati, & Joanne Baptiſta Gambarucio Amaſeno Archiepiſcopis, necnon Adriano Sermatthæjo Viterbienſi, & Nicolao Xaverio Santamaria Cyrenenſi Epiſcopis cooperantibus, præſentibus etiam Cathedralis Eccleſiæ Canonicis, quos non ita pridem ſacris infulis ornaverat, Colonienſem Archiepiſcopum conſecravit. Sequenti die in Eccleſia Monialium S. Bernardini, ubi conditæ ſunt mortales exuviæ Hyacinthæ Mariſcottæ, quam Pontifex ſuperiori anno Beatam appellaverat, ad nomen & memoriam ejuſdem Aram dicavit, multa de laudibus Galeatii Cardinalis Mariſcotti ejuſdem Beatæ Virginis nepotis prolocutus, dotemque ſtatuit, ut perpetuo ter in annum ibidem ſacrum fieret, ſemel die obitus Clementis X. a quo & ipſe Pontifex, & idem Cardinalis Mariſcottus ſacra Purpura donati fuerant; ſemel die Promotionis ejuſdem Cardinalis; ac denique ſemel anniverſario die, quo Cardinalis Mariſcottus e vivis exceſſit. Tunc Romam reverſus.

Tot autem ſuſcepti labores, ſacræque actiones, quas fere quotidie Pontifex obibat, nihil detrahebant de ſollicitudine omnium Eccleſiarum, etiam quæ immani terrarum ſpatio ab Italia ac tota Europa ſejunctæ in Indiis Orientalibus ſitæ ſunt. Nam poſtquam Carolus Thomas Turnonius Patriarcha Antiochenus cum poteſtate Legati de Latere Apoſtolicus Viſitator, ac deinde S. R. E. Cardinalis, Pudicherii anno MDCCIV. multa ſapienter decreviſſet de abolendis ſuperſtitionibus, quæ inter novos Chriſtifideles in Regnis Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi, veluti zizania inter electi frumenti ſpicas, ſuccreſcebant, quæque hactenus Evangelii Operarii, cæteroquin impigri ac ſtrenui, evellere non poterant, licet Clemens XI. datis anno MDCCXII. literis ad Meliaporenſem Epiſcopum, mentem ſuam de ſervandis Apoſtolici Viſitatoris decretis opportune declaraſſet, nihilominus Benedictus XII. Decembris MDCCXXVII. novis literis ad Epiſcopos omnes, & Apoſtolicos Miſſionarios iiſdem in Regnis Fidei propagationi operam dantes, apertius decreta ipſa confirmavit, mandavitque diligenter ſervari & impleri, potiſſimum illis commendans, ne vilis conditionis homines, Parreas vocant, a quibus tradito Gentibus more cæteri vehementer abhorrent, negligerent, ſed iis quoque Sacramenta miniſtrarent, & morti proximis cætera Chriſtianæ pietatis officia exhiberent, cum apud Deum nulla ſit perſonarum acceptio, nulla inter ſervum & liberum diſtinctio. Præterea Benedictus ab Imperatore Cinarum epiſtolas ac dona accepit, & quod ipſi jucundiſſimum fuit, libertatem Præconum Evangelii conſecutus eſt, qui cum in ampliſſimis illis Provinciis Domini Noſtri Jeſu Chriſti fidem annunciarent, apud Imperatorem accuſati in vincula fuerant conjecti.

Novum annum MDCCXXVIII. a cultu ſacratiſſimi Nominis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quod eſt ſuper omne nomen, feliciter auſpicatus, Indulgentias, quas olim Sixtus V. largitus fuerat, reſtituit, confirmavitque omnibus Chriſti-fidelibus, qui ejuſdem ſacratiſſimi Nominis interpoſita invocatione invicem ſeſe ſalutarent. Virgines ſanctimoniales in Monaſterio Divi Ambroſii Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Caſinenſis degentes, ubi olim paternam ejuſdem ſanctiſſimi Archiepiſcopi & Eccleſiæ Doctoris domum fuiſſe ferunt, eamque incoluiſſe Beatam Marcellinam Divi Ambroſii ſororem, quæ virginitatis velum a S. Liberio Romano Pontifice accepit, feria III. poſt Dominicam in Albis benedixit, atque ſacravit, ut veteres Eccleſiæ ritus de benedictione, & conſecratione Virginum, quorum in ipſa Urbe veluti in principe Religionis loco frequentiorem uſum eſſe decet, reſtitueret, addiditque plenariam omnium peccatorum remiſſionem atque indulgentiam Monialibus cujuſcumque Ordinis eo die acquirendam, quo perpetuis futuris temporibus ubique terrarum a proprio Antiſtite ſacrum velum ſuſciperent, ac ſtatis ritibus benedicerentur, & conſecrarentur. Cultum Beati Serapionis Martyris ex Ordine Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum confirmavit. Beatæ Margaritæ a Cortona (ubi ejus corpus incorruptum, & ſuavem ſpirans odorem conquieſcit) nuncupatæ Tertii Ordinis S. Franciſci, quæ aſperis ac diuturnis pœnitentiæ operibus peccata diluerat, Dominica Pentecoſtes, quæ in XVI. Maji incidit, in Vaticano Templo ſolemni ritu Chriſtianæ Apotheoſeos honores decrevit. Mox XXIV. ejuſdem menſis Fratrem Joannem de Prado Ordinis Minorum Excalceatorum de Obſervantia S. Franciſci Beatis Martyribus adſcripſit. Ordini vero Excalceatorum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, qui proprio Templo in Urbe carebant, Eccleſiam una cum Parœcia S. Mariæ in Monterone dedit. De identitate Corporis Divi Auguſtini eximii Eccleſiæ Doctoris Papiæ conditi juſſit inquiri, datis literis Papienſi Epiſcopo, ac duorum tantum menſium induciis, quibus judicium conficeretur, ne per infinitas ambages, ac diſputationes res longius iret. His literis Benedictus Auguſtinum in profitenda Prædicatorum regula Parentem, in Theologico curriculo ducem, in paſtorali miniſterio, cunctiſque vitæ rationibus Patronum ſuum nuncupavit. Epiſcopus, multis adhibitis conſultationibus, rem diligentiſſime exploravit, ac tandem in comperto habuit, illa eſſe Beati Doctoris ſacra lipſana, quæ Papiæ in Eccleſia Divi Petri in cælo aureo aſſervantur, ubi Luitprandus Longobardorum Rex e Saracenorum manibus magno pretio redempta, olim condiderat.

Abrogaverat Clemens XI. Legationis Apoſtolicæ jus, quod in Regno Siciliæ ultra Pharum tanquam Regiæ dignitati conjunctum ad obitum uſque Caroli II. Hiſpaniarum ac utriuſque Siciliæ Regis ſex ſæculorum decurſu viguerat. Cauſa abrogationis præſertim ea fuit, quod nonnulli hujus poteſtatis, Monarchiam vocant, Adminiſtri Apoſtolicæ Legationis exceſſerant modum. Propterea Clemens novam inierat viam, ac methodum Eccleſiaſticas cauſas in Regno Siciliæ ultra Pharum tranſigendi, quæ tamen cum utentium moribus non ſatis reciperetur, & ex hac Apoſtolici privilegii jactura Sacerdotium & Imperium non recte convenirent, Benedictus XIII. non ab re eſſe duxit, ut pacem & tranquillitatem in eo Regno perpetuo firmaret, Siculorum etiam commodis conſuleret, Apoſtolicæ Legationis jus Carolo VI. in Romanorum Imperatorem electo, utriuſque Siciliæ Regi, ac multis & inſignibus nominibus de Apoſtolica Sede, ac univerſa Chriſtiana Republica optime merito, in Regno Siciliæ ultra Pharum, ſublatis abrogationis cauſis, permittere. Primo enim poteſtatis uſum contraxit, & quæ olim nullis fere circumſepta legibus, nullis inclusa finibus agere videbatur, ad juris & rationis modum æque ac ſapienter revocavit, editis Apoſtolicis literis III. Kal. Septemb. an. MDCCXXVIII.

Hæc in Sicilia. In Italia vero oppidum Roncilionis in Faliſcis populo frequens & amplum, civitatis nomine ac jure donavit: novam tamen civitatem Cathedræ Sutrinæ ſubjectam eſſe voluit, cujus Diœceſis erat. Sed oppidum Fabriani in Piceno Camerinenſis Diœceſis, Templorum ſplendore, ſacris lipſanis Divi Romualdi Camaldulenſium Monachorum Parentis, ac Divi Silveſtri Silveſtrinorum Monachorum Authoris, incolarum quoque frequentia ac opibus inſigne, in civitatem, ac Divi Venantii Eccleſiam, ubi præcipuum Canonicorum Collegium, in Cathedralem, quam Camerinenſi perpetuo conjunctam fore decrevit, erexit. Romæ veterem Eccleſiam ac Cœnobium S. Sixti, ubi Divus Dominicus inclyti Ordinis Prædicatorum Inſtitutor diu fuerat commoratus, magnis ſumptibus inſtauravit & auxit. Xenodochium quoque, quod ad curandam valetudinem eorum, qui mentis inſania laborant, anguſto loco in Foro Columnæ extructum erat, ad opportuniorem & ampliorem ſedem apte conſtructam tranſtulit prope magnum Valetudinarium S. Spiritus in Saxia, cui & hoc conjunxit, ut pium adeo charitatis officium fructuoſius ac diligentiſſime mente laborantibus exhiberetur: ac in Palatio ſuo Præfecti munus, quod Camillus Cybo Patriarcha Conſtantinopolitanus gerebat, reddita in Familiares Pontificios juriſdictione, quam cunctarum fere Gentium more hujuſmodi Præfecti obtinent, novis privilegiis munivit. In Baſilica vero Vaticana cum Menſa Capitularis frequentibus rei agrariæ jacturis attrita, grande æs alienum paulatim contraxiſſet, ingenti pecu-

niæ

niæ vi attributa Benedictus penitus dissolvit, ne Clerus illius Basilicæ consuetis stipendiis carere cogeretur, neque divinus cultus ibi langueſceret, ubi summopere vigeat, oportet. Canonici Benedicto statuam ex ære elegantер ornatam, & annuis pro eo Sacrificiis statutis, accepti beneficii monumentum in Vestiario Basilicæ posuere addito titulo:

BENEDICTO XIII. PONT. MAX. VRSINO.
ORDINIS PRÆDICATORVM
QVOD BENEFICENTIAM
NICOLAI III. ALIORVMQVE GENTILIVM SVORVM
ERGA VATICANAM BASILICAM ÆMVLATVS
MAGNVM ÆS ALIENVM
OB RENOVATAS PER PLVRES ANNOS
REI AGRARIÆ CALAMITATES
A MENSA CAPITVLARI CONTRACTVM
VNO DIE PONTIFICIA LIBERALITATE
DISSOLVERIT
CAPITULUM ET CANONICI
ANNIVERSARIIS PRO EO SACRIS
IN PERPETVVM CONSTITVTIS
GRATI ANIMI MONVMENTVM POSVERE
ANNO DOMINI MDCCXXVIII.

At in Galliis major Benedicti cura, ac sollicitudo, Ibi enim Constitutioni Clementis XI. *Unigenitus*, qua liber Considerationum moralium Paschasii Quesnellii, ac una supra centum ex eo excerptæ propositiones proscriptæ fuerant, nondum ubique, nec ab omnibus paritum erat. Pontifex vix ad universæ Ecclesiæ clavum ac regimen admotus potissimam curam, & officia omnia eo intenderat, ut Ludovicus Antonius Cardinalis de Noailles Archiepiscopus Parisiensis, in cujus nomine & authoritate dissensionis suæ præsidium posuerant pervicaces, tandem cum Romana Ecclesia palam sentiret ac loqueretur, & in Regia Lutetiæ Parisiorum urbe Apostolica reciperetur Constitutio sincera & simplici fide. Magnam eidem Constitutioni quidam conflabant invidiam, quod perperam asserent, editisque libellis in vulgum spargerent, inconcussa ac tutissima Sanctorum Augustini, & Thomæ dogmata eadem Constitutione convelli, quorum calumnias rejecerat Pontifex, datis VI. Novembris anno MDCCXXIV. literis ad universos Fratres Ordinis Prædicatorum, quibus Thomisticæ Scholæ doctrinam, ac præsertim de Gratia per se, & ab intrinseco efficaci, & gratuita prædestinatione ad gloriam sine ulla prævisione meritorum laudaverat, & Apostolicæ vocis extulerat præconio, Prædecessores suos imitatus, qui Angelicam Divi Thomæ doctrinam summis laudibus fuerant prosecuti. Tantum enim aberat, ut Refractarii quidquam possent ex summis Ecclesiæ Doctoribus Augustino, & Thoma ad erroris sui tutelam afferre, quin potius horum auctoritate novus ipse error, sicut & veteres hæreses, aperte impugnaretur, & catholica veritas illustraretur. Plurimum hæ literæ contulerunt tum ad confirmandos in Galliis eos, qui bene sentiebant, cum etiam ad erigendos illos, qui dubiæ potius mentis ambiguitate, quam ingenii pervicacia cunctabantur adhuc, & hærebant, ne Apostolicæ Constitutioni debitam profiterentur obedientiam. Interim Cardinalis de Noailles frequenter a Summo Pontifice de officio suo admonebatur; nec ille paternis monitis surdas præbere aures, sed libenter excipere, ac diu coram Christo Domino meditari, quomodo & Pontificis Maximi, & Ecclesiæ universæ votis faceret satis. Inveterata enim causa erat, multisque implicata difficultatibus, præsertim ex Pastorali documento, quod anno MDCCXIX. ipse Cardinalis Archiepiscopus ediderat, quo Apostolica Constitutio in eam detorquebatur sententiam, quam Clemens XI. probandam non putavit. Nec facile poterant in frequentissima totius Europæ urbe, amplissimaque Diœcesi dissidentium ingeniorum æstus componi, exasperatique diuturnis colluctationibus animi ad concordiam & pacem revocari, ut idem omnes sentirent. Vicit tamen veritatis amor; hoc enim Cardinalis de Noailles incensus, Christo inspirante, sapientissimum cepit consilium, datisque ad Summum Pontificem literis, palam professus est, se absolute, & simpliciter Constitutionem *Unigenitus* sincero obsequio, ac debita reverentia suscipere: librum Considerationum moralium, ac centum & unam propositiones ab eo excerptas eodem modo, & sub iisdem censuris in eadem Constitutione expressis rejicere: & insuper documentum Pastorale, quod anno MDCCXIX. ediderat, ac cætera omnia, quæ hac de causa ejus nomine prodierant, corde & animo retractare. Neque id his tantum literis præstitit, sed etiam pastorali Edicto, quod in Regia urbe proposuit, & per universam Diœcesim vulgavit, ut omnes pari secum fide, & religione Apostolicæ Constitutioni obsequerentur. Plenissimis paterni amoris significationibus occurrit Benedictus Cardinali, atque Archiepiscopo amplissimo, quem quadam temporis procella a se divulsum vehementer dolebat, diu expectatam obedientiæ victoriam ei ex animo gratulatus. In Senatu habito VIII. Novembris MDCCXXVIII. gaudium suum Cardinalibus commune fecit: retulit quoque totius rei seriem, ac sinceræ obedientiæ sensus, quos insignis eorum Collega aperuerat. Is paternæ longanimitatis ac vigilantiæ optatissimus fructus merito cæteris a Benedicto XIII. hoc anno præclare gestis coronidem ponit: tali enim pacto causa omnium tempestate nostra gravissima transacta fuit, quæ post editam a Clemente XI. anno MDCCXII. Constitutionem *Unigenitus* sexdecim integris annis innumeras Apostolicæ Sedi molestias, & assiduam injecerat sollicitudinem.

Verumtamen ex Polonia non levis Benedicto molestia. Vincentius Santinius Archiepiscopus Trapezuntinus Nuntius Apostolicus, quamvis ingenii, ac prudentiæ laude floreret, tamen apud Ordines Regni graviter offenderat; atque inde factum est, ut in Comitiis Grodnensibus mense Octobri MDCCXXVI. novella lex sanciretur, Nuntio, & jurisdictioni Apostolicæ injuriosa, additis deinde mense Novembri quinque articulis, quibus ne quis apud Nuntium Apostolicum causam diceret, aut ejus censuras promulgaret, atrocibus interjectis pœnis, cavebatur. Multa Benedictus egerat ad conciliandos animos, & propulsandam injuriam non solum literis, & officiis apud Regem, & Rempublicam, sed etiam ablegato extra ordinem in Poloniam Camillo Paulutio Archiepiscopo Iconii Nuntio Apostolico. Monita Pontificis pium Regis animum permoverunt, ut Ordines a præfatæ legis executione temperarent, non tamen ut acta rescinderent; quapropter Benedictus, ne Apostolica authoritas, & Ecclesiastica libertas detrimenti quidquam acciperent, gravi, & præclara edita Constitutione XXV. Septembris novellam legem damnavit, & quæ inde acta fuerant, abolevit.

In Natalitiis Servatoris Nostri pietas ac religio Benedicti

nedicti ſummopere enituit; nam totam Nativitatis noctem inter ſacras actiones inſomnis tranſegit, diviniſque officiis in Sacello Sixtino celebratis, ad alterum Divi Pii ſeceſſit, ubi conſecrationem Vincentii Antonii Muſcettolæ, quem Benedicto Buſſio immatura morte ſublato in Epiſcopatu Recineti & Laureti ſuffecerat, peregit. In feſto S. Joannis Evangeliſtæ poſt ſolemnia habita in Vaticano ad Lateranum migravit, ubi per aliquot dies commoratus, Altaria plura Lateranenſis Baſilicæ, novumque ſacellum, quod in eadem Baſilica erexerat in memoriam Dormitionis Beatæ Virginis Mariæ, ac SS. Dominici & Philippi Nerii, dicavit.

Pluvium cælum initia novi anni MDCCXXIX. fœdaverat, ita ut agricolæ, qui ex variis regionibus Romam confluxerant Romani agri colendi cauſa, otio & fame langueſcerent, quibus Benedicti liberalitas præſto fuit, affatim pane ex annona Urbis in plures dies inter agricolas diſtributo, donec, ceſſantibus pluviis, iiſdem liceret ad agrorum culturam redire.

Interim agebatur de referendo inter Sanctos Martyres B. Joanne Nepomuceno, olim Pragenſis Eccleſiæ in Bohemia Canonico, atque etiam de Fratre Fideli a Sigmaringa Svevo Ordinis Minorum Divi Franciſci, quos Cappucinos vocant, Miſſionum Apoſtolicarum in Rhætia Præfecto, in quibus anno MDCXXII. Martyrii palmam accepit, Beatorum titulis ornando: & quidem XIX. Martii cum Divi Joſephi Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſponſi feſta coluntur, in Baſilica Lateranenſi eleganter ornata Benedictus Beatum Joannem Nepomucenum canoni Sanctorum Martyrum inſeruit: & jura, quæ ex hujuſmodi cauſis Romanis Pontificibus pendi ſolent, ut inde Altaria duo in eadem Baſilica erigerentur, alterum in memoriam Divi Barbati Archiepiſcopi Beneventani, alterum vero in memoriam ejuſdem Sancti Joannis Nepomuceni, attribuit. Indulſit deinde, ut in eadem Baſilica XIV. Martii ſolemnia Beati Fidelis a Sigmaringa agerentur.

Sed Eccleſiæ Beneventanæ ſollicitudo Benedictum urgebat, ut iter illuc repeteret, tertium Provinciale Concilium celebraturus: duo enim ante Pontificatum Romanum Beneventi coegerat. Roma diſceſſit XXVIII. Martii poſt habitum Conſiſtorium, in quo Camillum Cybo ex Ducibus Maſſæ & Carrariæ, Patriarcham Conſtantinopolitanum, Apoſtolico Palatio Præfectum, quem S. R. E. Presbyterum Cardinalem prænuntiaverat, purpureo galero ornavit. Marinum primo profectus, inde Velitras, atque Ciſternam, tum Privernum, & per Monaſterium Foſſænovæ Tarracinam, Kalendis vero Aprilis in fines Regni Neapolitani devenit.

Romani ſane hujuſmodi diſceſſum Pontificis ſui ægre tulerunt, graviter queſti, eum, qui ob ſenium jam ad occaſum vergebat, Roma abire, forte non reverſurum. Sed quot priſcos inter Romanos Pontifices hujuſmodi itinera etiam in ſumma ſenectute frequentarunt aut ex privata, aut ex publica cauſa? Et ſane non ſolum Eccleſiæ Beneventanæ, ſed & Chriſtianæ Reipublicæ intererat, ne Benedictus Urbe concluderetur, cujus vita norma vivendi Epiſcopis præſertim erat. Paſtoralis enim officii actiones Romæ duntaxat expletæ ſegnius irritaſſent aliorum animos demiſſæ per aures, quam fidelibus oculis variis in locis ſubjectæ. Illud memoria dignum, quod licet adverſante aura Pontifex Roma diſceſſerit, ſerenum tamen cælum expertus eſt, ac poſtrema itineris die, cum pluvia ingrueret, Benedictus facto ſigno Crucis, & familiaribus bene ſperare juſſis, pluviam ad quinquaginta retro paſſus arcere viſus, ita ut cum omni comitatu a pluvia prorſus intacto quinta Aprilis, quæ in Feriam tertiam ante Dominicam Palmarum incidit, Beneventum tenuerit, quo etiam S. R. E. Cardinales Nicolaus Coſcia, & Franciſcus Antonius Finius acceſſerunt, ubi inter pietatis ac religionis opera reliquum tempus, ac inſequentem Majorem Hebdomadam tranſegit. Res plane hominum admiratione digniſſima, quod cuncta, quæ vix florente ætate Epiſcopi in ſuis Eccleſiis eo tempore explere ſolent, aliaque plura, quæ Epiſcopi agere non ſolent, ipſe jam octogenarius in Eccleſia Beneventana præſtaret, in qua frequenter etiam ad populum dixit. Sed & in Paſchalibus feſtis, totoque tempore, quo Beneventi manſit, quot labores ſuſcepit? quot præclara edidit paſtoralis vigilantiæ, quot liberalitatis exempla? Non tamen Legationes Principum, & Sedis Apoſtolicæ negotia, ne quid moræ inde acciperent, intermittere conſuevit.

Menſe Majo Concilium Provinciale in Metropolitana Eccleſia Beneventana celebravit, convenientibus illuc non ſolum Provinciæ Epiſcopis, ſed & aliis ex diverſis regionibus Prælatis, tum ut Benedictum inviſerent ac venerarentur, tum ut inſolitam actionem ſuſciperent, inter quos Mondillus Urſinus ejus ex fratre nepos, quem diu inter Presbyteros Congregationis Oratorii Divi Philippi Nerii Neapoli verſatum, ex Epiſcopatu Melphis & Rapollæ ad Archiepiſcopatum Capuanum ſuperiori anno MDCCXXVIII. tranſtulerat, & nuper Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ titulo decoraverat. Ego quoque ibi fui, qui Firmo diſceſſeram, ut ſacra Apoſtolorum limina Romæ viſitarem. Benedictus ſummæ benignitatis officiis excipere Præſules, ad menſam in communi cœnaculo adhibere, ſplendide quidem ad ſobrietatem, parce ad luxum paratam, & de re Eccleſiaſtica Provinciæ illius prudenter ſtatuere: Nepotem vero hortari, ut quæ ipſe in Archiepiſcopatu Beneventano præſtiterat, ageret ille in Capuano. Expletis Concilii ſeſſionibus Eccleſiam Sancti Bartholomæi Apoſtoli, quam a ſecundo terræmotu iterum everſam, rurſus a fundamentis elegantius reſtituerat, ſolemni ritu dicavit, & quæ pro ſacris ejuſdem Apoſtoli lipſanis ex veteribus illius Eccleſiæ monumentis habentur, in porphyretica urna olim concluſa, ſub Aram maximam collocavit.

Ad finem menſis Benevento diſceſſit, viam repetens Romam verſus eodem itinere. Subſtitit per aliquot dies Albani in ædibus, quas ibi magnifice conſtruxerat, & eleganter ornaverat Nicolaus Maria Lercarius S. R. E. Cardinalis, Benedicti primus Adminiſter, & a ſecretis Regiminis, qui Velitras uſque Summo Pontifici obviam venerat, qua in civitate Benedictus nuntium accepit de obitu Gregorii Selleri S. R. E. Presbyteri Cardinalis, quem ex Ordine Fratrum Prædicatorum ſuperiori anno ad hanc dignitatem evexerat: inde Romam regreſſus, ubi in Baſilica Liberiana, ad quam primo grates acturus Deo de incolumi ac proſpero itinere deſcendit, a ſacro Cardinalium Collegio, & Romano Senatu honorifice exceptus.

At non levis Benedicto cura, quod ſub tempus itineris ſui Beneventum verſus barbari Piratæ ad Montem Circejum plures Pontificiæ Ditionis familias intercepiſſent, & in miſeram adduxiſſent ſervitutem. De redimendis igitur captivis tantus ei ardor inceſſit, ut neque ſtudiis, neque officiis, ſed neque pecuniæ parceret, cum redemptionis opus maturaret, votique compos factus eſt: ſiquidem ſub autumnum ejuſdem anni captivos omnes e barbarorum ſervitute redemptos libertati, ac patriæ reſtituit.

Menſe Sextili balneis in Vaticano uſus, quibus ipſe quotannis uti conſueverat, ſed corporis viribus ſenſim deficientibus nihil a laboribus temperabat: eadem in ſacris actionibus, eadem in audiendis ſingulis, eadem in expediendis Sedis Apoſtolicæ negotiis, atque iis maxime, quæ religionem ſpectabant, ſedulitas; nam ut Vincentius a Paulo Presbyter Gallus, Inſtitutor Congregationis Miſſionis, necnon Matronarum, & Puellarum Charitatis, inter Beatos Confeſſores haberetur, indulſit; cujus rei ſolemnitas XXI. Auguſti in Vaticana Baſilica peracta eſt; & menſe Septembri in Nativitate Beatiſſimæ Virginis Mariæ, in Eccleſia ejuſdem Beatæ Mariæ *de Populo* nuncupata, poſt celebrationem privati ſacri, Beatæ Julianæ de Falconeriis Ordinis Servorum Mariæ Canonizationem, & VI. Octobris Ven. Servo Dei Petro Forerio Canonico Regulari Sancti Auguſtini Congregationis Lotharingicæ Beatorum titulos decrevit.

Seceſſit deinde ad Montem Marium prope Urbem, prout illi in autumnalibus feriis mos erat, in parvo Monaſterio Ordinis Prædicatorum diverſatus, ubi tamen, cum Deo vacaret, ſacras actiones, ſi occaſio ferret, alacriter amplectebatur. Kalendis Novembris in Urbem deſcendens non ſolum conſueta ſolemnia dierum illorum peregit, ſed & in generali quatuor Temporum Ordinatione menſis Decembris centum & amplius viros diverſis Ordinibus initiavit, & in Natalitiis Servatoris Noſtri, quæ feſta Benedicto in terris poſtrema fuerunt, Familiarium ſuorum induſtria factum eſt, ne conſecratione alicujus Epiſcopi ea nocte detineretur: cætera enim præſtare non deſtitit, quamvis fractis viribus & ægro corpore vix laborem ſuſtineret.

Inter plures Divos, quorum officia ad Canonicas Horas recitanda Benedictus ordinaverat, merito rationem habuit S. Gregorii VII. Romani Pontificis, cujus doctrinam & fortitudinem animi, ſummoſque labores pro vindicanda Eccleſiaſtica libertate graviſſimi Scriptores Sæculi XI. teſtantur, & Beatus Petrus Damiani eum adhuc Cardinalem ſanctiſſimi, & puriſſimi conſilii virum appellat. Cum autem in Lectionibus recitandis aliqua inſerta reperirentur ex iis, quæ Gregorius ſtatuit contra conatus Henrici Imperatoris in Eccleſiam, graviter id acceptum eſt ab aliquibus Principibus, porro non ab omnibus; plures enim publice edi lectiones illas in ditionibus ſuis mandarunt. At Benedicto immotum fixumque fuit, ne vindicata a Divo Gregorio VII. Eccleſiæ libertas ſilentio involveretur, objecitque Apoſtolicas Conſtitutiones iis, qui contra moliebantur; manſit propterea Gregorio cultus & honor, æque ac Benedicto

dicto pro gloria Prædeceſſoris zelus, animique conſtantia.

Verum inter ſummos Principes vehementer agebatur de transferendo in Italiam Carolo Regis Hiſpaniarum ex ſecundis nuptiis filio primogenito, cui Farneſiæ, & Mediceæ Domus ſucceſſio ex conditionibus pacis initæ anno Jubilæi adjudicabatur; at cum Parmam & Placentiam beneficiario jure a Sede Apoſtolica Farneſii tenerent, non levis inde Benedicto injecta eſt ſollicitudo, ne quid juribus Sedis Apoſtolicæ iniquum fieret, neve nobiliſſima illa Romanæ Eccleſiæ Feuda ab exteris militibus occuparentur, multis in eam ſententiam euntibus, quæ Benedicto quoque probabatur, ut præſidium militum Eccleſiæ Romanæ civitatibus illis imponeretur, aliis contra ſentientibus rem diſcriminis plenam, nec ſine gravi ſumptu perficiendam fore.

Interea multis in regionibus Italiæ, ac Romæ præſertim ex diuturna ac nimia præcedentis æſtatis, atque autumni ficcitudine, ut Medici recte exiſtimabant, quædam ſuborta eſt inſalubritas aeris, quæ graves ac vitioſos gignebat pituitæ fluxus (catarrhos vocant) ſenibus exitiales. At Benedictus nil plane ſibi temperabat; nam XII. Februarii in Dominica Sexageſimæ Ildephonſum de Tufo Monachum Olivetanum in Epiſcopum Hieracii in ora Calabriæ conſecravit, atque hic poſtremus fuit Epiſcóporum omnium, qui tali honore dignati ſunt. Deinde cum Marcus Antonius Cardinalis Anſideus extremum diem obiiſſet, Benedictus funeris exequiis in Templo Divi Auguſtini XV. Februarii adeſſe voluit, quo pietatis officio cæteros S. R. E. Cardinales, qui Romæ obierant, fuerat proſecutus, nil veritus cæli inclementiam, graſſantemque morbum; nam deficientes corporis vires charitas ſuſtentabat. Inde ergo lenta febre correptus ægrotare cœpit, ac fere triduum lecto decubuit piis precationibus intentus, donec XXI. ejuſdem menſis Feria III. ante Cineres, cum rei divinæ flexis genibus pro religione ſua præſens, Chriſti Corpore refectus eſſet, mox in lectulo ſtatas ad horas Canonicas preces recitaſſet, ad Completorium veniens, imminentis migrationis ſuæ dedit indicia; quare chriſtiano ritu celeriter inunctus, hora XXII. inter Sacerdotum preces, & lacrymas placidiſſime ſublatus eſt, annos natus LXXXI. & amplius XX. dies; nam Februarius illi mortalis vitæ initium atque finis. Pleraque etiam ipſi Februario menſe contigerunt, ſolemnis votorum religioſorum nuncupatio, ordinatio in Presbyterum, cooptatio inter S. R. E. Cardinales, conſecratio in Archiepiſcopum; ſeditque in Pontificatu Romano annis quinque, menſibus octo, additis diebus ſupra viginti. Tacitus ſtatim rumor per Urbem de Pontifice obeunte, ſed nec publicus nec manifeſtus; nam cum eo die veteri quadam vulgi licentia Bacchanalia complerentur, vix populus adduci potuiſſet ad ſaniora conſilia.

Inſequenti autem die tumultus aliquis concitatus per Urbem (ut non raro tempore viduitatis Eccleſiæ Romanæ fieri ſolet) ab iis, qui regimen defuncti Pontificis æquo animo non ferebant, homini ſanctiſſimo quædam objicientes inania ſimul & falſa. Alii laudare illum, ſed in aliquos Familiares & Clientes ejus exercere odia; contra vero ii, quibus inimicitiarum cauſæ exploratæ erant, quique nec odio nec amore ducebantur, adhuc priſci moris incorrupta mente retinentes Eccleſiam, imminentia mala, atque inde ubique gentium exoritura ſcandala ſtatim proſpicere, modo ingemiſcere, modo indignari.

Profecto ſacro Cardinalium Collegio illa animorum commotio vehementer diſplicuit, & maxime eo tempore vacationis Sedis Apoſtolicæ, cum Romæ ad Comitia celebranda ſumma populi quies, atque expers omnis periculi ſecuritas curanda eſt; non enim niſi in loco maxime tuto Comitia haberi, ſuffragia ferri, atque electionem Romani Pontificis a Cardinalibus peragi oportet. Turbata itaque tumultibus Urbe, ſtatim S. R. E. Cardinales omnem operam adhibere, ut comprimerent rem, coercerentque homines ſeditioſos, minime paſſi coortas turbas invaleſcere.

Inter hæc curabatur defuncti Pontificis funus ritibus conſuetis. Magnus populi accurſus & mœror: unuſquiſque mortales exuvias venerari, ac ſi poſſet, oſculari geſtiebat: laudata illius memoria a Magiſtro Thoma Auguſtino Ricchinio Cremonenſi ex Ordine Prædicatorum caſtiſſima, nec mendaciis fucata oratione, & XXV. Februarii in Sacello, ubi Canonici Baſilicæ Vaticanæ divinam Pſalmodiam agunt, ſub primam Noctis horam Benedicti corpus, quod publice confluentium veneratione hactenus in ea Baſilica expoſitum fuerat, tribus loculis primo cupreſſino, ſecundo plumbeo, tertio ligneo incluſum, & ſupra januam, qua ad Muſicorum odæum aſcenditur, depoſitum.

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales XXIX. Benedictus adlegit, viros ſane multis nominibus hoc honore dignifſimos, inter quos ex conſanguineis nemo: ex iis quos antea Benedictus vix noverat, plures. Placuit enim ei rationem meritorum habere, prout unuſquiſque apud Sedem Apoſtolicam non ſub ipſo tantum, ſed etiam ſub prioribus Pontificibus meruiſſet; nec ultima illi laus eſt, quod Proſperum Lambertinium Bononienſem excellentia ingenii ac doctrinæ, integritate vitæ, perpetuitate famæ florentem, qui ſub Clemente XI. ac Innocentio XIII. qua Congregationis Cardinalium ſacri Concilii Tridentini Interpretum a ſecretis, qua Fidei Promotor, qua muneribus aliis præclare geſtis plurimum meruerat, Anconitano Epiſcopatu ornatum cooptaverit, futurum aliquando ſibi in Pontificatu Romano ſucceſſorem. Præterea veteres Cardinales Benedictus tanti fecit, ut præcipuas illis rerum adminiſtrationes daret, tres etiam apud ſe adhiberet, ſcilicet Fabricium Paulutium, Petrum Marcellinum Corradinum, & Fabium Oliverium iiſdem in muneribus, quibus apud ſuperiores Pontifices functi erant, primum a ſecretis Regiminis, ſecundum Pro-Datarium, tertium a ſecretis Brevium.

Ceterum ſub Benedicto religio per omnem modum amplificata, Epiſcopatus vigor, in quo divina inſtitutione religionis jura nituntur, multis ſublatis impedimentis, quæ Epiſcopis objiciebantur, ubique gentium ſervatus, pax inter Chriſtianos Principes firmata, cultus & amor a Principibus cunctis Romano Pontifici, tanquam communi Parenti procul a ſuſpicione ac ſtudio partium exhibitus, Comaclum Eccleſiæ Romanæ reſtitutum. Nec prætereundum, quod nihil mali Sedi Apoſtolicæ, aut ejus Ditioni, aut Reipublicæ Chriſtianæ ſupervenit: non hæreſis, non ſchiſma, non bellum, non peſtis, non fames, non terræmotus, quæ publicæ utilitati officere ſæpe acerbitate temporum ſolent, quandoque etiam ſubditorum potius, quam Principis culpa. Profecto alii Romani Pontifices hæc omnia in votis habuerunt, atque in conſiliis; attamen qui tantam rerum ac temporum felicitatem, quantam Benedictus XIII. fuerit aſſecutus, rarus admodum, ac fere nullus.

Vectigalia quoque Benedictus imminuit ad levamen ſubditorum, & ſumptibus, quantum potuit, pepercit, ab Aulæ faſtu, & quocumque ſplendido apparatu maxime abhorrens, cum in rebus omnibus humilitatis faſtigium teneret. Quicumque in conclavia, ubi Benedictus familiariter verſabatur, aut in ejus cubiculum pedem intuliſſet, nil plane in lecto, in ſellis, in parietibus poterat intueri, quod religioſam paupertatem ac modeſtiam cum ſumma dignitate conjunctam non redoleret. Liberalitatem tamen, & largitiones in pauperes præ cæteris mortalibus coluit; virtus enim hæc, quem magis decet, quam Romanum Pontificem? Divum Gregorium Magnum imitatus, cujus tanta in pauperes liberalitas fuit, ut id ipſi vitio datum fuerit, quod in vita Sabiniani, qui Gregorio in Pontificatu Romano ſucceſſit, Bartholomæus Platina ſcribit. Et cum ærario ex imminutis ſubditorum oneribus decreſcenti parceret, ne vectigalia, quæ ipſe abrogaverat, reſtituere, vel nova, quæ proponebantur, jubere cogeretur; *iis*, quæ ſibi peculiariter obveniebant, nunquam pepercit, largitus quandoque, deficiente pecunia, quidquid ad manus erat. Omnia enim cum Apoſtolo arbitrabatur veluti ſtercora, ut Chriſtum lucrifaceret, exemploque ſuo cæteros doceret, terrena hæc atque caduca deſpicere, cæleſtia vero ac in ævum manſura inquirere; oſtenderetque Eccleſiam habere aurum, non ut ſervet, ſed ut eroget. Et quomodo poterat pecuniæ parcere, qui ſibimet nunquam pepercit, quin ſe impenderet ac superimpenderet in Dei gloriam, in ſalutem hominum, in commodum ſubditorum? Iis profecto Benedictus minime acquievit, qui ſibi vacationem & requiem a laboribus ſuadere conabantur: ſe nunquam, quod muneris ſui erat, refugiſſe affirmabat; imo a ſe tanta animi alacritate expleri, ut tædium vel moleſtiam caperet nullam: ſingularis beneficii loco ſe a Deo accepturum, ſi ad Aram operanti, aut Pontificiis actionibus inſiſtenti ſibi mortem contigiſſet oppetere. Qua de re ſi cupis, Lector, votum ab eo jamdiu conceptum intelligere, vide quæ ipſemet Benedictus in Lectione ſua XVII. Exodi ſcripſit, ubi id mortis genus non ſolum a Deo petit, ſed etiam auditorum ſuorum ſuffragiis nititur impetrare.

Fatemur ſane hanc eandem Benedicti liberalitatem ſenſiſſe etiam aliquos veteres ejus clientes, non autem conſanguineos, quos utpote ſummo loco natos, & avitis opibus, ac ampla Nobilium Feudorum ditione fulgentes, propter priſcam quandam & ſeveram Eccleſiæ diſciplinam, ac inſuetam prorſus abſtinentiam augere non ſtuduit: ſed non ſupra modum id fuit. Quod licet temperantiam quandam ac moderationem recte expoſcat, tamen, ſi æquis oculis rem introſpiciamus, ratione, & auctoritate non caret; Pius enim V. cujus memoriam

inter Divos colit Eccleſia, Innocentius XI., aliique ſanctiſſimi Romani Pontifices Adminiſtratorum ſuorum, ac Familiarium fortunas ampliare non dubitarunt. Porro Benedictus, qui juxta Apoſtoli monitum beneficentiæ in omnes, qua Deum promeremur, obliviſci non poterat; ad hanc ſiquidem velut a natura, genere, inſtitutione factus videbatur, quomodo obliviſci poterat beneficentiæ in ſuos, quorum obſequiis, & familiaritati in minori fortuna diu multumque aſſueverat? Qui & alterum Apoſtoli monitum ſummopere cordi habebat, *grati eſtote;* & ſane cujuslibet accepti utcumque tenuis beneficii memorem ſe ſe atque gratiſſimum ſemper exhibuit, quomodo erga ſuos minus gratus, ac liberalis eſſe potuiſſet?

Scimus quidem in ampliſſima rerum adminiſtratione inter multiplices Aulicos, & Familiares facile poſſe ad importunas poſtulantium preces quædam a Principe concedi, quæ concedenda non forent, quæque obreptionis aut ſubreptionis vitio laborent; ac præſertim ubi poſtulantes Principem nacti ſint natura facilem, qui aliorum ingenia metiatur ex ſuo, & ad extremum ſenium vergens, decreſcentibus mentis, & corporis viribus, nequeat accurate omnia rimari atque expendere. Quamobrem ſapiens & ſanctus Rex David extrema proſpiciens vehementer Deum rogabat: *Ne projicias me in tempore ſenectutis; cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Et illorum certe, qui facilitate & clementia Principis abutuntur, ſi qui unquam fuerunt, improbamus artes: ſed nec laudandi videntur, qui ea, quæ a Principe aguntur ipſis inconſultis, ſtatim notant atque reprehendunt. Multum enim unicuique Principi, ac præſertim electo a Deo, licet per miniſterium hominum, Romano Pontifici deferendum eſt, qui divino quodam afflatu, nutuque regitur; potiſſimum vero Benedicto, qui in rebus omnibus conſilium a Deo petere, ejuſque auxilium quotidie implorare aſſiduo precandi ſtudio conſueverat, productis orationibus a prima luce, & quandoque etiam nocte in multas horas. Et ſane temporum ac rerum felicitatem, qua ipſo Pontifice uſi ſumus, precibus ejus referri oportet acceptam.

At quædam vulgatæ querelæ contra aliquos ex Familiaribus Benedicti de nonnullis. Noſtrum non eſt de his ſcribere, quia Benedicti non ſunt. Certe felix ille Princeps, & quaſi ſupra humanam conditionem poſitus videretur, cui contingeret tales Familiares omnes habere, quales cuperet, quorum virtutibus nulla admiſcerentur vitia, &, quod difficilius eſt, quibus publica tantum res, nil privata cordi foret. Videant autem qui ſtatuunt, neminem a Principe inter Familiares, & Clientes habendum, niſi qui perfectus abſolutuſque ſit, quid non paucis fieret, ſi in hujuſmodi conſilii Principem inciderent; ſi cum honores ex ordine peterent, aliquo vitæ errore deprehenſo, licet multorum laborum, & obſequiorum meritis redempto, repulſam ferrent. Porro a ſapientiſſimo omnium hominum admonemur, cogitationes mortalium timidas eſſe, & providentias noſtras incertas; quare non eſt providentia Principis ſtatim accuſanda, ſi quid in moribus aliorum occurrat, quod non probetur. Non enim cum perfectis vivimus, & ipſum regimen hominum, quamvis ad ea, quæ perfecta ſunt, dirigat, juxta ſummorum Theologorum ſententiam perfectum eſſe non poteſt. Hæc autem, quæ conditionis potius humanæ, quam Principis ſunt, nihil detrahunt Benedicto, cujus memoria ab æquis rerum æſtimatoribus tamdiu laudabitur, quamdiu apud homines religio, pietas, ac liberalitas in pretio erunt.

Et quidem quam alte omnium inſideret animis opinio de Benedicti virtute, ac ſanctimonia, brevi patefactum eſt. Frater Thomas Ripoll Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum repetebat mortales Benedicti exuvias, quod ille ſæpe cum viveret ex chriſtiana humilitate animi dixerit, non aliud ſibi ſepulcrum deberi, quam commune inter Fratres Ordinis ſui; inde jure poſtulabat reddi ſibi corpus ejus in præcipuo Ordinis Templo S. Mariæ ſupra Minervam condendum. Clemens XII. Benedicti ſucceſſor annuit votis. Quapropter XXI. Februarii anno MDCCXXXIII. vertente triennio ab obitu Benedicti ſub primam noctis horam, poſtquam Capitulum, & Clerus Vaticanæ Baſilicæ cum Annibale Cardinali Albano Archipresbytero, atque aliis decem S. R. E. Cardinalibus in Sacellum Pſallentium conveniſſent, depoſito Benedicti loculo, ac reſerato, adſtantes omnes corpus ejus integrum, veſteſque prorſus illæſas inſpexerunt mira animorum ad pietatem, & ad lacrymas commotione. Nullus ibi gravis odor, nulla triſtis mortis imago, ſed grandis de adepto æternæ gloriæ præmio fiducia. Interim parabatur funus e Vaticano deducendum, Canonicis & Clero univerſo illius Baſilicæ vehementer dolentibus, eripi ſibi pretioſum, quem aſſervabant, theſaurum; contra gaudentibus Fratribus, reſtitui ſibi decus, & ornamentum Ordinis ſui, omnibus vero ſummo ſtudio certantibus, ut quique poſſet memoriam defuncti Pontificis impenſius honorare. Vaticanum Capitulum acceptorum beneficiorum memor, rem potiſſimum urgente Albinio Archiepiſcopo Athenarum, de Simone Epiſcopo Marcianæ, & Oliverio Prothonotario Apoſtolico ejuſdem Baſilicæ Canonicis, primas egit; nam antequam efferretur, ſolemnes Exequias XXII. Februarii inſtauravit, erecto prope Confeſſionem Apoſtolorum Petri & Pauli magnifici plane operis Theatro, Caſtroque doloris excelſo ſupereminente tholo, ſub quo Benedicti loculus & Pontificalia inſignia erant, deſcendentibus e tholi teſtudine velis ad loculi latera, adeo ſplendide, ut auro, argento, ac quadringentis & amplius ardentibus facibus micarent omnia. Clemens XII. ad ſingulas Aras Vaticanæ Baſilicæ innumera ſacrificia pro Deceſſoris requie, ſtipendiis liberaliter erogatis, Deo offerri juſſit, unaquaque Ara in eam cauſam pleniſſimi ſuffragii privilegio donata. Solemni etiam ac Pontificali Sacro parentatum eſt: inde laudata memoria a Joſepho Simonio Aſſemano e Monte Libano, tunc Presbytero Beneficiario ejuſdem Baſilicæ, modo Canonico, brevi, elegantique oratione, qua collata a Benedicto in Baſilicam Vaticanam dona, ac beneficia recenſuit, ac præſertim, quod menſæ Capitularis proventus ob iteratas aliquot annis rei agrariæ calamitates attritos, attributis multis aureorum millibus uno die cumulatiſſime reparaverit, & novas, amplaſque ædes pro Alumnis Vaticani Seminarii erexerit, ac inſtruxerit. Poſtremo a quinque ex Canonicis Pontificali dignitate fulgentibus majoris potentiæ, ut vocant, ſtatis ritibus abſolutiones adhibitæ.

Inſequenti die Dominica, XXIII. Februarii funus e Vaticano ad Templum S. Mariæ ſupra Minervam ſub noctem deductum eſt ea pompa, quæ triumphi ſpeciem referret; omnes Religioſi Ordines, & univerſus Clerus urbanus præibant: Canonici Patriarchalium Eccleſiarum per vices ſuſtentabant loculum auro fulgentem, quem Prætoriani milites circumdabant: pone ſequebantur Cæremoniarum Magiſtri, inde Præfectus Palatio Apoſtolico, atque omnes Præſulum ordines, quique a ſacro Cubiculo Summi Pontificis erant. Ubi ad Arcem Adrianam ventum eſt, exploſa tormenta bellica: mœſtus ubique æris campani fragor, coruſcantes undique faces (quas ad quatuor millia, pleraſque a Cardinalibus, quos Benedictus adlegerat, aliiſque piis Fidelibus oblatas fuiſſe ferunt) ut nox illa tot irradiata fulgoribus veluti dies ſplendeſceret. Arriſit placidum, ac ſerenum Cælum in ſumma hyeme. Mirus populi accurſus; verum præ mœroris magnitudine, & in defunctum Pontificem pietate nullus popularis ſtrepitus, nullus, ut fieri ſolet, clamor, ſed tacitum ubique ſilentium. In medio Templo S. Mariæ ſupra Minervam depoſito loculo Petrus Cardinalis Otthobonus ſolemnem abſolutionem peregit coram nonnullis aliis Cardinalibus. Feria II. in eodem Templo exequiæ habitæ ſplendide, & magnifice ſacro Cardinalium Collegio, & cunctis Præſulum ordinibus magna frequentia funus cohoneſtantibus. Joannes Baptiſta Cardinalis Alterius, primus ex iis, quos Benedictus elegerat, ſolemniter ad Aram operatus eſt; deinde cum aliis quatuor, Petra ſcilicet, Lercario, Finio, & Carafa, qui a Benedicto Cardinalatus honorem acceperant, ſupremas abſolutiones exequutus, ſed ante has Venantius Philippus Pierſanti ab intimo Sacello Summi Pontificis, & Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſter, Benedicti memoriam luculenta oratione laudavit, atque inter virtutes ejus ſummopere commendavit Chriſtianam animi demiſſionem, religionem, & charitatem in Deum, atque in omnes, præclaris uniuſcujuſque virtutis productis exemplis. Denique cum militum excubiæ undique diſpoſitæ ardens accurrentis populi ſtudium comprimere, & vim arcere non poſſent, quin unuſquiſque aliquid de feretro illius veluti loculi attactu ſacrum ſibi depoſceret, aut arriperet, clauſis Templi foribus ſub noctem ejuſdem diei loculus ipſe ad Sacellum S. Mariæ Magdalenæ prope Veſtiarium Templi tumulo compoſitus eſt, donec Mauſoleus erigeretur.

Sero Mauſolei honorem Romanis Pontificibus plerumque contigiſſe vidimus, at ocyus Benedicto. Curavit illud Magiſter Generalis, & inclytus Prædicatorum Ordo in Sacello Divi Dominici, quod Benedictus vivens inſtauraverat, atque ornaverat, nomine non inſcripto, nec (ut mos eſt) appoſito ſtemmate; primam tamen ideam operis, veteres, ac virides adductas ex Oriente columnas, & pretioſa quæque marmora Alexander Cardinalis Albanus in Benedictum ſumme pius, & gratus contulit, Angelus Maria Cardinalis Quirinus S. R. E. Bibliothecarius Benedicti ſtatuam ex candido marmore, Nicolaus Maria Cardinalis Lercarius alteram Humilitatis, Franciſcus Antonius Cardinalis Finius Religionis alteram affabre ſculptas, Dominicus vero Gravinatum

Dux

Dux Benedicti Pronepos anaglypha ad urnam ex alabaſtrite, ubi Concilium Romanum a Benedicto habitum in Laterano repræſentatur: cætera ex ære, & auro fulgentia, multoſque ſumptus ad perficiendum opus Frater Thomas Ripoll Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum liberaliter adjecit. Perfecto eleganter opere anno MDCCXXXIX. XXI. Februarii, eo ſcilicet die, qui anniverſariam memoriam obitus proxime ſequebatur, loculus in novum ſepulcrum illatus eſt, compoſituſque ſub fornice ejuſdem Mauſolei. Qua in re duo Benedicto contigerunt, alterum juxta votum ejus, alterum contra. Primum, quod prope tumulos Fratrum Ordinis Prædicatorum, qui ibi inferius jacent, conquieſceret: ſecundum, quod eo opere, atque ſplendore ſepulcrum ejus paratum ſit, a quo ipſe ſemper abhorruerat. Licet clauſis Templi januis, & ſecreto tranſacta res fuerit; tamen nonnulli Cardinales, plures Præſules olim familiares ejus, ac Principes viri interfuerunt, nec defuit populi frequentia: tanto ſtudio omnes in Defunctum ferebantur, ut nec deſerere poſſent, nec obliviſci.

Quod ſi habitum quoque corporis ejus poſteri noſcere cupiant, decens ille potius quam ſublimis fuit: caput fere calvum, ſpatioſa frons, naſus aquilinus, nihil metus in vultu, candida oris gratia, niſi quod ex conſortio ſermonis Domini quandoque rubeſceret; ſed figuram animi magis quam corporis ex factis, dictiſque illius, quæ nos recenſuimus, amplectamur: ſicut enim vultus hominum, ita etiam eorum ſimulacra, & imagines, quamvis marmore, aut ære fingantur, mortales ſunt, ac temporis injuriis opportunæ; forma mentis æterna, quam referre non per alienam materiam, & artem, ſed ſtudiis ac literis noſtris conati ſumus. Si vero in magna geſtarum rerum copia non omnia ſuimus proſecuti, nemo nobis ſuccenſeat: non enim hoc noſtro Commentario libello hiſtoriam ſcripſimus, ſed vitam, veterum brevitate delectati, qui ſummos viros nobis tradiderunt. Profecto pauca enarravimus, multa attigimus, pleraque perſtrinximus, ex quibus animi indicia moreſque elucent, pictores imitati, qui ex facie & vultu imaginem deſumunt, de cæteris membris magnopere non laborant. Diſertam rerum hiſtoriam, annaleſque luculentos libenter permittimus aliis. Utinam poſſemus aliquid ex virtutibus illius moribus quoque noſtris reddere; quod licet arduum valde, ac difficile ſit, non tamen ſupra imitationem poſitum arbitremur. Longe quidem, ſequamur tamen, gradu quamvis infirmo, veſtigia ejus, quem Deus Omnipotens elegit, propoſuitque Eccleſiæ, ut cæteri Chriſtifideles, ac præſertim Epiſcopi etiam ætate noſtra veri Paſtoris formam, quam potiſſimum imitarentur haberent.

CLEMENS XII.

CLEMENS XII. ex veteri in primis ac nobili Corſinorum Familia Florentiæ natus anno a partu Virginis MDCLII. VII. idus Aprilis, patrem habuit Bartholomæum, Matrem vero Eliſabetham Strocſiam Ducis Bagnoli ſororem; ſuitque, dum ſacro Baptiſmi lavacro tingeretur, Laurentius appellatus. Latinis litteris primum, tum philoſophicis diſciplinis Romæ perpolitus in Seminario Romano, ut utrumque jus ac theologiam cognoſceret Piſas profectus eſt, ubi Doctoris inſignibus ornatus fuit. Pervenerat jam ad tertium & trigeſimum ætatis annum, quo tempore diem extremum Bartholomæus pater obiit, cujus caſum etſi vehementer doluit, eximia tamen animi conſtantia toleravit. Sui juris hoc modo factus, vixque domeſticis rebus compoſitis, Pontifice Maximo Innocentio XI. Urbem, quod jam diu habebat in votis, reverſus eſt; nec multum moratus, viam, qua ſibi eundum eſſet, delegit. Inſigni enim comparato munere Regentis, ut appellant, Cancellariæ, inter Romanos Præſules connumeratur; quumque dives ex bonis paternis adeo eſſet, ut aureorum, ſive ſcutorum, ut vulgo appellant, millia octo ad eum quotannis pervenirent, ſoluta pariter pecunia ſub Alexandro VIII. qui Innocentio XI. ſucceſſit, in Duodecemvirum curando Principis patrimonio Collegium, quos Apoſtolicæ Cameræ Clericos vocant, relatus eſt. Erat enim hoc in more poſitum ex Sixti V. P. M. inſtituto, quod ad Innocentium uſque XII. perduravit, ut hujuſmodi Magiſtratus venales haberentur. Fuerunt hæ curæ, cogitationeſque hoc tempore Corſinii, ut quam ſui excitaverat expectationem, hanc pro viribus ſuſtineret ac tueretur; in quo certe omnibus ſatisfecit. Etenim hominibus prodeſſe, quacumque in re potuit, ſemper ſtuduit, & quidquid rogabatur, tanta cura præſtare ſatagebat, ut non alienam, ſed ſuam rem videretur agere. Accedebat huic bono eximia modeſtia, prudentia, & gravitas; quo factum eſt, ut rei cibariæ præfectura ei delata fuerit, cujus officii partes, laboris & incommodi patiens, commune tantum quærens bonum, ita cumulatiſſime explevit, ut eum Pontifex dignum judicaverit, cui majora committerentur, quique ampliori-bus augeretur honoribus.

Itaque quum Pontificius Orator, ſive Nuncius Viennam ad Leopoldum Cæſarem legandus eſſet, ad hanc obeundam provinciam Corſinius delectus eſt, & Nicomedienſis Archiepiſcopus conſecratus. Quo audito, quod ad Corſinium nihil recuſabat Cæſar, dummodo in eo Pontifex ſibi ſatisfaceret, nimirum ut candidatorum nomina prius ad ſe deferrentur, quo ſuo conſenſu Nuntius eligeretur. Erant qui in hoc Cæſari morem gerendum cenſerent, ſed negabat Alexander, dumque vixit ſumma conſtantia propoſitum tenuit. Quare offenſus Leopoldus neminem ad ſe venire paſſus eſt, quoad Innocentius XII. ad Pontificatum evectus, non ultra reſiſtendum duxit, omnemque diſſidii cauſam ademit. Quibus rebus compoſitis, Corſinius mandatum munus non amplius ſuſcepit, & in illius locum alius ſuffectus eſt. Neque tamen virtutis ſuæ præmium non tulit; nam anno MDCXCVI. Innocentius eumdem Quæſtorem dixit, magnæ profecto dignitatis & authoritatis magiſtratum, qui ea tempeſtate præter ærarii curam, tum oræ maritimæ, tum arcis S. Angeli præfecturam habebat adjunctam. Hoc in munere adeo ſe ab omni avaritiæ, & intemperantiæ ſuſpicione integrum præſtitit, ut in illius moribus clarum fidei, integritatis & abſtinentiæ eluceret exemplum.

Interea Innocentius anno Pontificatus nono demoritur, ejuſque in locum Cardinalis Joannes Franciſcus Albanius Urbinas, qui ſibi Clementis XI. nomen aſſumpſit, ingenti omnium bonorum lætitia, Pontifex creatus eſt. Cui cum fidem ſuam graviſſimis in rebus Corſinius probaviſſet, ab eo an. MDCCVI. XVI. Kalend. Junii in ampliſſimum Purpuratorum Patrum collegium cooptatus eſt. Presbyter Cardinalis titulo S. Suſannæ donatus eſt, quem exinde cum S. Petri ad Vincula commutavit. Ærarii præfecturam eodem quo antea tenore, magna videlicet abſtinentiæ juſtitiæque cum laude, tanquam Pro-Quæſtore aliquandiu retinuit.

Mortuo Clemente, interfuit Comitiis, quibus Michael Angelus de Comitibus Innocentii XIII. nomine Pontifex eſt renuntiatus, qui egregiis virtutibus clarus fato ceſſit idibus Martii an. MDCCXXIV. poſtquam annos duos menſes decem regnaſſet. Excepit hunc paullo poſt Benedictus XIII. a quo Corſinius cœtui Cardinalium S. Congregationi ſupremæ ac Univerſalis Inquiſitionis Catholicæ fidei præpoſitorum adſcriptus, & Signaturæ juſtitiæ præfectura ornatus eſt. Neque multo poſt in numerum Epiſcoporum relatus, Tuſculanam adminiſtravit Eccleſiam, in quo profecto quantum pietate præſtaret, ſatis oſtendit. Litteras etiam bonaſque artes ſemper fovit; nec quiſquam earum ſtudio commendatus, ei in clientelam ſe dedit, quem dignitate aut beneficiis augendum non ſuſceperit. Bibliothecam Cardinalis Philippi Antonii Gualterii exquiſitiſſimis libris opulentam, ad augendam alteram, quam ipſe & Cardinalis Nereus patruus ſuus privato ſtudio collegerant, millibus aureorum undecim comparavit, procurante Malachia Dinguimberto Carpenctoratenſi, quem ad Pontificatum evectus creavit Epiſcopum. Ei vero præfectum habuit Petrum Mariam Pierium Ordinis Servorum B. M. V. non vulgaris doctrinæ hominem, quem poſtea in Cardinalium ordinem adlegit.

Offenſos fortuna, quibuſcumque rebus potuit, levavit, & odio invidiave oppreſſos, ſupra quam cuiquam credibile ſit, tutatus eſt; quum eas non modo Chriſtiani hominis, ſed & cujuslibet in humana ſocietate conſtituti, partes eſſe perſuaſum haberet, iis potiſſimum opitulari, qui maxime opis & auxilii indigerent. Miram in promiſſis ſervandis fidem, & in omni re æquabilitatem, & conſtantiam ſemper retinuit. Apoſtolicæ Sedi obſequens ac deditiſſimus ſemper fuit, nec ullo Principum objecto favore, aut indignatione oppoſita, unquam ab officio diſceſſit.

Vitæ ac morum gravitatem a puero ſuſceptam, atque adeo inſitam ingenio ejus, perpetuo retinuit, & in decore dignitateque ſuſtinenda ſuperiorem habuit neminem. Non deerat tamen in ipſo ſingularis comitas atque affabilitas, ut quemadmodum de Tito Pomponio Attico prædicatur, communis infimis, par principibus haberetur. Rem divinam & frequenter, & ſumma cum religione ac cæremonia faciebat, & in pietate colenda non illam quæ facie, motu, atque amictu commendatur, ſed ſolidam, nudam, ſinceramque ſectatus eſt. Splendide ſemper atque honorifice vixit. Ut ſui liberalis, ita alieni abſtinentiſſimus fuit; atque hæ virtutes quantopere valuerint ad conciliandam ei univerſorum, ac præſertim multitudinis benevolentiam, facile eſt intelligere. Hæc de rebus ab eo ante pontificatum geſtis: alterius modo Clementis vitæ initium ordiamur.

Jam annus erat triceſimus ſupra milleſimum & ſeptingenteſimum, quum Benedictus XIII. in morbum delapſus, non ſine ſanctitatis fama X. Kal. Martias diem obiit ſupremum. Novendialibus eidem celebratis funeribus, Cardinales deinde habendis Comitiis ſeſe conclavi incluſere; quorum maxima longe pars, quum exquiri ſententiæ jam cœpiſſent, Cardinalem Imperialem ſæpius Pontificem dixit. At obtinere nequierunt, contra tendente Cardinale Bentivolo, Hiſpaniæ Regis nomine. Fautum deinceps non parum fuit Cardinalibus Zondadario, Rufo, Banchierio, & Daviæ præſertim, cui III. Idus Junii ſuffragia novem & viginti data ſunt. Deerant tamen ad implendum numerum, quum illud decreta Canonum poſtulent, ut ſuffragiorum partes duæ ex tribus Pontificem eligant, & quinquaginta quatuor incluſi tunc Conclavi Cardinales eſſent. Quibus omnibus dejectis, multorum ſtudio ad Cardinalem Corradinium converſa res eſt; de quo mox etiam deſperatum, quum obſtitiſſent præ cæteris Cardinales Bentivolus, & Cienfuegos, expoſitis quæ mandata alter a Rege Catholico, alter a Cæſare haberet. Denique quum ad Corſinium ventum eſſet (de quo etiam poſt Imperialem ad motum dandum Comitiis, quæ hæſerant, ſermo habitus fuerat) tanta ille voluntate, ſtudiorum ac ſuffragiorum conſenſione acceptus eſt, ut inventus ſit nemo, qui Pontificatum maximum ad eum deferre recuſaverit. Itaque, quum Romana Eccleſia quatuor menſium & viginti dierum ſpatio rectore caruiſſet, Pontifex renuntiatur Corſinius IV. Idus Quintilis die feſto S. Joannis Gualberti Florentini, quem jam dudum præcipuo quodam cultu ipſe venerabatur. Vidiſſes bonos omnes gaudio triumphantes, Deoque gratias agentes, quod eam creandi tantum Pontificem Patribus mentem dediſſet. Ad æmulandam virtutem, & ſimul renovandam memoriam Clementis XI. a quo, uti diximus, Cardinalatum acceperat, Clemens ejus nominis XII. appellari voluit.

Egreſſus e Conclavibus, atque in S. Petri Templum pro more delatus, ſacris advolutus aris, ac demiſſa prece, huic ſuſtinendo oneri opem auxiliumque a Deo imploravit. Et quoniam ab eo ſunt nobis rerum capienda primordia, auſpicandi imperii gratia Jubilæum univerſale indixit, ſupplicationeſque decrevit, quibus & ipſe, quo ceteros ſuo excitaret exemplo, intereſſe voluit.

Inter hæc ipſe ad conciliandam ſibi magis benevolentiam, olei & carnis pretium imminuit, magnamque vim frumenti atque pecuniæ pauperibus viritim diſpenſavit. Turbatam ex aliqua parte judiciorum formam emendare ſtatim ſtuduit. Neque hoc prætereundum, in quo perſpicere omnes facile poſſunt, illum, qui ſemper conſueverat ad fidei & integritatis normam actiones ſuas componere, in eos ſeverum vel maxime ſe præſtitiſſe, quorum mores ab honeſto abhorrerent.

Cardinalis Coſcia quum nimia memorati Benedicti XIII. indulgentia, Pontificis ceteroquin egregii & vitæ ſanctitate laudatiſſimi, cui artificio ſimulationis callide impoſuerat, pleraque ſuo nutu atque arbitrio, eodem vivo, rexiſſet, in tanta potentia, atque authoritate cogendæ pecuniæ maxime intentus, adeo ſibi obſecundaverat, ut pene omnia turpiſſimo mercatu venalia habere non dubitaverit. Itaque Clemens, qui eum Pontificem, qui erat omnibus exemplum innocentiæ, ab eo eluſum magnopere dolebat, vel ipſo ſtatim Pontificatus initio in id ſui curas eſſe vertendas putavit, ut de pecuniis repetundis ille poſtularetur; cui judicio præeſſe voluit ſex boni & æqui ſtudioſos Cardinales, Ludovicum Picum, Renatum Imperialem, Petrum Corradinium, Leandrum Porziam, Antonium Banchierium, & Nereum Corſinium, ſcriba & actorum relatore iis dato Dominico Cæſare Fiorellio Auditoris Cameræ, ut vocant, Locumtenente criminali; quæ Congregatio dicta eſt *de Nonnullis*. Tum, approbantibus cunctis, quum jam plura eſſent crimina aperta, quibus Coſcia convinci potuit de datis, & acceptis contra Leges Gregorianam & Innocentianam, decernitur ut quadraginta millia aureorum ad pios uſus exſolveret, atque Archiepiſcopatum Beneventanum dimitteret, utque cœtu Cardinalium ſupremæ Inquiſitioni fidei Catholicæ præpoſitorum ſe abdicaret. Qua re ille perculſus, animoque proſpiciens quanta ſibi impenderet procella, pridie Kalendas Aprilis fugæ conſilium cepit, & intempeſta nocte cum duobus comitibus Urbe exceſſit, mutatiſque veſtibus, primum Neapolim, deinde ad ſuæ ditionis oppidum, cui nomen *Buon Albergo*, non longe diſſitum abiit. Novi criminis cognitionem Clemens mandavit Cardinalibus Franciſco Barberinio, Antonio Zondedario, Curtio Origo, & Laurentio Alterio, qui ex Conſtitutione Innocentii X. Coſciæ diem dederunt, eique a capiendis fructibus Sacerdotiorum interdixerunt. Id Cardinalis animum graviter pupugit, ſed omnia expertus impetravit, ut in fidem & clientelam Cæſaris reciperetur; qua re fiebat, ut vectigalia beneficiorum, quæ intra fines Neapolitani regni obtinebat, exigeret. Interim ſubjectæ ejuſdem Bibliotheca, atque ædium ſupellectiles præconis voci fuere.

Ceterum Coſcia rebus ſuis in dies magis diffidens, veritusque ne diutius reditum in Urbem procraſtinando, eo res erumperet, ut omnibus Sacerdotiis privatus de ampliſſimo Senatu moveretur, non ultra ſibi expectandum ſtatuit; quumque Romam perveniſſet, in Cœnobio S. Praxedis velut in libera cuſtodia detentus eſt. Tum de exercendis in ipſum quæſtionibus agi cœpit; quo peracto purgare ſe ſe, & quæ objicerentur diluere jubetur. Extractis per hæc pluribus menſibus, cauſſaque tandem cognita, quippe reus violatorum ſacrorum Canonum ac Pontificiarum Conſtitutionum majore, ut nunc loquimur, excommunicatione afficitur: ad decem annos in Hadriani mole carceri addicitur, & utriuſque ſuffragii jure, quod activæ & paſſivæ vocis nomine appellant, privatur. Illi tamen jus ſuffragii ferendi Pontificis chirographo, cujus ad proxima Conclavia delata promulgatio fuerat, reſtitutum eſt; & aliquoties incommodæ valetudinis gratia e molis cuſtodia emiſſus fuit. Demum centum millium Ducatorum Neapolitanæ pecuniæ multa multatus eſt, quæ ſumma in ſingulas Regni Hungarici egentes parœcias eroganda diſtribuendaque erat, niſi Benedictus XIV. ex indulgentia illum hac pœna liberaſſet, qui ei reliquum etiam prioris multæ condonavit, quod non exſolverat, prætexens ſibi in cuſtodia detento a bonorum ſuorum adminiſtratione interdictum eſſe.

Et quo magis magiſque deceſſoris ſui exiſtimationi Clemens conſuleret, ac Romanæ Curiæ decus tueretur, maloſque deterreret, inultos ire non ſivit quoſcumque etiam alios, qui nefariis rationibus conſequuti fuerant quod prave concupierant. Namque hos puniendi ſummum arbitrium eſſe voluit penes ſex memoratos Cardinales, judices ſine controverſia integerrimos, ac maxima religione. Itaque alii pecunia multati, alii in vincula contruſi, alii ad triremes addicti, dignitatibus alii privati, alii demum, quos metus exagitabat, fuga ſibi conſuluerunt.

Anno, quo hæc geſta ſunt, nimirum 1730. Clemens Fridericum Lantem Lutetias allegavit, qui Delphino proxime ſuperiori anno in lucem ſuſcepto faſcias deferret. Lubet hoc loco interponere, Clementem VIII. miſſis per Maphæum Barberinium Ludovico XIII. Henrici IV. nato filio hujuſmodi faſciis, eum honorem regum primogenitis ſceptro deſtinatis habendi morem induxiſſe. Rogatu Fr. Joannis Antonii Guadagnii Sororis filii & Arretii Epiſcopi, qui, ut ſedulum paſtorem decet, ſibi creditam Eccleſiam non modo tueri, ſed etiam amplificare, atque ornare magis ac magis pro meritis ſemper ſtuduit, Clemens conceſſit, ut illi omnibuſque ſucceſſoribus Pallium geſtare, & Crucem præferre liceret. Inſtitutam Academiam a Philippo V. in oppido Cervaria, prope in umbilico Catalauniæ Provinciæ poſito, ad bonas artes doctrinaſque promovendas, ampliſſimis privilegiis donavit. Poſt hæc ad confirmandam apud Helvetiorum pagos Eccleſiæ immunitatem omni cura cogitationeque incubuit. Illud porro maxime difficile videbatur, Lucernenſem Magiſtratum ad officium revocare, qui Dominici Paſſionæi Archiepiſcopi Epheſini, & Apoſtolici Nuntii auctoritate decretiſque poſthabitis, ſacros homines ſuo ſubjicere tribunali, in eoſque animadvertere contendebat. Æquitate uſus Clemens illud obtinuit, ut Magiſtratus a ſententia recederet, ſicque finem controverſiæ conſtituit. Quare Paſſionæum, qui Altorfium prope Legipontios a diſcordiarum initio ſeſe receperat, ibique aliquot annis commoratus fuerat, Lucernam redire juſſit.

Et quoniam ea eſt virtutis vis, ſplendor, ac dignitas, ut non modo ii, qui ejus compotes ſunt, honore digni habeantur, ſed etiam ſi qui honorem illi exhibeant, honorati ipſi & clari ob eam rem evadant, non videtur

tur hoc loco prætereundum, Clementem tertio ab inito Pontificatus menſe in Cardinalium Collegium adlegiſſe Hieronymum Grimaldium Genuenſem, Archiepiſcopum Edeſſenum, qui apud Carolum VI. Imp. Pontificii Oratoris munere fungebatur. Vivit vigetque tanti viri memoria non modo ob probatam multis, magniſque in rebus prudentiam, ſed præſertim quod in omni officio, & in omni laude chriſtianæ religionis colenda ſummus adeo evaſit, ut illuſtre veteris ſanctitatis exemplum temporibus noſtris retulerit. Atque tanta virtus, quum in eo quaſi lumen quoddam eluceret, adeo omnes in admirationem ſui pertrahebat, ut vel ipſe Cæſar & Auguſta ejus uxor ſæpius ejus dexteram venerabundi deoſculati fuerint. Huic quoque Clemens anno inſequenti Bononienſem Provinciam gubernandam dedit; qua legatione nondum confecta, vir clariſſimus, & ſanctiſſimus, triſti ſui deſiderio omnibus relicto, ex hominum vita demigravit.

Hoc eodem tempore quum Cardinalem creaſſet Bartholomæum Ruſpolum, qui erat a ſecretis cœtus illorum Cardinalium, qui negotiis propagandæ fidei præpoſiti ſunt, huic muneri præfecit Nicolaum Fortiguerram claro genere Piſtorii ortum, virum præſtantiſſimo ingenio, cum græcis tum latinis litteris egregie eruditum, & in pangendis italico ſermone carminibus ſane nulli ætatis ſuæ ſecundum, qui lepore, humanitate ſuaviſſimiſque moribus, & quod præcipuum eſt, incredibili pectoris candore, honorumque contemptu Pontificis animum mirifice ſibi devinxerat.

Anno MDCCXVIII. quum auctore potiſſimum & agente Georgio, qui Magnæ Britanniæ Regnum tenebat, inter Philippum V. Hiſpaniarum Regem, & Carolum VI. Imperatorem pax conciliata fuiſſet, præ cæteris illud conventum (quod & alias ac præſertim an. MDCCXXV. in pace Viennenſi confirmatum eſt) ut Carolo Infanti Philippi filio per Cæſarem liceret Parmæ & Placentiæ Ducatui præeſſe, ſi quando Farneſia Familia ſine liberis maribus extingui contigiſſet. Hujus erat reliquus Antonius Dux, qui Henrichettam Eſtenſem uxorem habens nullam ex ea adhuc ſuſceperat prolem. Favebat hic quidem Carolo Infanti propter affinitatem (natus enim ille ex fratris filia erat) eumque ſibi libenti animo accipiebat hæredem. Verum quum intellexiſſet Philippum V. in id data fide cum Gallis & Britannis conſpiraſſe, ut ad Caroli ſucceſſionem magis in tuto ponendam Hiſpanarum copiarum præſidium in oppidorum arces introduceretur, graviter indignatus factum, periit a ſacro Cardinalium Collegio (ſuo enim tunc Sedes Apoſtolica carebat rectore) ut adverſus omnem externi militis vim atque conatum ejus urbes munirentur, & per Curatorem aliquem ſub imperio, & poteſtate Eccleſiæ ſupremæ earum dominæ tenerentur. Id ipſum peractis Comitiis, impenſius a Clemente XII. rogavit, qui iniquo animo ferens jura aliena perverti, arma capere, copiaſque Ferraria Parmam mittere decrevit; ſed quod animo intendebat differre ſatius duxit, ſua conſilia Germanos prærepturos veritus. Nam quum magna eorum multitudo apud Caſale Majus conſtitiſſet, duobus itineribus Parma propius aberant. Relinquebatur, ut hortando rogandoque tum Cæſarem, tum Galliarum Hiſpaniarumque Reges experiretur, num omnis hoc pacto propulſari injuria, omneque tolli diſſidium poſſet: in quo quidem neque officium ſuum, neque ſtudium Clemens deſiderari eſt paſſus.

Interea Antonius XIII. Kal. Februarii an. 1731. e vivis eripitur: qua re nunciata, Comes Carolus Stampa, ut omnibus conſiliis anteverteretur, Caſali Majori eductis Cæſarianis, quibus ipſe ſumma cum poteſtate præerat, Parmam profectus eſt. Eo quum veniſſet Caroli Infantis nomine, nullo obnitente, Ducatus poſſeſſionem cepit. Ut factum innotuit, Clemens qui ſemper officii ſui duxerat pro viribus Romanæ Eccleſiæ jura tueri, rurſus datis ad Cæſarem, Hiſpaniarumque Regem litteris, de violato S. Sedis jure expoſtulat, editaque Conſtitutione declaravit omnibus, quod ſi proles virilis ex Henrichetta non naſceretur (ventrem enim ferre illa exiſtimabatur) vel orta decederet, ſtatim Parmæ & Placentiæ Ducatus in poteſtatem Sedis Apoſtolicæ reverti deberet, juxta leges traditi dominii Petro Aloyſio Farneſio a Paulo III. an. MDXXXXV., interminatus præterea omnibus quavis auctoritate vel munere fungentibus, ſi res ita contigiſſet, ne quemquam alium præter Romanum Pontificem in eum Ducatum imperium habere paterentur. Contra hæc Cæſar non uno in loco ſuum attolli ſtemma juſſit cum hujuſmodi inſcriptione: *Sub auſpiciis noſtris, nomine Principis Caroli Hæredis, dummodo non armatus, ſed pacificus veniat, ſalvo jure ventris prægnantis, ſi ſit maſculus.* Dixerat Clemens Georgium Card. Spinulam, qui tum Bononienſem Provinciam adminiſtrabat, Placentiæ & Parmæ de Latere Legatum, & Jacobum Oddum allegaverat, qui Romanæ Eccleſiæ nomine in earum urbium poſſeſſionem proficiſceretur. Is abſque mora (quamquam id ipſum antea Canonicus Ringhiera, minus tamen ſolemniter, ex Spinulæ mandato præſtiterat) imperata fecit: & quoniam Parmenſes id ab illo jure fieri intelligebant, non obſtitere, quominus nonnulla ibi cum imperio, & poteſtate præſcriberet. Atque his rebus effectis, falſaque deprehenſa Henrichettæ prægnatione, rurſus Comes Stampa Infantis nomine in Ducatus poſſeſſionem venit, juſſis præterea civibus, ut dicto apud ſe ſacramento, quæcumque Carolus Princeps imperaret, ſe ſe diligenter facturos pollicerentur. Quumque agnoviſſet omnium eſſe optimam erga eumdem voluntatem, inde ſe cum ſuis copiis receſſit. Neque tamen Præſul Oddus negotium perſeveranter non urſit, neque ſibi deſtinatos expeditionis ſocios torpere paſſus eſt, quo ſub priſtinum jus, atque ditionem Romanæ Eccleſiæ Ducatum redigeret. Verum quum irritus omnis conatus fuiſſet, neque quam aliam iniret viam Clemens inveniſſet, ceſſit Hiſpanorum potentiæ, temporiſque rationem habuit, cui parere ſapientis ſemper eſt habitum. Ita Carolus anno, qui ſequutus eſt, Parmam venit, & ad Ducatus gubernaculum acceſſit.

Eſt adeo bene conſtituta, & bene morata Lucenſium Civitas, ut ſine ulla ſeditione, nullis perturbata motibus pluribus jam ſæculis libertatis bono fruatur. Inter cætera, quæ illius tuendæ gratia habet inſtituta, illud tenere mordicus ſolet, ut ſui Archiepiſcopatus gerendi ex finitimis Provinciis nemini poteſtatem faciat; quare evenit, ut quum ejuſmodi munus Benedictus XIII. contuliſſet Thomæ Cerviono ex Monte Alcino, quod eſt oppidum in Magni Etruriæ Ducis ditione ſitum, hunc conſtantiſſime recuſaverit, eique omnem ad ſe aditum intercluſerit. Haſce contentiones tollendas eſſe exiſtimavit Clemens. Itaque Cervionum amovit, quem Sacrario Pontificio præeſſe ſubinde voluit, ejuſque in locum Fabium Colloredum Forojulienſem Congregationis Oratorii presbyterum ſuffecit, qui omnium lætitia, & gratulatione exceptus eſt.

Neque minorem curam ſuſcepit de reducendo in gratiam cum Sede Apoſtolica Luſitanorum Rege, adeo in ipſam exacerbato, ut vel ipſis Pontificiis Comitiis ſubjectos ſibi Cardinales intereſſe vetuerit. Cauſſa tantarum diſcordiarum ea fuit, quod Vincentium Bichium an. MDCCXIX. a Clemente XI. ad eumdem Regem Nuntium miſſum Benedictus XIII. revocaverat, priuſquam in Senatum Romanæ Eccleſiæ adlegeretur. Aliæ præterea res Clementem hortabantur, quare hunc ſibi creandum Cardinalem putaret. Illud in primis, quod ipſum videbat penitus diluiſſe crimina, de quibus apud ſuperiores Pontifices incuſatus fuerat, & integritatem fidemque comprobaſſe, quas in exequendo munere S. Sedi præſtiterat. Itaque VIII. Kal. Octobris, quo die habita Cardinalium comitia ſunt, & Bichium, quod laboribus ejus deberi videbatur præmium, in ampliſſimum Ordinem cooptavit; & hoc ipſo honore honeſtavit Joſephum Firraum ejuſdem ſucceſſorem, licet exequi officium ſuum is nunquam potuerit, ab irato Rege prohibitus. Quibus peractis quum omnis jam reddita tranquillitas exiſtimaretur, adlaborandum tamen non parum fuit, ut Cajetanus de Cavaleriis Nuntius Apoſtolicus deſignatus legationis munus obiret; qui tandem anno poſt ſplendide honorificeque eſt exceptus.

Verumtamen quamquam pacis maxime eſſet amans, eique in primis ſtuderet Clemens, tamen ne Eccleſiæ jus, & poteſtas minueretur, in diſceptationem cum Sardiniæ Rege invitus deſcendit; cujus rei cauſſam paulo altius ab origine repetere non alienum ab inſtituto videtur. Nicolaus hoc nomine V. ut Amedæo VIII. Sabaudiæ Duci gratificaretur, quod ſponte ſe Pontificatu abdicaſſet, ad quem falſo Felicis V. nomine in Concilio Baſileenſi evectus fuerat, IV. Id. Jan. MCCCCLI. Ludovico ejus filio Diploma dedit, quo permiſſum ut ſubjecta illius ditioni majora Sacerdotia, quæ vocant Conciſtorialia, non conferrentur *niſi habitis prius per Pontificem intentione & conſenſu Ducis de perſonis idoneis*. Hiſce conceptum verbis privilegium confirmarunt SS. PP. Sixtus IV., Leo X., Clemens VII., Julius III., Gregorius XIII., Clemens VIII., quumque dubitatum olim fuiſſet, an per illud uni Allobroges, aut Subalpina quoque Provincia comprehenderetur, Innocentius XII. quamquam ſub Alexandro VII. a tribus juris Pontificii peritiſſimis viris Faniano, de Rubeis, & Ronconio ea de re conſultis ſecus reſponſum fuerit, ad dirimendas tamen controverſias cenſuit: *Indultum Nicolai V. comprehendere Eccleſias Cathedrales, & Dignitates Abbatiales exiſtentes in Dominiis Citramontanis poſſeſſis per Ducem Ludovicum Indultarium de tempore conceſſi indulti: ſalva libera facultate Sedi Apoſtolicæ reſervandi ſuper iiſdem Eccleſiis, & Abbatiis penſiones ad favorem quarumcumque perſonarum, etiam exterarum,*

rum, non immutata forma expeditionum hactenus ſervata. Neque vero id ſatis habuit Victorius Amedæus, qui tum earum regionum imperium tenebat.

Sibi enim jus & facultatem ex eodem Nicolai Diplomate aſſumebat eos deſignandi, quibus a Pontifice annuæ penſiones attribuerentur: & ſe non aliter quam nominante & eligente, conferri hujuſmodi Sacerdotia poſſe contendebat. Contra hæc omnia ſemper reſtitit ac repugnavit Clemens XI., qui dolebat etiam ac vehementer querebatur læſam Eccleſiæ immunitatem, auctoritatemque Pontificis, pro quibus vindicandis Brevem Epiſtolam ſcripſit incipientem: *Alias cum ad felicis recordationis*, qua plura edicta, juſſa, atque decreta, aliaque geſta in ea ditione damnavit abrogavitque. Nec minus ei cordi fuit de aſſerendo violato ſupremi Dominii jure, quod rationibus firmis comprobatum in Abbatia S. Benigni, & in Feudis Montaphiæ, & Ciſternæ, Cortantiæ, & Cortantionis, aliiſque oppidis intra fines illius ditionis ſitis plurium ſæculorum ſpatio Sedes Apoſtolica obtinuit. Eapropter magnæ diſſenſiones concitatæ ſunt; de quibus componendis quum nihil ad Pontificatum evectus Benedictus XIII. habuerit prius, miſit qui ſuam voluntatem memorato Victorio Regi proponeret. Hanc ille non aſpernatus, ad tranſigendum Romam allegavit Marchionem Vincentium Ferrerium de Ormea, qui negotium ea dexteritate cum paucis egit, ut beneficiorum nominatio Sardiniæ Regibus adjudicata fuerit. Res quoque de immunitate Eccleſiaſtica ad pactionem venit, Regique eſt aſſenſum.

Quomodo vero hæc ſe Clementi probaverint, ex ejus oratione habita in Cardinalium conſeſſu deprehendere licet, in qua ajebat, ſe vehementer dolere quod videret ex iis conceſſionibus multam vim ſui juris Sedem Apoſtolicam amiſiſſe, imminutam Epiſcoporum auctoritatem, turbatam Eccleſiæ juriſdictionem, ac pernicioſa invecta exempla, adverſus quæ tot incommoda ut medicinam aliquam adhiberet, initas conventiones reſcindendas cenſuit; ita tamen ut quæ præſtare fas eſſet, in his propenſiſſima voluntate Sardiniæ Regi ſe ſatisfacturum ſpoponderit. Interea Victorius tranquillitatis ſtudio, aliiſque cauſis illectus, Regno ſe abdicat, omnemque in filium poteſtatem confert, cui Caroli Emmanuelis nomen erat. Ad hunc Clemens Præſulem Petrum Guglielmium, cui multum tribuebat, miſit, qui ſui conſilii rationem exponeret, & de ſtabili conſtituenda concordia cum eodem ageret. Verum res aliter cecidit. Nam quum Guglielmius ad Regni fines perveniſſet, ultra progredi vetitus eſt; & Comes Groſſius Regis Orator eodem tempore ex Urbe diſceſſit. Quibus rebus geſtis, Clemens advocat Senatum, quantumque moveretur negotium demonſtrat. Rogati ſententiam Patres, omnes unum atque idem ſentiunt, conventa nimirum ſub Benedicto ſervanda non eſſe, quod in iis conſueta ſolemnia prætermiſſa, & præſertim quod non ſatis edocto Pontifice, quem omnes noverant quantopere defendendorum Eccleſiæ jurium ſemper ſtudio flagraverit, quorumdam arbitrio firmata fuerant. Quare Clemens, licet res ad non leve diſſidium ſpectare videbatur, habita rurſum ad Senatum concione, ſuſtulit, atque irrita eſſe juſſit quæcumque tranſacta fuerant in tribus conventionibus, quarum duas de rebus ad Eccleſiaſticam immunitatem pertinentibus Cardinalis Finius, tertiam qua jus Pontifici adimebatur percipiendorum fructuum Eccleſiarum vacantium, necnon ſpoliorum colligendorum, Cardinalis Lercarius ſummæ rei a Benedicto præpoſitus, ſingulas vero Marchio Vincentius Ferrerius de Ormea ſubſcripſerant. Ad illa autem, quæ de Sacerdotiorum nominatione conventa fuerant, Decretum ſancivit, ut hujuſmodi nominationes ex Nicolai Diplomate *factæ & faciendæ non aliter admitterentur, quam abſque Patronatus jure, & ſine aliarum penſionum reſervatione, quam quæ a Sanctitate ſua ſuiſque Succeſſoribus juxta liberam Sedis Apoſtolicæ facultatem fuerint reſervatæ*. Illud & in conſultationem venit, num concedendum Regi, ut crearentur Vicarii, quos vocant, Generales, qui iis præeſſent ſui imperii regionibus, quarum Epiſcopi in urbibus alienæ ditioni ſubjectis ſedem habent. Magnam hæc res ad conſilium capiendum difficultatem afferebat, quod nolebat quidpiam Clemens minui de Epiſcoporum auctoritate; cui tamen aliqua ratione conſuluiſſe videbatur Benedictus decernendo, ut Vicarii ab Epiſcopis eligerentur, ab iiſque penderent, ita ut nihil quod eſſet alicujus momenti, niſi conſultis & approbantibus iiſdem, agere poſſent. Itaque in præſentia quum nihil decidi placuiſſet, reſque in aliud tempus dilata eſſet, ad ſatisfaciendum tamen Regi Clemens ſe propenſum oſtendit. Unum ſupererat, de quo ſub Benedicto nihil agitatum fuerat, nempe ut jus S. Sedis vindicaretur, quod, ut ſupra diximus, validis fultum momentis obtinet in Abbatia S. Benigni, & in Feudis Ciſternæ, Montaphiæ, Cortantiæ, & Cortantionis, aliiſque oppidis intra fines illius ditionis ſitis, in quo præſtando non defuit officio Clemens; nihilque quod ad rem facere videbatur, ab eo prætermiſſum eſt. Hæc omnia doluit magnopere Carolus Emmanuel, atque inde multo acerbiores exceperunt diſcordiæ, a quibus ut ad tranquillitatem Regis animum flecteret, pro ſua paterna ſollicitudine nunquam deſtitit Clemens.

Quum Ludovicus XV. avitis inſiſtens veſtigiis edictum tuliſſet, quo propoſitis pœnis, omnes Regni ſui homines Conſtitutioni Clementis XI. incipienti *Unigenitus Dei filius*, obedientiam præſtare juſſit, Clemens & ſuo, & Cardinalium nomine ampliſſimis verbis Ludovico gratias eſſe agendas cenſuit. Verum quum illa obſiſtentia diuturnitate invaluiſſet, tantum abfuit, ut eo edicto contentiones ceſſarint, ut majora potius in dies incrementa capere viderentur. Ad cetera incommoda hoc plane graviſſimum acceſſit. Franciſcus Paris Diaconus Pariſienſis unus ex principibus, qui ejuſdem Conſtitutionis ſcitis & legibus contradixerant, quum rigidam vitæ rationem tenuiſſet, adeo magnam apud nonnullos ſuos virtutis ſanctitatiſque opinionem habuit, ut non ſolum hi privatim ſacro cultu eum proſequi, quum deceſſiſſet, minime dubitarent, ſed etiam publice dicerent non paucis illuſtrari miraculis, quorum tamen ipſi non teſtes ſolum, ſed & auctores credebantur. Itaque ingens hominum concurſus factus eſt ad Eccleſiam S. Medardi, in cujus cœmeterio corpus illius humatum erat; quumque plura ac majora in dies de eodem prædicarentur, mirum eſt quanta celebritate ejus cineres frequentarentur, & quam longe lateque ejus nominis fama peragraverit. His cognitis, Clemens ſub excommunicationis pœna Paris ſepulcrum adire vetuit, mandavitque inſuper, ut extractum ex eo cadaver alibi indiſtincte & confuſe tumularetur. Neque vero hoc ſolum egit, ſed prodeuntes libellos Diaconi ſanctitatem, atque miracula aſſerentes damnavit, nihilque reliqui fecit, quod ad extirpandas errorum radices pertineret.

Quum a principio, quo Reipublicæ gubernacula ſuſcepit Clemens, hæc illi mens, hoc conſilium fuerit, ut eorum, quos imperio ſubjectos haberet, non modo ſaluti, ſed etiam commodis utilitatique conſuleret, an. 1732. IV. Kal. Martias Anconæ Portum vectigalibus liberavit; ac privilegiis externos atque alienos invitavit, ut mercaturæ faciendæ cauſſa in eam urbem habitatum venirent. Ad expurgandas autem merces ab illis oris adductas, in quibus graſſari lues, & peſtilentia ſolet, ſequentibus annis ampliſſimum munitiſſimumque κοιμοχομεῖον forma pentagona extruxit, cui certe neſcio an ullum in tota Europa, non dicam anteponendum, ſed ne comparandum quidem ſit. Ad hæc aggerem moleſque, quo navibus ſecuritas præſtaretur, ab uno portus latere jaciendas curavit; quas tamen repentina procella ac maximus turbo funditus everterunt. Neque propterea defeſſus eſt Clemens, ſed regio plane ſumptu novas jecit moles, portumque, quod inſigne fuerat Trajani Cæſaris opus, tutiorem atque ampliorem reddidit. Quibus pro tantis meritis Anconitani ſtatuam eidem in foro ſtatuerunt. Picentibus frumenti exportationem Alexandri VIII. exemplo gratis indulſit. Quo vero facilius eorum provincia cum Anconitano portu commercium haberet, Nuceria ad mare uſque Adriaticum per Fabrianum & Æſium militarem viam aperuit, quæ ab ejus nomine Clementina nuncupatur. His, aliiſque beneficiis Æſini devincti munificentiſſimo Principi arcum triumphalem decreverunt. Annonæ Magiſtratum promercalem frumenti negotiationem exercere vetuit.

Quæ quidem, aliaque hujuſmodi licet ſedulo diligenterque curaret Clemens, nihil tamen prius aut antiquius unquam habuit vel conſervatione, vel propagatione catholicæ religionis. Itaque in oppido Ulanni Biſinianenſis Diœceſis ampliſſimum Seminarium inſtituit, quod a Familiæ ſuæ nomine Corſinium nuncupavit. ut ibi pueri græci ritus in regionibus Calabriæ & Siciliæ diſperſi literas non modo, ſed & multo magis pietatem, veramque religionem addiſcerent; ſicque rectis imbuti doctrinis apud ſuos, eoſque qui terras ab oriente colunt, bene de catholica fide, & Apoſtolica Sede mererentur. Neque minori utilitate, eodem auctore atque ſuaſore, Sinenſibus atque Indis adoleſcentibus proviſum eſt. Nam Collegio, quod ſacræ Familiæ Jeſu Chriſti vocant, extra Neapolim conſtituto, gratis ibi aluntur, & litteris non ſecus ac rudimentis Chriſtianæ fidei imbuuntur, donec Sacerdotio initiati in illuſtrandis Evangelii luce infidelibus, qui barbara tenent loca, operæ pretium facere poſſunt. Hujus inſtituti formulas publico Diplomate hoc ipſo anno VIII. Idus Aprilis confirmavit. In Thibetum Magnæ Tartariæ Regnum plures ex Cappucinorum familia Evangelii præcones direxit. In ſacras Orientales propagandæ fidei miſſiones ſexaginta aureorum millia contulit. Cujus operæ ſane fructus egre-

egregius Dei beneficio conſtitit. Decem enim fere Coptorum millia ab erroribus & pernicie ad ſpem ſalutis traducta ſunt. Horum quoque Alexandrinum Patriarcham feliciori conatu atque ſucceſſu, quam priores Pontifices non ſemel præſtare id ipſum tentaverant, ad Catholicam religionem revocavit. Armeniorum vero Patriarcha ejuſdem invitatus beneficiis impium a ſacris Diptycis anathema contra Concilium Chalcedonenſe, ſanctumque Pontificem Leonem Magnum deleri juſſit. Saxonibus, qui ab hæreticis erroribus deſciverant, ut eos in vera fide confirmaret, utque ceteros ad eam amplectendam excitaret, poteſtatem Clemens conceſſit retinendi bona Eccleſiæ, quæ ab graſſante hæreſi occupata fuerant.

Acceptis a Rege Catholico litteris, quibus certior reddebatur, captam, Duce Montemario, ab exercitu ſuo arcem Orani, quæ ab anno MDIX. a ſummo Viro Cardinali Ximeneſio Hiſpanico imperio adjecta, quatuor ſupra viginti abhinc annis in poteſtatem Maurorum pervenerat, ſupplicationes pro tanto beneficio Deo immortali decrevit Clemens, feſtiviſque ignibus tantæ rei eventum nunciari voluit.

Anno 1733. Fridericus Auguſtus hujus nominis II. Poloniæ Rex Kal. Februarii moritur, unico relicto filio, cui pariter Friderico Auguſto nomen erat. Hic regni æmulum & competitorem habebat Stanislaum Leſzezinſchium, qui Polono ſanguine ortus, claraque nobilitate eminens Caroli XII. Svecorum Regis favore olim hoc ipſum Regnum adeptus fuerat; ſed quia humanarum rerum varia mutabiliſque ratio eſſe ſolet, paucis poſt annis opibus auxiliiſque deſtitutus, de eodem cedere coactus eſt. Hunc maxime provehebat Ludovicus XV. Galliarum Rex, cujus in matrimonio habebat filiam; ſed reſpuebant Cæſar, atque Ruſſiæ Imperatrix, rem ad Auguſtum vel in primis trahere contendentes: unde exitiabile illud bellum, quo univerſa pene flagravit Europa. Id erat Stanislao percommodum, favor nimirum Primatis (ita Archiepiſcopus Gneſnenſis, ſumma per Interregnum vel maxime poteſtate præditus, appellatur) cujus auctoritatem permulti e Proceribus ſequebantur. Ad hoc acceſſit omnium pene ordinum conſenſus, qui in id, dato jurejurando, conſpiraverant, vitam ſibi prius defuturam, quam paſſuros, ut ſpretis ſuis, ad alienigenam Regnum deferretur: quæ quidem, aliaque hujuſmodi Auguſto erant adverſa. Itaque pridie Id. Septembris, habitis Comitiis, ut mos eſt illarum gentium, media in planitie, tenſoque tantum ad id ingenti tabernaculo, Stanislaus Poloniæ Rex declaratur. Clemens, qui ante Comitiorum tempus litteris Primatem adhortatus fuerat, dare operam ut in creando Rege Catholicæ religionis utilitas vel maxime ſpectaretur, poſtquam Stanislaum electum eſſe audivit, confeſtim ipſum Regem agnovit, atque humanitatis pleniſſimas literas ad eumdem ſcripſit. His ita confectis, qui pro Auguſto ſtabant, in vulgus ſparſere conſultationem quamdam ſtudio & opera quatuor privatorum Theologorum exaratam, qua contendebatur Polonos Sacramento minime teneri, quo ſe, uti diximus, neminem niſi popularem, & proprii ſanguinis regem accepturos obſtrinxerant. Quæ quidem conſultatio, quo plus auctoritatis præ ſe ferret, falſo *reſolutio Romana* inſcripta fuerat, hoc nimirum titulo: *Reſolutio Romana Theologorum a SS. Domino Noſtro Papa Clemente XII. deputatorum ſuper nullitate & invaliditate juramenti tempore convocationis Comitiorum præſtiti, ab Eminentiſſimo & Reverendiſſimo D. Cardinale S. Clementis Regni Poloniæ Protectore tranſmiſſa.* At Clemens, qui turbas excitari in eo Regno ægre ferebat, non parum temeritatem doluit; quare eandem conſultationem publice damnavit, in ejuſque auctores animadvertit. Neque tamen res prorſus inutilis Auguſto fuit. Non pauci enim jurisjurandi metu ſoluti contra Stanislaum concitati ſunt, cujus partis ſectatores ac ſocii ad Auguſtum tranſierunt, quum maximæ Moſchorum copiæ Varſaviam adventaſſent, & Stanislaus hinc Dantiſcum confugiſſet. Illi oblata facultate concilium indicunt, in quo irritam Stanislai electionem eſſe juſſerunt, Regemque Auguſtum dixerunt. Quibus adductus Galliæ Rex Cæſari tam in Italia, quam in Germania bellum teterrimum indixit. Obſecratus Clemens Cæſaris nomine a Cardinali Cienfuegos, ut in uſum ſui equitatus e Ferrarienſi agro magnam fœni copiam extrahi ſineret, ſe tantum illius conceſſurum pollicitus eſt, quantum Provinciæ ſuperfuiſſet. Rurſum ab eodem poſtulatus, ut frumento, cujus certum erat pretium conſtitutum, Auſtriacum exercitum juvaret, ob plurimas cauſſas noluit aſſentiri, tum præſertim ne quid ea res detrimenti ſubditis eſſet allatura; qui tamen ab omni incommodo ſinceri integrique ſervati non ſunt, quum damni plurimum a Cæſarianis vel maxime pertuliſſent. Quibus ex rebus Clemens commovebatur vehementer, queſtuſque cum Cæſare eſt. In primis etiam ſollicitabatur communi periculo: adeo omnia tympanorum, ac tormentorum horrifico ſtrepitu perſonabant. Quocirca & hortaminibus & obteſtationibus, prout Vicarium Chriſti decet, qui pacis fons, atque auctor eſt, de reſtituenda tranquillitate laboravit. Quibus quoniam parum profeciſſe cognovit, nonniſi a Deo opem auxiliumque in tantis calamitatibus poſtulandum expectandumque putavit. Itaque Jubilæum, ut vocant univerſale, aliaſque ſupplicationes decrevit.

Interim Auguſtus ſecundis aliquot præliis vires adverſariorum permultum attriverat, & Dantiſcani, capta civitate, in illius partes diſceſſerant. Stanislaus vero non expectavit diutius, ſed induto paſtorali cultu, clam in Pruſſiam confugit. Quamvis rebus ita afflictis, nonnulli tamen principes nobilitatis ab incœpto non deſtitere, ſed laudare promptos, timentes confirmare, alios ſibi adjungere; neque labori, neque periculo parcentes, omni arte perditam Stanislai fortunam reſtituere annitebantur. Advocato Concilio, ad quod frequentes convenerant, quæritur quid factu optimum ſit. Permulta conſtituuntur, ſimul & illud, ut litteræ quoquoverſus obteſtatum auxilium mitterentur. His Clemens acceptis, ut qui nihil negotii in tanta ſeditione habere, ſed medium ſe præſtare volebat, nil aliud egit, niſi ut pacem magis & magis hortaretur. Non enim decere arbitrabatur, quum communis omnibus pater eſſet, ad unius potius, quam ad alterius ſe rationem adjungere. Quo fiebat, ut dignitati non ſolum, & tempori, ſed etiam tranquillitati ſerviret. At anno 1735. quum omnia Auguſto cederent ſecunda, ita tamen ut Galli Cæſarianis Italico in bello multo ſuperiores eſſent, de pace componenda agi cœptum eſt, quæ tandem in eam conditionem (mitto cæteras, quæ nihil ad rem noſtram) convenit, ut Stanislao, cui Lotharingiæ Ducatus gubernaculum a Galliarum Rege permittebatur, Poloniæ Regis tantum nomen; penes Auguſtum vero nomen & procuratio eſſet. Quibus bene firmatis, Clemens ſine ulla mora Auguſtum Regem agnovit, miſſiſque ad Paulutium Oratorem ſuum litteris, Varſaviam, unde jam a principio diſcordiarum diſceſſerat, redire, manereque apud Regem, & quæ ſui muneris eſſent, tranſigere juſſit. Huic quoque mandata dedit, quibus magnopere ab Auguſto poſtularet, ut catholicæ religionis cauſam ſuſciperet, & impios hæreticorum conatus propulſaret atque compeſceret. Neque hoc ſolum effecit, ſed etiam veterem moleſtamque controverſiam, quam Poloniæ Reges cum Romanis Pontificibus de Juriſpatronatu plurimarum Abbatiarum habuerunt, prudentiſſime diremit. Etenim ex his tresdecim cum facultate ad eas nominandi Regi, ut loquimur, commendavit; quarum pars tamen maxima alias in commendam attributa fuerat.

Jam prope anno ſuperiore 1733. exeunte, parvæ Gallorum militum manus Avenionis ditionem verſus proficiſci, ejuſque in viciniis ſubſiſtere cœperant: cui rei, quum nihil doli ſubeſſe crederetur, expectabatur dum ipſa ſe aperiret. Interea copiarum numerus augetur; & quod majus eſt, eo proceſſerunt, ut ipſam Avenionis urbem laxiori obſidione cinxerint: cujus obſidionis prætextum hoc fuit, quod Tabacci ſationes, & telarum indicarum, ut dicimus, opera, quibus rebus provincia illa mirum in modum abundabat, fraudandis vectigalibus anſam præberent. Magna affectus ſollicitudine hoc nuntio Clemens, diffiſus propriis viribus, hoſtilia ſibi recuſanda exiſtimavit. Itaque facta poteſtate, Præſulem Bondelmontium, qui eidem urbi Legati vice præerat, de re componenda agere juſſit. Ille acceptis mandatis, cum Marchione Maillaboiſio, qui ſummam imperii tenebat, colloquitur. Rogat, ut vi, & armis abſiſtat: poſſe enim de quibus quæreretur utilius ſalubriuſque amice componi. Hac re probata, Pontifici conditiones offeruntur, quas accepturum ſe ſe haudquaquam reſcripſit, quum lædi ab iis non parum authoritatem ſuam, & damni plurimum ſubditis importari intelligeret. Bondelmontius vero non defuit negotio, & æquiora ut poſtularentur impetravit. Itaque res eo deducta eſt, ut telarum indicarum opera atque Tabacci ſationes vetarentur, pro quo in ſingulos annos Pontifici ſolverentur bis centum francorum millia, quibus ſtipendia militibus numerantur, & eorum indemnitati proſpicitur, qui in tollenda Tabacci cultura detrimentum fecerant: ut aliquid remitteretur de vectigali impoſitum ſerico, quod Avenione transfertur in Galliam, cavetur. Quibus, aliiſque conventis, urbem Galli obſidione metuque liberarunt.

Per idem tempus Carolus Borbonius, datis Comiti Portæ, qui ſua negotia Romæ procurabat, mandatis vehementer urgebat, ut ſibi tanquam hæredi Farneſiæ Familiæ, Caſtri & Roncilionis Ducatus reſtitueretur. Nam Raynutius III. Parmæ Dux, deprecantibus Philippo IV. Hiſpaniarum Rege, & Magno Etruriæ Duce, illum anno MDCXLIX. Sedi Apoſtolicæ ſupremæ

ejuſ-

ejuſdem dominæ oppignoraverat pro decies & ſexies centenis ac viginti novem millibus, ſeptingentis quinquaginta aureis, ſibi reſervato jure, ipſum redimendi intra octo annorum ſpatium. Verum huic recuperationi quum nullum eſſe amplius locum probe noſſet Clemens; quem etiam non fallebat Portæ aſtum, qui ad ipſum Ducatum redimendum depoſitam fuiſſe pecuniam falſo aſſeruerat, reſiſtendum omnibus modis, neque quidquam cedendum exiſtimavit. Cui ſententiæ cum mira etiam conſenſione, ut par erat, faverent Patres, illius conſtantiam ita ſemper retinuit, ut Carolus, cognito demum Sedis Apoſtolicæ optimo jure, a propoſito ſuſceptoque conſilio diſceſſerit.

Ut erat mirandum in modum magnificentiæ deditus Clemens, Innocentiani fori ornatui, dirutis humilibus domibus, latiorem viam aperuit. Arcum prope Amphitheatrum Flavii Veſpaſiani, qua in Cælium Montem itur, Cæſari Conſtantino Magno erectum ob feliciter reportatam de Maxentio victoriam ſalutaris Crucis ſigno, vetuſtate non minus, quam incuria fatiſcentem reſtaurandum locavit anno 1733. Deerant præterea una ex octo columnis flavi marmoris, captivi ſtatua, ceterorumque captivorum capita, quæ author eſt Paullus Jovius in elogiis virorum litteris illuſtrium per ſummam injuriam Laurentium Medicen noctu abſtuliſſe, eoque nomine a Mario Molza poeta in primis nobiliſſimo acri vehementique oratione apud Senatum Romanum accuſatum, ac demum proſcriptum fuiſſe. Ea igitur omnia reſtituit Clemens, uſus præſertim opera Petri Bracii non contemnendi Sculptoris; areamque inſuper juxta eundem arcum laxavit, ne, interjectis domibus, proſpectus ulla ex parte impediretur. Antiquas etiam ædes, quæ Conſultæ dicuntur, in Colle Quirinali conſtitutas, novas eaſque multo ampliſſimas elegantiſſimaſque refecit. Rei agrariæ præpoſitorum commoditati ædificium in Capitolio extruxit. In Laterana Baſilica S. Andreæ gentili ſuo magnificentiſſimum Sacellum ædificari voluit, in quo ſibi Mauſoleum poſuit ex urna porphyretica, quæ ſub portico veteris Pantheon vel ab antiquiſſimis temporibus locata erat. Ibidem cenotaphiis decoravit majores ſuos Nereum, atque Petrum Cardinales Corſinios. Sed illud maximo argumento eſt Clementis non ſolum magnificentiæ, ſed etiam præſtiti in ingenuas artes ac diſciplinas favoris, quod quum peramplas ædes dextrorſum in Capitolium ab Innocentio X. fabricatas præclare ornaſſet, eodem conſpicienda intulit ſigna, hermas, thoreumata, ſarcophagos, epitaphia, & id genus alia tam Græcæ, quam Romanæ antiquitatis reliquias; quarum maximam partem emit a Cardinali Alexandro Albanio millibus aureorum ſexaginta.

Non eſt propoſiti noſtri ſingula perſcribere quæ in hoc antiquitatis theſauro collocavit Clemens, cujus quoque exemplum ſequutus eſt Benedictus XIV. ſumptui nulla in re parcens. Extant hac ſuper re (ut de Locatellii, ceterorumque opuſculis ſileam) tria volumina, quorum uno Virorum litteris illuſtrium, altero Auguſtorum Auguſtarumque hermæ, tertio vero ſtatuæ (ceteris marmoribus ad duo alia volumina reſervatis) una cum copioſis eruditiſque animadverſionibus exhibentur. Hujus operis author eſt Joannes Bottarius, cujus ſunt alia plura ingenii monumenta; inter quæ Clementis juſſu veterum Chriſtianorumque monumentorum imagines, quas Boſius, & Arringhius in *Roma Subterranea* collegerunt, tribus voluminibus doctis ſane & laborioſis explanavit. Ejuſdem quoque præclari Bottarii opera Clemens aliis maximiſque in rebus uſus eſt. Palus eſt magna prope Thraſimenum lacum inter Pontificiæ & Etruſcæ ditionis fines, quam Clanes dicunt. Hujus uliginoſo ſolo quondam uberrimo, maximeque fertili voluit Clemens priſtinam fecunditatem, eaque re ſubditis cæli ſalubritatem reſtituere. Eo igitur Bottarium miſit, de cujus conſilio foſſa ad Tyberim per quatuordecim millia paſſuum perducta, res feliciter proſpereque evenit. Sequutum eſt aliud mandatum propter navigandi difficultatem in bipartitis Padi faucibus, in quo perſequendo pari virtute ſe geſſit Bottarius. Animum quoque, eodem curante, atque una viro in primis doctiſſimo Euſtachio Manfredio, adjecit Clemens ad Tyberim navigabilem præbendum Peruſia uſque ad Naris fauces, & Anienem a Ponte Lucano Romam uſque. Sed minime res propter ſummam illius magnitudinem, ac difficultatem ad exitum optatum perduci potuit.

Iiſdem temporibus, quibus Galli, Allobrogeſque fœdere juncti bellum adverſus Cæſarem in Ciſalpina Gallia gerebant, Catholicus quoque Rex huic inimicitias indixit, acieque quadraginta circiter armatorum millium coacta, ſummam imperii Carolo filio permiſit. Hic, acceptis a Patre mandatis, ad oppugnandum Neapolitanum Regnum contendit, in quo non minus felicitate quam virtute ſuorum adjutus, loca quamplurima brevi expugnavit, ipſamque Neapolis urbem in ſuam redegit poteſtatem. His geſtis rebus, Thomas Rattus Cordubenſis Epiſcopus, cui apud Sedem Apoſtolicam Hiſpaniarum regni procuratio hoc ipſo anno 1734. demandata fuerat, nihil prætermiſit, quantum eniti potuit, ut a Clemente obtineret, quo ipſe Carolum Regem agnoſceret, ab eoque duodecim millium aureorum tributum acciperet, quo Summo Pontifici, uti ejus regni atque Siciliæ ſupremo Domino, publice multaque cum pompa in pervigilio SS. Apoſtolorum Petri & Pauli pendi ſolet. Verum omnes conatus in irritum ceciderunt. Nam quum univerſum Siciliæ regnum adhuc ſub Cæſaris imperio eſſet, ut & civitates Cajeta & Capua, aliaque oppida, non putavit Clemens quidquam concedendum Ratti poſtulationibus: quare Scipioni Poplicolæ Principi Sanctacrucio permiſit, ut injunctum ſibi a Cæſare munus, offerendi nimirum ſuo nomine tributum, exequeretur.

Quinto decimo Kal. Februarii ann. 1735. Romæ diem obiit Maria Clementina Sobieski clariſſimi invictiſſimique Poloniæ Regis nepos, quam Jacobus III. Stuardus ſexdecim ante annis in matrimonium duxerat. Hæc, dum vixit, ab omni faſtu humanaque gloria ſemper abhorruit, ut quæ nobilitate, dignitateque longe cæteris eminebat, cultu atque victu vix parem inferioribus dixiſſes. Mira quoque in Deum pietate, atque in homines charitate fuit, utque paucis multa complectar, adeo in omni virtutum genere excelluit, ut illuſtre ac plane dignum, quod primariæ regiæque fœminæ imitentur, ſanctitatis exemplum poſteris reliquerit. Clemens itaque ut eam mortuam honoraret, quam vivam ſingulari amore proſecutus fuerat, quam ampliſſime ei funus in Eccleſia SS. Apoſtolorum faciendum curavit; unde translatum poſtea cadaver non minori cum pompa ad Vaticanam Baſilicam, ibidem ſepulcro donavit.

Sed majora ſunt, quæ tum ad Dei cultum, tum ad Romæ decus amplificandum hoc præſertim anno 1735. miris impenſis Clemens extruenda curavit. Namque frontem Lateranenſis Baſilicæ, atque inferiorem, ſuperioremque in ea porticum ſummo opere a fundamentis ædificavit. Fronte item nova Templum S. Joannis Baptiſtæ, ut dicitur, Florentinorum decoravit. Ædem SS. Martyrum Celſi & Juliani a fundamentis erexit. Excipiendis mulieribus judicio damnatis ſatis amplum ad Portam Portuenſem ædificium excitavit. Uberrimum ſaluberrimumque Aquæ Virginis fontem, quem Marcus Agrippa deduxit, confractumque reſtituerunt primum Tiberius Claudius Imperator, mox Pius IV. Pont. Max. ita Clemens ornavit, ut in eo ſummam elegantiam, majeſtatemque non deſideres; in quo præſtando uſus eſt ingenio nobilis Architecti Nicolai Salvi Romani. Neque tamen opus omnino abſolutum videre potuit, cujus perficiendi curam primo ſui Pontificatus anno ſuſcepit immortalis nominis Pontifex Clemens XIII. Nec non egregium etiam ſtudium erga alios ſibi ſubjectos populos præſtitit, illud probe intelligens nihil Principi magnificentius eſſe, quam ſi ditionem quam accepit, reddat ſtatu meliorem.

Igitur ut Ravennam, ejuſque agrum ab alluvionibus tutum præſtaret, duo flumina Bedeſim, & Vitim (Roncum, & Montonem dicunt) in novum alveum immiſit, cujus tranſitum in Æmilia via marmoreo ponte conjunxit. Ad facilius vero tranſvehendas merces per VII. millia, & paſſus CCLXVIII. navigabilem ad mare foſſam perduxit; utque aditus ab ea in urbem eſſet, novam portam aperuit, quæ in beneficii memoriam Corſinia appellatur. Et quo magis magiſque gratum animum Ravennates teſtarentur, publice an. MDCCXXXVIII. beneficentiſſimo Principi ſtatuam erexerunt. Idem in via Clementina, qua Æſio itur Anconam, quamque a ſe ſtratam ſupra demonſtravimus, pontem ligneum, lapideum ſua pecunia effecit.

Ex eo tempore, quo inchoatum eſt in Italia bellum, Clemens quum ad defendenda pericula ſubditorum, arces Comacli, & Ferrariæ majori militum numero firmaſſet, & præſidium in Meſola collocaſſet, muniendum quoque duxit Oſtium Padi, quo magis vicinus portus Adriani tegeretur. Nil tamen aliud effectum eſt, niſi ut in tumulo terreo lignea caſula ædificaretur, quantum ſatis eſſet ad continendos quindecim vel ad ſummum viginti milites, ac bina tormenta bellica. Ægre quum hoc tuliſſent Veneti, qui ſunt illi regioni finitimi, neque obtinuiſſent, ut opus ſolo æquaretur, in oppoſita objectaque fluminis ripa caſtellum erexerunt, idque & operibus & centum militum præſidio muniverunt. Minime hoc illis licuiſſe quum contenderet Clemens ob pactas ann. MDCXLIV. conventiones inter Rempublicam & Summum Pontificem Urbanum VIII. quumque quereretur etiam turbatos in ea parte imperii fines, ſibi videndum putavit ſi quo modo res ad concordiam reduci poſſet. Suſcepit hanc cauſam Cæſar;

nec

nec quiſquam omnium erat, qui, illo authore & agente, haud confideret fore, ut lites æquis conditionibus componerentur. Et ſane proſpere res ſucceſſiſſet, niſi eam ſuſceptum a Cæſare contra Turcas bellum diſturbaſſet, & ſequuta haud multo poſt Clementis mors plane diremiſſet. Verum prætermiſſa repetiit, & perſecutus eſt Benedictus XIV. conventumque tandem fuit tertiodecimo ejus Pontificatus anno de conſtituendis finibus, & de operibus demoliendis, quæ utrinque effecta fuerant.

Hiſpani Cæſarianis ſuperiores adeo jam erant, ut quum omnia his adverſiſſima, illis ſecundiſſima accidiſſent, univerſum Siciliæ regnum Carolus Borbonius in ſuam redegerit ditionem; cujus rei cauſſa Panormi ſe Regem appellavit, & ſceptrum, diadema, atque inſignia illa regia ſuſcepit. Quibus ſolemniter peractis, Neapolim rediit, ubi ingenti omnium acclamatione lætitiaque Rex eſt ſalutatus. Id unum ei deerat, ut Romani Pontificis authoritas regnum ſtabiliret ſuum; cujus rei obtinendæ cauſſa omnia expertus eſt. Cæſar e contrario Pontifici tributum offerebat, & Hiſpanorum poſtulationibus reſiſtendum contendebat. At Clemens ſuſpenſus, & incertus quidnam conſilii caperet, duodecim Cardinales elegit, a quibus de conſultatione & deliberatione quæreret. Hi omnes in ea fuerunt ſententia, ab nemine tributum accipiendum, videndumque qui rerum curſus & belli exitus futurus eſſet. Decrevit, ſicut illi cenſuerant, Clemens, fruſtraque omni adhibito conatu ſe a propoſito dimoveri non eſt paſſus.

Neque hoc duntaxat nomine exacerbatus Philippus V. graviter illud etiam querebatur, quod Ludovico Antonio filio nato ex Eliſabetha Farneſia ann. MDCCXXVII. XVI. Kal. Julii, Archiepiſcopatum Toletanum conferre Clemens noluiſſet. Res enim canonicis legibus maxime adverſa videbatur, puerum octennem ampliſſimæ Diœceſi præponere. Verum Adminiſtrorum conſilio mutata petitionis forma, eaque veteribus quibuſdam confirmata exemplis, tum Pontificis religioni, tum regiæ voluntati ſatisfactum eſt. Itaque viro morum innocentia ſpectatiſſimo Bernardo Froilano Saavredæ Archiepiſcopo Lariſſæo renuntiato ſacræ juriſdictionis cura demandata eſt, quoad Ludovicus infans, cui interim utilis permiſſa eſt adminiſtratio, Archiepiſcopus matura ætate conſecraretur. Hunc inſuper Clemens in S. R. E. Senatus ornamentum exeunte anno 1735. quarto decimo ſcilicet Kal. Jan. Cardinalem creavit. Geſſit ille hanc dignitatem uſque ad ann. MDCCLIV. qua, dimiſſo etiam Archiepiſcopatu, ſponte ſe abdicavit. Indulſit quoque Clemens Philippo, ejuſdem Ludovici germano fratri, poſtea Parmæ & Placentiæ Duci, ut in quemcumque vellet equeſtrem ordinem adſcriberetur, ne iis quidem exceptis, quorum legibus cautum eſt, ut qui ſemel uni nomen dederit, in alterum ne recipiatur: indulſit item, ut magnum, quem vocant, Caſtellæ prioratum etiam matrimonio copulatus retinere poſſet.

Inter hæc Clemens princeps dominuſque non minus facilis & benignus, quam ſeverus ubi res exigebat, publicæ tuendæ ſecuritatis ab homicidis & ſicariis omnem curam habuit. Edictum enim tulit, ut ſi quis hominem occideret, nullibi immunis morte multaretur, & ne qua impunitatis ſpes, maxima ad peccandum illecebra ſupereſſet, contentione etiam rixaque ſe excuſantibus, iiſdemque authoribus nihil de pœna remiſit. Quum vero plerorumque ea conditio ſit, ut aliorum injuriis laceſſiti adeo ira excandeſcant, ut ex omni mente deturbentur, quodque miſerrimum eſt, feræ ſimiles nil idcirco rectum, nil conſiderate agere poſſint, hos intra ſex horarum ſpatium lege ſolutos voluit; quo ſemel elapſo, ſi homicidii rei eſſent, ſanxit, ut eandem pœnam ſubirent, ac ſi conſulto, & cogitate facinus conſciviſſent. Capite etiam cavit, ne quis arma brevis, ut dicitur, menſuræ, utpote ad cædem clam & doloſe inferendam aptiſſima, deferret, vel apud ſe retineret. Quibus, aliiſque conſtitutis perditorum hominum audaciam egregie retudit compeſcuitque, Urbemque non ſolum, ſed univerſam etiam ditionem, quantum fieri potuit, pacatiſſimam reddidit.

Multa præterea hoc eodem ann. 1735. edidit promulgavitque. Binas de ritibus gentium Sinarum Imperii a Pechini Epiſcopo editas litteras irritas eſſe juſſit, ut ſibi, ac Sedi Apoſtolicæ de re ejuſmodi mentem voluntatemque declarandi ſuam integram reſervaret. Vidit ut ea liberalitate uteretur, quæ Orthodoxæ religioni prodeſſet. Nam quod Deo bene volente factum, ut in Palatinatu inferiori, & Ducatu Neoburgenſi complures hæretici, Lutheranæ peſtis abjuratis erroribus, cum S. Romana Eccleſia in gratiam redierint, alii eorum exemplum tunc ſequuti fuiſſent, niſi eos a tam ſaluberrimo præſtando conſilio removiſſet metus amittendi bona Eccleſiaſtica, in quæ dum eæ regiones hæreſis fluctibus alluebantur, Majores eorum invaſerant, quæque uſque adhuc retenta fuerant: illud enim quando eveniſſet, ſibi præter ſummam inopiam nihil reliqui eſſe proſpiciebant, adeo ut vitam tolerare non amplius poſſent. Quocirca Clemens, ne quid eſſet impedimenti, quo minus eæ gentes a miſerabili errore ad veritatem Evangelii revocarentur, conceſſit (pari quoque munificentia triennio ante, uti demonſtravimus, Saxonibus conſuluerat) ut eadem bona ab ipſis poſſiderentur ſicuti propria, & e quibus etiam poſteri fructus capere poſſent, ne fracti ullo miſeriarum metu de vita cederent. Flagitante Thoma Ruffo, Cardinali vitæ gravitate & integritate præſtantiſſimo, quam is regebat, Ferrarienſem Eccleſiam ad Archiepiſcopatus gradum evexit. Non pauca, quæ Apoſtolicæ Cameræ rebus utiliſſima eſſe putabat, decrevit. Primam adumbrationem Pontificiorum diplomatum per officium Abbreviatorum Curiæ conficiendorum, more Brevium litterarum, chirographo Pontificis muniendam juſſit, ut mala tolleretur conſuetudo, quod ea diplomata, quibus Conſiſtorii authoritas non acceſſerat, edebantur Pontificis ſubſcriptione deſtituta.

Exeunte anno 1735., inter Cæſarem & Galliæ Regem de pace facienda initum conſilium eſt, cui ſubſcripſerunt quoque Hiſpaniarum & Sardiniæ Reges, qui Gallicis armis faventes fœdus cum iis percuſſerant, ut paullo ante monuimus. Illud profecto doluit Clemens, quod decretum ab ipſis de Ducatu Parmenſi fuiſſet, nulla Sedis Apoſtolicæ jurium habita ratione, conqueſtuſque eſt graviter anno inſequenti 1736. Et tamen pacis nomen illi dulce erat, & res ipſa ſalutaris. Namque aſſidue Hiſpanarum, & Auſtriacarum præſertim copiarum tranſitus, curſus, & recurſus Pontificiæ ditioni adeo graviſſimi extitere, ut licet Ferrariæ, Bononiæ, ac Ravennæ legationes ingenti pecunia ſublevaſſet Clemens; tamen æs alienum contrahere, & iniquis etiam conditionibus publice uſuras accipere neceſſe fuerit. Eo acceſſit inopia rei frumentariæ, & ſumma olei charitas. Quare publicum ærarium egens, ac pene exhauſtum erat. In maxima difficultate pecuniæ illa Urbis Argentaria, cui Sancti Spiritus nomen eſt, in decoctionis diſcrimen erat adducta. Neque minoribus anguſtiis premebatur Noſocomium, quod ſi grandem pecuniæ ſummam, quam ejuſdem Argentariæ nomine debebat, ſolvere cogeretur, vix ei quidquam de ampliſſimis bonis eſſet ſuperfuturum. Quotannis enim illi ſexaginta aureorum millia ſupra cenſum expenſa ferebantur. Huic malo ut mederetur Clemens, Cardinali Portiæ mandavit etiam atque etiam videret, quæ maxime ejuſdem Noſocomii, adjectæque ei Argentariæ rationibus conducerent. Ipſe igitur, ſociis & conſortibus hujus muneris ſibi aſſumptis Præſulibus Mario Millinio, & Joanne Baptiſta Meſmero, toto animo in exſequendum mandatum incubuit, & permulta quidem in re utiliſſima decrevit. Ea omnia authoritate ſua comprobavit Clemens, qui illud quoque ſaluberrimum remedium contulit, quod quum ſortium ludum millibus aureorum octoginta in ſingulos annos elocaſſet, hunc cenſum Noſocomio attribuit; ita tamen, ut pars ex eo demeretur ad reliquum ſolvendum deſtinata, quod debebatur ex ædificiis, quæ ad Urbis ornatum extruxerat. Voluit ad hoc, ut de theſauris ſuis S. Petri, ut appellant, Fabrica centum & viginti aureorum millia eidem ſuppeditaret.

Interea dum hæc geruntur, Hiſpani, qui undique ſupplementa militum habebant, hac eadem de cauſſa eorum non pauci Romam irrepſere, & quos blanditiis, quos vi conſcribere milites poterant, omnes in cuſtodia aſſervabant, quoad tuto ad exercitum traducerent. Sero explorata res eſt, idque celatum Clementi fuit, ne majoribus conflictaretur angoribus. Sperabat enim Urbis præfectus poſſe rei facile conſuli; dumque quæreretur, quid optimum factu eſſet, ii qui regionem Transtyberinam incolunt, in quibus antiquæ virtutis memoria reſidere videtur, moræ & remedii impatientes, conſilium capiunt Civitatem a raptoribus liberandi, quorum ex iis unus procacior, irarum plenus, multa in Hiſpanos invectus dixiſſe fertur: *Quid expectamus, ſocii? Quo uſque in timore verſabimur? Annon priſtinæ virtutis memores nos eſſe oportet? Majores noſtri ſæpe parvas injurias ulti ſunt; nobis libertatem, parentes, liberos domi, ante oculos eripi perferemus? Quid eſt, niſi hoc impietas eſt? Juvat, juvat magno animo & erecto eſſe. Abeant, ſi qui ſunt, conſilii noſtri diſſuaſores: audere enim, & præſtare fortia Romanum eſt.* Hæc ubi dixit, quinque ſexve millibus hominum coactis, in ſedes & domos, ubi rapti detinebantur, tumultuarie advolant, & ſuorum aliquibus in libertatem vindicatis, ſe ad Farneſianas ædes conferunt, ubi lapidibus conjectis, feneſtras perfringere, & Caroli Borbonii inſigne proſternere auſi ſunt. His auditis, Clementem ingens cura atque triſtitia ſimul occupavere; nec mora, magnum

ſuarum copiarum numerum in forum Farneſianum duci juſſit, quæ vi & armis popularium ſeditionem compeſcerent, atque ſedarent. Quo facto, omnes ſe ſe domum recepere. Interim pontibus cuſtodes ponuntur, quo facilius repellerentur, ſi quando eos rurſum tumultuari contigiſſet: quod ſapienter proviſum non fefellit eventus. Ii enim reliquos ſuorum recuperandi ſtudio, & propriæ libertatis tuendæ gratia contineri non potuerunt, quin iterum coacti, & lapidibus inſtructi armatos in ponte Janiculenſi milites ſuperare contenderent. At hi, acriter in illos impetu facto, repulerunt. Tum vero multitudo valde commota, quod ſibi aditum ad Forum Hiſpanienſe aperire non potuiſſet, ubi non ignorabat ſuorum nonnullos in cuſtodia ſervari, aliud iter tentandum, aliam inſiſtendam viam exiſtimavit. His conſtitutis, ad Ceſtium pontem proficiſcitur, ubi quum ſua virtute timidiores milites effeciſſet, itinere non prohibetur. Pari tamen felicitate reliqua in aliis Urbis locis diſpoſita præſidia non vicit; quamobrem ſe ſe recipere coacta, ad ædem ſanctorum quadraginta Martyrum velut pro caſtris ſtationem poſuit, quid facto opus eſſet conſultura. At Clemens etſi ſatis cauſſæ eſſe arbitrabatur, quare in tumultuoſos homines animadverteret, civili tamen ſanguine parcere, authoritateque potius ac fide, quam ſeveritate conſiliis eorum obſiſtere exiſtimavit: quare ſummos viros Principem Sanctacrucium, & Marchionem Creſcentium delegit, qui in colloquium cum iiſdem convenirent, illoſque hortarentur, ut compoſitis animis, a ſeditione recederent. Sapientiam Principis felix rei exitus comprobavit. Nam cognita Pontificis voluntate, conclamant omnes ſe ad omnia præſtanda paratos eſſe: duo tantum rogant; primum ut ſui Hiſpanorum cuſtodia liberentur, emittanturque, qui ſeditionis pœna in vincula conjecti fuerant: deinde ne quis anteactarum rerum accuſetur, neve multetur. Quibus impetratis, illi per urbem curſantes, gratulanteſque inter ſe gaudium & lætitiam agitabant, Pontificem ſalvum, beatum, florentem cupiebant.

Verum conceptam extincti urbani tumultus jucunditatem externi alii turbarunt motus. Militum ſupplementa erant apud Cardinalem Aquavivam Hiſpaniarum Regis Oratorem, qui quo tutius ea Neapolim tranſmittere ad legiones poſſet, ſyngraphum a Clemente poſtulavit. Hic ſuſpectam Cardinalis fidem habens, Marchioni Creſcentio negotium dat, ut in ſingulos milites inquirat, exploretque, num dolo malo, vel inſidiis ſcripti fuiſſent. Re cognita, Cardinalis quos invitos nomen militiæ dediſſe non ignorabat, in occultum abdit, ac voluntariis tantum productis, Creſcentii operam fefellit, eaque ratione quem petierat ſyngraphum impetravit. Itaque ſuppleti omnes in navim conſcendunt, & per Tiberim mare ingreſſi, vix duo triave milliaria confecerant, quum ex improviſo ventorum vi agitati atque turbati ad litus appellere coacti ſunt. Ibi diem noctemque navis relicta eſt, quum ſævientibus adhuc ventis, alto ſe committere nemo auderet. Hoc interim ſpatio unus ex iis, qui vi conſcripti fuerant, clam e navi profugit, & nando libertatem quærens prope Oſtiam Salinatorum domos pervenit, quibus, quis ſit, aperit, ſignificans præterea in eadem navi, ex qua diffugerat, permultos alios ſuæ ſortis aſſervari. Quod ubi auditum eſt, homines miſericordia & indignatione capti ad navim accurrunt, atque impetu facto, cum gemitu libertatis nomen uſurpantes cuſtodiis eripiunt. Neque id ſatis habuerunt, ſed captos Hiſpanos duces conviciis inceſſere, aliiſque oneraverunt injuriis. Qua re permotus Clemens ad fontem illum injuriarum claudendum, ſanxit edicto, ne milites in Romana ditione ſcribere liceret, cui qui non paruiſſent, majeſtatis damnarentur, & tanti ſceleris aliquem ex authoribus deferentibus quinquaginta aureorum præmium conſtituit.

Quibus rebus offenſi Hiſpani, horum tria millia, qui Neapolim verſus proficiſcebantur, in Veliterno agro conſtitere, ubi per cauſam pabuli adhuc herbeſcentia frumenta ſuccidere non dubitarunt. Veliterni quum ſe ſuaque ab his nonniſi vi defendere poſſe viderent, omnes arma ſumunt, paratiſſimo animo illos & itinere prohibere, & ſuis finibus propulſare. Hac re Pontifici nuntiata, Cardinalem Franciſcum Barberinium ejuſdem civitatis Epiſcopum atque principem eos hortatum miſit, ut ab armis diſcederent; quod iis tamen minime perſuaderi potuit, quum dicerent non arma ſumſiſſe, niſi ut ſe ab injuriis Hiſpanorum vindicarent, & ne ſua ſibi eripi ſi enermes paterentur, ignaviſſimi omnium mortalium haberentur: quare minime reprehendendos eſſe, quod communi animo communia bona defenderent. Ipſi tamen non valuerunt ſuſtinere impetum Hiſpanorum militum, qui quum in urbem ingreſſi fuiſſent, male eos habuerunt, nonnullis cum cruciatu necatis, compluribuſque in cuſtodiam incluſis; & ne univerſa civitas depopularetur, e publico ærario octo millia aureorum ſoluta fuerunt. Nec minores ſollicitudines eædem copiæ aliis in locis attulerunt. Nam quum Oſtiam tranſirent, vis illatæ memores in incendendis Salinatorum caſis, vaſtandiſque officinis tantum operis inſumpſerunt, quantum itinere ac labore poterant. Tali modo maxima ſalis copia, quæ ex proximis ſalinis erat eo congeſta, deperdita fuit. Necnon Prænestinos tanto perfuderunt terrore, ut quindecim mille aureis metum ac vexationem redimere coegerint. Quibus de cauſis anxius & ſollicitus Clemens, litteris ad Regem Catholicum datis, patientiam proponit ſuam, acerbitates atque injurias ſuarum copiarum docet, inſolentiam demonſtrat, pro quibus rebus orat ac poſtulat, ne ſe diutius eſſe ſineret in ſummo mœrore. Quo facto, Hiſpani e Pontificii imperii finibus egreſſi, recta Neapolim ſunt profecti. Eodem quoque tempore Cardinalis Aquaviva, quod ſibi non eſſet ſatisfactum de injuriis a plebe Romana in Borbonios illatis, una cum Cardinali Belluga Roma demigravit, juſſis etiam omnibus tum Neapolitanis, tum Hiſpanis, ut ab Urbe diſcederent; quod ſi non facerent, eos adverſus Reges facturos videri. Neque multo poſt imperatum Raynerio Simonetto, Pontificio Oratori Neapoli abire, & Silvio de Valentibus alteri Oratori apud Catholicum Regem in demortui Vincentii Alamannii locum ſuffecto, qui Matritum ad ſuam legationem iter habebat, Bajonæ nuntium allatum eſt, quo ingreſſu in Regnum prohibebatur.

Neque hic moleſtiarum finis. Siquidem Luſitanus Rex, quem, Bichio, & Firrao in Cardinalium collegium adlectis, Clemens fore contentum ſperaverat, intolerabilia in dies poſtulata interponebat; illud cauſſæ prætendens, quod non adhuc ſibi ſatisfactum eſſet de injuriis, quæ ejuſdem Bichii cauſſa acceperat. At Clemens, cui nihil erat potius, quam ut eſſet aliquando diſcordiarum finis, ob plurima, graviſſimaque quæ inde oriebantur incommoda, e quibus illud maxime dolebat, quod Rex quemquam ad Eccleſias tot annis ſuis viduatas paſtoribus nominare pertinaciter ſemper negaverat, inter cetera, quibus eum ornavit, beneficia, facultatem imponendi quartam penſionum partem annuis Epiſcopatuum ceterorumque Sacerdotiorum reditibus, quam Luſitaniæ Reges habebant, ad tertiam uſque partem amplificavit. Neque vero id ſatis habuit Joannes Rex; quumque ad omnes ſuas poſtulationes perduci Clementem minime poſſe videret, illius Oratoris negotiis interdixit.

In tanta rerum perturbatione Clemens nunquam dejecit oculos a Chriſtiana Republica, cui quidquid expedire arbitrabatur, ita ſtudioſe ſemper curavit, ut præ eo cetera omnia minimi duceret. Pax Ryſwici, quod eſt Hollandiæ oppidum non procul Haga, an. MDCXCVII. fœderatos inter & Ludovicum XIV. Galliarum Regem conciliata fuit, qua oppida omnia, poſt renatum a pace Noviomagenſi bellum, armorum vi capta ultro citroque in eam conditionem reddita ſunt, ut Religio Catholica in locis ſic reſtitutis eo, quo tunc erat, ſtatu maneret. Id quum Germaniæ Reguli Auguſtanæ formulæ addicti indigne tuliſſent, omnibus nervis contenderunt, ne ejuſmodi ſtatueretur conditio; quod quum aſſequi tunc nequiviſſent, id moliri ac impellere ſaxum non ceſſarunt, quoad ſuperioribus annis a Ratisbonenſi Conventu illud impetrarunt, ut Catholicæ religionis inſtituta pluribus in locis omnino tollerentur. Ea res, ut eſt Clementi renuntiata, ad Carolum Philippum Maguntiæ Archiepiſcopum ex novemviris, qui Cæſarem ſuffragiis ſuis eligunt, loco & dignitate Principem litteras dedit, quibus ad Romanæ Eccleſiæ cauſſam tuendam, hæreticorumque conatus pro facultate retundendos magnopere eſt adhortatus. Nec minori ſtudio apud Catholicos Reges, Principeſque contendit, ut memorata conditio ſarta tectaque haberetur. Eodem quoque tempore egit Clemens cum Cardinali Fleurio de inſtaurandis renovandiſque edictis, quæ Ludovicus XIV. tulerat adverſus Ugonottos, & Calviniſtas in occulto latentes. Adfuit & Maronitis, genti quæ ſuſceptam a primis Eccleſiæ ſæculis Catholicam religionem ſumma ſemper conſtantia puram incorruptamque ſervaverat. Nam redditis ſibi litteris a Patriarcha Joſepho Gazeno, quibus admonebatur plurimas eaſque graviſſimas in Eccleſiaſticam diſciplinam irrepſiſſe corruptelas, Joſephum Aſſemanium in Syriam legatum miſit, qui in Keſroano ad Montem Libanum convocato concilio, collabentem Maronitarum diſciplinam in priſtinum ſplendorem reſtituit.

Inchoatus eſt annus 1737. & Luſitaniæ, Hiſpaniarum, Neapoliſque Reges in eo adhuc perſeverabant, ne Pontificii Oratores ad ſua repetenda munia redirent; in quo perferendo Clemens Dei bonitate ac teſtimonio conſcientiæ fretus admirabilem ſane facilitatem, vel potius animi altitudinem oſtendit. Non enim ignorabat, æquum animum haudquaquam mediocre eſſe ærumnæ condimentum. Interea Cardinalis Aquaviva, quem

Nea-

Neapolitanæ commorationis pertæſum mirum deſiderium tenebat Urbis, nihil prætermiſit, quantum eniti potuit, quin reditum a Clemente, atque a Catholico Rege impetraret, cujus ſibi facta poteſtate, Romam venit, quo etiam Cardinalis Belluga prius acceſſerat. Neque tunc ullus amplius illatus eſt ſermo de obtinenda ſatisfactione injuriarum gentis Tranſtyberinæ, quas perpetua oblivione delendas cenſuit Aquaviva. De gravioribus nonnullis conſtituendis controverſiis, quæ Pontifici cum Hiſpaniarum Rege jam diu intercedebant, agi cœptum eſt; cui rei illud vehementer ſuffragari videbatur, quod Gaſpar Molina Malachæ Epiſcopus, qui ſummæ rerum agendarum in Hiſpanico Regno præerat, quemque Rex Cardinalem nominaverat, valde de honore aſſequendo ſollicitus erat. Itaque feliciter confecta res eſt magna ex parte ſimilibus conditionibus, de quibus ſedente Pontifice Clemente XI. convenerant Marchio Compoſtæ, & Pompejus Aldrovandus ad eam rem deſtinatus, quæque nunquam firmæ ratæque habitæ fuerant. Illarum hæc fuerat ſumma: ut Eccleſiarum immunitas circumſcriberetur, utque promulgata de Homicidis conſtitutio, de qua ſupra diximus, ad Hiſpaniarum Regnum extenderetur: ut monerentur Epiſcopi de ſervandis Concilii Tridentini Decretis, quæ de Clericorum ordinatione interpoſita fuerant: ne cui temporaria beneficia erigere liceret; cautumque, ne in conſtituendis Clericorum patrimoniis, Regio ærario quid eſſet fraudi: ut appellationes cauſarum beneficiorum, quæ ſummam viginti quatuor aureorum ducatorum excedunt, necnon juriſdictionis, matrimonii, decimarum, & juriſpatronatus, hiſque ſimilium fierent ad Pontificem; ceteræ vero cauſſæ, utpote levioris momenti ordinariis locorum judicibus committerentur: ut judicium eſſet Epiſcoporum deſignandi poſt conſueta certamina magis idoneos, qui Parœcias regerent, quoties earum conferendarum Pontifex ſua facultate uti deberet; iiſque ne imponerentur penſiones, decretum eſt: ut beneficiorum reditus ex integro taxarentur: ne cui quis daretur in Canonicatu adjutor ſine teſtimonio Epiſcopi non modo de ejus ſcientia & honeſtate, ſed & de neceſſitate & utilitate Eccleſiæ; neve penſionis onere gravaretur: ne Pontificio Oratori amplius facultas eſſet dimiſſorias, ut ajunt, litteras concedendi: ne is, uſquedum memorata taxatio abſolveretur, ſuo jure uteretur conferendi beneficia, quæ ſummam vigintiquatuor ducatorum non excedunt, niſi judicio Epiſcoporum, ac certis teſtimoniis de eorum cenſu conſtet: ne eidem cauſſas amplius delegare liceat, præterquam judicibus Synodalibus, vel aliquibus Dignitates in Eccleſiis Cathedralibus obtinentibus: ut tertia pars fructuum Eccleſiarum vacantium in earum & pauperum ſubſidium aſſignaretur. Ad conſtituendam vero controverſiam Beneficiorum juriſpatronatus conventum fuit, ut ultro citroque aliqui eligerentur, quibus cauſſæ cognitio committeretur; & interea temporis, ne quidquam ab Hiſpaniæ Rege moveretur, ſed beneficia, quæ ad eam controverſiam pertinerent, a Pontifice, eorumque ordinariis collatoribus ſuis menſibus conferrentur. Quibus rebus ita compoſitis, Pontificius Orator Matritum vocatus, ibique honorifice eſt exceptus.

Hoc negotio confecto, Clemens in eam curam & cogitationem incubuit, ut Regis quoque utriuſque Siciliæ animum ſibi conciliatum redderet, quocum maximæ erant ortæ contentiones de rebus præſertim ad immunitatem, ad beneficia, & ad juriſdictionem Eccleſiaſticam pertinentibus. Mittitur ab ipſo Rege Romam Præſul Cæleſtinus Gallianius, qui ſuam voluntatem proponeret. A Clemente vero quatuor eliguntur Cardinales, ſcilicet Firraus, Gentilis, Paſſerus, & Spinellius, qui cum eodem agerent, ſibique in deliberando de maximis rebus conſilium darent. Quum in colloquium ventum eſſet, ad quod adhibiti etiam fuerant Aquaviva, & Belluga, poſtulata deferuntur, quæ ubi audita ſunt, Clemens ſe accepturum negavit, quippe quæ intolerabilia eſſe ſibi viderentur. Nihilo tamen ſecius ſumma conſtantia illa ſuſtinere manereque in propoſito Gallianius jubetur. Verum Clementi præſtare viſum omnes perpeti difficultates, quam iis non reſiſtere. Itaque invictum ſemper ſe præbuit, nec niſi tolerabilioribus conditionibus ſe tranſacturum oſtendit. Interim aliæ de integro conditiones feruntur; ſed res convenire hoc anno nullo modo potuit.

Eodem quoque tempore actum & cum Rege Luſitaniæ eſt, ſi quo tandem modo is ad priſtinam concordiam reduci potuiſſet. Erat illa quidem non mediocris difficultatis poſtulatio, ut omnes, qui Ulyſſiponenſes Patriarchæ deſignati fuiſſent, illico in Cardinalium collegium adlegerentur. At timens Clemens, ne omnino negando Regis animus magis abalienaretur, de quorumdam Cardinalium ſententia conſilium cepit concedendi illius poſtulationi, ut omnes Ulyſſiponenſes Patriarchæ Cardinales fierent, ſub ea tamen conditione, ut id loco nominationum eſſet, repræſentando ſcilicet id, quod in ſingulis comitiis, quibus Regibus facultas eſt ad Cardinalatum nominandi, erat conferendum. Atque ex hoc tempore viſa eſt reconciliata Pontifici Regis voluntas eſſe.

Habuit & controverſiam Clemens cum Joanne Gaſtone Magno Etruriæ Duce. Controverſiæ materiam dedit electio Epiſcopi Piſcienſis, quum mortuo Bartholomæo Puccio eſſet alter in illius locum ſubrogandus. Mos eſt Magno Duci, quatuor, quos digniſſimos Sacerdotio judicat, nominare, ut ex his quem velit Pontifex eligat; quumque a ſuperioribus Pontificibus hoc datum fuerit ſingulari Coſmi III. in Sedem Apoſtolicam pietati, ut qui gratiſſimus illi extitiſſet, is maxime optaretur, id ſibi quoque indulgentiæ concedi Joannes Gaſto magnopere contendebat. Non omnino reſtitit Clemens Deceſſoris ſui motus exemplo; ſed erant cauſſæ, cur hoc tempore illius commendationis rationem habere nollet; unde factum eſt, ut quem ex omnibus Epiſcopum delegit Pontifex, is munus per vim (quamquam id ſe voluntate feciſſe declaraverit) renuntiare coactus fuerit. Neque tamen Clemens in propoſito ſuſceptoque conſilio non permanſit, voluitque ut excluſo, quem prius reſpuerat, candidato, alii de integro deſignarentur. Id quum obtinuiſſet, quaſi ſatisfactione accepta, non dubitavit amplius illum potiſſimum eligere, quem habuit a Joanne Gaſtone commendatum; & hoc ſervatum poſtea perpetuo eſt.

Comitem Nicolaum Bielkium in Svetia ex ampliſſima familia natum, quam duæ præſertim Reginæ illuſtrarunt, ob ejuratos Lutheranæ hæreſis errores exulem & extorrem a patrio ſolo re & fortuna fulſit, atque ſuſtinuit. Quumque obitu Marii Frangipanii, Urbis Senator eſſet creandus, & propter amplitudinem magnitudinemque poteſtatis hic honos a multis ſumma ambitione contenderetur, Clemens uni Nicolao præ cæteris mandandum cenſuit, viro plane propter multas ejus virtutes meritiſſimo, & in quo ornando non parum laudis ipſe adeptus eſt. Nova jam abſoluta Lateranenſis Baſilicæ facie, quo Pontificis munificentiæ perpetua maneret memoria, ei ſtatua in Eccleſiæ porticu decreta fuit. Qua gloria tantum is abfuit, ut illa ſublata, Conſtantini Magni Cæſaris ejuſdem Baſilicæ conditoris vetuſtiſſimi artificii ſtatuam in eadem baſi poni curaverit. Ad impetrandam a Deo opem, auxiliumque in omnibus iis rebus, quæ ad Chriſtianam Rempublicam conducerent magis, ſolemni ritu magnificoque apparatu in eadem Lateranenſi Baſilica XIII. Kal. Quintilis, feſto Deo Trino & Uno, Sanctorum albo inſeruit Vincentium a Paulo, Joannem Franciſcum Regis, Julianam Falconeriam, & Catharinam Fliſcam Adurnam; neque multo poſt decimo nimirum Kal. ejuſdem menſis Joſephum a Leoniſſa titulo Beati legitime decoravit.

Quoniam ad hunc locum perventum eſt, non alienum eſſe videtur leviter tranſire, ac nonnulla tantummodo perſtringere de Lateranenſi Triclinio, in quo Romani Pontifices non modo Reges, & Imperatores convivio excipere, ſed & ipſi quoque una cum Cardinalibus ſolemnioribus diebus publice accumbere, aliaque obire munia conſueverant. Extruxerat illud Leo III. an. DCCXCVI. quumque vitium feciſſet, ſexaginta poſt annos Leo IV. reſtituendum curavit. Locum undique ornabant porphyreticæ, ac pariæ columnæ, nec non marmoratum pavimentum ſimulacris diſtinctum, & inſuper tres abſides vermiculato opere pictæ, quarum primaria, quæ de tota ædificii mole hodie tantummodo ſupereſt, Chriſtum repræſentat pacem diſcipulis in cœnaculo nuntiantem, ad indicandum redditam Eccleſiæ tranquillitatem ob extinctam a Carolo Magno ſceleratiſſimam conſpirationem, quam Paſchalis, & Campulus adverſus Leonem conflaverant; & hinc inde Summos Pontifices Hadrianum, & memoratum Leonem una cum Rege Carolo, quorum primus a Chriſto claves, alter a S. Petro Pallium, ab utriſque vero, ſcilicet tum a Chriſto, tum a Petro Carolus vexillum accipit, inſigne ſibi delati ab iiſdem Pontificibus Hadriano & Leone Romani Patritiatus honoris. Præclarum hoc Chriſtianæ antiquitatis monumentum, quum ad laxandam ejuſdem Conſtantinianæ Baſilicæ aream neceſſe eſſet demoliri, de illo ſalvo conſervando Clemens jure optimo ſibi cogitandum putavit. Hæc primum rei perficiendæ inita ratio eſt, ut ſecata abſis integra per pontem ligneum ad S. Laurentii ſacellum, quod pedibus CLXVIII. diſtabat, tranſportaretur, ibique in novo ædificio, cujus jacta fuerant fundamenta, collocaretur. Verum quum id fieri non poſſet ſine ſumma impenſa ac difficultate, quod erat periculum, ne movendo molem totum Muſivum diſſolveretur, cujus plurimæ jam erant luxatæ teſſerulæ, Clemens priori abjecto conſilio, quod facile, expeditum, & ſecurum erat decrevit. Itaque imagini-

bus prius optima fide ad exemplar coloribus expreſſis, teſſellas reſolvere, eaſque aſſervari juſſit, ut poſtea de integro in priſtinam ac ſtabiliorem formam componerentur: quod ut minori incommodo fieret, bis nummorum aureorum millia occupavit. Hæc, quorum certiſſimi ſunt teſtes, ſane fugiſſe videntur authorem inſcriptionis eidem Triclinio appoſitæ, ut eſſet indicium ad memoriam ſempiternam reſtituti operis per ſummum Pontificem Benedictum XIV. qui non veritus eſt aſſerere antiquiſſimum hoc monumentum vel artificum imperitia, vel rei difficultate diffractum, ac penitus disjectum fuiſſe, quum illud integrum loco moveri juſſiſſet Clemens, cui ſane errori, ne quis ſua laude fraudetur, aliqua ratione proſpectum velim.

Exitu hujus anni quum Clemens Cardinalem creaſſet Thomam Almeydam Ulyſſiponis Patriarcham, Luſitaniæ Rex ad ſuum munus revocavit illius Oratorem; nominatique tandem aliquando ſunt, qui ad vacantium illius Regni Eccleſiarum regimen legerentur. Lætus igitur Clemens de reconciliata concordia, litteras ad eundem Regem plenas amoris dedit, in quibus illud oſtendit, non ideo ſe reſtitiſſe illius poſtulatis, quod ſibi voluntas ejuſdem ornandi defuerit, ſed quod ad ſuum officium pertinere arbitratus eſt, ne nimis prodigus in decernendis honoribus, & in elargiendis beneficiis eſſet.

Magna cura & ſollicitudine liberatus Clemens ob factam reconciliationem cum Hiſpaniarum, & Luſitaniæ Regibus, nihil magis optabat, quam ut res quoque Neapolitanæ componerentur. Et ſane æquiſſimis conditionibus cum Præſule Gallianio tranſactum fuit; quæ tamen ratæ minime fuerunt, quum placuiſſet Carolo Regi de iis conſulere Togatos, qui cenſuerunt eas magna ex parte reſpuendas & majora quærenda eſſe. Itaque nihil aliud poſtea conventum eſt An. 1738. quam ut Clemens eidem Carolo diploma daret, quo utriuſque Siciliæ regni dominatum in eo firmaret. Qua re conceſſa, Pontificius Orator, qui Nolæ tunc erat, Neapolim revocatus eſt, & Comeſtabilis Columna ipſius Regis nomine, quod perſolvi tributum ſolet, Pontifici publice ac ſolemniter obtulit. Clemens vero quo magis voluntatem ſuam ac ſtudium in Carolum declararet, non modo Mariam Amaliam Auguſti III. Poloniæ Regis filiam eidem Carolo nuptum collocatam magnificentiſſime ubique locorum ditionis ſuæ excipi curavit; ſed etiam Cruciatæ, ut vocant, illi diploma conceſſit, inſtitutumque ab eo nobiliſſimum equitum S. Januarii ordinem Apoſtolicis litteris confirmavit.

Bello vix Cæſar expeditus, quo illum Hiſpani & Galli, ut intellectum eſt, proſequuti fuerant, arma adverſus Turcas tulit, ut Moſchis ſibi fœdere junctis auxilio eſſet. Neque vero quiſquam alius inventus eſt, qui ſe immiſcere huic bello voluerit, quod neque neceſſarium, & intempeſtive ſuſceptum omnes ferebant. Itaque Cæſar, qui ſibi magnum in Clemente præſidium ponebat, ab eo de fœdere ſacro ſolicitando poſtulavit. Hoc fœdus ſacrum, cujus Pontifex patronus & ſequeſter eſt, initum fuit Innocentio XI. authore an. 1682. quo tempore Turcarum Rex teterrimum ac periculoſiſſimum bellum adverſus Cæſarem movit. Jurarunt illud apud eundem Pontificem Innocentium Cæſar, Polonorum Rex, ac Venetorum Reſpublica, eoque ſe obſtrinxerunt ſibi invicem auxilium ferendi, quibus maximis viribus poſſent, quoties quis eorum a barbaris peteretur. Verum quum intelligeret Clemens huic locum minime eſſe, eo quod bellum a Cæſare commotum, non ipſe a Turcis provocatus fuiſſet, vehementer ſe dolere Cæſari reſpondit, quod ejus voluntati mos in hoc geri non potuerit: de reliquo & pro ſua ſingulari charitate, quam in illum habuit ſemper, & pro ſuo flagrantiſſimo ſtudio in Catholicam Religionem, omnia a ſe officia expectaret. Itaque Pontifex ipſe litteras ad Polonorum Regem, & Venetorum Rempublicam miſit, quibus ab iis petiit, ac ſumme contendit, ut ad Cæſaris arma ſua quoque jungerent: magnopere enim illorum intereſſe debere communem opprimi hoſtem. Ad Deum propitiandum Jubilæum, aliaſque ſupplicationes indixit. Quo vero Cæſarem opibus juvaret, facultatem illi conceſſit exigendi ex Germaniæ Sacerdotiis centum & viginti florenorum millia; quam liberalitatem etiam propria pecunia rogatus auxiſſet, niſi ærarium ob tot incommoda ſuperioribus annis accepta, cauſſa præſertim Italici belli, adhuc exhauſtum eſſet. At quum ei nuncius allatus fuiſſet, magnum Chriſtianorum militum numerum eſſe, qui gravibus afflicti morbis, omnibuſque rebus egeni in Hungaria tenebantur, his ut ſuccurreret dedit de ſuo privato ærario duodecim mille aureos: quo exemplo excitati plurimi Cardinales, nonnulli Epiſcopi, Ordinumque Magiſtri, ipſi quoque pecuniam in eandem cauſſam contulerunt, adeo ut quadraginta aureorum millium ſumma conflari potuerit. Verum quum ex ea poſt reconciliatam pacem tertia prope pars ſuperfuiſſet, hanc in egentiſſimas quaſdam ejuſdem Hungariæ Regni parœcias Clemens diſpertiri juſſit. Obtulit & Cæſari magnam vim argenti extrahendam e mole Hadriani, ubi ad quinquagies centena aureorum millia aſſervari dicuntur, quoties ſibi Parmæ & Placentiæ Ducatus per eum reſtitueretur: quæ tamen conditio rejecta fuit. Nec mediocrem laudem Clemens in eo reportavit, quod a fidelium communione ſeparaverit Principem Ragoſium, eo quia nefarias cum Turcis pactiones, ſocietatemque adverſus Cæſarem conflaverat. Sed quandoquidem Deus aut ſuos tuetur, aut a violatoribus graves pœnas exigit; ſic non multo poſt idem exſecratus Princeps miſerandum in modum vitæ finem implevit. Ceterum infeliciſſimus hujus belli exitus fuit. Nam prælio victis Cæſarianis, capta Orſova & Tauruno maxima multitudine obſeſſo, vehementiſſimeque oppugnato, Cæſar pacem petere, & a Barbaris conditiones accipere coactus fuit.

Satis conſtat, Patriarcham Aquilejæ, Diœceſim ſuam nedum in ditione Veneta, ſed etiam intra Auſtriacum Imperium protendiſſe: quumque Reſpublica Veneta illius nominandi nullum unquam Imperatori locum reliquerit, hinc plurima ſemper orta diſſidia. Urgebat per id tempus Cæſar, ut a Pontifice Vicarius crearetur Apoſtolicus, qui Epiſcopi munere in ſubjectis ſuæ ditioni locis fungeretur. Clemens quidem facile eo adduci paſſus eſſet, ut Vicarius natione Germanus, atque Epiſcopali charactere inſignitus iis præeſſet regionibus; ita tamen, ut a Patriarcha eligeretur, ab eoque penderet. Quin etiam nonnullorum Canonicatuum, aliorumque Sacerdotiorum collationem Cæſari ſe conceſſurum oſtendit. Sed eo minime eſt ille contentus; conditionemque conſtantiſſime rejecit. Itaque Clemens, cui maxime cordi erat, ut vetus ac perniciosiſſima dirimeretur controverſia, quibus aliis remediis huic malo occurri poſſet, cogitare cœpit. Sed quod ſummis votis optarat, morte interceptus perficere non potuit. Hanc igitur curam quum ſuſcepiſſet Benedictus XIV. undecimo illius Pontificatus anno conventum tandem eſt, ut ex uno Patriarchatu bini fierent Archiepiſcopatus, alter Goritienſis, alter Utinenſis dictus, qui nihil inter ſe haberent commune; ſed eorum quilibet iis terminaretur regionibus, quæ Cæſaris, & Reipublicæ definiebant imperium.

Idem Pontifex Benedictus XIV. ortas hoc tempore controverſias quaſdam inter Clementem & eos qui ſedebant ad Etruriæ gubernaculum nomine Franciſci Lotharingiæ Ducis, qui in extinctæ proxime ſuperiori anno 1737. Mediceæ familiæ locum ſucceſſerat, diremit. Nam mortuo Principe Scavolini, qui erat ultimus ſuæ familiæ, ii contendebant ſibi illius oppidi adjectorumque illi pagorum poſſeſſionem eo jure deberi, quod olim in Reipublicæ Florentinæ clientela fuerant; quodque inter hanc & Majores defuncti Principis jam tunc conventum fuerat, ut ipſa ſuccederet, quoties vetus hæc & illuſtris familia extingui contigiſſet. Contra ea Clemens jura Marchionis de Cavaleriis legitimi hæredis (erat enim Sororis filius) tuebatur; in quo & ſupremum Sedis Apoſtolicæ dominium vindicabat. In his diſceptationibus, quum decem & ultra anni conſumpti fuiſſent, tandem ex æquo & bono conſtituta res eſt, revocatiſque præſidiis, quibus ea loca occupata fuerant, licuit eidem Marchioni de Cavaleriis in illorum poſſeſſionem venire.

Inter hæc Clemens Conſtitutionem edidit, qua occultos congreſſus ſocietatemque vulgo dictam *de' Liberi Muratori* damnavit, exſecratuſque eſt. Id ipſum quoque præſtitit Benedictus XIV. an. 1751. quum horum hominum ſecta jam pœnarum oblita, ut tabes quædam longe lateque pervaſiſſe diceretur. Fecit & ſcitum Clemens de augendo navium numero, quas habet Religio Hieroſolymitana ad mare tutum præſtandum adverſus Turcas & prædones. Patribus, ut vocant, Diſcalceatis Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis redemtionis captivorum Congregationis Hiſpaniæ petentibus multa in Sodalitatis incrementum liberaliter indulſit. Etenim quum Priorum Pontificum de eodem Ordine judicia rata, firmaque eſſe voluit, tum novas ſibi propoſitas inſtitutiones atque decreta publico diplomate comprobavit. Idem innumeris prope in Ordinem Prædicatorum conlatis a Benedicto XIII. privilegiis modum quemdam eſſe voluit, aliaque nimis liberaliter conceſſa partim, adhibita temperatione, cohibuit, partim omnino repreſſit ac revocavit. In conſervanda, quæ vigebat, antiqua Religionis diſciplina, & in corrigendis quæ irrepſerant vitiis, quanquam plurimam curam vel a primis imperii diebus ſuſceperit, non rigidam tamen ſeveritatem ſectatus eſt: quumque admonitus a quibuſdam Cardinalibus fuiſſet, pleroſque illorum, qui ſacris initiati eſſent, ſecus quam vetuerat Benedictus XIII. fictitiam comam gerere, ſe quidem id facile paſſurum reſpondit, dum illi

mol-

mollitiem non affectantes, neceſſitatique tantummodo inſervientes, mores ita informarent, ut & ſanctimoniæ & pietatis exemplo ceteris prælucerent hominibus.

Per idem tempus miſſus a Rege Sardiniæ Romam venit Comes Rivera, qui vel in primis egit cum Cardinalibus Corradino, & Gentilio de controverſiis componendis, quas inter Pontificem, & ſuum regem intercedere oſtendimus. Res huc deducitur, ut Rex Pontificem ſupremum dominum agnoſcat Feudorum Aſtegianæ, S. Benigni, nec non Maſſerani, Crevalcoris, & Tigliolarum; utque milites iis locis dimittantur, quorum poſſeſſionem ab initio diſcordiarum occupaverant. Decernitur, ut Rex, cui binos poſt menſes regendorum oppidorum danda erat perpetua vicaria poteſtas, pro ea Pontifici annuum bis mille aureorum cenſum exſolveret. Is ne majora exigeret a populis tributa, quam quæ ſub imperio Romani Pontificis impoſita fuerant, paciſcitur. Convenit etiam de beneficiorum & penſionum collatione; actumque de immunitate Eccleſiaſtica, adeo ut ab omnibus ventum ſit in ſpem fore, ut brevi lites componerentur: quod cum morte interceptus ad exitum optatum perducere non potuiſſet Clemens, novus in Apoſtolica Sede ſucceſſor Benedictus XIV. confecit.

Clementi corpus jam annis infirmum, mens tamen adhuc acris & vigens erat, quo rebus imperii conſulere non deſineret. Re quidem vera, ut ait ille, non viribus, aut velocitate, aut celeritatibus res magnæ geruntur, ſed conſilio, ratione, atque ſententia. Mirum dictu! Quamvis ad ejus ſenectutem accederet, ut cæcus pene eſſet, languenſque viribus, & morbo ſæpe afflictus in lecto decumbere his temporibus, nempe an. 1739. cogeretur; tamen Cardinalium concilia habebat, neminique ad ſe aditum præcluſum eſſe volebat. Leopoldus Antonius Salisburgi Archiepiſcopus, inſigni virtute ac pietate vir, nulla quum magis augeretur cura, quam ut intemeratam fidem tueretur adverſus eos, qui illam aliqua ex parte labefactare conarentur, atque ob id ipſum e ſuæ Diœceſis regionibus ſupra duobus & viginti millibus hæreticis pulſis, longeque amandatis, ingenti cum ſuorum populorum utilitate pravæ religionis prohibuit contagia. Neve iterum hæreſi pullulante illæ gentes de veræ religionis tramite hominum fraude deducerentur, ſtatuit nuntiare Pontifici fore quam maxime ad id accommodatum viros moribus & eruditione præſtantes e quatuor religioſis familiis conquiſitos, videlicet S. Benedicti, Cappucinorum, S. Auguſtini, & Recollectorum S. Franciſci, in ea loca mittere, qui Chriſti Evangelii præcones de Catholica fide benemererentur. Is leges & inſtitutiones præſcripſit, quæ ſi placeant, in ſemet totius negotii expenſas recepturum pollicitus eſt. Clemens hæc lætus adeo audivit, ut ſine cunctatione editis litteris non ſolum rite ſancteque inſtitutas miſſiones comprobaverit, verum etiam glorioſo muneri deſtinandis plurima largitus ſit privilegia.

Mortuo Carolo Majella, poſtquam treſdecim annos Summis Pontificibus Benedicto XIII. & Clementi præclaram operam navaſſet in munere ſcribendarum Epiſtolarum ad Principes, ad hanc obeundam Provinciam Clemens legit Joannem Vincentium Luccheſinium Lucenſem, virum præſtantem omni laude virtutis, eundemque liberalibus diſciplinis, ſed in primis græcis latiniſque litteris doctum, quod judicare licet ex iis orationibus Demoſthenis, quas in latinum ſermonem vertit, & ex hiſtoria, quam latine pariter ſcripſit, de rebus quæ ſuo ævo contigerunt, in qua cum ſibi Thucydidem ad imitandum propoſuiſſet, neque verborum gravitas, neque ſententiarum majeſtas, ſed fluens quædam & tracta oratio deſideratur.

Sanctus Marinus parva Italiæ civitas, intra fines Pontificiæ ditionis & Etruriæ ſita, æquis florebat legibus: at diſſidentes inter ſe plebis & Optimatum animi cuncta miſcere cœperunt. Igitur motu facto invocabat populus Romani Pontificis ſubſidium, penes quem ſummi imperii jus eſt, ſed iſtud patrocinium potius quam imperium poteſt nunc nominari. Cardinalis Alberonius, qui finitimam Æmiliæ Provinciam Legatus adminiſtrabat, quique alias tentaſſe dicitur, ut civitas S. Sedi omnino ſubjiceretur, urſit iſtam occaſionem, qua meliorem reperiri nunquam poſſe arbitrabatur, nuntiatque Pontifici acriter eas gentes vexari, paucorumque factione oppreſſas teneri: idcirco orare, ut afflictis ſuccurrat, neque per intermiſſiones intervallaque ſpem illarum leniorem faceret; negare in pace unquam futuras, niſi Pontificis ditioni ac poteſtati ſubjectas. His acceptis, Clemens Cardinali reſponſum dedit, quod ſi in propoſito permanere viderentur, earum finibus adeſſet, quotieſque pleraque ſaniorque pars populi ultro Pontificis authoritatem expoſceret, urbis poſſeſſionem caperet. Quo enim plus quis poteſt, eo moderatius imperio uti debet. Verum contra ea Alberonius eductis bis centum militibus, ſatellitumque multitudine urbem invadit, occupataque arce ad VIII. Kal. Novemb. in æde maxima jubet Magiſtratus principes dicere Sacramentum ſe ſemper in fide manſuros, neque Romanum Pontificem unquam deſerturos. Hoc idem multi formidoloſi jurant, alii recuſant, nonnullique re nova perterriti urbe dilapſi ſunt. Omnibus locis fit irruptio, multæ domus prædantur, & ex civibus unus Ravennam in carcerem perducitur. Id poſtquam a Clemente reſcitum, non potuit non magnopere factum improbare, atque illuc delegavit Henricum Henriquezium Peruſiæ Gubernatorem, virum ſane Majoribus ſuis digniſſimum ob ſpectatam illius multis, magniſque in rebus fidem, integritatem, atque ſapientiam, qui ſatellitio, militibuſque dimiſſis exploraret, utrum omnium conſenſu ad eum deferretur imperium; qua ultro oblata poteſtate, res publice jurejurando, ac fide ſanciretur; ſin minus, eorundem confirmatis privilegiis, ſumma ope tenderet, ut alienati inter ſe plebis & Nobilium animi conciliarentur. Eo ſub anni 1739. finem quum veniſſet, mandata diligenter perfecit; etenim cujuſque ordinis cognita voluntate, S. Marinum in libertatem aſſeruit; jus, atque ſupremum Sedis Apoſtolicæ dominium ſuſtinuit, Prætorem creavit, non pauca deſcripſit; Magiſtratum, qui tantum e viginti quinque civibus conſtabat, in antiquum numerum ſexaginta reſtituit: quibus aliiſque conſtitutis, perturbatum Reipublicæ ſtatum ſumma felicitate compoſuit.

Mariæ Thereſiæ Archiduciſſæ Auſtriæ, quum Florentiam hoc anno adveniſſet, Clemens Roſam auream per Legatum miſit. Et qui ſemper liberaliſſimus, munificentiſſimuſque fuit, quum ſolvenda ſibi eſſent a Bononienſibus quadraginta quinque aureorum millia, quæ ſuperioribus annis dedit ei mutuo, horum viginti quinque millia aſſignavit ad avertendas ab illorum agro alluviones, bina millia Seminario attribuit, decem vero millia deſtinavit in beneficium illius Academiæ, quæ ad naturæ leges, & ſyderum cœlique motus inveſtigandos conſtituta fuit. Cujus rei ne moreretur memoria, ſimulacrum Pontificis in ejuſdem Academiæ majori aula poſitum fuit, hac adjecta inſcriptione

CLEMENTI XII. P. M.
CVIVS MVNIFICENTIA
LOCVM BIBLIOTHECÆ
AMPLISSIMVM EXCITAVIT
INSTRVMENTIS ASTRONOMICIS
MIRO ARTIFICIO LONDINI CONFECTIS
SPECVLAM DITAVIT
SENATVS PRINCIPI OPTIME MERITO
M. P.
CVRANTIBVS INSTITVTO PRÆFECTIS
ANNO MDCCLVIII.

Vaticanam quoque Bibliothecam, quam novo ædificio, armariis, pluteis ampliaverat, liberaliter quoque ornavit magna vaſorum Etruſcorum varias picturas referentium copia; in eamque inſuper contulit ſummo pretio coem-

coempta antiqua numiſmata, maximi, ut appellant, moduli, numero trecenta & duodetriginta, Græciæ & Ægypti Regum, ac Romanorum Cæſarum formas exprimentia, quæ Cardinalis Alexander Albanus privato ſtudio collegerat, & Rodulphinus Venutus Cortonenſis eruditis commentariis explicaverat. Atque hæc omnia ut diligentius cuſtodita poſteris perpetuum ſui erga litteras diſciplinaſque amoris monumentum exhiberent, hoc anno IX. Kal. Septemb. Sixti V. Pont. Max. edicta confirmavit, novaque edixit.

Interea vero aſſiduis oppreſſus curis, ſenioque prope jam confectus, in illam corporis ægritudinem, qua ſæpius afficiebatur, graviter adeo incidit, ut podagræ, quæ vel in viſcera ingruerat, doloribus vexatus, inſuperque ſæviente febri, dubia ſpe vitæ in extremo verſaretur diſcrimine. Adhibitis tamen remediis febris diſceſſit, leviorque morbus factus eſt. Igitur e præſenti vitæ periculo ereptus ad priſtinas occupationes rediit, aperte declarans ſollicitudinem ac ſtudium ea exequendi, quæ ſui muneris & officii eſſe viderentur. Ad perſequendum bellum, quod Rex Catholicus adverſus Anglos gerebat, ei veniam dedit ex ſacris in Hiſpania reditibus vicies centena millia nummum corrogandi. Jus nominandi ad Sacerdotia in Lotharingiæ & Barii Ducatu exiſtentia, nonnullis tantum exceptis, Chriſtianiſſimo Galliarum Regni indulſit. Oblatas ſibi Conſtitutiones Monachorum Maronitarum, ordinis S. Antonii Abbatis Congregationis Syriæ, S. Iſaiæ nuncupatæ, approbavit, idque publicis litteris teſtatum voluit.

Tali modo quum ad Januarii finem ann. 1740. perveniſſet, tanta vis ſubito morbi prorupit, ut inevitabilem ei attulerit vitæ finiendæ neceſſitatem. Urinæ enim difficultas eum prorſus ſomno privarat, febriſque non modo, ſed & pituita acceſſere. Ipſe quamvis gravi & mortifero morbo oppreſſus, nunquam tamen ullam vocem parum conſtanti homine dignam emiſit, mortemque ita oppetiit quaſi ex æſtuoſo Euripo ad tranquilliſſimum portum eſſet enataturus. Non enim male facti conſcientia agitabatur; qua in re animadverſum eſt, Fratri Barberinio Concionatori Apoſtolico, deinde Archiepiſcopo Ferrarienſi, qui tum in extremis ei aderat, eumque hortabatur ut Deum, ſi quid in Apoſtolatus munere deliquiſſet, deprecaretur, ingenue illum profeſſum fuiſſe *ſe, quantum noſſe poterat, in eodem munere nihil egiſſe, quod a recti juſtique tramite abhorrere credidiſſet*. Quum igitur ingraveſceret in horam morbus, ſacroſanctum Chriſti Domini Noſtri Corpus ſumma veneratione ſuſcepit, poſteaque ſacro Oleo inunctus eſt. Sic omni apparatus inſtrumento ac viatico, quod Chriſtiano more tribui atque impertiri ſolet, ex hac vita demigravit poſtridie Nonas Februarii an. 1740. hora fere decima ſexta. Vixit annos circiter octoginta octo, Pontificatum geſſit novennio, & ſex menſibus, diebuſque XXV. Corpus ex Ædibus Quirinalibus ad Vaticanam Baſilicam noctu maxima frequentia populi, ac bonorum omnium alto ſilentio mœſtitiam ac dolorem teſtantium, translatum eſt. Tertio die Novendialium juſtorum, quæ Pontifici ex veteri inſtituto perſolvuntur, Æneas Sylvius Piccolomineus de laudibus illius diſcretam habuit orationem. Depoſitus eſt in eadem Baſilica eo conſilio, ut poſtea in Lateranenſem (ita enim ipſe præſcripſerat) aſportaretur, ac ſub porphyretico Mauſoleo, quod ſibi vivens poſuerat, collocaretur.

Statura fuit juſta, optima corporis temperatione, facie decora, magnamque dignitatem ac gravitatem præferente, colore ſubalbicanti, naſo oblongo & adunco; oculos item habuit cæruleos, & labium ſuperius prominens. Plures ei animi virtutes fuerunt, pietas in Deum, in egenos beneficentia, erga omnes, ac viros præſertim litteratos, & ſtudiis doctriniſque deditos liberalitas, in adverſis ſumma æquitas, divinæque voluntati conformatio. Affabilitatem cum majeſtate, lenitatem cum juſtitia ita conjunxit, ut una de altera nequicquam detraheret. Si quis unquam alius, fidei cultor, & propoſiti tenax fuit. In rebus præcipue gravioribus tractandis id habuit omnino, ut proprium non ſequeretur ingenium, ſed peritiſſimos conſuleret. Aditu facilis neminem quantumvis infimum a ſe arcebat, omnium expoſtulationes qualibet hora libenter audiebat, ac nihil æqua petentibus denegabat. In omni re decorum ſemper tenuit, nunquam exceſſit. Sic ſe gerendo mirum videri minime debet, ſi ipſe moriendo tantum omnibus reliquerit doloris, quantum attulerit vivendo lætitiæ.

Hæc ſunt, quæ de Clementis vita rebuſque geſtis nobis erant commemoranda. Quibus non pauca alia non pigebit adjicere. Ut occurreret in primis ac provideret ei malo jamdiu in Germania pernicioſe introducto, quod unus ſæpe Epiſcopus plures ſimul adminiſtret Eccleſias, motu proprio vetuit, ne ulli deinceps, qui unius Epiſcopatu potiretur, venia concederetur, ut ad alium eligi poſſet, niſi cauſſa cognita: ſin vero duas obtineret Eccleſias, in Brevibus litteris, quibus ad aliam eligi permittitur, eam inſcribi conditionem juſſit, ne ad novam Eccleſiam aſſumeretur, quin unam ex prioribus dimiſiſſet; ei vero qui tribus jam eſſet implicitus, hoc indulgentiæ beneficium omnino denegandum. Edidit & monitum in Tabulario Congregationis Conſiſtorialis aſſervandum, quo præſcribitur, ut in poſterum cautius venia plurium Epiſcopatuum regendorum Germanis concedatur; & ne exempla tantummodo ſequantur, ſed cauſſæ perpendantur, adeo ut hujuſmodi Canonum relaxationes ex utilitate & bono Eccleſiarum, non autem perſonarum æſtimentur. Ad hoc declaravit non temere permittendum Epiſcopis tum Germanis, tum Polonis, ut plures ſimul retineant Dignitates & Canonicatus; ſed accurate diligenterque inſpiciendum, quid magis locorum, Eccleſiarum, & perſonarum habita ratione, ad majorem Dei gloriam conduceret.

Decretum etiam fecit, ne amplius facultas eſſet Conſiſtorialis Aulæ Advocatis ſibi adjutores impetrandi filios, vel fratres, alioſve, qui ſunt cum illis maximis vinculis propinquitatis conjuncti. Sanxit præterea, ut quoties ad hujuſmodi munus quis eligendus eſſet, Duodecemviri litibus judicandis tres curiæ patronos, quos digniſſimos judicaſſent, nominarent, quorum optio Summi Pontificis eſſet: ſalvo tamen earum nationum uſu, quibus ex Pontificum beneficio certus datus erat in eodem collegio locus. Voluit demum, ut qui factus fuiſſet Advocatus vel pauperum, vel Fiſci, ne ei alias cauſſas agere liceret, quam quæ ad officii ſui munus pertinerent.

Ordini Scholarum Piarum (qui ſane plurimum Clementis beneficentiæ refert acceptum) licentiam largitus eſt, ut cujuſcumque ordinis pueros atque adoleſcentes, vulgaribus non modo litteris, ſed iis altioribus atque gravioribus informare, prætereaque ſeminaria, collegia, contubernia, prævio duntaxat Ordinarii conſenſu inſtituere poſſent. Conceſſa a Leone X. P. M. privilegia Canonicis Eccleſiæ Florentinæ, in quibus erat primum, ut iidem Canonici inter Protonotarios Sedis Apoſtolicæ haberentur, renovavit, ac confirmavit. Tabellionis officium a Leone pariter X. nationi Florentinæ in Urbe degenti conceſſum, moxque interruptum reſtituit. Et hoc quoque graviſſimum ſuos in cives benevolentiæ, & charitatis fuit argumentum, quod ann. 1730. in Collegium Duodecemvirûm litibus judicandis cooptavit Hieronymum Samminiatum Florentinum, ut negatam illis a Benedicto XIII. alternam cum Peruſinis ſucceſſionem ſarciret. Ludovici Chriſtianiſſimi Regis poſtulatu, Divionem nobiliſſimum Burgundiæ Provinciæ oppidum, antea Ligonicæ Diœceſis, nova ibi conſtituta Epiſcopali Sede, civitatis nomine decoravit. Quibus in Signatura Juſtitiæ ſuffragii ferendi jus eſt, in publicis ac ſolemnibus equitationibus fieri ſolitis magno pallio utendi & Pontificii geſtandi galeri facultatem dedit.

Non multo poſt edictum promulgavit de reprimendis profuſis ſumptibus veſtium auro & argento intextarum. Verum, quod pudeat, tot fruſtra renovata edicta ſatis jam oſtendunt luxuriem cunctis factam eſſe ſuperiorem legibus, adeo ut neſcio, an magis expediat connivere in prævalidis & adultis hujuſmodi vitiis, quam ut propalam fiat, iis coercendis publicam poteſtatem imparem eſſe. Confirmata Paulli IV. Conſtitutione, cujus eſt initium *Cum Venerabiles*, decrevit, ut in ſubrogando Cardinalium Collegii Principe, ſeu ut nos loquimur, Decano, ex iis primas ferret, qui eſſet antiquior ſuburbanus Epiſcopus, quique ſubrogationis tempore Romæ commoraretur, vel Reipublicæ cauſſa, vel alio quovis Pontificis mandato alibi conſiſteret. Quæ omnia eo ſpectabant in primis, ut Decanus Romanæ Aulæ rationes calleret, earumque uſum, atque experientiam haberet. Ad hoc nonnulla de ſex ſuburbicariis Epiſcopatibus, Cardinalibus tantummodo conferri ſolitis, præſcripſit.

Primi Genuenſes ſortitionis aleam invenere, qua nonaginta ſeu amplius, pro locorum conſuetudine, numerorum teſſeris in urnam incluſis, publiceque verſatis, quinque ex iis ad luſorum lucrum ſortito educuntur. Dictu difficile eſt, quam longe lateque hujuſmodi aleæ libido hominum mentes occupaverit; quumque Innocentii XIII. permiſſu, qui etiam corollarium octoginta nummum in ſingulos centenos luſoribus præmium auferentibus addidit, Romæ ſortitio ageretur, grandis ex eo pecunia facta eſt, quæ alioquin extra imperii fines conceſſiſſet. At Benedictus XIII. valde dolens, ut in ejus vita dictum eſt, tanta eſſe homines dementia, ut inconſulta ſpe lucri maxima ſæpiſſime detrimenta facerent, quodque ineptiſſimum eſt, ſomniis & cabalis, ut ajunt, credentes ſuperſtitioſa ariolatione futurum ſe aſſequi poſſe confiderent, anathemate, aliiſque pœnis ſanxit, ne cuiquam ludendo pecunias exponere liceret. Verum ut fere humanum

manum ingenium vetita flagrantius appetit, cupitque negata, nullo modo tanta ludendi ſitis extincta eſt; ſed in dies magis Pontificiæ ditionis populi prorſus pœnarum obliti, tum Neapolim, tum Mediolanum, alioque magnam pecuniæ copiam mittebant. Plurima maximaque incommoda hinc proveniebant, illud in primis quod pœna triremium in luſores conſtituta, & multos amitti ſubditos, & non paucas peſſumdari familias neceſſe erat. Quæ omnia ſedulo perpendens Clemens remedium non negligendum exiſtimavit. Itaque rem ad Theologos defert, quorum complurium ea fuit ſententia, abrogandam Benedicti Conſtitutionem, adhibitaque certa ratione ac moderatione, ejuſmodi ludi genus, tanquam minus malum, Romæ reſtituendum. Propoſitam hanc viam ſequutus eſt Clemens, quamvis a nonnullis acriter reſiſteretur; & ne pecunia ditione extraheretur, eam in ſortem alibi conjicere vetuit, relicta etiam excommunicationis pœna iis, qui in ludendo pravas artes adhibuiſſent, ſuperſtitionibuſque ſe obligaſſent. Itaque, quum res agi cœpta eſſet, plurimum hinc Pontificium ærarium lucri fecit, unde Clementi data materies ac facultas magis ac magis exercendæ beneficentiæ ac liberalitatis. Nam ea pecunia multorum inopiam ſublevavit, & multas virgines ac mulieres, quæ propter paupertatem conditionem reperire non poterant, dote attributa, collocavit. Xenodochia, Noſocomia, Brephotrophia vel de novo inſtituit, vel reditibus auxit. Laborantes ære alieno Romanæ ditionis civitates ſublevavit. Plurima ædificia publica conſtruxit. Etenim Familiæ Pontificiæ deſtinatas ædes ab Alexandro VII. incœptas, eleganter atque magnifice perfecit. Templum infanti Jeſu ſacrum ad Eſquilini montis radices abſolvit. Ædes S. Petri in faſtigio Prænestini Montis conſtitutas reficiendas locavit. Vaticanam Bibliothecam, novo juncto ædificio, produxit, hancque armariis, pluteiſque inſtruxit, tum ad excipiendos Orientales Codices juſſu ſuo comparatos, tum ad aſſervandam editorum librorum ſupellectilem, quam eidem Bibliothecæ Angelus Maria Cardinalis Quirinius dono dederat, quum in Cardinalis Benedicti Pamphilii S. R. E. Bibliothecarii locum ſubrogatus fuiſſet. Hic, ut motæ de ſe apud Clementem expectationi reſponderet, utque ei pro collato munere gratum magis magiſque ſe præberet, aliquem ex Veteribus Eccleſiæ Patribus ope Vaticanorum Codicum emendatiſſimum edere conſtituit. E quibus vel maxime intendit animum in S. Ephrem Orientalis Eccleſiæ Doctorem, Prophetam Syrorum cognominatum, in quo legendo Photius profeſſus eſt admirari ſe, quantum permoveat animos, quam alte penetret, quantum delectet, quantum denique ſucci & ſanguinis, copiæ, & ſuavitatis pleniſſimus eſſet. Hujus igitur Operum, quæ ad nos pervenerunt, editionem cum latina interpretatione aggreſſus eſt, ejus rei cura vel in primis demandata Joſepho Aſſemanio Maronitæ ejuſdem Bibliothecæ cuſtodi, viro eruditione, & linguarum peritia maxime exculto, atque Petro Ambaracho, itidem omnigenæ litteraturæ Maronitæ, qui poſtquam in Piſano Athenæo ſacrarum litterarum Profeſſoris honeſto munere functus eſſet, Societati Jeſu nomen dedit. Quodque jam dudum fuerat in votis, ſumma tanto operi manus impoſita eſt, quum ſex volumina in lucem prodiiſſent.

Denique ad conſtruendam in Cœnobio Aræ Cæli Bibliothecam Clemens octo circiter aureorum millia contulit. Dedit & pecuniam pro reſarciendis monaſterio, & Eccleſia SS. Vincentii & Anaſtaſii ad Aquas Salvias. Urbanas vias lapidibus quadratis ſtravit, & Conſulares Romam ferentes triginta & ultra annorum incuria interruptas, ac pene impervias munivit. Ad commodum præſidiariorum militum, aquam e Vaticano in Molem Hadrianam deduxit. Neque præteribo quot, quibuſque beneficiis Cæſenates complexus eſt. Publico enim Gymnaſio ob imminutum Præceptorum numerum, atque extenuata ſtipendia priſtinum decus, Senatui dignitatem, atque turbatum antea imperium, quo Portum Cæſenaticum, adjectumque illi pagum Feudi jure moderabatur, Civibus ludicra certamina olim peculiari privilegio conceſſa, ac poſtea negata reddidit: nec non neglectam fontium cuſtodiam, in deterius mutatum jus Prætorium, ac ſublatum præfectum recognoſcendis valetudinis teſſeris, quas exhibeant neceſſe eſt, qui ad portum appellere cupiunt, ſi quando fœdæ luis, & contagionis ineſt ſuſpicio, in integrum reſtituit. Poſtremo ad pontem reficiendum in Sinapi flumine, cujus tamen nonniſi jacta ſunt fundamenta, quatuor aureorum millia iiſdem attribuit. Grati ipſi erga munificentiſſimum Principem, & litteris tot tantorumque beneficiorum memoriam conſecrarunt, & ejuſdem e marmore ſimulacrum in ædibus Senatus poſuerunt.

BENEDICTUS XIV.

BENEDICTI XIV. P. M. vitam reſque geſtas ſcripturus, de Lambertinæ Gentis, unde ortus eſt, vetuſtate, & gloria neque omnino tacendum, neque diligentius enarrandum puto. Alterum enim in hujuſmodi re plane inſolens & indecorum; alterum vel prope infinitum, vel minime neceſſarium: efficitque eadem ipſa Lambertini nominis celebritas, ut neutrum impune liceat, vel ſingula perſequi, vel omnia præterire. Itaque ut pauca e multis, eſt ea gens octo jam fere ſecula Bononiæ in primis nobilis; & Lambertum Mundi Comitis filium, natione Saxonem, qui cum Othone Cæſare Italiam adveniens, in ea urbe conſedit, authorem habet; a quo etiam dignitatem, & nomen accepit. Plurimi ex hac familia ſummi viri, duæ etiam ſanctitate illuſtres fœminæ extiterunt; Imelda videlicet, & Johanna, quæ Beatarum titulo cenſeri jam pridem ſunt cœptæ. Placentinæ Eccleſiæ præfuit Bernardus, Mediolanenſi Albertus, Inſulanæ Cæſar, ſumma quiſque cum laude, & opinione doctrinæ, quam ſibi maxime propriam, & perpetuam Cæſar præſtitit præclaro illo, quem conſcripſit, libro de Jurepatronatus. Litteratorum hominum in ea gente magnus eſt numerus: at litteras cum armis admirabili quadam ſocietate conjunxerunt Guidus, & Petrus, excellentes ambo interpretes legum & milites. Belli duces Gherardus, Eganus, Aldraghettus; multi præterea & ſtrenui; ſed iſti quidem eximii. Horum ille cum Bononienſium delecta manu, cui præerat, Gottifredo Bullionio ad Chriſti Servatoris ſepulcrum recuperandum magno auxilio fuit: alter, quod pro Cæſare Carolo IV. rem bene geſſerat, multis honoribus auctus, Aquilam etiam ejus munere adjunxit gentili ſtemmati: Aldraghettus autem ob Majoricam Inſulam, & Valentiam urbem Aragoniæ Regibus magnis victoriis conciliatas, eorum inſignia ultro conceſſa pro gentili ſtemmate habere cœpit. Atque id ſæculo quartodecimo. Superiore vero vel ineunte tanta jam erat Lambertinorum fama, & apud ſummos Principes gratia, ut reginam Friderici uxorem Conſtantiam, Petrum etiam Orientis Imperatorem cum Violante conjuge, hoſpitio exceperint; ſatis quidem magno familiæ ornamento. Auxit tamen id Imperator, qui non antea Bononia profectus eſt, quam Guidum familiæ tum principem ſolemni eorum temporum ritu Equitem creaverit. Conſilio autem, & ſapientia, rerumque uſu qui Rempublicam regerent, plurimos habuit ea ſtirps vel Guidos, vel Eganos, vel Cornelios, vel alio nomine Senatores ampliſſimos, ac de Patria optime meritos. Quo in genere ita excelluit Eganus Guidi Antonii filius, ut Bononia evocatus a Ferdinando, Siciliam pro Rege adminiſtraverit. Ut nihil dici verius poſſit, quam ex una gente propoſita eſſe civitati virtutum omnium exempla. Et vero magnum ſemper honorem habuit civitas Lambertinis; eoſque Podio Rhenatico, quod caſtrum in agro Bononienſi admodum nobile jam inde a ſeculo XV. obtinent, publice donatos voluit, non ſine illuſtri familiæ laudatione, & pulcherrima commemoratione meritorum, indignum putans aut a ſe minus ornari eos, a quibus maxime ornata eſſet, aut in iis ornandis ab Ateſtinis Principibus ſuperari ſe, qui multis jam muneribus Lambertinos affecerant. His majoribus, Marcello Patre Bononiæ natus eſt Benedictus XIV. anno D. MDCLXXV. prid. Kal. Apriles; ac ſatis fauſto nomine Proſper Laurentius appellatus. Vix annum attigerat, cum pater deceſſit, magno totius civitatis deſiderio, & luctu. Mater deinde Lucretia Bulgarina, lectiſſimæ fœmina, alteris nuptiis cum Aloyſio Comite Bentivolo juncta eſt. Cujus quidem fœminæ virtutem & morum ſuavitatem, non obſcure id ipſum declarat, quod Lambertinum & Bentivolum, tales tantoſque viros, maritos meruit, fuitque ſemper utrique cariſſima. Puer ad Bentivolos tranſiit cum Matre, & in privigni domo aliquandiu educatus eſt. Patruum habebat Albertum ſingulari prudentia virum, ſuique amantiſſimum. Hic pueri ingenio, & in litterarum ſtudia propenſione, quæ jam tunc eluceſcebat, mirifice delectatus, ad duodecim Equites libentiſſime adduxit, iiſque tradidit in diſciplinam. Præ-

rant

rant ii nobilibus instituendis loco in extrema urbe maxime apto, & quem sibi Musæ deligerent, pratis a postica ædium parte pulcherrimam ruris speciem præbentibus, tum Rheno flumine adlabente, portuque ad naviculas in urbem recipiendas non procul constituto, ut vel ipsa loci amœnitate, rerumque jucundissimarum adspectu ad litteras excolendas invitari atque allici juventus posset. Florebat ea tunc Academia optimis magistris vel domesticis, vel adscitis. In his Sanctes Stancarius Sacerdos, ac civis Bononiensis egregius plane litterarum latinarum doctor habebatur & erat. Nam præciqua quadam tum docendi assiduitate ac diligentia, tum præceptorum commoditate, & solertia ita adolescentulos, & brevi quidem, comparabat, non modo ut accurate scribere possent, ac pro re nata loqui; sed quotidiana in ludo exercitatione, & quasi certamine, eodem tempore dictaret ipse italice, ii latine scriberent sine mendo. Discipulorum erat nemo, qui Lambertino aut celerius arriperet, quæ tradebantur, aut firmius retineret, aut re perficeret aptius; ut propterea de bene collocata opera sibi ipse placeret Stancarius, & in eo erudiendo, quo minus laboris ac molestiæ, eo plus sumeret diligentiæ atque studii. Quem contra verebatur maxime Prosper & diligebat; seque illi de latini sermonis facultate, qua præstitit, & usu, plurimum debere, magnamque habere gratiam cum semper affirmavit, tum luculentissime testatus est vel Pontifex, epistola ad Joannem Stancarium data, fratris filium, eumdemque in patrio Archigymnasio philosophiæ & medicinæ doctorem celeberrimum. Quæ res Stancario quidem fuit honorificentissima, tam illustri scilicet ejus accepto doctrinæ & diligentiæ suæ testimonio; at Pontifici ipsi multo glorioſior, tanto videlicet grati animi inditio, exemplo etiam plus satis singulari exhibito. Omnino autem sic eum natura comparaverat, & divina quædam ratio, ut percepta beneficia nunquam animo exciderent; neque hominum vita, a quibus quid accepit, benevolentiam definiverit suam, sed eorum memoriam & nomen grato animi sensu semper coluerit, & benevolentiam propagaverit etiam ad posteros. Quod & in Stancario jam dudum vita functo manifestum est, & in multis aliis deinceps patuit. E Stancarii disciplina ad philosophiam se transtulit, in qua dum versatur, Patruus consilium capit adolescentulos Romam mittere. Erat Prospero frater natu major Joannes: hi simul ad Urbem profecti, in Collegium, quod Clementinum vocant, ingressi sunt, ad suscepta ab utroque jam studia conficienda, nova etiam suscipienda, prout ex utriusque re & voluntate esset. Nondum enim erat fratribus constitutum, quam maxime vitæ rationem utervis iniret, altero in alterum familiæ & posteritatis curam facile rejecturo, si ita vel alteri videretur, vel Patruo. Accidit autem, ut hanc omnem dubitationem tolleret Pontifex Alexander VIII. quem, duce Virgilio Malvetio, Bononiensium per id tempus legato ad Pontificem, vel primo in Urbem adventu adierunt, nihil prius habentes quam ut religioni satisfacerent. Cum igitur Pontifex multa de iis quæsiisset vel ex iis ipsis, vel ex legato, tum vero, num eorum alter Romæ consistere, deinde etiam, uter vellet; legatus autem alterum quidem Romæ futurum respondisset, porro neutrum id sibi præ altero sumere, neque dum alterutri quam se in partem daret exploratum satis esse. Pontifex in Prosperum intuens, quem tamen ignorabat natu minorem, eumque lætabundus designans, quin cunctandi, inquit, jam finis sit? & quoniam diversos abire adolescentes necesse est, istum Romæ habeamus; alter Patriæ commodis serviat, & generis perpetuitati consulat. Itaque de Pontificis sententia factum est; sibique Prosper clericalem vitam propositam esse intelligens, ad ejus vitæ mores & studia cogitationes jam tum omnes, atque animum adjecit. Neque vero auspicatius institui vita potest, quam quæ ipsum Dei Vicarium authorem, & quasi sponsorem præseferat. Quod tamen casu accidisse minime putandum est. Erat enim in adolescentulo præclara quædam indoles & ingenii vis, quæ, quidquid pro ætate gravius dicendum esset, aut agendum, statim proderet sese, raperetque homines in admirationem: honesta plane facies, & liberalis, animi index & ingenitæ nobilitatis: acres præter modum micantesque oculi, in quibus mens ipsa crebris igniculis effulgeret: alacritas autem & facilitas toto vultu, gestuque omni, & sermone, quam verecundia commendaret, non obtunderet: accedebat etiam bona corporis habitudo, & virium firmitas, quæ magnis studiorum, & munerum laboribus futura par esset: omnia denique in adolescentulo, qualia hominibus ad summa natis divino munere esse, & perspici mature solent: ut Pontifex cum Prosperum Romæ detinebat, prævidisse potius videatur, quæ futura erant, quam divinasse. Agebat Lambertinus ætatis annum XV. cum in Clementinum se recepit; ibique biennium commoratus est. Quo tempore & intermissa philosophiæ studia absolvit, & Theologiæ operam dedit, & tantam præterea litterarum varietatem complexus est, ut prodigio simile videri possit, ad tam multarum rerum cognitionem satis illi fuisse id temporis spatium, quod aliis plerisque omnibus vel ad unius disciplinæ studium vix esse soleat. Poterat hoc nempe felicitate quadam singulari & plane sua. Nam cum omnia facile assequeretur ingenio, tum adeo memoria valebat, semperque valuit, ut quæcumque semel didicisset, ea semper sciret: neque recens cognitio veterem truderet, sed ne loco quidem turbaret suo. Quo maxime fiebat, ut semel cognita explicare quoquo tempore posset tam distincte, quam si recens a diuturna meditatione diceret, eoque tam lucido ordine de re qualibet ageret, quem in ejus semper vel sermonibus, vel scriptis admirati sunt homines, & admirantur nihil fortasse minus quam doctrinam. Erat idem laboris & diligentiæ patiens supra quam aut ingenium, aut ætas ferre posse videretur. Non enim admodum sæpe convenire solet ingenio excellenti cum diligentia; in ætatis autem fervore vix unquam. Somno parce utebatur, parceque semper est usus; neque alio fere oblectamenti genere animum recreare consuevit, quam deambulatione mutuisque sermonibus. In iis adeo erat jucundus, ut nihil supra. Natura enim festivum hominem finxit, & urbanitatis comitatisque plenissimum. Multa ejus feruntur argute, & ex tempore dicta; nihilque diu per Urbem auditum est, si quidem venustatem & salem haberet, quod non Lambertino tribueretur. Hac tanta festivitate, & morum elegantia condiscipulorum animos ita sibi devinxerat, ut facile induceret quoquo vellet. Incitabat autem maxime ad communia litterarum studia, atque omnem eruditionem. Cujus rei est hoc illustre exemplum, quod apponam. Nonis Julii feriæ sunt in Clementino a pomeridianis in philosophia & theologia exercitationibus. Id ægre ferens Lambertinus, collegas hortari, ut vacuo tempore uterentur, & magnum illius fructum polliceri, si partem jurisprudentiæ aliquam cognoscerent; daturum se operam, ut hocce studium quam commode eis cederet, atque etiam cum voluptate. Mos illi gestus est; & condiscipulorum magister non jam exemplo solum, sed re, præstitit quod receperat: juris civilis institutiones eis tradidit, perque totas autumnales ferias propositum urgere non destitit, admirantibus scilicet Collegii Præfectis; qui porro satis inde conjicerent, quid ab eo expectandum esset in posterum. Dum in eodem Collegio studiorum causa morabatur, ad Innocentium XII. Pontificem Maximum adeo præclaram habuit orationem, ut pius Pontifex in admirationem raptus omnia tunc in agro Bononiensi vacantia sacerdotia illi contulerit; quæ tamen vix summam æquabant centum aureorum.

Adolescentiam egressus, atque e Clementino eductus Collegio, litterarum studiis adeo intentum adjecit animum, ut quidquid bonarum artium, quidquid scientiarum est, acriter percurrerit. Præsertim vero jurisprudentiæ tum civili, tum canonicæ assidue incubuit. Hoc tamen canonicum studium cum theologicis disciplinis etiam conjunxit. Theologicam, inquam, disciplinam excoluit, non tamen illam contentiosam & metaphysicis distortam rationibus, quæ scholastica nuncupatur; sed eam præcipue elegantiorem, & ad speciem eruditæ vetustatis expressam, quæ a Dialecticorum dumetis semota ac discreta, ad liberioris campi spatia revocatur, & Dei verbo, nimirum Scripturæ, Traditionis, Conciliorum, Pontificum Decretorum, aliorumque veterum Patrum testimoniis innititur. Ad has facultates assequendas nedum clarissimis Jurisconsultis, hominumque doctissimorum colloquio ac familiaritate usus est, sed optimos ipse libros nocturna diurnaque manu versavit. Ita doctissimus, & omnis Minervæ homo haberi cœpit.

Munus primum Advocati Consistorialis uni ex nobilibus Bononiensibus reservatum obtinuit; inde fidei Promotor renuntiatus est. Hisce in muneribus tanta pietate enituit, morumque integritate, tamque enixe ad Ecclesiastica studia vigilias suas accommodavit, ut Clemens XI. viri jam admirator eximius sæpe eum de gravissimis controversiis consuluerit. Ineunte an. 1712. Canonicatum in Basilica Vaticana obtinuit, qui nuper vacabat, purpura donato Hannibale Albano. Mox die 11. Maji an. 1713. Ordini Præsulum Romanæ Curiæ adscribitur. Tanta apud Pontificem pollebat Lambertinius opinione virtutis, ut raro quidem exemplo eum vix inter Præsules cooptatum, ad ferendum suffragium in pluribus ac gravioribus Urbis Magistratibus assumpserit. Retentis quippe Advocati Consistorialis, & Promotoris fidei muneribus, statim Consultor dicitur S. Officii, & Congregationi admovetur sacrorum Rituum, Immunitatis Ecclesiasticæ, & Residentiæ Episcoporum.

XII.

XII. vir etiam assumptus est in Tribunali Signaturæ Gratiæ. Tandem ab eodem Clemente XI. cum retentione officii Promotoris Fidei, aliorumque munerum a Secretis dictus est amplissimæ Congregationis Concilii. Ejus opera certatim utebantur eruditi viri, atque Urbis magnates; doctissimas ipse in dies lucubrationes in vulgus emittebat pro causarum directione, præsertim vero pro enodandis in iisdem amplissimis Congregationibus gravioribus fidei controversiis, & pro Servorum Dei Beatificatione & Canonizatione. Tanquam Advocatus Consistorialis pluries etiam fuit Rector publicæ Romanæ Universitatis, atque in ea scientias omnes artesque liberales promovit. Ut paullisper a labore quiesceret, aliquot Romanæ Curiæ Præsules, aliosque viros eruditione præstantes sub vesperam incredibili humanitate excipiebat. Vario sermone primam noctem agitabat. Tunc ille non in luce modo atque in oculis hominum magnus, sed intus domique præstantior visus est. Multiplici pollebat sacrorum notitia Canonum, atque Ecclesiasticæ Historiæ, pariterque Dogmaticæ, ac Polemicæ Theologiæ usum promebat assidue. Omnia memoria tenebat, non præsentia, non domestica solum, sed vetera etiam, & externa. Quandoque etiam salibus ac venustate jocorum verba condiebat, sermonesque tam copiose, argute, ac nitide, ut ejus colloquio omnes frui summopere exoptarent. Sic ille procul ab ostentatione nedum lepore ac comitate affluebat, sed etiam severam fovebat morum integritatem, omnigenamque doctrinam.

Hanc vitæ æquabilitatem servavit in aliis maximis Ecclesiæ Dignitatibus, atque etiam in Cathedra Petri collocatus, in qua cum incredibiles labores sustinuerit in publicis & privatis, quibus Deo vacare solitus fuit, orationibus, in audiendis indiscriminatim singulorum querelis, dirigendisque Ecclesiasticæ Ditionis negotiis, in rebus digerendis tractandisque, quæ ad universam Rempublicam Christianam pertinerent, ac, quod gravius est, in edendis tot auro cedroque dignis voluminibus, tamen vir laboriosissimus perpetua agendi, litterisque vacandi consuetudine delectatus, laboris molestias novis perpetuo laboribus depulerit, atque ex illorum fuerit varietate recreatus. Sed privatam ejus vitam prosequamur.

Ab Innocentio XIII. An. 1722. Canonista renuntiatus est sacræ Pœnitentiariæ. Benedictus XIII. Archiepiscopum Theodosiæ primo eum dixit, deinde die 9. Decembris an. 1726. sacro Cardinalium Collegio adjunxit; etsi diu eum in pectore, ut ajunt, retinuerit, nec nisi an. 1728. evulgaverit, eo consilio, ut viri opera diutius uteretur. In Magistratibus enim, quos tanquam Præsul gerebat, assidue adstabat Pontifici, hujusque hic prudentia ac doctrina graviora Pontificatus negotia dirigebat. Hinc mense Januario an. 1727. licet eum Episcopum Anconitanum adlegisset, eosdem ut retineret gravissimos Magistratus jussit.

Quum Ecclesiam sibi concreditam adiisset, præclara multa gessit in Diœceseos suæ utilitatem. Die 30. Aprilis an. 1728. Cardinalis declaratus est, & titulo decoratus S. Crucis in Hierusalem. Congregationibus etiam est auctus S. Officii, Concilii Tridentini, Episcoporum & Regularium, sacrorum Rituum, & Disciplinæ Regularium. Mortuo Benedicto XIII. Comitiis interfuit, in quibus Clemens XII. R. P. creatus est, a quo statim ex Anconitana Sede ad Patriæ Bononiensem Archiepiscopatum translatus est, die nempe 30. Aprilis an. 1730. Diœcesim suam non semel lustravit; & quos secum adjutores Visitationis solebat adducere, suis ipse alebat impensis, remissis quibuscumque speciebus annonariis, seu Tributis, quod genus *Procurationes* vocant. Populi, atque Ecclesiasticorum mores emendare studuit. Ipse gregem suum frequentissime evangelico pavit eloquio, & disciplinam Ecclesiasticam saluberrimis evulgatis edictis stabilivit. Quæ edicta, perdoctæque institutiones Bononiæ non semel, & alibi in vulgus prodierunt duo in volumina digestæ, atque a Christiani Orbis Episcopis veluti exemplar pastoralis sollicitudinis exceptæ sunt. Scripsit etiam eruditissime de Festis D. N. J. C. atque Sanctorum. In egenos pronus & liberalis, aditu facilis fuit, artium litterarumque propagator. Ut eas promoveret, & firmaret Religionem, Seminarii domum, nova inducta elegantiori forma ab imo restituit. Huic vero egregios præfecit Ecclesiasticos viros, idoneosque reditus adsignavit, quibusdam suppressis sacerdotiis, locisque piis quasi vetustate deletis, aut desuetudine oblitteratis. Nonnullas alias religiosas Familias, novosque Dei verbi præcones in urbem deduxit. Nova oratoria aperuit, novas Ecclesias ædificari concessit, collatisque subsidiis amplificavit Ecclesiam Metropolitanam, Sancti Petri nuncupatam, amplissimo ædificio, nobilique fronte absolvendam ornandamque suscepit, diruta interim sublataque spatiosissima alias porticu, quam prius nobilissimo fornice instauraverat, & commodo populi itineri adaptaverat. Ædes S. Joannis *del Mercato* ad Confratres S. Mariæ *della morte* pertinentes, veteremque ædiculam *la Croce de' Santi* nuncupatam prope templum S. Pauli Barnabitarum elegantius reparavit, atque omnia ferme Oratoria & Ecclesiæ, promovente vel opem ferente eodem Cardinali Lambertinio, ad meliorem formam sunt redactæ, vel picturis ornatæ, vel sacra supellectile instructæ. Sacras quoque Pœnitentiales Declamationes, quas *Missiones* vocant, passim in urbe, atque in tota diœceseos haberi voluit, quas inter celebres illæ fuerunt, quas absolvit P. Leonardus a Portu Mauritio Ligur, Concionator eximius & virtutibus clarus ex Minorum Reformatorum S. Francisci Ordine. Has inter, aliasque sollicitudines memoratam collectionem *Notificationum*, edictorum, & instructionum Pastoralium, tum eximium, omniumque eruditorum suffragiis celebratum opus *de Servorum Dei Beatificatione*, & *Beatorum Canonizatione* absolvit ediditque; alterumque inchoavit *de Synodo Diœcesana*, quod Pontifex electus perfecit, vulgavitque, ut viam monstraret Episcopis ad suas rite & laudabiliter Synodos celebrandas.

Hæc quamquam magna, parva tamen videbuntur, si cum iis conferantur, quæ in commune Ecclesiæ bonum gentiumque felicitatem gessit postea quam ad Apostolicam Petri Sedem evectus est. Decem annos quum rexisset Ecclesiam Bononiensem, mortuo Clemente XII. post diutinam sex mensium Comitiorum fluctuationem, ipse Summus Pontifex renunciatus est die 17. Augusti ann. 1740.

Hoc anno Jubilæum universale indixit, totusque inde in Ecclesiæ regimen curamque intentus, præclara multa aggressus est perfecitque modo breviter commemoranda. Congregationis pro Gubernio Civitatis Firmanæ ejusque Comitatus, ab Innocentio XII. erectæ, novam formam constituit. Congregationem particularem super promovendis ad Episcopatum erexit, ut quantum fieri posset, nonnisi viri morum integritate, sacra doctrina, rerum Ecclesiasticarum peritia, zelo domus Dei, & vero salutis animarum studio præditi ad regendas Ecclesias assumerentur. Regularibus omnibus, exceptis Hospitalariis S. Joannis de Deo, exercitium artis aromatariæ pro sæcularibus, venditionemque pharmacorum & medicamentorum prohibuit in tota ditione Ecclesiastica. Congregationem particularem nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum adjecit pro excipiendis examinandisque Relationibus Episcoporum, & Abbatum super statibus eorundem Ecclesiarum. Guardiano pro tempore S. Sepulchri Ordinis Minorum de Observantia facultatem concessit, ut absentibus Episcopis Latini ritus valeat conferre Sacramentum Confirmationis cum oleo & Chrismate a Catholico Antistite benedictis. Consecrationem Joannis Petri Meindarts Archiepiscopi Ultrajectensis damnavit, excommunicationisque & suspensionis censuram in ipsum edixit. Clericis quamlibet negotiationem, etiam sub alieno laici nomine, exceptis casibus & circumstantiis in Constitutione hac de re edita expressis, sub pœnis alias contra Clericos negotiatores emanatis interdixit, pœnamque spolii ad eos etiam extendit, qui ab illo exempti sunt per indulta personalia aut generalia ad effectum testandi vel transmittendi. Canonicos & Moniales Ordinis Hospitalarii S. Spiritus, in Hispaniarum & Poloniæ Regnis commorantes a jurisdictione Præceptoris Generalis S. Spiritus in Saxia de Urbe exemit, & locorum Ordinariis subjecit. Regni Poloniæ Antistites graviter admonuit, ut in admittendis conjugiorum dissolutionibus caute procederent. Abusus gravissimos, qui in jejunii quadragesimalis observatione irrepserant, sustulit. Pœnas adversus Confessarios innovavit, qui pœnitentes ad turpia sollicitant, cum præcepto hujusmodi denuntiandi, & reservatione absolutionis quoad calumniatores; eodemque tempore ademit præterea Sacerdotibus facultatem Sacramentum Pœnitentiæ complicibus administrandi in peccato contra castitatem. Monialibus in Portugalliæ, & Algarbiorum Monasteriis rigorosam Clausuram professis & extra illa degentibus, reditum ad Claustra injunxit, egressumque in posterum inhibuit. Mercimonia super eleemosynis Missarum sub pœna censurarum, quarum absolutio Romano Pontifici reservatur, vetavit, dato hac etiam de re Brevi Encyclico ad Episcopos Provinciæ Pedemontanæ. Militiam S. Januarii Episcopi & Martyris a Carolo Rege utriusque Siciliæ erectam confirmavit, ejusque Officialibus & Militibus plura indulta & privilegia concessit. Jurisdictionem in Ægyptios, aliosque ritus Cophtici ad Ecclesiam Catholicam conversos, cujuscumque sint Diœceseis, Episcopo Hierosolymitano ejusdem ritus attribuit. Hiberniæ Episcopis in propriis Diœcesibus residentiam commendavit. Unicam comestionem diebus jejunii ab omnibus servandam esse, etiam ab iis, quibus ob cau-

ſas peculiares eſus carnium, ovorumque permittitur, definivit. Statuta hac de re ſapientiſſime a Pontifice Daniel Concina edito commentario illuſtravit. Nationalem Synodum Maronitarum, habitam in Monte Libano an. Domini MDCCXXXVI., confirmavit. Cauſarum Matrimonialium judicia coram quibus, & quo ordine ac forma ſint peragenda, præſcripſit. Declarationem cum inſtructione ſuper dubiis reſpicientibus Matrimonia in Hollandia, & Belgio contracta, & contrahenda evulgavit. Matrimonia occulta quibus, & quomodo ſint permittenda, quibuſque cautelis celebranda, & in actis deſcribenda, & quomodo denique educationi, & indemnitati prolis conſulendum ſit, aperuit. Statuit Beatificationes ſervorum Dei, & Beatorum Canonizationes in Baſilica Principis Apoſtolorum peragi debere. Formam & ſolemnitatem in exequiis Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ſervandam præſcripſit. Indorum in Provinciis Paraquariæ, Braſiliæ, & ad Flumen *de la Plata* exiſtentium indemnitati conſuluit. Clauſuram Monaſteriorum mulierum, ac virorum firmavit optimis legibus. De doctrina Chriſtiana populis tradenda, deque ratione ac methodo fidelium indigentiæ hac in re conſulendi utilia monita ad Epiſcopos dedit. Maronitarum Patriarchæ annuum charitativum ſubſidium attribuit, abrogata conſuetudine colligendi præſtationes pecuniarias in diſtributione ſacrorum Oleorum. Epiſcopis Maronitis certas ſedes aſſignavit. De appellationibus & inhibitionibus concedendis, vel denegandis egregia vulgavit. Revocavit peculiare ſtatutum Patrum Cappucinorum, quo ipſis vetitum erat, ne Confeſſariis extra proprium ordinem unquam confiteri poſſent. Apoſtolicos Miſſionarios miſit in Regnum Batgao in Magno Thibet, petente ipſo Rege Batgao. Spicarum collectionem poſt abſolutam meſſem pauperibus permittendam, ditionis Eccleſiaſticæ Epiſcopis injunxit. De dogmatibus, & Ritibus ab Italo-Græcis tenendis atque ſervandis Conſtitutionem edidit. Electionem Hieronymi de Boek in Harlemenſem Epiſcopum nullam & illicitam declaravit, eidemque inhibuit, ne conſecrationis munus auderet ſuſcipere. Ordinationes omnium Clericorum, & Sacerdotum Ritus Græco-Rutheni a Serviano Schiſmate ad Eccleſiæ ſinum redeuntium Epiſcopo Auxerenſi delegavit. Definivit Sacerdotes Miſſam celebrantes non teneri ſacram Euchariſtiam omnibus petentibus infra ipſam actionem miniſtrare. Suaſit Epiſcopis Ruthenis, ut unionem Monachorum S. Baſilii ſub unico Proto-Archimandrita promoverent atque foverent. De concurſu & examine habendo pro Parochialium Eccleſiarum collatione, deque appellationibus ab irrationali Ordinarii judicio admittendis vel rejiciendis non pauca ſanxit. Privilegia & exemptiones Almæ Domus Lauretanæ, nec non reſolutiones dubiorum & controverſiarum juriſdictionalium in ſynopſim redactas approbavit & confirmavit. Eccleſiæ Papienſi perpetuo univit Archiepiſcopatum Amaſienſem in partibus infidelium, aliaque privilegia eidem confirmavit, & reſpective conceſſit. Concionatoris Apoſtolici munus Ordini FF. Minorum S. Franciſci Cappucinorum perpetuo addixit. Electionem, ſeu poſtulationem duorum Patriarcharum Maronitarum ab Antiſtitibus illius Nationis diſſidentibus factam, caſſavit & annullavit, reſervataque S. Sedi Patriarchalis Eccleſiæ proviſione, Simonem Evodium Aſſemanum Archiepiſcopum Damaſcenum, Patriarcham Eccleſiæ Antiochenæ conſtituit. Dignitatem Protopapæ in Eccleſia Collegiata S. Mariæ *del Grafeo* Meſſanenſi, ejuſdemque liberam electionem, nec non ritus Græco-latini obſervantiam ipſius Eccleſiæ Clero in perpetuum aſſeruit. Eccleſiaſticam authoritatem in deſignandis publicarum precationum formulis, & in eiſdem indicendis ſimiliter aſſeruit. Natalem diem Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli per totam octavam Romæ ſolemniter celebrari voluit. Matrimoniorum firmitati conſulens, damnavit & annullavit pacta inter conjuges inita de non appellando a ſententia lata pro matrimonii nullitate: confirmavit Conſtitutionem editam ſuper hujuſmodi judiciorum forma; & Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſervantiam in Matrimonii celebratione commendavit. Decreta de Ritibus Græcorum Melchitarum Patriarchatus Antiocheni, de juriſdictione Patriarchæ, & Epiſcoporum ejuſdem nationis, deque Monachorum & Monialium diſciplina in unum collecta promulgavit; quemadmodum & alia decreta ſuper pluribus diſciplinæ capitibus pro Incolis Regni Serviæ, & finitimarum regionum. Sæcularizationem aliquot Eccleſiarum Germaniæ, aut eorundem redituum imminutionem a quibuſdam propoſitam reprobavit, & nunquam tolerandam edixit. Facultates Majoris Pœnitentiarii & Officii Pœnitentiariæ aperuit, & explicavit, deque hujus Officialibus, & muneribus plura deſignavit. Contra non promotos ad ſacrum Presbyteratus ordinem Miſſam celebrantes, aut Sacramentales confeſſiones excipientes multa conſtituit. Unionem omnium Monaſteriorum Ordinis S. Baſilii Magni Ruthenorum, tam Lithuaniæ, quam Ruſſiæ, ſeu Poloniæ in unicam Congregationem duabus Provinciis compoſitam confirmavit. Miſſam parochialem pro populo, conventualem vero pro benefactoribus Eccleſiæ applicandam eſſe ſanxit. Juriſdictionem Epiſcoporum quoad Eccleſias Parochiales Regularium & perſonas curam Animarum ſubditorum Sæcularium in eis exercentes monſtravit, & ſtabilivit. Jubilæum pro Chriſtifidelibus Italiæ & Inſularum adjacentium, divinam opem implorantibus pro pace inter Principes Chriſtianos, & Catholicæ Eccleſiæ neceſſitatibus conceſſit. Controverſias circa regimen Miſſionum in Regno Cocinchinæ exiſtentium, earumque limites, diremit. Interrogatus ab Archiepiſcopo S. Dominici in Inſula Hiſpaniola, an filii ex adulterio procreati legitimentur per ſubſequens matrimonium, perdoctam ad eundem dedit Epiſtolam. Tribunalia Romanæ Curiæ reformavit, authoritatemque judicum & ſingulorum juriſdictionem cum firmavit, tum certis limitibus præfinivit. Sinenſes, & Malabaricos ritus ceremoniaſque proſcripſit. Eſum carnium diebus ſabbati per annum, in regnis Caſtellæ, Legionis, & Indiarum permiſit. Conſtitutionem ab ſe contra *Sollicitantes* editam declaravit uberius, & confirmavit. Capitulo Generali Fratrum Eremitarum S. Auguſtini facultatem conceſſit eligendi deinceps priorem Generalem ad vitam in officio permanſurum. Regimini civitatum & locorum ditionis Eccleſiaſticæ, eveniente obitu Gubernatorum providit. Super dubiis ad ritus Eccleſiæ & Nationis Cophtorum pertinentibus præclaram inſtructionem vulgavit. Inſtrumentum appellationis Archiepiſcopi Ultrajectenſis, & Epiſcopi Harlemenſis ad futurum Generale Concilium a duobus ipſius Brevibus alias ad catholicos in fœderato Belgio expeditis prohibuit, atque damnavit. Ne Confeſſarii a Pœnitentibus exquirant ſociorum in crimine, ſeu complicum nomina cavit. Canonicos Regulares Lateranenſes, & Sanctiſſimi Salvatoris ad obtinenda beneficia Eccleſiaſtica ſæcularia cum cura & ſine cura, atque penſiones Eccleſiaſticas, capaces eſſe declaravit. Conſecrationem Joannis Van-Stiphout in Epiſcopum Harlemenſem damnavit. Dies feſtos de præcepto, æſtivis menſibus occurrentes pro nonnullis locis Regni Poloniæ reduxit. Fructus cenſuum, cambiorum &c. a Communitatibus Ditionis Eccleſiaſticæ contractorum ad æquitatis rationem exegit. Sacras Miſſiones in Neapolitano Regno haberi frequenter ſuaſit, earum directione Card. Spinellio, Archiepiſcopo Neapolitano, demandata. De cautelis præſtandis in conficiendis proceſſibus ſuper fama ſanctitatis ſervorum Dei, deque prohibendis imaginibus Spiritus ſancti ſub humana ſpecie depicti, atque aliis ſuperſtitionibus non tolerandis præclara multa ad Auguſtanum Epiſcopum ſcripſit. Privilegium fori & Conſervatoriæ Scholaribus, Profeſſoribus, Doctoribus, aliiſque Univerſitati Avenionenſi addictis aſſeruit, & Primicerii ac judicum conſervatorum juriſdictionem præfinivit. Uſuras compeſcuit data ad Italiæ Epiſcopos Epiſtola. Mercatus diebus feſtis haberi prohibuit, & quomodo *nundinæ* ſub certis conditionibus tolerari poſſint, oſtendit. Civium Romanorum gradus certa ratione diſtinxit: Nobilium Ordinem, & Nobilium Conſcriptorum numerum deſignavit, ac methodum præſcripſit in cooptatione aliorum Nobilium deinceps obſervandam. Juriſdictionem Epiſcoporum in Eccleſias Parochiales Regularium pro Indiarum regionibus declaravit. Litteras jam editas adverſus Confeſſarios exquirentes a Pœnitentibus complicum nomina confirmavit, & pœnas in delinquentes ſtatuit cum præfinitione ordinis in hujuſmodi cauſis procedendi. Abuſibus in expeditione reſignationum Beneficiorum inductis ad eludendam Gregorii XIII. Conſtitutionem, occurrit. De Reſidentia Epiſcoporum æquiſſima præſcripſit & ſtatuit. Indulgentias tam docentibus, & addiſcentibus methodum orationis mentalis, quam ipſam orationem mentalem peragentibus conceſſit. Quando Judæorum ſive infantes, ſive adultos liceat baptizare docuit. Ampliavit Epiſcopis facultatem impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus in mortis articulo conſtitutis, etiam per alios tam in civitatibus, quam in diœceſibus ab ipſis ſubdelegatos. Urbis Tribunalia in Judiciis criminalibus reformavit. Præſcripſit ordinem in cauſis ſuper nullitate profeſſionis regularis ſervandum; quemadmodum & ritum impertiendi Pontificiam Benedictionem ſuper populum a Regularibus eorum Ordinum, quibus facultas hujuſmodi ſtatis diebus a ſancta Sede indulta fuit. Societati Jeſu unum locum inter Conſultores Congregationis ſacrorum Rituum tribuit. S. Stephani Papæ & Martyris Militibus conceſſit, ut enſe ad latus inſtructi coram Romano Pontifice comparere poſſent. Inter provincias, civitates, & loca ditionis temporalis S. Sedis liberum mutuumque commercium eſſe voluit.

Sacer-

Sacerdotibus Regnorum, Dominiorumque Regum Hiſpaniarum, & Portugalliæ tres Miſſas in die commemorationis omnium defunctorum celebrandi indulſit. Cathedras duas, alteram Matheſeos, Chemiæ alteram in Urbis Archigymnaſio erexit. Poſt agitatam in Italia de feſtorum imminutione quæſtionem decretum edidit, quo prohibuit, ne quis impoſterum eandem ſive pro, ſive contra retractaret. Dies feſtos in Regno Neapolitano citra Pharum, & in Diœceſibus Meſſanenſi, & Panormitana reduxit. Judæis converſis prohibuit quovis modo ſive in Judæorum vico, ſive extra coram Notario & teſtibus Chriſtianis libellum repudii dare uxoribus recuſantibus ſe convertere. Idem ſanxit pro mulieribus converſis quoad maritos in Judaiſmo remanentes. Joanni II. Portugalliæ, & Algarbiorum Regi, ejuſque ſucceſſoribus in perpetuum *Fidelisſimi* titulum aſſignavit. Matrimonium inter hominem Judæum & mulierem hæreticam, & generaliter inter perſonam baptizatam, aliamque non baptizatam, nullum eſſe declaravit propter impedimentum *diſparitatis cultus*; ideoque ſi infidelis baptizetur, renovandum decrevit. De Eccleſiarum cultu & nitore, de officiorum Eccleſiaſticorum, & Muſices ratione Epiſtolam Encyclicam, occaſione imminentis anni ſancti, ad Epiſcopos per ditionem Eccleſiaſticam conſtitutos die XIX. Februarii ann. MDCCXLIX. ſcripſit. Bona Archihoſpitalis S. Spiritus in Saxia a ſpolio Cameræ Apoſtolicæ debito exemit. Abbati Monaſterii Campidunenſis Ordinis S. Benedicti, ejuſque ſucceſſoribus in perpetuum facultatem conceſſit miniſtrandi Sacramentum Confirmationis Chriſtifidelibus ſuæ juriſdictioni ſpirituali ſubjectis. In Tribunali Gubernii almæ urbis, ejuſque Congregationibus certam agendi rationem præſcripſit, ſtatuitque modum præcipue exequendi carcerum viſitationes. Tribunali S. Inquiſitionis in Portugalliæ & Algarbiorum Regnis adjudicavit cognitionem *pertinentiæ* cauſarum contra Confeſſarios exquirentes a Pœnitentibus complicum nomina cum denegatione abſolutionis; eaque in re delinquentes, etiam ſine ſuſpicione pravi dogmatis, eidem Inquiſitionis officio denunciari juſſit. Univerſale Jubilæum anni ſancti 1750. indixit; eaque occaſione data encyclica Epiſtola ad Pœnitentiarios & Confeſſarios, de quæſtionibus & controverſiis olim excitatis circa opera injuncta pro Jubilæi acquiſitione, & circa facultates conceſſas, earumque uſum docte ſapienterque diſſeruit. Circa immunitatem Eccleſiaſticam nonnulla dubia declaravit poſt Conſtitutiones Benedicti XIII. & Clementis XII. excitata, aliaque hac de re opportune ſtatuit, ac præcepit. Pro Cophtis Catholicis indultum conceſſit recipiendi Sacramentum Confirmationis a Presbytero Miſſionis præfecto. Propoſuit rationem ſecernendi honorarios a veris familiaribus S. R. E. Cardinalium & Prælatorum Romanæ Curiæ ad omnes juris effectus: confirmavit litteras Paulli V. ſuper inſtitutione, gubernio, & adminiſtratione menſæ nummulariæ S. Spiritus in Saxia de Urbe, aliaque opportune ſtatuit. Canonicis Regularibus Præmonſtratenſibus conceſſit ex integro privilegium aſſequendi & retinendi quaſcumque Parochiales & Vicarias tam Sæculares quam Regulares abſque diſpenſatione Apoſtolica. Methodum ſtatuit ſervandam in Congregationibus Capitolinis ſuper cauſis criminalibus locorum Feudalium populi Romani. Jejunium vigiliæ S. Mathiæ Apoſtoli ann. 1751. occurrentis ultima die carnis privii, transferri poſſe permiſit in ſabbatum Sexageſimæ. De extractione reorum ad ſacræ Inquiſitionis Officium ſpectantium a locis immunibus, ad quæ forte confugerint, plura præſcripſit. Roſam Auream Metropolitanæ Bononienſi Eccleſiæ ann. 1751. tranſmiſit: qua occaſione de more hoc eruditiſſime diſſeruit. Latini ritus presbyteris in Ruſſia Polonica degentibus permiſit in Ruthenorum unitorum Eccleſiis, deficientibus lapideis Altaribus, ſeu Tabulis conſecratis, & Calicibus aureis ſive argenteis, Miſſarum Sacrificia ſuper eorundem Ruthenorum Antimenſiis, & cum Calicibus e ſtanno celebrare. Græci ritus obſervantiam, & linguæ græcæ ſtudium Ordinis S. Baſilii Monachis injunxit, & commendavit. Baſilicæ Lateranenſis Indulgentias confirmavit: illas vero, quæ Eccleſiis ipſius filiabus, ſeu ipſi aggregatis hactenus communicatæ fuerunt, ſuſpendit: & interim eiſdem alias indulgentias, & gratias ſpirituales conceſſit, ſeu reſpective communicari permiſit. Nonnullas ſocietates, ſeu conventicula *de' liberi Muratori*, ſeu *des Francs Maçons*, vel aliter nuncupata iterum damnavit & prohibuit. Ab Oratoriis privatis, quæ ſunt in domibus laicorum, abuſus auferri procuravit. Aperuit quæ ſunt vetita Hebræis habitantibus in iiſdem civitatibus, & locis, in quibus habitant Chriſtiani Epiſtola Encyclica ad Primatem, Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Poloniæ. Aquilejenſem Patriarchatum & Sedem ſuppreſſit & extinxit, duoſque Archiepiſcopatus erexit *Utinenſem*, & *Goritienſem*; qua de re infra fuſius agemus. Eccleſias Parochiales, aliaque Officia ad animarum curam ſpectantia, in Indiis Occidentalibus Hiſpaniarum Regi ſubjectis, etiam ſæcularibus Clericis ſeu Presbyteris conferri poſſe conceſſit. Congregationi Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe novum Cardinalem præfectum deputavit, & Congregationem particularem ſuper rebus œconomicis ejuſdem Fabricæ inſtituit. Aviæ neophytæ aſſeruit jus offerendi ad Baptiſmum infantes Judæos ex filio præmortuo nepotes. Martini de Prades Sacerdotis Montalbanenſis theſes in Sorbona propugnatas proſcripſit. Vaticanæ Baſilicæ Archipresbytero, Capitulo, & Clero nova privilegia & gratias conceſſit. Congregationis piorum Operariorum commodis & incrementis per opportuna decreta & indulta proſpexit. Ut Equites profeſſi Militiæ Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani ad Epiſcopatum, aut ad Cardinalitiam Dignitatem evecti, Crucem octagonam ex tela alba, tanquam habitum ſuæ religionis proprium, exterioribus veſtibus aſſutam geſtare valeant, conceſſit. Abbatiam Fuldenſem in Epiſcopatum erexit cum omnibus juribus & privilegiis, præſervato tamen ſtatu Regulari, ita ut idem Epiſcopus & Abbas Fuldenſis ſit, & nuncupetur. Damnavit, & prohibuit quinque propoſitiones duellorum abuſui faventes, veteresque leges adverſus duellantes editas innovavit, ac novis ſuperadditis pœnalibus confirmavit. Sanxit Cardinales Epiſcopos ſuburbicarios in propria Capella ſui Palatii Romæ exiſtentis, non poſſe ſuis ſubditis, præter primam tonſuram, conferre majores, vel minores Ordines, niſi requiſito, & præobtento Card. Urbis Vicarii conſenſu. Wilnenſis Collegii, ſeu Seminarii Apoſtolici, a Gregorio XIII. pro adoleſcentium Ruthenorum & Moſcovitarum educatione & inſtitutione erecti, optimo regimini providit. Regulas obſervandas in Anglicanis Miſſionibus ab Apoſtolicis Vicariis, nec non a Sacerdotibus Miſſionariis ſæcularibus ac regularibus tradidit. De beneficiis, & officiis curatis per Indiarum Occidentalium regiones ſæcularibus etiam Clericis, ſublato aſſerto Regularium privativo jure, conferendis Apoſtolicas litteras jam a ſe editas confirmavit & declaravit. Venetiarum Reipublicæ conceſſit jus nominandi ad Eccleſias Torcellanam, Caprularum, & Clodienſem. Canonicos Regulares & Moniales Ordinis Præmonſtratenſis ab omni juriſdictione Ordinariorum exemit. Ad exercendos erudiendoſque Picturæ, atque Sculpturæ tyrones Gymnaſium publicum ſeu Academiam in Ædibus Capitolinis erexit, annuo cenſu conſtituto in neceſſarios ſumptus, die 17. Martii 1754. Eccleſiaſticis omnibus Ritus Slavo-latini præcepit, ut in Miſſis & divinis officiis Slavum litterale idioma cum Characteribus Hieronymianis retineant, & Miſſalibus, Breviariis &c. utantur typis Congregationis propagandæ fidei editis. S. Leoni I. Papæ & Confeſſori Miſſam & Officium decrevit ſub ritu S. Doctorum. A Syriacis & Armenis in Latinorum Eccleſiis ſacra peragentibus proprium ritum ſervari præcepit. Miſſionariis denegavit facultatem diſpenſandi eoſdem Syriacos & Armenos ſuper abſtinentia a piſcibus jejunii tempore; omnes denique Græcos, & Orientales ritus conſervandos eſſe decrevit, monuitque Miſſionarios, ut in Orientalibus convertendis eos ab errore & ſchiſmate revocent, non a ſuis approbatis ritibus avertant. Ad incendium compeſcendum ad Eccleſiam S. Nicolai in Carcere exortum minus rite allatam fuiſſe ex Eccleſia ſacram Pixidem ſanctiſſimum Sacramentum intercludentem, eaque ſuper populum, & ad furentes flammas benedictum, rationibus pluribuſque allatis Eccleſiaſticis ſanctionibus demonſtravit, & ne tale quid exinde fiat, opportune ſancivit. Celebrationem trium Miſſarum Natalitio Chriſti die præcipuum latinæ Eccleſiæ ritum eſſe demonſtravit; ideoque univerſim ab Orientalibus, præſertim vero ab Armenis Liburni in Portu commorantibus non uſurpandum decrevit. Facultatem tribuit Jacobo III. Magnæ Britanniæ Regi, ut SS. Euchariſtiam poſſet ſuſcipere, de ſpiritualis ſui directoris conſilio, etſi poſt mediam præcedentem noctem jentaculum aliquod, ſic expoſcente valetudine, ſumpſerit.

Multa quoque alia hujus Pontificis merita egregia ſunt, quibus ornamentum Urbis, & totius Orbis utilitas continetur. Liberianæ Baſilicæ porticum refecit, atque adeo novam lectiſſimis lapidibus & columnis ornatam excitavit: primariam item ejus frontem extruxit marmoreo opere, ac ſtatuis inſignivit: ſuperque eam porticum alteram erexit, unde feſto Aſſumptionis B. Mariæ Virginis Apoſtolicam benedictionem populo ſolemni ritu impertiret: alia denique a ſolo erecta ædificia ad totius ædis formam exegit, interioremque Baſilicæ partem magnis ſumptibus inſtauravit. Ædem Seſſorianam, vulgo S. Crucis in Hieruſalem, cujus titulum, Cardinalis cum eſſet, ſuſtinuerat, porticu & laquearibus renovatis, directaque ad Lateranum via, clivis complanatis, fecit ſpecioſiorem. Ut pauperum, quos benevolen-

tia complectebatur vere paterna, usibus commodisque inserviret, amplificavit Xenodochium S. Spiritus in Saxia, modicoque intervallo amplum ei, & magnificum cœmeterium adjecit. Antonini Pii columnæ sustinendæ stylobatem collocavit e regione Curiæ Innocentianæ. Solis obeliscum ex Campo Martio extraxit, magna ex parte annorum injuria labefactatum. Sacellum majus novæ Ecclesiæ S. Apollinaris exædificavit, ac marmoribus, aurique inductione conspicuum redditum consecravit. Secutus exemplum Clementis XII. decessoris sui, Capitolinas ædes signis, anaglyphis, aliisque antiquitatis monumentis auxit, & Vaticanam Bibliothecam locupletavit. Fornici maximo Basilicæ S. Petri laboranti mole sua prospiciendum curavit, hominum doctissimorum consilio & arte adhibitis. Inter quos numerandus vir famæ celebritate clarissimus Joannes Polenus in Gymnasio Patavino Matheseos Professor. Is accitu Benedicti evocatus anno 1743. Romam perrexit, ibique moratus est menses duos hospes Caroli Cardinalis Rezzonici Episcopi Patavini recens electi. Ejus opinio Pontifici probata præ cæteris. Patavium donis auctus reversus, jussu ejusdem Pontificis edidit ann. 1748. typis Seminarii ea de re Commentarium. Præclara item ædificia ad fontem aquæ Virginis, Romæ a decessoribus inchoata, perfecit Benedictus. Carolum Borbonium utriusque Siciliæ Regem Velitris, quo in oppido belli causa diutius fuerat, anno 1744. Romam ex improviso profectum, pedibus suis oscula figere cupientem, paterna omnino benevolentia excepit, & quanta maxima potuit per id horarum, quibus in Urbe mansit, liberalitate prosequutus est. Factum eleganter, more scilicet suo, narrat Castruccius Bonamicius ad finem Commentarii de bello ad Velitras gesto. Advocatorum Consistorialium Collegium, summo Pontifice sacris operante, sedem habere voluit ante Cubicularios honorarios. Approbavit novum Ordinem Clericorum Discalceatorum Passionis Jesu Christi, quorum est institutum prædicare eumdem Jesum Christum, & hunc Crucifixum, rationemque vitæ ejus, quoad fieri per humanam infirmitatem potest, imitari.

Alexandrum Saulium, Hieronymum Æmilianum Patricium Venetum Fundatorem Congregationis Somaschæ, Josephum a Matre Dei Scholarum Piarum, Josephum a Cupertino Sacerdotem ex Ordine Conventualium, & Joannam Franciscam Fremiot de Chantal retulit in Beatos: in Sanctos vero Fidelem a Sigmaringa Protomartyrem S. Congregationis de Propaganda fide ex Ordine Cappucinorum, Camillum de Lellis institutorem Regularium Ministrantium infirmis, Petrum Regalatum Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, Josephum a Leonissa Cappucinum Confessorem, & Catharinam de Ricciis Monialem Ordinis S. Dominici. Ratum quoque jussit cultum publicum ab *immemorabili tempore* exhibitum B. Johannæ Valesiæ Francorum Reginæ, & B. Nicolao Albergato S. R. E. Cardinali, Bononiensi Antistiti, ex familia Carthusianorum: item B. Benedicto a S. Philadelphio, laico professo Ordinis Minorum Reformatorum S. Francisci, vulgo dicto *il Santo nero*, quia fusco colore erat, quippe natus ex parentibus ex Æthiopia in servitutem abductis in Insulam Siciliæ. Cardinales creavit quatuor supra quinquaginta; inter quos Joannem Theodorum Bavarum, Caroli VII. Imperatoris fratrem, Ratisponensium & Leodiensium Antistitem, & Principem Henricum Benedictum Stuartum, nimirum ex Familia illa de fide Catholica egregie merita.

Martyrologium Romanum auctius edendum curavit: de qua editione ponderosam scripsit Epistolam ad Joannem V. Regem Lusitanorum, cujus impensis editio curata est. In maximis occupationibus nunquam intermittens studia pietatis, Episcopos sacro Chrismate inungere consuevit, Ecclesias consecrare, Eucharistiam & venerari ipse publice, & alios ad ejusdem venerationem suomet exemplo excitare: idemque in maximis pietatis officiis non intermittens studia doctrinæ, singulis lunæ diebus conventum apud se celebrare virorum eruditorum, in quo tum de profana veterum Romanorum, tum de Catholicæ Ecclesiæ Historia, Conciliis, ac rebus Liturgicis disputationes alternantur. In Æde Liberiana Pontificium Altare posuit, & pridie Kalend. Octobris ann. 1750. sacravit. Pinacothecam condidit, tabulisque ingenti sumptu comparatis implevit. In Basilica Vaticana absidum majorum ornamenta perfecit. S. Pauli templum via Ostiensi reparavit, musivo præsertim picturisque restitutis, Pontificumque serie ad nos usque perducta. Vetustissimam S. Marcellini ædem a fundamentis restituit. Lauretanæ B. Mariæ domui turrim addidit, porticumque amplificavit. Opportunis indultis veteres controversias sustulit inter Romanam Curiam & Reges Hispanos de jure patronatus in Ecclesiastica beneficia ejus regni. Cum Venetis quoque de utriusque dominationis jure ac finibus lites composuit. Episcopis Varmiensi, Erbipolensi, & Quinqueclesiensi Pallium concessit, & jus crucis erectæ ferendæ Archiepiscoporum instar. Pallii benedictionem inter functiones Pontificias relatam primis vesperis addixit diei festi SS. Petri & Pauli, ritumque firmavit. Immaculatæ Virginis Conceptionem Pontificia Cappella in posterum celebrari Romæ jussit. Assisiensi Templo, in quo S. Francisci corpus servatur, Basilicæ Patriarchalis & Cappellæ Papalis honorem tribuit. Archiepiscopatum Bononiensem post annos XIV. dimisit, contulitque Vincentio Cardinali Malvetio, Seminario jam extructo, & Basilica Metropolitana magnifice exædificata, ornataque ingenti supellectile.

Postea longo debilitatus morbo, cum Missæ sacrificium stans peragere non posset, pulcherrima præmissa de hac re Dissertatione, quæ iterum ac sæpius typis edita est, sibi indulsit, ut suæ erga mysterium hoc longe omnium augustissimum pietati ac devotioni sedens satisfaceret. Obiit V. Nonas Majas MDCCLVIII. annos natus LXXXIII. m. I. d. III. post annos Pontificatus XVII. m. VII. d. XVI. cum paucis ante diebus ad Goanum Archiepiscopum mira prudentia & eruditione respondisset de Matrimonii impedimentis, & effugiis quibusdam ad Concilii Tridentini decreta declinanda in ea regione quæsitis: & quidem ipse per se, ut in Epistolæ exordio significat, cum posset aliena ope uti, supremo sibi servato judicio. Postremum hoc majus est quiddam in summæ senectutis homine perpetuis laboribus fracto, & bis lethali morbo ad extremam usque sacram unctionem afflicto, & prostrato, quam ut exprimi verbis possit. Profecto talis fuit Pontifex, qui cum summa vitæ innocentia tantam doctrinæ copiam conjunxit, ut ad veteres Ecclesiæ Patres ac Doctores proxime accessisse videatur.

Nepotibus, & consanguineis nihil ipse unquam est elargitus; quamvis sæpe memoraret Innocentii XII. Rescriptum, lepide addebat, opus esse ad illius observantiam, ut aliqui Pontifices præscripto detraherent, quod alii copiose adjunxerunt. Quocirca si quid ad consanguineos pervenit, Ministrorum Pontificiæ Curiæ, vix ipso Pontifice conscio, totum industriæ tribuendum est. Vel ipsi Heterodoxi, quibus Pontificia auctoritas nunquam arrisit, Benedicti sapientiam, sincerum animum, virtutesque venerati sunt. Matthæus Pfaffius in Dissertatione quadam Tubingæ, seu Augustæ Svevorum ann. 1746. in lucem edita per multa sæcula alterum in Romana Cathedra non sedisse Benedicto XIV. eruditiorem testatus est. Atque ut illos omittam ex his hominibus, qui vulgatis libris, & Benedicto inscriptis, maximam Pontificiæ eruditionis æstimationem contestati sunt, Cl. Walpol Londini in Palatio suo ipsi ob singularem sapientiam statuam posuit, atque perpulcro elogio subscripsit. Elogium hoc sane moribus Benedicti XIV. accommodatum a filio ejusdem Cl. Walpol ingeniose compositum lingua Anglica, Lambertinum in principatu innocentem prædicabat, qui gloriam Pontificiæ Thiaræ restauraverat; a Catholicis summo amore, a Protestantibus summa æstimatione habitum, Ecclesiasticum minime insolentem, ab omni cupiditate & ambitione alienum, Principem sine partium studio, Pontificem sine consanguineis, Auctorem sine vanitate, virum quem nec ingenium, nec potestas elevaverat. Tandem his verbis elogium absolvitur: *Filius Ministri in Aula bene accepti, sed qui nulli unquam Principi adulari consuevit, nullum unquam Ecclesiasticum veneratus est, in libera Protestantium regione hoc debitum laudis tributum optimo Pontifici Romanorum P.* Cum vero hujusmodi elogium Benedicto oblatum fuisset, simulque de sincero Auctoris animo certior esset factus, videor, inquit, ad normam statuarum, quæ in foro D. Petri prospiciuntur; procul enim optime elaboratæ apparent, atque oculos & admirationem ad se rapiunt; at cum prope inspiciuntur, deformi structura horrorem incutiunt.

Benedicti XIV. Opera auro cedroque digna quindecim voluminibus in folio excepit ediditque ann. 1767. Remondinius Typographus Venetus; Bullarium vero cum Romæ, tum typis Venetiis editum est quatuor Tomis, quorum primum ipse Pontifex patriæ benevolus, & illustrium Pontificum Innocentii III. Honorii III. Gregorii IX. ac Bonifacii VIII. cum librum sextum Decretalium, & Joannis XXI. cum Decretales Clementis V. ederent, exemplis adductus, *Doctoribus & Scholaribus universis Bononiæ commorantibus* inscripsit. Mandavit item Mauro Sartio e Camaldulensium Familia viro doctissimo, ut Patrii Archigymnasii Historiam conscriberet; quam ille provinciam integre cumulateque obiisset, nisi morte præventus immatura fuisset, vix primo absoluto volumine, quod ejus Concellita Fattorinius postea perfecit, ediditque.

Viro-

Virorum doctrina & eruditione præſtantium famæ Pontifex litteratiſſimus proſpexit. Quum a P. Gioja Ordinis Eremitarum S. Auguſtini ſupremo Antiſtite didiciſſet ſupremum in Hiſpania Fidei Quæſitorem doctrinæ magni Hipponenſium Epiſcopi hoſtium dolis circumventum in Expurgatorium inter libros prohibitos immortalis memoriæ viri, Henrici Cardinalis Noriſii, Hiſtoriam Pelagianam, tum Diſſertationem de V. Synodo Œcumenica conjeciſſe, graviſſimam ad eumdem Quæſitorem ſcripſit Epiſtolam, fraterne illum interpellans, paterneque admonens, ut aquam præpararet, qua vaſtum incendium jam præparatum extingueret, vulnerique mederetur Auguſtinianæ Familiæ inflicto. „ Etſi „ memorata Noriſii Opera, inquiebat ſapientiſſimus „ Pontifex, aliquid Bajaniſmi, aut Janſeniſmi redole„ rent, prout Auctor Bibliothecæ Janſeniſticæ immerito autumavit, poſt tot annorum lapſum, in quo„ rum decurſu ea ſummo plauſu excepta ſunt, nonne „ prudens Eccleſiaſtica œconomia exigebat, ut a pro„ ſcriptione abſtineretur, quam unuſquiſque prævidere „ poterat multa mala eſſe excitaturam, unitatem Ec„ cleſiæ Hiſpanæ eſſe ſciſſuram, obſtrepentibus videli„ cet, prout unuſquiſque prævidere poterat, Auguſti„ niani Ordinis Alumnis, & ipſorum aſſeclis, obſtre„ pentibus tot aliis doctis viris in Hiſpania degentibus, „ & partium ſtudio non abreptis, paratiſque ad aſſu„ mendam Auctoris non incogniti, non gregarii, ſed „ litteratorum ſui temporis facile principis, & ex ſolo „ litteraturæ Eccleſiaſticæ & profanæ merito ſacro Car„ dinalium Collegio adſcripti? Nota profecto tuæ erunt „ eruditioni, quæ proſtant in Eccleſiaſticis Hiſtoriis „ prudentis œconomiæ exempla, juxta quæ pro ſcan„ dalo frænando, maliſque imminentibus avertendis „ noſtri Majores cenſuerunt a rigore juris recedere, „ etſi locus illi eſſe debuiſſet. Tempore felic. recordat. „ Clementis XI. examinanda & proſcribenda delata „ ſunt celebris Tillemontii Opera. Accuſatores ex eis „ multa deprompſerant cenſura digna: Pontifex autem „ ſilentium impoſuit, ratus multa mala ex ejus prohi„ bitione eſſe derivatura. Similique œconomia uſus „ eſt, cum ſupremæ Romanæ Inquiſitioni exhibitæ fue„ runt ab accuſatoribus Vitæ Sanctorum a Bollando „ incœptæ, & deinde a Papebrochio, aliiſque Soc. „ Jeſu Patribus continuatæ; etſi multa, & bene multa „ ſagaces accuſatores deprompſiſſent, quæ Theologicam „ cenſuram merebantur. Notum tibi proculdubio erit „ opus non multis abhinc annis editum, typiſque im„ preſſum, quod etſi nomine Authoris careat, omnes „ tamen probe ſciunt eſſe Boſſueti Epiſcopi Melden„ ſis, quod ipſe dum viveret compoſuerat, ita juben„ te Gallorum Rege Ludovico XIV. ſed manuſcriptum „ in nonnullis Bibliothecis reliquerat. Totum opus „ verſatur in aſſerendis Propoſitionibus a Clero Gal„ licano firmatis in Conventu anno 1682. Difficile „ profecto eſt aliud opus reperire, quod æque adverſe„ tur doctrinæ extra Galliam ubique receptæ de Sum„ mi Pontificis ex Cathedra definientis infallibilitate, „ de ejus excellentia ſupra quodcumque Concilium Œ„ cumenicum, de ejus jure indirecto, ſi potiſſimum „ Religionis & Eccleſiæ commodum id exigat, ſuper „ juribus temporalibus Principum ſupremorum. Tem„ pore felicis recordationis Clementis XII. noſtri im„ mediati prædeceſſoris ſerio actum eſt de opere pro„ ſcribendo, & tandem concluſum fuit, ut a proſcri„ ptione abſtineretur, nedum ob memoriam authoris, „ & tot aliis capitibus de religione benemeriti, ſed ob „ juſtum novorum diſſidiorum timorem. Notum deni„ que tibi erit nomen Ludovici Antonii Muratorii „ adhuc viventis, multorum librorum communi plau„ ſu receptorum editoris. Oh quam multa in eis re„ periuntur cenſura digna! Quot hujuſce furfuris Nos „ ipſi eos legentes offendimus! Quot nobis ab æmulis, „ & accuſatoribus oblata ſunt! Et Nos uſque adhuc „ abſtinuimus, & abſtinebimus ab operum condemna„ tione, noſtrorum Prædeceſſorum exemplis edocti, „ qui pacis & concordiæ amore a proſcribendis iis, quæ „ proſcriptionem merebantur, ceſſarunt, quando vide„ licet cenſuerunt plus mali quam boni ex proſcriptione „ derivandum. Hæc procedunt in hypotheſi, in qua „ Noriſiana opera Bajaniſmum, aut Janſeniſmum re„ dolerent. Quid autem dicendum erit, cum ea Baja„ niſmi & Janſeniſmi nota careant, & carere conſtet „ poſt multiplicatum ſuper eis examen in hac ſuprema „ Inquiſitione Romana, cui Summi Pontifices pro „ tempore viventes præſunt, quique mox recenſita e„ xamina ſuo calculo approbarunt? Quæ mox ſubde„ mus, non ex Hiſtoriis, non ex Authoribus uni vel „ alteri parti faventibus, ſed ex Monumentis, quæ „ ex Archivio ſupremæ Inquiſitionis ad nos deferri fe„ cimus, deprehenduntur. Antequam Noriſius Hiſto„ riam Pelagianam, & Diſſertationem ſuper V. Syno„ do typis ederet, rumor inſurrexit Bajaniſmi & Jan„ ſeniſmi; & hinc factum eſt, ut opus extra Urbem „ edendum, Theologorumque & extraneorum Reviſo„ rum approbatione munitum ante editionem ad Ur„ bem tranſmiſſum fuerit. Novi idcirco Reviſores in „ Urbe fuerunt deputati; & cum hi nihil mali, aut „ ſanæ doctrinæ adverſans in opere inveniſſent, Au„ thori datum eſt, ut jure ſuo uteretur, compoſitum„ que opus Typis ederet. Opere edito novæ adverſus „ illud excitatæ ſunt controverſiæ, eo potiſſimum ſub „ obtentu, quod ei furtive additæ ferebantur nonnul„ læ paginæ, quæ non erant in opere manuſcripto, „ quæque idcirco non fuerant Reviſorum oculis ſubje„ ctæ. Purgavit ſe ab hac calumnia Noriſius, & nulla no„ ta ejus Operi inuſta fuit; communiſque plauſus ne„ dum perſeveravit, ſed auctus etiam fuit. Degebat „ Noriſius Florentiæ apud Magnum Hetruriæ Du„ cem, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Cathedram in Uni„ verſitate Piſana moderabatur, tantique viri fama „ cum ad aures Innocentii XII. tunc Eccleſiam uni„ verſalem gubernantis deveniſſet, ipſumque ad Urbem „ evocaſſet, ut officio primi cuſtodis Bibliothecæ Va„ ticanæ fungeretur, ipſiuſque æmuli bene prævidiſſent, „ ipſum ad Urbem fuiſſe vocatum, ut inter Cardi„ nales mox creandos adſcriberetur, Pontifici Innocen„ tio XII. detulerunt Noriſium eſſe virum doctum, „ ſed malæ doctrinæ, & libellis in vulgus ſparſis ve„ teribus repetitis accuſationibus, Janſenianæ doctrinæ „ ipſum inſimularunt. Hæſitavit Innocentius, & „ ne in ſacrum Cardinalium Collegium virum adſcri„ beret malæ aut dubiæ doctrinæ, octo deputavit Theo„ logos, qui a partium ſtudio abeſſent, illiſque curæ „ dedit, ut in Noriſii Opera acrius animadverterent. „ Theologi mandatis ea qua decet reverentia ſtrenue „ morem geſſerunt. Ipſorum ſententiæ in Congregatio„ ne ſupremæ Inquiſitionis, ſuffragantibus etiam Car„ dinalibus eidem adſcriptis perpenſæ ſunt; cumque ni„ hil anathemate, vel alia cenſura dignum in Operi„ bus fuerit adinventum, Pontifex Innocentius Theo„ logorum, & Cardinalium ſenſum facto comprobavit; „ Conſultorum quippe Inquiſitionis Collegio Noriſium „ adſcripſit, quod utique non feciſſet, ſi de ejus ſana „ doctrina vel minimam habuiſſet ſuſpicionem. Æmuli „ etſi hoc novo fulmine percuſſi, nocendi animum nul„ latenus depoſuerunt; ſed ne ſupremæ Inquiſitionis ju„ dicium ab ipſo ſummo Pontifice, ut vidimus, com„ probatum directe impugnare velle viderentur, non„ nullos tantum dixerunt ſibi ſcrupulos ſupereſſe ad„ verſus Noriſii doctrinam, quos & ſparſis in vulgus „ libellis ediderunt: & tunc juſſu Pontificis Innocen„ tii, quinque Diſſertationes eruditas Noriſius elucubra„ vit; primam *de Uno e Trinitate paſſo*; ſecundam, „ hoc eſt *Apologiam Monachorum Scythiæ ab Anonymi „ ſcrupulis vindicatam*; tertiam *de Anonymi ſcrupulis „ circa veterum Semipelagianorum Sectatores*: quartam, „ quæ continet *Reſponſionem ad Appendicem Authoris „ ſcrupulorum*: quintam denique, cui titulus: *Janſe„ niani erroris calumnia ſublata*. Prodierunt hæ Diſ„ ſertationes Romæ anno 1695. iterumque typis im„ preſſæ ſunt inter Opera omnia Cardinalis Noriſii edi„ tionis Veronenſis anni 1732. In eis celeberrimus Au„ thor univerſis adverſariorum petitionibus occurrit; „ ſcrupulos injectos exturbat, evellit, eradicat; & cum „ jure merito plaudentibus omnibus ut victor in Car„ dinalium Collegium fuerit adſcriptus, ab eodem In„ nocentio quoque inter Cardinales ſupremæ Inquiſi„ tioni Romanæ præſidentes relatus eſt, & in ea, ſic„ ut & in aliis Congregationibus, quibus adſcriptus „ fuit, uſque ad obitum ſtrenuam & maxime utilem „ operam navavit. Ex his, quæ fuſe tibi, Venerabilis „ Frater, expoſuimus, colligere poteris, Bajaniſmi & „ Janſeniſmi notam novam non eſſe, eamque repetitis „ ſolemnibus Romanis judiciis fuiſſe penitus elimina„ tam; non licuiſſe Hiſpanæ Inquiſitioni eam iterum „ in controverſiam vocare, multoque minus inter pro„ ſcriptos libros Opera Noriſiana recenſere; juſtiſſimos „ eſſe clamores Ordinis Auguſtiniani, & aliorum ipſi „ adhærentium; nec Nos denique, qui nedum memo„ res ſumus eximiæ benevolentiæ, qua nos, etſi in æ„ tate juvenili conſtitutos Cardinalis Noriſius proſeque„ batur, ſed ulterius veſtigiis Pontificum prædeceſſorum „ Noſtrorum inhærere tenemur, patienter eſſe laturos „ injuriam in Expurgatorio Hiſpano adverſus Cardina„ lem Noriſium ex improviſo & immerito jactatam. „ Te, venerabilis Frater, ex corde diligimus: nota „ nobis eſt tua eximia doctrina, noti tui labores pro „ Eccleſia Dei exantlati. Te merito æſtimamus, eni„ xeque admonemus, & admonendo etiam rogamus, „ ut opportuna pares remedia, nec ſinas diſſidia inter „ te & Nos exoriri, & inter Inquiſitiones Romanam „ & Hiſpanam “. Hæc anno 1748. die 31. Julii

Bene-

Benedictus ſcribebat ad Supremum Hiſpaniæ Inquiſitorem, qui ſapienti excitatus Epiſtola illatam Noriſio injuriam protinus reparavit.

Sunt etiam Benedicti ſapientia prudentiaque plane dignæ regulæ, quas iis ſequendas ſervandaſque propoſuit, qui ceu relatores, conſultoreſque in examine judicioque librorum adhibentur, de quorum proſcriptione agitur in Indicis Congregatione. Proſtant hæ regulæ in Conſtitutione, quæ incipit *Sollicita ac provida Romanorum Pontificum*, anno 1753. edita, eaſque hoc loci percenſere erit operæ pretium. „ I. Meminerint, non id ſibi muneris, oneriſque impoſitum, ut libri ad examinandum ſibi traditi proſcriptionem modis omnibus curent, atque urgeant; ſed ut diligenti ſtudio, ac ſedato animo ipſum expendentes, fideles obſervationes ſuas, veraſque rationes Congregationi ſuppeditent, ex quibus rectum judicium de illo ferre, ejuſque proſcriptionem, emendationem, aut dimiſſionem pro merito decernere valeat. II. Tametſi hactenus cautum ſit, cavendumque deinceps non dubitemus, ut ad referendum, & conſulendum in prædicta Congregatione, ii ſolum admittantur, qui ſcientiam rerum, quas libri delati reſpective continent, diuturno ſtudio acquiſitam poſſideant; decet enim de artibus ſolos artifices judicare; nihilominus ſi forte eveniat, ut alicui per errorem materia aliqua diſcutienda committatur, ab illius peculiaribus ſtudiis aliena, idque a Cenſore, aut Conſultore electo, ex ipſa ſibi lectione deprehendatur; noverit is, ſe neque apud Deum, neque apud homines culpa vacaturum, niſi quamprimum id Congregationi aut Secretario aperiat, ſeque ad ferendam de hujuſmodi libro cenſuram minus aptum profeſſus, alium magis idoneum ad id muneris ſubrogari curet; quo tantum abeſt, ut exiſtimationis ſuæ diſpendium apud Pontificem & Cardinales paſſurus ſit, ut magnam potius probitatis & candoris opinionem & laudem ſibi ſit conciliaturus. III. De variis opinionibus atque ſententiis in unoquoque libro contentis, animo a præjudiciis vacuo, judicandum ſibi eſſe ſciant. Itaque nationis, familiæ, ſcholæ, inſtituti affectum excutiant; ſtudia partium ſeponant; Eccleſiæ ſanctæ dogmata, & communem Catholicorum doctrinam, quæ Conciliorum Generalium decretis, Romanorum Pontificum Conſtitutionibus, & Orthodoxorum Patrum atque Doctorum conſenſu continetur, unice præ oculis habeant; hoc de cætero cogitantes, non paucas eſſe opiniones, quæ uni ſcholæ, inſtituto, aut nationi certo certiores videntur, & nihilominus ſine ullo fidei, aut religionis detrimento, ab aliis catholicis viris rejiciuntur, atque impugnantur, oppoſitæque defenduntur, ſciente ac permittente Apoſtolica Sede, quæ unamquamque opinionem hujuſmodi in ſuo probabilitatis gradu relinquit. IV. Hoc quoque diligenter animadvertendum monemus, haud rectum judicium de vero authoris ſenſu fieri poſſe, niſi omni ex parte illius liber legatur, quæque diverſis in locis poſita, & collocata ſunt, inter ſe comparentur; univerſum præterea authoris conſilium & inſtitutum attente diſpiciatur; neque vero ex una vel altera propoſitione a ſuo contextu divulſa, vel ſeorſim ab aliis, quæ in eodem libro continentur, conſiderata & expenſa, de eo pronunciandum eſſe; ſæpe enim accidit, ut quod ab authore in aliquo Operis loco perfunctorie, aut ſubobſcure traditum eſt, ita alio in loco diſtincte, copioſe, aut dilucide explicetur, ut offuſæ priori ſententiæ tenebræ, quibus involuta pravi ſenſus ſpeciem exhibebat, penitus diſpellantur, omniſque labis expers propoſitio dignoſcatur. V. Quod ſi ambigua quædam exciderint authori, qui alioquin catholicus ſit, & integra religionis doctrinæque fama, æquitas ipſa poſtulare videtur, ut ejus dicta benigne, quantum licuerit, explicata, in bonam partem accipiantur". Has ſimileſque regulas, quæ apud optimos ſcriptores de his agentes facile occurrent, ſemper animo præſentes habere voluit Benedictus Cenſores & Conſultores, quo valeant in hoc graviſſimo judicii genere, conſcientiæ ſuæ, authorum famæ, Eccleſiæ bono, & fidelium utilitati conſulere.

Cum Eccleſia Gallicana graviſſimis controverſiarum & diſſenſionum incommodis jactaretur, anno 1757. die V. Septembris Epiſtolam Encyclicam ad S. R. E. Cardinales, Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Galliarum in Comitiis congregatos dedit, qua iis finis impoſitus eſt, eorumque furor coercitus, qui Euchariſtiam leviſſima plerumque de cauſſa illis denegabant, quos Conſtitutioni *Unigenitus* adverſari ſibi perſuaſerant. Conſtitutionis hujuſce dignitatem & authoritatem prædicavit Benedictus hac Encyclica, tum docuit quinam eidem refragari dicendi eſſent, & quando ſacramenta denegare fas eſſe liceret. „ Tanta eſt profecto, inquit, in Eccleſia Dei authoritas Apoſtolicæ Conſtitutionis, quæ „ incipit *Unigenitus*, eademque ſibi tam ſinceram ve„ nerationem, obſequium, & obedientiam ubique vin„ dicat, ut nemo fidelium poſſit abſque ſalutis æternæ „ diſcrimine a debita erga ipſam ſubjectione ſe ſe ſub„ ducere, aut eidem ullo modo refragari. Hinc por„ ro conſequitur, ut in ea, quæ exorta eſt, controver„ ſia, utrum hujuſmodi refractariis ſanctiſſimum Cor„ poris Chriſti Viaticum expetentibus denegari debeat, „ ſine ulla hæſitatione reſpondendum ſit, quoties præ„ dictæ Conſtitutioni publice & notorie refractarii ſint, „ denegandum eis eſſe; ex generali nimirum regula, „ quæ vetat publicum atque notorium peccatorem ad „ Euchariſtiæ communionis participationem admitti, ſive „ eam publice, ſive privatim requirat. Publici au„ tem atque notorii ſunt refractarii, in caſu de quo „ agitur, quicumque per ſententiam a Judice compe„ tente prolatam rei declarati ſunt, eo nomine quod „ debitam prædictæ Conſtitutioni *Unigenitus* veneratio„ nem, obſequium, & obedientiam contumaciter dene„ gaverint; quicumque etiam hujuſmodi contumaciæ „ reos ſe in judicio confeſſi ſunt; ac præterea illi, qui „ quamvis nec a Judice condemnati, neque reatum „ ſuum in judicio confeſſi fuerint, nihilominus vel eo „ tempore, quo ſacrum ipſum Viaticum ſuſcepturi ſunt, „ propriam inobedientiam, & contumaciam adverſus „ Conſtitutionem *Unigenitus* ſponte profitentur, vel in „ anteactæ vitæ decurſu aliquid evidenter commiſiſſe no„ ſcuntur manifeſtæ oppoſitum venerationi, obſequio, „ & obedientiæ eidem debitæ Conſtitutioni, in eoque „ facto moraliter perſeverare; quod ita vulgo cognitum „ eſt, ut publicum ſcandalum inde exortum non adhuc „ ceſſaverit; in his enim caſibus eadem omnino adeſt „ moralis certitudo, quæ habetur de iis factis, ſuper „ quibus judex ſententiam tulit; vel ſaltem alia ſup„ petit moralis certitudo prædictæ ſimilis & æquipol„ lens. In quo tamen præ oculis habenda eſt diffe„ rentia, quæ intercedit inter notorium illud, quo me„ rum aliquod factum deprehenditur, cujus facti reatus „ in ſola externa actione conſiſtit, ut eſt notorietas uſu„ rarii aut concubinarii, & aliud notorii genus, quo „ externa illa facta notari contigerit, quorum reatus „ ab interna etiam animi diſpoſitione plurimum pen„ det; de quo quidem notorii genere nunc agitur: al„ terum enim illud gravibus ſane probationibus evinci „ debet; ſed alterum gravioribus certioribuſque argu„ mentis probari oportebit. Ea vero, quam ſupra in„ nuimus, certitudo minime adeſſe cenſenda eſt in aliis „ caſibus, in quibus crimen nititur conjecturis, & præ„ ſumptionibus, quæ originem ſuam plerumque debent „ hominibus aut malo animo affectis, aut qui præju„ dicatis opinionibus, vel partium ſtudiis ducuntur; „ quibus dum fidem habetur, ſatis compertum eſt tum „ præteritorum temporum, tum ſatis noſtra experien„ tia, quot modis homines errare & falli, ac in trans„ verſum agi contingat. Quia vero nonnulli animarum „ Paſtores eccleſiæque Miniſtri pietate & zelo com„ mendati, hujuſmodi conjecturis & præſumptionibus „ deferentes, dum ad ſacrum Viaticum aliquibus mini„ ſtrandum advocantur animo anxii hærent, verentes „ ne id ſine propriæ conſcientiæ periculo adminiſtrare „ non poſſint, certam ſubnectimus agendi regulam, „ quam ſequantur. Hoc itaque animadvertere debent; „ an ſcilicet ei, qui extremum Viaticum poſtulat, „ quum antea ad ſacram menſam accederet, Paſchali „ præſertim tempore, a loci illius Parocho, ubi dege„ bat, Euchariſtica communio adminiſtrata fuerit: ſi „ enim hæc illi in vita non fuerit denegata, argumento „ id erit aut hominem illum ab omni labe immunem, „ aut ſaltem non vere notorium peccatorem reputatum „ fuiſſe; indeque ſequetur ſacrum Viaticum eidem in „ exitu vitæ publice poſtulanti denegari non poſſe; niſi „ forte poſtquam olim ad Euchariſticam menſam ad„ miſſus fuit, & ante id tempus, quo poſtrema Sacra„ menta requirit, aliquid commiſiſſe noſcatur, quo pu„ blici & notorii peccatoris notam, juxta præmiſſa, „ contraxerit. Ubi autem ex hac facti ſpecie certum „ ipſis non ſuppetat fundamentum, cui inſiſtere valeant, „ aliunde vero validæ adverſus ægrotum præſumptiones, „ & indicia gravia, & urgentia militent, ob quæ obor„ tum ſibi ſcrupulum rationabiliter deponere nequeant, „ in his rerum circumſtantiis oportet eos, remotis arbi„ tris, ægrotantem alloqui, eique cum omni lenitate, „ & manſuetudine, non tanquam diſputantes, eumque „ convincere volentes, oſtendere quæ & qualia ſunt in„ dicia, quæ ſuſpectum reddunt ipſius vitæ tenorem, „ rogantes eum, & obſecrantes, ut reſipiſcat in eo ſal„ tem temporis articulo, a quo æterna ipſius ſalutis ſors „ pendet, eidemque præterea demonſtrantes, quod, „ quamvis ipſi parati ſint ſanctiſſimum Corporis Chri„ ſti Viaticum ei miniſtrare, ac etiam reipſa illud ei „ admi-

„ administrent, non ideo tamen tutus ipse erit ante „ Tribunal Christi, sed potius novi & horrendi crimi- „ nis reum se constituet, ex quo judicium sibi mandu- „ cavit & bibit; ceterum se non alia de caussa sacra- „ mentum Corporis Christi eidem ministraturos, nisi ut „ Ecclesiæ jubenti obtemperent, quæ præter eam, quam „ habet, curam ut scandala publica antevertat, pro „ sua etiam pietate ægroti ipsius infamiam præcavere „ studet; & idcirco eum a sacra mensa non repellit, „ dum ipsum licet peccatorem in conspectu Domini re- „ putet, non tamen in proprio Tribunali publicum, „ atque notorium peccatorem agnoscit. Hanc itaque „ judicandi agendique normam oportet vos, venerabiles „ fratres, utpote nostro & Apostolicæ Sedis judicio „ probatam, inferioribus animarum Pastoribus, cæteris- „ que Presbyteris, per Civitates & Diœceses vestras „ sacramenta legitime administrantibus, sequendam & „ observandam proponere. Quod quidem judicium su- „ per vigentibus controversiis a nobis interpositum, & „ Ecclesiasticis Regulis nititur, & Conciliorum olim in „ ipsis Galliarum Regionibus habitorum decretis, & „ gravium ipsius nationis vestræ Theologorum sententiis „ fulcitur ". Hanc sapientissimam Epistolam cum ne- farius quidam Anonymus libello edito proscidisset, sta- tim hic tanquam continens *assertiones repective falsas*, *temerarias*, *scandalosas*, *multimode injuriosas*, *contume- liosas*, *impudentes*, *captiosas*, *seditiosas*, *& schismati faventes*, authoritate Apostolica a Benedicto nigro the- ta notatus est, jussumque fidei Quæsitoribus ut exactissi- ma diligentia adhibita curarent authorem libelli detege- re & agnoscere, quo posset pro meritis castigari; sic exigente justitia publica, quæ pernicioso hujusmodi au- sus severiori vindicta coerceri jubet. Anonymi hujus- ce improbitatem luculentissime demonstravit retuditque Joannes Vincentius Patuzzius in Vindiciis Italicis lau- datæ hactenus Encyclicæ Benedicti XIV. quæ etiam in Gallicam linguam conversæ publicam bonorum o- mnium adprobationem assecutæ sunt; authorisque famam ac nomen latius propagarunt, & clarissimum reddi- dere.

T. 2. P.

Controversias ob Aquilejensem Patriarchatum excita- tas, quæ Prædecessores suos fatigaverant, diremit, eo sublato suppressoque, ac duobus ejus loco erectis sedibus Archiepiscopalibus, uti innuimus. Non erit abs re, ut credimus, editæ hoc de negotio a Benedicto Consti- tutionis partem Lectoris oculis subjicere: „ Invocantes, „ inquit, Nos exaudivit misericors Dominus, dumque „ maximarum tribulationum, & amaritudinum fluctibus „ jactaremur, misit ex alto adjutorium suum, factaque „ tranquillitate, Nos uberi consolationum suarum dul- „ cedine recreavit. Ipse etenim, in cujus manu sunt „ Regum corda, uno eodemque tempore charissimæ in „ Christo filiæ nostræ Mariæ Theresiæ Hungariæ & „ Bohemiæ Reginæ illustris in Romanorum Imperatri- „ cem electæ animum inclinavit, ut de proponendo sta- „ bili remedio pro Aquilejensibus rebus perpetuo com- „ ponendis cogitaret; simulque effecit, ut dilecti filii „ nobiles viri Dux & Respublica Venetiarum concordi „ studio id ipsum optarent. Cujus rei indubium testi- „ monium Nobis præbuerunt Epistolæ ad Nos conscri- „ ptæ tum a prædicta Maria Theresia Regina in Im- „ peratricem electa sub die XVII. Martii currentis an- „ ni MDCCLI., quas Nobis exhibuit dilectus filius „ noster Marius hujus S. R. E. Presbyter Cardinalis „ Millinus nuncupatus, tum a præfato Venetiarum Du- „ ce sub die XXXI. ejusdem mensis & anni, quas di- „ lectus quoque filius noster Carolus ejusdem S. R. E. „ Presbyter Cardinalis Rezzonicus etiam nuncupatus „ nobis exhibuit. Qui sane Marius & Carolus Cardi- „ nales die VI. Apriles ad audientiam nostram una si- „ mul se conferentes, memoratis respective litteris no- „ bis redditis, non solum flagrantia utriusque partis de- „ sideria, ut hujusmodi perpetuo ac stabili remedio A- „ quilejensis Patriarchatus negotium terminaretur, una- „ nimi Nobis voce repræsentarunt; sed etiam singillatim „ ea Nobis exposuerunt, de quibus partes ipsæ olim „ dissentientes, nostris invitationibus & hortationibus „ obsecundantes, diligentibus tractatibus & colloquiis „ habitis, convenerunt, cujus conventionis exempla in „ scriptis redacta nobis relinquentes, earumdem partium „ nomine nobis humiliter supplicarunt, ut illis, pro re- „ rum conventarum subsistentia & observantia, appro- „ bationis nostræ robur adjicere, nec non pro earum- „ dem rerum executione Apostolicæ nostræ auctoritatis „ plenitudinem interponere dignaremur. Articuli au- „ tem conventionis inter prædictas partes initæ, qui „ earumdem mandato subscripti & respective ab ipsis „ approbati, & ratificati fuerunt, sunt tenoris sequen- „ tis: videlicet *Cum sacra Cæsarea Regiaque Hungariæ* „ *Bohemiæque Majestas Serenissimam Venetam Rempubli-* „ *cam sincero & singulari prorsus affectu prosequatur,* „ *ac proinde de illibata cum eadem servanda amicitia,* „ *bona vicinitate, ac unione quam maxime sit studio-* „ *sa; neque minus præfata Serenissima Respublica hanc* „ *ipsam amicitiam, bonam vicinitatem, ac unionem* „ *pari studio excolere satagat; hinc quod tam ex una,* „ *quam ex altera parte enixo studio eo fuerit allabo-* „ *ratum, ut quæ per aliquot sæcula hucusque subsiterat* „ *circa Aquilejensem Patriarchatum controversia, amica* „ *ac utrinque æque decora via penitus ac radicitus ter-* „ *minetur. Quem in finem, ad opus tam salutare tra-* „ *ctandum ac peragendum, sacra Cæsarea Regiaque* „ *Hungariæ & Bohemiæ Majestas Virum illustrissimum* „ *ac excellentissimum Dominum Corficium sacri Romani* „ *Imperii Comitem ab Ulfeld, suum Consiliarium Sta-* „ *tus actualem intimum, nec non Aulæ & Status Can-* „ *cellarium, supremum supellectili Argenteæ Regni* „ *Bohemiæ Hæreditarium Præfectum, Dominum Dyna-* „ *stiarum Hostascov, Prodliz, Ottaslawitz, & Zultsch* „ *&c. aurei velleris Equitem; Serenissima vero Veneta* „ *Respublica suum in Aula Cæsarea commorantem Ora-* „ *torem Ordinarium Illustrissimum & excellentissimum* „ *nobilem Dominum Andream Tronum Equitem &c.* „ *plena facultate muniverint, qui, collatis prius inter* „ *se colloquiis, de sequentibus conditionibus convene-* „ *runt.* Art. I. *Sacra Cæsarea Regiaque Majestas tum* „ *Sanctitati suæ, tum Serenissimæ Venetæ Reipublicæ* „ *optionem relinquit, num loco abolendi prorsus Patriar-* „ *chatus Aquilejensis, duo Episcopatus, aut Archiepi-* „ *scopatus, unus ex parte Imperii, & alter ex parte* „ *Ditionum præfatæ Reipublicæ subditarum, institui ve-* „ *lint, quorum primus Goritiensis, alter Utinensis in* „ *posterum nuncupabitur; ea tamen sub conditione, ut* „ *inter eandem, & Serenissimam Venetam Rempubli-* „ *cam, quoad hanc novam institutionem, & erectio-* „ *nem, perfecta æqualitas observetur, & uterque seu* „ *Episcopus, seu Archiepiscopus, iisdem prorsus gau-* „ *deat facultatibus.* Art. II. *Ne dubium ullum super-* „ *esse queat, quid sub omnimoda Aquilejensis Patriar-* „ *chatus abolitione juxta mentem contrahentium par-* „ *tium, prævio Sanctitatis suæ in id ipsum consensu,* „ *intelligatur; disertim inter easdem conventum est,* „ *sub hac ipsa denominatione non solum ipsius Patriar-* „ *chatus abolitionem, sed & abolitionem inde dependen-* „ *tium Tituli, Dignitatum, Canonicatuum, & Bene-* „ *ficiorum intelligi debere; ita quidem, ut nullus in-* „ *posterum seu Canonicus, seu annexa quadam Aquile-* „ *jensi, qua Patriarchali, Ecclesiæ dignitate præditus,* „ *se talem nuncupare audeat; sed qui ex parte Imperii* „ *sunt, Goritienses; & qui ex parte Venetæ Reipubli-* „ *cæ sunt, Utinenses inposterum nuncupentur.* Art. III. „ *Sacra Cæsarea, Regiaque Majestas consentit, ut E-* „ *minentissimus Dominus Cardinalis Delphinus, quam-* „ *diu vixerit, nomen, titulum, & honores Patriarchæ* „ *retineat; eo tamen pacto, ut ex consensu hocce suo* „ *Augustæ Domus suæ, aut Sacri Romani Imperii juri-* „ *bus, prout illa ante præsentis concordiæ Articulos com-* „ *parata fuerunt, nullum vel minimum præjudicium il-* „ *latum, nec quicquam in ditionibus suis præfato Eminen-* „ *tissimo Domino Cardinali concessum censeri queat.* Art. „ IV. *Mortuo autem eodem, nomen quoque & titulus* „ *Patriarchæ iis in terris, quæ Aquilejensi quondam* „ *Ecclesiæ suberant, cessare omnino debebit.* Art. V. „ *Sacra Cæsarea Regiaque majestas pro se, suisque hæ-* „ *redibus, & successoribus, & Serenissima Veneta Res-* „ *publica se se quam validissime æquali tam ex una,* „ *quam ex altera parte ratione obstringunt, quod nul-* „ *lis unquam futuris temporibus, ultra supra memora-* „ *tas concordiæ leges, multo minus contra easdem in* „ *iis, quæ Aquilejensem quondam Patriarchatum quo-* „ *cumque demum modo, seu directe, seu indirecte* „ *concernunt, quicquam a S. Sede Pontificia expetere,* „ *aut si oblatum fuerit, accipere, sed unice præsentis* „ *concordiæ legibus stare velint.* Art. VI. *Sacra Cæ-* „ *sarea Regiaque Majestas pro se, suisque hæredibus,* „ *& successoribus, quo fieri potest meliore & firmiore* „ *modo, quæ jam in antecessum suo nomine tutius de-* „ *clarata fuerunt, denuo confirmat; nempe quod nunquam* „ *ipsi in mentem venerit, sub colore, prætextu, aut ex* „ *caussa eorum, quæ circa Aquilejensem Patriarchatum* „ *ventilata hucusque fuerunt, vel unicam terræ palmam* „ *de territorio, quod Serenissimæ Venetæ Reipublicæ sub-* „ *est, sibi aut in præsens, aut in posterum arrogare;* „ *renuntiando disertius iis, quæ inde desumi possent,* „ *titulis aut prætensionibus quibuscumque.* Art. VII. „ *Pro tollenda omni dissidiorum caussa, reditus qui ad* „ *Aquilejensem Ecclesiam hactenus spectarunt, ita sepa-* „ *rentur, ut qui ex terris Austriacis proveniunt, con-* „ *stituendo ibidem novo Episcopo, aut Archiepiscopo,* „ *eique subjectis Canonicis; illi vero, qui ex Veneto* „ *territorio promanant, Utinensi Episcopo, aut Archie-* „ *piscopo, & ibidem degentibus Canonicis ex asse ce-* „ *dant.*

„ *dant . Et ſi quæ adhuc ſuperſunt alia rerum capita*
„ *ad Aquilejenſem Patriarchatum ſe ſe referentia , de*
„ *iis ex æquo & bono inter ſacram Cæſaream Regiam-*
„ *quæ Majeſtatem & Sereniſſimam Venetam Rempubli-*
„ *cam , ad inſtar eorum , quæ quoad limites obſervata*
„ *hucuſque fuerunt , quo citius , eo melius amica pari-*
„ *ter via terminentur .* Art. VIII. *Si quæ hinc inde*
„ *durante controverſia , ſpeciatim ex Aquilejenſi Eccle-*
„ *ſia ablata fuerint , bona fide quantocyus reſtituantur ,*
„ *& ſuper iis ad ſenſum præcedentis Articuli ex æquo*
„ *& bono omnia terminentur .* Art. IX. *Ad normam*
„ *præſentis conventionis , tam ex parte ſacræ Cæſareæ*
„ *Regiæque Majeſtatis , quam ex parte Sereniſſimæ Vene-*
„ *tæ Reipublicæ , apud Sanctitatem ſuam uſitato & de-*
„ *cente modo inſtabitur , ut quemadmodum eadem præ-*
„ *nam ſe jam in anteceſſum & propenſam declaravit*
„ *erectioni duorum Epiſcopatuum , ſeu Archiepiſcopatuum*
„ *iiſdem utrinque facultatibus munitorum benigne an-*
„ *nuere ; ita Sanctitas ſua ultimum tam ſalutari ſcopo ,*
„ *communi ac concordi ſtudio utrinque promovendo com-*
„ *plementum quantocius dare velit .* Sane , ſi ex com-
„ muni plauſu , quo hujus conventionis inter præfatos
„ ſupremos Dominantes feliciter initæ , nec non ſingu-
„ lorum capitum in ipſa conventione contentorum no-
„ titia , tam citra , quam ultra montes a viris corda-
„ tis , & publicæ tranquillitatis , rectique rerum ordi-
„ nis amatoribus excepta fuit , de illa & de illis judi-
„ candum ſimpliciter nobis fuiſſe putaviſſemus ; nil ul-
„ tra laboris aut diligentiæ Nobis , aut illis , quorum
„ conſiliis utimur , in eorundem examine adhibendum
„ fuiſſet . Sed quoniam nihil omittendum nobis eſſe ju-
„ dicavimus , quod ad approbationem noſtram conſide-
„ ratius , atque conſultius interponendam conducere va-
„ leret ; quum ad memoriam noſtram revocaverimus tam
„ ea , quæ in Eccleſiaſticis Annalibus habentur circa
„ Patriarchatus Aquilejenſis exordia , graviſſimaſque per-
„ turbationes , quibus Eccleſia Dei propterea vexata fuit ,
„ quam quæ in Hiſtoriis ſæcularibus relata ſunt de mul-
„ tiplicibus diſſenſionibus , cruentiſque bellis , quæ inter
„ Chriſtianos Principes , ejuſdem Patriarchatus occaſio-
„ ne , frequenter arſerunt ; cujuſmodi periculis veren-
„ dum erat , ne eorundem Chriſtianorum Principum pax
„ & concordia , donec Patriarchatus ipſe ſubſiſteret ,
„ perpetuo expoſita remaneret , ipſius quoque Civitatis
„ Aquilejenſis præſentem ſtatum præ oculis habentes ,
„ & miſeram conditionem , ad quam a tanto tempore
„ redacta eſſe dignoſcitur , ut in multorum Patriarcha-
„ rum ſerie nullus inveniatur , qui in ipſa reſederit ,
„ nec ullum in poſterum in ea manſurum fore creden-
„ dum eſſe : Conſiderantes præterea , quibus cautelis
„ plurium ſæculorum ſpatio ab Apoſtolica Sede procedi
„ opus fuerit in ejuſdem Patriarchatus collatione , &
„ proviſione , ad evitandas offenſiones , ac diſſenſionum
„ bellorumque tumultus , qui inter ſupremos Principes
„ ea occaſione accendi potuiſſent : quodque jam du-
„ dum paſtoralem ſollicitudinem noſtram magis ange-
„ bat , perpenſis ſpiritualibus neceſſitatibus tot millium
„ animarum ampliſſimam partem Aquilejenſis Diœceſis
„ ultra modum extenſæ incolentium , & a Veneto Do-
„ minio diſſitarum , quarum regimen jam dudum , ob
„ inextricabiles rerum ſæcularium difficultates , haud fe-
„ liciter procedebat : qua de re cum plures recurſus a
„ Patriarchis pro tempore ad hanc Apoſtolicam Sedem
„ facti fuerint , dum ſtatum Eccleſiæ ſuæ eidem Apo-
„ ſtolicæ Sedi ſtatutis temporibus de more referrent ;
„ cumque piorum atque prudentium virorum , graviſſi-
„ mas dictarum animarum calamitates deplorantium ,
„ relationes & querelæ tum ad prædeceſſores noſtros
„ Romanos Pontifices , tum ad Nos ipſos ſæpe perve-
„ nerint , animo occurrebat , quam fruſtra iidem Præ-
„ deceſſores noſtri Pontificiæ ſollicitudinis officia ad hu-
„ juſmodi calamitates ſublevandas pluries interpoſuerint ;
„ quot etiam ad hoc idem inutiliter excogitata fuerint
„ remedia , quæ vel optatam executionem , vel ſpera-
„ tum fructum nequaquam obtinere , vel plenam recti
„ ordinis reintegrationem producere non potuerunt , vel
„ denique temporaneam duntaxat attulerunt utilitatem ;
„ cum ſcilicet ideo excogitata fuerint & adhibita , ut
„ viam ſternerent ad firmum tandem , & ſtabile reme-
„ dium memoratis deordinationibus perpetuo tollendis
„ inveniendum . His omnibus matura conſideratione
„ penſatis , iiſdemque conventionis Capitibus attente
„ perpenſis , implorato ſæpius divini luminis adjuto-
„ rio , ac requiſitis , auditiſque ſuper his nonnullorum
„ Venerabilium noſtrorum Fratrum S. R. E. Cardina-
„ lium ſententiis , de eorum conſilio & aſſenſu , poſtu-
„ lationibus hujuſmodi pro parte dictæ cariſſimæ in Chri-
„ ſto Filiæ noſtræ Mariæ Thereſiæ Hungariæ , & Bo-
„ hemiæ Reginæ Illuſtris in Romanorum Imperatricem
„ electæ , nec non dilectorum filiorum nobilium Viro-
„ rum Ducis , & Reipublicæ Venetiarum Nobis , ut præ-
„ fertur , exhibitis in omnibus , & per omnia pleniſſi-
„ me annuentes , non modo præinſerta omnia , & ſin-
„ gula conventionis capita , utpote ad publicum bo-
„ num , & felix animarum regimen tendentia , præ-
„ ſentium literarum tenore laudamus , & approbamus ;
„ verum etiam per eaſdem præſentes ad ea exequenda ,
„ & ſtatuenda , quæ pertinent ad omnimodam atque
„ perpetuam ſuppreſſionem Patriarchatus Aquilejenſis ,
„ necnon ad erectionem duorum Archiepiſcopatuum æqua-
„ libus omnino juribus , præeminentiis , ac prærogativis
„ præditorum , relicto ut infra dilecto Filio noſtro Da-
„ nieli S. R. E. Presbytero Cardinali Delfino nuncupati-
„ vo , dum vixerit , Patriarchæ Titulo , procedere volen-
„ tes , aliorum vero Capitum inter præfatas partes , ut
„ ſupra dictum eſt , conventorum , ac reſpective a Nobis
„ approbatorum executionem , per alias noſtras Apoſtoli-
„ cas litteras implendam , ſtatuendamque reſervantes .
„ De Apoſtolicæ poteſtatis noſtræ plenitudine , qua No-
„ bis datum eſt , juſtis concurrentibus cauſis , Eccleſias
„ Parochiales , Archiepiſcopales , & Epiſcopales erige-
„ re , transferre , ſupprimere , & extinguere , earumque
„ Diœceſes dividere , ac ſeparare , prout in Domino ex-
„ pedire noverimus : motu proprio , & certa ſcientia ,
„ ac præſentium litterarum tenore in dicta Aquilejenſi
„ Civitate , & Eccleſia Patriarchalem Cathedram , Di-
„ gnitatem , & Sedem , Titulum , ac denominationem ,
„ atque omne Patriarchale , Metropoliticum , & Diœce-
„ ſanum jus eidem Eccleſiæ , ac Sedi hactenus adne-
„ xum , necnon ipſius Eccleſiæ Capitulum , Dignitates ,
„ Canonicatus , atque Præbendas , itaut deinceps Pa-
„ triarchalis , Archiepiſcopalis , aut Cathedralis Eccle-
„ ſia , Aquilejenſis Patriarcha , Archiepiſcopus , aut E-
„ piſcopus , vel illius Eccleſiæ Dignitas , aut Canoni-
„ cus denominari poſſit , penitus , omnino , ac perpetuo
„ ſupprimimus & extinguimus . Ut autem animabus
„ Chriſtifidelium in locis hactenus Aquilejenſis Patriar-
„ chatus per Nos , ut præfertur , ſuppreſſi , & extincti
„ ſpirituali juriſdictioni ſubjectis , quæque in temporali-
„ bus tam Venetæ Reipublicæ , quam Auſtriacæ Fami-
„ liæ ſupremo parent dominio degentium , Eccleſiaſtici
„ regiminis ſubſidia non deſint ; ſimili motu , ſcientia ,
„ & poteſtatis plenitudine per eaſdem præſentes ex
„ nunc in Civitate Utinenſi unam Archiepiſcopalem
„ Cathedram , & Sedem , Archiepiſcopatum Utinenſem
„ nuncupandam , cum omnibus , & ſingulis juribus , et-
„ iam Metropolitico , cæteriſque præeminentiis , & præ-
„ rogativis aliis Archiepiſcopalibus Eccleſiis de jure ,
„ uſu , ac conſuetudine competentibus perpetuo erigi-
„ mus , & conſtituimus ; cui quidem Archiepiſcopatui
„ pro peculiari ejus Diœceſi totum illum regionis tra-
„ ctum , qui temporali Reipublicæ Venetæ dominio
„ ſubjectus eſt , & hactenus a pro tempore exiſtente Pa-
„ triarcha Eccleſiæ Patriarchalis Aquilejenſis per Nos ,
„ ut præfertur , ſuppreſſæ , & extinctæ Diœceſano jure
„ obtinebatur , & pacifice regebatur , tribuimus , & aſ-
„ ſignamus ; nec non in ſuffraganeos eos omnes , & ſin-
„ gulos Epiſcopos , quorum Cathedrales Eccleſiæ in
„ præfatæ Reipublicæ Venetæ dominio conſiſtunt , qui-
„ que ad hunc diem eidem Patriarchatui Aquilejenſi
„ per Nos , ut præfertur , ſuppreſſo , & extincto ſubje-
„ cti fuerint , ſubjicimus , atque ſupponimus ; prout la-
„ tius , atque diſtinctius per alias noſtras Apoſtolicas
„ litteras ſuper erectione hujuſmodi Utinenſis Eccleſiæ
„ Archiepiſcopalis , æqualibus , ut præfertur , juribus ,
„ & prærogativis cum infraſcripta Goritienſi Archiepi-
„ ſcopali pariter Eccleſia inſigniendæ , peculiariter ex-
„ pediendas ſtatuetur , & explicabitur . Simili quoque
„ modo ex nunc in Civitate Goritienſi alteram Archie-
„ piſcopalem Cathedram & Sedem , Archiepiſcopatum
„ Goritienſem nuncupandam , cum omnibus & ſingulis
„ prædictis juribus , etiam Metropolitico , cæteriſque
„ præeminentiis , & prærogativis , aliis Archiepiſcopa-
„ libus Eccleſiis de jure , uſu , ac conſuetudine compe-
„ tentibus , earumdem præſentium tenore , dictiſque
„ motu , ſcientia , & poteſtatis plenitudine perpetuo pa-
„ riter erigimus , & conſtituimus ; cui etiam Archiepi-
„ ſcopatui pro ejus peculiari Diœceſi , alteram Patriar-
„ chalis hactenus Eccleſiæ Aquilejenſis , per Nos , ut
„ præfertur , ſuppreſſæ , & extinctæ Diœceſis partem ,
„ quæ Auſtriacorum Principum dominio ſubeſt , quæque
„ noviſſimis temporibus per Vicarium Apoſtolicum
„ Epiſcopali charactere præditum , a Nobis ad tempus ,
„ & ad noſtrum , ac Sedis Apoſtolicæ beneplacitum
„ inibi conſtitutum , in ſpiritualibus gubernata fuit , tri-
„ buimus , & aſſignamus , ita ut ſtatim , ac novæ Ar-
„ chiepiſcopali Goritienſi Eccleſiæ hujuſmodi Apoſtoli-
„ ca auctoritate futurus illi Archiepiſcopus præficietur ,
„ prædicti Apoſtolici Vicarii gubernium , necnon omnes ,
„ & ſingulæ providentiæ & ordinationes , ſive a præ-
„ deceſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus , ſive a No-
„ bis ipſis pro animarum regimine in dicta Aquilejenſis

„ quon-

„ quondam Diœceſis parte Auſtriacæ dictioni ſubjecta „ captæ, editæ, atque ſtatutæ, exinde in poſterum pro „ ſublatis, irritis, abrogatiſque eo ipſo habeantur; eidem„ que Goritienſi Archiepiſcopatui in ſuffraganeos, eos „ omnes, & ſingulos Epiſcopos, quorum Eccleſiæ Ca„ thedrales in temporali Auſtriaca Ditione conſiſtunt, „ quique ad hunc diem Patriarchali Eccleſiæ Aquile„ jenſi per Nos, ut præfertur, ſuppreſſæ & extinctæ „ ſimili jure ſubjectæ fuerunt, ſupponimus, atque ſub„ jicimus; prout etiam in aliis noſtris Apoſtolicis lit„ teris ſuper erectione hujuſmodi Goritienſis Eccleſiæ „ Archiepiſcopalis, æqualibus pariter juribus, & præ„ rogativis cum ſupradicta Utinenſi Archiepiſcopali Ec„ cleſia inſigniendæ peculiariter expediendis plenius at„ que diſtinctius ſtatuemus, & explicabimus. Et quo„ niam illuſtria religionis ac pietatis argumenta, quæ „ in tractatione hujus graviſſimi negotii, ex quo Ec„ cleſia Dei tot perturbationes, & anxietates aliquot „ jam ſæculorum decurſu ſuſtinuit, necnon in ſuperius „ relata conventione inter prædictas partes provide ini„ ta, & a Nobis per præſentes approbata ex parte tam „ dictæ Mariæ Thereſiæ Reginæ in Imperatricem ele„ ctæ, quam prædictorum Ducis, & Reipublicæ Ve„ netiarum edita fuerunt, maximum utilitatis fructum „ eidem Eccleſiæ Dei in præſenti attulerunt, atque „ etiam in poſterum allatura ſore proſpicimus; idcirco „ Nos, motu, ſcientia, & poteſtate paribus ipſarum „ tenore præſentium prædictæ Mariæ Thereſiæ Regi„ næ in Imperatricem electæ, ſuiſque ſucceſſoribus in „ perpetuum ad præfatum Goritienſem Archiepiſcopatum „ per Nos, ut præfertur, erectum tam pro prima hac „ vice, quam quoties perpetuis futuris temporibus ipſum „ vacare contigerit, jus nominandi Nobis, & Romano „ Pontifici pro tempore exiſtenti perſonam idoneam, „ per Nos, & ſucceſſores Noſtros ad eumdem Archie„ piſcopatum Goritienſem pro tempore promovendam, „ eique præficiendam, necnon prædictis Duci, & Rei„ publicæ Venetiarum, ad alium Utinenſem Archiepi„ ſcopatum etiam per Nos, ut præfertur, erectum, „ quoties per liberam præfati Danielis Cardinalis di„ miſſionem, ſive per ejus deceſſum, ac etiam deinceps „ alio quovis modo perpetuis futuris temporibus vacare „ contigerit, ſimile jus nominandi Nobis, & Romano „ Pontifici pro tempore exiſtenti perſonam idoneam et„ iam per Nos, & Romanos Pontifices Succeſſores No„ ſtros pro tempore ad eumdem Archiepiſcopatum Uti„ nenſem promovendam etiam perpetuo reſpective con„ cedimus, & impertimur, prout per alias quoque lit„ teras in forma Brevis ſuper utriuſque juris nominandi „ hujuſmodi conceſſione peculiariter reſpective expedien„ das id ipſum ſtatuemus, ac indulgebimus. Præfato au„ tem dilecto filio Noſtro Danieli Presbytero Card. „ Delfino nuncupato ob perſonalium ipſius meritorum „ magnitudinem, ut non obſtante Patriarchatus Aqui„ lejenſis ſuppreſſione, & extinctione per Nos, ut præ„ fertur, factis, ipſe nihilominus, quoad vixerit, abſo„ lutum, & ſimplicem Patriarchæ titulum, & deno„ tationem retinere & gerere poſſit, & valeat; ita ta„ men, ut ejuſdem in dicto Archiepiſcopatu Utinenſi „ ſucceſſores non alio quam Utinenſium Archiepiſcopo„ rum titulo denominari poſſint, aut debeant, earum„ dem præſentium tenore concedimus & indulgemus. „ Aquilejenſis porro Civitas magnitudine quondam, & „ populi frequentia inſignis, quantum ab antiquo ſplen„ dore prolapſa, quamque ad deteriorem conditionem „ redacta ſit, omnibus notum eſt atque compertum. „ Illius autem Incolarum cura Parochialis inter duas „ Eccleſias diviſa eſt, ab eiſque dependet, quarum una „ eſt ipſa, quæ hactenus Patriarchalis etiam extitit, „ Eccleſia in honorem Beatæ Mariæ Virginis, omni„ potenti Deo dicata, cujus quidem animarum Paro„ chianorum cura per ipſius Eccleſiæ Sacriſtam pro tem„ pore exiſtentem exerceri conſuevit; altera vero eſt „ Parochialis Eccleſia S. Joannis in foro, ſeu in Pla„ tea nuncupata, cujus Rector, ſeu Presbyter Curatus „ a Communitate, & Hominibus dictæ Civitatis, ut ac„ cepimus, eligi, nominari, ac Ordinario loci præſen„ tari ſolitus erga Parochianos Eccleſiæ hujuſmodi „ jura Parochialia exercet. Quum itaque Civitas Aquile„ jenſis ſub temporali Auſtriacorum Principum ditio„ ne conſtituta ſit; ideoque illius ſpirituale regimen „ juxta præmiſſa ad futurum Goritienſem Archiepiſco„ pum pertinere, idemque futurus Archiepiſcopus, Or„ dinario, & Diœceſano jure ſuam plenam juriſdictio„ nem in eadem Civitate exercere debeat; ne quid un„ quam libero hujuſmodi juriſdictionis exercitio officere „ valeat, Nos in primodicta Eccleſia, cujus Patriar„ chalem qualitatem, necnon Cathedralitatem, aliaque „ prædicta jura jam ſuppreſſimus, & extinximus, o„ mnem etiam Parochialitatem, illiuſque curam Pa„ rochialem, harum quoque ſerie ſupprimimus, & ex„ tinguimus; ac illius ſic ſuppreſſæ, & extinctæ ani„ marum Parochianorum curam ad dictam Parochia„ lem Eccleſiam S. Joannis in foro, ſeu in platea nun„ cupatam transferimus, illique ſubjicimus, & cum o„ mnibus, & ſingulis Parochialibus juribus reſpective „ applicamus, appropriamus, & cum ea incorporamus: „ ita ut illius Rector, ſeu Parochus omnium anima„ rum Chriſtifidelium tam ſuæ hactenus Parochiæ, „ quam etiam alteri in præfata Patriarchali olim Ec„ cleſia ad hunc diem exiſtenti ſubjectorum curam, & „ regimen gerat, idemque una cum omnibus ſuis Pa„ rochianis, hoc eſt, cum univerſo Aquilejenſis Civi„ tatis populo prædicti futuri Goritienſis Archiepiſcopi „ ordinario juri ſubjectus exiſtat. Cum vero Apoſtoli„ ca hæc Sancta Sedes inſignioribus quibuſdam Baſilicis „ libertatis, & exemptionis, ac immediate eidem A„ poſtolicæ Sedi ſubjectionis privilegia impertiri con„ ſueverit, Nos dictam Aquilejenſem quondam Pa„ triarchalem Eccleſiam Pontificiæ liberalitatis mu„ neribus decorare volentes, dicta poteſtatis plenitudine „ eamdem a futuri, & pro tempore exiſtentis Archiepi„ ſcopi Goritienſis, & cujuſcumque alterius Archiepi„ ſcopi, ſeu Epiſcopi juriſdictione in omnibus, & per „ omnia per eaſdem præſentes eximimus, & liberamus, „ ac perpetuis futuris temporibus exemptam, immu„ nem, & liberam, Nobiſque, & ſucceſſoribus noſtris „ Romanis Pontificibus, & huic Apoſtolicæ Sedi im„ mediate ſubjectam eſſe, & fore decernimus. Ne au„ tem ob nimiam prædictæ civitatis Aquilejenſis a „ Romana Urbe, & Curia diſtantiam, ipſa Baſilica „ prædicta neceſſariæ aſſiſtentiæ præſidio careat, Apo„ ſtolico Delegato in dicta civitate conſtituto, cui ab „ aliquot retro ſæculis Monialium Monaſterii Aquile„ jenſis gubernium Apoſtolica auctoritate independen„ ter ab Ordinarii juriſdictione commiſſum dignoſcitur, „ ejuſque futuris Succeſſoribus, quos quidem in poſte„ rum ſemper ex perſonis eorumdem Auſtriacorum „ Principum ſubditis eligendos fore ſtatuimus, & no„ ſtras, & Apoſtolicæ Sedis vices committimus, ac de„ mandamus, ut ipſe nunc exiſtens Delegatus, ejuſque „ Succeſſores hujuſmodi tanquam Apoſtolici ad hoc et„ iam Delegati, noſtroque, & ejuſdem Apoſtolicæ Se„ dis nomine, & auctoritate cum debita a Nobis, & „ Succeſſoribus Noſtris dependentia dictam Aquilejen„ ſem Baſilicam olim Patriarchalem, ab Archiepiſco„ pi, ſive Epiſcopi juriſdictione exemptam, Nobiſque, „ & Apoſtolicæ Sedi, ut præfertur, immediate ſubje„ ctam ſtudeant ſalubriter regere, feliciter gubernare, „ & provide conſervare “.

His alia Pontifex addit, quibus præmiſſorum omnium firmitati conſulit per opportunas clauſulas & decreta. Hæc autem prætermittimus, cum hactenus exſcripta modum rationemve ac conditiones ſatis doceant, quibus lis celeberrima de Aquilejenſi Patriarchatu ſub Benedicto XIV. tandem compoſita eſt. Denique ann. MDCCLVIII. Kalendis Aprilis litteris datis in forma Brevis ad Franciſcum S. R. E. Cardinalem de Saldanha eumdem conſtituit ac deputavit in Viſitatorem ac Reformatorem Clericorum Regularium Societatis Jeſu in Regnis Portugalliæ, Algarbiorum, & in Indiis Orientalibus, & Occidentalibus Regi Fideliſſimo ſubjectis.

CLEMENS XIII.

CLEMENS XIII. ante Pontificatum Carolus Rezzonicus, Venetiis ex patriciis parentibus Joanne Baptiſta, & Victoria Barbadica in lucem prodiit die 7. Martii an. 1693. Decennis Bononiam ad Collegium S. Franciſci Xaverii perductus, humanioribus literis & philoſophiæ præceptis a Patribus Societatis Jeſu imbutus fuit. Venetias redux biennio juriſprudentiæ & dogmaticæ theologiæ impenſam operam navavit. Mox in Patavina Academia Doctoris inſignibus acceptis, Romam perrexit annos natus XXII. & in Academia Eccleſiaſtica exceptus eſt, in qua nobiles inſtituuntur adoleſcentes, qui Romanæ Eccleſiæ ſervitio addici volunt. Hoc loci utrique juri magis magiſque perdiſcendo animum adjecit; utque id felicius adſequeretur, optimis juriſperitis uſus eſt, præſertim Jacobo Lanfredinio, advocato ea tempeſtate clariſſimo, ac dein S. R. E. Cardinali. Anno 1716. inter Præſules Romanæ Curiæ, & Prothonotarios de numero participantium recenſitus, cito regundis Eccleſiaſticæ Ditionis civitatibus admovetur. Reatinæ hinc primum, inde vero an. 1721. Fani Fortunæ urbi datus eſt prætor. Quæ munera poſteaquam ſingulari probitate prudentiaque geſſiſſet, anno 1725. Romam vocatur, & ad ferendum ſuffragium aſſumitur in Congregatione, quæ conſultationibus præeſt Status Eccleſiaſtici. Exeunte Benedicti XIII. Pontificatu an. 1729. XII. Vir Rotæ Romanæ renunciatur, & poſt annos octo a Clemente XII. in ſacrum Cardinalium Collegium cooptatur. Quo vita functo, Comitiis interfuit, ſuoque calculo electioni Benedicti XIV. ſuffragatus eſt; dieque 11. Martii an. 1743. rebus humanis erepto Joanni Ottobono in Epiſcopatu Patavino ſuffectus eſt.

Duobus menſibus, ac diebus tribus ab obitu Benedicti XIV., pridie nonas Julii an. MDCCLVIII. in Petri Sede collocatus eſt. A Clemente XII. nomen ſumpſit, a quo Cardinalis creatus fuerat. Quæ virtutes eum commendabant antea, ad novum cum ipſo ſplendoris decus evectæ. Supra cæteras eminens, & inſignis fuit ipſius erga pauperes tam petentes quam non petentes liberalitas, cujus etiam antea Patavii ſplendidiſſima monumenta reliquerat, quæ ne factus quidem Pontifex intermiſit. In horum allevamentum ſibi aſſignatas opes liberaliſſime contulit munificentiſſimus parens, & magnam quoque publicæ pecuniæ vim in graviſſima annonæ difficultate ad eos alendos ex ærario ſanctiore extraxit.

In promovendo Dei cultu præcipua ſollicitudo: in ſacris peragendis ſumma religio & Pontificia majeſtas. Euchariſtiam peculiari cultu proſequebatur, eandemque quadraginta præſertim horarum ſpatio publice expoſitam adoraturus hac illac per Urbem frequentiſſime ſe ſe agebat. Sanxit, ut ſingulis diebus Dominicis præfationem propriam non habentibus in Miſſa dicatur præfatio SS. Trinitatis. Feſtum decrevit Sacratiſſimi Cordis Jeſu ad renovandam paſſionis & Mortis Chriſti memoriam, & inſtitutionis Euchariſtici Panis oblati in ſalutem humani generis. Carolo III. Hiſpaniarum Rege petente, B. M. Virginem ſub titulo Conceptionis Immaculatæ totius Regni patronam principem jam ante electam in Comitiis generalibus confirmavit, ut conſtat ex literis datis Romæ VI. id. Novemb. an. 1760. & omnibus illius Imperio ſubjectis tam Regularibus quam ſæcularibus facultatem tribuit recitandi illius Officii, Miſſæque celebrandæ, quæ Minoribus tantum Fratribus peculiari conſtitutione conceditur. Joannem Cantium, Hieronymum Æmilianum, Jacobum Calaſanctium, Joſephum a Cupertino, Seraphinum ab Aſculo, & Joannam Franciſcam Fremiot de Chantal ſolemni ritu retulit inter ſanctos. Inter Beatos vero Bernardum a Corleone, & Gregorium Barbadicum, primum Bergomatem, tum Patavinum Epiſcopum, cujus virtutum ſedulus ipſe imitator fuit, & cujus cultum publicum, quacumque tandem ratione poterat, promoverat etiam antea, eique Sacellum Romæ in Templo D. Marci poſuit. Approbavit quoque cultum ante Decreta Urbani VIII. exhibitum Beatis Antonio Turriani vulgo dicto ab Aquila, Antonio de Amandula, Auguſtino Novelli Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Sebaſtiano Maggi, Benvenutæ Bojani Forojulienſi ex Ordine Prædicatorum, Petro a Moliano Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia, Angelo Auguſtino Mazzingoli Ordinis Carmelitarum antiquæ obſervantiæ Regularis, Jacobo Philippo Bertoni Ordinis Servorum B. M. Virginis, Vincentio de Rubeis Kadlubel Epiſcopo Cracovienſi, Philippo Placentino, Matthæo Epiſcopo Agrigentino. Præterea B. Euſtochii, B. Helenæ Henſelminæ, B. Beatricis Eſtenſis, B. Joardani Forzatè, quorum omnium corpora & habentur, & coluntur Patavii, cultum amplificavit.

Nihil præterea omiſit, quod Eccleſiæ bonum & morum integritatem ſpectaret. Viſitatorem ut ajunt, Apoſtolicum in Corſicam inteſtinis diſcordiis turbatam ire juſſit Cæſarem Creſcentium de Angelis, Epiſcopum Segninum in Latio, ne quid ibi, abſentibus Epiſcopis, res chriſtiana detrimenti caperet. Opinionum licentiam repreſſit, & libros catholicæ doctrinæ noxios infeſtoſque proſcripſit, inter quos *Hiſtoriam populi Dei* a Berrujerio Jeſuita primum Gallice editam, tum ab altero ejuſdem Sodali Italice factam. Synodum habitam Ultrajecti idibus Septembris ann. MDCCLXIII. irritam, ac nullam declaravit. Renovavit antiquos Canones in Clericos negotiatores, jejuniique diſciplinam aſſeruit, ſui Deceſſoris mentem exponens, Benedicti ſcilicet XIV. de diſpenſationibus, uti vocant, ſuper cibis jejunii tempore vetitis, ſtatuitque eas valere pro unica comeſtione tantum, qua excepta, *diſpenſatos* (ſive carnes iis concedantur, ſive lacticinia) *in omnibus æquiparandos eſſe illis, quibuſcum nulla eſt diſpenſatio*. Unam explicuit ex conditionibus neceſſariis ad indulgentias acquirendas. Ratum nempe habuit Decretum S. Congregationis Indulgentiis & ſanctorum Reliquiis præpoſitæ, editum die XIX. Maii MDCCLIX. quo ſancitur, quoties in Indulgentiarum Brevibus ponuntur illa verba *qui vere pœnitentes & confeſſi &c.* toties ad eas lucrandas neceſſario requiri Sacramentalem Confeſſionem etiam ab iis, qui nullius lethalis peccati ſibi conſcii ſunt. Et cum in eodem Decreto ſtatutum inſuper eſſet *præfatam Confeſſionem ſuffragari etiam in vigilia feſtivitatis*, petentibus Epiſcopis, Parochis, Monialibus, quibus id difficillimum videbatur, approbavit Decretum alterum ejuſdem Sac. Congregationis editum die IX. Decembris ann. MDCLXIII. quo Decretum prius declaratur, & ſtatuitur, qui pie vivunt & Sacramentalem Confeſſionem frequenter inſtituunt, ſaltem ſemel in Hebdomada, eos futuros idoneos ad recipiendam quamlibet indulgentiam, nihil tamen innovando quoad Jubilæum. Cardinales creavit duos & quinquaginta, ex quibus ſex ex Venetis. Eccleſiam Cathedralem Patavinam pretioſiſſima tranſmiſſa ſacra ſupellectile decoravit, ejuſque Canonicos, præter ornamenta ac jura, quæ ab Deceſſore ſuo in eos conferenda curaverat, novo auxit & ipſe honore. Crucem nimirum parvam ſingulis miſit encauſto cæſii coloris obductam, & argento circumdatam, in adverſa parte icunculam B. M. Virginis in cælum evectæ, in averſa B. Gregorii Barbadici habentem: eamque rubra tænia e collo pendentem ante pectus portare juſſit ſucceſſoribus tranſmittendam. Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis conceſſit, ut bis in anno poſt Miſſam ſolemnem Apoſtolicam benedictionem cum plenaria Indulgentia populo largiantur. Parœciis omnibus jus indulſit Altaris privilegiati ad ſeptennium duraturum, eodemque privilegio gaudere voluit Miſſas omnes in die Commemorationis omnium Defunctorum, & per ejus Octavam.

Poſt Religionis ſtudium nihil curavit impenſius, quam ut ſe communem omnium parentem benignitate exhiberet. Mariæ Thereſiæ Apoſtolicæ titulum confirmavit, quemadmodum Hungaricis etiam Regibus, ſimulque jus præmittendi ſibi vexillum Crucis. Utriuſque Siciliæ Regi Ferdinando Borbonio Regni *inveſtituram* conceſſit. Stanislaum Poniatoſchium primus Poloniæ Regem ſalutavit. Venetam Rempublicam Roſa aurea donavit, eique jus regium dedit nominandi in poſterum certum virum in Sacræ Romanæ Rotæ Auditorem. Lucenſibus aſſignavit locum in Advocatorum Conſiſtorialium Collegio. Tum Pontificiæ Ditionis utilitatum ſtudioſus Anconæ Portum muniri, ampliari urbem Senogalliæ, ac Centumcellas dilatari ædificiis, & faciliorem acceſſum navibus reddi juſſit. Præterea eo imperante, exſiccari cœptæ Pomptinæ paludes, aquæ ſtagnantes in agro Bononienſi emitti, tutior eſſe Tiberis navigatio, purgato ejus alveo, ripiſque munitis. Mox Urbi exornandæ intentus Palatium Quirinale novo latere amplificavit. Annonam oleariam magnis impenſis ad Diocletiani Thermas conſtituit. Fontem Aquæ Virginis ſignis marmoreis additis condecoravit. Auxit celeberrimis Villæ Hadrianæ monumentis Muſæum Capitolinum. In Bibliotheca Vaticana perelegantem cellam inſtruxit ad ſervanda quæque pulchriora. Sed egregia quotidie cogitantem communis neceſſitas prævenit. Itaque IV. nonas Februarias anni MDCCLXIX. poſt annos X. menſes VII.

VII. ac dies XXVII., quam cœperat regnare, repentina morte correptus exceſſit ætatis anno LXXV. menſe X. die XXVI. cum ingenti præcipue pauperum luctu, ac deſiderio.

Jam inde ab initio hujus Pontificatus ob diſſidia exorta cum Luſitaniæ Rege Fideliſſimo Joſepho I. Nuncius Apoſtolicus in Aula Ulyſſiponenſi non amplius ut antea receptus eſt. Cum potentiſſimis Galliarum, Hiſpaniarum, & utriuſque Siciliæ Regibus alia inſuper contentio excitata eſt, ex qua Avenionem, & Comitatum Venaiſinum, Beneventum, & Pontem Curvum Pontifex amiſit. Jeſuitarum Sodalitium edita Conſtitutione *Apoſtolicum* Clemens confirmavit; ſed eo regnante Jeſuitæ ex omnibus Luſitaniæ primum, deinde Galliarum, Hiſpaniarum, utriuſque Siciliæ, & Parmenſis Ducis ditionibus expulſi ſunt.

CLEMENS XIV.

CLEMENTI XIII. 14. Kal. Junias anni MDCCLXIX. ſucceſſit Clemens XIV. ſpectatæ doctrinæ ſummæque prudentiæ Pontifex. Is erat Laurentius Ganganelli Ordinis Minorum Conventualium. Habuit ex ſacro fonte Vincentii Antonii nomen. In Familiam S. Franciſci cooptatus Laurentius dictus a patre jam vita functo. Idem præterea ſi ſpectes natale ſolum, fuit de Oppido S. Archangeli Diœceſis Ariminenſis, ubi ejus pater medicinam faciebat: Si avos, ex S. Angelo in Vado; ſi domicilium, de Burgo Pacis Diœceſis Urbanienſis: ſi regularem familiam cui adſcriptus, Urbinas, ut patet ex litteris Apoſtolicis ab eo datis ſuis Concivibus Vadenſibus, & Urbanienſibus. Regularis unus communi Cardinalium conſenſu plaudentibus omnibus & admirantibus, ad Supremum Sacerdotium evectus eſt, quo ſe jam pridem dignum reddiderat, muneribus præclare geſtis. Ad præcipuas enim ſui Ordinis Cathedras evectus fuerat cum philoſophiæ tum theologiæ Aſculi in Piceno, Mediolani, Bononiæ, Romæ in Collegio S. Bonaventuræ; & Conſultoris S. Romanæ Univerſalis Inquiſitionis munus ſuſtinuerat per annos XV. circiter, cum Cardinalis creatur.

V. Kal. Junias Romanus conſecratus eſt Pontifex, pridie vero Non. menſis coronatus. Difficilia Chriſtianæ Reipublicæ tempora animi conſtantia æquavit. Pontificatu vix inito de ſua electione certiores fecit Catholicæ communionis Epiſcopos per Epiſtolam ſapientiæ pietatiſque pleniſſimam, quam typis Romanæ Cameræ Apoſtolicæ vulgatam vir Clariſſimus Mamachius eruditis animadverſionibus illuſtravit. Cum primum poſt menſes ſex Lateranenſem Baſilicam ingrederetur, Archipresbyter Cardinalis Nerius Corſinius ita eum eſt alloquutus: *Ecce, Beatiſſime Pater, Sacroſanctæ Eccleſiæ Lateranenſis claves, Pontificatus tui inſignia. Hanc Eccleſiam collabentem viſus eſt olim in ſomnis Innocentio III. humeris ſuis ſuſtentare S. Franciſcus: & forte in illo viſus es tu, Beatiſſime Pater, quem difficillimis hiſce temporibus ex illius Familia eduxit Deus, & præelegit ad regendam Eccleſiam ſuam. Itaque Beatiſſime Pater, communibus votis tibi virtutem ex alto, tibi auxilium de ſancto, tibi omnia ſancta, & læta precamur.* Permiſit ut Ferdinandus Primus Parmenſis Dux, & Maria Amalia Archidux Auſtriæ matrimonio jungerentur, Eccleſiaſticis impedimentis ſublatis. In graviſſimis expediendis negotiis, ac regibus ſibi conciliandis mira dexteritas. Luſitaniæ Regem ſumma celeritate, & omnium admiratione ad concordiam cum Sede Apoſtolica reduxit. In cujus rei memoriam numiſma cudi juſſit ann. MDCCLXX. cum hac inſcriptione *Refulſit ſol*, Feſto SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli diſtribuendum. Hujuſce concordiæ confirmandæ gratia Innocentium de Comitibus Romanum ad eum legavit, a quo perhonorifice exceptus eſt. Id apertiſſime apparet ex Allocutione a Pontifice habita in Conſiſtorio ſecreto VIII. Id. Auguſti ann. MDCCLXX. Mox duos potentiſſimos Borbonios Reges ſibi conjunctiſſimos reddidit, Chriſtianiſſimum ſcilicet, & Catholicum, apud quem Matriti Apoſtolicam Nuntiaturam reſtituit non ſine ingenti Sedis Apoſtolicæ honore, & utilitate: Auditorium erexit inſtar Auditoris Rotæ Romanæ ſex Judicibus conſtans origine Hiſpanis a Rege Catholico præſentandis & a Summo Pontifice confirmandis. Primogenitum Aſturiæ Principis ex ſacro fonte ſuſcepit, ac decoravit ſplendidiſſimis tranſmiſſis faſciis per virum Nobilem Joſephum Doriam Genuenſem, creatum ab ipſo poſtea Archiepiſcopum Seleucienſem, miſſumque Nuntium Apoſtolicum ad Regem Chriſtianiſſimum. Mariam Antoniam Valburgam Caroli VII. Imperatoris primogenitam, ac duos alios nobiliſſimos Principes fratres Anglorum Regis comiter excepit, atque munifice. Cum Maria Thereſia magna Pannoniæ & Bohemiæ Regina, cum Joſepho II. Romanorum Imperatore, atque adeo cum omnibus catholicæ Religionis Principibus ac Regibus mutuum erat illi Epiſtolarum commercium, quorum omnium ſtudia atque venerationem in ſe excitavit, vel ab ipſis Eccleſiæ Romanæ hoſtibus magni factus. Suam erga Rempublicam Venetam propenſionem oſtendit, orta inter Capitulum S. Marci de Urbe & Legatum Venetum controverſia de quadam parte Ædis Marcianæ, utrum illa contineretur in donatione a Pio IV. Venetis facta. Quæſtionem Pontifex ad ſe vocavit, eamque datis literis IX. Kal. Septembris ann. MDCCLXX. ſic definivit; Si continetur, donationem confirmo: ſin minus, ego illam Venetæ Reipublicæ dono. Suſtulit Societatem Jeſu, re non ſolum maturius, ut ipſe fatetur, expenſa, ſed etiam fervidis precibus explorata, qua de re Conſtitutionem edidit, quam infra integram exhibebimus. Monachos Cæleſtinos in Gallia, & Congregationem Canonicorum Regularium S. Rufi petente Rege abolevit. Ibidem Minores Obſervantes dictos, ut etiam in Sabaudia, revocavit ad ordinem Conventualium, quos cum Romæ ad S. Petrum tum Laureti Pœnitentiarios conſtituit. Alias Eccleſias ſimul junxit, Sirmienſem & Boſnienſem in Hungaria, Cluſinam & Pientinam in Hetruria; alias in Epiſcopatus erexit, Bexæ nimirum, Brigantiæ, Caſtribranciæ & Penafielis, nec non Pinelli ac Lavaræ in Luſitania, Bugellæ in Pedemontio; inter quas Eccleſias unam Munchenſem in Hungaria Catholici græci ritus. Epiſcopo & Canonicis Genevenſibus jam diu a Calvinianis de ſuis ſedibus exturbatis cum ſacras tum profanas ædes Anneſii ultro providit. Quod manifeſte colligitur ex Brevi dato Romæ IX. Kal. Septembris, quod cum ſit ineditum, ideo hæc ex eo ſubjicimus: *Præterea*, inquit, *cum ſicuti etiam accepimus, commoditas incolatus ven. fratri Epiſcopo Gebennenſi deficiat, & adhuc deſideretur Eccleſia, in qua tum ipſe, tum etiam dilecti filii Capitulum & Canonici ſacras functiones peragere, divinaque officia eo, quo par eſt, decore celebrare poſſint, ac valeant; hinc eſt, quod Nos tam gravi ipſorum receſſitati paterna charitate conſulere volentes, Conventum & Eccleſiam S. Franciſci Anneſii motu proprio iiſdemque authoritate & tenore perpetuo ſupprimimus, ac quamcumque Regularitatis qualitatem ab eis tollimus, & amovemus, eumdemque Conventum cum ſuis omnibus adnexis . . . . pro commoda ac neceſſaria habitatione pro tempore exiſtentis Epiſcopi Gebennenſis concedimus & aſſignamus; Eccleſiamque prædictam cum omnibus ſacris ſupellectilibus iiſdem Epiſcopo & Capitulo tam quoad proprietatem, quam quoad uſum pro peragendis ibidem ſacris functionibus . . . . . tribuimus & applicamus.* Veræ Religionis ſollicitudine incenſus Aſſyrios, Perſas, Tranſilvanos, Ancyranos, abjuratis prius erroribus & ſchiſmate, in Catholicæ Eccleſiæ gremium recepit. Beatorum honore condecoravit Franciſcum Caraccioli Clericorum Minorum fundatorem, & ex Clericis Regularibus Paulum Burali, prius Epiſcopum Placentinum, poſtea Archiepiſcopum Neapolitanum. Ratum quoque juſſit cultum publicum *ab immemorabili tempore* exhibitum Sancti de Monte Fabro, Thomæ Bellaci Minoritis, Martyribus Hydruntinis, Nicolao de Furca Palenæ Congregationis Eremitarum S. Hieronymi, Joanni a Baculo Monacho Sylveſtrino, Gregorio Celli Auguſtinenſi, Catharinæ Morigiæ, & Julianæ Puricelli Monialibus Montis Variſii, Æmiliæ Bichieri Moniali ex Familia S. Dominici, Hieronymo de S. Angelo in Vado Ordinis Servorum B. M. Virginis, Bernardo Baden.

Jubilæum magnum decimum octavum indixit Ann. MDCCLXXIV. ſui Pontificatus V. ſed non celebravit morte præreptus. Neque ſolum Pontificem, ſed etiam virum Principem egit præclariſſime. Vectigalium onera levavit, annonam providit, commercium extendit, ac duos præcipue Portus in oculis habuit, Anconitanum ſcilicet, ac Centumcellenſem. Apoſtolicum Ærarium auxit parſimonia. In piorum hominum cœtus, ac præſertim in ampliſſimum S. Spiritus Xenodochium pecuniam ſuam erogavit. Sibi parcus, liberalis in omnes, præterquam in ſuos. Agrum Avenionenſem &

Comitatum Venaiſinum, Ducatum Beneventanum, ac Pontem Curvum recepit, luculentum benevolentiæ Principum teſtimonium. Hoc teſtatur Pontifex ipſe in Allocutione habita in Conſiſtorio ſecreto XVI. Kal. Febr. Ann. MDCCLXXIV. *Ad ineundam*, inquit, *priſtinam noſtram Avenionis, Comitatus Venaiſini, Beneventi, & Pontis Curvi poſſeſſionem Cariſſimi in Chriſto Filii noſtri Ludovicus Galliarum Rex Chriſtianiſſimus, & Ferdinandus utriuſque Siciliæ & Hieruſalem Rex illuſtris Nos ultro compellant, & tanquam ſua ipſi manu amantiſſime inducunt.* Et paullo poſt: *Neque ſolum poſitas eſſe ac deletas volunt ſuſpiciones omnes cujuſpiam quæ antea interceſſerit ſimultatis, ſed & confirmatam atque auctam mirifice inter nos benevolentiæ atque amoris conjunctionem. Lætandum nobis quidem magnopere eſt, atque eo uberius lætandum, quo magis ſancte pieque tueri jura ditionemque Eccleſiæ debemus, ut quæ a Majoribus accepimus, ſalva atque integra poſteris noſtris tranſmittamus.*

Converſus hinc ad literarum cultum, & Urbis decus augendum. Decreta Ferrarienſis Academiæ ad meliorem formam redegit. In Collegio Romano publicum Gymnaſium præſtantiſſimis diſciplinarum omnium profeſſoribus a ſe conductis, inſtituit, annuiſque reditibus ſtabilivit. In Æde Vaticana magnificentiſſimum Muſæum, quod ab illo dicitur Clementinum, Eruditorum commodo erexit, ac de ſuo pulcherrimis monumentis locupletavit. Ipſe propenſus in pauperes, laborum patientiſſimus, juſtus in pœnis inferendis, ſed non ſeverus, in ſuprema authoritate ſine faſtu, in rerum humanarum varietate ſemper idem ac ſibi conſtans, in audiendis & admittendis omnibus facilis & humanus. Nihil in hoc Pontifice non eximium: animo volutabat ingentia, eaque plerumque tanto ſilentio cujus erat amantiſſimus expediebat, ut eadem alii perfecta prius noſcerent, quam ſuſcepta. Tandem paullatim viribus deſtitutus X. Kal. Octobris Ann. MDCCLXXIV. extinctus eſt nono & ſexageſimo ætatis anno nondum expleto, ſolidæ pietatis editis argumentis. Eccleſiam adminiſtravit annos quinque, menſes quatuor, ac dies tres, Pontifex vere dignus imperio, & maxime memorabilis.

Ita fere habet Clementis XIV. elogium ſemel iterumque Romæ editum, ac deinde notis auctum recuſum in hiſtoria Pontificum Romanorum ab Antonio Sandinio conſcripta. Qui accuratiorem deſiderat rerum ab hoc Pontifice geſtarum hiſtoriam, adeat Commentarium quem Gallice edidit Vir politiſſimi eruditiſſimique ingenii Marchio Caracciolus, cui etiam plures ineditas debemus Clementis XIV. Epiſtolas.

Societatem Jeſu Clemens prorſus abolevit, ut ſupra innuimus; ſed quoniam in Conſtitutione, quam hac de re promulgavit, quæcumque ad hanc ſuppreſſionem pertinent opportune recenſentur, idcirco hic eam integram recudere Lectoribus non jucundum fore exiſtimavimus tanquam inſigne ac perpetuum Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumentum.

CLEMENS PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ DOminus, ac Redemptor noſter JESUS CHRI-
„ STUS Princeps pacis a Propheta prænuntia-
„ tus, quod hunc in mundum veniens per Angelos pri-
„ mum paſtoribus ſignificavit, ac demum per ſe ipſum
„ antequam in cælos aſcenderet, ſemel & iterum ſuis
„ reliquit diſcipulis; ubi omnia Deo Patri reconcilia-
„ viſſet, pacificans per ſanguinem crucis ſuæ, ſive quæ
„ in terris, ſive quæ in cælis ſunt, Apoſtolis etiam re-
„ conciliationis tradidit miniſterium, poſuitque in eis
„ verbum reconciliationis, ut legatione fungentes pro
„ Chriſto, qui non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis, &
„ dilectionis, univerſo Orbi pacem annuntiarent, & ad
„ id potiſſimum ſua ſtudia conferrent ac labores, ut o-
„ mnes in Chriſto geniti ſolliciti eſſent ſervare unita-
„ tem ſpiritus in vinculo pacis, unum corpus, & unus
„ ſpiritus, ſicut vocati ſunt in una ſpe vocationis, ad
„ quam nequaquam pertingitur, ut inquit S. Grego-
„ rius Magnus, ſi non ad eam unita cum proximis
„ mente curratur.

„ Hoc ipſum potiori quadam ratione nobis divinitus
„ traditum reconciliationis verbum, & miniſterium,
„ ubi primum, meritis prorſus imparibus, evecti fui-
„ mus ad hanc Petri Sedem, in memoriam revocavi-
„ mus, die, noctuque præ oculis habuimus, cordique
„ altiſſime inſcriptum gerentes, ei pro viribus ſatisfa-
„ cere contendimus, divinam ad id opem aſſidue implo-
„ rantes, ut cogitationes, & conſilia pacis nobis, &
„ univerſo dominico gregi Deus infundere dignaretur,
„ ad eamque conſequendam tutiſſimum nobis, firmiſſi-
„ mumque aditum referare. Quinimo probe ſcientes,
„ divino nos conſilio conſtitutos fuiſſe ſuper gentes, &
„ ſuper regna, ut in excolenda vinea Sabaoth, conſer-
„ vandoque Chriſtianæ Religionis ædificio, cujus Chri-
„ ſtus eſt angularis lapis, evellamus, & deſtruamus,
„ & diſperdamus, & diſſipemus, & ædificemus, &
„ plantemus, eo ſemper ſuimus animo, conſtantique
„ voluntate, ut quemadmodum pro Chriſtianæ Reipu-
„ blicæ quiete, & tranquillitate nihil a nobis prætermittendum eſſe cenſuimus, quod plantando, ædificandoque eſſet quovis modo accommodatum; ita, eodem mutuæ charitatis vinculo expoſtulante, ad evellendum, deſtruendumque, quidquid jucundiſſimum etiam nobis eſſet, atque gratiſſimum, & quo carere minime poſſemus ſine maxima animi moleſtia, & dolore, prompti æque eſſemus, atque parati.

„ Non eſt ſane ambigendum, ea inter, quæ ad Ca-
„ tholicæ Reipublicæ bonum, felicitatemque comparan-
„ dam plurimum conferunt, principem fere locum tri-
„ buendum eſſe regularibus Ordinibus, ex quibus am-
„ pliſſimum in univerſam Chriſti Eccleſiam quavis æ-
„ tate dimanavit ornamentum, præſidium, & utilitas.
„ Hos idcirco Apoſtolica hæc Sedes approbavit non
„ modo, ſuiſque ſulcita eſt auſpiciis, verum etiam plu-
„ ribus auxit beneficiis, exemptionibus, privilegiis, &
„ facultatibus, ut ex his ad pietatem excolendam, &
„ religionem, ad populorum mores verbo & exemplo
„ rite informandos, ad fidei unitatem inter fideles ſer-
„ vandam, confirmandamque, magis magiſque excita-
„ rentur, atque inflammarentur. Aſt ubi eo res deve-
„ nit, ut ex aliquo regulari Ordine, vel non amplius
„ uberrimi ii fructus, atque optatiſſima emolumenta a
„ Chriſtiano populo perciperentur, ad quæ aſſerenda
„ fuerant primitus inſtituti, vel detrimento potius eſſe
„ viſi fuerint, ac perturbandæ magis populorum tran-
„ quillitati, quam eidem procurandæ accommodati,
„ hæc eadem Apoſtolica Sedes, quæ eiſdem plantandis
„ operam impenderat ſuam, ſuamque interpoſuerat au-
„ ctoritatem, eos vel novis communire legibus, vel ad
„ priſtinam vivendi ſeveritatem revocare, vel penitus et-
„ iam evellere, ac diſſipare minime dubitavit.

„ Hac ſane de cauſa Innocentius Papa III. præde-
„ ceſſor noſter cum comperiiſſet, nimiam regularium
„ Ordinum diverſitatem gravem in Eccleſiam Dei con-
„ fuſionem inducere, in Concilio generali Lateranenſi
„ IV. firmiter prohibuit, ne quis de cætero novam
„ Religionem inveniat; ſed quicumque ad religionem
„ converti voluerit, unam de approbatis aſſumat; de-
„ crevitque inſuper, ut qui voluerit religioſam domum
„ de novo fundare, regulam, & inſtitutionem accipiat
„ de approbatis. Unde conſequens fuit, ut non liceret
„ omnino novam religionem inſtituere ſine ſpeciali Ro-
„ mani Pontificis licentia, & merito quidem; nam cum
„ novæ Congregationes majoris perfectionis gratia in-
„ ſtituantur, prius ab hac ſancta Apoſtolica Sede ipſa
„ vitæ futuræ forma examinari, & perpendi debet di-
„ ligenter, ne ſub ſpecie majoris boni, & ſanctioris
„ vitæ, plurima in Eccleſia Dei incommoda, & for-
„ taſſe etiam mala exoriantur.

„ Quamvis vero providentiſſime hæc fuerint ab In-
„ nocentio III. Prædeceſſore conſtituta, tamen poſtmo-
„ dum non ſolum ab Apoſtolica Sede importuna peten-
„ tium inhiatio aliquorum Ordinum Regularium appro-
„ bationem extorſit, verum etiam nonnullorum præ-
„ ſumptuoſa temeritas diverſorum Ordinum, præcipue
„ mendicantium nondum approbatorum, effrenatam
„ quaſi multitudinem adinvenit. Quibus plene cogni-
„ tis, ut malo ſtatim occurreret, Gregorius Papa X.
„ pariter Prædeceſſor noſter in generali Concilio Lug-
„ dunenſi, renovata Conſtitutione ipſius Innocentii III.
„ Prædeceſſoris, diſtrictius inhibuit, ne aliquis de ce-
„ tero novum Ordinem, aut religionem adinveniat, vel
„ habitum novæ religionis aſſumat. Cunctas vero ge-
„ neraliter religiones, & Ordines mendicantes poſt Con-
„ cilium Lateranenſe IV. adinventos, qui nullam con-
„ firmationem Sedis Apoſtolicæ meruerunt, perpetuo
„ prohibuit. Confirmatos autem ab Apoſtolica Sede
„ modo decrevit ſubſiſtere infraſcripto: ut videlicet pro-
„ feſſoribus eorundem Ordinum ita liceret in illis re-
„ manere, ſi voluerint, quod nullum deinceps ad eo-
„ rum profeſſionem admitterent, nec de novo domum,
„ vel aliquem locum acquirerent, nec domos, ſeu lo-
„ ca, quæ habebant, alienare valerent, ſine ejuſdem
„ ſanctæ Sedis licentia ſpeciali. Ea enim omnia diſpo-
„ ſitioni Sedis Apoſtolicæ reſervavit in Terræ ſanctæ
„ ſubſidium, vel pauperum, vel alios pios uſus per lo-
„ corum Ordinarios, vel eos, quibus Sedes ipſa com-
„ miſerit, convertenda. Perſonis quoque ipſorum Or-
„ dinum omnino interdixit quoad extraneos prædicatio-
„ nis, & audiendi confeſſiones officium, aut etiam ſe-
„ pulturam. Declaravit tamen in hac Conſtitutione mi-

„ nime

„ nime comprehenſos eſſe Prædicatorum, & Minorum „ Ordines, quos evidens ex eis utilitas Eccleſiæ uni„ verſali proveniens perhibebat approbatos. Voluitque „ inſuper Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum „ Ordines in ſolido ſtatu permanere, ex eo quod iſto„ rum inſtitutio prædictum generale Concilium Latera„ nenſe præceſſerat. Demum ſingularibus perſonis Or„ dinum, ad quos hæc Conſtitutio extendebatur, tran„ ſeundi ad reliquos Ordines approbatos licentiam con„ ceſſit generalem; ita tamen, ut nullus ordo ad a„ lium, vel Conventus ad Conventum ſe, ac loca ſua „ totaliter transferret, non obtenta prius ſpeciali Sedis „ Apoſtolicæ licentia.

„ Hiſcemet veſtigiis ſecundum temporum circumſtan„ tias inhæſerunt alii Romani Pontifices Prædeceſſores „ noſtri, quorum omnium decreta longum eſſet refer„ re. Inter ceteros vero Clemens Papa V. pariter Præ„ deceſſor noſter, per ſuas ſub plumbo 6. nonas Maji „ anno Incarnationis Dominicæ 1312. expeditas lite„ ras, Ordinem Militarem Templariorum nuncupato„ rum, quamvis legitime confirmatum, & alias de „ Chriſtiana Republica adeo præclare meritum, ut a „ Sede Apoſtolica inſignibus beneficiis, privilegiis, fa„ cultatibus, exemptionibus, licentiis cumulatus fuerit, „ ob univerſalem diffamationem ſuppreſſit, & totaliter „ extinxit, etiamſi Concilium generale Viennenſe, cui „ negotium examinandum commiſerat, a formali, & „ definitiva ferenda ſententia cenſuerit ſe abſtinere.

„ Sanctus Pius V. ſimiliter Prædeceſſor noſter, cujus „ inſignem ſanctitatem pie colit, & veneratur Eccleſia „ Catholica, Ordinem Regularem Fratrum Humiliato„ rum Concilio Lateranenſi anteriorem, approbatum„ que a felicis recordationis Innocentio III. Honorio „ III. Gregorio IX. & Nicolao V. Romanis Pontifi„ cibus Prædeceſſoribus itidem noſtris, ob inobedien„ tiam decretis Apoſtolicis, diſcordias domeſticas, & „ externas exortas, nullum omnino futuræ virtutis ſpe„ cimen oſtendentem, & ex eo quia aliqui ejuſdem Or„ dinis in necem S. Caroli S. R. E. Cardinalis Bor„ romæi Protectoris, ac Viſitatoris Apoſtolici dicti Or„ dinis ſcelerate conſpiraverint, extinxit, ac penitus a„ bolevit.

„ Recolendæ memoriæ Urbanus Papa VIII. etiam „ Prædeceſſor noſter, per ſuas in ſimili forma Brevis „ die 6. Februarii 1626. expeditas literas, Congrega„ tionem Fratrum Conventualium Reformatorum a fe„ licis memoriæ Sixto Papa V. itidem Prædeceſſore „ noſtro ſolemniter approbatam, & pluribus beneficiis, „ ac favoribus auctam, ex eo quia ex prædictis Fra„ tribus ii in Eccleſia Dei ſpirituales fructus non pro„ dierint, imo quamplures differentiæ inter eoſdem Fra„ tres Conventuales Reformatos, ac Fratres Conven„ tuales non reformatos ortæ fuerint, perpetuo ſuppreſ„ ſit, ac extinxit: Domus, Conventus, loca, ſupelle„ ctilem, bona, res, actiones, & jura ad prædictam „ Congregationem ſpectantia Ordini Fratrum Minorum „ S. Franciſci Conventualium conceſſit, & aſſignavit, „ exceptis tantum domo Neapolitana, & domo Sancti „ Antonii de Padua nuncupata de Urbe, quam poſtre„ mam Cameræ Apoſtolicæ applicavit, & incorpora„ vit, ſuæque, ſuorumque ſucceſſorum diſpoſitioni re„ ſervavit: Fratribus denique prædictæ ſuppreſſæ Con„ gregationis ad Fratres S. Franciſci Cappucinos, ſeu „ de Obſervantia nuncupatos tranſitum permiſit.

„ Idem Urbanus Papa VIII. per alias ſuas in pari „ forma Brevis die 2. Decembris 1643. expeditas lit„ teras Ordinem Regularem Sanctorum Ambroſii, & „ Barnabæ ad nemus perpetuo ſuppreſſit, extinxit, & „ abolevit, ſubjecitque Regulares prædicti ſuppreſſi Or„ dinis juriſdictioni, & correctioni Ordinariorum loco„ rum, prædictiſque Regularibus licentiam conceſſit ſe „ transferendi ad alios Ordines regulares ab Apoſtolica „ Sede approbatos. Quam ſuppreſſionem rec. memoriæ „ Innocentius Papa X. Prædeceſſor quoque Noſter ſo„ lemniter per ſuas ſub plumbo Kal. Aprilis anno In„ carnationis Dominicæ 1645. expeditas litteras confir„ mavit; & inſuper beneficia, Domus, & Monaſteria „ prædicti Ordinis, quæ antea regularia erant, ad ſæ„ cularitatem reduxit, ac in poſterum ſæcularia fore, „ & eſſe declaravit.

„ Idemque Innocentius X. Prædeceſſor per ſuas in „ ſimili forma Brevis die 16. Martii 1645. expeditas „ litteras ob graves perturbationes excitatas inter Regu„ lares Ordinis Pauperum Matris Dei Scolarum Pia„ rum, etſi Ordo ille prævio maturo examine a Grego„ rio Papa XV. Prædeceſſore Noſtro ſolemniter appro„ batus fuerit, præfatum regularem Ordinem in ſim„ plicem Congregationem, abſque ullorum votorum e„ miſſione, ad inſtar Inſtituti Congregationis presbyte„ rorum ſecularium Oratorii in Eccleſia S. Mariæ in „ Vallicella de Urbe S. Philippi Neri nuncupatæ, re„ duxit: Regularibus prædicti Ordinis ſic reducti tran„ ſitum ad quamcumque Religionem approbatam con„ ceſſit; admiſſionem Novitiorum, & admiſſorum pro„ feſſionem interdixit: ſuperioritatem denique, & ju„ riſdictionem, quæ penes Miniſtrum Generalem, Vi„ ſitatores, alioſque Superiores reſidebat, in Ordinarios „ locorum totaliter tranſtulit: quæ omnia per aliquot „ annos conſecuta ſunt effectum, donec tandem Sedes „ hæc Apoſtolica, cognita prædicti inſtituti utilitate, „ illum ad priſtinam votorum ſolemnium formam revo„ cavit, ac in perfectum regularem Ordinem redegit.

„ Per ſimiles ſuas in pari forma Brevis die 29. Oc„ tobris 1650. expeditas litteras idem Innocentius X. „ Prædeceſſor ob diſcordias quoque, & diſſenſiones ex„ ortas ſuppreſſit totaliter Ordinem S. Baſilii de Ar„ menis: Regulares prædicti ſuppreſſi Ordinis omni„ mode juriſdictioni, & obedientiæ Ordinariorum lo„ corum ſubjecit in habitu Clericorum ſecularium, aſ„ ſignata iiſdem congrua ſubſtentatione ex reditibus „ Conventuum ſuppreſſorum, illiſque etiam facultatem „ tranſeundi ad quamcumque religionem approbatam „ conceſſit.

„ Pariter ipſe Innocentius X. Prædeceſſor per alias „ ſuas in dicta forma Brevis die 22. Junii 1651. expe„ ditas litteras attendens nullos ſpirituales fructus ex „ Regulari Congregatione Presbyterorum Boni Jeſus in „ Eccleſia ſperari poſſe, præfatam Congregationem per„ petuo extinxit: Regulares prædictos jurisdictioni Or„ dinariorum locorum ſubjecit, aſſignata eiſdem con„ grua ſubſtentatione ex reditibus ſuppreſſæ Congrega„ tionis, & cum facultate tranſeundi ad quemlibet Or„ dinem Regularem approbatum a Sede Apoſtolica, ſuo„ que arbitrio reſervavit applicationem bonorum prædi„ ctæ Congregationis in alios pios uſus.

„ Denique felicis recordationis Clemens Papa IX. „ Prædeceſſor itidem Noſter cum animadverteret, tres „ Regulares Ordines, Canonicorum videlicet Regula„ rium Sancti Georgii in Alga nuncupatorum, Hiero„ nymianorum de Feſulis, ac tandem Jeſuatorum a „ Sancto Johanne Columbino inſtitutorum parum, vel „ nihil utilitatis, & commodi Chriſtiano populo affer„ re, aut ſperare poſſe, eos eſſe aliquando allaturos, de „ iis ſupprimendis, extinguendiſque conſilium cepit, „ idque perfecit ſuis litteris in ſimili forma Brevis die „ 6. Decembris 1668. expeditis, eorumque bona, & „ reditus ſatis conſpicuos, Venetorum Republica po„ ſtulante, in eos ſumptus impendi voluit, qui ad Cre„ tenſe bellum adverſus Turcas ſubſtinendum erant ne„ ceſſario ſubeundi.

„ In his vero omnibus decernendis, perficiendiſque ſa„ tius ſemper duxerunt Prædeceſſores Noſtri ea uti „ conſultiſſima agendi ratione, quam ad intercludendum „ penitus aditum animorum contentionibus, & ad quæ„ libet amovenda diſſidia, vel partium ſtudia magis con„ ferre exiſtimarunt. Hinc moleſta illa, ac plena nego„ tii prætermiſſa methodo, quæ in forenſibus inſtituen„ dis judiciis adhiberi conſuevit, prudentiæ legibus uni„ ce inhærentes, ea poteſtatis plenitudine, qua tanquam „ Chriſti in terris Vicarii, ac ſupremi Chriſtianæ Rei„ publicæ moderatores ampliſſime donati ſunt, rem o„ mnem abſolvendam curarunt, quin Regularibus Or„ dinibus ſuppreſſioni deſtinatis veniam facerent, & fa„ cultatem ſua experiundi jura, & graviſſimas illas „ vel propulſandi criminationes, vel cauſas amoliendi, „ ob quas ad illud conſilii genus ſuſcipiendum adduce„ bantur.

„ His igitur, aliiſque maximi apud omnes ponderis, „ & auctoritatis exemplis Nobis ante oculos propoſitis, „ vehementique ſimul flagrantes cupiditate, ut in ea, „ quam infra aperiemus, deliberatione, fidenti animo, „ tutoque pede incedamus, nihil diligentiæ omiſimus, „ & inquiſitionis, ut quidquid ad Regularis Ordinis, „ qui Societatis Jeſu vulgo dicitur, originem pertinet, „ progreſſum, hodiernumque ſtatum perſcrutaremur, & „ compertum inde habuimus, eum ad animarum ſalu„ tem, ad Hæreticorum, & maxime Infidelium con„ verſionem, ad majus denique pietatis, & religionis „ incrementum a Sancto ſuo Conditore fuiſſe inſtitu„ tum; atque ad optatiſſimum hujuſmodi finem faci„ lius, feliciuſque conſequendum, arctiſſimo Evangeli„ cæ paupertatis voto tam in communi, quam in par„ ticulari fuiſſe Deo conſecratum, exceptis tantummodo „ ſtudiorum ſeu litterarum Collegiis, quibus poſſidendi „ reditus ita facta eſt vis, & poteſtas, ut nihil tamen „ ex iis reditibus in ipſius Societatis commodum, uti„ litatem, ac uſum impendi unquam poſſit, atque „ converti.

„ His, aliiſque ſanctiſſimis legibus probata primum „ fuit eadem Societas Jeſu a fel. memoriæ Paulo Papa „ III. Prædeceſſore Noſtro per ſuas ſub plumbo 5. Kal. „ Octobris anno Incarnationis Dominicæ 1540. expe„ ditas

„ ditas litteras, ab eodemque conceſſa ei fuit facultas „ condendi jura, atque ſtatuta, quibus Societatis praeſidio, incolumitati, atque regimini firmiſſime conſuleretur. Et quamvis idem Paulus Prædeceſſor Societatem ipſam anguſtiſſimis ſexaginta duntaxat alumnorum limitibus ab initio circumſcripſiſſet; per alias tamen ſuas itidem ſub plumbo pridie Kal. Martii ann. Incarnationis Dominicæ 1543. expeditas litteras locum dedit eadem in Societate iis omnibus, quos in eam excipere illius moderatoribus viſum fuiſſet opportunum, aut neceſſarium. Anno deinde 1549. ſuis in ſimili forma Brevis die 15. Novembris expeditis litteris idem Paulus Prædeceſſor pluribus, atque ampliſſimis privilegiis eamdem Societatem donavit, ac in his indultum alias per eumdem Præpoſitis Generalibus dictæ Societatis conceſſum admittendi viginti Presbyteros Coadiutores ſpirituales, eiſque impertiendi eaſdem facultates, gratiam, & auctoritatem, quibus Socii ipſi profeſſi donantur, ad alios quoſcumque, quos idoneos fore iidem Præpoſiti Generales cenſuerint, ullo abſque limite, & numero extendendum voluit, atque mandavit; ac præterea Societatem ipſam, & univerſos illius Socios, & perſonas, illorumque bona quæcumque ab omni ſuperioritate, juriſdictione, correctione quorumcumque Ordinariorum exemit, & vindicavit, ac ſub ſua, & Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcepit.

„ Haud minor fuit reliquorum Prædeceſſorum noſtrorum eamdem erga Societatem liberalitas, ac munificentia. Conſtat enim a ſel. memoriæ Julio III. Paulo IV. Pio IV., & V. Gregorio XIII. Sixto V. Gregorio XIV. Clemente VIII. Paulo V. Leone XI. Gregorio XV. Urbano VIII. aliiſque Romanis Pontificibus privilegia eidem Societati jam antea tributa, vel confirmata fuiſſe, vel novis aucta acceſſionibus, vel apertiſſime declarata. Ex ipſo tamen Apoſtolicarum Conſtitutionum tenore, & verbis palam colligitur, eadem in Societate ſuo fere ab initio varia diſſidiorum, ac æmulationum ſemina pullulaſſe, ipſos non modo inter Socios, verum etiam cum aliis regularibus Ordinibus, Clero ſeculari, Academiis, Univerſitatibus, publicis litterarum Gymnaſiis, & cum ipſis etiam Principibus, quorum in ditionibus Societas fuerat excepta, eaſdemque contentiones, & diſſidia excitata modo fuiſſe de votorum indole, & natura, de tempore admittendorum Sociorum ad vota, de facultate Socios expellendi, de eiſdem Sociis ad ſacros Ordines promovendis ſine congrua, ac ſine votis ſolemnibus contra Concilii Tridentini, ac ſanctæ memoriæ Pii Papæ V. Prædeceſſoris noſtri decreta; modo de abſoluta poteſtate, quam Præpoſitus generalis ejuſdem Societatis ſibi vindicabat, ac de aliis rebus ad ipſius Societatis regimen ſpectantibus; modo de variis doctrinæ capitibus, de ſcholis, de exemptionibus, & privilegiis, quæ locorum Ordinarii, aliæque perſonæ in Eccleſiaſtica, vel ſeculari dignitate conſtitutæ ſuæ noxia eſſe jurisdictioni, ac juribus contendebant; ac demum minime defuerunt graviſſimæ accuſationes eiſdem Sociis objectæ, quæ Chriſtianæ Reipublicæ pacem, ac tranquillitatem non parum perturbarunt.

„ Multæ hinc ortæ adverſus Societatem querimoniæ, „ quæ nonnullorum etiam Principum auctoritate munitæ, ac relationibus ad ſel. memoriæ Paulum IV., Pium V., & Sixtum V. Prædeceſſores noſtros delatæ fuerunt. In his fuit claræ memoriæ Philippus II. Hiſpaniarum Rex Catholicus, qui tum graviſſimas, quibus ille vehementer impellebatur rationes, tum etiam eos, quos ab Hiſpaniarum Inquiſitoribus adverſus immoderata Societatis privilegia, ac regiminis formam acceperat clamores, & contentionum capita a nonnullis ejuſdem etiam Societatis viris doctrina, & pietate ſpectatiſſimis confirmata, eidem Sixto V. Prædeceſſori exponenda curavit, apud eumdemque egit, ut Apoſtolicam Societatis viſitationem decerneret, atque committeret. Ipſius Philippi Regis petitionibus, & ſtudiis, quæ ſumma inniti æquitate animadverterat, annuit idem Sixtus Prædeceſſor, delegitque ad Apoſtolici Viſitatoris munus Epiſcopum prudentia, virtute, & doctrina omnibus commendatiſſimum, ac præterea Congregationem deſignavit nonnullorum S. R. E. Cardinalium, qui ei rei perficiendæ ſedulam navarent operam. Verum dicto Sixto V. Prædeceſſore immatura morte prærepto, ſaluberrimum ab eo ſuſceptum conſilium evanuit, omnique caruit effectu. Ad ſupremum autem Apoſtolatus apicem aſſumptus felicis recordationis Gregorius PP. XIV. per ſuas litteras ſub plumbo 4. Kal. Julii ann. Dominicæ Incarnationis 1591. expeditas, Societatis inſtitutum ampliſſime iterum approbavit; rataque haberi juſſit, ac firma privilegia quæcumque eidem Societati a ſuis Prædeceſſoribus collata; & illud præ cæteris, „ quo cautum fuerat, ut a Societate expelli, dimitti„ que poſſent Socii, forma judiciaria minime adhibita, „ nulla ſcilicet præmiſſa inquiſitione, nullis confectis „ actis, nullo ordine judiciario ſervato, nulliſque ter„ minis, etiam ſubſtantialibus ſervatis, ſola facti veri„ tate inſpecta, culpæ, vel rationabilis cauſæ tantum „ ratione habita, ac perſonarum, aliarumque circum„ ſtantiarum. Altiſſimum inſuper ſilentium impoſuit; „ vetuitque ſub pœna potiſſimum excommunicationis „ latæ ſententiæ, ne quis dictæ Societatis inſtitutum, „ conſtitutiones, aut decreta directe, vel indirecte im„ pugnare auderet, vel aliquid de iis quovis modo im„ mutari curaret. Jus tamen cuilibet reliquit, ut quid„ quid addendum, minuendum, aut immutandum cen„ ſeret, ſibi tantummodo, & Romanis ſolum Pontifici„ bus pro tempore exiſtentibus, vel immediate, vel per „ Apoſtolicæ Sedis Legatos, ſeu Nuncios ſignificare poſ„ ſet, atque proponere.

„ Tantum vero abeſt, ut hæc omnia ſatis fuerint „ compeſcendis adverſus Societatem clamoribus, & que„ relis, quin potius magis magiſque univerſum fere Or„ bem pervaſerunt moleſtiſſimæ contentiones de Socie„ tatis doctrina, quam fidei veluti orthodoxæ, boniſ„ que moribus repugnantem plurimi traduxerunt; do„ meſticæ etiam, externæque efferbuerunt diſſenſiones, & „ frequentiores factæ ſunt in eam, de nimia potiſſimum „ terrenorum bonorum cupiditate accuſationes, ex qui„ bus omnibus ſuam hauſerunt originem tum pertur„ bationes illæ omnibus ſatis cognitæ, quæ Sedem Apo„ ſtolicam ingenti mœrore affecerunt, ac moleſtia; tum „ capta a Principibus nonnullis in Societatem conſilia. „ Quo factum eſt, ut eadem Societas novam inſtituti „ ſui, ac privilegiorum confirmationem a felicis recor„ dationis Paulo Papa V. Prædeceſſore Noſtro impe„ tratura, coacta fuerit ab eo petere, ut rata habere „ vellet, ſuaque confirmare auctoritate decreta quæ„ dam in quinta generali Congregatione edita, atque „ ad verbum exſcripta in ſuis ſub plumbo, pridie Non. „ Septembris anno Incarnationis Dominicæ 1606. deſu„ per expeditis litteris; quibus in decretis diſertiſſime „ legitur, tam internas Sociorum ſimultates, ac turbas, „ quam exteriorum in Societatem querelas, ac poſtu„ lationes Socios in Comitiis congregatos impuliſſe ad „ ſequens condendum ſtatutum: *Quoniam Societas noſtra, quæ ad fidei propagationem, & animarum lucra „ a Domino excitata eſt, ſicut per propria inſtituti miniſteria, quæ ſpiritualia arma ſunt, cum Eccleſiæ utilitate, ac proximorum ædificatione ſub crucis vexillo „ finem feliciter conſequi poteſt, quem intendit; ita & „ hæc bona impediret, & ſe maximis periculis exponeret, ſi ea tractaret, quæ ſecularia ſunt, & ad res „ politicas, atque ad ſtatus gubernationem pertinent; „ idcirco ſapientiſſime a noſtris majoribus ſtatutum eſt, „ ut militantes Deo aliis, quæ a noſtra profeſſione abhorrent, non implicemur. Cum autem his præſertim „ temporibus valde periculoſis, pluribus locis, & apud „ varios Principes (quorum tamen amorem, & caritatem ſanctæ memoriæ Pater Ignatius conſervandam ad „ divinum obſequium pertinere putavit) aliquorum fortaſſe culpa, & vel ambitione, vel indiſcreto zelo „ religio noſtra male audiat; & alioquin bonus Chriſti „ odor neceſſarius ſit ad fructificandum, cenſuit Congregatio ab omni ſpecie mali abſtinendum eſſe, & querelis, quoad fieri poterit, etiam ex falſis ſuſpicionibus provenientibus, occurrendum. Quare præſenti decreto graviter, & ſevere noſtris omnibus interdicit, „ ne in hujuſmodi publicis negotiis, etiam invitati, „ aut allecti ulla ratione ſe immiſceant, nec ullis precibus, aut ſuaſionibus ab inſtituto deflectant. Et præterea quibus efficacioribus remediis omnino huic morbo, ſicubi opus ſit, medicina adhibeatur, Patribus „ Definitoribus accurate decernendum, & definiendum „ commendavit.*

„ Maximo ſane animi Noſtri dolore obſervavimus, „ tam prædicta, quam alia complura deinceps adhibita „ remedia nihil ferme virtutis præſetuliſſe, & auctoritatis ad tot, ac tantas evellendas, diſſipandaſque turbas, accuſationes, & querimonias in ſæpe dictam Societatem, fruſtraque ad id laboraſſe ceteros Prædeceſſores noſtros Urbanum VIII., Clementem IX. X. XI. & XII. Alexandrum VII. & VIII. Innocentium X. XI. XII. & XIII. & Benedictum XIV. qui optatiſſimam conati ſunt Eccleſiæ reſtituere tranquillitatem plurimis ſaluberrimis editis Conſtitutionibus, tam circa ſæcularia negotia, ſive extra ſacras Miſſiones, ſive earum occaſione minime exercenda, quam circa diſſidia graviſſima, ac jurgia adverſus locorum „ Ordinarios, regulares Ordines, loca pia, atque Com„ munitates cujuſvis generis in Europa, Aſia, & A„ merica non ſine ingenti animarum ruina, ac popu-

„ lorum

„ lorum admiratione a Societate acriter excitata, tum
„ etiam ſuper interpretatione, & praxi ethnicorum
„ quorumdam rituum aliquibus in locis paſſim adhibi-
„ ta, omiſſis iis, qui ab univerſali Eccleſia ſunt rite
„ probati; vel ſuper earum ſententiarum uſu, & inter-
„ pretatione, quas Apoſtolica Sedes tanquam ſcandalo-
„ ſas, optimæque morum diſciplinæ manifeſte noxias
„ merito proſcripſit; vel aliis demum ſuper rebus ma-
„ ximi equidem momenti, & ad Chriſtianorum dogma-
„ tum puritatem ſartam tectam ſervandam apprime
„ neceſſariis, & ex quibus noſtra hac non minus, quam
„ ſuperiori ætate plurima dimanarunt detrimenta, &
„ incommoda; perturbationes nimirum, ac tumultus
„ in nonnullis Catholicis regionibus; Eccleſiæ perſecu-
„ tiones in quibuſdam Aſiæ & Europæ provinciis; in-
„ gens denique allatus eſt mœror Prædeceſſoribus no-
„ ſtris, & in his piæ memoriæ Innocentio Papæ XI.
„ qui neceſſitate compulſus eo devenit, ut Societati in-
„ terdixerit novitios ad habitum admittere; tum Inno-
„ centio Papæ XIII. qui eamdem pœnam coactus fuit
„ eidem comminari; ac tandem fel. memoriæ Benedi-
„ cto Papæ XIV. qui viſitationem Domorum, Colle-
„ giorumque in ditione chariſſimi in Chriſto filii noſtri
„ Luſitaniæ, & Algarbiorum Regis Fideliſſimi exiſten-
„ tium cenſuit decernendam; quin ullum ſubinde vel
„ Sedi Apoſtolicæ ſolamen, vel Societati auxilium, vel
„ Chriſtianæ Reipublicæ bonum acceſſerit ex noviſſimis
„ Apoſtolicis litteris a felicis recordationis Clemente
„ Papa XIII. immediato Prædeceſſore noſtro extortis
„ potius, ut verbo utamur a Prædeceſſore noſtro Gre-
„ gorio X. in ſupracitato Lugdunenſi Œcumenico Con-
„ cilio adhibito, quam impetratis, quibus Societatis
„ Jeſu inſtitutum magnopere commendatur, ac rurſus
„ approbatur.

„ Poſt tot tantaſque procellas, ac tempeſtates acerbiſ-
„ ſimas futurum optimus quiſque ſperabat, ut optatiſ-
„ ſima illa tandem aliquando illuceſceret dies, quæ
„ tranquillitatem, & pacem eſſet cumulatiſſime allatu-
„ ra. At Petri Cathedram gubernante eodem Clemen-
„ te XIII. Prædeceſſore longe difficiliora, ac turbulen-
„ tiora acceſſerunt tempora. Auctis enim quotidie
„ magis in prædictam Societatem clamoribus, & que-
„ relis, quinimmo periculoſiſſimis alicubi exortis ſedi-
„ tionibus, tumultibus, diſſidiis, & ſcandalis, quæ
„ Chriſtianæ Charitatis vinculo labefactato, ac penitus
„ diſrupto, fidelium animos ad partium ſtudia, odia,
„ & inimicitias vehementer inflammarunt, eo diſcrimi-
„ nis, ac periculi res perducta viſa eſt, ut ii ipſi, quo-
„ rum avita pietas, ac in Societatem liberalitas hæreditario
„ quodam veluti jure a majoribus accepta omnium fere
„ linguis ſummopere commendatur, chariſſimi nempe in
„ Chriſto filii noſtri Reges Francorum, Hiſpaniarum,
„ Luſitaniæ, ac utriuſque Siciliæ ſuis ex regnis, ditio-
„ nibus, atque provinciis Socios dimittere coacti omni-
„ no fuerint, & expellere; hoc unum putantes extre-
„ mum tot malis ſupereſſe remedium, & penitus ne-
„ ceſſarium ad impediendum, quominus chriſtiani po-
„ puli in ipſo ſanctæ Matris Eccleſiæ ſinu ſe ſe invi-
„ cem laceſſerent, provocarent, lacerarent.

„ Ratum vero habentes prædicti chariſſimi in Chri-
„ ſto Filii noſtri, remedium hoc firmum eſſe non poſſe,
„ ac univerſo Chriſtiano Orbi reconciliando accommo-
„ datum, niſi Societas ipſa prorſus extingueretur, ac
„ ex integro ſupprimeretur; ſua idcirco apud præfatum
„ Clementem PP. XIII. Prædeceſſorem expoſuerunt ſtu-
„ dia, ac voluntatem, & qua valebant authoritate, &
„ precibus, conjunctis ſimul votis expoſtularunt, ut effi-
„ caciſſima ea ratione perpetuæ ſuorum ſubditorum ſe-
„ curitati, univerſæque Chriſti Eccleſiæ bono provi-
„ dentiſſime conſuleret. Qui tamen præter omnium
„ expectationem contigit ejuſdem Pontificis obitus rei
„ curſum, exitumque prorſus impedivit. Hinc nobis
„ in eadem Petri Cathedra, divina diſponente clemen-
„ tia, conſtitutis, eædem ſtatim oblatæ ſunt preces, pe-
„ titiones, & vota, quibus ſua quoque addiderunt ſtu-
„ dia, animique ſententiam Epiſcopi complures, alii-
„ que viri dignitate, doctrina, religione plurimum con-
„ ſpicui.

„ Ut autem in re tam gravi, tantique momenti tu-
„ tiſſimum caperemus conſilium, diuturno nobis tempo-
„ ris ſpatio opus eſſe judicavimus, non modo ut dili-
„ genter inquirere, maturius expendere, & conſultiſſi-
„ me deliberare poſſemus, verum etiam ut multis ge-
„ mitibus, & continuis precibus ſingulare a Patre lumi-
„ num expoſceremus auxilium, & præſidium; qua et-
„ iam in re Fidelium omnium precibus pietatiſque ope-
„ ribus nos ſæpius apud Deum juvari curavimus. Per-
„ ſcrutari inter cetera voluimus, quo innitatur fundamen-
„ to pervagata illa apud plurimos opinio, religionem
„ ſcilicet Clericorum Societatis Jeſu fuiſſe a Concilio
„ Tridentino ſolemni quadam ratione approbatam, &
„ confirmatam; nihilque aliud de ea actum fuiſſe com-
„ perimus in citato Concilio, quam ut a generali illo
„ exciperetur decreto, quo de reliquis regularibus Ordi-
„ nibus cautum fuit, ut finito tempore novitiatus, novitii,
„ qui idonei inventi fuerint, ad profitendum admittantur,
„ aut a Monaſterio ejiciantur. Quamobrem eadem
„ ſancta Synodus (ſeſſ. 25. c. 16. de Regular.) de-
„ claravit ſe nolle aliquid innovare, aut prohibere,
„ quin prædicta religio Clericorum Societatis Jeſu, jux-
„ ta pium eorum inſtitutum a Sancta Sede Apoſtolica
„ approbatum, Domino, & ejus Eccleſiæ inſervire
„ poſſit.

„ Tot itaque, ac tam neceſſariis adhibitis mediis,
„ divini Spiritus, ut confidimus, adjuti præſentia, &
„ afflatu, nec non muneris noſtri compulſi neceſſita-
„ te, quo & ad Chriſtianæ Reipublicæ quietem, &
„ tranquillitatem conciliandam, fovendam, roboran-
„ dam, & ad illa omnia penitus de medio tollenda,
„ quæ eidem detrimento vel minimo eſſe poſſunt,
„ quantum vires ſinunt, arctiſſime adigimur; cumque
„ præterea animadverterimus prædictam Societatem Je-
„ ſu uberrimos illos, ampliſſimoſque fructus, & utili-
„ tates afferre amplius non poſſe, ad quos inſtituta fuit,
„ a tot Prædeceſſoribus noſtris approbata, ac plurimis
„ ornata privilegiis, imo fieri aut vix, aut nullo mo-
„ do poſſe, ut ea incolume manente, vera pax, ac diu-
„ turna Eccleſiæ reſtituatur; his propterea graviſſimis
„ adducti cauſis, aliiſque preſſi rationibus, quas & pru-
„ dentiæ leges, & optimum univerſalis Eccleſiæ regi-
„ men nobis ſuppeditant, altaque mente repoſitas ſerva-
„ mus, veſtigiis inhærentes eorumdem Prædeceſſorum no-
„ ſtrorum, & præſertim memorati Gregorii X. Prædе-
„ ceſſoris in generali Concilio Lugdunenſi, cum & nunc
„ de Societate agatur, tum inſtituti ſui, tum privilegio-
„ rum etiam ſuorum ratione, Mendicantium Ordinum
„ numero adſcripta, maturo conſilio, ex certa ſcientia,
„ & plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ ſæpedictam Socie-
„ tatem extinguimus, & ſupprimimus: tollimus, &
„ abrogamus omnia, & ſingula ejus officia, miniſteria,
„ & adminiſtrationes, Domus, Scholas, Collegia, Hoſpi-
„ tia, Grancias, & loca quæcumque quavis in Provin-
„ cia, Regno, & ditione exiſtentia, & modo quolibet
„ ad eam pertinentia; ejus ſtatuta, mores, conſuetudi-
„ nes, Decreta, Conſtitutiones, etiam juramento, con-
„ firmatione Apoſtolica, aut alias roboratas; omnia
„ item, & ſingula privilegia, & indulta generalia, vel
„ ſpecialia, quorum tenores præſentibus, ac ſi de ver-
„ bo ad verbum eſſent inſerta, ac etiamſi quibuſvis for-
„ mulis, clauſulis irritantibus, & quibuſcumque vin-
„ culis, & decretis ſint concepta, pro plene, & ſuffi-
„ cienter expreſſis haberi volumus. Ideoque declaramus,
„ caſſatam perpetuo manere, ac penitus extinctam o-
„ mnem, & quamcumque authoritatem Præpoſiti gene-
„ ralis, Provincialium, Viſitatorum, aliorumque quorum-
„ libet dictæ Societatis Superiorum, tam in ſpirituali-
„ bus, quam in temporalibus, eandemque juriſdictio-
„ nem, & authoritatem in locorum Ordinarios totali-
„ ter, & omnimode transferimus, juxta modum, ca-
„ ſus, & perſonas, & iis ſub conditionibus, quas in-
„ fra explicabimus; prohibentes, quemadmodum per præ-
„ ſentes prohibemus, ne ullus amplius in dictam Socie-
„ tatem excipiatur, & ad habitum, ac novitiatum ad-
„ mittatur; qui vero hactenus fuerunt excepti, ad pro-
„ feſſionem votorum ſimplicium, vel ſolemnium ſub pœ-
„ na nullitatis admiſſionis, & profeſſionis, aliiſque ar-
„ bitrio noſtro ſervatis, nullo modo admitti poſſint, &
„ valeant. Quinimmo volumus, præcipimus, & man-
„ damus, ut qui nunc tyrocinio actu vacant, ſtatim,
„ illico, immediate, & cum effectu dimittantur; ac ſi-
„ militer vetamus, ne qui votorum ſimplicium profeſ-
„ ſionem emiſerunt, nulloque ſacro Ordine ſunt uſque
„ adhuc initiati, poſſint ad majores ipſos Ordines pro-
„ moveri prætextu, aut titulo vel jam emiſſæ in Socie-
„ tate profeſſionis, vel privilegiorum contra Concilii Tri-
„ dentini decreta eidem Societati collatorum.

„ Quoniam vero eo noſtra tendunt ſtudia, ut quem-
„ admodum Eccleſiæ utilitatibus, ac populorum tran-
„ quillitati conſulere cupimus, ita ſingulis ejuſdem re-
„ ligionis individuis, ſeu Sociis, quorum ſingulares per-
„ ſonas paterne in Domino diligimus, ſolamen aliquod,
„ & auxilium afferre ſtudeamus, ut ab omnibus, qui-
„ bus hactenus vexati fuerunt contentionibus, diſſidiis,
„ & angoribus liberi, fructuoſius vineam Domini poſ-
„ ſint excolere, & animarum ſaluti uberius prodeſſe;
„ ideo decernimus & conſtituimus, ut Socii profeſſi vo-
„ torum dumtaxat ſimplicium, & ſacris Ordinibus non-
„ dum initiati, intra ſpatium temporis a locorum Or-
„ dinariis definiendum, ſatis congruum ad munus ali-
„ quod, vel officium, vel benevolum receptorem inve-
„ niendum, non tamen uno anno longius a data præ-
„ ſentium noſtrarum litterarum inchoandum, Domibus,

„ & Col-

„ & Collegiis ejuſdem Societatis omni votorum ſimpli-
„ cium vinculo ſoluti egredi omnino debeant, eam vi-
„ vendi rationem ſuſcepturi, quam ſingulorum vocatio-
„ ni, viribus, & conſcientiæ magis aptam in Domino
„ judicaverint; cum & juxta Societatis privilegia dimit-
„ ti ab ea hi poterant non alia de cauſa præter eam,
„ quam Superiores prudentiæ, & circumſtantiis magis
„ conformem putarent, nulla præmiſſa citatione, nullis
„ confectis actis, nulloque judiciario ordine ſervato.

„ Omnibus autem Sociis ad ſacros Ordines promotis
„ veniam facimus, ac poteſtatem, eaſdem Domos, aut
„ Collegia Societatis deſerendi, vel ut ad aliquem ex re-
„ gularibus Ordinibus a Sede Apoſtolica approbatis ſe
„ conferant, ubi probationis tempus a Concilio Triden-
„ tino præſcriptum debebunt explere, ſi votorum ſim-
„ plicium profeſſionem in Societate emiſerint; ſi vero ſo-
„ lemnium etiam votorum, per ſex tantum integros
„ menſes in probatione ſtabunt, ſuper quo benigne cum
„ eis diſpenſamus; vel ut in ſeculo maneant tanquam
„ Presbyteri, & Clerici ſeculares ſub omnimoda, ac
„ totali obedientia, & ſubjectione Ordinariorum, in
„ quorum Diœceſi domicilium figant; decernentes in-
„ ſuper, ut his, qui hac ratione in ſeculo manebunt
„ congruum aliquod, donec proviſi aliunde non fuerint,
„ aſſignetur ſtipendium ex reditibus Domus, ſeu Colle-
„ gii, ubi morabantur, habito tamen reſpectu tum re-
„ dituum, tum onerum eidem annexorum.

„ Profeſſi vero in ſacris Ordinibus jam conſtituti,
„ qui vel timore ducti non ſatis honeſtæ ſuſtentationis
„ ex defectu vel inopia congruæ, vel quia loco carent
„ ubi domicilium ſibi comparent, vel ob provectam æ-
„ tatem, infirmam valetudinem, aliamque juſtam, gra-
„ vemque cauſam, Domus Societatis, ſeu Collegia dere-
„ linquere opportunum minime exiſtimaverint, ibidem
„ manere poterunt; ea tamen lege, ut nullam prædi-
„ ctæ Domus, ſeu Collegii adminiſtrationem habeant, Cle-
„ ricorum Sæcularium veſte tantummodo utantur, vi-
„ vantque Ordinario ejuſdem loci pleniſſime ſubjecti.
„ Prohibemus autem omnino quominus in eorum qui
„ deficient locum, alios ſufficiant; Domum de novo jux-
„ ta Concilii Lugdunenſis decreta, ſeu aliquem locum
„ acquirant; Domos inſuper, res, & loca, quæ nunc
„ habent, alienare valeant; quin immo in unam tan-
„ tum Domum, ſeu plures, habita ratione Sociorum, qui
„ remanebunt, poterunt congregari, ita, ut Domus,
„ quæ vacuæ relinquentur, poſſint in pios uſus conver-
„ ti juxta id quod ſacris Canonibus, voluntati funda-
„ torum, divini cultus incremento, animarum ſalu-
„ ti, ac publicæ utilitati videbitur ſuis loco, &
„ tempore recte, riteque accommodatum. Interim ve-
„ ro vir aliquis ex Clero Sæculari prudentia, pro-
„ biſque moribus præditus deſignabitur, qui dictarum
„ Domorum præſit regimini, deleto penitus, & ſup-
„ preſſo nomine Societatis.

„ Declaramus individuos etiam prædictæ Societatis ex
„ omnibus Provinciis, a quibus jam reperiuntur expulſi,
„ comprehenſos eſſe in hac Generali Societatis ſuppreſſio-
„ ne, ac proinde volumus, quod ſupradicti expulſi, et-
„ iamſi ad majores Ordines ſint, & exiſtant promoti,
„ niſi ad alium regularem Ordinem tranſierint, ad ſta-
„ tum Clericorum, & Presbyterorum Sæcularium ipſo
„ facto redigantur, & locorum Ordinariis totaliter
„ ſubjiciantur.

„ Locorum Ordinarii, ſi eam, qua opus eſt, depre-
„ henderint virtutem, doctrinam, morumque integrita-
„ tem in iis, qui e Regulari Societatis Jeſu inſtituto
„ ad Presbyterorum Sæcularium ſtatum in vim præſen-
„ tium noſtrarum litterarum tranſierint, poterunt eis
„ pro ſuo arbitrio facultatem largiri, aut denegare ex-
„ cipiendi Sacramentales Confeſſiones Chriſtifidelium,
„ aut publicas ad populum habendi ſacras conciones,
„ ſine qua licentia in ſcriptis nemo illorum iis fungi mu-
„ neribus audebit. Hanc tamen facultatem iidem E-
„ piſcopi, vel locorum Ordinarii nunquam quoad extra-
„ neos iis concedent, qui in Collegiis, aut Domibus
„ antea ad Societatem pertinentibus vitam ducent, qui-
„ bus proinde perpetuo interdicimus Sacramentum Pœ-
„ nitentiæ extraneis adminiſtrare, vel prædicare, quem-
„ admodum ipſe etiam Gregorius X. Prædeceſſor in ci-
„ tato generali Concilio ſimili modo prohibuit. Qua
„ de re ipſorum Epiſcoporum oneramus conſcientiam,
„ quos memores cupimus ſeveriſſimæ illius rationis,
„ quam de ovibus eorum curæ commiſſis Deo ſunt red-
„ dituri, & duriſſimi etiam illius judicii, quod iis, qui
„ præſunt, ſupremus vivorum, & mortuorum judex mi-
„ natur.

„ Volumus præterea, quod ſi quis eorum, qui So-
„ cietatis inſtitutum profitebantur, munus exerceat eru-
„ diendi in litteris juventutem, aut magiſtrum agat in
„ aliquo Collegio, aut ſchola, remotis penitus omni-
„ bus a regimine, adminiſtratione, & gubernio, iis
„ tantum in docendi munere locus fiat perſeverandi, &
„ poteſtas, qui ad bene de ſuis laboribus ſperandum
„ ſignum aliquod præſeferant, & dummodo ab illis a-
„ lienos ſe præbeant diſputationibus, & doctrinæ capi-
„ tibus, quæ ſua vel laxitate, vel inanitate graviſſimas
„ contentiones, & incommoda parere ſolent, & pro-
„ creare; nec ullo unquam tempore ad hujuſmodi do-
„ cendi munus ii admittantur, vel in eo, ſi nunc actu
„ verſantur, ſuam ſinantur præſtare operam, qui ſcho-
„ larum quietem, ac publicam tranquillitatem non ſunt
„ pro viribus conſervaturi.

„ Quo vero ad ſacras attinet Miſſiones, quarum et-
„ iam ratione intelligenda volumus quæcumque de So-
„ cietatis ſuppreſſione diſpoſuimus, nobis reſervamus ea
„ media conſtituere, quibus & infidelium converſio, &
„ diſſidiorum ſedatio facilius, & firmius obtineri poſſit,
„ & comparari.

„ Caſſatis autem, & penitus abrogatis, ut ſupra, pri-
„ vilegiis quibuſcumque, & ſtatutis ſæpedictæ Societa-
„ tis, declaramus, ejus Socios, ubi a Domibus, & Col-
„ legiis Societatis egreſſi, & ad ſtatum Clericorum Sæ-
„ cularium redacti fuerint, habiles eſſe, & idoneos ad
„ obtinenda juxta ſacrorum Canonum, & Conſtitutio-
„ num Apoſtolicarum decreta, beneficia quæcumque
„ tam ſine cura, quam cum cura, Officia, Dignitates,
„ Perſonatus, & id genus alia, ad quæ omnia eis in
„ Societate manentibus aditus fuerat penitus intercluſus
„ a felicis recordationis Gregorio PP. XIII. per ſuas
„ in ſimili forma Brevis die 10. Septembris 1584. ex-
„ peditas litteras, quarum initium eſt: *Satis ſuperque*.
„ Item iiſdem permittimus, quod pariter vetitum
„ eis erat, ut eleemoſynam pro Miſſæ celebratione va-
„ leant percipere: poſſintque iis omnibus frui gratiis,
„ & favoribus, quibus tanquam Clerici Regulares So-
„ cietatis Jeſu perpetuo caruiſſent. Derogamus pari-
„ ter omnibus, & ſingulis facultatibus, quibus a Præ-
„ poſito Generali, aliiſque Superioribus vi privi-
„ legiorum a Summis Pontificibus obtentorum, donati
„ fuerint, legendi videlicet hæreticorum libros, & alios
„ ab Apoſtolica Sede proſcriptos & damnatos; non ſer-
„ vandi jejuniorum dies, aut eſurialibus cibis in iis non
„ utendi; anteponendi, poſtponendique horarum Cano-
„ nicarum recitationem, aliiſque id genus, quibus in
„ poſterum eos uti poſſe ſeveriſſime prohibemus; cum
„ mens nobis, animuſque ſit, ut iidem tanquam Sæcu-
„ lares Presbyteri ad juris communis tramites ſuam ac-
„ commodent vivendi rationem.

„ Vetamus, ne poſtquam præſentes noſtræ literæ pro-
„ mulgatæ fuerint, ac notæ redditæ, ullus audeat ea-
„ rum executionem ſuſpendere, etiam colore, titulo, præ-
„ textu cujuſvis petitionis, appellationis, recurſus, de-
„ clarationis, aut conſultationis dubiorum, quæ forte
„ oriri poſſent, alioque quovis prætextu præviſo, vel
„ non præviſo. Volumus enim ex nunc, & imme-
„ diate ſuppreſſionem, & caſſationem univerſæ prædi-
„ ctæ Societatis, & omnium ejus officiorum ſuum effe-
„ ctum ſortiri, forma, & modo a nobis ſupra expreſ-
„ ſis, ſub pœna majoris excommunicationis ipſo facto
„ incurrendæ, nobis, noſtriſque ſucceſſoribus Romanis
„ Pontificibus pro tempore reſervatæ adverſus quem-
„ cumque, qui noſtris hiſce litteris adimplendis impe-
„ dimentum, obicem, aut moram opponere præſum-
„ pſerit.

„ Mandamus inſuper, ac in virtute ſanctæ obedien-
„ tiæ præcipimus omnibus, & ſingulis perſonis Eccle-
„ ſiaſticis, regularibus, ſæcularibus cujuſcumque gradus,
„ dignitatis, qualitatis, & conditionis, & iis ſignan-
„ ter, qui uſque adhuc Societati fuerunt adſcripti &
„ inter Socios habiti, ne defendere audeant, impugna-
„ re, ſcribere, vel etiam loqui de hujuſmodi ſuppreſ-
„ ſione, deque ejus cauſis, & motivis, quemadmodum
„ nec de Societatis inſtituto, regulis, conſtitutionibus,
„ regiminis forma, aliave de re, quæ ad hujuſmodi
„ pertinet argumentum, abſque expreſſa Romani Ponti-
„ ficis licentia; ac ſimili modo ſub pœna excommuni-
„ cationis nobis, ac noſtris pro tempore ſucceſſoribus
„ reſervatæ prohibemus omnibus, & ſingulis, ne hujus
„ ſuppreſſionis occaſione ullum audeant, multoque minus
„ eos, qui Socii fuerunt, injuriis, jurgiis, contumeliis
„ aliove contemptus genere, voce, aut ſcripto, clam,
„ aut palam afficere, ac laceſſire.

„ Hortamur omnes Chriſtianos Principes, ut ea, qua
„ pollent, vi, auctoritate, & potentia, quam pro San-
„ ctæ Romanæ Eccleſiæ defenſione, & patrocinio a
„ Deo acceperunt, tum etiam eo, quo in hanc Apo-
„ ſtolicam Sedem ducuntur obſequio, & cultu, ſuam
„ præſtent operam, ac ſtudia, ut hæ noſtræ litteræ
„ ſuum pleniſſime conſequantur effectum, quinimo ſin-
„ gulis in iiſdem litteris contentis inhærentes ſimilia
„ conſtituant, & promulgent decreta, per quæ omnino
„ caveant, ne dum hæc noſtra voluntas executioni tra-

„ detur,

„ detur, ulla inter Fideles excitentur jurgia, contentio-
„ nes, & diſſidia.

„ Hortamur denique Chriſtianos omnes, ac per Do-
„ mini noſtri Jeſu Chriſti viſcera obſecramus, ut me-
„ mores ſint, omnes eundem habere Magiſtrum, qui
„ in cælis eſt; eundem omnes Reparatorem, a quo
„ empti ſumus pretio magno; eodem omnes lavacro
„ aquæ in verbo vitæ regeneratos eſſe, & filios Dei,
„ cohæredes autem Chriſti conſtitutos; eodem catholi-
„ cæ doctrinæ, verbique divini pabulo nutritos; omnes
„ demum unum corpus eſſe in Chriſto, ſingulos au-
„ tem alterum alterius membra; atque idcirco neceſſe
„ omnino eſſe, ut omnes communi caritatis vinculo ſi-
„ mul colligati cum omnibus hominibus pacem habeant,
„ ac nemini debeant quidquam, niſi ut invicem diligant,
„ nam qui diligit proximum, legem implevit; ſummo
„ proſequentes odio offenſiones, ſimultates, jurgia, in-
„ ſidias, aliaque hujuſmodi ab antiquo humani generis
„ hoſte excogitata, inventa, & excitata ad Eccleſiam
„ Dei perturbandam, impediendamque æternam Fide-
„ lium felicitatem ſub fallaciſſimo ſcholarum, opinio-
„ num, vel etiam chriſtianæ perfectionis titulo, ac
„ prætextu. Omnes tandem totis viribus contendant
„ veram, germanamque ſibi ſapientiam comparare, de
„ qua ſcriptum eſt per Sanctum Jacobum (cap. 3. Epiſt.
„ Can. verſ. 13.) *Quis ſapiens, & diſciplinatus inter*
„ *vos? Oſtendat ex bona converſatione operationem ſuam*
„ *in manſuetudine ſapientiæ. Quod ſi zelum amarum*
„ *habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris, no-*
„ *lite gloriari, & mendaces eſſe adverſus veritatem.*
„ *Non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens;*
„ *ſed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus,*
„ *& contentio, ibi inconſtantia, & omne opus pravum.*
„ *Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem*
„ *pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis,*
„ *bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bo-*
„ *nis, non judicans, ſine æmulatione. Fructus autem*
„ *juſtitiæ in pace ſeminatur facientibus pacem.*

„ Præſentes quoque litteras etiam ex eo quod Superio-
„ res, & alii religioſi ſæpedictæ Societatis, & cæteri
„ quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habe-
„ re quomodolibet prætendentes illis non conſenſerint,
„ nec ad ea vocati, & auditi fuerint, nullo unquam
„ tempore de ſubreptionis, obreptionis, nullitatis, aut
„ invaliditatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut alio
„ quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogi-
„ tato, & ſubſtantiali, ſive etiam ex eo quod in præ-
„ miſſis, ſeu eorum aliquo ſolemnitates, & quævis a-
„ lia ſervanda, & adimplenda ſervata non fuerint;
„ aut ex quocumque alio capite a jure, vel conſuetu-
„ dine aliqua reſultante, etiam in corpore juris clauſo,
„ ſeu etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis,
„ & quovis alio prætextu, occaſione, vel cauſa, etiam
„ quantumvis juſta, rationabili, & privilegiata, etiam
„ tali, quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſ-
„ ſario exprimenda foret, notari, impugnari, invalida-
„ ri, retractari, in jus, vel controverſiam revocari,
„ aut ad terminos juris reduci, vel adverſus illas reſti-
„ tutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad
„ viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque ju-
„ ris, facti, gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari,
„ ſeu quomodolibet conceſſo, aut impetrato quempiam
„ uti, ſeu ſe juvari, in judicio, vel extra illud poſſe;
„ ſed eaſdem præſentes ſemper, perpetuoque validas,
„ firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plena-
„ rios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac per
„ omnes, & ſingulos ad quos ſpectat, & quomodoli-
„ bet ſpectabit in futurum inviolabiliter obſervari.

„ Sicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, &
„ ſingulis per quoſcumque judices Ordinarios, & Dele-
„ gatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores,
„ ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos,
„ & Sedis Apoſtolicæ Nuncios, & alios quavis aucto-
„ ritate, & poteſtate fungentes, & functuros in quavis
„ cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet
„ quavis aliter judicandi, ſeu interpretandi facultate,
„ & auctoritate, judicari, ac definiri debere, ac irri-
„ tum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis
„ auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit atten-
„ tari, decernimus.

„ Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus
„ Apoſtolicis, etiam in Conciliis Generalibus editis, &
„ quatenus opus ſit regula noſtra de non tollendo jure
„ quæſito, nec non ſæpedictæ Societatis, illiuſque Domo-
„ rum, Collegiorum, ac Eccleſiarum, etiam juramen-
„ to, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate
„ alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis
„ quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis eidem Socie-
„ tati, illiuſque Superioribus, Religioſis, & perſonis
„ quibuslibet ſub quibuſvis tenoribus, formis, ac
„ cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, a-
„ liiſque decretis, etiam irritantibus, etiam motu ſi-
„ mili, etiam conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet
„ conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus o-
„ mnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficien-
„ ti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpe-
„ cialis, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum,
„ non autem per clauſulas generales idem importantes
„ mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut ali-
„ qua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illo-
„ rum omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo
„ ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis
„ tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, præ-
„ ſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſer-
„ tis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad
„ præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe dero-
„ gamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

„ Volumus autem, ut præſentium litterarum tranſ-
„ umptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii pu-
„ blici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in digni-
„ tate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus
„ fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præſenti-
„ bus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſten-
„ ſæ.

„ Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub an-
„ nulo Piſcatoris die XXI. Julii MDCCLXXIII. Pon-
„ tificatus noſtri anno quinto.

CLEMENS PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

„ Graviſſimis ex cauſis nuper nos per alias noſtras
„ in ſimili forma Brevis die XXI. ſuperioris
„ Menſis Julii expeditas litteras, Societatem Jeſu ex-
„ tinctam, atque ſuppreſſam decrevimus, & declaravi-
„ mus, prout in eiſdem noſtris literis, quarum te-
„ nores præſentibus pro plene, & ſufficienter ex-
„ preſſis haberi volumus, uberius continetur. Accitis
„ poſtmodum die VI. currentis Menſis Auguſti dilectis
„ Filiis noſtris S. R. E. Presbyteris Cardinalibus An-
„ drea S. Matthæi in Merulana Corſino, Mario S.
„ Auguſtini Marefuſco, Franciſco S. Clementis Cara-
„ fa, & Franciſco Xaverio SS. Silveſtri, & Martini
„ ad Montes de Zelada reſpective nuncupatis, ac di-
„ lecto quoque filio noſtro Antonio S. Georgii ad ve-
„ lum aureum ejuſdem S. R. E. Diacono Cardinali
„ Caſali pariter nuncupato, nec non dilectis etiam fi-
„ liis Magiſtris Vincentio Macedonio, & Onuphrio
„ Alfano, nos eiſdem omnibus cauſas ipſas, totamque
„ rei geſtæ ſeriem, ejuſque ſingulares etiam circumſtan-
„ tias aperuimus, ac uberrime patefecimus; perlectiſ-
„ que noſtris literis prædictis, ipſi omnia per nos geſta,
„ & in eis contenta quam maxime, ac unanimiter com-
„ mendantes, omnem promereri laudem agnoverunt, pu-
„ tarunt, ac crediderunt. Modo autem volentes, ut
„ quæ in prædictis literis diſpoſita, conſtituta, & præ-
„ ſcripta ſunt, debitæ executioni, ac juxta animi no-
„ ſtri ſententiam committantur; hinc eſt, quod motu
„ proprio, atque ex certa ſcientia, & matura delibera-
„ tione noſtris, unam erigimus, atque inſtituimus Con-
„ gregationem ex ſupradictis quinque Cardinalibus, ac
„ duobus Romanæ Curiæ Prælatis, nec non ex duo-
„ bus quoque Regularibus in Sacra Theologia præcla-
„ ris, tanquam Conſultoribus a Nobis nominandis,
„ quibus hæc præcipue cura incumbere debeat, ut ea
„ omnia, quæ in dictis noſtris literis conſtituta ſunt,
„ atque mandata, ſuum affequantur effectum; & ſi ali-
„ qua in earum executione circa modum, perſonas, &
„ res olim ad Societatem ipſam ſpectantes ſuboriri im-
„ poſterum unquam valeat dubitatio, nobis prius con-
„ ſultis, tollatur, ac declaretur. Eidem vero ſic per
„ nos inſtitutæ Congregationi, omnes, & quaſcumque
„ pro executione dictarum literarum neceſſarias, &
„ quomodolibet oportunas facultates, etiam ſummarie,
„ ac ſine ſtrepitu, & figura judicii ſola facti veritate
„ inſpecta, ac per inquiſitionem quoque procedendi ad-
„ verſus omnes, & quaſcumque Perſonas cujuſvis ſta-
„ tus, gradus, qualitatis, & dignitatis exiſtant, ac res,
„ bona, libros, ſcripturas, ſupellectilia, aliaque ad So-
„ cietatem prædictam jam ſpectantia retinentes, occu-
„ pantes, & occultantes, eaſque tam ſub Eccleſiaſticis
„ cenſuris, quam ſub aliis arbitrio ipſius Congregationis
„ imponendis pœnis ad earum revelationem, ac reſtitu-
„ tionem cogendi, & compellendi, motu, ſcientia, & pari
„ matura deliberatione tribuimus, & impertimur. Ne
„ autem ea, quæ in Congregatione hujuſmodi pertra-
„ ctanda, atque diſcutienda erunt, revelentur, & ad
„ aliorum aures perveniant, omnibus, & ſingulis ean-
„ dem Congregationem conſtituentibus, ſub pœna ex-
„ communicationis latæ ſententiæ ipſo facto abſque ul-

„ la declaratione incurrendæ, a qua nemo abſolutionis
„ beneficium, præterquam a nobis, ſeu Romano Pon-
„ tifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo
„ conſtitutus, valeat obtinere, prohibemus, atque ex-
„ preſſe interdicimus, ne ea, quæ quocumque modo in
„ dicta Congregatione propoſita, diſcuſſa, aut definita
„ fuerint, ſub quovis prætextu, cauſa, vel quæſito co-
„ lore patefacere, vel directe, aut indirecte revelare
„ valeant, aut præſumant. Præterea, attenta dictæ So-
„ cietatis ſuppreſſione, & extinctione, omnes, & quaſ-
„ cumque facultates, juriſdictiones, privilegia, & au-
„ ctoritates quorumcumque Collegiorum, Domorum,
„ Eccleſiarum, & Seminariorum, ac Perſonarum, ip-
„ ſius ſic extinctæ Societatis Protectoribus, aliiſque et-
„ iam S. R. E. Cardinalibus, & magno quoque Pœ-
„ nitentiario ſuper eis quomodolibet conceſſas, indul-
„ tas, & attributas, motu, ſcientia, & deliberatione
„ ſimilibus ſuſpenſas pro nunc decernimus, & declara-
„ mus, atque omnimodam juriſdictionem, auctorita-
„ tem & poteſtatem in iis omnibus, quæ quoquomodo
„ Perſonas, Eccleſias, Domus, Collegia, res & bona
„ dictæ jam extinctæ Societatis reſpiciunt, privative,
„ quoad omnia alia Tribunalia, etiam quarumcumque
„ Congregationum eorundem S. R. E. Cardinalium tam
„ Concilii Tridentini interpretum, quam Conſultatio-
„ tionibus Epiſcoporum & Regularium, ac negotiis
„ Propagandæ Fidei, ac Diſciplinæ Regulari Præpoſi-
„ torum, ſublata eis quavis aliter judicandi, & inter-
„ pretandi facultate, atque auctoritate, ad eandem
„ Congregationem per præſentes conſtitutam ſpectare,
„ & pertinere ſtatuimus, & jubemus. Volentes inſu-
„ per, ut ad dictam tantummodo Congregationem a
„ nobis, ut præfertur, erectam, privative pariter quoad
„ alios quoſcunque, & quæcumque alia Tribunalia,
„ ſpectet quoque, & pertineat, non ſolum providere,
„ ſive quæ Pœnitentiarios Baſilicæ Principis Apoſtolo-
„ rum de Urbe, ſive quæ alios Pœnitentiarios Almæ
„ Domus Lauretanæ reſpiciunt, ſed etiam Viros do-
„ ctrina, ac pietate præditos, in Superiores, Lecto-
„ res, ſeu Magiſtros Domorum, Collegiorum, & Se-
„ minariorum hujuſmodi eligere, ac deputare. Decer-
„ nentes eaſdem præſentes literas firmas, validas, &
„ efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & in-
„ tegros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos
„ ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in
„ omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ac ab
„ eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præ-
„ miſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delega-
„ tos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores,
„ ac ejuſdem S. R. E. Cardinales judicari, & definiri
„ debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a
„ quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter
„ contigerit attentari; non obſtantibus Conſtitutionibus,
„ & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis et-
„ iam juramento, confirmatione Apoſtolica, aut qua-
„ vis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudini-
„ bus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſto-
„ licis in contrarium præmiſſorum quomodolibet con-
„ ceſſis, confirmatis, ac innovatis; quibus omnibus, &
„ ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, &
„ ſufficienter expreſſis, ac inſertis habentes, ad præmiſ-
„ ſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus,
„ cæteriſque contrariis quibuſcumque.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub
„ annulo Piſcatoris die XIII. Auguſti MDCCLXXIII.
„ Pontificatus noſtri anno V.

A. Card. Nigronus.

P I U S VI.

SEDET nunc in Romana Cathedra Jo. Angelus Braſchi Cæſenas. Ejus auſpicatiſſima electio contigit XV. Kal. Martias Ann. MDCCLXXV. magna Patrum Purpuratorum conſenſione, nondum expleto biennio, quo ipſe in ſacrum Cardinalium Collegium a Deceſſore ſuo Clemente XIV. adlectus fuerat. Octava ab ejuſdem electione die conſecrationem Epiſcopalem ſuſcepit, & coronatus eſt Summus Pontifex. Pius VI. appellari voluit ob ſingularem pietatem, qua S. Pium V. proſequitur, cupiens ejus exemplo & vitam inſtituere, & res chriſtianas procurare. Quum Jubilæum demortuus Summus Pontifex Clemens XIV. indixiſſet, Pius Portam quam *Sanctam* appellant aperuit, ac poſtea de more clauſit. Tum exeunte anno Jubilæum ad univerſum Orbem Catholicum extendit. Bonaventuram a Potentia ex Ordine Fratrum Minorum Conventualium Sacerdotem ſolemni ritu in Beatorum catalogum retulit. Litteras omnes ac Litteratos in pretio habet. Muſæum Clementinum in Ædibus Vaticanis a Prædeceſſore ſuo inſtitutum præclaris quotidie, & ſelectis antiquitatis monumentis ſummo ſtudio, atque impendio undique conquiſitis augere, ac ditare non deſinit. Ut ſingularem animi ſui pietatem, atque obſervantiam erga Apoſtolorum Principem expleat, ad eximium omnium Chriſtifidelium exemplum Vaticanam Baſilicam fere quotidie inviſit ad B. Petri Confeſſionem oraturus; atque ut id commodius peragere poſſit, Vaticanas Ædes toto anni tempore præter recentiorum Summorum Pontificum morem incolit, dempta æſtate, qua ut valetudini conſulat in Quirinali Palatio utpote ſub ſalubriori cælo poſito commoratur. Eadem erga Divum Petrum flagranti devotione ductus novum Vaticanæ Baſilicæ Sacrarium magnis ſumptibus ædificandum ſuſcepit, quod auguſtiſſimi Templi majeſtati ac magnificentiæ plane reſpondeat, atque ipſe ſolemni ritu primum lapidem jecit. Plures Epiſcopatus erexit, ſcilicet Decempagenſem, & Nancejenſem in Lotharingia, necnon Roſnavienſem, Neoſolienſem, Scepuſienſem, Sabarienſem, & Albæ Regalis in Hungaria, ibique duas quoque Eccleſias Epiſcopales fundavit Catholici Græci ritus, nempe Criſienſem in Croatia, & Varadinenſem in inferiori Hungaria. Inſignem vero Archiepiſcopatum Montis Regalis in Sicilia Archiepiſcopatui Panormitano in perpetuum conjunxit. Denique Olomucenſem Epiſcopatum in Germania conſpicuum Archiepiſcopatus honore decoravit, novumque Brinni in Moravia Epiſcopatum creavit, quem, ſicut antea ad Olomucenſem Diœceſim pertinebat, ita nunc eidem Metropolitico jure ſubjectum eſſe voluit. Canonicorum Regularium Ordinem Sancti Antonii Abbatis Viennenſis vulgo nuncupatum petente Chriſtianiſſimo Rege prorſus abolevit, ipſumque, ac ejus bona in Galliis potiſſimum exiſtentia ſacro Hieroſolymitanorum Militum Ordini in perpetuum univit, & applicavit. Reditus vero, qui ad Romanam ejuſdem ſuppreſſi Ordinis Domum pertinebant, majori ex parte ad Nobilium Eccleſiaſticorum Academiam tranſtulit, quam Pius jugibus beneficiis, & ſingulari favore proſequitur.

Agant vero Fideles præpotenti Deo grates quas poſſunt maximas, quod ſacro Cardinalium Collegio eam mentem dederit, ut hunc potiſſimum cooptarent, ac ferventiſſimas preces fundant ut publico Eccleſiæ bono diu piiſſimus, & ſapientiſſimus Pontifex vivat. Dubitare enim nullo modo licet, quin ille qui tam præclaris initiis Pontificatum auſpicatus eſt, eundem ſit pari virtutis acceſſione geſturus.

DIS-

DISSERTATIO II.

DE MISSIONIBUS AD EXTERAS GENTES A GALLIS INSTITUTIS.

§. I.

Congregatio Sacerdotum a Miſſionibus exteris.

DE Miſſionibus exteris, ſeu ad exteras gentes ſermonem habituris rem ab ovo repetere juvat. Cum per annos circiter 25. Alexander de Rhodes Societatis Jeſu Presbyter oriundus Avenione felicem operam poſuiſſet in Miſſionibus Cocincinæ, Tunquini, & Sinenſis Imperii, Romam adiit, ubi Summo Pontifici Innocentio X. edixit neceſſitatem mittendi quam primum in haſce orientales plagas Epiſcopos, qui clerum in ſingulis nationibus ex indigenis conſtituerent, quatenus pro his naſcentibus Eccleſiis Sacerdotes initiarentur, qui quod ab Europæis Evangelii præconibus perſecutionum temporibus expelli ſolitis fruſtra ſperabatur, illis conferrent auxilium. Placuit conſilium Pontifici, qui Patri de Rhodes in mandatis dedit, ut operarios inquireret. Invenit hic Lutetiæ Pariſiorum in parva Clericorum ſocietate, cujus alter Societatis Jeſu Presbyter N. Bagot curam gerebat. Illico Papa Nuncio in Francia N. Bagny præcepit, ut eos inter, qui ſe Miſſionibus addicebant, tres eligeret, quos Epiſcopali charactere digniores exiſtimaret. Hi fuere Franciſcus de Laval Montmorenci de Montigny, Franciſcus Pallu, & N. Pique. At defuncto Innocentio Papa, & Alexandro de Rhodes miſſo a Superioribus in Perſidem, pium hoc conſilium irritum fuit, aut certe moram paſſum eſt ad an. 1657. quo N. de Milion & Franciſcum Pallu Romam cum tribus aliis contendentes Ignatius Cotolendy Parochus S. Magdalenæ Aquiſextienſis Maſſiliam adivit, ut ipſum ſuſcepti operis conſortem adſciſcerent. Illi ultro ſe facturos, quando redirent, promiſerunt: quibus demum Romam ingreſſis, & inſtigante in primis Ducissa d' Aiguillon a Cardinali de Bagny deductis in conſpectum Alexandri VII. Pontificis, hic Franciſcum Pallu renunciavit Epiſcopum Heliopolis, & Vicarium Apoſtolicum Tunquini, adjecta cura quinque provinciarum Sinenſium Tunquini Regno viciniorum, qui Romæ ſtatim conſecratus eſt a Cardinali Antonio Barberino Præfecto Congregationi de Propaganda Fide. Idem quoque Summus Pontifex Petrum de la Mothe Lambert creavit Epiſcopum Berytenſem, & Vicarium Apoſtolicum Cocincinæ & regni de Laos cum adminiſtratione quinque provinciarum Sinenſium; qui, cum in Franciam rediret, Ignatium Cotolendy pro data fide Aquis-ſextiis convenit, ut pro ipſius votis ſocium miſſionis adhiberet. Nec mora is, cum Franciſco Deydier Telonenſi presbytero Pariſios acceſſit ad duos Vicarios Apoſtolicos, qui ex licentia ſibi a Pontifice data eligendi quem Pontificio munere digniorem judicarent, Ignatium Papæ indicarunt, a quo mox donatus Bullis, ſacram Pariſiis in Eccleſia S. Ludovici ab Archiepiſcopo Rotomagenſi inaugurationem an. 1660. accepit ſub titulo Epiſcopi Metellopolis, & Vicarii Apoſtolici Nanquini cum regimine ceterarum Sinenſium provinciarum. Ex tribus hiſce Epiſcopis Petrus de la Mothe Lambert Præſul Berytenſis primus hoc ipſo anno cum duobus ſociis Lutetia iter arripuit ad Sinenſes; ſed cum illuc per Tartarorum & Perſarum Imperia exæſtuante bello aditus eſſet occluſus, menſe Auguſto anni 1662. ad Siamenſe Regnum appulit. Inter hæc die 6. Januarii 1661. Pariſiis egreſſus cum duobus presbyteris NN. Hainques & Chevreuil Ignatius Cotolendy Epiſcopus Metellopolis, ut injunctum ſibi officium adimpleret, in pago dicto Palacol non longe ab urbe Maſulipatan profluvio ſanguinis die 6. Auguſti 1662. interiit. Natus Ignatius 24. Martii 1630. Brinolii, unde parentes ob peſtem Aquas-ſextias poſtea ſeceſſerant, vix annum ætatis decimum octavum attigerat, cum ruri degens licentiam obtinuit a vicinis Parochis in vicis, & pagis elementa doctrinæ Chriſtianæ pueros edocendi & populos informandi. Suſceptis in Theologia gradibus & ſubinde ſacris ordinibus, mox a Capitulo Metropolitano unius inſigniorum urbis Parochiarum curio renunciatur; quam provinciam abdicavit, ut ſe Miſſionibus devoveret. Denique Franciſcus Pallu Heliopolis Epiſcopus die 3. Januarii 1662. in viam ſe dedit cum ſociis aliquot, quibus illi duo ſocii Ignatii Cotolendy ſeſe comites apud Suratam adjunxerunt; haud prius ad Siamenſe Regnum appulſus eſt, quam anno 1664. Cum igitur ambo Vicarii Apoſtolici Siamum, quo neutri mens fuerat ſe conferendi, una cum ſociis, Deo providente, conveniſſent; viſus eſt locus Indiarum commodiſſimus, ut quaſi Miſſionum ſuarum meditullium eſſet, & hinc mutua negotiorum cum Europa procuratio foveretur. Quamobrem petentibus illis Regni hujus ſpiritualem adminiſtrationem, Pontifex juſſit, ut ſucceſſor demortui Metellopolis Epiſcopi inibi Vicarius Apoſtolicus aſſidue conſiſteret, inſularumque adjacentium Japoniæ, Pegon & Miſſionum omnium Indiarum curam obtineret. Dum vero quidam Evangelii præco Romam delegatus Vicariatum Siami petiturus revertitur, Petrus de la Mothe Lambert Epiſcopus Berytenſis ad Sinenſes profectus, facto naufragio, terra Siamum redire cogitur; quo tempore exorta perſecutione, Tunquini Franciſco Pallu Heliopolis Epiſcopo præſeptus fuit aditus, unde jam omnes Evangelii præcones extruſi fuerant, & illis quominus reverterentur interdictum. Ad hanc tamen Eccleſiam deſertam Vicarii Apoſtolici miſerunt Franciſcum Deydier, qui mira uſus prudentia illic perſeveravit, eamque Miſſionem fundavit, poſtmodum factus Epiſcopus Aſcalonis & Vicarius Apoſtolicus Tunquini.

Dira quoque ſæviebat Cocincinæ perſecutio, unde cum pulſi tres e Societate Jeſu Presbyteri, duoque Capucini Siamo Macaum pergentes, vi tempeſtatis Faifum ejecti fuiſſent, Vicarii Apoſtolici Cocincinam delegarunt N. Chevreuil, qui cum inibi aliquandiu laboraſſet, exul inde Siamum rediit. Verum Cocincinæ de novo apertam Miſſionem cum Collega repetiit tam feliciter, ut etiamnum ſingulari laude perſeveret.

§. II.

Miſſio Siamenſis.

SIami interea res belle ſe habebant ob eximiam Regis erga Vicarios Apoſtolicos exiſtimationem, quibus & locum ampliſſimum non longe ab urbe regia, & ſpecioſam Baſilicam ædificavit cum Seminario, ad quod acceſſerunt e Cocincina & Tunquino plures elementorum doctrinæ Chriſtianæ explicatores ætatis provectæ & probatæ virtutis, quibus edoctis mores chriſtianos, & ad Eccleſiaſtica munia præparatis ſacros Ordines contulerunt, diviniſque vacaturos in patriam remiſerunt. Erectum etiam Collegium eſt, unitumque Seminario, in quod admittuntur liberi veterum Chriſtianorum Tunquinenſium, Cocincinenſium, Pegonenſium, Sinenſium, & Siamenſium, ex eoque prodierunt Presbyteri complures Tunquinenſes, & Sinenſes, qui Chriſtianam fidem hiſce in vaſtis regionibus tuentur. Haud procul a Seminario ædificatum fuit publicum Valetudinarium pro pauperibus ægris, in quo & remedia his, quos capere locus non poteſt, gratuito diſtribuuntur. Quodque notandum inprimis eſt, his tam Seminario, quam publico Valetudinario omni reditu deſtitutis Seminarium Pariſienſe omnia omnino neceſſaria ſuppeditat, nec non penſiones annuas Evangelii præconibus, & elementorum doctrinæ Chriſtianæ explicatoribus ſubminiſtrat. Hæ quidem duæ Miſſionum ſedes ingentibus oppugnatæ ſunt perſecutionibus, ſed gratia Dei prævalente, Gentilium furor expugnare illas non potuit, adeout Seminarium Siamenſe nunquam habere deſtiterit Vicarium Apoſtolicum ordine qui ſequitur.

§. III.

Siamenſes Vicarii Apoſtolici.

I. PEtrus de la Mothe Lambert Buxeriæ in Diœceſi Lexovienſi natus 18. Januarii 1624. & poſt in Curia ſubſidiorum Rotomagenſi Conſiliarius, cum tunc eſſet Epiſcopus Berytenſis inauguratus Pariſiis in Eccleſia Monialium a Viſitatione vici S. Antonii, & Vicarius Apoſtolicus Cocincinæ, regni de Laos, & quinque Sinenſium Provinciarum, primus Seminarium rexit uſque ad annum 1674. Ejus merito conciliata Regis Siami benevolentia, mirifice accrevit hæc Miſſio, exſtructis, ut diximus, Baſilica, Seminario, Collegio, & Valetudinario. Duas in Cocincina & Tunquino Viſitationes obivit Epiſcopales, duaſque Synodos habuit, in quibus ſtatuta celeberrima condidit, quæ Summus Pontifex probavit. Idem erexit Congregationem puellarum & viduarum ſub titulo Crucem amantium, quarum partes ſunt pie juniores puellas inſtituere. Denique Sanctiſſimi Paſtoris vitam pia morte finivit Siami die 15. Junii 1679.

II. Ludovicus I. Laneau natus apud Montem Dubletum in Cenomanis anno 1639. decurſis Lutetiæ Pariſiorum philoſophiæ, juris, ac theologiæ ſtudiis, Eccleſiaſticæ vitæ inſtitutum amplexus eſt tanta brevi cum Superiorum laude, ut anno 1662. dignus ſit habitus qui Præſulem Heliopolis Franciſcum Pallu ad Indos properantem comitaretur. Siami porro conſtitutus, munia ſibi commiſſa tam ferventer, tamque fideliter obivit, ut qui defuncto Ignatio Cotolendy Epiſcopo Metellopolis, & Vicario Apoſtolico Nanquini ſuccederet, delectus ſit an. 1673. ſub finem Septembris, quem Epiſcopus Berytenſis Petrus de la Mothe Lambert inauguravit Siami, aſſiſtentibus Heliopolis Epiſcopo & N. Chevreuil Sorbonæ Baccalaureo Sacerdote jamdudum in regionibus illis Evangelii præcone, 25. Martii die S. Paſchæ anno 1674. ſtatimque Ludovicus miſſus eſt in poſſeſſionem Vicariatus Apoſtolici non ſolum Nanquini in Imperio Sinenſi, verum etiam primariæ urbis, & totius Regni Siami, uti præceperat Clemens Papa IX. dato Diplomate 4. Julii 1669. Is autem magno jam in pretio habitus a Rege, facultatem obtinuit quinque in totidem provinciis Eccleſias conſtituendi, in quibus & Seminaria erexit. Iter fecit ad Cocincinam, Synodumque habuit apud Faifum, cui adfuere octo Sacerdotes Europæi, quatuor indigenæ, & octoginta Chriſtianæ doctrinæ elementorum explicatores, inauguravitque Guillelmum Mahot Epiſcopum Bidenſem & Vicarium Apoſtolicum hujus regni. Siamum poſtea rediit, ubi felicem operam formandis in Collegio ſcholaribus poſuit, viris Eccleſiaſticis in Seminario, & Catechumenis in toto Regno. Verum adveniente Regis morte, cum Ludovicus Antiſtes præcipuus extitiſſet Francos inter & Siamenſes conventionis arbiter, illorumque ſponſor, Siamenſibus a Francorum Duce obſidibus abductis, ſauciatus ipſe, raptatus, & catenis conſtrictus, carceri mancipatus fuit cum pluribus tam Evangelii præconibus, quam Seminarii alumnis, ſcholaribus, & Francis, expilatum Seminarium eſt. Tum quidem Cocincinæ Rex, paganus licet, Legatos miſit libertatem Præſulis poſtulaturos; ſed neque auditi ſunt. Attamen cum obſides Siamenſes ex urbe *de Pondichery* reduces Francorum in ſe urbanitatem Regi prædicaſſent, hic Præſulem & Evangelii præcones eductos e carcere quingentis donavit nummis. Suum inde Ludovicus repetiit Seminarium, quod cum Collegio reſtitutum incolis denuo frequentavit, obtenta interim aſſiduis precibus & ſtudiis centum Francorum libertate, quibus uſque ad diſceſſum ex mutuata pecunia victum & veſtitum ſubminiſtravit, & Chriſtianis, quorum plerique bona & libertatem pro ſervanda fide amiſerant, ſolatium præbuit. Nedum vero poſtea remiſſior eſſet Ludovicus in convertendis paganis, hoc pium opus novo proſecutus eſt ardore, & quidem tam laudabiliter tamque proſpere, ut immortuum piis illis exercitiis non ſolum Chriſtiani, verum & Gentiles, plebs & Magnates, atque ipſe Rex defleverint, qui & ſuis impenſis magnificum illi funus apparavit, adeo ut etiamnum Siami, & in omnibus circumvicinis locis ipſius memoria ſtet in laude, & benedictione.

III. Ludovicus II. de Cicè natus Redonis in Armorica anno 1650. ex antiquiſſima hujus provinciæ Familia, apprime imbutus Eccleſiaſtica diſciplina, & Sanctorum ſcientia in Pariſienſi S. Sulpicii Seminario, quas ambire poterat, Eccleſiæ Dignitatibus ſpretis, deſtinatur Evangelii præco apud Montem Regalem in Canadà, unde res magni momenti revocarunt eum in Franciam an. 1681. Aſt inibi diu non ſubſtitit; audiens ſiquidem quantos Evangelium progreſſus apud Indos faceret miniſterio Vicariorum Apoſtolicorum, collaborandi huic ſancto operi accenſus deſiderio, inſequentis anni die 6. Aprilis illuc profectus eſt cum Franciſco Pallu Heliopolis Epiſcopo, a quo deſtinatus in Cocincinam, illic præconis Evangelii munia exercuit uſque ad annum 1699. quo in Franciam remeavit. Tum vero cui probe nota erant ejus cum fidei ac morum ſinceritas, tum eruditio & prudentia ſingularis, Summus Pontifex Ludovicum nominavit Epiſcopum de Sabula, & ſucceſſorem Ludovici Laneau Epiſcopi Metellopolis in Vicariatu Apoſtolico Siami, & in adminiſtratione Miſſionum omnium. Anno itaque 1701. inauguratus Pariſiis a conſanguineo Sanbriocenſi Epiſcopo N. de Coetlogon, Siamum protinus adivit, ubi deceſſoris exemplum egregie æmulatus, diem ultimum clauſit die 1. Aprilis anno 1727.

IV. Jacobus Teſſier de Queralay Nannetis oriundus, Epiſcopus Roſalienſis Ludovico de Cicè ſucceſſit in Vicariatu Apoſtolico Siami. Rexit Seminarium Siamenſe, omneſque Indiarum Miſſiones uſque ad annum 1737. quo 27. Novembris deceſſit, audacter confeſſus fidem in ultima perſecutione circa 1732., in qua mortem non effugiſſet, niſi quod qui Siami reſidet Vicarius Apoſtolicus, Franciæ Regis hac in regione vices obire cenſeatur.

§. IV.

Vicarii Apoſtolici Tunquini.

I. FRanciſcus I. Pallu Turonis natus ex ingenua Familia, primum fuit Canonicus S. Martini, tum Romæ & Pariſiis Miſſionibus exteris inſtituendis ſedulam ac proſperam operam navavit. Quapropter Summus Pontifex Alexander VII. eum nominavit Epiſcopum Heliopolis & Vicarium Apoſtolicum Tunquini cum adminiſtratione quinque Provinciarum Cocincinæ. Sacro inunctus oleo Romæ in Eccleſia S. Petri a Card. Antonio Barberino Præfecto Congregationi de Propaganda fide, Pariſioſque reverſus, hinc terra viam arripuit ad Indos anno 1662. qui haud prius Siamum appulit quam anno 1664. Illic autem, cum bella inter Indorum Reges ſubſiſtere illum cogerent, cum Petro de la Mothe Lambert Epiſcopo Beritenſi, de quo ſupra in Vicariis Apoſtolicis Siamenſibus, & aliquot aliis Evangelicis præconibus librum de inſtitutionibus Apoſtolicis ſcripſit, qui probatus Summo Pontifici, impenſis Sac. Congregationis in lucem editus eſt. Sanctum Xaverium imitari ſollicitus Franciſcus ſuaſit Evangelii præconibus, ut votis emiſſis auſteriorem amplecterentur vitam, adeo tamen ut Papa probaret vota, alioqui nulla eſſent. Miratus eſt Pontifex zelum Epiſcopi, ſed vota improbavit. Siamo Tunquinum ire navigio tentat, quo in itinere circa 1673. procella jactatus Mechliniam, quaſi explorator & hæreticus ab Hiſpanis in cuſtodiam detruſus eſt, indeque Mexicum trajectus & hinc Matritum, ubi cum innocens ab Hiſpanorum Rege agnitus eſſet, donis ab eodem, & honoribus cumulatus Romam ſe contulit. Præſulem hunc tanti æſtimavit Innocentius XI. ut his excommunicatis, qui eum Mechliniæ detinuerant, in Palatio ſacræ Congregationis permiſerit habitare, & a Camera Apoſtolica quæque neceſſaria illi ſuppeditari curaverit. Neque vero temere factum eſt, imo Dei omnipotentis nutu, ut tum Romæ degeret hic Antiſtes, cum Luſitani Miſſionem Gallicam convellere totis viribus ſatagebant. Franciſco igitur promovente, datis a Pontifice duobus Vicariis Apoſtolicis pro Tunquino & alio pro Cocincina, in Franciam venit, adunavit octodecim Evangelii præconum turmam, quorum unus N. Maigrot, poſtea nominatus Epiſcopus de Conon, & Vicarius Apoſtolicus Provinciæ de Fokien, anno 1691. primum ſuum contra ſuperſtitiones Sinenſes commentarium dedit. Franciſcus autem cum illis octodecim operariis Cocincinam profectus, cum ad illam extraneis prohiberent acceſſum Tartari, appulit ad Inſulam Formoſam, unde copiarum Sinenſium vel Tartarorum dux eum traduxit ad Provinciam de Fokien. Illic tandem novem poſt menſes ærumnis confectus, ſed omni virtutum genere clarus migravit ad Dominum anno 1685.

II. Franciſcus II. Deydier natus Telone anno 1636. ex Familia nulli totius urbis ſeu gloria ſeu opibus cedente, tametſi filius unicus, Clero ſe addixit, qua in profeſſione brevi cum eruditione tum pietate præcelluit. Ab Ignatio Cotolendy poſtea Epiſcopo Metellopolis, de quo ſupra, ſocius adſcitus Pariſios acceſſit, unde ad Indos profectus, poſtmodum a Vicariis Apoſtolicis Franciſco de Pallu, & Petro de la Mothe Lambert miſſus eſt ad Eccleſiam Tunquini tunc temporis deſertam. Inibi certe eo majus erat periculum, quod Evangelii præcones hinc ejecti fuiſſent, & iis quominus reverte-

verterentur interdictum. Illuc tamen intrepidus properavit, secreto subiit, Missionem renovavit, Seminario constituto ex elementorum doctrinæ Christianæ explicatoribus, quos ad Ordines sacros præparavit. Cum vero huc Episcopus Beritensis & Vicarius Apostolicus advenisset, duodecim Presbyteros, complureſque initiavit Clericos; & inde recedens, Franciscum Deydier & Jacobum de Bourges Provicarios suos eo in regno reliquit. Hi duo, quo persecutionem & exilium effugerent, simularunt se negotiatores, quibus regia Gallica Societas permisit se dicere ejusdem institores, & negotiorum procuratores: sicque suam fixere sedem apud Hien vicum ad ripam magni fluvii non longe a mari, neque ab urbe principe, ubi tum Angli, tum Batavi secreto illis subministrarunt merces ad faciendam exiguam apothecam. Illuc porro commercii obtentu Christiani accedebant cum fiducia, quibus illorum ædes Ecclesiæ loco inserviebant, & Seminarii elementorum doctrinæ Christianæ explicatoribus. Denique Papa edoctus litteris Franciſci Pallu Episcopi Heliopolis labores assiduos & præclaras dotes Franciſci Deydier, & Jacobi de Bourges, illum Ascalonis Episcopum, & hunc Antistitem d'Auren, suosque in Tunquino Vicarios Apostolicos renuntiavit. Illis hæc nova dignitas invidiam conflavit Christianorum schismaticorum, qui velut ditissimos Provinciæ, in qua residebant, illos Præfecto denunciarunt. Quare die Dominica hora tertia matutina illorum ædes circumobsessæ fuerunt a militibus, qui Christianos illic congregatos catenis ferreis constrinxerunt, ædes expilarunt, amboſque Præsules ita crudeliter ceciderunt, ut, Jacobo semivivo relicto, Franciſcus capillis tractus, renibus costisque duabus confractis, postridie alligatus sit palo, ubi tribus diebus totidemque noctibus nudo capite expositus fuit ardentissimo æstatis tempore infidelium cachinnis, & Apostatarum Christianorum. Eo certe in supplicio martyrium consummasset suum, nisi Eunuchus Franciſco familiarissimus, Regique pergratus illum liberasset. Præfectus autem, ejusque satellites severius multati sunt, omniaque Præsulibus ablata restituere coacti.

Pace restituta, & sanitate recuperata, ambo Prælati sua munera repetierunt, ita ut altero peragrante provincias, alter apud Hien remanens novos edoceret elementorum doctrinæ Christianæ explicatores, Seminarii alumnos ad Ordines præpararet, & Christianorum, qui ex urbe regia circumviciniſque locis adventabant, confessiones audiret. Hæc dum agit verus Pastor, qui non sua quærit sed quæ gregis, Franciſcus Deydier vitam reliquit mense Julio 1693. post annos 14. Provicariatus, & 13. Vicariatus Apostolici in Missione Tunquini, quibus ad fidem plures Paganos, & ad pœnitentiam plurimos Christianos convertit, erexit non paucas Parochias, initiavit triginta Presbyteros Tunquinenses, erudivitque elementorum doctrinæ Christianæ quinquaginta & amplius explicatores.

III. Jacobus de Bourges Lutetiæ natus ann. 1630. cum disciplinis omnibus apprime fuisset excultus, anno ætatis 30. cum Franciſco Deydier euntem ad Indos Petrum de la Mothe Lambert comitatus est. Siamum appulsus, jubente hoc Antistite, adivit Romam; ubi ab Alexandro VII. impetravit, ut Regna Siami, Pegon, Laos, Camboye, & Champa cum Insulis adjacentibus, & Japonia curæ Vicariorum Apostolicorum subessent; sacræ proposuit Congregationi Franciſcum Piquet consulem Gallum apud Alep, ut esset Episcopus Babylonis; indeque transfretavit ad Indos cum sex novis Evangelii præconibus, quorum tres in via occubuerunt. Jacobi dotes eximiæ, & assidui labores moverunt Franciſcum Pallu, ut scriberet ad Summum Pontificem, qui hunc Antistitem d'Auren, & in Tunquino Vicarium Apostolicum renunciavit, uti jam dictum est. Cum autem post obitum Franciſci Deydier in Vicariatu socii totum solus aliquot annis sustinuisset pondus Missionis Tunquinensis, rogavit Papam Jacobus, ut sibi coadjutorem indulgeret Edmundum Belot, & loco defuncti Franciſci Deydier N. Lezoli Dominicanum institueret Episcopum & Vicarium Apostolicum. Assensit Pontifex Innocentius XII. cujus acceptis Bullis Tunquini anno 1700. biennio post die 8. Januarii Edmundum Belot Episcopum Basileæ & coadjutorem suum inauguravit. At vero Christiani Lusitanorum Papæ rebellium fautores, hosce novos Episcopos agnoscere detrectantes, oblatis pecunia & muneribus bene multis, edictum regium obtinuere, quo Franci omnes e regno pellebantur. Coadunati ergo, & aliquando diligenter custoditi, pergenti Siamum impositi sunt navi. Sed cum Jacobus ante profectionem sibi navis præfectum conciliare studuisset, hic Tunquino jam extra conspectum posito permisit Edmundo Belot, & Evangelicis præconibus navi relicta ingredi naviculam gubernatam a Christianis, qui pastores suos in provinciam ab Aula Regia dissitam reduxerunt. Inter hæc, dum inibi nonnisi clam isti commorantur, Jacobus Episcopus d'Auren octogenarius cum frequenti scholarium Tunquinensium caterva sibi a Christianis addicta Siamum feliciter appulit, a Ludovico de Cicè Metellopolis Episcopo, Clericis, & Christianis reverenter exceptus, quin & ab ipso Rege per aliquot e suis potentioribus præfectis, qui regiæ illum benevolentiæ ac tutelæ certiorem facerent. Tranquilliori statu, quo paulo post Ecclesia Tunquini fruita est, recreatus Jacobus, nihil aliud cogitavit quam se ad mortem præparare. Tametsi gravatus annis, in nulla re piis defuit exercitiis, quibus in Seminario vacatur, solis ejusdem alimentis contentus: qui demum violenta febre correptus, post duos patientiæ singularis menses, omnibus Ecclesiæ Sacramentis munitus, Siami obdormivit in Domino ætatis anno 89. Incarnati Verbi 1713. cum per annos 53. & amplius Missionibus vacasset.

IV. Edmundus Belot natus Avalone in Burgundia, profectus est ad Indos anno 1682. Ad Missionem vero Tunquini destinatus tam assidue, tamque prospere in ea laboravit, ut Jacobus de Bourges Episcopus d'Auren, de quo superius, eum coadjutorem petitum & obtentum inauguraverit Episcopum Basileæ die 8. Jan. 1702. illique visitandi quotannis sui Vicariatus Ecclesias, ceteraque obeundi Episcopalia munia, quibus ipse per ætatem & infirmitatem corporis impar erat, curam commiserit. Ab ingressis Tunquinum Presbyteris Gallis jam pene quadraginta effluxerant anni, quibus singulis octo circiter seu adultorum seu infantium millia sacro lavacro abluta fuerant baptismatis; adeo ut ex Christianorum mire adaucto numero labor in dies Vicariis Apostolicis accresceret. Haud territus Edmundus totum solus perferebat pondus eo fervore, ut exultaret Episcopus d'Auren, & mirarentur fideles. Enimvero quamvis exortæ identidem discordiæ intestinæ a Christianis Sedi Apostolicæ rebellibus fotæ, ac sæpius excitatæ a paganis persecutiones duriorem illi redderent pastoralem sollicitudinem, gratia Dei nihilominus exuberante, se ipso fortior novas semper resumebat vires. Pulso e Tunquino an. 1712. Jacobo de Bourges Episcopo d'Auren, Edmundus ea gloria excelluit, ut binis prægravibus catenis onustus carceri manciparetur, ubi sub dio nimiis solis ardoribus, fami, siti, & omnis generis calamitatibus obnoxius, navi demum impositus sit ad eundum Siamum; sed cum in via Tunquinum regrediendi, præfecto navis favente, opportunitatem reperisset, anno integro inibi mansit abditus in vico silvas inter & montes medio, plures interim edocens elementorum doctrinæ Christianæ explicatores, ex quibus tres ad Sacerdotium promovit. Sedata persecutione suis e latebris egressus, solito fervore munia sua repetiit; his, qui Christianam religionem, dum sævirent pagani, audacter professi fuerant, animos addidit; plures Apostatas pœnitentiæ remedio in Ecclesiæ sinum revocavit; quem demum post Ecclesiæ suæ splendorem restitutum Deus copiosa nimis futurus illi merces ad se vocavit die 2. Januarii 1717.

V. Gabriel Guisain Parisinus, præter voluntatem parentum ad Indos profectus circa 1699. ad Tunquinensem Missionem allectus est ab Episcopo d'Auren Jacobo de Bourges, cujus laborum & ærumnarum effectus est particeps. Dein Edmundum Belot Episcopum abdere se coactum secutus est, quos si quis deprehendisset, quandoquidem solemni regio edicto extorres regno, morte affecti fuissent. Cum vero, pace reddita, ad sua uterque munia rediisset, ac tandem Edmundus sua morte Tunquinensem Ecclesiam pastore vacuam reliquisset, Summus Pontifex Gabrielem nominavit Episcopum de Laranda, & successorem Edmundi in Vicariatu Apostolico Tunquini an. 1718. Haud prius tamen quam 1721. bullis acceptis Gabriel sacram unctionem accepit Dominica 3. post Pascha ministerio N. Ceru Dominicani, Episcopi Niceæ & coadjutoris Patris de Saint-Croix Vicarii Apostolici in Tunquino. Excitata denuo persecutione, nonnisi clam sua obire munia in silvis & speluncis cogebatur; qui demum rebus ad vitam maxime necessariis destitutus, & accedente thoracis distillatione consumptus, spiritum Deo reddidit 17. Novembris 1723. ætatis 58. postquam in Missione 31. annos exegisset.

VI. N. Neez anno 1738. a Summo Pontifice renuntiatur Episcopus Senomaniæ & Vicarius Apostolicus Tunquini.

§. V.

§. V.

Vicarii Apoſtolici Cocincinæ.

I. PEtrus de la Mothe Lambert Epiſcopus Beritenſis, primus fuit Cocincinæ Vicarius Apoſtolicus: at Siami figere ſedem coactus eſt, ut diximus in Siamenſibus Vicariis Apoſtolicis. Uſus eſt autem Pro-Vicario Generali N. Guyart Pariſino, quo mortuo triduo poſt feſtum Pentecoſtes anno 1673. ipſius loco Guillelmum, qui ſequitur, adhibuit.

II. Guillelmus Mahot oriundus e vico d' Argentan in Diœceſi Sagienſi, Presbyter factus, enixe rogatus eſt ab Epiſcopo Diœceſano, ut inſignem Diœceſis Parochiam acciperet. Hanc ut provinciam effugeret, ſe occultavit, privatamque ducere vitam decrevit. Poſtea tamen precibus ad Deum fuſis, & conſilio ſuæ conſcientiæ moderatoris adductus, ut Miſſioni nomen daret, cum aliis pluribus Siamum petiit menſe Novembri 1665. an. ætatis 38. unde a Petro de la Mothe Lambert Epiſcopo Beritenſi ad Cocincinam miſſus, illic cum incredibili fervore laboravit, Gentiles multos ad fidem Chriſti convertit, quadriennem ſecundi principis natum aquis luſtralibus tinxit, ſanavitque a lethali morbo, qui tantum beneficium tam grato ſemper animo proſecutus eſt, ut a Chriſtiana nunquam defecerit Religione. Quod autem virum Apoſtolicum magis commendare debuerat, majorem in eum invidiam Gentilium concitavit. Delatus itaque Præfectis, comprehenſus, ferreis conſtrictus vinculis, & in horrendum conjectus eſt carcerem, unde non exivit, niſi ut ſiſteretur Regi, & ſupremo ejus Conſilio. Extra dubium erat, illum exilio ſaltem multandum, ſed Aulæ Primorum beneficio veniam ei Rex indulſit, plurimiſque Chriſtianis, qui cum ipſo comprehenſi fuerant, libertate donatis, ſeverius in Præfectos animadvertit, quod cum illis acerbius egiſſent. Mortuo Petro de la Mothe Lambert, ut diximus, an. 1679. Guillelmus jam tum ejus Pro-Vicarius a Summo Pontifice ſucceſſor datus eſt in Vicariatu Cocincinæ, bullis Siamum miſſis ad Epiſcopum Metellopolis Ludovicum Laneau, qui perſuaſus modeſtum hunc virum illam nunquam accepturum dignitatem, niſi ſancta vis adhiberetur, Cocincinam accedens Synodum Generalem coegit, in qua omnes Evangelii præcones, cæterique minores doctrinæ Chriſtianæ miniſtri ad pedes Guillelmi provoluti, ſua ſe munia relicturos, ſi reſpueret Epiſcopatum, illi denunciarunt. Victus demum tam acri precatione inaugurari ſe Epiſcopum Bidenſem permiſit prima Dominica Adventus, & inſtitui Cocincinæ Vicarium Apoſtolicum. Id muneris adimplendi novo accenſus zelo, perluſtravit totum gregem, ut Confirmationis Sacramentum conferret, rationem agendi præconum Evangelii inveſtigaret, & Chriſtianorum fidem excitaret. Redux Faifum, ubi maxime reſidebat, obiit 5. Junii 1684. ætatis annum agens 54. cujus tam celebris erat apud omnes Chriſtianos fama ſanctitatis, ut corpus ejus invitis miniſtris Evangelicis acceptum & conditum regionis more, triduo in Capella expoſitum voluerint, ab ipſiſque Gentilium urbis Primoribus funus honoratum.

III. N. Perez Presbyter Luſitanus Ibrida, educatus in Seminario Siamenſi, qui poſtmodum Bugiæ in partibus infidelium nominatus Epiſcopus, Cocincinæ tertius fuit Vicarius Apoſtolicus.

IV. Marinus Labbè ortu Cadomenſis, e Francia an. 1678. ad Cocincinæ Miſſionem deſtinatus, in ea laboravit uſque ad 1697. quo anno in Gallias revocatus fuit. Monitus autem circa id tempus Innocentius XII. Papa N. Perez infirmum eſſe atque imparem Vicariatus implendis officiis, Marinum creavit Epiſcopum Titopolis & N. Perez coadjutorem in Vicariatu Cocincinæ, qui vix conſentiens, Lutetiæ inauguratus eſt a Cardinali Noallio Diœceſano Archipræſule. Marinus tandem quindecim annis, quibus innumera cum a Gentilibus, tum a Chriſtianis Schiſmaticis mala ſuſtinuit, Vicarii Apoſtolici munere functus, Cocincinæ migravit ad Dominum anno 1723.

V. N. Italus Barnabita Marino ſucceſſor datus obiit 1738.

§. VI.

Epiſcopi Babylonis & in Perſide Vicarii Apoſtolici.

DEbet hic Epiſcopatus ſuam originem piæ largitati N. Duguè Bagnols Viduæ N. Ricovart, quæ ad illum fundandum miſit Romam 66000. libras, ex quibus collocatis in monte pietatis factus eſt annuus reditus 3300. librarum, modo redactus ad 1800. eademque pia femina voluit, ut primus Epiſcopus eſſet Bernardus a S. Thereſia Carmelita Excalceatus, cujus poſtea ſucceſſores nominarentur a Sac. Congregatione de Propaganda fide, ita tamen ut Gallus ſemper nominaretur. Vide Annales Carmelit. Excalceat. pag. 335.

I. Bernardus a S. Thereſia dictus in ſæculo Joannes du Val, natus eſt 22. Aprilis 1597. in urbe Clameciaco Agri Nivernenſis. Patruum habuit Joannem Baptiſtam du Val Antiſſiodorenſem, Pariſiis profeſſorem & interpretem linguarum Orientalium, veterum numiſmatum ſtudioſum, variiſque operibus notum, qui anno 1623. rationum domus ſororis Regis inſpector generalis audiebat. Avunculum quoque Bernardus habuit Antonium le Clerc de la Foreſt nobilem Antiſſiodorenſem, qui Senatoris Pariſienſis recuſato munere, ſatis habuit eſſe magiſter libellorum ſupplicum Reginæ Margaretæ, cui morienti adſtitit, tanta cum pietatis, tum eruditionis fama celebris, ut plures illius vitæ Authores, cujus exemplar habetur in bibliotheca S. Germani Pratenſis, etiam miraculis clarum exhibeant. Duorum illorum ductu Bernardus magnos in ſcientiis progreſſus fecit, maxime tamen in virtute, ad quam hortamentis & exemplis præſertim Avunculi excitatus, exemplo tandem affinis Germani le Prince, qui dimiſſo Canonicatu Antiſſiodorenſis Eccleſiæ Carmelitarum Excalceatorum amplexus erat inſtitutum, idem vitæ genus ambivit, cum habitu Bernardi a S. Thereſia ſortitus nomen. Novitiorum magiſtro feliciter uſus Alexandro a S. Franciſco nobili Romano, Papæ Leonis XI. nepote, & fratre Cardinalis Ubaldini tum in Francia Nuncii, piis ejuſdem curis ac ſollicitudini tam proſpere reſpondit, ut vota die 15. Martii anno 1615. emiſerit in Conventu Pariſienſi non ita pridem erecto. Eximius ſubinde verbi Dei præco effectus, modo, quo ſupra, nominatus fuit Epiſcopus. Romæ ſacram unctionem accepit a Cardinali Palloto, obtinuitque a Summo Pontifice titulum Vicarii Apoſtolici Iſpahami regis Perſarum ſedis, a quo inſuper Eccleſiæ Cteſiphontanæ Viſitator Apoſtolicus conſtitutus fuit. Ubi Perſidem attigit anno 1640. 9. Maji, quia familiaritate conjunctus erat cum Claudio Bernard, dicto paupere Sacerdote, ſepulto in Eccleſia Hoſpitalis Domus Charitatis apud Pariſios, ad eum ſcripſit Epiſtolam, quæ mortuum reperit. Subſcriptio ejus eſt *Fr. Bernard*, hoc eſt *Frere Bernard*, non vero *François Bernard*, ut in vita ejuſdem pauperis Sacerdotis anno 1708. authore P. Lempereur Societatis Jeſu presbytero legere eſt. Iſpahamum appulit Bernardus 7. Julii 1640. ubi diverſatus apud Carmelitas, qui jam ab anno 1605. inchoaverant Miſſionem, die feſto aſſumptionis B. Mariæ benigne auditus eſt a Perſarum Rege, ſtatimque hac in urbe Chriſtianis demorantibus inſtituendis operam dedit: ſingulis Dominicis rem divinam peragebat, concionabaturque, & poſthac eleemoſynam erogabat quadringentis & amplius pauperibus Chriſtianis. Ut autem facilius rem ſibi propoſitam exſequeretur, qua linguas addiſcendi facilitate pollebat, brevi Perſicam ita ſibi familiarem fecit, ut ejuſdem ſcripſerit Dictionarium, quod propria ejus manu ſcriptum fuiſſe teſtatur Annaliſta Ludovicus a S. Thereſia pag. 342. Tum igitur cum Perſis ſermonem habuit, quibus utpote ſcientiarum avidis chriſtianæ Religionis myſteria inſtillabat, caute rejectis quæ profitebantur capitibus. Sic multos idololatras convertit, in quibus unum Regi gratioſum tum ob genus illuſtre, tum ob animi dotes lacro fonte abluit 18. Aprilis 1641. nominavitque Paulum Armandum; Paulum ſcilicet, quia præſertim S. Pauli Epiſtolis converſionem debebat; Armandum vero, quia Cardinalis Richelius Bernardo proficiſcenti ſignificaverat velle ſe Miſſionis hujus protectorem haberi. Tanta denique Bernardus apud Perſas authoritate valuit, ut qui pueros ægros & moribundos habebant, eos precibus ejus commendarent, imo ſi ſanitatis ſpes non eſſet, ejus omnimodæ committerent poteſtati, unde fiebat, ut clam eos baptizaret, & ſi convaleſcerent, Mercatoribus Chriſtianis traderet inſtituendos. Quin etiam contigit, ut quum parentes id ab ipſomet audiiſſent, Baptiſmi formam addiſcere voluerint, quo ſuos animam agentes pueros noctu baptizarent, & ex illis plures hoc Sacramentum ſibi conferri efflagitaverint. Plurimos etiam Schiſmaticos Chriſtianos, quos vocant Armenios, Jacobitas, & Neſtorianos Catholicæ veritati reſtituit eo facilius, quod iis ſacramenta conferret gratis, & maxime ſacramentum Pœnitentiæ, cum ab eorum Sacerdotibus nnnniſi multo pretio pro peccatorum numero, & qualitate conferretur. Verum cum aliquando Chriſtianum, quo uſus fuerat interprete, propter vitam diſſolutam cubiculo incluſiſſet, ne corrumperet alios exemplo, hic obtinendæ libertatis gratia profitens ſe Mahometanum, ſubmonuit *Muphti*, ut eum liberaret e domo *du Calife*, ſic appellabant Epiſcopum Bernardum, alioquin ipſum in die judicii accuſaret. Illum itaque *Muphti* eduxit, miſſis Satellitibus armatis, qui comprehenſum

ſimul

ſimul Epiſcopum ſiſtendum pro Tribunali *Mupht*ì, injuriis affectum, tribus ſauciarunt ictibus acinacis, quorum ei ſtigmata quoad vixit ſuperſuere; quem & plane interemiſſent, niſi ex eorum manibus ereptum regius Miniſter in ſuam domum deduxiſſet. Nec ſic tamen avocatus eſt a propoſito Bernardus; cœpit enim de Miſſionibus Regionis perquirere, quas cum ingentes reperiſſet, ſed operarios deficere, in Franciam rediit, ut de omnibus cum Cardinali Richelio colloquium haberet, & Seminarium extrueret, in quo plures adoleſcentes bonis moribus & ingenio præditi edocerentur linguas & ſcientias, mittendi poſtea in Perſidem ad inibi fidem Catholicam diſſeminandam. Defunctum reperit Cardinalem Bernardus; quamobrem ſolus operam navare conſtruendo Seminario compulſus, anno 1643. ædes atque aream in vico Pontonis ſuburbii S. Germani comparavit, quibus contigua platea *Babylonis* ab eodem Epiſcopo ſortita eſt nomen. Biennio poſt illum ob infirmitates ab aſſidua in ſua Diœceſi præſentia liberum fecit Summus Pontifex, indulſitque coadjutorem Placidum Ludovicum du Chemin Monachum Benedictinum, quem Epiſcopum Neocæſareæ nominavit. Cum autem anno 1647. Rex in ſuam poteſtatem Catalaniam redegiſſet, illuc miſſus Bernardus cum titulo omnium Regis Conſiliorum Aſſeſſoris, ad obeunda Epiſcopalia munia pro indigenis, qui receſſerant, Epiſcopis, quam fideliſſime hanc adimplevit provinciam cum ad animarum ſalutem, tum ad regiam ſtabiliendam authoritatem. Pariſios redux in unam ſe recepit Seminarii domum, ubi ſolitarie admodum vixit, nec minus parce, quo res Seminarii melius promoveret, huic tam bene affectus, ut ingraveſcente ætate anno 1663. quæ comparaverat in vico Pontonis Congregationi Miſſionum exterarum dederit, ſub penſione ter mille librarum ad vitam, & poſt mortem mille librarum pro denominatis in ea pactione, quæ Regi probata, in commentarios Senatus Pariſienſis hoc anno die 7. Septembris relata eſt. Suaſit autem & huic Congregationi Bernardus, ut cum Epiſcopis Babylonis perpetuam iniret ſocietatem. Denique obiit Lutetiæ ſeptuagenario duobus annis major ann. 1669. 10. Aprilis, poſtridie ſepultus apud Carmelitas Excalceatos; cor tamen delatum eſt ad Seminarium Miſſionum exterarum, ubi in Epigraphe *Cor Apoſtolicum* vocatur.

II. Placidus Ludovicus du Chemin antea Congregationis S. Mauri Monachus, Bernardi ſuperioris coadjutor, titulo Epiſcopi Neocæſareæ, ejuſdemque Epiſcopi, cum necdum ſuam inviſiſſet ſedem dimiſit. Mortuus eſt Pariſiis die 7. Menſis Novembris anni 1682. ætatis 75.

III. Franciſcus Piquet ortu Teloneníis, ſolum laicus & Conſul Gallus apud Alep, in locum cedentis Placidi a Congregatione de Propaganda fide deſtinatur, fama volante, quod eſſet Europæorum Evangelii præconum & Epiſcoporum Orientalium Catholicorum defenſor, egenorum parens, & uno verbo firmiſſimum Religionis columen haberetur. Adde, quod cum apud Aulas cum Turcicam, tum Perſicam magno eſſet in pretio, majora quolibet alio Eccleſiis Orientalibus beneficia præſtare poſſet. Audito igitur Papali Decreto Romam ſe contulit Franciſcus, ubi ſacris Ordinibus initiatus, ac tandem Babylonis Epiſcopus creatus, & Vicarius Apoſtolicus in Perſide, poſtea Lutetiam contendit, ſacrum iniit fœdus cum exterarum Miſſionum Congregatione, cujus alumnos Gallos NN. Roch, Samſon, Godereau, & plures alios propter ſe voluit ſemper aſſidere. Qui plura de Franciſco ſcire voluerit, conſulat ipſius vitam nuper editam a Carolo Octaviano d'Anthelnus Epiſcopo Graſſenſi. Obiit apud Hamadam die 25. Auguſti 1685.

IV. N. de Saint-Olon Gallus Theatinus, frater quondam Legati apud Marochum Franciſco ſucceſſit.

V. N. du Galiſeon poſt N. de Saint-Olon has Eccleſias ſuſcepit regendas.

VI. Dominicus Maria Varlet nominatus quidem & ſacratus fuerat Epiſcopus Babylonis, ac Vicarius Apoſtolicus in Perſide; verum paulo poſt prohibitus a Papa ne diœceſim adiret, Ultrajectum ſe recepit, etiamnum ſuperſtes, cujus loco

VI. Emmanuel N. Carmelita Excalceatus a Summo Pontifice renunciatus, nunc degit Bagdati aut in Perſide.

§. VII.

Epiſcopi Quebecenſes, & Vicarii Apoſtolici in Canadà ſeu nova Francia.

GAllica Colonia, quæ primam ſedem in Canadà fixit circa 1534. quæque ab anno 1604. plurimum accreverat, in dies creſcente, Innocentius X. Papa nolens hanc novam Eccleſiam ſine paſtore relinquere, anno 1657. Franciſcum de Laval Montmorency de Montigny Epiſcopum Petreæ nominavit, ſuumque in Canadà Vicarium Apoſtolicum. At cum anno 1674. Quebecum, volente & dotante Rege Ludovico XIV. erectum fuiſſet in Epiſcopatum, primus ab eodem renunciatus fuit Epiſcopus titularis.

I. Franciſcus de Laval Montmorency de Montigny natus 1622. licet hujus tam illuſtris & opulentæ gentis primogenitus, Clero nihilominus ſe addixit. Ut primum Miſſionis Gallicæ ad Indos conſilium probavit Papa, Nuncius ejus in Francia Joannes Franciſcus de Bagny Franciſcum deſignaverat primum Vicarium Apoſtolicum, uti ſupra dictum eſt; ſed cum ob exortas improviſo difficultates, id executioni demandatum non eſſet; poſtmodum ſpeciali Americæ Septentrionalis factum eſt bono, ut primus ejuſdem rector haberetur. Dum is adhuc ſolum eſſet Vicarius Apoſtolicus, Quebeci jam anno 1663. Seminarium excitaverat ad formandum Clerum, qui pietatem in Colonia Gallica foveret, & converſioni Barbarorum per ſilvas errantium intenderet. At ubi fuit Epiſcopus titularis, ſua in Eccleſia Cathedrali Capitulum inſtituit, cujus Canonici omnes quæ primitiva mirabatur in ſuis Miniſtris Eccleſia, ſervabant ad amuſſim, proprii ſcilicet abnegationem, cum ſua quiſque in Seminarium conferret, & pater communis quod cuique opus erat divideret, quodque uſibus honeſtis ſupererat, in eleemoſynas diſtribueretur; ſicque nullus erat pauper, nullus habendi cupidus. Idem Antiſtes Seminario præſidens continuum Clericis dabat exemplum propriæ utilitatis neglectus, laboris, modeſtiæ, ſobrietatis, & pœnitentiæ. A viſitanda Diœceſi aſperrimo hyemis in Canadà tempore nunquam deterritus eſt Franciſcus, quem cerneres ſæpius baculo innixum, & ſacco Eccleſiaſtica ſupellectile pleno humeris impoſito lungas vias per nives peditem ſuſcepiſſe, ut Parochos animaret ad incommoda regionis aſperæ ſuſtinenda, & ſubditos fideles ad recte vivendum excitaret. Idem & futuri præſcius, ſuum videlicet Clerum imparem aliquando fore convertendis tot populis per haſce vaſtiſſimas Aquilonis Americani regiones diffuſis, anno 1674. Quebeci Parochiam & Seminarium univit Seminario Miſſionum exterarum Pariſienſi, ea lege ut iſtius directores Superiorem & Parochum nominarent, directoreſque & Evangelicos præcones mitterent; quam ob unionem regio Diplomate probatam, variis in locis novæ Franciæ, in Acadia & Miſſiſipi inſtitutæ ſunt Miſſiones. Tum demum Franciſcus exactis in Eccleſia Quebecenſi regenda triginta & amplius annis, fatiſcentibus viribus, trajecit in Galliam, dimiſſo Epiſcopatu 1685. cui præficiendum Regi propoſuit Joannem qui ſequitur. Vixit ſubinde privatus ad 1708. quo anno ætatis 86. plenus dierum & bonorum operum exceſſit e vita. Adhuc in Canadà defletur Franciſcus, & pro ſancto habetur.

II. Joannes Baptiſta Lacroix Chevrieres de Saint-Valier doctor in Theologia Facultatis Pariſienſis Regi quondam ab eleemoſynis, Eques Melitenſis & Abbas Gimundi, ceſſione Franciſci ſuperioris admiſſa, nominatus ad hanc Eccleſiam menſe Aprilis 1685. ſacram unctionem accepit in Eccleſia S. Sulpicii Pariſienſi die 25. Januarii 1688. Rexit magna cum prudentia viginti circiter annos, & obiit 26. Decembris 1727.

III. Ludovicus Franciſcus de Mornay Capucinus, Eumeniæ titularis Præſul inauguratus eſt in Eccleſia Capucinorum vici S. Honorati a Cardinali de Rhoan, aſſiſtentibus Epiſcopis Vivarienſi, & Vaurenſi die 22. Aprilis 1714. Tum fuit coadjutor Quebecenſis, ac tandem Epiſcopus. Ceſſit anno 1733. & obiit Pariſiis 28. Novembris 1741. annum agens 78.

IV. Petrus Hermant d'Hoſquet patria Leodienſis, cum tunc eſſet Romæ procurator Miſſionum exterarum, inibi ſacratus eſt Epiſcopus Samoſenſis 25. Decembris 1725. tum coadjutor Quebecenſis Epiſcopi Ludovici, & eo cedente 1733. Epiſcopus. Ceſſit & ipſe 1738.

V. Franciſcus Ludovicus de Lauberiviere ſuperiori cedenti ſucceſſor datus, ſacro inunctus eſt oleo in Sacello Seminarii S. Ludovici 16. Auguſti 1739. ab antiquiori Sedis ejuſdem Epiſcopo Ludovico Franciſco de Mornay, aſſiſtentibus Trecorenſi, & Bethleemitano Epiſcopis. Obiit poſt undecim dies quam adeptus poſſeſſionem fuerat.

VI. Henricus Maria du Breil de Pontbriant filius Joſephi Ivonis du Breil, & Mariæ Angelicæ Silviæ Marot de la Garaye, germanus Mariæ du Breil Abbatis Landavallis, ex Canonico Eccleſiæ Maclovienſis, & Epiſcopo Vicario Generali a Rege nominatus eſt Epiſcopus Quebecenſis menſe Decembri 1740. & Romæ propoſitus die 5. Martii ſequentis, Pariſiiſque inunctus in Sacello Archiepiſcopatus 9. Aprilis 1741. ab Epiſcopo S. Brioci, collaborantibus Epiſcopis Aginnenſi, & Bethleemitano: tandemque Regi ſacramentum dixit 17. eorumdem menſis & anni.

§. VIII.

Seminarium Parisiense pro Missionibus ad exteras gentes, seu Congregatio Sacerdotum pro Missionibus exteris.

SItum in vico *du Bacy* suburbii S. Germani Seminarium Missionum exterarum institutum est anno 1663. probante Rege eodem anno 26. Julii literis datis ad Armandum Poitevin & Michaelem Gazil Presbyteros, qui jam trium Vicariorum Apostolicorum negotia curabant. Has literas paullo post Senatus Parisiensis, Camera rationum, & Castelletum inscripserunt commentariis. Annuit etiam Henricus de Bourbon Dux Vernolii qua commendatarius Abbas S. Germani, & eo nomine suburbii Dominus; quibus & accessit consensus Archiepiscopi Parisiensis, & Eminentissimi Cardinalis Chigii Sedis Apostolicæ Legati a latere. Porro inter alia bene multa, quæ hoc Seminarium maxime commendant, inde profecto non mediocre decus referre debet, quod tam Seminario, quam publico Valetudinario Siamensibus omni reditu destitutis quæque necessaria suppeditet, quin & annuas pensiones Evangelii præconibus, cæterisque minoribus sacræ hujus familiæ administris largiatur. Neque minor est hujus Seminarii laus, quod illi anno 1674. unita sint cum Parochia, tum Seminarium Quebeci, quorum Superiorem & Parochum nominare, directoresque & Evangelicos præcones mittere ad illas duas in Acadia & Missisipi natas ex ea unione Missiones penes est Directores Seminarii Parisiensis. Hujus Ecclesia ædificari cœpit anno 1683. Superiorum elenchum hic adtexere visum est.

§. IX.

Superiores Seminarii Missionum exterarum.

I. MIchael Gazil, vocatus Doctor Theologus & Archidiaconus in Ecclesia Cathedrali Ebroicensi, alter Directorum Seminarii & Procurator Missionum exterarum, fuit alter Presbyterorum, quibus inscriptum est diploma Regis hanc approbantis Congregationem anno 1663. 26. Julii. Primus autem Seminarii Superior memoratur.

II. Franciscus primus de Meurs Sorbonæ Doctor electus in Superiorem anno 1664. cum aliquot annis hanc Domum digne ac laudabiliter rexisset, accitus est ad Augustodunensem Diœcesim; ut Parochos ab inanibus curis & occupationibus abductos piis exercitationibus excoleret; quo in munere tanto cum zelo se gessit, ut aliquando sub finem adhortationis pleuritide correptus, paucis post diebus ex hac vita decesserit.

III. Michael Gazil secundus assumptus in Superiorem & Præfectum Domus anno 1667. neminem suspectum novarum hæreseon, quæ delatæ ad Sedem Apostolicam fuerant, admitti voluit in Congregatione. Romam postea contendit, ubi prudenti consilio usus, vota quæ Siami præcones Evangelici aut emiserant, aut emittere proponebant, quippe quæ stare cum illorum muniis haud poterant, rescindi aut prohiberi curavit.

IV. Franciscus II. Bezard Doctor Facultatis Parisiensis, alter Directorum Seminarii & Procurator Missionum exterarum, successor Michaeli datus est 1670. vir singulariter in Deum affectus, sibi durus, aliis benignus, regendis animabus adeo intentus, ut vix aliud efficere videretur; qui tamen omnibus Seminarii exercitationibus erat assiduus. Denique tota ejus agendi ratio grata erat intus & extra; quapropter iterum electus anno 1697. dicitur ex primo assistente, aut ut alii volunt 1680.

V. Lucas Fermanel rexit Domum simul procurator exterarum Missionum ab anno 1674. ad 1677. quo factam a Petro de Pons Presbytero degente in Seminario fundationem pro quinque presbyteris hujus Congregationis accepit. Is erat doctus juxta ac pius, qui cum &. opibus & amicis plurimum valens, ad Ecclesiasticas dignitates pervenire potuisset, secedere in Seminarium maluit. De cætero severius erat ipsius vitæ genus, quam ut esset diuturna. Obiit in Seminario defletus ab omnibus sodalibus, tanquam amicus, benefactor, & pater.

VI. Franciscus Bezard successit ex dictis anno 1677. aut 1680.

VII. Jacobus Carolus de Brisacier Doctor Theologus, Regi a Consiliis, & Reginæ Mariæ Theresiæ ab eleemosynis & concionibus, prima vice 1681. & octies postea Superior electus, annis proinde viginti quatuor Seminarium rexit. Ingenii maturitas, sermonis facundia tam in concionando, quam in familiari colloquio, peritia quoque animas regendi, & pietas singularis illi Regis, Aulicorum, ac totius Galliæ benevolentiam, & existimationem conciliarunt. De hoc iterum inferius.

VIII. Ludovicus Tiberge Superior electus est 1692. & post alternis trienniis cum Superiore Jacobo Carolo usque ad annum 1709. Ludovici conciones, epistolæ, funebres orationes, pii libri, & varia de cæremoniis Sinensis Imperii opera testantur egregie tum eruditionem, tum ingenii acumen & sagacitatem. Hinc illi, quemadmodum & Jacobo Carolo, plures haud tenues oblati sunt Episcopatus, quos ambo constanter deprecati sunt, majora se beneficia præstituros Ecclesiæ tuendo Missiones rati, quam si Diœceses gubernarent.

IX. N. Jobard regimen adeptus 1709. recessit a Seminario, ut in Diœcesi laboraret, jussu Cardinalis de Noailles Archiepiscopi.

X. Jacobus Carolus de Brisacier, idem qui supra, abscedente Jobardo, Seminario præfuit usque ad 1736. quo anno munere abdicato defunctus est Parisiis 23. Martii annos natus 95. quem diu defleverunt, quas eleemosynis sustentabat, complures egenæ familiæ.

XI. Alexius de Combes abdicanti Jacobo Carolo suffectus est anno 1736.

Dum vero hæc aguntur, Arturus de Lionne circa 1686. nominatus fuit Episcopus Rosaliæ, & Vicarius Apostolicus du Sucheim in imperio Sinensi, Filibertus Leblanc 1695. Vicarius Apostolicus Provinciæ d' Yeunan apud eosdem Sinenses, ac denique 1696. Ludovicus Quemenert Episcopus de Sura, inauguratus Parisiis, & inde missus ad Sinenses in Tunquino.

APPENDIX.

De Congregatione Propagandæ Fidei.

REcensitis hactenus præclaris Gallorum institutis Romani Pontifices præiverunt. Gregorius primum XV. anno MDCXXII. illustrem *de Propaganda Fide* Congregationem Romæ constituit, & uberrimis reditibus instruxit. Hujusce Congregationis, quæ constat ex tredecim purpuratis Patribus, binis Sacerdotibus, quibus scriba adjunctus est, ut ipsius Gregorii Bulla habet, munus est religionem catholicam per omnes Orbis terrarum partes tueri & propagare. Auxit illam Urbanus VIII. & post eum innumeri alii zelo religionis viri conspicui. Quocirca legatos plurimos ad remotissimos etiam populos amandat, libros varii generis, quibus ad peregrinas & partim barbaras linguas discendas opus est, edit, institutiones Religionis christianæ, aliaque opera vel ad pietatem excitandam, vel ad errores destruendos utilia, linguis & literis singulis gentibus propriis describi curat, insignem numerum juvenum ad obeundas sacras legationes delectorum alit, & instituit, adolescentes, qui quotannis ex nationibus exteris Romam mittuntur, ut in patriam reversi civium suorum magistri fiant, liberaliter educat & fovet. Addidit huic instituto Urbanus VIII. ann. MDCXXVII. Collegium seu *Seminarium pro Fide Propaganda*, in quo ex omnibus fere populis futuri apud exteras gentes christianæ veritatis præcones educantur, & literis doctrinaque ad tantum munus necessariis maxima cura imbuuntur & præparantur. Initium tanti operis studiis Joannis Baptistæ Viles Hispani in Aula Romana commorantis debetur, qui omnes opes, & possessiones suas una cum domo, quam pulcherrimam habebat, Pontifici ejus causa obtulit. Hujus deinde liberalitatem multi alii imitati sunt, nec imitari hodie desinunt. Subjecerat primum Urbanus VIII. Collegii hujus curam & authoritatem tribus trium Templorum, quæ *Patriarchalia* vocantur, Canonicis; ab anno vero MDCXLI. Congregationis, quam Gregorium XV. instituisse diximus, mandatis regitur. Ita Mosheimius scribit *Hist. Christ.* Sæculo XVII. Sect. I. §. I. & II. ex Urbani Cerii, Hippolyti Helioti, aliorumque commentariis.

DIS-

DISSERTATIO III.

DE PROPAGATIONE,

VICIBUSQUE RELIGIONIS CHRISTIANÆ

SÆCULIS XVII. & XVIII.

IN JAPONIA, SINIS, IMPERIO MAGNI MOGOLIS, BENGALA, MALABARIA, TONQUINO, COCHINCHINA, SIAMO, CÆTERISQUE INSULIS ADJACENTIBUS.

CAPUT I.

De progreſſu & adverſis rebus Religionis Catholicæ in Japonia.

LONGE lateque jam erat in Japonicis Inſulis propagata laboribus præcipue Franciſci Xaverii aliorumque Sacerdotum Societatis Jeſu Chriſtiana Religio, cum aliorum Ordinum alumni, quod magnum ſupereſſe numerum idololatrarum intellexiſſent, qui inſtitutione egerent, ſi Jeſuitis ſubſidio veniſſent, ex Europa in Philippinas Inſulas, indeque in Japoniam navigarunt (1). In his Dominicani, Franciſcani, Auguſtiniani fuerunt. Dominicani anno 1602. in Japoniam ingreſſi, una cum ſociis Apoſtolatus Franciſcanis &c. tot tamque inſignes progreſſus fecerunt, ut Nangaſachii, multiſque aliis in oppidis magna Japoniorum multitudine ad Chriſtianam religionem perducta, Cœnobia conſtruxerint, Sodalitia inſtituerint eorum ſimilia, quæ in Europa vigent, idque laborarint, ut nihil incolis Inſularum deeſſet, quod conferret ad comparandam virtutem & pietatem (2).

Anno 1614. Dayfuſama Imperator erat Japoniorum (3). Is quum Bonziorum (4) artibus, ac fraude circumventus, male in Chriſtianos animatus eſſet, legem de noſtris templis, de cœnobiis religioſorum Ordinum, deque collegiis aut evertendis, aut incendendis tulit, eamque publicari in univerſo imperio præcepit. Cavit præterea, ne cui Europæo, qui ſacrum aliquod inſtitutum profiteretur, in ulla Inſularum Japonicarum conſiſtere liceret. Omnes enim finibus imperii exterminandos judicavit. Quod ſi quis contra facere auſus eſſet, noſſet de ſe graviſſimum ſupplicium eſſe ſumendum. Putabat enim, pulſis præconibus Religionis, neminem, qui ſibi onus inſtituendorum Japoniorum ſumeret, futurum. Curatum a præfectis pleriſque Provinciarum eſt, ut quæ ſancita ab Imperatore fuerant, perficerentur. Dum hæc agebantur, Dayfuſama in morbum incidit. Cum mortem imminere perſpiceret, filium Xoguſamam, quem imperii hæredem conſtituerat, ad ſeſe accivit, eique magnopere commendavit ſuperſtitionem Deorum; atque dato, inquit, operam, ne Chriſtiani in noſtram ditionem revertantur. Sunt illi infeſti nobis, & ſimulacra, quibus ſemper majores noſtri cultum adhibuerunt, non ſolum aſpernantur, ſed etiam e templis tollunt, eaque incendere, vel in mare projicere, ſi poſſint, non prætermittunt. Interim religioſi viri, de quibus dictum eſt, egredi ex oppidis, in cryptas ſeſe, atque in remota loca abdere, dum tempeſtas ſedaretur, conſtituerunt. His tamen rebus tantum optimis hominibus fiduciæ ac ſpiritus accedebat, ut non de tot incommodis cogitarent, ſed vinci ab ſe tunc maxime hoſtem humani generis poſſe arbitrarentur. Non illi edicta Principum, non iniquitatem locorum, in quibus degere cogerentur, atque anguſtias, & ancipitem terrorem intra extraque civitates, non Bonziorum maleficia timebant. Nihil minas, exilia, cruces, omniaque tormentorum genera, quæ parari iis intelligebant, qui dicto audientes eſſe noluiſſent, verebantur. Nam qui laboribus, anguſtiis, carceribus, ærumnis & introductam in mundum, & longe lateque fuiſſe ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus propagatam veram religionem norant, iidem tot acceptis detrimentis refloreſcere Japoniorum Eccleſiam, & amplificari majorem in modum oportere exiſtimabant.

Xoguſama, qui crudelitate patrem (5) ſuperabat, edicta interim propoſuit, quibus cavebatur, ne quis Japonius

(1) *La Hiſtoria Eccleſiaſtica delli ſucceſſi della Chriſtianità del Giappone dell' anno 1602., ch' entrò in quello l' Ordine de' Predicatori ſino al mille ſeicento venti, compoſta dal P. F. Giacinto Orfanel del medeſimo Ordine, e miniſtro antico del S. Vangelo in quel Regno, e aggiunta ſino al fine dell' anno 1622. dal P. F. Diego Collado Vicario Provinciale del detto Ordine nel detto Regno.* Ita refertur *in Summario Japonen. Servor. Dei Alphonſi Navarette Ord. Præd. & ſociorum Martyr. Japonen.* Edita ea Hiſtoria eſt Matriti an. 1633.

(2) Urbanus Cerrius Sac. Congregat. *de Propaganda Fide* a ſecretis in libello, quem obtulit Innocentio XI. de ſtatu Eccleſiæ &c. *La Fede Cattolica in breviſſimo tempo fece grandiſſimi progreſſi (nel Giappone) e particolarmente nella Città di Nangaſachi, qual' è il porto di maggior traffico. Arrivarono i Criſtiani nel Giappone al numero di ſeicento mila; eſſendovi ſtati fatti Veſcovi, e deſtinati molti altri dalla Congregazione. Vi ſtavano Agoſtiniani, Domenicani, Francescani, e Geſuiti. E queſti avevano 73. caſe aperte nel Regno, con Chieſe, e Seminarj, facendoſi grandiſſimo frutto. Molte furono le cagioni, per le quali ſi ſuſcitarono le perſecuzioni, e mancò la fede nel Giappone. Ma la maggiore fu il ſoſpetto dell' Imperatore, che dubitava che il Re di Spagna procuraſſe di ſoggiogarlo, come avea fatto nell' America al Re del Meſſico, ed anche ad altri; tanto più ch' era ſtato detto, in tali acquiſti eſſerſi valuto della pietà de' Religioſi che predicando l' Evangelo, avevano introdotto le ſue armi in quei Regni; eſſendo inventori di queſta calunnia gli Eretici Olandeſi, che trafficavano in quelle Iſole: e ſi ebbe un tal ſoſpetto da un Capitano Biſcaino, che andava ſcandagliando que' Porti.* Multa præterea alia fuiſſe in cauſſa ſcribit, quamobrem noſtros Imperatores Japoniæ infectarentur, quæ libens prætereo.

(3) Hieronymus de Barreda Hiſpalenſis in citat. *Summario* pag. 2. ſic retulit: *So di certo, che l' Imperatore del Giappone Dayfuſama, padre dell' Imperatore attuale, moſſo dall' odio, e inimicizia, che avea contro la Fede di Criſto, e Legge dei Criſtiani, eccitò una gran perſecuzione contro la Criſtianità nel 1614. in tutto il Giappone, ordinando che foſſero gettate, diſtrutte e bruciate e rovinate tutte le Chieſe dei Criſtiani, Conventi e Collegj dei Religioſi; ordinando che tutti i detti Religioſi ſotto pena della vita uſciſſero dai ſuoi Regni, e non ritornaſſero più al Giappone, parendo a lui che mancando nei ſuoi Regni Religioſi maeſtri e predicatori della legge di Criſto, non ſi convertivano ad eſſa i ſuoi ſudditi, ed eſſendo morto detto Imperatore Dayfuſama nell' anno 1616. laſciò raccomandato al ſuo figliuolo Xofuſama, il quale gli ſucceſſe nell' Impero, acciocchè continuaſſe colla detta perſecuzione della Criſtianità; perchè la legge de' Criſtiani, e i Sacerdoti, e Religioſi, che la inſegnavano, erano contrarj a' ſuoi Idoli, e alle ſue Sette.*

(4) Erant hi Sacerdotes Japoniorum.

(5) Petrus Baptiſta Ord. S. Franciſci cit. *Summar.* pag. 9. dicit, ſe *ſapere per eſperienza di quindici anni che fu miniſtro in quella converſione, che gl' Imperatori Daifuſama, Xoguſama, Exoguſama tutti tre, uno ad eſempio dell' altro, ſempre impoſero leggi rigoroſe con pena di morte, che niun Giapponeſe ſi faceſſe Criſtiano, nè i Sacerdoti predicaſſero la vera legge, rinnovando i bandi di quando in quando, e i ſuddetti empj comandamenti, perchè ſapevano che non ſi oſſervavano. E così il primo Tayco perſeguitò grandemente i Padri della Compagnia primi miniſtri di quella converſione; il quale anche ordinò per la medeſima cauſa, che ſi crocifiggeſſero i primi martiri del Giappone. E che il ſecondo Imperatore Xoguſama con il medeſimo preteſto cominciò a martirizzare una quantità di Criſtiani Giapponeſi, e ordinò la pubblicazione di un bando generale, col quale eſiliava i miniſtri: il che tutto faceva in odio di quelli, che predicavano la fede di Criſto noſtro Signore. E al preſente il ſuo figli-*

ponius Christianismum profiteretur, neu cum Sacerdotibus Christianorum agere, eosque hospitio excipere auderet. Qui contra moliti quidquam fuissent, de his gravissimum supplicium sumi oportere jussit.

Xogusamæ exemplum secutus Exongusama est, qui ut imperii, ita sævitiæ, & crudelitatis hæres fuit. Is e Societate Jesu Sacerdotes tres comprehendi, & crucі affigi imperavit. Multi præterea capti, exquisitissimisque tormentis excruciati, martyrii palmam consequuti feruntur Japonienses, qui mori se malle dixerant, quam a Christo deficere, a quo se perpetuam felicitatem consequuturos sperarent (6).

Anno 1617. Alphonsus Navarettus Dominicanus, quoniam ab Omurensibus Christianis ad sepulcra Petri ab Assumtione Franciscani, & Joannis Baptistæ Taboræi Jesuitæ, qui martyres paullo ante decesserant, concursum fieri, tempusque jam advenisse rei bene in ea urbe gerendæ acceperat, eo se conferre, salutemque Japoniorum curare statuit. Sed quum imparem se tanto oneri ferendo esse arbitraretur, metueretque, ne si solus confirmare in officio omnes, eorumque *Confessiones* audire, ac differere palam de religione cœpisset, satisfacere omnibus non posset, Ferdinandum a S. Josepho Augustinianum, quo familiariter uti consueverat, hortatus est, ut sibi subsidio venire vellet. Quod si Ethnici restitissent, hoc esse reliquum ut ambo in carcerem conjiciantur, idque præmium referant, martyres ut migrent in patriam Beatorum. Ferdinandus initio hærere, & rem esse periculi plenam dicere, in quod se nemo temere conjicere deberet. At ubi rem diligenter expendit; quid, inquit, moramur? Hujus rei caussa ventum in Japoniam est. Parendum est igitur Navaretto, Omuramque, cum ipse voluerit, abeundum. Antequam iter aggrederentur, Navarettus, qui plane, quæ sibi impenderent, perspiciebat, litteras ad fratres Prædicatores, qui in regione eadem versabantur, in hanc fere sententiam dedit: „ Jesus in animis vestris sit, Fratres, vo„ bisque Spiritum Sanctum suum concedat. Nostis vos „ quidem sensim in hisce locis minui numerum Chri„ stianorum, nosque neophytis exemplo esse oportere. „ Quare obsecro vos *per viscera misericordiæ Dei no„ stri*, ut filii Dominici curetis esse, detisque diligen„ tem operam, ut inter vos & alumnos Ordinum ce„ terorum pax atque concordia perpetuo servetur. Ego „ Omuram abire constitui, ut ejus oppidi Christianos „ consolari, atque confirmare in fide possim. Nam si „ quod unquam, hoc illud est tempus, quo recenti „ martyrum cruore ad religionem tuendam, virtutem„ que colendam incendantur. Faxit Deus, ut quod in „ animum induxi, & nostris utilitati, & ipsi gloriæ „ esse possit. Vereor autem, ne Ethnici in carcerem „ me conjiciant. Hoc si fecerint, Franciscum Morales„ ium mei loco vellem vobis esse præfectum. Quod si „ me ipsum vita privarint, vobis, quem dignum esse „ censueritis, præficitote. Oro denique obtestorque vos „ mihi ut ignoscatis, condonetisque si quidquam aut „ privatus, aut in præfectura feci, quod vobis aliquid „ attulerit offensionis “. His scriptis litteris, quarum etiam similes ad Franciscum Moralesium, Apollinarem Francum, aliosque Sacerdotes, qui in Japonia morabantur, Ferdinandus a S. Josepho dedit, Omuram fortissimi viri profecti sunt, ac neophytos in officio confirmare, eorumque *Confessiones* excipere, atque publice explicare incolis Evangelium cœperunt. Interea hujusmodi rerum omnium, ne quid temere aggressus fuisse videretur, Præfectum Provinciæ Philippinæ Augustinianorum, cui parebat, Ferdinandus fecerat certiorem. Jam nunciatum fuerat Imperatori (7), Sacerdotes Europæos duos Omuram venisse, cœtusque cogere solere. Quamobrem vehementer iratus, suis imperavit, ut comprehensos in carcerem truderent; ac post, ubi ventum nacti secundum essent, in navim inferrent, eosque Nangasachium transportare ne cunctarentur. His rebus, ut erat imperatum, gestis, qui præfectus Nangasachio urbi erat, ex religiosis viris, & navarcho Joachimo Firaiama, qui Alphonsum, Ferdinandumque in Japoniam transduxerat, atque ex Ferdinando Civeresio Hispano, qui Firandensem quamdam civem in matrimonio habebat, eosque hospitio exceperat, num in sententia manerent, percunctatur. Cum eos constantes in fide persistere videret, Alphonsum, Ferdinandum, & Joachimum navarchum vivos exuri, ceteros Christianos duodecim interfici præcepit. Illi ubi se condemnatos cognorunt, omnes quam ob causam sic esset judicatum quæsierunt, rogaruntque Præfectum, palam ut ediceret, quid peccassent, quare illos mortis esse reos arbitraretur. Præfectus Alphonsum, ac Ferdinandum aspiciens, vos, inquit, exuri volo, propterea quod in Japoniam veneritis contra decreta Imperatoris propagatum Christianam Religionem. Nam vos (converterat autem ad ceteros sese) mori oportere censeo, quod hosce duos in Japoniam adducere ausi sitis, quibus potuistis rebus juveritis, hospitiove exceperitis, secus atque edicta postulent. His auditis vehementer lætati fortissimi viri fuerunt. Postero die ad locum supplicii perducti, indignisque modis tractati, martyres obierunt. Est autem difficile omnia persequi, quæ Christiani Nangasachienses tunc temporis, insequentibusque annis perpessi sunt. Quin etiam si quos Ethnici nostrum Europæorum reperire potuerunt, de his supplicium gravissimum sumebant. Etenim quinquaginta, atque unus capti, exquisitissimisque suppliciis cruciati, partim denique igne, partim ferro, partim aliis tormentis necati sunt. Exusti vivi fuere Dominicani *Franciscus Moralesius*, *Alphonsus Mena*, *Angelus Orsuccius*, *Josephus a S. Hyacintho*, *Hyacinthus Orfanellus* Sacerdotes, & Conversus *Alexius* Japonius; Franciscani *Petrus Abulensis*, *Richardus a S. Anna* Sacerdotes, *Leo & Vincentius* Conversi; Jesuitæ *Carolus Spinula* Sacerdos, & Laici *Sebastianus Quimura*, *Petrus Sampus*, *Consalvus Fusayus*, *Thomas Acafoxius*, *Michael Xumpius*, *Antonius Kiunius & Ludovicus Cavara*; Seculares, ut vocant, *Antonius Corejus*, *Lucas Irtites* Japonius, *Paulus* Japonius, & *Antonius Sanga* Catechistes. Plexi autem sunt capite Dominicani *Thomas* Sacerdos, & ex Ordine tertio *Johannes*; Jesuita Laicus *Johannes Ciucoga*; Seculares *Isabella Fernandesia*, *Ignatius* hujus filius puer annorum quatuor, *Maria* Andreæ Tocuani martyris vidua, *Apollonia* vidua, *Agnes* vidua Cosmi martyris, *Martha* vidua, *Maria* Antonii Corei uxor, hujusque filius Johannes, qui duodecimum agebat ætatis annum, ac *Petrus* frater annorum trium, Maria vidua Johannis Xuni martyris, *Dominica* vidua, *Magdalena* uxor Antonii Sangæ martyris, *Maria* uxor Pauli martyris, *Catharina Thecla* uxor Pauli Nangaixii, hujusque filius *Petrus* ætatis annorum septem, *Dominicus Nacavus*

---

figliuolo, che governa, si è mostrato molto maggiore Tiranno, decollando, bruciando molta quantità di ministri dell' Evangelo, e di Cristiani, che li riceveano, tutto in odio della legge Evangelica, acciocchè questa non si dilatasse. Hoc idem alii testes referunt pag. eadem seq.

(6) De vexatis jam inde ab anno 1612. Christianis, deque aliquot Japoniis jussu Imperatoris ejus gentis excruciatis atque interfectis, deque iis, quæ post in Japonia rei Christianæ evenerunt, confer *la Histor. de la provincia del Santo Rosario de Filipinas, Japon, y China de la sagrada Orden des Predicadores escrita por el Illustrissimo Sennor Don Fray Diego Aduarte natural de la imperial Ciudad de Zaragoza, y obispo meritissimo de la nueva Segovia Añ Adida por el muy R. P. Fray Domingo Gonzalez Commissario del S. Oficio, y Regente del Colegio de Santo Thomas de Manila*, Editionis Cæsaraugustæ anni 1693. Lib. I. cap. LXXV. pag. 377. seq. Et Lib. II. cap. I. pag. 397. seqq. & cap. VI. seqq. pag. 437. seqq. Tom. I.

(7) In citato *Summario* pag. 28. *Fra Alfonso di Navarette, e F. Ferdinando di S. Giuseppe delle sopradette Religioni di S. Domenico, e di S. Agostino mossi dallo zelo di devozione, e come fedeli, e ministri dell' Evangelo, vedendo il gran concorso de' Cristiani, che andavano pubblicamente a venerare i corpi de' Servi di Dio che aveuano patito il martirio B. Pietro dell' Assunzione, e il P. Giambattista de Tavora della Compagnia di Gesù, e che parimenti tra i medesimi Cristiani si era cominciato a praticare quello, che i Padri ministri dell' Evangelo grandemente ne esortavano i Cristiani a patire per la fede nella persecuzione; mentre quelli non si assicuravano, ma si nascondevano, per il che come questi servi di Dio, ambidue superiori, ciascuno della sua religione, così per istretta amicizia che passava tra di loro, come per assenza de' loro sudditi, ordinariamente si confessavano l' uno coll' altro ..... si risolvettero di uscire in pubblico, accompagnando la moltitudine de' Cristiani, che andavano e venivano dai detti sepoleri, come di fatto eseguirono; e facendo una frascata alla porta della Città, ivi si posero a predicare, e a confessare pubblicamente cogli abiti della loro Religione; che in questo soddisfacevano a quello che loro toccava come ministri, che però di loro si diceva e mormorava come s' è detto. Facevano l' uffizio di predicatore, il che tutto, acciò non fosse tenuta per cosa temeraria una simile azione pubblica, ne scrisse al suo Superiore in questa Città di Manila il servo di Dio F. Ferdinando di S. Giuseppe in una lettera .... si ritrova appresso il suo Superiore in questa sopradetta Città, e che siccome l' altro suddetto fu così divoto e pubblico, ne nacque da questo fatto che i Cristiani andavano incontro a detti servi di Dio a baciare loro gli abiti ec. Dalla cui divozione .... irritato il tiranno, ordinò che fossero presi e carcerati*. Vide ceterorum testimonia, quæ sequuntur. Confer etiam quæ ibidem ex Historia Orfaneli referuntur, & quæ scripta leguntur in Hist. mox cit. *Provinciæ Philippinæ Dominicanorum* pag. 442. seqq.

vus Mathiæ martyris filius, *Petrus Notojurna* quinquennis Johannis martyris filius, *Bartholomæus Cavanus*, *Dominicus Tamanda*, *Damianus*, eoque natus *Michael* quinquennis puer, *Thomas Clemens*, hujusque filius Antonius puer annorum trium, & *Clara*.

Cum Carolus Spinula impendere sibi mortem videret, memor Ignatii pueri, Dominici Georgii Lusitani, qui martyr obierat anno superiore, & Isabellæ, de qua modo diximus, filii, timensque ne ob tenellam ætatem tormentis cederet, Ethnicisque assentiretur; ubinam, inquit, meus est Ignatius? Quid de illo actum est puero? Mater, quæ proxime martyrium subitura aderat, puellum ostendit, atque ecce illum tibi, inquit, mi Pater. Paratus est mecum interire. Ne time. Hunc ego conditori omnium Deo libenter sacrificabo, quo nullam rem in mundo unquam habui cariorem. Tum mulier natum intuens, mi, inquit, Ignati, viden eum, qui tibi baptismi aquis vitam est hac mortali, quam Christi amori postponis, largitus longe meliorem? Ei te commendato. Ab eo poscito, ut tibi bene precari velit. Puer nihil cunctatus, genua flectit, junctisque manibus, Spinulam orat, ut sibi *benedictionem* impertiatur. Quæ res adeo commovit animos circumstantium, ut plerique omnes collacrymarentur. Gemitus deinde sequuti sunt, atque clamores concitati, qui satellites carnificesque perterruerunt; qui omnes, ne qua repente seditio exoriretur, quod jussi sunt, faciendum quam celerrime judicarunt. Igitur Mariam trefque alias mulieres adorti interfecerunt, quarum capita cum ad pedes pueri cecidissent, nihil ei terroris attulerunt. Mox carnifex matrem Ignatii aggressus interemit. Cujus item caput recisum, cum ille sibi ante pedes vidisset, tantum abfuit, ut fleret, ut ne perturbatus quidem esse videretur. Nam flexis genibus, sponte sua collum inclinavit, innuens velle se ejusdem felicitatis participem esse, quæ matri paullo ante obtigisset. Igitur Spinula inspectante occisus a carnifice est, atque in patriam migravit Angelorum. His rebus peractis carnifices athletas Christi ceteros crudelissime acerbissimeque vexatos necaverunt (8).

Neque vero Nangasachii solum, sed etiam in aliis plerisque urbibus, vicisque Japoniæ, aliarumque Insularum Japonicarum sævitum in Christianos fuit. Nam Omuræ Dominicani *Thomas Zumarraga*, quatuorque alii, qui paullo ante, quam martyres obirent, cooptati in Ordinem fuerant, & Augustiniani tres, Præfecti jussu extincti sunt. Longum autem esset omnes numerare, memorareque varia genera suppliciorum, quibus fuerunt ab Ethnicis cruciati, propterea quod re quapiam viros Apostolicos juvissent, & Christianam religionem profiterentur. Firandi quoque præter Camillum Constantium Jesuitam, fortissimum virum, alii non pauci strenue pro Christo pugnarunt, palmamque martyrii consequuti sunt. Jedi præterea, aliisque in oppidis, atque regnis maximo numero viri mulieresque mortem subierunt, ut religionem, quam colebant, fuso sanguine tueri se velle ostenderent. Sed quid multis est opus? Plena erant omnia in Japonicis Insulis cædium. Familiæ Christianorum integræ, cives magna multitudine, hospitesque ad supplicium rapiebantur; ac nisi ejurato Christo, nemini eorum vivere licebat. Itaque alii fame ac siti, alii lento igne, alii ferro necati. Non pauci aquæ incredibilem copiam bibere cogebantur, quibus oppletis prostratisque asseres imponebantur, atque superposito ingenti pondere, ita premebantur ventres, ut ex ore, naribus, oculis aqua sanguine permixta exprimeretur. Inter ungues carnemque digitorum multis præacutæ arundinis particulæ inserebantur, quos subinde Ethnici terram digitis scalpere compellebant. Uno verbo nova quotidie tormentorum, suppliciorumque genera, instigantibus Bonziis, excogitabantur.

Petro Vasquesio, Johanne Ruedano, Ludovico Beltrano, Mancio a Cruce, Petro a S. Maria, aliisque Dominicanis invictis martyribus Ethnicorum scelere sublatis, Philippinenses Prædicatores de novis ministris in Japoniam mittendis cogitarunt, ne, quam tot laboribus totque virorum fortissimorum sanguine in eam regionem invexerant, religio vi artibusque sceleratorum extingueretur. Hoc idem alii quidam Ordines faciunt. Mittuntur a Dominicanis Antonius Gonzalesius, Guillelmus Courtetus, Michael Ozaraza, & Vincentius a Cruce, qui posteaquam conflictati duriore fortuna & jactati tempestate fuissent, in Leckias tandem Insulas pervenerunt, quæ in potestate erant Japoniorum. Courtetus, antequam Manila solvisset, litteras ad Magistrum Ordinis sui quarto idus Junias anno 1636. scripsit, quibus eum fecit itineris, quod susciperet, certiorem. Eo cum XVII. Kalendas sextiles appulissent, æquis ne principio, an iniquis usi hospitibus insulanis fuerint, non satis constat. Hoc certum est, paucis post diebus captos, jussuque Præfecti in carcerem deductos, ac primum quidem Guillelmum, Michaelem, & Vincentium, deinde Antonium Nangasachium mense Septembri an. 1637. transvectos fuisse, ut quasi rei perruptarum legum pœnas flagitiorum luerent. Guillelmum duosque Dominicanos, de quibus supra demonstratum est, simul atque portum tenuerunt, Judex conjici in carcerem præcepit. At ubi Antonium attigisse Nangasachium intellexit, magistro satellitum imperavit, ut eum socioque duos, Laurentium Ruitzium Indum Sinensi patre ortum, & alterum natione Japonium, qui caussa religionis pulsus in exilium fuerat, ad se adducere ne cunctaretur. Ut satellites imperata fecerunt, Judex ex Antonio quæsivit, quodnam ei esset nomen, & quam religionem, quodque institutum profiteretur. Ille Antonium Gonzalesium se vocari, & Christianum esse religione, atque instituto Dominicanum respondit, qui cum aliis tribus, quibus præfectus erat, in Japoniam venerit, ut errantibus imbutisque superstitione incolis veritatem explicaret, atque eos qui Christum colerent, quique tot adversis rebus conflictarentur, in officio & fide confirmaret, ne metu suppliciorum idololatriæ scelere implicarentur. Scire quidem se ab Imperatore edicta esse publicata, quibus caveretur, ne quis Sacerdotum in Japoniam accedere auderet: sed esse sibi animarum salutem felicitatemque veram mortali hac vita, quam in discrimen conjecerat, potiorem. His aliisque rebus de se, de religionis veritate, de transfugis qui a Christo defecerant, deque Præfecto Nangasachiano, qui crudeliter acerbissimeque nostros insectabatur, dictis, ita Judicem commovit, ut eum extemplo cruciatu aquæ confici juberet. Etsi hoc erat supplicii genus omnium, quæ sumere de reis Japonii solerent, gravissimum; tamen Antonius, qui multo plura multoque graviora, si quæ poterant excogitari, pati averet, ubi de se tanta crudelitate decretum intellexit, summopere lætatus, gratias Christo Servatori egit, qui dignatus eum tanto honore fuisset, ut pro nomine ipsius non contumeliam modo, sed atrocissima etiam tormenta pateretur. Interim satellites, quæ usui esse arbitrabantur, pararunt, eique ad locum spectaculo destinatum adducto in os infundibulum immiserunt, ac tantam inde aquæ copiam in ejus stomachum infuderunt, ut intumescceret venter maxime, ac disrumpi videretur. Idem satellites sociis illis duobus Laicis, quorum supra meminimus, cum facere cœpissent, ita miseros acerbitate supplicii perterruerunt, ut Christianos se esse negaverint. Posteaquam laborare Antonium vehementer, & fortiter resistere, animadverterunt, in terram projectum, assere, magnisque ponderibus impositis, ita compresserunt, ut ex ore, oculis, auribus, naribus, quemadmodum alio loco diximus, aqua sanguine permixta eliceretur. Cum jam oppressum ac pene mortuum esse hominem vidissent, in carcerem intulerunt, ubi picta Beatæ Virginis Icon erat. Hanc satellites pedibus proterunt. Quanquam erat Antonius viribus destitutus, tamen quod ferre tantum dedecus non posset, projecit in terram se, ut eam non modo tegeret, sed etiam veneraretur. Illi contra vim adhibent. Imaginem e manibus fortissimo viro eripiunt, atque conculcare pergunt. Conantem impedire, alapis cædunt. Animum deinde ad seducendum hominem convertunt. Adhortantur ut Judici morem gerat, seque Christianum esse neget. Exemplum aliorum proponunt. Courtetum socioque Dominicanos Japonicis sacris, ejurato Christo, imbutos mentiuntur. Ad hæc ille: ego ne, inquit, ut nostros tam fuisse impios arbitrer? Non committam. Novi qua sint vitæ integritate, quantaque in suppliciis pro religione sustinendis constantia. Hoc illi sunt a Christo auxilium consequuti. Itaque mentiri desinite. Post, cum ipse tot acceptis incommodis ita debilitatus corpore fractusque esset, ut incedere nequiret, deportatus in carcerem est, ubi Courtetum fratresque ceteros vidit, ac tanto gaudio exsultavit, tantamque lætitiam atque voluptatem percepit, ut ei restitui vires, addique majores spiritus viderentur. Jam Laurentius Ruitzius (quem ex Leckiis Insulis cum Antonio deportatum Nangasachium tormentique atrocitate perterrefactum, cessisse aliquando Ethnicis diximus) facti pœnitens, ad Christum redierat, suppliciumque forti animo

(8) An. 1622. *Histoire de l' Eglise du Japon par Monsieur l' Abbé de T.....* Edit. Paris. 1689. pag. 373. seqq. Tom. II. Et Hist. *Philipp. Provinc. Ord. Prædic.* Tom. indic. pag. 523. seqq.

animo *tulerat*. Reſtabat ut Japonius ad ſanitatem reverteretur. Hunc ſatellites neſcio quibus rebus permoti, *in* eundem carcerem, in quo erant martyres *inclu*ſi, miſerant. Antonius etſi motu febris vehementi agitabatur, nihilominus orare hominem, atque obſecrare non deſiſtebat, ut ſuæ ſaluti proſpiceret, caveretque, ne declinato præſenti ſupplicio, in atrociſſimum ſempiternumque cruciatum immitteretur. Hoc Guillelmus, Michael, & Vincentius agunt. Vincitur Japonius, ſeque rurſus Chriſto conciliat. Itaque multis acerbiſſimiſque tormentis laceratus, martyr demum, uti credere quidem par eſt, migravit in patriam Beatorum. Interim Antonius, Japonio Eccleſiæ reſtituto, ſeſe iterum ad certamen parat. In locum ſupplicii delatus aquæ tormento ſubjicitur. Cum augeri febrim periculumque eſſe, ne moreretur, ſatellites animadvertiſſent, reducunt in carcerem. Ille quod fractum ſe eſſe, inſtareque jam ſibi mortem perſpiceret, Deo ſpiritum commendavit; dumque hymnos pſalmoſque recitaret, victor VI. Kal. Auguſti an. 1637. deceſſit (9).

Poſt Judex Courtetum, ſocioſque emitti e carcere, atque ad ſe deportari jubet. Adductos graviter accuſat, quod invito Imperatore in Japoniam venerint; quod imprudentes ſe in tam magnum tamque manifeſtum diſcrimen conjecerint; quod religionem Chriſtianam, finibus Imperii tot edictis exterminatam, in inſulam rurſum importare conati ſint, fuerintque in cauſſa, cur non ipſi modo, ſed alii quoque non pauci in fortunarum vitæque periculum venirent. Tum illi, fuiſſe ſibi, reſpondent, explorata, quæ de edictis ab Imperatore propoſitis diceret. Sed ita eſſe affectos atque inſtitutos ſe, ut propriæ mortali vitæ anteponendam arbitrentur religionem, perpetuamque ſalutem aliorum. Ne putet tam eſſe manifeſtum periculum, quod opponeret, ut vitari nulla ratione poſſit. Aliquos ſua memoria, multos ætate ſuperiorum Imperatorum Chriſtianos Sacerdotes eluſiſſe militum vigilantiam, atque in oppida ingreſſos apud eos delituiſſe, qui noſtris partibus ſtuderent, curaſſeque ut orthodoxi in fide, atque in officio confirmarentur. Quod ſi voluntate Conditoris hujus univerſitatis rerum effectum eſt, ut ipſi in hoſtium poteſtatem venirent; id tamen Chriſto gloriæ, & ſibi utilitati, ac ſaluti perpetuæ futurum. Nam ſibi vitio dari non poſſe, quod Chriſtianam religionem, quam Ethnici delere cogitarant, aut conſtabilire, aut reſtituere in Japonia curarint. Deo enim, qui ſic juberet, non homini, qualis erat Imperator, eſſe parendum. Judex deinde cum tentaſſet, ac neque hortatu, neque minis deterrere a ſententia martyres potuiſſet, eos ad locum ſupplicii duci, & aqua, ita uti de Antonio dictum eſt, torqueri imperavit. Dici vix poteſt, quanta animi tranquillitate ac fortitudine hoc tormenti genus Guillelmus & Michael ter ſuſtinuerint. Hymnos, cum torquerentur, recitabant, convertebant deinde ſe ad Japonios qui aderant, eoſque adhortabantur, ut ſi Ethnici eſſent, Chriſto ſeſe dederent, qui tantas vires ſuis militibus ad certandum concedere ſoleret; ſin autem occulti Chriſtiani, ejuſmodi pugnis aſſueſcerent, ſeque, dum tempus monuiſſet, ad confligendum cum hoſte compararent. Contra Vincentius cruciatuum atrocitate perterritus, immemor eorum, quæ olim religionis cauſſa paſſus eſt, cum in exilium pulſus, omnibuſque rebus expoliatus in ſummam egeſtatem redactus eſſet, aſſentiri Japoniis, promittereque ſe dixit, continuo, quæ vellent, facturum. Ejus caſus magnam Guillelmo & Michaeli triſtitiam attulit. Sed cum tres ſimul in carcerem delati eſſent, quod hi in fide manerent, ille, quod Japonius cum eſſet, Chriſtianam religionem, quam Imperator coli vetuiſſet, conſectatus eſſet, atque exulare juſſus, nihiloſecius in patriam revertiſſet; ventum in ſpem eſt fore, ut cognita peccati, quod admiſerat, gravitate, Vincentius reſipiſceret, & in Chriſti gratiam atque amicitiam redire poſſet. At ubi ſceleris magnitudinem exponere, & quantum detrimenti accepiſſet, revocare homini in mentem cœperunt, tum demum cognorunt, niſi gratiæ Dei ſingulari præſidio, reverti neminem ad ſanitatem. Poſtero die idem cruciatus genus viri fortiſſimi ſubierunt. Neque committendum Ethnici putarunt, ut Vincentius liber eſſet, qui cum Japonius natione eſſet, tum ſe cum exteris conjunxiſſet ſocietate religionis. Hoc tamen inter duos priores, atque Vincentium intererat, quod illi læti atque alacres, hic mœſtus atque ægre ferens ad ſuppliciorum locum deduceretur. Cum aqua nihil profici Ethnici viderent, graviora atque acerbiora tormenta parant: arundines ad ſe deferri præcipiunt. Partes inde abſcindunt, cultroque acuunt, quas digitis ad nodum uſque inter ungues, & carnem infigunt. Ea re viſa, qui ſpectabant, omnes cohorruere. Sed Guillelmus & Michael Deum collaudare, eique gratias referre nunquam ceſſarunt, quod tanto eos beneficio tantoque honore dignatus eſſet, ut tam magno ſuo dolore veritatem teſtificarentur, martyreſque decederent. Jam Sancti homines tot tantiſque cruciatibus lacerati, ac viribus deſtituti, pene exanimes jacebant, cum miſſi ab Judice fuerunt, qui dicerent, Guillelmo, atque Michaeli vivere licere, modo Chriſtiani eſſe deſinant, addicantque ſe legibus, ſacriſque Japoniorum. His intellectis, quaſi integris illi viribus eſſent, clamarunt alio ſe conſilio veniſſe ex Europa, quam ut tam inſigne ſcelus admitterent. Pro confirmanda ac dilatanda Chriſtiana religione iter ab ſe fuiſſe in Japoniam inſtitutum. Id ſi vivi conſequi nequiverunt pertinacia incolarum, confidere plane ſe divini numinis ope fretos fore ut conſtantia in perferendis ſuppliciis, morteque tandem ſua conſequantur.

Qua re commotus Judex conſtringi eos catenis, atque reportari in carcerem imperat. *Vincti* Chriſti, qui ſecum una adductum in locum eundem Vincentium viderunt, hominem aggrediuntur. Quid mali egerit, quem læſerit Deum, quantoque in ſempiternæ ſalutis periculo verſetur, exponunt. Obteſtantur ut in ſe redeat, ſuique miſereatur. Summa eſſe clementia Chriſtum. Fateatur ſe reum eſſe, petatque ex eo veniam. Ne timeat. Eum qui nolit peccatoris mortem, ſed velit, ut convertatur, & vivat, non ſeverum judicem, ſed miſericordem patrem futurum. Vincentius hac oratione permotus, gratiæque Dei beneficio immutatus, facti pœnitens, peccatum confeſſus eſt, flevit, veniam petiit, ac ſtatuit demum, quod ſibi ſuopte flagitio multiſque exemplo nocuiſſet, hoc totum ſua morte diluere. Itaque Judici ſe cum ſociis offert, clamat Chriſtianum eſſe ſe, neque tormentis neque mortis metu deterreri ab ſententia deinceps poſſe. Experiatur Judex, faciat quæ ſibi in mentem venerint. Se quod inconſtantia olim fecerit, conſtantia fortitudineque compenſaturum. Igitur aqua omnes torquentur. Deinde ita ſuſpenſi pedibus ſunt, ut ſuppoſito dolio pleno, pars ſuperior corporis aquæ immergeretur, impediretque reſpirationem. Cum aliquandiu vexati hoc modo fuiſſent, ut jam ſuffocari, interireque viderentur, dolium removerunt, ipſoſque ſolutos, atque in carcerem incluſos ad d. V. Kal. Octob. detinuerunt. Quo die eos educunt, atque ad ſupplicii locum deferri curant. Scrobes ibi erant ab ſatellitibus factæ quinque, ut Martyres eum etiam cruciatum ſubirent, quem Japonii omnium eſſe acerbiſſimum arbitrantur. Itaque pedibus eos, duoſque Japonios, neſcio quos, ſuſpendunt, & in foveam cingulo tenus deprimunt. Tabulis inde ligneis corpora conſtringunt, & ſcrobes operiunt, ut ne quid eorum quæ dicantur, intelligere martyres poſſint, gravitatemque ſupplicii ſentiant. Sed hi ſumma lætitia fruebantur, & concitata interdum voce clamabant (ita ut, qui aderant, audirent) nihil ſe tormenta vereri: eſſe ſibi brevi concedendam felicitatem a Chriſto, cujus cauſſa tot cruciatibus conflictati laceratique fuiſſent. Poſtridie ejus diei remotis tabulis, Ethnici duos illos Japonios deceſſiſſe, tres autem Dominicanos agere animam, mortique eſſe proximos cognoverunt. Nunciant Judici. Ille capite eos continuo plecti imperat. Carnifex, quod juſſus eſt, facit. Deinde corpora cremantur, atque in cineres rediguntur, quos Ethnici in mare projiciunt, ne quis eos Chriſtianorum religionis ergo colligeret (10). Tanta autem horum Martyrum in perferendis cruciatibus, ſuſtinendiſque atrociſſimis ſuppliciis virtus & fortitudo fuit, ut invenirentur ea ætate, qui dicerent, nullos ante in Japonia pro Chriſto pugnaſſe, qui comparari cum iis poſſe viderentur (11).

Sævitum quoque annis 1638. & 1639. cauſſa Chriſtianæ

---

(9) Vide Jacobum Lafonum *Ann. Dominic. Menſ. Septemb.* ad d. 24. pag. 503. ſeqq. & *Hiſt. Provinc. Philipp. Dominic.* pag. 753. ſeqq.

(10) Vide eumdem Lafonum ad d. 29. pag. 774. & Hiſt. mox cit. pag. 753.

(11) Jacobus Lafonus laudat. ad diem XXIX. Septemb. de Gulielmo Courteto, & Michaele de Ozaraza agens, *Ont été*, inquit, *inflexibles, & comme inſenſibles au milieu des plus effroyables tourments, & on les doit regarder comme les plus valeureux Martyrs, qui aient été juſqu'à cette heure dans le Japon*, dit le R. P. *Alexandre de Rodes, celebre Miſſionaire Jeſuite de la Chine dans ſa lettre du 1. Janvier 1638. qu'il écrivit de Macao au R. P. Georges de Rodes, ſon frere de la même Compagnie à Lyon, dont j'ai une copie autentique entre les mains*. Confer Antonii Franciſci Scardimi e S. J. *Catalogum Regularium & Secularium, qui in Japoniæ Regnis uſque a fundata ibi a S. Franciſco Xaverio Gentis Apoſtolo Eccleſia ab Ethnicis in odium fidei ſub quatuor. tyrannis violenta morte ſublati ſunt*. Edit. Rom. an. 1646. pag. 76., & Dominici Marcheſii *Diarium Dominicanorum* ad diem XXIX. Septemb. pag. 172. tom. V. edit. 1679.

ſtianæ Religionis ab Japoniis in Chriſtianos incredibili crudelitate eſt, novaque Edicta publicata (12), quibus Luſitanis interdicebatur, ne naves in Japoniam appellerent, propterea quod Sacerdotes Chriſtianos in Inſulas tranſducere ſolerent, qui novam religionem incolis nunciarent, compellerentque, ut a patriis ritibus ſacriſque abducerentur. Quod ſi quis navarchus Luſitanorum contra quidquam molitus eſſet, is ſibi ab Imperatore non mercium, naviſque exuſtionem modo, ſed mortem etiam denunciari certo ſciret. Anno 1640. Luſitani Macaenſes, quum liberis in Japoniam commeatibus interclusis, non minima ſuis civibus afferri incommoda viderent, navim pararunt, legatoſque ad Imperatorem miſerunt, qui dicerent ſibi eſſe in animo mercatores in Inſulas mittere Japoniorum, rogarentque ut ejus voluntate id ſibi facere liceret. Imperator quod memoria tenebat (13) a mercatoribus tranſportari Sacerdotes Chriſtianos in Japoniam conſueſſe, non ſolum concedendum non putavit, ſed etiam comprehendi legatos, conjicique in carcerem, atrociſſimiſque ſuppliciis excruciari, atque interfici præcepit. Cum illi legatorum nomen apud omnes nationes ſanctum, inviolatumque ſemper fuiſſe, ſeque proinde per ſummam injuriam retentos, atque in vincula conjectos quererentur, Imperator, nullam ſe habere legatorum rationem reſpondit, qui contra atque ipſe conſtituiſſet, in Japoniam accedere non dubitaverant. Ac ſe quidem non ipſis modo non eſſe parcendum exiſtimare, ſed neque Regi, imo vero ne Chriſto quidem Deo Luſitanorum. Igitur legatos ſocioſque itineris, qui plus dignitate atque opibus valerent, capitis condemnavit, & perpaucos nautas dimiſit, iiſque ut Macaum redirent poteſtatem fecit, atque una edixit, ut eorum, quæ geſta eſſent, Luſitanos redderent certiores, nunciarentque, eum, qui in Japoniam poſthac contendere auſus eſſet, quam ſint ſeveri legum obſervatores Japonii, cogniturum.

Legatis, aliiſque quos diximus, interfectis, nautiſque perpaucis dimiſſis, Batavis in aliquot Inſulas veniendi facultas eſt facta, horumque, ut a quibuſdam noſtrorum hominum memoriæ proditum eſt, conſilio, ab Imperatoribus conſtitutum, ut qui in portum aliquem, qui ditionis eſſet Japoniorum, perveniſſent, crucem pedibus proterere cogerentur. Hac re audita plerique noſtrum deferendos eſſe earum regionum incolas judicarunt, abſtinendumque ab eo itinere, quod nemini ſaluti, ſibique detrimento, atque exitio eſſe poſſet. Interea tamen Dominicani, qui in Philippinis Inſulis degebant, circumſpiciebant, ſi qua unquam rei bene gerendæ data opportunitas eſſet, ut coloniam in eaſdem ſuorum mitterent. Cumque nonnihil de iracundia odioque ab eis, quo in noſtros homines ferebantur, remiſſum intellectum eſt, experiri ſe velle dixerunt (14), deque ea re ad ſacram Congregationem de Propaganda Fide paulo ante Innocentii XI. P. M. tempora ſcripſerunt. Sed quæ res ante, eædem poſt etiam, ubi diligenter de voluntate Japoniorum quæſitum eſt, impediverunt, quo minus in ſuſcepto conſilio manendum arbitrarentur. Anno 1704. Joannes Baptiſta Sidotus in Inſulas contendere decrevit, idque

---

(12) Edictum refert Scardimus lib. cit. pag. 78. Erat is Scardimus Procurator ad Urbem Provinciæ Japoniæ.

(13) Adeundus Scardimus Opuſcul. *de morte feliciſſima quatuor Luſitanorum legatorum, & ſociorum, quos Japoniæ Imperator occidit in odium Chriſtianæ Religionis*. Edit. Rom. 1746. pag. 1. ſeqq. Qui in novam Cellarii Geographiam Edit. an. 1716. adnotationes adjecit, ita ut moris eſt Lutheranorum, omnia quæ ab Orthodoxis geſta in Japonico Imperio ſunt, carpere & rejicere non dubitavit, quaſi eſſent plena mendaciorum. *De Inſulis*, inquit, *Japonicis adeunda Franz Caronis deſcriptio Japonica: Litteræ Xaverianæ nonnulla quidem has Inſulas concernentia prodant; at multis fabulis de converſione hæreticorum refertæ ſunt, quod & de relationibus Jeſuitarum Japonicis dicendum. Pleraque enim ibi tradita fabulæ ſunt, uti & quæ de martyriis Chriſtianorum Japonicorum ibidem referuntur*. Quæ autem eſt, niſi hæc ſumma calumniandi licentia eſt? Sed bene habet. Nemo enim tam eſt ineptus, tamque imperitus rerum, ut magnis optimiſque viris, qui coram omnia viderunt, fidem omnem adimendam, atque huic calumniatori, qui in Germania vitam duxit, adjungendam putet. Bernardus Varenius homo de Proteſtantium quidem numero lib. *de Japoniorum Religione, de Chriſtianæ Religionis introductione in ea loca, deque ejuſdem extirpatione* Edit. Amſtelod. 1649. ſcribit hoc modo: *Afferamus*, inquit pag. 160. & ſeqq. *Belgarum (qui reformatæ, non Pontificiæ fuerunt Religionis, ne quis fidem deroget his, quæ afferuntur) hac de re ſcripta; deinde de cauſſis videbimus. Deſcriptioni Japoniæ auctore Caronio adjunctum eſt ſcriptum cujuſdam nomine Rejeri Geysberts, qui anno 1622. & ſeqq. procurandi commercii nomine Belgicæ ſocietatis in Japoniæ urbe Nangeſacque vixit. Illius titulus hic eſt:* Hiſtoria Martyrum, qui in Japonia propter Romano-Catholicam Religionem crudelibus & intolerabilibus affecti ſunt tormentis, vel etiam necati. *Sequitur jam ipſa deſcriptio, quam e Belgico ſermone tranſtuli. Ab anni 1622. exitu, & exordio ſeq. 23. combuſti, & capite multati ſunt in urbe Nangeſacque centum & triginta circiter homines, partim viri, partim mulieres, partim pueri, & puellæ, in quorum numero præter alios Religioſos, fuerunt duo Sacerdotes ..... Inter combuſtos fuit quoque Italus quidam dictus* Spinula *ex urbe Genua .... Nimirum cum Sunegone Hiſpano, & Ludovico Pietenſi comburebantur, & capite multabantur* 130. *homines, & proxima vice* 100. *partim viri, partim pueri*. Pag. 166. ſcribit, 128. *& amplius an.* 1624. *in urbe Jedo*. Pag. 167. *Firandi* 36. *vel* 37. *fuiſſe occiſos narrat*. Tum addit: *Eos inter, qui necati ſunt, vidimus puerulum ſex, vel ſeptem annorum, qui tanto animi gaudio geſtiens, prædicans, & cantans chriſtianos Pſalmos Japonico ſermone ad mortem properabat, ut in tali ætate mirati id valde ſimus. Quæ autem geſta Nangaſachii & alibi ann.* 1626. *fuerint*, idem Auctor proſequitur pag. 170. ſeq. *Ac die*, inquit, 19. *Menſis Junii juſſit gubernator collocari* 33. *palos, lignaque incendiaria circa illos poni diſtantia ſeſqui unius orgyæ, ut hic mos eſt. Vigeſimo die producere juſſit tredecim captivos cremandos, nimirum tres Sacerdotes, quorum unus erat Epiſcopus dictus Franciſcus Parquerus* 70. *annorum Luſitanus, ſecundus Balthaſarus de Torres Dominicanus* 68. *annorum Hiſpanus, tertius Joannes Baptiſta etiam Dominicanus* 57. *annorum Italus, præterea quinque Luſitani ..... Reliqui quinque Japonii erant ..... Sacerdotes, & Japonii Chriſtiani ad mortem uſque in fine perſeverarunt &c.* Multa alia idem narrat Auctor, quæ plane oſtendunt vera eſſe, teſte Geysbertso hæretico, martyria; veraque ea, quæ de propagatione Orthodoxæ Chriſtianæ Religionis in Japonia Miſſionarii memoriæ prodiderunt. Labitur autem Varenus, qui de hiſce martyriis nihil eſſe ab Jeſuitis editum affirmat pag. 159. Sed ejus error Scriptorum, quos extrema in hoc caput adnotatione numerabo, auctoritate refelletur.

(14) Jacobus Lafonus Ann. Dominic. Menſ. Septemb. p. II. Chronol. Miſſion. FF. Præd. pag. CCLXIII. ad an. 1654. a Petro Ledo Præfecto Provinciæ curatum diligenter fuiſſe ſcribit, ut miniſtri præconeſque Chriſtianæ Religionis in Japoniam mitterentur; ſed exitu minus ſecundo, propterea quod portum nullum tenere illi potuerint, interclusis Japoniorum perfidia commeatibus non Luſitanorum modo, ſed etiam Hiſpanorum. Tentatum id quoque fuerat anno 1648. ſed eodem omnino exitu. Urbanus Cerrius l. cit. *Rimaſe*, inquit, *affatto abbandonata quella Criſtianità, che ſe vi foſſero ſtati ordinati Nazionali* (at ordinatos non paucos fuiſſe conſtat, in quos perinde Japonii ſævierunt) *a diſpetto di tutte le perſecuzioni, ſarebbe ancora in piedi. Nondimeno ve ne ſono rimaſi molti, che propagano la fede tra di loro, battezzandoſi dai padri i propri figliuoli; e ogni anno ne ſono anche molti martirizzati, onde hanno gran biſogno di operaj, e i Domenicani delle Filippine procurano ora di mandarveli ſegretamente*. Quod attinet ad Decretum Imperatoris de proterenda pedibus cruce ab Europæis, qui in Japoniam appuliſſent, ſic habet Georgius Pſalmanazarus *Deſcript. Inſ. Formoſ.* Edit. Gallicæ an. 1705. Amſtel. qui Batavos vindicare conatur pag. 227. ſeq. *Les Hollandois aiant appris le carnage épouventable, qui s' étoit fait des Chrétiens dans le Japon .... ils prirent ce tems pour leur .... ils feignirent de ne pas entendre le mot de Chrétien, & leur dirent, que ſi par ce mot, ils entendoient des gens qui adoroient la figure d' un homme Crucifié ..... non ſeulement ils n' étoient pas de ce gens, mai qu' ils déteſtoient leurs maximes .... On dit que ce ſont ceux qui s' aviſerent de faire dire à l' Empereur, que le veritable moyen de diſtinguer les Chrétiens, dont il avoit lieu de ſe plaindre d' avec les Hollandois, ou autres Europées qui n' étoient pas de la même Religion, étoit de préſenter à tous les étrangers l' image d' un Crucifix, en leur propoſant de le fouler aux pieds. Je ne ſçai pourquoi on prétend imputer cette invention aux Hollandois. Etoit ce une choſe ſi difficile à imaginer pour croire, que cela ne peut venir dans l' eſprit des Japonnois? Quoi qu' il en ſoit, les Hollandois ne font pas, dit-on, difficulté de marcher ſur le Crucifixe toutes les fois qu' on le leur préſente. Ce fait ſuppoſé, comme ſelon toutes les apparences, ils ne le font pas par mépris pour la religion Chrétienne* (quaſi vero fine contemtu Religionis proculcari ſignum redemptionis noſtræ poſſit). *Quelques Jeſuites Portugais s' étant hazardés depuis ce tems là d' aller au Japon dans l' eſperance de n' être pas connus, ou qu' en ſe diſant Hollandois, on ne les inquieteroit pas, à peine eurent-ils mis pied à terre qu' on leur préſenta le Crucifix pour le fouler aux pieds. Ils en furent ſi effrayez, qu' aiant d' abord été reconnus, ils furent crucifiés au nombre de* 46. Sed quatuor vel quinque horum Jeſuitæ fuerunt, ceteri nautæ, militeſve. At Cerrius *loc. cit.* cauſſam, quamobrem latæ contra Chriſtianos ab Imperatore leges fuerunt, hanc eſſe cenſet, quod perſuaſum illi fuerit, Hiſpanorum, Luſitanorumque Reges in poteſtatem Japonios redigere inſtituiſſe, quod ipſum Americanis Regibus fecerant; atque idcirco Sacerdotes in eas inſulas miſiſſe, qui nationem ad Chriſtiana ſacra perducerent, quo res facilius habere exitum poſſet. Ejus calumniæ auctores Batavos fuiſſe.

idque tandem Tournonii Legati voluntate fecit. Cumque anno 1721. auditum Romæ esset, gratum hominem fuisse Imperatori, ventum in spem est fore, ut rursum nostris eodem accedere, nunciareque Evangelium incolis permitteretur, ut est auctor Polidorius in iis libris, quos de Clementis XI. vita scripsit. Sed deinde res contra, atque nostri sibi persuaserant, evenerunt (15).

CAPUT II.

De Vicibus Christianæ Religionis in Sinensi Imperio.

VAriæ sunt Scriptorum, atque inter se dissidentes de his, qui primi omnium in Sinense Imperium doctrinam Catholicam intulerunt, opiniones, aliis quidem eos e Societate Jesu, aliis contra Dominicanos fuisse ajentibus. Qui (1) pro Jesuitis pugnant, Matthæo Riccio id laudis esse tribuendum arbitrantur. Equidem etsi profitear institutum Dominicanum, idque jam mihi honori atque gloriæ vertam, tamen si veri esse simile judicarem, ante Societatis Jesu presbyteros Sinensibus Evangelium nunciasse, quam in eam regionem penetrassent nostri, hanc eis laudem nunquam adimendam putassem. Nam qui de Japoniis agens Jesuitas primos in eisdem Insulis, quod ita veritas poscceret, fuisse religionis Orthodoxæ præcones dixi, cur idem de Sinensibus disputans negarem? Ac Riccium quidem exitu fere Seculi XVI. in Sinensem regionem venisse, tam est exploratum, ut revocari in controversiam a nemine posse videatur. At medio fere sæculo XVI. Gasparem a Cruce (2) Dominicanum Sinensibus Christum annunciasse, librumque, cum in Lusitaniam revertisset, de suo ad Sinas itinere, & Apostolatu vulgasse, testata quoque res est. Scio nimirum incolas pervicaces, obfirmatosque in errore; idque tandem obtinuisse, ut ille ex Imperio pelleretur. Verum negari non potest, quin ejus opera intelligi Catholicorum nomen in iis regionibus cœperit. Rursum anno 1590. Joannes Cassillius, aliique Prædicatores experiri voluerunt (3) num tempus opportunum venisset, quo Sinenses pertinacia desisterent, Christoque assentirentur. At ubi portum tenuerunt, interrogati cujates essent, cum se ex Europa venisse, ut Christum incolis nunciarent, dixissent, ad Præfectum adducti, ejusque jussu in vincula conjecti, annoque post pulsi in exilium fuerunt. Atque omnium *Religiosorum* primus, qui Sinice loqui atque explicare decreta Christianæ religionis Sinensibus potuit, qui in Philippinas Insulas appellere solerent, Joannes Cabosius (4) Hispanus fuit. Sed qui primus Prædicatorum Ordinem in Sinensi Imperio circa ann. 1630. constabilierit, Angelus Cocchius fuit Florentinus, qui cum ad Philippinas Insulas appulisset, cognomen *a S. Antonino* Florentinorum Archiepiscopo cepit, & *Angelus a S. Antonino* est appellatus (5). Riccius autem, de quo supra demonstratum est, ante Cocchium venerat, atque una cum Sociis, quibus poterat modis, Christianam religionem explicare, introducereque in Provincias cœperat. Rerum autem, quas ibidem gesserunt, cum Riccius idem cer-

---

(15) Scriptores, qui de Japonicis Ecclesiis martyribusque differuerunt, nunc recensendi sunt. Conferat igitur, qui multa de his rebus volet (præter Massejum, & Tursellinum, Cerrium l. c. Didacum Aduartum, & Dominicum Gonzalesium *Hist. Provinc. Philipp. Ord. Præd.* Tom. I. & II. Edit. cit. fortissimum Martyrem Hyacinthum Orfanelum, & Didacum Colladum *Hist. Eccles. de los succesos de la Christianidad de Japon*, &c. ab ann. 1602. ad 1622., *Summarium Causæ* Navaretti, aliorumque qui fidei causa passi in Japonia sunt, quod supra memoravimus) *la Lettera annua del Giappone dell' an.* 1596. *scritta dal P. Luigi Frois al R. P. Claudio Aquaviva Generale della Compagnia di Gesù tradotta in italiano dal P. Francesco Mercati Romano della stessa Compagnia*, Romæ *an.* 1599. Et *le Lettere del Giappone degli anni* 1574. 1575. 1576. *scritte dalli* RR. PP. *della Compagnia di Gesù, e dal Portoghese tradotte nel volgare italiano*, Roma *an.* 1578., *e le due Lettere annue del Giappone degli anni* 1603. 1604. 1605. *e parte* 1606. *mandate dal P. Francesco Pasio Viceprovinciale di quelle parti al M. R. P. Claudio Aquaviva Generale della Compagnia di Gesù*, Romæ 1608. *la Relacion del martyrio, que los Sanctos Padres Descalcos Franciscanos, tres Hermianos de la Compagnia de Jesus, y decisiete Japones Christianos padecieron en Japon, pour* F. *Ivan de Sancta Maria*, Matriti 1601. *La Historia de las islas del Archipelago, y Reynos de la gran China, Tartaria, Cochinchina, Malaca, Siam, Camboxa, y Japon, y de lo succedido en ellos a los Religiosos Descalcos de la Orden del Serafico Padre S. Francisco, de la Provincia de S. Gregorio de las Filippinas, por* F. *Marcello de Ribadaneyra*, Barchinone *an.* 1601. *La Historia de las Missiones, que han hecho los Religiosos de la Compagnia de Jesus, para predicar el Sancto Evangelio en la India Oriental, y en los Reynos de la China, y Japon. Primera y segunda parte por el P. Luis de Gusman*, Alcalà *an.* 1601. Et *Relacion annual de las Casas, que han hecho los Padres de la Compagnia de Jesus en la India Oriental, y en los Reynos de la China y Japon en los annos de* 1600., *y* 1601., *y del progresso de la Conversion, y Christianidad de aquellas partes*, Valisoleti *an.* 1604. *Litteras Japonicas an.* 1606. *Chinenses an.* 1606. 1607., *illas a* R. P. *J. Rodriquez, has a* R. P. *Matthæo Riccio Soc. Jesu transmissas ad Cl. Aquavivam, latine redditas a Rhetoribus Collegii S. J.* Antuerp. *an.* 1611. *Litteras Japonicas ann.* 1609. *&* 1610. *ex italicis latinas factas ab Andrea Schotto* Antuerp. *an.* 1615. *Rei Christianæ apud Japonios Commentarium ex litteris annuis Soc. Jesu annorum* 1609. 10. 11. 12. *collectum a Nicolao Trigaultio* Aug. Vindelic. *an.* 1615. *Relacion del successo que tuvo nuestra santa fè en los Reynos de Japon, desde el anno* 1612. *hasta el anno* 1615. *imperando Cubsama, compuesta por el Padre Luis Pineiro S. J.*, Matriti *an.* 1617. In extremo hoc Opere extat catalogus eorum, qui ab anno 1564. ad an. 1615. in Japonia pro religione passi sunt. *Brevem relat. de Persec. in Christianos Catholicos an.* 1619. *commota: ex litteris ann. Soc. Jesu Anglice edit. an.* 1619. *Historia y Relacion del Japon, desde el anno* 1612. *hasta el detta* 1675. *por el P. Pedro Morejon della C. de J.* Ulysip. *an.* 1615. Guidonem Gualtesium *Legazione de' Principi del Giappone dell' anno* 1585. *a Gregorio XIII. ec. Edit.* Rom. *an.* 1586. & de eodem argumento Eduardum de Sande S. J. ex Epheméride Legatorum in Macaensi portu Imperii Sinici edit. 1590. *Istoria del Voxo del Giappone, dell' antichità, nobiltà, e valore del suo Re Idace Masamune, de' favori che ha fatto alla Cristianità, e desiderio che tiene di essere Cristiano, e dell' aumento di nostra S. Fede in quelle parti, e dell' Ambasciata che ha inviata alla S. di N. S. Papa Paolo V. e delli suoi successi, con varie altre cose, fatta per il Dottor Scipione Amati Romano Interprete Istorico dell' Imbasciata* Rom. *ann.* 1615. *Lettere annue del Giappone, China ec. al P. Generale della C. di Gesù scritte da' PP. della stessa Compagnia negli anni* 1615. 16. 17. 18. 19. *volgarizzate dal P. Lorenzo delle Porze.* Mediol. *ann.* 1621. *Historia y Relacion de los succedidos en los Reynos de Japon y China desde el anno* 1615. *hasta el de* 1619. *por el P. Pedro Morejon S. J.* Ulysip. *an.* 1621. Trigaultium, & Raderum *de Christianis apud Japonios Triumphis, sive de gravissima ibidem contra fidem persecutione exorta ab anno* 1612. *cum auctario & iconibus Sadelerianis.* Petrum Morinum *Hist. de ce qui s' est passé aux Royaumes du Japon & de la Chine tirée des lettres escrites ès annes* 1621. 22. Paris. 1627. Gasparem Spiltisium *S. J. Martyr. XXXVI. Christi pugilum in Japonia an.* 1597. *sub Taicosama Imper.* Fabium Ambrosium Spinulam *Soc. Jesu* Vita del P. Carlo Spinola. *Lettera annua del Giappone dell' anno* 1624. *al M. R. P. Muzio Vitelleschi Generale della Compagnia di Gesù Edit.* Rom. *an.* 1628. *&* Dilingæ *an.* 1628. *Lettere annue del Giappone degli anni* 1625. 26. 27. *al M. R. P. Muzio Vitelleschi* Rom. *an.* 1632. *Narrationem persecutionis ann.* 1628. 29. 30. *ex italico latine a Johanne Bollando Edit.* Antuerp. *an.* 1635. *& in Actis SS. Tom. I. Febr. pag.* 723. Garsiam Caræsium *Relace de la persecution ec. de l' ann.* 1624. Martinum la Naxa *de statu persecutionis Japonicæ &c. Illustri morte P. Marcelli Mastrilli*, Cæsaraugustæ *ann.* 1639. Joannem Baptistam Tavernerium *descript. Japon. & Persec. Japonicæ sæpe cum ejus itineribus edit. Hist. Eccles. de l' Isl. & Royaumes de Japon par le* R. P. *François Solier*, Paris. *ann.* 1627. Antonium Franciscum Cardimum S. J. *Relazione della Provincia del Giappone*. Romæ 1643. *Et Fasciculus e Japonicis floribus suo adhuc madentibus sanguine, compositus ab eodem Cardimo.* Romæ 1646. Danielem Bartholum *Historia della Comp. di Gesù l' Asia Part. I. & II. edit. an.* 1660. P. Crassetum S. J. *Hist. de l' Eglise du Japon par M. l' Abbé T.* Paris. *an.* 1689. Johannem Philippum Marinum S. J. *Istoria e Relazione del Tunchino, e del Giappone ec. edit.* Rom. 1665. Ex Protestantibus, præter Varenium, & Geysbertsium supra memoratos, pro Batavis agit Auctor de *Athl. Historique Tom. V. pag.* 165. Vide etiam *Joannem Gasparem Scheuchzerum*, cujus Opus ab Engelberto Kempfero Anglicum, & a D. de Maiseaux gallicum factum, inscriptum est *Histoire Naturelle Civile & Ecclesiastique de l' Empire du Japon* Edit. Hagæ Comit. ann. 1729. Descriptionem Imperii Japonici dedit etiam Crassetus initio *Hist. Eccles.* ejusdem Imperii, quem consule.

(1) *Lettres édifiantes* Tom. III. pag. 158.

(2) Confer Souzam III. Part. *Hist. S. Dominici* lib. III. cap. 1. & Lafonum *Chronol. des Missions des Freres Prêcheurs* præfixa Tom. II. Ann. Dominic. Mensis Septembris Edit. an. 1710. p. 111. & seq.

(3) Confer Lafonum ibid. ad an. 1592. pag. CLVIII.

(4) *Hist. Philipp. Provinciæ Dominic.* pag. 88.

(5) Ibid. pag. 620. seqq. & Lafonus ibid. pag. CCXXX. Is artes hostium elusit, ut qui in Formosam Insulam primus navigarit, indeque ad Sinas penetraverit: id quod illi ne suspicabantur quidem.

certiores Socios, qui in Europa degebant, feciſſet, vulgatæ 1615. anno, inſequentibuſque non Romæ (6) ſolum, ſed etiam alibi deſcriptiones fuerunt. Contra paullo indiligentiores initio fuere Dominicani. Sed poſt ubi ortæ ſunt de ritibus Sinicis contentiones, quæ pertinebant ad Cocchium, ſtudio Navaretti primum, tum opera Aduartii & Gonzaleſii conſignata ſunt literis; quorum alter eſt aggreſſus, alter abſolvit Hiſtoriam Provinciæ Philippinæ Dominicanorum.

Jam vero ut Jeſuitæ ac Dominicani, ita aliorum quoque Ordinum alumni in Sinarum regionem vel ab ſuis, probantibus Romanis Pontificibus, vel a ſacra Congregatione de Propaganda Fide miſſi contenderunt, communibuſque ſtudiis elaborarunt, ut magis magiſque Eccleſiæ ibidem novæ conderentur, & quæ fundatæ fuerant conſtabilirentur, augerique majorem in modum poſſent.

Poſt de ritibus ceremoniiſque Sinenſium inter (7) Magiſtros Chriſtianorum oriri altercationes cœperunt. Cum aliqui nihil eas continere dicerent, quod ad religionem ſpectare videretur, alii mere *civiles* eſſe negarent; confugiendum ad Sedem Apoſtolicam putarunt, ut quid eſſet tenendum, docendumque cognoſcerent. Cum Romæ de ritibus actum eſſet, & ſacra Congregatio quid facto eſſet opus dijudicaſſet, Imperator Sinenſium ab ſuis circumventus, qui jactarent Europæos, imprimiſque Societatis Jeſu alumnos id eniti ac laborare maxime, ut Luſitani totius regionis imperio potirentur, non eos modo, qui in aliis oppidis rei Chriſtianæ confirmandæ augendæque operam navarent, verum etiam Mathematicos, qui in Metropoli verſarentur, magnamque obtinuiſſent authoritatem, finibus ſuæ ditionis exterminari oportere juſſit.

Sic intercluſis noſtris ad Sinenſes commeatibus, fieri haud poſſe videbatur, ut in eas regiones Europæis, qui ritus præſertim omnes incolarum averſarentur, aditus pateret. Interea dicti Vicarii Apoſtolici tres fuerunt, qui ubi conſecrati Epiſcopi fuiſſent, Sinas peterent, circumſpicerentque ulla ne ratio iniri poſſet, qua Imperatoris in Orthodoxos Chriſtianos odium extingueretur. Novi illi Epiſcopi tres erant, Franciſcus de la Pallu Epiſcopus Heliopolitanus, Lambertus de la Motte Epiſcopus Berytenſis, & Edmundus de Colondi Metellopolitenſis. Hi cum neque mitigari Principis furorem, neque minui, omniaque jam impedita eſſe animadverſiſſent, alio ſibi eſſe concedendum judicarunt, ubi fructum aliquem itinerum, atque incommodorum ferrent. Igitur Heliopolites in Tunquinum, Berytenſis in Cochinchinam, & Metellopolites in Siamum propagandæ Religionis Chriſtianæ cauſſa contenderunt. Demum anno 1684. Heliopolitæ data facultas ad Sinas accedendi fuit; qui ſociis Maigroto, Blanco, nonnulliſque aliis uſus, haud mediocres brevi tempore progreſſus fecit. Sed cum diſſenſiones de ritibus majorem in modum augerentur, Maigrotus, qui Provinciæ Fokienſi præfectus erat, anno 1693. ſingulari decreto ſanxit, ne quis in civilibus ritus ejuſmodi numerare, eiſque uti auderet. Maigroto ceteri Vicarii Apoſtolici aſſenſi ſunt, iique Evangelii præcones, qui Edictis Pontificum, ſacrarumque Congregationum inſiſtendum arbitrabantur. Magnæ deinde tempeſtates conſequutæ ſunt, quæ Maigrotum, alioſque vel latere, vel fuga ſalutem petere perpulerunt. Interea docti piique Sacerdotes a Sacra Congregatione de Propaganda Fide in eam regionem mittebantur. Id ipſum Dominicani Philippinenſes, aliique Ordines curabant. Benedicto XIII. Pontifice Maximo, Ludovicus Maggius de itinere ad Sinas inſtituendo cogitare cœpit. De quo viro hæc ante annos paucos ſcripta Vicarii Generalis Congregationis S. Marci nomine ad Prædicatores Romanæ Provinciæ Epiſtola fuit: „ Etſi Ludovici Maggii Epiſcopi Barianenſis „ Viri Apoſtolici felix & pretioſa mors fuerit, quod „ hac ille certum, ut mihi facile perſuadeo, ac definitum locum conſequutus in cælo ſit, in quo beatus „ gloria ſempiterna fruatur; cum primum tamen acce„ pi eum fuiſſe nobis ereptum, qui diu nobiſcum vi„ xiſſet, fuiſſetque deinde labore, opera, ſuæque vitæ „ periculo utilis Chriſtianæ Reipublicæ, tuli equidem „ graviter ejus eventum, & minus exſpectato nuncio „ vehementer ſum perturbatus. Extorſit autem dolor „ mœrorem, non quod metuerem ne cum illo, cui „ expeditus ad Sanctorum Patriam aditus, optime; ſed „ quod incommodius nobiſcum actum eſſe cognoſcerem, „ qui hominem amiſiſſemus, qui ſingularem noſtræ Con„ gregationi gloriam, illuſtre Ordini decus, magnam„ que attulit Chriſtianæ Religioni utilitatem. Nam cum „ Sextini, quod oppidum in ea Romandiolæ parte eſt, „ quæ Magno Duci Etruriæ paret, antiqua & illuſtri „ eo loco familia natus, pieque educatus eſſet a Fran„ ciſco Maggio patre, atque propterea cordi ſuam, „ aliorumque ſalutem haberet, noſtrum Inſtitutum anno „ 1715. amplexus eſt, quod id unum ad ea conſilia, „ quæ animo conceperat, perficienda aptum eſſe arbi„ traretur. Jam uſque autem ab eo tempore, quo no„ bis jure ſocietatis conjunctus fuit, tanta virtute eſſe „ cœpit, ut quamvis adverſa ſæpe valetudine conflicta„ retur, ſtuderet tamen, ut nulla eorum, quæ ad nos „ pertinent, officiorum ab ſe ſe fieret intermiſſio. Qua„ re ne corporis quidem ægritudo obſtabat, quo minus „ parce ac duriter vitam ageret. Cum enim incredi„ bili Chriſtianæ Religionis propagandæ deſiderio arde„ ret, idque perſpiceret, obtineri ab eo non poſſe, cui „ commodum, lautum, & quietum vitæ genus place„ ret, nihil ſibi ſolatii concedendum putabat eſſe, ut „ quid ſuæ vires valerent experiretur. Benedicto XIII. „ P. M. an. circiter 1726. Romam venit, cumque in „ Cœnobio SS. Roſarii, quod eſt in Mario Monte, „ ageret, ſummis precibus ab optimo Pontifice, qui eo „ ſe quandoque animi cauſſa conferebat, petiit, ut ſibi „ ad Sinenſes Evangelium prædicatum contendere lice„ ret. Juſſus, ut bono animo eſſet, utque aliquan„ diu expectaret, quoad S. Congregatio ejus uti opera conſtituiſſet, dedidit ſe ſe majore ſtudio exercita„ tioni virtutis, & pietatis, ut jejunio, vigiliis, pedi„ buſque actis itineribus ad tantum opus ſe compararet, „ ne temere, dum tempus fuiſſet, ei ſe ſubjiceret one„ ri, cui ferendo impar eſſe videretur. Interea acci„ dit, ut qui tunc erat Congregationis noſtræ Genera„ lis Vicarius ad oppidum S. Miniatis, quod Floren„ tia vigintiquinque millia paſſuum diſtat, Novitios „ vellet mittere. Is quoniam ab recta adoleſcentium „ inſtitutione diſciplinam monaſticam pendere intelligebat, „ cognoſcebatque nullum Maggio reperiri Magiſtrum „ meliorem poſſe, ad hunc ſcripſit, ut ad Miniatenſe „ Cœnobium abire ne cunctaretur. Maggius nihil hæ„ ſitans paruit. Triennio fere illud munus obierat, „ cum acceptæ ab Ordinis Magiſtro anno 1730. „ nomine ſacræ Congregationis de Propaganda lit„ teræ fuerunt, quibus Maggio ad Sinenſes proficiſcen„ di facultas concedebatur. Id ubi enunciatum eſt, „ quam potuit cito paravit ſe Maggius, atque in Gal„ lias ad Ludovici Portum contendit. Inde nactus na„ vem, atque opportunum ad navigandum tempus, eo„ dem anno V. Decembris ſolvit, & pridie idus ſextiles „ an. 1731. Cantonum pervenit. Mirabile viſum eſt, „ quod cum ille, quamdiu verſatus in Europa eſt, con„ tinenter fere male ſe haberet, tum in itinere tam „ longo, totque adverſis rebus, quæ contigerunt, ne „ dolore quidem capitis laborarit. Ut Cantonum per„ venit, decreta illi Succuamenſis Provincia eſt, quo „ Epiſcopo Molinerio auxilio eſſe poſſet. Februario „ menſe ann. 1732. Cantono diſceſſit, Petri Eju Si„ nenſis Chriſtiani coquum agens, ut habitu adeo ab„ jecto ſuſpicari Ethnici nequirent, ipſum eſſe ex Eu„ ropa, vitaretque hoc pacto ſupplicium. Poſt men„ ſes duos Epiſcopum in Hu-Kuango Provincia repe„ rit, juſſuſque fuit, ut Kin-ceu-fu, quæ urbs eſt Suc„ cuamenſis Provinciæ, proficiſceretur. Ubi eo per„ venit, in Sacello, quod a Molinerio ex canna & pa„ lea conſtructum fuerat, quin ei prodire in conſpectum „ hominum liceret, conſtitit menſes tres, ut linguam „ Sinenſem diſceret. Cum vero tantum in eo ſermo„ ne facultatis conſequutus fuiſſet, quantum ſatis erat, „ ut incolarum *Confeſſiones* exciperet, dedit operam ut „ talis eſſet, qualem ſacra Congregatio futurum cogno„ verat. Ergo quo primum die prædicare cœpit, Si„ nenſes plus triginta Baptiſmi ſacramento initiavit. „ Eodem fere tempore nunciatum Maggio eſt, Moli„ nerium gravi morbo eſſe correptum. Itaque in Hu„ Kuangum magnis itineribus venit, qua in Provincia „ nullum remiſit tempus. Nam in adminiſtrandis my„ ſteriis Baptiſmi & Pœnitentiæ, atque in habendis „ catechiſmis noctes integras inſumebat. Convaluit „ interea Molinerius, atque inde abiit Succuamenſem „ Provinciam viſitatum, relicto Maggio in Hu-Kuan„ go, qui interdiu quidem iter per loca prærupta, val„ leſque abditas ad triginta plerumque, interdum au„ tem ad quadraginta millia paſſuum pedeſter produce„ re,

(6) Vide Joannem Adamum Schall S. J. *Hiſtor. Narrat. de initio & progreſſu Miſſionis Soc. J. & de ortu ac progreſſu fidei Chriſtianæ in Regno Chinenſi, Viennæ in Auſtria an. 1665.*

(7) Conſule Diſſert. IV. quæ hanc ſubſequitur, de *Ritibus Sinicis* &c.

„ re, quamquam illi pedes ac tibiæ intumeſcerent, & „ fame atque ſiti laboraret, quod divertere ad Ethnicos nollet ne cognoſceretur: noctu vero baptizare, „ erudire imperitos, primaque luce rem divinam facere „ ſolebat. Non eſt otium innumerabilia pericula, perſecutiones, labores, incommoda, quibus ſex annorum „ intervallo ſubactus fuit, commemorare. Horum omnium cum ſacra Congregatio Cardinalium certior „ eſſet facta, dignum eſſe Maggium cenſuit, quem Epiſcopum deligeret, ut Molinerio vivo adjutor, eique deinde mortuo ſucceſſor eſſet. Anno 1738. menſe Octobri ſcriptæ ad eum & a ſacra Congregatione, & Magiſtro Ordinis literæ fuerunt, quibus ea „ quidem jubebat, hic vero adhortabatur hominem, ut „ ſeſe Epiſcopum conſecrari ſineret. Incredibile dictu „ eſt, quam ille acerbe graviterque tulerit, ubi tantum onus ſibi fuiſſe impoſitum cognovit. Morem tamen, ut par erat, geſſit, annoque 1740. creatus eſt „ Epiſcopus Barianenſium. Igitur, cum ſe ad ampliſſimam dignitatem perductum vidiſſet, collegit continuo ſeſe, ſtatuitque non eſſe ſibi minuendum laborem, ſed augendum. Quamobrem non vigiliis, non „ periculis, non ærumnis, non fame, non ſiti, non naufragiis, a quibus ſæpe fuit, ut pie licet credere, divinitus liberatus, impediri potuit, quo minus quotidie Ethnicos ad veritatis cognitionem traducere enite„ retur. Multis hominum millibus a ſuperſtitione ad „ Chriſtianam religionem converſis, functus vir optimus „ tot laboribus, quot ne numerare quidem poſſum, „ quadrageſimo quinto ætatis anno, qui æræ Chriſtianæ 1744. fuit, quaſi præſagiret impendere ſibi ſupremum diem, vocavit ad ſe Vicarium Apoſtolicum præfectum Jun-Anenſi Provinciæ, multiſque verbis cum eo habitis de ſua Eccleſia, de populis qui „ ſibi commiſſi fuerant, deque dilatandis finibus Orthodoxæ Reipublicæ Chriſtianorum, eundem tandem ut „ ne ſe deſereret, obſecravit. Sed Jun-Anenſis reverti in ſuam Provinciam ſtatuit. Reſtitit Maggius, „ opuſque ſe tunc maxime illius opera habere dixit. „ Interea cum infirma valetudine eſſet, *Confeſſiones* audiebat novorum Chriſtianorum. Sed cum vehementer ſtomacho laboraret, intellexit proximam ſibi eſſe „ mortem. Quare neglectis potionibus, reliquiſque „ medicamentis, quæ offerri ſibi videbat, veniſſe jam „ tempus illud dixit, quo corpore laxatus, in cælum „ migraturus eſſet. Corpore Chriſti Servatoris refectus, ſacriſque extremæ Unctionis initiatus XIII. Kal. „ Septembres an. 1744. prima luce tam placide expiravit, ut ne hi quidem, qui prope aderant, deceſſiſſe „ illum animadverterint. Flere continuo qui adſtabant, „ queri lamentarique cœperunt, quod Magiſtrum, Pa„ ſtorem, atque parentem ſibi ereptum eſſe viderent „ &c. “.

Fuit id denique Maggio conceſſum, ut antequam e vita decederet, controverſiæ de Ritibus a Benedicto XIV. P. M. finem impoſitum videret. Itaque ut ante confirmare in fide ſuos, hortarique eos ut Conſtitutioni *Ex illa die*, quam Clemens XI. vulgarat, obtemperarent, etiam atque etiam ſolebat, quin ullum inveniret Sinenſem Chriſtianorum qui admodum repugnaret; ita morti proximus, eiſdem præcepit, ut quæ tantus Pontifex ſuperſtitionis damnaſſet, nunquam uſurpare auderent, niſi venire in extremum perpetuumque cruciatum vellent.

Anno 1746. Ethnici Sinenſes, cum in Fokiena Provincia Dominicanos verſari intellexiſſent, idque agere ſedulo, ut incolæ noſtris ſacris imbuerentur, ad Præfectum retulerunt, quem eſſe cognorant hoſtem acerrimum Chriſtianorum. Is iratus, atque ægre ferens, omnes, quotquot reperiri poſſent, Chriſtianos comprehendi, cogique juſſit, ut Chriſtum deteſtarentur. Quæri præterea Dominicanos, atque ubi inventi eſſent, ad ſe adduci imperavit. Petrus Martyr Sanſius, de quo alio loco diximus, Epiſcopus Mauricaſtrenſis, dignitate inter Prædicatores eminebat; idque jam laborabat, ut ne fide, virtute, fortitudineque minor eſſe ceteris videretur. Itaque adeſſe quibus poterat, ſpirituſque addere conabatur. Sed quum quæri ſe ſocioſque ad necem accepiſſet, abdere ſe ſe in aliquem locum conſtituit, ne quid temere aggreſſus eſſe exiſtimaretur. At quod latere diu hoſtes nequiviſſet, ipſe ſociique deinceps capti, ludibrioque habiti, raptique ad Præfectum, atque alapis cæſi fuerunt. Interim Sinenſes Chriſtiani multis magniſque injuriis afficiebantur. Viri, mulieres, pueri, puellæque in jus vocatæ magno numero, ſumma fortitudine Ethnicorum vim ſuſtinebant. Nam haud ita multi abduci a cultu religionis veræ potuerunt, perterriti gravitate ſuppliciorum. Lata ab judice ſententia eſt, ut quæ virginitatem Chriſto voverant, hæ omnes nubere cogerentur; ſed fruſtra. Mori enim ſe male reſponderunt, quam fidem Chriſto ſervatori fallere. In his puella tredecim annorum erat. Hanc cum Carnifex excruciaret, atque alacrem tormenta perferre cerneret, contumelia eſt inſectatus; tum eam alloquens, an ignoras, inquit, eripi a me tibi vitam poſſe? Illa collum inclinans, en, inquit, facito quod minare. Nullam enim rem mihi efficere unquam poteritis gratiorem. Paucis poſt menſibus Epiſcopus, qui conjectus in carcerem fuerat, capite plexus eſt, de qua re Benedictus XIV. P. M. graviſſimam habuit ad Senatum S. R. E. Cardinalium (8) orationem. Serranus deinde, qui Epiſcopus dictus poſt Sanſium eſt, Alcoberus, Diazius, & Ro-

(8) *Allocutio SS. D. N. Benedicti PP. XIV. habita in Conſiſtorio ſecreto die 16. Septemb. 1748. de pretioſa morte Petri Martyris ex Ord. Præd. Epiſcopi Mauricaſtrenſis, Vicarii Apoſtolici Provinciæ Fokienſis in Regno Sinenſi.*

VENERABILES FRATRES.

Conſentaneum magnopere arbitramur, ſi ex hoc loco vobis exponamus ea, quibus ſancta Catholica Religio magna cum laude prædicatur. Itaque notum facimus vobis accepiſſe ex litteris, quæ nuper ex Sinenſi regno ad Nos pervenerunt, Epiſcopum Mauricaſtrenſem Vicarium Apoſtolicum Provinciæ Fokien, Petrum Martyrem nuncupatum, ex Ord. Prædicatorum, pro fidei Chriſtianæ defenſione vitam amiſiſſe: qui propterea, ſi veteri Eccleſiæ vocabulo uti velimus, Martyr conſummatus *appellari poteſt. Significatum eſt iiſdem litteris, alium ejuſdem Ordinis virum Religioſum, & ejuſdem Epiſcopi coadjutorem deſignatum, una cum tribus aliis ex ipſa eadem Familia S. Dominici incluſum carceribus detineri, inuſtaſque fronti ſingulorum Sinenſes notas, quibus rei mortis indicantur: qui ſane omnes pro vetuſta Eccleſiæ loquendi ratione* Martyres deſignati *vocari poſſunt.* Ubi Epiſtolam in manus ſumpſi, eamque legi ſæpius, ac redundantem in ea gratiam ſpiritus perſpexi; mihi videbar priſcis temporibus verſari, cum florerent Eccleſiæ Dei. *His verbis ſcripſit S. Baſilius Epiſt. 164. Edit. Pariſ. ad Aſcolium Epiſcopum Theſſalonicenſem, qui martyrium recenſuerat, quod plures Chriſtiani a barbaris ultra Danubium degentibus conſtanti animo pertulerant; & rei quam expoſituri ſumus libenter accommodamus. Porro res ita ſe habuit. Cum graviſſima in Provincia Fokien contra Chriſtianos tempeſtas excitata fuiſſet, ob quam territi percuſſique plurimi a Catholica fide miſere deſciverunt, Mauricaſtrenſis Epiſcopus, qui Vicarii Apoſtolici munere illic fungebatur, latendum ſibi eſſe cenſuit in privatis ædibus, & a violento illo turbine pauliſper declinandum. Sed imminentem ſibi ruinam pertimeſcente hoſpitii Domino cum Epiſcopum diutius tueri latebris domus ſuæ recuſaret, vix ipſe in lucem prodiit, captus fuit, & in carcerem detruſus, ex quo tamen Chriſtianam fidem verbis & exemplo, quoad potuit, prædicabat. Quinimo ante Judicem conſtitutus, ipſi libera voce denunciavit futurum aliud in fine mundi judicium, ubi vitæ ante actæ rationes exigantur, & pro meritorum conditione præmia, vel ſupplicia decernantur æterna. Quamobrem conviciis & injuriis primum oneratus, deinde toto vultu ob iteratos colaphos contuſo ac liventi, tandem capitis reus iniqui judicis ſententia declaratur. Illam Epiſcopus æquo animo libenter excepit, & Sacramentis expiari magno ſtudio poſtulavit. At, licet quidam Sacerdos, qui ſumma fide & amore Epiſcopum ſuum proſequebatur, nihil intentatum reliquerit, ut Euchariſtiæ Sacramentum ad ipſum deferret, vani tamen illius conatus irritique ceſſerunt. Poſtremo, cum dies illuxiſſet, qua capite plecti debebat Epiſcopus, carcere eductus, & magna ſatellitum turba ſtipatus, ad ſupplicii locum proceſſit, quem Gentilium multitudo, & non exiguus Chriſtianorum numerus ſequebantur. Collo ſuſpenſam gerebat tabellam, cui mortis cauſſa ſcripta erat, videlicet quod manu carnificis caput illi obtruncandum eſſet, ut hujuſmodi ſupplicio reliquis exemplo eſſet, eo quod ſuis mendaciis, uti ferebatur, plurimos decepiſſet. Incredibile eſt quam eximiam virtutem animique magnitudinem præ ſe ferret, cum ad mortem ſubeundam duceretur. Curis omnibus abjectis, aſſiduas in itinere preces Deo fundebat, & quo poterat maximo ſtudio ſe ipſum commendabat. Cum perveniſſet in locum ſupplicii, juſſus a carnifice, ut in genua provolveretur dicto paruit; & ſolum ab illo tantum temporis ſpatium exoravit, donec cœptas jam preces abſolveret. Quibus peractis, carnificem ipſemet admonuit, ut rem ſuam perficeret, qui vibrato gladio caput ab humeris ipſi præcidit. Gentiles ipſi virtutem tam ſingularem admirati ſunt, cruentoque ſpectaculo ſe commotos ac perculſos magnopere oſtenderunt; Chriſtiani vero mortem Paſtoris ſui lacrymis ac mœrore proſecuti ſunt; ita tamen ut animum non deſponderint, ſed corpus decenter efferentes, eo quidem loco prius condiderint, quo rei homines ſepeliri conſueverunt; ſed paulo poſt in cœmeterium fidelium idem corpus deferentes, ſuæque dignitatis inſignibus exornantes, decenti loco illud poſuerunt. Cum id fieret, Chriſtiani pietate ac religione ducti, particulas aliquas, præſertim veſtium, quæ ſanguine aſperſæ fuerant, ſibi comparantes, in varias etiam partes miſerunt, eo fortaſſe conſilio ac voluntate, ut publicæ venerationi exponantur.*

Cum

& Royus (nam hi quatuor erant ex Ordine Prædicatorum ſocii Epiſcopi Sanſii) extremo ſunt affecti ſupplicio, martyreſque, ut quidem credere par eſt, obierunt. (9) Atque ita ſane ut primi Sinarum martyres, ita poſtremi, omnes, quod quidem conſtat, Dominicani fuerunt; quibus quemadmodum vivis non in una Provincia Fokienſi modo, ſed in aliis etiam vexati Chriſtiani ſunt, ita cauſſa religionis ab Ethnicis ſublatis, ſperamus fore ut Eccleſiæ augeantur: cum experiundo conſtiterit, ſanguinem Martyrum ſemen eſſe verorum Chriſtianorum. Sed innumerabilia pene ſunt, quæ Dominicani, Franciſcani, aliique a S. Congregatione de Propaganda fide in Sinenſem regionem miſſi, præclare pro religione tuenda, atque confirmanda geſſerunt, quæque brevitas operis impedit quominus a nobis copioſe recenſeri, atque explicari poſſint (10).

CAPUT III.

De ortu & progreſſu Chriſtianæ Religionis in imperio Magni Mogolis, Bengala, Malabaria, Tonquino Cocinchina, Siamo, & in Inſulis adjacentibus.

QUI Magni Mogolis Imperio parent, ſunt ab occaſu Perſis, & Tartaris qua ſpectant ad Septemtriones finitimi. Fuiſſe autem eorum aliquos olim, qui Chriſtianam religionem profiterentur, negari nullo modo poteſt. Nunc maximam partem ita ſunt Muhamedanæ ſectæ addicti, ut Idololatriæ etiam ſuperſtitione implicari ferantur. Mogoles Reges a Tamerlane Tartarorum rege originem ducunt (1). Sunt autem in ea regione Evangelii præcones, qui Chriſtianæ religioni propagandæ operam navant (2). In Bengalenſe Regnum, quod ad Gangis oſtia ſitum eſt, ab Luſitanis eſt invecta Chriſtiana religio, (3), atque ita dein-

---

Cum hujuſmodi martyrii fama longe lateque pervagaretur, Pekini Epiſcopus pro gratiarum actione Canticum Te Deum *univerſis ſuæ ditionis Eccleſiis edixit. Eadem celebritas peracta fuit ab Epiſcopo Amacaumenſi, cui Epiſcopus Ecrinenſis Vicarius Apoſtolicus Tunnamenſis, Gubernator Luſitanus cum Senatu & multa Regularium frequentia præſentes interfuerunt. Inſuper tota Civitas triduo ſub veſperam funalibus accenſis, hilaritatem ſuam teſtata eſt. Si hæc ita ſe habeant, quemadmodum litteris ſuis commendavit Sacerdos ſæcularis, vir probus atque honeſtus, qui non ſolum omnia, quæ ſuperius commemoravimus, accurate ac diligenter deſcripſit; ſed plura ipſe oculis ſuis perſpexit; qui etiam, ut jam dictum eſt, captivum Epiſcopum & morti proximum Euchariſtia recreare conatus eſt; ſi, inquam, res ita ſe habeant, prout novis, aliiſque recenter acceptis monumentis confirmantur, martyrium & cauſa martyrii cum tempus poſtulaverit, facili negotio oſtendentur. Nam facile conſtabit Tyrannum adductum fuiſſe odio in Catholicam religionem ut Epiſcopum reum mortis pronunciaret: argumento eſt tabella, quæ pendebat ipſius collo, & mortis cauſam inſcriptam præferebat; argumento eſt ſententia mortis a Tyranno prolata, in qua Epiſcopus obtruncandus carnifici traditur, eo quod hominum multitudinem perverſæ religione ſeduxerit; argumento pariter erant infelices illi, qui a fide Catholica deficientes, ab omni diſcrimine immunes evaſerunt. Poſtremo accedit, quod furente tempeſtate illa perſecutionis, & alias quoque Provincias pervadente, nempe Xenſenſem, Xanſenſem, quæ Portimenſi Epiſcopo Vicario Apoſtolico ſubjiciuntur, illud compertum & exploratum Nobis eſt, ſacras Chriſtianorum ædes in illis locis dirutas, & ſolo æquatas fuiſſe, itaut ipſe Epiſcopus, ſi fieri poſſit, Amacaum confugere cogitaverit.* Et paulo poſt: *Vulgata*, inquit, *& communis opinio omnium huic Mauricaſtrenſi Epiſcopo primi Martyris Sinenſis gloriam impertitur. Nos tamen certis argumentis adducimur, ut contrarium omnino ſentiamus. Etenim exploratum habemus, duas alias martyrii cauſas apud Sinenſes peractas ad Congregationem de Propaganda Fide ſuperiori tempore fuiſſe delatas, quarum prima quatuor Presbyteros complectitur, qui pro fide Chriſti ſupremum diem obierant; altera vero cauſa confecta eſt pro Sacerdote Franciſco de Capillas, qui Catholicam Religionem ſanguine ſuo confirmarat. Cauſæ vero hujuſmodi juſſu Urbani VIII. prædeceſſoris Noſtri traditæ fuerunt Congregationi ſacrorum Rituum cujus etiam Decreta Nos ipſi perſpeximus, ad cauſam martyrii Franciſci de Capillas inſtituendam confecta. Alia quoque Decreta non ignoramus, quæ pro cauſſa eadem proſequenda edita fuerunt, cum Clemens IX. prædeceſſor Noſter ſummum Pontificatum adminiſtraret. Hæc veritatis amore dicta ſint, non vero ut nomen & gloriam &c. aut Ordinis S. Dominici laudes imminuantur; cum præſertim Venerabilis Dei famulus Franciſcus de Capillas & alii quatuor Sacerdotes, quos paulo ante recenſuimus, ex eadem S. Dominici Familia prodierint &c.* Igitur qui hactenus perfuncti martyrio in Sinenſi regione ſunt, hi omnes, tanto Pontifice teſte, fuerunt Dominicani.

(9) De horum martyrio alteram Allocutionem habuit Benedictus XIV. in Conſiſtorio ſecreto die XXIV. Januarii MDCCLII.

(10) Non abs re fuerit Hiſtoricos ſcriptoreſque numerare, qui res Sinenſes perſequuti ſunt. Sic tamen, ut eorum mentionem faciam ſolum, quorum commentarios legere potui. Kirkerus, Coupletus, Renaudotius, Polidorius &c. quos ſupra memoravi, locis indicatis. Aduartus, & Gonzaleſius in *Hiſt. Provinc. Philipp. Inſul. Chin. Japoniæ &c.* quam ſupra cum de Inſulis Japonicis ageremus, laudavimus. Lafonus loc. cit. Societatis Jeſu Scriptores qui hæc ediderunt: *Avviſi particolari delle Indie di Portogallo nuovamente avuti queſt' anno del 1555. dalli RR. PP. della Compagnia di Gesù, dove ſi dà informazione delle gran coſe, che ſi fanno per aumento della fede, colla deſcrizione e coſtumi delle Genti del Regno della China, e gli altri Paeſi incogniti nuovamente trovati, Roma an. 1556. Avviſi del Giappone degli anni 1582. 83. 84. con alcuni altri della China dell' 83. 84. cavati dalle Lettere della Compagnia di Gesù, Roma an. 1586. Litteræ Societatis Jeſu e Regno Sinarum annorum 1610. & 11. ad R. P. Claudium Aquavivam ejuſdem Societatis Præpoſit. general. Auctore P. Nicolao Trigaultio ejuſdem Societatis, Auguſtæ Vindelicorum an. 1615. eædem Epiſtolæ italice, Romæ an. 1615. Relazione delle coſe più notabili ſcritte negli anni 1619. 20. 21. dalla China al M. R. in Criſto P. Muzio Vitelleſchi, Rom. an. 1624. Lettere annue del Tibet del 1626., e della China del 1624. ſcritte al P. Muzio Vitelleſchi, Romæ an. 1628.* Joannes Adamus Schallus *Hiſt. narrat. de initio & progreſſu Miſſionis S. J. & de progreſſu fidei Chriſtianæ in Regno Chinenſi, Viennæ Auſtriæ an. 1665. Breve compendioſa Relazione de' viaggi di tre Veſcovi Franceſi, che dalla S. mem. di Aleſſandro VII. furono mandati Vicarj Apoſtolici ai Regni della China, Cocincina, e Tonchino ec., Roma 1669.* Proſper Intorcetta S. J. *Compendioſa narrazione dello ſtato della Miſſione Cineſe, cominciando dall' anno 1581. ſino al 1669. offerta in Roma agli Eminentiſſimi Signori Cardinali della Sac. Congregazione de Propaganda Fide &c. Romæ ann. 1672. Auctor Athlantis hiſtorici Gallice tom. V.* Fr. Gonzaleſius Ord. Præd. *Relat. de la nouvelle perſecut. de la Chine.* Scriptores S. J. *des Lettres édifiantes* tom. VIII. ubi de perſecutione ann. 1694. *a Ram-Guam Iren* in Chriſtianos excitata; Daniel Papebrochius *in Paralip. ad conatum in Catalogos Pontific. tom. ultimo Maji pag.* 131. Scriptores, qui in controverſia de Sinenſibus Ritibus præcipuas partes egerunt, recenſiti ſunt in calce Diſſertationis de iiſdem Ritibus.

(1) Conſer Catroum Hiſt. General. *de l' Empire du Mogol Tom. I. Pariſ.* an. 1715. Franciſcum Bernierum *Hiſtoire des Etats du grand Mogol Tom. I. Edit. an. 1670.*

(2) Cerrius de magnorum Mogolum Imperio, quos Tamerlano eſſe prognatos conſtat, l. c. agens: *Quanto alla Religione*, inquit, *ſono Maomettani, ſeguendo la Eſpoſizione dell' Alcorano fatta da Aly, portando anche gran venerazione al Sole. Arabeì, che fu Imperatore nel fine del ſecolo paſſato, parve che aveſſe qualche lume della fede Cattolica, facendo gran ſtima delle ſacre Imagini, e de' noſtri Sacerdoti, che ne mandò a prendere uno ſino a Bengala, perchè lo iſtruiſſe; ma non bene intendendo i Miſterj della noſtra Fede, e non volendo laſciare la moltiplicità delle ſue concubine, non potè eſſere convertito. Succeſſe poi il figlio chiamato Corombo, che mentre era ribelle del Padre eſſendo ſtato ſoggiogato coll' avviſo de' Portogheſi, quali avendo anco rifiutato prima di collegarſi ſeco, giurò pubblicamente al ſuo falſo Profeta, che ſe mai aveſſe regnato, avrebbe perſeguitato tutti i Criſtiani, come ſucceſſe colla diſtruzione d' una Città de' Portogheſi. Nondimeno perchè nel tempo del Padre vi furono fatte molte converſioni, vi era nel 1640. qualche ſperanza di migliorare le condizioni della noſtra S. Fede; onde fu ſcritto per inviarvi Miſſionarj, ma fuori che nel Regno di Golgonda, ch' è tributario del gran Mogol, benchè ricchiſſimo per le miniere di diamanti, dove ſolevano ſtare i Teatini, ſcorrendo quelle Città, non ve n' è altra. E anche queſta Miſſione de' Teatini adeſſo è aſſai ſminuita, ſtando tutti nell' Oſpizio di Lisbona, avendoſi relazione che un ſolo ve ne ſia reſtato. I Carmelitani ſcalzi poi ſtanno però in Tatta Città molto grande e popolata del Regno del Sindi, avendovi Chieſa con qualche quantità di fedeli, ſebbene dopo eſſerne ſtati ſcacciati i Portogheſi ſono aſſai diminuiti. Nel Regno di Decari ſoggetto in gran parte al gran Mogol ſta Suratte Città marittima ſituata nel mar di Cambaja, e porto celebre dove concorre ogni ſorta di Nazione pel traffico. Qui hanno reſidenza i Cappuccini Franceſi, che ſono di gran ſollievo a Miſſionarj ne' loro paſſaggi alle Indie, e ritorni in Europa. Permette in ſomma il gran Mogol ne' ſuoi vaſtiſſimi Regni la libertà di coſcienza, e non impediſce a ſuoi popoli l' abbracciare la Fede di Criſto, il che dovrebbe invitare la S. Sede a provederla d' Operaj, e mandarvi anche un Veſcovo per dilatarvi la Religione Cattolica, non baſtando il ſolo Veſcovo di Hierapoli, al cui Vicariato Apoſtolico fu ſottomeſſo il vaſto Impero.* Vide Catrou l. c. pag. 123. & ſeqq. Sed Mogolitæ poſteaquam ante annos paucos ſubacti a Culichamo Perſarum Rege, factique ei ſtipendiarii fuerunt, æquiore ne, an iniquiore in noſtros ſint animo, mihi certe non conſtat.

(3) Cerrius ibid. *Il Regno di Bengala paeſe vaſtiſſimo .... pochi anni ſono fu tolto in gran parte dal Gran Mogol al Re*

deinceps Dominicanorum, Auguſtinianorum, Jeſuitarumque laboribus propagata, ut ſuperiore ſeculo permulti in eo Chriſtiani numerarentur (4).

Apud Malabaros ſunt, fueruntque olim Chriſtiani, qui majores ſuos ab Apoſtolo Thoma fuiſſe ad Chriſtiana ſacra perductos (5) arbitrarentur, atque id quidem non paucis noſtrorum hominum perſuaſerunt, qui ſeculis ſuperioribus in eam ſe regionem (6) nunciandi Evangelii cauſa contulerunt. Veruntamen cum eſſent aliqui ita comparati, ut niſi illuſtribus monumentis ſultam, nullam rem ab hiſtorico pro certa ſumi oportere dicerent; hi ſane exiſtimaverunt cohibendam eſſe aſſenſionem. Contra alii ne veriſimile quidem eſſe judicarunt, quod leviſſimis ſolum conjecturis nixum videretur (7). Poſtremo non defuerunt, qui ſtatuendum putarunt Thomam, quo inſtitutore Malabari gloriabantur, non Apoſtolum illum Chriſti, ſed Manetis quemdam Diſcipulum fuiſſe, qui incautos, atque imperitos rerum improba oratione ad impiæ ſectæ cultum pertraxerit (8). Sexto, ſeptimove ſeculo, quod Neſtoriani, qui in Europa, atque Aſia Chriſtiana multa incommoda accepiſſent, mittendos quocumque tandem poſſent viros cenſuerunt, qui id laborarent, idque eniterentur, ut ſuorum numerum augerent. Horum deinde aliqui in Malabariam pervenerunt (9), multiſque ad Chriſtianam Religionem, ita ut eorum hæreſis flagitabat, perductis, Eccleſias conſtituerunt, quibus libros rituales in cœtu legendos tradiderunt, quos adhibere in Synaxi Neſtoriani ceteri conſueſſent. Sextodecimo ſeculo ineunte Luſitani in eam regionem inſtituendi commercii cauſa venerunt; cumque Malabaros partim Neſtorianos, partim Idololatras eſſe animadvertiſſent, de iis docendis, Romanæque Sedi conciliandis cogitarunt. Vincentius Gouvea Franciſcanus, qui incredibili dilatandorum Eccleſiæ finium deſiderio flagrabat, eo migravit, atque initium a Neſtorianis inſtituendis cepit. Fuerat is Joannis Albuquerquii primi Goenſium Epiſcopi perinde Franciſcani ſocius itineris, atque laborum. Cranganorum ut venit, atque docendo aliquos progreſſus facere potuit, Templum more Europæorum extrui curavit. Nam quæ habent Neſtoriani, ſimilia ſunt Pagodum Brachmanicarum. Sed quoniam hæreticorum permultos pertinacia deſiſtere nolle videbat, ad Luſitanum Pro-Regem Indiarum litteras ſcripſit, quibus eum majorem in modum obteſtabatur, ut eodem in oppido Collegium adoleſcentulorum conſtitui juberet. Hoc enim pacto adduci magnum eorum numerum poſſe putabat, ut abjecto errore, veram Chriſti doctrinam amplecterentur. Malabaros quippe, qui juvenes ex ſe natos, dum per ætatem licuiſſet, ordinatos eſſe presbyteros cognoſſent, permoveri facile poſſe, ut iis decretis aſſentirentur, quæ tametſi ante ab Europæis explicata neglexerant, doceri poſt nihilominus a filiis ſuis perſpicerent. At incolarum non pauci, ubi ſuos ad Latinorum partes transfugiſſe, Sacerdotioque fungi intellexerunt, non ſolum non audiendos, ſed etiam a cœtibus arcendos judicarunt, ne cives, imprimiſque propinquos, a patriis erroribus, ac ſuperſtitione deterrerent. Id ubi enunciatum eſt, Jeſuitæ aliam eſſe ineundam rationem cenſuerunt, qua Neſtorianos Malabaros Apoſtolicæ Sedi obligarent. Itaque muniti privilegiis Regis Luſitanorum, viros in eam Aſiæ regionem Syriace peritos miſerunt, qui linguam adoleſcentulos docerent, quæ magno uſui incolis eſſet, qui graviter de ſuis presbyteris propterea quod eam (10) minime callerent conquerebantur. Igitur *Vaipicotæ*, quo in oppido pauci agebant Neſtorianorum, Pro-Regis Luſitanici ope, Regiſque Cochinenſis voluntate, Collegio facto, quum docere incolas cœpiſſent, ita eos ſibi devinxerunt, ut eos non jam Latinos, qualis erat Vincentius, ſed populares ſuos eſſe prædicarent, frequenteſque ad ipſos concurrerent, ut ſermonem addiſcerent, quo in divinis officiis uterentur. Sed cognito deinceps quamobrem veniſſent, audientibus Jeſuitis cœperunt in ædibus Collegii Neſtorianiſmum tueri, adverſari noſtris, omnia denique agere, quibus eos obfirmatos in errore manere intelligeretur. Mar-Joſephus tunc erat miſſus ab Ebed-Jeſu Patriarcha Muſulis in Malabariam Antiſtes Neſtorianorum. Hunc Pro-Rex, aliique Europæi, ſi Romam ad Pontificem iviſſet, & ſchiſma deteſtatus eſſet, cenſuerunt, ubi revertiſſet, rem Catholicam curaturum. At quo tempore is in Luſitaniam navigabat, Neſtoriani, qui ægre ferebant Epiſcopi caſum, litteras ad Patriarcham dederunt, quibus orabant ut quem vellet, ad ipſos præſulem mittere ne cunctaretur. Patriarcha, qui tolli ſibi ab Latinis eam Eccleſiam nolebat, continuo morem Malabaris gerendum exiſtimavit. Itaque Mar-Abrahamo cuidam, quem Epiſcopum conſecrarat, juſſit, ut magnis itineribus in eam regionem contenderet, daretque operam, ne incolæ Latinorum oratione a Neſtorianiſmo abducerentur. Jam is clam venerat, cœtuſque cogere cœperat, atque omnium animos ſibi devinxerat, cum Mar-Joſephus deceptis ſimulatione virtutis, ac religionis Principibus Luſitanis, facultatem redeundi, quin Romam proficiſceretur obtinuit, atque in Malabariam revertit. Qua re cognita, Neſtoriani diviſi in factiones fuerunt, ita ut multi quidem Joſephi, alii Abrahami partes ſequerentur, ſeſeque invicem contumeliis proſcinderent, & ſchiſmatis accuſare non verentur. Quamobrem Abrahamus navim conſcendere, ut Romam navigaret, coactus eſt. Sed nactus opportunitatem ad Muſulis Patriarcham Mar-Simeonem profugit. Inde quod minus fortaſſe æquo uſus Patriarcha fuiſſet, Romam venit, & propoſita fidei profeſſione, quam aliqui captioſam fuiſſe ferunt, cooptatus eſt in Ordinem Præſulum Catholicorum. Scriptæ deinde a Pio V. Pontifice Maximo litteræ an. 1567. ad Archiepiſcopum Goenſem fuerunt, quibus ei Pontifex in mandatis, ut in Mar-Joſephi doctrinam inquireret, dabat, præcipiebatque, ut ſi hæreticum eſſe deprehendiſſet, Romam hominem transferri curaret. Archiepiſcopus dicto audiens Mar-Joſepho Cochinum abire, atque in Europam navigare juſſit. In Urbem ductus, cum ibi aliquandiu conſtitiſſet, ſupremum obiit diem. Paullo poſt Mar-Abrahamus in Malabariam pervenit. Luſitani, qui

---

al Re di Aracaro. Ivi ſtanno da 22000. Criſtiani diviſi in undici Parrocchie, che hanno tutte il loro Vicario, e Parroco in tante Città differenti aſſai lontane fra loro. Vi fu portata la Fede da' Portogheſi, comprando quantità di ſchiavi, che facevano iſtruire, e battezzare coi loro figliuoli, eſſendo per altro aſſai difficile di trovare adulti, che ſiano tirati alla noſtra S. Fede.

(4) Conſule Lafonum loc. cit. Et Hiſt. Provinc. Philipp. Dominic. Tom. I. Quod attinet ad Auguſtinianos & Jeſuitas, Cerrius ibidem inquit: *Sta queſto Regno nella Dioceſi del Veſcovo di Meliapur .... e i PP. Agoſtiniani della Provincia di Goa ſono ivi Curati di quelle Chieſe, mandativi ogni tre anni dal Capitolo Provinciale, avendo un Convento in Ugheli, dove vanno prima ad apprendere la lingua del paeſe, e in queſta Città hanno Caſa anche i Geſuiti. Sono però in queſto Regno, come in quello di Aracaro, e Pegù, amminiſtrati pure da' PP. Agoſtiniani, infiniti diſordini.* Vide Juvencium Hiſt. S. J. Lib. XVIII. part. V. edit. 1710.

(5) Cerrius ibid. Vide Veſſerium la Croze *Hiſt. du Chriſtianiſme des Indes* pag. 38. lib. I. nam ceteros recenſere longum eſſet.

(6) Conſule Thomam Malvendam lib. IV. *de Antichriſto* cap. X., ceteroſque quos laudat Johannes Albertus Fabricius *Salut. Luc. Evang.* cap. XXXIV.

(7) Imo vero deceptos fuiſſe Malabaros Chriſtianos ſimilitudine nominis arbitrantur. Nam Armenium quemdam, cui erat Thomas nomen, Mercatorem, qui divitiis circumfluebat, inſtitutorem fuiſſe Chriſtianorum Malabarorum circa VI. ſeculum ferunt. At Neſtorianus ne ille, an Jacobita fuerit, non conſtat. Confer *la Croze* l. cit. qui *Gouveam* Hiſtoricum citat. At longe eſſe hoc Armenio in Malabaria & reliqua India Aſiatica Chriſtianiſmum antiquiorem facile fortaſſe concedent. Nam etſi labi eos mihi facile perſuadeo, qui his a Pantæno primum, deinde a Frumentio fuiſſe Evangelium nunciatum cenſent, qua de re dicam alio loco opportune, ubi de Æthiopibus; tamen an. 325. vixiſſe in India Aſiana Epiſcopum Johannem conſtat ex Actis Synodi Nicænæ Tom. I. Concil. Harduini col. 316. & 423. ubi ſic habetur Ἰωάννης Πέρσης τῆς ἐν Περσίδι πάσης, καὶ τῇ Ἰνδίᾳ *Johannes Perſes* Eccleſiæ quæ *in Perſide univerſa & magna India* eſt Epiſcopus. Ac ſexto etiam ſæculo Coſmas, qui Indopleuſtes eſt dictus, propterea quod in Indiam contendit, Eccleſias dicit fuiſſe ſua ætate *in Taprobrana Inſula in India interiore*. At neſcire ſe dicit ſit ne ulla in *Male & in Calliana*. Vide Tom. II. Collect. vet. PP. Edit. Montfauconianæ an. 1706. *Malen a Malabaria, & Calliam a Calicut* non diſcrepare putat *la Croze*. De Indopleuſte confer Johannem Albertum Fabricium Tom. II. *Bibl. Græcæ*. Ac Juſtiniani quidem ætate in India Monachos viguiſſe, liquet ex Procopio, qui horum aliquos ex Serinda veniſſe, docuiſſeque Romanos rationem conficiendi ſerici narrat Lib. IV. *de Bello Gothico* cap. XVII. Cur autem veriſimile eſſe negent, neſcio. Nam teſtimonia quædam veterum, & traditio Meliapurenſium & reliquorum Indorum, contra poſtulant. Confer Raulinum Diſſert. I.

(8) Jacobus Tollius *Inſign. Itinerar. Italici ad formulam receptionis* Manichæorum pag. 143. not. 63. Edit. 1696. Cujus tamen longe diſtat a veritate ſententia.

(9) Le Brun in Opere *de Cerem. Miſſæ* Gallice ſcript. tom. III., *La Croze* l. cit.

(10) *La Croze* ibid. Sed is auctor, quod Hæreticorum partibus ſtuderet, res optime pro Religione geſtas rapit in pejorem partem, atque impudenter mentitur.

ni, qui litteras ipſum a Pontifice detuliſſe intellexerant, eas ut produceret petierunt. Ubi legerunt, fraude Neſtoriani circumventos Romanos fuiſſe dixerunt; quamobrem expectaret, quoad ipſi, & rerum, quas molitus eſſet, & Religionis Mar-Abrahami facerent Pontificem certiorem. Interim apud Goenſes Dominicanos manere ne gravaretur. Ille, qui plane quorſum hæc pertinerent perſpiciebat, non enim culpa vacabat, inde elapſus, clam ad ſuos profugit, a quibus magnis gaudii ſignificationibus exceptus eſt, atque ordinare presbyteros, remque divinam ritu Neſtorianorum facere rurſum cœpit. Sed ut erat rei cujuſque ſimulator, ac diſſimulator, ad Pro-Regem, Præſuleſque Luſitanos ſcribebat, eſſe quidem ſe conjunctum Romanæ Sedi non communione ſolum, ſed etiam conſenſione decretorum Religionis. Aberat autem aliquanto longius, quam ut cognoſcere noſtri poſſent, verum ne, an falſum diceret. Jam Gregorius XIII. Summum Pontificatum adeptus fuerat, ac de Mar-Abrahamo, quod orthodoxus eſſet, intellexerat. Quare Epiſtolam ſuo nomine dari imperavit, qua ei præciperetur, ut Catholicam doctrinam in ſua Diœceſi explicari ſineret, atque Conciliis, quæ Goæ haberi ſolent, adeſſe ne recuſaret. At ne ſibi eſſe infeſtos Luſitanos, adeoque vereri ſe ne moleſtia afficeretur obtenderet, addi Pontifex juſſit, facultatem Mar-Abrahamo Goam contendendi dari, caverique ne quis in eum animadvertere audeat Catholicorum. Poſt Vincentius Fonſeca Archiepiſcopus Goenſis cogitare de Synodo celebranda cœpit. Quapropter ad Mar-Abrahamum, ut veniret, utque ne metueret ſcripſit. Idem Pro-Rex fecit Luſitanorum. Cum nullus tergiverſandi locus eſſet, paruit. Congregato Concilio Mar-Abrahamus propoſuit fidei profeſſionem, quæ omnium conſenſu probata eſt. Pollicitus deinde ſe, quæ conſtituta ab Synodo eſſent, diligenter obſervaturum, ad ſuos rediit. Etſi autem fidem, quam dederat, & juramento confirmarat, in rebus cæteris fefellit; tamen quod attinebat ad ordinationes, fallere nequivit, propterea quod Jeſuitæ duo Syriace periti dati illi ſocii fuiſſent, qui certe, quoniam aderant ſemper, non tacuiſſent, ſi quid ab eo peccari animadvertiſſent. Hæc cum ita ſe haberent, vereri Mar-Abrahamus cœpit, ne iram in ſe concitaret Patriarchæ Neſtorianorum. Igitur litteras ad eum de Synodo dedit, obſecravitque ſibi ut ignoſceret, quod interfuerit, quum inſiſtentibus Luſitanis, qui potentia authoritateque plurimum valerent, fieri aliter non potuiſſet. Propoſitam vero ab ſe fuiſſe *fidei profeſſionem*, quæ probata fuiſſet ſumma omnium Patrum conſenſione. His artibus ſe Patriarchæ ac Luſitanis ſatisfacturum arbitrabatur. Atque hæ ipſæ litteræ in manus venerunt Luſitanorum. Interim impoſtor quidam Malabariam venit, qui Mar-Simeon appellabatur, ſeſeque Epiſcopum jactabat. Diviſis Neſtorianis in factiones duas, quarum una Mar-Simeoni, altera Mar-Abrahamo parebat; is, quem ſecundo loco nominavi, aſſenſionum Pro-Regem Luſitanum certiorem fecit. Antiſtites Luſitani, idemque Pro-Rex, etſi Mar-Abrahami mores, ſubdolamque agendi rationem exploratam habebant, tamen committendum non putabant, ut ei Simeon anteponeretur, quod tuendas eſſe illius partes putarent, qui noſtris jam rebus quodammodo aſſueſſet, novoque beneficio conciliari Eccleſiæ Romanæ poſſe videretur. Simeon ſuis rebus affidens, Romam proficiſcitur. Sixtus V. Pontifex tunc erat univerſæ Eccleſiæ. Is Neſtorianum inſtitui in decretis Catholicæ religionis præcepit, cavitque, ne ille rem divinam facere auderet. Hujus rei cauſa hæc fuit. Scripſerat Simeon, ſi verum Gouvea prædicat, ad Patriarcham, ſe cum ad Malabaros veniſſet, cognoſſetque potentia artibuſque Luſitanorum ita eſſe in ea regione imminutas opes Catholici Neſtoriani, ut oppreſſa jam ſecta eſſe, ac pene deleta videretur, rem gratam Deo, ipſique Patriarchæ haud inutilem facturum putaſſe, ſi nomen ſibi, & auctoritatem Epiſcopi ſumſiſſet. Ejuſmodi litteræ cum a noſtris deprehenſæ fuiſſent, Simeoni magnum detrimentum attulerunt. Nam Ulyſſiponem perductus apud Franciſcanos manſit. Qua ex urbe Epiſtolas ſcribere audebat, quæ plenæ eſſent errorum Neſtorianorum. Earum aliquæ in manus Alexii Menezeſii Archiepiſcopi anno 1599. dum ſuam Diœceſim luſtraret venerunt. His lectis Alexius nihil cunctatus ſupremum fidei apud Luſitanos Inquiſitorem monendum putavit. Inde quid actum in Simeonem fuerit non conſtat. Mar-Abrahamus, quod Simeonem diſtineri in Luſitania ſciret, reſque ſuas confirmatas arbitraretur, obtemperare Synodis recuſabat. Id ubi allatum eſt anno 1595. Clemens VIII. Pont. Max. Menezeſio mandavit, ut in doctrinam moreſque ejus inquireret. Quod ſi lapſum iterum in errorem eſſe deprehendiſſet, proceſſum, ut vocant, conſcribi curaret, Romamque mitteret. Interim errantem detineret, ejuſque loco virum Syriace, ſi inveniri quidem poſſet, doctum Eccleſiæ Malabariæ Neſtorianorum præficeret, qui ſuſtineret Vicarii Apoſtolici dignitatem. Caveret autem, ne quis neſcio Romano Pontifice Epiſcopus eodem mitteretur. Menezeſius quod ſibi de *Proceſſu* fuerat imperatum fecit. Sed cum accepiſſet Mar-Abrahamum profugiſſe Angamalam, quo Luſitanis accedere non licebat, deferendum pertinacem, atque in errorem obfirmatum ſenem exiſtimavit. Eo fere tempore Malabari Neſtoriani, qui Epiſcopum imparem oneri ferendo eſſe perſpicerent, ad Patriarcham de ſucceſſore, qui interea ſubſidio ſeni eſſet, ſcripſerunt. Id ut eſt Menezeſio nunciatum, Ormuſenſibus Luſitanis præcepit, ne Syrum quempiam Epiſcopum, neve Presbyterum in eam regionem penetrare ſinerent. Ni dicto audientes eſſent, ſcirent ſe rebus ſacris interdicendos. Quamobrem qui miſſus a Patriarcha fuerat, cum videret aditus omnes intercluſos, neque viam eſſe ullam qua in Malabariam proficiſceretur, redire in patriam decrevit. His rebus geſtis animum Menezeſius ad Jacobum, quem Mar-Simeon, de quo paullo ante dictum eſt, ſuis præfecerat, reducendum convertit. Id ut facile conſequi poſſet, hortatus hominem eſt, ut Mar-Abrahamo ſeſe conjungeret. Ille quod magnam apud ſuos exiſtimationem ſanctitatis, & auctoritatem obtineret, metueretque, ne ſi Mar-Abrahamo paruiſſet, minore in pretio haberetur, nihili admonita Præſulis Goenſis fecit. Dum hæc Menezeſius laborabat, Mar-Abrahamum, ejuſque Archidiaconum monebat, ut pertinacia deſiſterent, decretiſque orthodoxæ religionis aſſentirentur, ſed fruſtra. Anno 1597. Menezeſio ſuam Diœceſim perluſtranti redditæ ſunt a Pro-Rege Mathia Albuquerquio litteræ, quibus ſignificabatur, Mar-Abrahamum Schiſmaticorum Epiſcopum deceſſiſſe, idque ab eo non poſtulari modo, ſed etiam flagitari, ut perficeret quæ ſibi eſſe ex uſu viderentur. Igitur ille ut Clementi VIII. Pontifici morem gereret, Vicarium Apoſtolicum, & Epiſcopatus moderatorem Franciſcum Rozium Jeſuitam dixit, qui primus deinde e Societate Jeſu Antiſtes in ea Indorum Diœceſi fuit. Is quum Syriace Malabariceque doctus eſſet, ſtatimque apud incolas eorum ſermone concionari cœpiſſet, multorum ſibi animos devinxit. At Luſitani, qui Archidiaconum ſingulari virtutis ſemper apud cives ſuos opinione verſatum fuiſſe, exque magna familia ortum ſcirent, intelligerentque ab eo, ſi perductus ad ſacra Catholicorum fuiſſet, maximum Malabarorum numerum Romanæ Eccleſiæ conciliaturum; ſin minus, facturum oratione auctoritateque ſua, ut ne ii quidem in ſententia manerent, qui Rozium conſectarentur, Menezeſii conſilium reprobandum, aliamque rationem ineundam judicarunt. Igitur Archiepiſcopo Goam reverſo quæ ſibi in mentem venerant expoſuerunt. Orarunt, ut rem diligenter conſideraret, ac ne tantam *multitudinem* hominum præcipiti ſententia iret *perditum*. Menezeſius, ut quod illi dicerent cognovit utile Chriſtianæ Reipublicæ futurum, litteras ad Archidiaconum dedit, quibus eum *Vicarium Generalem* conſtituebat, modo *profeſſionem fidei* orthodoxam ederet, & Franciſco Rozio, Rectoreque Collegii Vaipicotenſis adjutoribus uteretur: negavit Archidiaconus ſibi opus adjutore eſſe: *profeſſionem fidei* his conditionibus nullam ſe, dixit, ejuſmodi, qualem Archiepiſcopus præſcriberet, edicturum. Cum nihil proficeret, illud conſilium capiundum Menezeſius cenſuit. Scripſit Archidiacono licere Vicarium eſſe Generalem Eccleſiæ Malabarorum, ſi tamen Catholicam fidem palam profiteri vellet. Accipere Archidiaconus conditionem ſimulavit, promiſitque ſe orthodoxam religionem feria quinta in Cœna Domini, qui dies ſanctus haberetur, prædicaturum: nam Epiſcopum expectabat a Patriarcha Neſtorianorum (ignorabat enim iter eſſe ab Luſitanis præcluſum) itaque circuitione eſſe opus arbitrabatur. Sed ubi intellexit id agere Latinos, idque magnopere ſtudere, ut ne aditus cuiquam Syrorum in Malabariam pateret, illuxiſſeque conſtitutum diem vidit, negavit ſe promiſſa ſervare velle, ut qui eam Religionem, quam a puero colere cœpiſſet, deſerendam nunquam eſſe exiſtimaret. Idem Neſtoriani cæteri fecerunt. His rebus intellectis Menezeſius Angamalam petere, & Archidiaconum in ordinem redigere decrevit. Id ubi Georgius (nam Archidiacono id erat nomen) reſcivit, diffidere ſuis rebus cœpit. Collegit igitur ſeſe, atque impediendum putavit, quo minus iter Menezeſius aggrederetur. Cumque ſimulato eſſe opus exiſtimaret; ſcribere de fidei *profeſſione*, polliceri omnia, modo Jeſuitis nihil ſecum commune eſſet, diem ex die ducere. Erant Luſitanorum nonnulli, qui ad Jeſuitas quod attinebat, Georgio concedendum arbitrarentur. Sed Menezeſius, qui fraude, doloque malo id fieri a ſubdolo illo vafroque Archidiacono ſuſpicabatur, præter Jeſuitas enim nullos reperire exiſtimabat, qui periti Syriacæ linguæ eſſent, detegereque artes hominis valerent) negavit ſe a ſuſcepto conſilio diſceſſu-

ceſſurum. Cum diutius ſe duci Menezeſius, multoſque perire cerneret, ne quid ab ſe peccatum eſſe videretur, Georgio permiſit, ut Vaipinum ad Franciſcanos ſeſe conferret, eamque fidei *formulam*, quæ ſibi propoſita fuiſſet, juraret ſe in poſterum tempus defenſurum. Ubi ea dies, quam ad rem perficiendam Archiepiſcopus conſtituerat, venit; Georgius adiit ad Franciſcanos, multiſque adſtantibus eam ſe religionem colere deinceps, tuerique velle affirmavit, cujus formulam Luſitanice Sacerdos quidam Laicus recitaverat. Erat Archidiaconus imperitus ſermonis Luſitanorum. Itaque vacare ſe culpa exiſtimabat, ſi probari ea ab ſeſe dixiſſet, quorum nullam haberet notionem. Gratulari qui aderant, Archidiacono, laudare fortunas Eccleſiæ Malabarorum, omnia denique bona dicere. At Jeſuitæ, quos artes Gergoii minime latebant, dolo actum clamabant. Interim Archidiaconus domum revertitur. Cives deinde ad ſe evocat. Narrat ſe Luſitanis fidem religionemque ſuam Vaipini probaſſe; neſcire ſe quid Sacerdos Europæus Luſitanice recitavit. Id unum ab ſe intellectum, Pontificem Romanum caput Eccleſiarum eſſe. Non repugnaſſe quidem ſe, quod negari nullo modo poſſet eſſe illum Primatem Latinorum. Harum rerum cum certior Menezeſius factus ab Jeſuitis fuiſſet, conſtituit iter, quod ante paraverat, non eſſe in aliud tempus differendum. Igitur cum multa oppida peragraſſet, Vaipicotam venit, & in conſeſſu ſacris interdixit eos, qui Babyloniorum Patriarcham Paſtorem eſſe Catholicæ Eccleſiæ affirmarent, & Archidiaconum, ſuoſque, ut ſubſcriberent, permovit. Malabari Neſtoriani, ut enunciatum id eſt, ad ædes Archidiaconi concurrerunt, queſtique de Menezeſio, quod S. Thomæ Eccleſiam pervertere conaretur, petierunt a Georgio, ut ſibi facultatem injuriam repellendi daret. Hæc tametſi cognita Archiepiſcopo erant, tamen nequidquam commovebatur. Nam his qui periculum, in quod ille ſeſe conjecerat, proponebant, quid timetis? inquit. Cauſa Dei eſt. Ipſe eam defendet. Poſt ipſe Archiepiſcopus reliquas Neſtorianorum Eccleſias luſtratum migravit, & aliquando cum Archidiacono inſtituit de religionis decretis diſputationem. Jam Archidiaconus ad ſuos reverterat, repudiatiſque iis, quæ geſta a Menezeſio fuiſſent, omnibus, ut Patriarcham Babyloniorum conſectarentur, præceperat; cum hortatu etiam civium inductus eſt, ut ſacris interdicendos ſtatueret eos, qui Goenſi Archipræſuli parere auderent. At Archiepiſcopus nihil prætermittebat, quod ad reducendos hæreticos pertineret. Nam etſi multa perpeſſus incommoda fuerat, tamen modo animas errantium ad veritatis cultum adducere poſſet, nihil metuendum, nihilque aut incommodi aut periculi declinandum arbitrabatur. Cum res anno 1599. ita ſeſe haberent, redditæ Menezeſio litteræ ab Archidiacono fuerunt, quibus ſignificabatur veniam ab eo peti, optarique maxime, ut noſtris ſocietate communionis conjungeretur. Incredibile dictu eſt, quam hæ jucundæ, gratæque Archiepiſcopo fuerint litteræ. Sed quoniam cujuſmodi eſſent ingenia hæreticorum plane norat, cauto eſſe opus arbitratus, capita quædam doctrinæ Georgio proponenda putavit, quæ ſi probaſſet, tum tandem omnibus perſuaſiſſet, eſſe illum in orthodoxis merito numerandum. Igitur uſus conſilio Theologorum, imprimiſque Jeſuitarum, quorum fidem, atque eruditionem cognitam habebat, ab Archidiacono poſtulavit; primo, ut Neſtorii ejuſque *Sectatorum Diodori*, atque *Theodori* hæreſes damnaret; ſecundo, ut unam eſſe legem Chriſti, quam omnes colere debeant, confiteretur; tertio, ut eam fidei profeſſionem ederet, quæ miſſa ad ipſum poſt Mar-Abrahami interitum fuerat; quarto, ut libros rituales, ceteroſque Neſtorianorum proferret, quo vel emendarentur, ſi ratio quidem poſceret, vel exurerentur: quinto ut Romanum Pontificem omnium omnino Eccleſiarum Patrem, Paſtorem, Magiſtrum, & Caput eſſe profiteretur; ſexto, ut Babyloniorum Patriarchæ anathema diceret; ſeptimo, ut nulli Epiſcopo pareret, quem conſtaret non eſſe voluntate Pontificis Maximi in Malabariam miſſum; octavo, ut Menezeſio, ceu Delegato Sedis Apoſtolicæ obtemperaret; nono ut litteras Encyclicas de celebranda Synodo mitteret, cui Presbyteri Neſtoriani intereſſent, iiſque omnibus, quæ conſtituta eſſent, aſſentirentur; decimo, ut Archiepiſcopo ſocium itinerum ſe futurum promitteret, quin ullos ſecum armatos milites duceret. His ad Archidiaconum datis, ut ſpatium intercedere poſſet, ne quid ab ſe ille temere actum aliquando cauſaretur, ei Menezeſius conceſſit, ut diem ſibi ad deliberandum ſumeret. Sed caveret, ne ipſos viginti dies prætergrederetur. Interea Archidiaconus authoritate Cochinenſis Regis fretus (nam is Rex cum Luſitanis promitteret, curaturum ſe, ut Neſtoriani noſtris partibus ſeſe addicerent, tum maxime ſchiſmaticos, ut in ſententia perſiſterent, exhortabatur) tergiverſari rurſum cœpit. Itaque Menezeſius de celebranda Diamperitana Synodo cogitavit, uſuſque adjutore Rozio Jeſuita viro Syriace imprimis docto decreta ſcribere eſt aggreſſus, quæ ſanciri communi conſenſione, probarique deberent. Dies Concilio conſtitutus eſt viceſimus Junii anno 1599. Archidiaconus, ut ne repugnare videretur, Encyclicas ad ſuos miſit, quibus ut Diamperiam accederent, Synodoque intereſſent præcepit. Paucis ante diebus, quam Synodus cogeretur, Goenſis Antiſtes Georgium, & Presbyteros ad ſe octo evovavit, iiſque decreta, quæ pubblicare ſtatuerat, legit, ac ſi quid contra ſentirent, eis ut proponerent poteſtatem fecit. Horum oratione accepta nonnulla, quæ permitti poterant, immutavit; cetera quæ ad religionis dogmata, rituſque majoris momenti pertinerent, rata haberi, atque immota manere voluit. Ubi ea dies, quam conſtituerat, venit, prima eſt habita Seſſio. Sancitum eſt, ut nemini eorum, qui adeſſent, neſcio Archiepiſcopo, eximere ſeſe, aut abire, antequam abſolutum eſſet Concilium, liceret; præſcriptæque preces fuerunt, quas adhibere eo tempore in celebranda liturgia presbyteri deberent. Cautum præterea fuit, ut ne quis privatos conventus cogeret. Poſtero die ventum in eumdem locum, & celebrata altera Seſſio eſt. Recitavit Goenſis Antiſtes fidei profeſſionem. Eam in poſterum religionem retenturos, Archidiaconus Presbyterique Malabari plerique omnes polliciti ſunt, idque jurejurando ſanxerunt. Non defuerunt tamen, qui concitato tumultu rem feliciter cœptam interturbare niterentur. Sedato tumultu Legatus Cochinenſis ad Menezeſium venit, quæſivitque ex eo ecquid eſſet ea Seſſione conſtitutum. Intellexit Archiepiſcopus quorſum hæc ſpectaret oratio. Itaque reſpondit, cum Neſtorianis nihil eſſe niſi de religione Chriſtiana, ejuſque decretis actum. Quamobrem nunciaret Regi, neque dereptum, neque eum eſſe ſe, qui deripi quidpiam de authoritate Regia patiatur. Jam presbyteri, & multi eorum, qui primas in Civitatibus partes obtinebant, ad noſtros ſerio acceſſerant, remque Catholicam, ita ut par erat, curabant; quæ res magnam Synodo afferebat utilitatem. Propoſita tertia inſequentibuſque Seſſionibus (novem autem ſunt celebratæ) recta de ſeptem Sacramentis ſententia, atque probata, pluribuſque rebus, quæ ad ritus, ac diſciplinam Eccleſiaſticam pertinerent conſtitutis, Eccleſiaque Malabarenſi Romanæ, ut quidem omnes ſibi perſuaſerant, conjuncta, id eſt Concilium dimiſſum. Qui noſtris partibus ſtudebant (nam erant nonnulli, qui ſe orthodoxos fingerent) ſingulari carmine labores, quibus erat perfunctus, reſque omnes, quas præclare Menezeſius in Synodo geſſerat, perſequuti ſunt, atque illud manare in eas Civitates curarunt, quas ille inviſere conſtituerat, ut cum veniſſet, a populo collaudaretur. Interim Archiepiſcopus quibus rebus poterat novos Catholicos juvabat, magniſque benevolentiæ, ac liberalitatis ſignificationibus dabat operam, ut quam doctrinam authoritate ſacrorum Bibliorum, veterumque Patrum nixam amplexi erant, indiciis etiam ejuſmodi illecti, profiteri peragerent, neque ſe a quoquam decipi paterentur. Eodem tempore Rozio Jeſuitæ in mandatis dedit, ut rituales libros Malabarorum Chriſtianorum corrigeret. Qui majore libertate quam ratio poſtularat, uſus, non modo errores, & Neſtorii, ac aliorum, qui ſuſpecti ejuſdem hæreſeos fuiſſent, nomina delevit, ſed etiam e Latinis codicibus haud pauca eſt mutuatus, liturgiamque dedit e Latina, atque Malabarica conflatam. Cum Menezeſius Eccleſiis Malabaricis recte inſtituendis ſtuderet, litteras a Clemente octavo Pontifice Maximo anno 1601. accepit, quibus ei poteſtas creandi Epiſcopum Chriſtianorum Sancti Thomæ (ſic enim Malabari Chriſtianis ſacris addicti vocabantur) Franciſcum Rozium Jeſuitam dabatur. Fuit id Menezeſio gratiſſimum. Itaque eum ad ſe continuo accivit, atque Antiſtitem conſecravit Angamalenſem. Anno 1605. Pauli V. Pontificis Maximi decreto in Cranganorum oppidum Angamalenſis idem Præſul translatus eſt, & auctus Archiepiſcopi dignitate. Is Rozius cum comiter complecti incolas ſoleret, omnium fere ſibi animos devinxit; neque paſſus eſt, ut rebus novis Archidiaconus ſtuderet. In patriam tandem Menezeſius reverſus, dictuſque eſt (11) Archiepiſcopus Bracharenſium, quo in munere fungendo deceſſit. Anno 1617. Franciſcus Rozius

(11) Menezeſium laudant Clemens VIII. P. M. in Litteris ad ipſum datis 1599. apud Raulinum initio *Hiſt. Eccleſ. Malabar.* Antonius de Gouvea Auguſtinianus in eo libro, qui inſcribitur *Jornadæ de Arcebiſpo de Goa Dom Frey Aleyxo*

zius ſupremum obiit diem (12). Is ſibi ſucceſſorem e ſua Societate delegerat. Atque ita quoque factum deinceps fuit, quod Franciſcus Garzias Archiepiſcopatu eſt potitus Cranganorienſium. Malabari, qui ægre ferre ſe dicerent, de conjurando cogitarunt. Anno 1655. Archidiaconum, qui illius, quem Menezeſius reduxerat, propinquus erat, adierunt, ac jurejurando (13) conſtituerunt ſe in poſterum tempus numquam Archiepiſcopis uſuros, qui Jeſuitæ eſſent, ac Romano Pontifici parerent. Ad Patriarchas deinde Jacobitarum, Neſtorianorum (14), Coptorumque ſcripſerunt, ut aliquem in Malabariam mitterent, qui ſuſtineret Archiepiſcopi dignitatem. Miſſus a Neſtoriano Ahatallas fuit, qui (15) epiſtolas ab eodem Patriarcha Babyloniorum impetravit, quibus Malabari monebantur, ut ei omnium rerum fidem adjungerent. Sed Ahatallas a Luſitanis captus, & Goam perductus, quod hæreticus eſſet, abducereque a recta ſententia Sancti Thomæ Chriſtianos conaretur, extremo ſupplicio affectus eſt. Id ut eſt Malabaris nunciatum, vehementer perturbati ſunt, ſtatueruntque quidvis perpeti potius, quam negotio deſiſtere. Itaque Archidiaconum Epiſcopum nominant, quodque Epiſcopi nulli adeſſent, contra atque inſtituta Chriſti poſtulabant, imponi eidem a duodecim presbyteris manus, ipſumque hoc pacto conſecrari fecerunt. Diu ſe duriſſima preſſos fuiſſe ſervitute dixerunt. Timendum eſſe, ne ab Jeſuitis, qui ritum Syriacum delere contenderent, Archidiaconus ceterique Presbyteri Malabarorum dignitate boniſque Eccleſiaſticis privarentur. Garziam ſuperbe, crudeliterque imperare (16). Hunc ſi iterum ſibi præfeciſſent, de iis, qui conjuraſſent (erant autem maximo numero) graviſſimum ſupplicium ſumturum. Itaque manendum in ſententia omnino eſſe, neque committendum, ut quiſquam ſuorum in extremum fortunarum, vitæque periculum veniret. Crebri rumores Romam afferebantur, litteriſque Luſitanorum certior Pontifex fiebat, rem Catholicam in Malabaria laborare, metuendumque eſſe ne rurſum incolæ Chriſtiani omnes in poteſtatem redigerentur Neſtorianorum. His nunciis, litteriſque commotus Alexander VII. Pontifex, Carmelitis aliquot mandavit, ut in eam (17) regionem contenderent, utque amicos continere, transfugaſque ad ſanitatem reducere curarent. Carmelitæ quod juſſi fuerant facere non prætermiſerunt. Sed Malabari, qui ſpecie quidem fictæ ſimulationis Jeſuitas, re autem vera orthodoxam religionem averſabantur, cum initio verba illis dediſſent, tum demum induci numquam ſe poſſe dixerunt, ut decretis Romanæ Eccleſiæ aſſentirentur. At Carmelitæ, qui deſpondendum non eſſe animum cenſebant, conventus habere, cum Paræcis agere, omnia denique experiri, ne fruſtra tam longo ſe itinere commiſiſſe, totque laboribus perfuncti fuiſſe viderentur. Cum aliquos ſibi conciliaſſent, in eam ſpem venerunt, fore, ut ſi quiſquam ex eorum cœtu Antiſtes eſſet creatus eorum Chriſtianorum, omnes pertinacia deſiſterent, veramque religionem amplecterentur. Itaque, uno demto Hyacintho a S. Vincentio, ceteri anno 1659. Romam reverterunt. Joſephus a S. Maria dictus, conſecratuſque Hierapolitanus (18) Epiſcopus eſt, Vicariuſque Apoſtolicus conſtitutus, qui anno 1660. Roma profectus, anno 1661. extremo Aprili menſe in Indiam pervenit, intellexitque an. 1659. Garziam Archiepiſcopum, & an. 1660. Hyacinthum, de quo paullo ante diximus, e vita migraſſe. Cochinum cum Hieropolitanus Præſul veniſſet, ſumma Luſitanorum, & Malabarorum qui noſtris partibus ſtuderent voluntate, lætitiaque exceptus eſt. Archidiaconus, qui rebus ſuis diffidebat, dolis, mendaciiſque opus eſſe putavit. Igitur ſpargere in vulgus cœpit, eum, qui ſe Hierapoleos Antiſtitem jactaret, neque Carmelitam, neque Epiſcopum Roma miſſum in Malabariam, ſed Jeſuitam eſſe, qui Goa Chriſtianos S. Thomæ circumventum veniſſet. Hieropolitanus continuo ad Paræcos quinquaginta duos ſcripſit, eiſque dolum detexit. Conventum tandem eſt, ut cum Archidiacono de reducendis hæreticis ageretur. Ei rei dies eſt conſtitutus. Quo die tanta impudentia ſuam cauſam defendere Neſtoriani cœperunt, totque fucis, dolis, calumniis uſi ſunt, ut ferendi non viderentur. Archidiaconus proſpiciebat, niſi ſalutem fuga petiiſſet, Goam ſe ducendum, extremoque ſupplicio afficiendum, propterea quod orthodoxus cum fuiſſet, non ſolum ipſe defeciſſet a noſtris ſacris, ſed etiam ſuis, ut idem faceret, author fuiſſet, clam in locum ubi tuto verſaretur profugit. Anno 1663. Cochinum in poteſtatem venit Batavorum. Ea res magnum noſtris attulit detrimentum. Neſtoriani a (19) Batavis impetrarunt, ut legem de Sacerdotibus Europæis e regno pellendis ferrent. Epiſcopus, qui inde excedere cogebatur, invito Archidiacono Alexandrum e Campo Malabarorum Catholicum, cujus virtutem cognitam habebat, Antiſtitem conſecravit Indorum (20) Chriſtianorum. Hic primus ejus gentis Præſulum, qui Pontifici parerent, fuit.

Aleyxo de Menezes &c. Edit. Conimbric. an. 1606. Joannes Maria Camporeus S. J. Epiſt. *Vaipicotæ* ann. 1599. ſcripta apud Raulinum ibid. Henricus Noriſius Auguſtinianus S. R. E. Card. eruditiſſimus Diſſert. *de V. Synodo* cap. XI. Joſephus Simonius Aſſemanus Diſſert. *de Syris Neſtorianis*, Petrus Le Brun Congregat. Orat. Presb. tom. III. *de Cerem. Miſſæ*, multique alii, quorum ibidem ſeriem deſcribit Raulinus, qui fuſe copioſeque hiſtoriam deſcribit Synodi Diamperitanæ.

(12) Confer Raulinum *Hiſt. Synodi Diamperitanæ* Diſſert. V. Petrum Le Brun l. cit. Michaelem Lequienum tom. II. Orient. Chriſt. col. 1286., Philippum Alegambium *Biblioth. Script. S. J.*, Joſephum Juvencium *Hiſt. S. J.* Lib. XVIII. Poſt Rozium nominatus Hieronymus Xaverius S. J. eſt, qui eodem anno 1617. deceſſit. Xaverio ſucceſſit Stephanus de Britto, qui decimo ſeptimo Epiſcopatus anno obiit. Britto ſuffectus eſt Garzias. Vide Auctores laudatos Raulinum, Lequienum &c.

(13) Confer Vincentium a S. Catharina Carmelitam Excalceatum *Viaggio all' Indie Orientali* Edit. Rom. 1672. lib. II. cap. VIII., & Raulinum l. c.

(14) Raul. ibid. *Clam itaque Caſſanarii vel a ſuo Patriarcha, vel ut* (etiam) *ait Vincentius a S. Maria* (l. c. cap. VIII.) *a Patriarcha Cophtorum aut Jacobitarum alium Epiſcopum expoſtularunt, atque ad eos miſit ille Syrum Epiſcopum Abatallam nomine arabico, græco autem Theodorum, qui Damaſcenis præfuerat.* Mirum fortaſſe videri cuiquam poterit, Neſtorianos ad Monophyſitam litteras de Epiſcopo in Malabariam mittendo ſcripſiſſe. At ejus rei ſimile exemplum refert ſeptimi ſæculi in *Hiſt. Patriarch. Alex.* Renaudotius. Quamquam placet mihi Joſephi Simonii doctiſſimi viri ſententia, qui Ahatallum Neſtorianum fuiſſe pugnat *Tom. VI. Bibl. Orientat.*

(15) De Ahatalla confer Vincentium a S. Catharina l. c., & Raulinum, qui hæc habet: *Homo fuit hic ſane diſcolus: cum Meliapurum appuliſſet, mancipatus Luſitanorum ſtudio litteras dedit Archidiacono, quibus certiorem reddebat illum de ſuo adventu, quodque mitteretur Patriarcha a Pontifice Romano aſtute aſſerebat. Malabarenſes conſpiratione facta, ut Epiſcopum Abatallam libertate donarent, ingentes turbas ciere cœperunt, atque manu facta viginti quinque millia armatorum Archidiacono ducente copias, Garziam in obſidem libertatis Abatallæ capere conabantur Cochini. Indignatione vero penitus exarſerunt, cum illis nunciatum eſt, Abatallam Goam adductum fuiſſe, atque a Tribunali Inquiſitorum ſeculari brachio traditum eſſe flammiſque abſumptum.* Confer Vincentium a S. Maria lib. II. cap. VIII.

(16) Conqueſtiones Malabarorum deſcribit Vincentius a S. Catharina lib. II. cap. XV. Societatis Jeſu Sacerdotes latinos ritus introducere in Malabarorum Eccleſias curaſſe indicat etiam Daniel Bartholus in *Aſia* Edit. ann. 1667. pag. 432.

(17) Quatuor hi miniſtri Evangelici Carmelitæ fuerunt, hoc eſt Hyacinthus a S. Vincentio, Marcellus de S. Yvo, Joſephus a S. Maria, & Vincentius Maria a S. Catharina Senenſi. Conſtat ex lib. I. Operis mox indicati Vincentii a S. Catharina, quem conſulere Lector poterit.

(18) Idem Joſephus in *expeditione ſecunda* lib. II. cap. VII. *E' impoſſibile riferire diſtintamente quanto ſi patiſſe per un meſe continuo non di negozj, ma d' inſidie, calunnie, ſtratagemmi, e invenzioni diaboliche de' Sciſmatici per guadagnar la vittoria, e perder per ſempre quella povera Criſtianità. Chi ha letti gli Annali Eccleſiaſtici, vedrà epilogate in queſto miſerabile congreſſo tutte le aſtuzie de' moderni, e antichi Ereſiarchi Ario, Pelagio, Lutero, e Calvino; e più sfacciate aſſai delle loro, avendo il favore de' Principi Idolatri fatti giudici della cauſa di Criſto &c.* Conſule quæ ſequuntur.

(19) Joſephus a S. Maria ibid. Raulinus ibid. *Cum autem ab anno 1661. uſque ad ann. 1663. Batavi Coulanum, Cranganorum, atque Cochinum expugnaſſent, pulſis inde Luſitanis, fugere coactus eſt Joſephus, qui tamen antequam inde diſcederet Epiſcopum illorum Chriſtianorum inauguravit Alexandrum, & Goam venit, & inde Romam 6. Maji 1665.*

(20) Vide Raulinum ibid. Is Alexander an. 1676. deceſſit. Succeſſorem habuit Raphaelem Tiquedrum Indum. Raulinus ibidem pag. 442. *Ex Epiſtola exarata Vaipini in Malabaria ann. 1676. a P. Bartholomæo a Spiritu Sancto Carmelita Diſcalceato, ac Præfecto Miſſionibus Malabaricis, cujus apographum, uti & aliarum, de quibus infra, in Urbe nobis hoc anno 1744. liberaliſſime exhibuere viri omni exceptione majores, id inquam conſtat: Alexandrum de Campo petiiſſe a Summo Pontifice Epiſcopum ſibi coadjutorem, & ſucceſſorem deſignari; cumque ipſius precibus Pontifex benigne annuiſſet, quatuor Carmelitas Excalceatos in Indiam miſit, ut quorum aptiorem deprehenderent, Apoſtolica auctoritate Epiſcopum & ſucceſſorem Alexandri deſignarent. Quum vero Batavorum noviſſima expugnatio aditum non parum difficilem redderet, Cæſaris interpoſitione miſſi, commeatum obtinuerunt a Collegio Amſtelodamenſi. Ut autem in Indiam appellentes*

fuit. Batavi, quibus Archidiaconi ſcelera, flagitiaque perſpecta erant, Megarenſis Antiſtitis Alexandri patrocinium ſuſceperunt. Anno 1665. Hierapolitanus Epiſcopus Romam venit, & Pontifici, ſacræque Congregationi, quæ geſſerat, narravit. Cum Innocentius XI. Pontifex Maximus Eccleſiam univerſam moderaretur, litteræ e Malabaria acceptæ ſunt, quibus ſignificabatur Archidiaconus periiſſe. Itaque miſſi Carmelitæ rurſum in oras ejus Imperii (21) fuerunt, qui circumſpicerent fieri ne ulli progreſſus ab noſtris in Malabaria poſſent, & ſi Alexander Magarenſis vita functus eſſet, ejus loco quem eſſe aptum judicaſſent, Antiſtitem dicerent, atque ejus rei ſacram Congregationem facerent certiorem. Inde ab Luſitanis Præſules Cranganorenſes e Societate Jeſu nominabantur, qui conſecrati ab Archiepiſcopis (22) curam aliquarum Eccleſiarum ejus gentis gerebant.

---

lentes hujuſmodi litteras Batavo Commendatori Van-Redo inſpiciendas porrexerunt, conſtanter ipſe aſſeverare cœpit, ſe nullam alterius electionem probaturum, quam Matthæi de Campo Alexandri de Campo Nepotis. Quod ideo dicebat, quia verebatur, ne Commiſſarii eligerent, ut ferebatur, D. Cuſtodem Epiſcopum Hierapolitanum, natione Indum, ac ſtirpe Brachmanem. Pollicebatur etiam, ſi Matthæum inſtituerent, expeditam adeundi Cochinum facultatem, tum Batavorum gratiam, quæcumque demum ad victum neceſſaria; quod ſi ſecus facerent, ſe Matthæum renunciaturum Epiſcopum; Chriſtianos S. Thomæ ad obedientiam illi præſtandam curaturum; Commiſſarios tandem in Perſidem deportandos fore minitabatur, quibus etiam horæ breviſſimum tempus, ut decernerent, quid facto opus eſſet, deſignavit. Igitur Carmelitæ, qui ſe eum in Epiſcopum tuta conſcientia, eligere non poſſe arbitrabantur, ſub hac reſtrictione reſpondent, paratos nempe ſe eſſe eum in Epiſcopum deſignare, dum ea obſervarentur, quæ ſacri Canones & quæ ipſis ſummus Pontifex præſcripſerat, atque in mandatis dederat. Quo accepto reſponſo Van-Rhedo, ut legitur in alia Epiſtola ſcripta Verapoli 26. Aprilis an. 1678. (Hanc Epiſtolam ſubſcribunt Fr. Bartholomæus a Spiritu Sancto, Præfectus, Fr. Angelus Franciſcus a S. Thereſia, & Bartholomæus Anna Clericus Syrus, Patria Aleppenſis) *Commiſſarios diſcedere juſſit, ut factam a ſe electionem Epiſcopo Alexandro atque ipſi Matthæo ejus nepoti annunciaret. Immo invaluit rumor, Commendatorem Van-Redo ex commiſſione Romanæ Curiæ, atque Mentelæ ſocietatis Batavicæ, Matthæum de Campo Epiſcopum conſtituiſſe. Commiſſarii vero Apoſtolici ſecedentes Mangatem, ex eo loco palam teſtati ſunt, notumque cunctis fecerunt, rumorem illum falſiſſimum eſſe, atque ut Pontificis juſſibus parerent, illico in Epiſcopum deſignarunt Dom. Raphaelem de Tiguedro nobilem Indigenam, Canonicum olim, Viſitatorem & Vicarium Generalem Epiſcopatus Cochinenſis Sede vacante. Hæc omnia ægre ferebat Van-Redo; quia ipſe & Alexander pacto convenerant de faciendo Epiſcopo Matthæo ejus nepote ..... Alexander vero rebus bene perpenſis, electionem Raphaelis approbavit, immo ipſi expeditam viam ad Montana Malabarica præbuit, atque omnes illi Chriſtiani obedientiam ipſi præſtiterunt.*

(21) Cerrius loc. cit. *L' anticbiſſima Criſtianità fondata ..... nella terra de Malavari, è ſottopoſta a 21. Regoli, ne' ſtati de' quali ſi trova diviſa, e ſparſa; eſſendo compoſta di 140. Villaggi fra grandi e piccoli, ove ſono 127. Chieſe co' loro Sacerdoti, che le offiziano al rito Soriano, e il numero de' Criſtiani arriva a 200000.; i quali ſono molto divoti della S. Croce, delle anime del Purgatorio, e del ſanto digiuno; e benchè ſieno gente tutta de' boſchi, e montagne, con tutto ciò rieſcono ottimi Cattolici, e molto obbedienti alla Chieſa Romana, e tal Criſtianità fra quei Regoli è aſſai ſtimata, e gode molti privilegj. Nel tempo però paſſato caddero per mancanza di operaj nello ſciſma di Neſtorio, riconoſcendo per loro Patriarca quello di Babilonia, da cui ricevevano i Veſcovi, ed erano governati diſpoticamente nello ſpirituale; onde eſſendo molt' anni viſſuti in queſta Ereſia, Iddio li liberò .... mentre eſſendo ſtato fatto Arciveſcovo di Goa Fra Aleſſio Menezes dell' Ord. di S. Agoſtino .... Prelato molto zelante delle anime, e dell' onor di Dio, vi andò in perſona, e con infiniti travagli, ſpeſe, e patimenti, alla fine purgò quei popoli dall' Ereſia, in cui miſeramente giacevano, e li reſtituì al grembo di S. M. Chieſa .... Eſſendo adunque la ſuddetta Criſtianità ridotta totalmente all' obbedienza della Chieſa Romana, gli fu dato un Arciveſcovo proprio, e vi furono mandati molti Padri della Compagnia, i quali l' hanno poſſeduta da 40. anni in circa; ma eſſendovi oltre la dignità Archiepiſcopale anco la ſeconda con titolo di Arcidiacono, che ha l' uffizio di Vicario Generale, ed è ſempre Nazionale; l' ultimo molto ambizioſo, ch' era ſempre paſſato con poca corriſpondenza col ſuo Arciveſcovo Padre della Compagnia, eſſendo anche i Criſtiani diſguſtati di detti Padri, non volle riconoſcerlo più per ſuo Paſtore, e lo fece diſcacciare inſieme con tutti i Geſuiti, e per maggiormente autenticare queſta riſoluzione, in pubblica Chieſa .... ſi fece giurare ſopra un Crocifiſſo di non mai più riconoſcerli in avvenire per loro Paſtori, e Direttori, ed eleggere per loro Governatore, e capo ſe medeſimo. Anzi la cecità di quei popoli arrivò a tanto oltre, che ſi congregarono di nuovo tutti, e dodici Sacerdoti principali conſagrarono Veſcovo il detto Arcidiacono, e per tale fu ſempre tenuto, ſtimato, e riverito; ordinando, diſpenſando, e amminiſtrando tutti i Sagramenti della Chieſa invalidamente ..... onde i buoni Sacerdoti, e Criſtiani obbedienti alla S. Sede ne diedero parte a Roma, e le Lettere arrivarono in tempo della S. mem. d' Aleſſandro VII. nelle quali iſtantemente, e in ſpecie dimandavano i PP. Carmelitani Scalzi, che furono loro con molta preſtezza mandati per più vie con ample facoltà, e dopo molti travagli e patimenti arrivarono a ſalvamento. Iddio reſtò molto ſervito; perchè riconoſciuto il loro errore, la maggior parte della ſuddetta Criſtianità di nuovo ſi riduſſe all' obbedienza di S. M. Chieſa, conforme ſi può vedere ne' due Libri ſtampati in Roma da Monſig. Sebaſtiani* (Joſepho a S. Maria) *oggi Veſcovo di Città di Caſtello, e nell' altro del P. Vincenzio Maria già Procuratore Generale dei Carmelitani Scalzi, che furono di perſona in quelle parti; onde per far contrappoſto al detto intruſo, ch' era uno de' principali di quella Nazione, vi fu eletto col beneplacito Apoſtolico un Veſcovo nazionale con facoltà di Vicario Apoſtolico, che coll' ajuto di detti Padri ha ivi fatti gran progreſſi; anzi ultimamente dalla Congregazione ne ſono ſtati mandati quattro con facoltà di poter ſoſtituire al detto Veſcovo di Megara Vicario Apoſtolico il Succeſſore, per recidere ogni radice del pernicioſo ſciſma, che dall' empio Arcidiacono, che s' intruſe in quella Chieſa, fu ſuſcitato. Si è avuta però pochi meſi ſono certa notizia che ſia morto; onde ſi ſpera la unione di quei Cattolici, ch' erano in grandiſſima diſſenſione e diſcordia.*

(22) Raphaeli Tiguedro, de quo paulo ante diximus, ſucceſſit Didacus ab Annunciatione Congregationis S. Joannis Evangeliſtæ, dictuſque eſt Archiepiſcopus Cranganorenſis die 19. Aprilis anni 1694. *Raulinus* loc. cit. anno 1701. Cum dignitate ſe Didacus abdicaſſet, Joannes Riberius S. J., quem P. Tachardus Epiſt. e Bengala ann. 1711. ſcripta (*Lettres édif.* Recueil XII. pag. 385. ſeq.) memorat, Antiſtes eſt ejus Eccleſiæ renunciatus, in eiſque regionibus functus ſuo munere fuit, expertuſque eſt inimicos non Batavos ſolum, ſed etiam Chriſtianos, propterea quod ii Carmelitam, non Jeſuitam Epiſcopum optarent, ut ex eorum conventis conſtat, quæ ſic habent: *Conventio & juramentum factum a Chriſtianis S. Thomæ ob adventum Archiepiſcopi (Riberii) anno a Nativitate Chriſti 1704. & anno Collam 879. die 20. Junii Carturti in Eccleſia parva, nos omnes deputati Eccleſiarum, quæ ſitæ ſunt in Putrotta verſus meridiem, in unum congregati coram domino Archidiacono ſtatuimus & ſcripſimus hoc negotium: nempe permanere ita, quouſque noſtræ querimoniæ rationem audiens ſummus Pontifex decernat, atque indulgeat, quod ſicuti anteactis temporibus uſque in præſens Epiſcopus ex Ordine Carmelitarum, ejuſdemque Ordinis Patres in noſtris moleſtiis, & acerbitatibus conſolati nos ſunt, & noſtrum promoverunt profectum, ita deinceps facere pergant.* Subdit Raulinus ubi hæc retulit pag. 447. deinde Refractarios Conventionis hujus & juramenti excommunicando ita clauſulam extremam imponunt: *In cujus rei teſtes advocamus Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, Beatiſſimam Virginem, ac Apoſtolos XII. Subſcribunt Abrahamus Sacerdos, Georgius Sac. Thomas Sac. Georgius alter Sac. Alexander Sac., Jacobus Sac. Joſephus Sac.* Addit Raulinus: *Nec minus inviſus erat Schiſmaticis Archiepiſcopus Riberius quam Caſſanariis Catholicis; immo ab illis illiberaliter plane habitus eſt, atque eodem anno 1704. una cum Epiſcopo Thoma hæretico Jacobita, libellum ſupplicem ſcripſerunt ii Schiſmatici Summo Pontifici in Eccleſia S. Georgii Martyris Rapolini congregati, in quo primum conqueruntur de Pauliſtis (hoc nomine appellabant Jeſuitas a Collegio D. Pauli) cauſſantes, quod propter vexationes ſibi ab ipſis illatas jampridem ſub Archiepiſcopo Garzia ab Eccleſia Romana diſceſſerint; deinde gratulabantur Papæ de Miſſione Patrum Carmelitarum; poſtulabant exinde, quod ritus & conſuetudines Syriacas in tota Malabaria obſervari juberet, exponebant demum fore, ut Eccleſia illa non aliter optime gubernaretur, quam ſi Angelus Epiſcopus una cum Epiſcopo Thoma regiminis habenas moderandas ſuſciperet. Subſcribit deinde libellum* Thomas Epiſcopus pauper & humilis: Porta totius Indiæ. *Quæ ſubſcriptionis forma in alia ejuſdem Thomæ Epiſtola legitur, quam Aſſemanus ex Archivo S. Congregationis de Propaganda fide Syriace exaratam & Latine excerpſit Tom. IV. Bibl. Oriental. a pag. 464. uſque ad 467. ſcripta ab illo Pharaur Patona (Pharaor) anno 1720. Ignatio Patriarchæ Antiochiæ, quæ tamen hic paullulum immutata ita habet:* Porta totius Indiæ. *Poſt Thomam igitur ſubſcribitur ſupplex libellus a præcipuis Sacerdotibus duodecim, & novem ſupra viginti Eccleſiæ. Libellum deinde miſit Angelus Epiſcopus Metellopolitanus Patri Auguſtino a S. Ezeario exiſtenti Banderabaſi die 29. Decembris an. 1704., ut eum Romam petens Summo Pontifici offerret, ſimulque ei injungit, ut ab eodem litteras Apoſtolicas poſtulet, ut Sacerdotibus Serræ Malabaricæ liceat indiſcriminatim celebrare ſive in azymo ſive in fermentato; ita ſibi ſpondere, quod diſſidia miteſcerent, & Schiſmatici ad ſinum Eccleſiæ Romanæ redirent .... Alterum ejuſdem fere argumenti libellum Summo Pontifici obtulerunt Catholici laici: id tantum adjungunt, ope Alexandri Epiſcopi, ac Patrum Carmelitarum, poſt exortum Schiſma unam ſupra ſeptuaginta extare Eccleſias omni ex parte Romanæ Eccleſiæ addictas, ac præterea decem & octo ſupra viginti*

omni

rebant. Anno 1714. Mar-Thomas (23) Epiſcopus fuiſſe fertur Chriſtianorum, qui Monophyſiſmum profiterentur. Quo quidem tempore Mar-Gabriel e Syria miſſus, Neſtorianorum cœtum moderabatur. Intelligo autem imminutas admodum deinceps hujus factæ opes fuiſſe. Monophyſitarum enim dolis maximam eorum partem in oppoſitum errorem declinaſſe intelligo. Sed his annis paucis, cum dictus a Patriarcha Jacobitarum Antiſtes Malabarorum neſcio quis eſſet (qui circumventus fortaſſe a Proteſtantibus, cultum ſacrarum imaginum damnaret) atque in Malabariam appuliſſet, novamque doctrinam explicare aggreſſus eſſet; adeo commovit animos incolarum, ut Archidiaconi voluntate Romam Carmelitas miſerint, petierintque ſibi a Romano Pontifice Epiſcopum dari. Hi Carmelitæ anno ſuperiore in Urbem pervenerunt. Iidem cum a ſacra Congregatione quæſiſſent, quamobrem Liturgiam, quam, ut typis mandaretur, Romam miſerant, minime probaſſet; intellexiſſentque publicari Liturgiam non oportere, quæ partim Latinum, partim Syriacum ritum contineret; velle autem Pontificem, ut ritus cujuſque Eccleſiæ modo nihil complectantur, quod erroris ſuſpectum eſſe poſſit, ſerventur; reſponderunt, obtinuiſſe eandem Liturgiam in Malabaria, ita ut non ab Catholicis modo, ſed etiam a Neſtorianis, & Monophyſitis adhibeatur. Atque hæc de Chriſtianis Malabaris dicta ſunto (24).

Tonquinum Regnum proximum eſt Sinarum Imperio, qua ad Orientem & Septentriones ſpectat, attingit a Meridie Cochinchinam, & ab Occaſu Lajorum & Bramarum fines. Hoc Regnum provinciam olim Sinenſis Imperii fuiſſe ferunt (25). Igitur cum olim in Sinis Chriſtiani verſarentur, veri eſſe ſimile cuipiam videbitur, in Tonquino etiam ejus religionis homines ſaltem aliquos floruiſſe, qui primis temporibus rectam ſententiam, poſt vero ab hæreticis circumventi Neſtorianiſmum conſectarentur. Sed quoniam vetus nullum extat monumentum, quo hæc ſtatui confirmarique opinio poſſit, ad Apoſtolicos viros deſcendam neceſſe eſt, qui in illud Regnum XVII. Eccleſiæ ſæculo venerunt, contenderuntque ut noſtra eodem religio introduceretur. Igitur Dominicani (26) & Jeſuitæ (27), qui gentes barbaras efferatiſque moribus viventes manſuetas reddere, Chriſtoque conciliare ſtudebant, cum in Tonquino Regno ſuperſtitionem invaluiſſe cognoſſent, quæ ab ea non admodum diſcreparet, quam Sinenſes colere ſolerent, in illud viros Apoſtolicos mittere, dareque operam incolis a cultu idolorum ad veram Religionem convertendis decreverunt. Hi magnos laborum fructus reportarunt, plurimiſque perſuaſerunt, eum, qui decreta Chriſtianæ fidei, ignoraret, perpetuo periturum. Quæ res cum diu celari non potuiſſet, propoſitum (28) anno 1664. die 24. Januarii edictum eſt, quo præcones Evangelii inde excedere jubebantur. Antequam ea lex eſſet publicata, cum Rex ab ſuis intellexiſſet, viros Apoſtolicos circiter decem omnes fere regni provincias peragrare, idque agere ſedulo, ut Tonquinenſes patrios ritus, religionemque deſererent, eis ut ad ſe ad conſtitutum, quod jam indicarat, tempus venirent, præcepit, quin rationem, quamobrem eos vocarat, expoſuiſſet. Illi ignari rerum omnium, quas inimicorum Chriſtiani nominis conſulto Rex paraviſſet, continuo atque ad ejus ædes acceſſerunt, comprehenſi, atque navem conſcendere adacti, Macaum tranſducti ſunt, uno Jeſuitarum Rectore excepto, quem in Metropoli cum Socio detinendum exiſtimavit, cuique ne cœtus cogeret, neu quidquam quod ad amplificandam Eccleſiam ſpectaret, moliretur juſſit. Hoc ſtatu cum triennio fere in Tonquino res noſtræ fuiſſent, nunciatum Regi eſt, Jeſuitam, neſcio quem, contra atque ipſe imperaſſet, in Regno verſari, auctoremque incolis eſſe, ut numinibus patriis neglectis novam religionem amplecterentur. Quapropter non hic ſolum, ſed duo illi etiam, de quibus modo demonſtratum eſt, juſſi ſunt abire exulatum, coactique in novam navim ingredi, atque in Bataviam tranſduci, ne ipſi Chriſtianique ceteri furorem in ſe Ethnicorum concitarent, Eccleſiaſque tot laboribus conſtitutas imprudentes perderent. Paullo poſt edictum, cujus ſupra meminimus, publicatum fuit. Quo circiter tempore tres Epiſcopi Galli in Cochinchinam, & Tonquinum *Vicarii Apoſtolici* ab Alexandro VII. P. M. miſſi, in Orientalem Indiam pervenerunt. Erant hi Lambertus, Cotolendeyus, & Pallus. Franciſcus Heliopolitanus, qui eorum Antiſtitum unus, præfectuſque Tonquinenſibus erat, cum certior eſſet factus, aditus in illud Regnum omnes intercluſos eſſe, neque eo cuiquam noſtrorum Sacerdotum contendere licere, dici vix poteſt, quam moleſte atque acerbe tulerit. Sed cum collegiſſet ſeſe, conſideraſſetque etiam, atque etiam quid facto opus eſſe videretur, nihil veritus pericula, in quæ ſe ipſum conjiciebat, Tonquinum petere, & fortunam, quæcumque accideret, experiri conſtituit. Interea ad Tonquinenſes Chriſtianos ſcripſit, eoſque hortatus majorem in modum fuit, ut ne ſe vinci paterentur. Nam tormenta ærumnaſque, quibus premebantur, eis gloriæ, & Eccleſiæ commodo, atque utilitati futuras. Circumſpiciebat porro Epiſcopus, via ne ulla reperiri poſſet, qua iter in Tonquinum inſtitueretur. Cum nulla ſeſe offerret, D. Mottæ Lamberti Berytenſis Epiſcopi (nam is erat alter eorum, de quibus dictum mox eſt) conſilio

---

omni ex parte ſchiſmaticas .... Id autem negotii plurimum faceſſebat Ribeiro, quod tumultuantibus adverſus eum cum Schiſmaticis, tum etiam Catholicis & Eccleſiaſticis & ſecularibus, auxilium opemque illis ferebant Batavi. Itaque Gubernator Batavus coacto Miniſtrorum Batavorum conſilio, Cochini die 9. Julii Edictum conſcripſit, quod poſt paucos dies, nimirum die 17. menſis ejuſdem ann. 1704. promulgatum fuit cum teſtificatione Danielis Giuntis, qui erat Conſilio a ſecretis adverſus quemdam (*ita erat ſcriptum*) Sacerdotem Romanum in Luſitania natum Ordinis Pauliſtarum, Johannem Reibeiro nominatum *&c. Conſtat autem poſterioribus nunciis, quod Joannes Ribeiro omnibus exantlatis moleſtiis illis, atque acerbitatibus, Eccleſiam Malabarenſem uſque ad an. 1720. moderatus fuerit, ſive id tribuendum videatur hujus viri prudentiſſimo zelo, & in rebus gerendis ſolertiæ, ſive eximio Patrum Carmelitarum ſtudio in procuranda pace.* Hæc ille. Poſt Riberium Epiſcopus eſt Cranganorenſis conſtitutus Antonius Pimentelus Jeſuita.

(23) Cum diviſi Malabari in factiones eſſent, parſque Romanæ Sedi, pars vero Muſulis Patriarchæ pareret; Jacobitæ opportunam nacti occaſionem, e ſuo cœtu primam circa annum 1663. Gregorium quemdam in eam regionem miſerunt, qui multos ad Monophyſiſmum traduxit. Ei ſucceſſit Baſilius, huic Johannes, Johanni Thomas, de quo agimus, qui jam Epiſcopatu potiebatur anno 1704. Is ſcripſit ad Ignatium Patriarcham Jacobitarum ann. 1709. & an. 1720. Confer Aſſemanum Tom. IV. Bibl. Orient. & Raulinum l. c. De Gabriele Neſtoriano, qui an. 1714. Epiſcopus Malabarorum ejus factionis erat, adeundus Aſſemanus ibid. Ex clariſſimo autem viro Nicolao Lercario ſacræ Congregationi de Propaganda fide a ſecretis accepi, quod de Malabaris Hæreticis ex Neſtorianiſmo ad Eutychianiſmum traductis, & nunc Jacobitæ cujuſdam, qui Iconoclaſta eſt, ſcelere, permotis, ut ad S. Sedem de Catholica religione ſuſcipienda ſcriberent, dixi. Sunt autem ii, qui una cum Archidiacono Catholicos ſe futuros pollicentur, fere triginta hominum millia.

(24) Quæ hactenus de Chriſtianis Malabaris diſputata ſunt, ea nos a Gouvea, libro inſcripto *Jornada de Menezes*. Edit. 1606. Barrera S. J. *Relazione della Miſſione nella Provincia del Malabar* Edit. 1645. Alegambio, Juvencio, Raulino, Lequienio, Renaudotio, Joſepho Sebaſtiano, qui a S. Maria dicebatur, Epiſcopo primum Hierapolitano, inde Biſinianenſi, poſt Titernate, Vincentio Maria a S. Catharina l. c. Lebrunio mutuati ſumus. Uſus præterea ſum Crozæi animadverſionibus; cujus tamen errata quædam, quin illum nominarem, fretus illuſtribus monumentis, rejeci, perplura alia tum oppugnaturus, cum tempus monuerit. Confer etiam, ſi placet, Scriptores quos laudat Fabricius *Salut. Luce Evangelii* cap. XLII.

(25) Urbanus Cerrius lib. ſæpius cit. & Alexander de Rhodes S. J. *Relazione de' felici ſucceſſi della S. Fede predicata da PP. della Compagnia di Gesù nel regno del Tunchino alla Santità di N. S. Papa Innocenzio X.* lib. I.

(26) Confer Lafonum *Hiſt. Chron. des Miſſ. des Freres Prêcheurs* pag. CXXXVIII. & *Hiſt. Provinc. Philipp. Ord. Præd.*

(27) Vide Alexand. de Rhodes ibid. Lib. II. cap. I. & Joſephum Tiſſanerum S. J. *Relat. du Voyage depuis la France, juſque au Royaume de Tunquin* cap. XXIII.

(28) Edictum refert D. Pallu Epiſcopus Heliopolitanus: *Relazione de' Viaggi di tre Véſcovi* &c. ſupra cit. pag. 20. quod ſic habet: *Noi abbiamo ſcacciato, e ſcacciamo perpetuamente fuori del noſtro Regno i Padri, i quali eſſendo fuggiaſchi dalle loro terre, ſono venuti a inſegnare a' popoli groſſolani, agl' ignoranti, e alle donne una legge, ch' è ſenza fondamento, e tanto più pernicioſa e ridicola, quanto che inſegna che non biſogna render culto alcuno nè allo Spirito, nè al Demonio; una legge che vuole, che le mogli abbandonino i loro mariti, e i mariti le mogli ec. E perciò noi ordiniamo, che i capi de' noſtri officiali che riſiedono appreſſo di noi nella noſtra corte, e quelli che comandano nelle Aldee* (che ſono le loro Città, e caſtelli) *uſino ogni poſſibile diligenza per radunare inſieme tutti i libri di orazioni, e dove ſi contiene la dottrina, che queſti Padri hanno ſeminata per lo Regno, e li facciano abbruciare; acciocchè niente rimanga di legge così malvagia. Comandiamo ad ognuno che avrà notizia de' Catechiſti, o de' Predicatori di queſta Religione, di rivelarli, promettendo ricompenſa ec.*

lio permotus, Siami manere, plebemque ibidem instituere decrevit, quoad opportunitatem nactus esset eo penetrandi, quo Pontifex præcepisset. Post multas ob causas Heliopolites Siamo proficisci, atque in Europam redire voluit. Ubi inde discessit, litteræ ad ipsum ab Catechiste quodam Tonquinensi redditæ Berytensi fuerunt, quibus significabatur, lectam fuisse in cœtu Epistolam, quam ille cum Siami ageret, ad Christianos miserat, eamque jam maximam omnibus attulisse alacritatem. Propositum quidem fuisse edictum adversus Sacerdotes & Catechistas haud diu post, quam e Tonquino pulsi Jesuitæ fuerunt; sed nihil ex eo nostros accepisse calamitatis. Itaque libere Christianis in regno, tutoque degere licere. Quod si viri Apostolici revertissent, id regi, qui interdum rogitaret, num redierint, gratum futurum. Præterea esse aliquos, qui censeant, Regis voluntate scriptum ab Ethnicis Tonquinensibus ad Visitatorem Macaensium Jesuitarum, ut suorum aliquos in regnum mitteret. Quamobrem confidere se fore, ut Jesuitæ revertantur, Episcopusque præfici incolis Christianis possit. His lectis litteris, Berytensis Antistes Deyderum sacerdotem e suis quemdam Tonquinensis linguæ peritum anno 1665. delegit, cui in mandatis, ut in eam regionem proficisceretur, & Christianos consolaretur, atque adjuvaret, dedit. Multos is quidem progressus fecerat, cum an. 1671. Berytensis ipse, ut Deydero majores spiritus adderet, Tonquinum petiit. Inde Jesuitæ rursum amplificare fines Tonquinensium Ecclesiarum cœperunt, quæ studiis superiorum Evangelii præconum, sanguineque tot martyrum (29) institutæ fuerant. Hoc idem Sacerdotes, quos deinde Vicarii Apostolici miserant, faciebant. Sed ortæ inter Missionarios contentiones sunt, quod eorum aliqui primos se omnium rerum, sacerdotesque a Vicariis Apostolicis missos (30), ipsosque Vicarios Janseniana hæresi imbutos esse jactarent, impedirentque, ne quis ab eis Sacramenta susciperet, defenderentque litteras a Pontifice datas, quæ relatæ in acta ab Lusitanis non essent, irritas censeri oportere, quod privilegia Regi ab Apostolica Sede concessa viguissent. Harum rerum ubi Clemens X. P. M. certior est factus, cum plane perspiceret, eorum hominum temeritate, malisque artibus magnum afferri Tonquinensibus detrimentum, rursum ad Vicarios litteras, quibus eis dignitatem auctoritatemque confirmabat, scripsit. Addidit Vicarium quartum, qui Sinensis cum esset, tum ob linguæ facultatem, prodesse Christianæ Reipublicæ poterat. At repugnantes obfirmati in sententia manere, Præfecto Ordini obsistere, omnia denique miscere, modo ne Vicariis parere cogerentur. Itaque mortuo Clemente X. Urbanus Cerrius (31) qui Congregationi de propaganda fide a secretis erat, Innocentium XI. qui Clementi successerat, oravit atque obsecravit, ut ne quid prætermitteret, quod ad reprimendos dissensionum auctores spectare videretur. Ei Pontifex respondit, sibi curæ rem adeo gravem futuram. Cura diligentiaque Romanorum Pontificum sedati aliquanto tumultus deinceps fuerunt, dataque Vicariis Apostolicis facultas Tonquinenses instituendi, agendique ut qui Christianis partibus sese addixerant, in fide officioque confirmarentur. Interea viri Apostolici palam de religione quidquam prædicare non audebant, propterea quod revocata Edicta non fuissent, quibus ut in nostros Ethnici inquirerent, renunciarentque, quæ deprehendissent, Regi jubebantur. Anno 1705. a transfuga, nescio quo, Vicarii Apostolici *Missionariique* accusati fuerunt, quod leges a Regibus latas contemnere, Christianisque sacris imbuere incolas conarentur. Anno 1706. Gubernatori cuidam in mandatis datum ab Rege fuit, ut investigaret, vera ne essent, quæ ille ipse transfuga dixerat. Is cum cognosset ab civitatibus vicisque aliquot comiter exceptos Vicarios, præconesque aliquot Evangelii fuisse, Christianos pecunia multavit, quin ullum religionem, quam amplexus esset, ejurare coegerit. Sed ne cognosci in posterum tempus, rursumque accusari possent, eis, ut cœtus clam haberent, utque cruces imagines Sanctorum, quas Princeps retineri a quoquam vetuisset, absconderent, præcepit. Ea res magnopere impediebat, quominus res Ecclesiarum Tonquinensium amplificarentur. Nam etsi erant permulti, qui Christianismum colere optarent; quoniam tamen paupertate premebantur, impetrare id quidem a se ipsis non poterant, quod, si coacti fuissent pecuniam numerare, ne in extremam miseriam inciderent vererentur. At viri Apostolici nullam ab se fieri patiebantur officii intermissionem. Peragrare oppida vicosve, audire pœnitentes, rem divinam facere, omnia denique exsequi, quæ ad incolarum salutem pertinerent. Quo tempore aliqui, quod res diligenter celata non fuisset, capti, atque ad Judices adducti, pulsi tandem in exilium fuerunt. Auctus deinde Dominicanorum, Jesuitarum, aliorumque (32) opera in regno est numerus Christianorum. Nunc Vicarius est ibidem Apostolicus Hilarius a Jesu Augustinianus *Excalceatus*, Episcopus Coricensium. Hoc Episcopo quatuor Jesuitæ fortissimi viri Ann. 1737. religionis Christianæ causa capite plexi sunt. Quo anno cum Franciscus Gilius Federicus Dertosensis Ord. Præd. in oppido Luctuy ageret, ac futurum aliquem, qui se accusaret, ne suspicaretur quidem, nactu magno numero Ethnici una cum sacrificulo Thaytinho homine sceleste, atque hoste nefario Christianæ religionis eodem concurrerunt, dumque summo mane Franciscus rem divinam faceret, ædes, ut ne elabi posset, obsederunt, captumque & funibus deligatum secum in navim transtulerunt, atque in aliud oppidum ad sacrificuli ædes abduxerunt, qui fore confidebat, ut sibi, cum nostris Gilium restituisset, pecunia numeraretur. Id ubi nunciatum Præfecto est, Franciscum ad se adduci imperavit. Sacrificulus, qui rebus suis diffidebat (nam contra leges in ædes suas Sacerdotem Christianum transtulerat) in Metropolim ad Regem, quæ evenerant, nunciaturus contendit. Quæ res in causa fuit, cur optimo viro libere abire minime liceret. Nam præfectus, qui dimittere hominem constituerat, metuens, ne pœnas violatæ legis lueret, ad Regem adiit, & sacrificulum accusavit, Giliumque in potestatem permisit Ethnicorum. Igitur in carcerem conjectus vir fortissimus,

---

(29) Cerrius l. c. *Per una fiera persecuzione furono forzati* (i Missionarj ad abbandonare i Tunchinesi) *sicchè del 1666. quando vi arrivarono i Missionarj mandati dal Vescovo di Berito, era sotto gravissime pene proibita la religione Cattolica; ma contuttociò hanno colla loro attenzione, e virtù operato meraviglie nelle conversioni di soggetti qualificatissimi della Corte, e infinità d' idolatri. E benchè le persecuzioni sieno ritornate più fiere che mai con tormenti e morti de' fedeli; nondimeno, conforme l' antica Chiesa, col sangue de' Martiri si è moltiplicata sempre più la Fede di Cristo; sicchè si può dire adesso, che la maggiore e miglior parte del Tunchino sia Cattolica. E se a quel Re si scrivesse da V. S. con invitarlo a ricevere la nostra santa Religione, mandandogli qualche dono secondo l' uso dell' Oriente (che dimostra stima ed affetto) sarebbe facil cosa che dal* Bua, *o dal* Cioa *fosse abbracciata.*

(30) Cerrius ibid. E' *noto alla Congregazione, quali e quante contraddizioni abbiano sempre avute da certuni, che come primi nelle Indie mal volontieri tollerano di vedersi soggetti a' Vicarj Apostolici; parendo loro di aver perduta in buona parte la stima, e di non essere come in passato arbitri delle inclinazioni di quei popoli, che ben conobbero risplendere vantaggiosamente la bontà e disinteresse de' Vicarj; onde cominciarono in pubbliche adunanze, e nelle Chiese a screditarli, e suscitando un rigido e dannabile scisma, hanno con lettere circolari insinuato a que' fedeli, che non riconoscano, nè prestino obbedienza alcuna; dando loro a credere con argute invenzioni, che sono Vescovi intrusi, ed eretici, e tutti i Sagramenti amministrati da' loro Sacerdoti nulli e sacrileghi; onde con tal supposto fanno loro continuamente rinnovare, e predicando che è meglio morire senza Sagramenti, che prenderli da loro; e perciò perseguitati, e screditati da costoro, altri furono trasportati all' Inquisizione di Goa, ed altri barbaramente scacciati da' medesimi Principi gentili.* Confer quæ sequuntur.

(31) Cerrius ibid. *Arrivate qua queste giustissime lamentazioni, furono dalla sant. mem. di Clemente X. a supplicazione della Congregazione spediti nuovi Brevi, che convalidavano i primi già concedutì a favore de' detti Vicarj; accrescendo non meno la loro giurisdizione, che il numero di essi, con creare per quarto Vicario Apostolico nella China un Domenicano Chinese, ch' essendo Nazionale, più facilmente potesse introdurre la Religione in quel grande Impero ... Seguitarono* (niente di meno gli oppositori) *più che mai a perseguitarli, attraversando ogni loro operazione con disprezzo della S. Sede, a' di cui Brevi, e Bolle viene impedita l' esecuzione con detestabile supposto, che non possa togliere i diritti della Corte di Portogallo. Spedirono perciò detti Vicarj Apostolici nuovo Agente con replicate istanze, che si desse rimedio a queste ostinate opposizioni ..... Oppure che la S. Sede li richiamasse; giacchè le loro operazioni zelanti .... servivano solamente per farli restare vilipesi ec.* Erat ei Episcopo Dominicano Sinensi Gregorius Lopensius nomen. *Hist. Phil. Prov. Dominic.* Tom. II.

(32) Hilarius a Jesu in *Racconto Istorico della prigionia, e morte gloriosa de' Servi di Dio, i PP. Francesco Gil de Federich, e Matteo Alfonso Leziniana, Missionarj Spagnuoli dell' Ord. de' Predicatori, decollati nel Regno del Tunchino per la Cattolica Religione li 22. Gennajo dell' anno 1745. scritto dall' illustrissimo e Reverendissimo Monsignore Frà Ilario di Gesù Agostiniano Scalzo Vescovo Coricense, e Vicario Apostolico nel Tunchino* Rom. 1746.

mus, etsi febri sæpe agitaretur, multisque incommodis a cupidis pecuniæ custodibus carcerum premi soleret, ludibrioque puerorum exponeretur; tamen omnia æquo animo ferebat, curabatque ut non modo nostri in fide manerent, sed Ethnici etiam ad cultum religionis veræ converterentur. Atque hæc quidem ille ad exitum anni 1743. solus erat perpessus, cum intellectum est, Matthæum Aloysium Lezinianam perinde Dominicanum iisdem in ædibus, eademque hora, qua ipse an. 1737. in potestatem Ethnicorum venerat, comprehensum esse, atque in urbem Regni principem transferri oportere, ut eidem Gilio socius gloriæ ac felicitatis esset. Anno 1744. tertio Kalendas Junias adductus ad Regem, hujusque voluntate traditus iisdem carcerum custodibus est, quibus asservandi Gilii impositum onus fuerat. Anno 1745. XII. Kal. Jan. certior Franciscus est factus, se postero die esse gladio, ob res pro religione Christiana gestas, percutiendum. Id quum gratum Francisco esset, ut qui nihil magis in vita optaverat, tum grave atque molestum Matthæo erat, quod metueret, ne si dimissus aliquando fuisset, martyrii gloria, cujus desiderio flagrabat, privaretur. XI. Kal. Aprilis summo mane rem divinam uterque fecit, & posteaquam Franciscus primo carcerum custodi gratias, quas potuit, maximas habuit, milites accesserunt, qui eum ad supplicii locum ducerent. Matthæus, qui sejungi ab amico, socioque pœnarum non poterat, impetravit, ut sibi eum comitari permitteretur. Cum ille alacer, hic mœstus incederent, nuncii accurrerunt, qui dicerent, jussisse Regem, ut Matthæus etiam eodem supplicii genere afficeretur. Igitur pleni gaudii ad destinatum locum venerunt, atque ubi se Christianorum precibus commendarunt, capite diminuti, martyres obierunt. Optimis fortissimisque viris sublatis, minus esse crudeles in Christianos Ethnici cœperunt. Itaque viris Apostolicis majores, uberioresque fructus referre hac nostra ætate licet. Sed de Tonquino satis dictum esto (33).

Tonquino finitima est Cochinchina. Sunt autem hujus Regni incolæ acutis ingeniis, propensique ad amplectendam Christianam religionem. Ac nisi sæpe regiis edictis deterriti fuissent, perpauci Cochinchinenses a nostris sacris, institutisque alieni reperirentur. Nihilosecius fuerunt superiore seculo, suntque in eo, proximoque Regno quod Champà vocatur, & Cochinchinensi Regi paret, permulti, qui nostris se legibus obstrinxerint, inducti Dominicanorum, Jesuitarum, aliorumque virorum Religiosorum oratione, qui eo se introducendæ, dilatandæque veræ religionis causa contulerunt (34).

In Siamense Imperium perinde est a nostris primum, tum a Vicariis Apostolicis laboratum, ut nostra Religio inveheretur (35), latiusque in dies manaret. Etsi enim Reges falsorum numinum superstitione detinebantur; tamen liberam nostris concedebant prædicandi Evangelii potestatem. Ac nisi Muhamedani, quorum ibidem haud exigua est auctoritas, restitissent, longe major in Siamo, proximisque Regnis fuisset numerus Christianorum. In Cambojæ quoque regno viri Apostolici (36), sanctæque Sedis Vicarii haud exiguos fructus reportarunt, proximisque in oppidis Christiana religio viget (37).

In Java, aliisque insulis, quas ante Lusitani obtinebant, deindeque in potestatem venerunt Batavorum, seculo XVI. felices successus res nostræ initio habuerunt, sed immutata ratio est seculo superiore, dum viris Apostolicis, imprimisque Jesuitis, interdictus in eam insulam ab Hollandis aditus fuerit, cautumque ne quis

(33) Eorum, qui de rebus Tunquinensibus scripserunt, consulat Lector Alexandrum de Rhodes, aliosque, quos paullo ante memoravi; Danielem Bartholum S. J. *Hist. dell' Asia S. J.* parte II. Romæ 1661., Johannem Philippum Marinum Genuensem S. J. *Delle Missioni de' PP. della Compagnia di Gesù ec.* Romæ 1665. Anonymum *Hist. des Royaumes de Tunquin & de Lajo à Paris 1666.* Cornelium Hazart S. J. *Christianismus Catholicus per Universum Terrarum Orbem propagatus sæculo in primis XV. & XVI.* Belgice Amst. & cum Auctario interpretis Mathiæ Soutermani S. J. Germanice, Viennæ in Austria an. 1684. Hunc nominat Joannes Albertus Fabricius *Salutari Luce Evangelii* Cap. XXXII. *Voyage d' un Missionaire de la Compagnie de Jesus en Tunquin, en Perse, en Armenie, en Arabie, & en Barbarie* ab anno 1688. ad 1709. Paris. 1750. & Epistolas aliquot ad eam rem attinentes, quas collegerunt Carolus Gobienus & Dualdus, variisque voluminibus ediderunt, inscripseruntque *Lettres Edifiantes & Curieuses &c.*

(34) De Missionibus in Cochinchinam confer Francisci Eugenii litteras inde scriptas an. 1619. Gasparis Luisii an. 1621. Pallu *Breve e compendiosa narrazione de' Viaggi di tre Vescovi Franzesi ec.* Cerri l. cit. *Riescono i Cocincinesi molto propensi al Cristianesimo: che se non soffero le persecuzioni, e gli Editti regj, facilmente in breve tempo si convertirebbero .... Sta questo regno sotto la cura pastorale del Vescovo di Berito, uno de' Vicarj Apostolici, e altri Missionarj, e vi hanno fatto grandissimo frutto, come anche nel regno di Champà soggetto al Re della Cocincina.* Vide præterea Christophorum Borrium *Relaz. della Missione nel regno della Cocincina* an. 1631. Jacobum Lambertum S. J. *de Regno Cocincinensi*, Jacobum de Marchault *de Regno Cocinchin.* Gallice edit. an. 1632. Mitto ceteros, ne sim longior quam oportet. Nunc temporis viri Apostolici religioni in eo Regno dilatandæ operam felici successu navant. In his est Josephus Macionius Ord. Præd. Florentinus.

(35) De propensione Regum Siamensium erga Christianos agit Pallu l. c. Cerrius, *E' situato*, inquit, *questo regno nella parte meridionale dell' Indie, passato il Golfo di Bengala; ed è diviso in undici provincie, ch' erano una volta undici regni, delle quali la principale è Siam, così nominata dalla Città metropoli posta sul mare, porto comodissimo, e sede reale. Si permette in questa Città, e in tutto il regno, benchè il Re sia idolatra, l' esercizio libero d' ogni religione, onde i Vicarj Apostolici col consenso della S. Sede hanno ivi fermata la residenza di uno di loro; avendosi aperta Chiesa, e fondato un Seminario, dove istituiscono i naturali per ordinarli Sacerdoti .... Il maggior impedimento, che per la propagazione della fede sia in detto regno, è il credito, e la potenza che hanno i Maomettani, i quali non mancano di usare ogni arte per introdurvi la loro pessima setta; anzi non è gran tempo, che il Re fu invitato ad abbracciarla con solenne ambasceria dalla Regina d' Archen, che governa il più considerabil regno dell' isola di Sumatra, e anche dal Re di Golgonda, ambidue Maomettani. Con tutto ciò vi si sono fatti grandissimi progressi da' Missionarj, non solo in Siam, ma nelle altre provincie, particolarmente in Tesserim, battezzando anche molte persone principali di quella Corte.* Anno 1688. Rex Gallorum Ludovicus XIV. Legato, quem in Siamum miserat, in mandatis dedit, ut de pertrahendo ad Christiana Sacra Siamensium Rege ageret. Id ille cum in eam regionem perveniisset contendit. Sed frustra. *Voyage de Siam des Peres Jesuites envoyés par le Roy aux Indes & à la Chine* Tom. I. Iidem Jesuitæ curarunt, & Regi persuaserunt, ut XII. Mathematicos a præposito generali peteret. Horum enim opera confidebant fore, ut Rex ad sanitatem reverteretur. Anno 1687. crebris rumoribus Ludovicus Rex intelligebat, esse Siamensem bene in Christianos animatum. Igitur Missionarios eodem mitti curavit. Sed rebus immutatis Viri Apostolici Pondicheriam, quæ sita est in ora Coromandelienſi, se contulerunt. *Memoires du Comte de Forbin Relat. de revol. arrivées à Siam* an. 1688. P. d' Orleans S. J. *dans la vie de Costance Phaulion premier Ministre du Roy de Siam* Paris. 1690. Anno 1688. Jesuitæ e Siamo pulsi in Coromandelienſem oram appulerunt, unaque cum Cappucinis dilatandæ Christianæ Religioni Pondicheriæ operam dederunt, ut est apud Norbertum. Sed de statu religionis in Siamensi Regno adeundi Loubera. *Descript. du Royaume de Siam*, ceterique quos Jo. Albertus Fabricius numerat *Salut. Luce Evangelii* Cap. XL. Jam inde autem ab anno 1566. Dominicani de reducendis Siamensibus cogitaverant, idque ut exequerentur, Hieronymum a Cruce cum socio in Regnum miserant. Ethnici autem commoti Hieronymum interfecerunt. Constat ex litteris Ferdinandi a S. Maria, quæ Malaca ad Magistrum Ordinis Romam misit, apud Lafonum l. c. pag. CXXI.

(36) Proximum est Siamensi Cambojanum Regnum. Anno circiter 1596. Dominicani & Franciscani Regis Praucari voluntate prædicare ibidem Evangelium cœperunt. *Hist. Prov. Philipp. Ord. Præd.* Tom. I. Anno 1628. eodem rursum Viros Apostolicos Dominicani transferri curarunt. Vicarii Apostolici, quos ab Alexandro VII. missos in Orientales Indias diximus, aliquos in eo ipso regno progressus fecerunt. Cerrius l. c. Vide librum inscriptum *Relation des Missions des évesques françois aux Royaume de Siam de la Cochinchine, de Camboy & du Tonchin depuis 1666. jusque 1671. Paris 1674. Suite de la relation es années* 1672. jusqu' *au* 1675. *Paris.* 1680.

(37) Cerrius l. cit. *Goa solamente, città bella, e popolata con Ciaul, Barrino, Damano, e Diri piccoli contadi assai vicini colle isole di Macao, sono rimasi sotto il dominio già vasto di Portogallo. Sta in Goa l' Arcivescovo con gran Capitolo e Clero ec.* Johannes Albertus Fabricius lib. cit. cap. XLII. *Caput dictionum juris Ecclesiastici in Asia est Goa expugnata ab Albukerkio an.* 1508. *& ab an.* 1540. *Sedes Archiepiscopi Metropolitani. Præter summum Vicarium Episcopum Goæ versantem, quatuor suffraganeos sub se habet Episcopos, Cochinensem, Meliaporensem, Malacensem, & Macaitanum (quintus enim Nangasachiensis in insulis Japoniæ, post Lusitanos Japonia ejectos, esse desiit.) Angamalensem præterea Archiepiscopum &c.* Hæc ille. Episcoporum Meliaporensium seriem describit Raulinus Differt. V. in Hist. Synodi Diamperitanæ, & Antonius Cajetanus de Sousa initio *Commentarior.* Acad. Ulyssipp. an. 1722., qui eodem etiam volumine seriem texit Cochinensium, & Macaensium. Sed de laboribus Ordinum Religiosorum in Indiis Orientalibus, inprimisque Francisci Xaverii, sanctissimi viri, adeundi Petrus Maffejus Bergomas *Historiar. Indicar.* lib. 1. Franciscus Xaverius ipse in epistolis ad Maffejum, in extremo eodem volumine, & apud Turſellinum in fine voluminis *de vita & rebus gestis Francisci Xaverii* Edit. an. 1596.

noſtrum, cui poteſtas ab ipſis non eſſet (38) facta, eodem appellere auderet. Atque ut in Java inſula, ita in Malaca Regno (39) Indiæ extra Gangem, Ceylano, quæ vetus (40) Taprobana a pleriſque creditur, Maldiviſque (41) Inſulis haud paucis nunciatum a viris Apoſtolicis, quos eo Luſitani tranſduxerant, ſæculo XVI. Evangelium eſt, ac late longeque propagatum. Imminutæ tamen opes Catholicorum ibidem, atque in multis pene deletæ a Batavis, Britanniſque fuerunt. Moluccas inſulas non diu ante annum 1511. detectas, ab anno 1529. Luſitani; Hiſpani vero ab an. 1580. obtinuerunt, quoad magnam eorum partem anno 1600. Batavi in ſuam redegerunt poteſtatem. In has Calvanus Præfectus cum veniſſet, magnam Eccleſiæ Catholicæ, converſione multorum ad Chriſtiana ſacra, attulerat utilitatem. Super Moluccas ſeptentriones verſus ſunt Philippinæ, quarum eſt maximus numerus. Nam aliqui 1200. alii aliquanto eſſe plures contendunt. Harum multas obtinent Hiſpani. Præcipua eſt Luzonia, ſeu Manila, Archiepiſcopi ſedes. Incredibile dictu eſt, quantam in his vim quantamque copiam hominum Dominicani, Franciſcani, Auguſtiniani (42), Carmelitæ, Ca-

---

an. 1596. *Hiſt. Prov. Philipp. Dominic.* Petrus Jarricus S. J. Hiſt. *des choſes le plus memorables avenues tant en Indes Orientales, qu' aux autres pays de la découverte des Portugais &c.* Edit. an. 1610. Ludovicus Guſmanus S. J. *Hiſt. de las Miſſiones que han hecho los Religioſos dela Compagnia de Jeſu en la India Oriental &c.* Edit. an. 1601. Chriſtianus Suareſius de Figueroa *Relat. de las Caſas, que hiſieron los Padres de la Compania por las partes de Orient. Edit.* 1614. Marcellus Ribadaneira Franciſcanus *Hiſt. de las islas, de la gran China, Tartaria, Cochinchina, Siam, Camboxa, y Japan, y de lo ſuccedido en ellos a los Religioſos Deſcalços de la Orden del Seraphico Padre S. Franceſco de la provincia de S. Gregorio de las Philipinas Edit.* 1601. Hanuardi de Cameren *Epiſtolarum Japonicarum collectio de multorum in variis Inſulis gentilium ad Chriſti fidem converſione, adjunctis epiſtolis Aſiaticis de Tartarorum imperio, religione, & moribus an.* 1569. Epiſtolæ *Coſmi Turriani S. J. an.* 1551. *de rebus Indicis; & Gaſparis Vilelæ S. J. an.* 1554. Martinus Ignatius Franciſcanus *Itiner. in Ind. Occident. & Orient. an.* 1584. Joannes Baptiſta Peruſſius S. J. *Hiſtorica narratio de Rege Mogol, & Regnor. Jap. converſ. an.* 1597. Nicolaus Pimenta Soc. Jeſu *de rebus geſtis in Ind. Orient. a PP. Societatis Jeſu an.* 1598. & 1599. *Edit. an.* 1601. Johannes de Lucena *Hiſt. & Vita Franciſci Xaverii, & de rebus geſtis aliorum Religioſor. S. J. Edit. an.* 1613. Emmanuel *Faria de Souſa* Aſia Portugueſa Edit. 1666. Joannes de Barros *Decadib. de Aſia Vol.* 3. *Edit.* 1628. Didacus de Cato *Decadib. de Aſia an.* 1619. Joannes Vayus S. J. *Collect. epiſt. de rebus Japonicis, indieis* &c. *Edit. Antuerp.* 1605. Mitto cæteros, quos numerat Fabricius in *Lib. qui de Salut. luce Evangelii* inſcribitur. Johannes Baptiſta Macatus S. J. *Geſta a PP. Soc. Jeſu in Regno Tibet, & Siam Edit. Pariſ.* Michael Angelus Lualdus *P' India Orientale ſoggetta al Vangelo Edit. Rom. an.* 1653. Utinam a Sac. Congreg. de Propaganda Fide negotium cuiquam conſcribendæ Hiſtoriæ Miſſionum daretur! Quot inde commoda Reſpublica pararet populi Chriſtiani! Id fortaſſe aliquando fiet. Sed tempore.

(38) De Javis inſulis conſule, præter Scriptores Luſitanos, Petrum Maffejum *Hiſtoriar. Indicar.* Lib. V. & Lib. X. ubi quid actum in iis a præconibus Religioſis fuerit, narrat. Quæ vero geſta deinde a Batavis ſint, oſtendit Cerrius l. c. inquiens: *Avendo preſo piede la Compagnia d' Ollanda nella Java maggiore, & ivi fondata la città, e fortezza di Batavia.... facendoſi anche Signora delle iſole Molueche, acquiſtò nel* 1632. *la città di Malaca, e poi la iſola di Ceilan. Quindi ſcorrendo alla coſta di Coromandel, ſoggiogò molti altri luoghi ne' Regni di Bizнaga, e Meliapor, tutto togliendo alla Corona di Portogallo; anzi accoſtandoſi a Goa nel* 1672. *s' impadronì del capo di Comorino della Coſta di Fravancor, di Cramganor, Poliporto, Cavaron, e della famoſa città di Coecino, facendoſi in ſomma padrona quaſi aſſoluta di tutta la India Orientale con tanto potere, ricchezza, e vaſcelli, che ſi rende impoſſibile il togliere queſto poſſeſſo, ſe non ſi ſoggioga tutta la Olanda. E' vero però, che il Re di Danimarca ha nella detta coſta di Coromandel una fortezza chiamata Tringabar, e il Re d' Inghilterra ve ne poſſiede un' altra nominata Madraſpatan, dove ſtanno i Cappucini Franceſi aſſai ben veduti dal Governatore.... Da queſta gran perdita de' Portogheſi ne ſeguitò lo ſtato miſerabile di quella Criſtianità; avendovi gli Olandeſi diſtrutte e profanate le Chieſe, convertiti in uſi mondani i Sacri vaſi, e vilipeſe le S. imagini, e le reliquie, diſcacciando con bandi rigoroſi tutti i Sacerdoti, e particolarmente i Geſuiti; onde ſenza il conſenſo loro è impoſſibile il mantenere, non che propagare la fede cattolica in queſti vaſti paeſi, dove al tempo de' Portogheſi ſi profeſſava con ogni libertà.* Pulſis noſtris, Proteſtantes conati ſunt Inſulanos ad ſuam *Reformationem* pertrahere; idque jam multis partibus obtinuerunt. Nam ita eſt a Jacobo Viſchero ſcriptum Tom. III. *Biblioth. Hiſt. Theol. Bremenſ.*, & Tom. V. De ſtatu inſulæ agunt Franciſcus Michael Janiconus *Dans l' état preſent de la Repub. des Provinces Unies Hagæ Comitum Edit.* 1729., *& auctores* Itinerariorum *In Recueil des voyages qui ont ſervi à l' établiſſement & au progrès de la Compagnie des Indes Orientales Edit. Amſt. an.* 1712.

(39) Ab Urbano VIII. in Bulla Canonizat. S. Franciſci Xaverii Sanctus idem appellatur *Novus Indiarum Apoſtolus.... qui effecerit, ut multa centena hominum millia, qui in tenebris.... ambulabant, ad agnitionem veræ lucis perducti regenerationis lavacro mundarentur. Nam præter Indos, Bracmanes, & Malabares... ipſe primus Paravis, Malais, Jais, Atenis, Mindanais, Malarenſibus, & Japonibus Evangelium Chriſti annuntiaverat; multique illarum regionum reges, & magni principes ingenti cum fidei noſtræ emolumento ſuavi Chriſti jugo colla ſubdiderunt.* Confer Turſellinum in vita Franciſci Xaverii. Negari tamen non poteſt, quin diu ante S. Xaverium & Jeſuitas, Dominicani atque Franciſcani Chriſtianiſmum in Inſulas Aſiaticas, Indiamque pene univerſam intulerint. Adeundus Hieronymus Platus Soc. Jeſu P. II. *de bono ſtatu Religionis* cap. XXX., & apud Laſonum, ubi innumerabiles pene homines Indos, Arabas, Perſas a Dominicanis ſuiſſe circa an. 1504. ad noſtra ſacra perductos ſcribit. Viros Apoſtolicos, qui una cum Dominico Souſa functi his laboribus fuerunt, recenſet Lafonus. Illi quidem in Malabaria, & Ora Coromandelienſi, aliiſque in regnis Indiæ Evangelium promulgaverunt, Eccleſiaſque conſtituerunt, ut ex Luſitanis Scriptoribus oſtendit idem Lafonus. Confer illum ad annum 1519. Malacæ, quæ anno 1515. in poteſtatem venit Luſitanorum, primus omnium idem ipſe Souſa Chriſtum incolis nuntiavit. Vide Gaſparem Corream *Jornada dos Alburquerſque* cap. IV. VIII. XIX. XLII. Atque eſt vere opportuneque obſervatum a Lafono, primos fuiſſe omnium Fratres Prædicatores, qui poſt appulſum Luſitanorum in Indias Epiſcopos Goanis dederint, templaque in iis locis extruxerint. Præmia autem hæc fuiſſe laborum, quos majores noſtri in Mogolia, atque Tartaria, Indiciſque Inſulis ſubierunt. De Dominicanis, & aliis Ordinum Religioſorum alumnis, qui Malacæ agebant, religionemque propagare conabantur, quo tempore capta urbs a Batavis fuit, deque adverſis rebus, quæ iiſdem contigerunt, vide *Hiſt. Inſul. Philip. Provinc. Dominic.* Tom. II.

(40) Ceylanum Inſulam cum occupaſſent Luſitani, Chriſtianam fieri curarunt. Vide Joannem Barrium Decade III. Lib. II. C. V., & Joannem Ribeirum de eadem Inſula, & Fabricium loco mox indicando. Anno 1656. vitiari incolæ Chriſtiani a Batavis cœperunt. Confer, ſi licet, Jo. Albertum Fabricium *Salut. luce Evang.* a Coſma Indopleuſte Tom. II. Collect. Veter. Script. Edit. Montfauc. anno. 1706. *Seledivæ* nomine eam Inſulam appellari novi quidam Scriptores cenſent. Immo vero eandem alii æque veterum Taprobanam eſſe exiſtimant. Confer Cellar. Tom. II. Geogr. Antiq.

(41) De Maldivis conſule Maffejum lib. VII. Veteres Relationes editas a Renaudotio, & Renaudotium ipſum in Notis. Regi eas Muhamedano parere ſcribit Pyrardus *Itiner.* Gallice edito part. I. cap. X. Pauci ibidem Chriſtiani verſantur, atque ii quidem non Religionis propagandæ, ſed mercaturæ exercendæ cauſſa.

(42) Jam inde ab eo tempore, quo detectæ eæ ipſæ Inſulæ fuerunt, Dominicani, Franciſcani, aliique ex aliis Ordinibus religioſi viri, quorum ſupra facta mentio eſt, introducere in eas, ibique propagare Chriſtianam religionem cœperunt. Confer *Hiſt. Prov. Philipp. Dominic.* lib. I. Quos deinde progreſſus fecerint ex ſeqq. libris cognoſci poteſt. Urbanus Cerrius l. c. de ſtatu Religionis in Philippinis, ut erat an. 1678., ſcribens inquit: *Nelle Iſole ſtanno ſparſi più di* 500. *Religioſi di varie Religioni, Agoſtiniani, Domenicani, Franceſcani, Geſuiti, e Agoſtiniani Scalzi, ivi chiamati Recolletti, riſedendo in diverſe Chieſe, dove non con nome di Parrochi, ma di dottrinarj inſegnano la dottrina Criſtiana, e vi hanno fatte numeroſe converſioni quaſi di due milioni di anime, attendendo con ogni diligenza alla propagazione della Fede. La principale di queſte Iſole è Luzon, nella quale ſta Manila Arciveſcovato, e Città aſſai popolata, piena di Chieſe, Conventi, Collegj, Oſpedali, e altri luoghi pii. Ne' ſuoi Borghi dimorano quaſi dieci mila Chineſi, che per opera di detti Religioſi ne paſſano continuamente alla fede Cattolica; eſſendo gente aſſai ingegnoſa, dove gli altri abitanti ſono aſſai rozzi, e pigri. Nella medeſima Iſola ſtanno due altri Veſcovati, uno della nuova Cazeres, oltre quello detto del nome di Cesù, che ha la reſidenza in un' altra Iſola chiamata Sebù. Sono dalle dette Iſole uſciti in altri tempi diligentiſſimi Operaj per le Miſſioni del Giappone; e adeſſo paſſano molti Domenicani, e Franceſcani anche nella China ..... Le Iſole de' Ladroni ... formano una linea retta dal Giappone ſino alla nuova Guinea .... Da dieci anni in qua un Geſuita chiamato il P. S. Vittores operò tanto colla Regina, co' Miniſtri, e con i ſuoi Superiori, che vi fondò una Miſſione della ſua Religione, quale in breviſſimo tempo vi fece grandiſſimo frutto; ma egli vi reſtò ultimamente martirizzato con due ſuoi compagni; onde vi furono l' anno paſſato mandati ſei altri Padri in ſoccorſo della Miſſione.* Dominicani, & Franciſcani, Auguſtiniani, Jeſuitæ, & Carmelitæ id vehementer laborant, ut eos Inſulanos, qui nondum de Chriſto cognorunt, ad veram Religionem adducant.

Capucini, Jeſuitæ &c. ad veram religionem amplectendam induxerint. Quum enim ſuas Provincias inſtituerint, in quibus ſeveritas legum vigeret, ſtudiaque litterarum colerentur; ita exemplo, doctrinaque valuerunt, ut non modo Inſulanos, in quos inciderant, eoſque quos (43) recens invenerunt ignaros religionis veræ, reduxerint ad ſanitatem; ſed etiam miniſtros Evangelii in Indiam Orientalem fere univerſam miſerint, quorum plerique omnes magnos retulerunt laborum fructus; permulti autem martyres obierunt. In Formoſam religionem orthodoxam intulere Dominicani, Franciſcani, aliique Eccleſiaſtici viri. Sed Batavorum deinde in Catholicos odio, imminutæ res noſtræ in Inſula, ac pene deletæ fuerunt.

---

(43) Ante annos paucos novas Provincias Dominicani detexerunt, in eaſque ſe nunciatum Evangelium contulerunt. Cum eorum, qui primi iter eſſent aggreſſi, maxima pars ob ingentes labores, & graviſſima incommoda interiiſſent; ſuffecti alii ſunt, qui non modo Inſulanos, ac potiſſimum Paniquenſes ad chriſtiana ſacra colenda permoverunt, verum etiam ad parendum Hiſpanorum Regi. In Capitulo generali Bononiæ a FF. Prædicatoribus celebrato an. 1748., quo quidem in Capitulo electus cunctis ſuffragiis Antoninus Bremondus Maſſilienſis (vir ſumma & morum integritate, & prudentia, & doctrina, atque eruditione) Magiſter Ordinis fuit, decretum eſt, ut hæc in Acta referrentur: *Denunciamus, fratres noſtros Sanctiſſimi Roſarii Philippinarum poſt inſtauratas in nova Segovia quinque Miſſiones, aliamque erectam in Provincia Pangaſianan, ad Inſulas, quas vocant de Batan, Barbarorum Coloniis frequentiſſimas appuliſſe, ſedemque in ea fixiſſe, quæ Calayan appellatur, ubi rudem ac ſuperſtitioſam gentem Chriſtianæ Religionis myſteriis imbuendam feliciter ſuſcepere, pluribus etiam Apoſtatis ibidem latitantibus in Eccleſiæ ſinum reductis ..... Nova iiſdem meſſis oblata eſt ann. 1739., plurimarum ſcilicet variarumque gentium, quibus in centro Inſulæ Luzoniæ inacceſſorum montium aſperitate circumſeptis nullum Evangelii lumen affulſerat. Intentatus aliis, patuit non ſine divino Numine Miſſionariis noſtris ad eas acceſſus per incredibiles viarum labores, per graviſſima æſtus & gelu, famis & ſitis incommoda, per multa demum vitæ pericula, quibus tres eorum uniut anni ſpatio confecti, & deſiderati ſunt. Ceteri autem ſpe contra ſpem zelo fidei agentes, ſuſceptæ expeditionis fructum tulerunt, in barbaram illam incultamque nationem penetrantes, ubi nova inſtituta Miſſio, cui titulus S. Crucis impoſitus, facili & expedito poſteris patefacto itinere a Provincia de Cagayan in Provinciam Pangaſianam, commercio in primis utili, atque animabus Chriſto lucrifaciendis aptiſſimo .... Ipſam gentem exlegem atque efferatam Prædicatoribus uſque ad mortis minas ante obſiſtentem, ſumma induſtria, lenitate, ac patientia ad rationalis primum politicæque vitæ rationem inſtitutam, mox fidei rudimentis imbutam, ad eam amplectendam ita allexerunt, ut deſcendentibus quotidie e vicinis montibus Gentilium catervis Evangelii prædicationem aviditſime excepturis, jam plurimi eorum religionis Catholicæ jugo colla ſubmiſerint; ſpem certiſſimam facientes, innumerabilem Nationem per octoginta & amplius populos diffuſam, divina gratia cœptum opus perficiente, in unum Chriſti gregem coalituram.* Hujus Provinciæ Patribus, cum rebus omnibus quibus poterant Cardinalem Tournonium juviſſent, Clemens XI. Pontifex Maximus Litteras in *forma Brevis* dedit, quibus eis gratias egit, promiſitque fore, ut quam gratum Sedi Apoſtolicæ feciſſent, aliquando cognoſcerent. Confer *Bullar. Ord. Præd.* Tom. VI. Et Patris Fabri *Epiſt.* Tom. X. *Lettres édif.*

DISSERTATIO IV.

DE PROSCRIPTIS

SINENSIUM RITIBUS,

QUORUM HISTORIA EXPONITUR CUM APPENDICE MONUMENTORUM.

§. I.

RITUUM Sinenſium nomine certæ quædam cæremoniæ & ſacrificia veniunt, quæ vaſtiſſimi Imperii Sinarum incolæ Cælo, Confucio, & Progenitoribus ſuis vita functis peragere conſueverunt. Hos Ritus tuto exerceri poſſe, ſalva Catholici cultus & Religionis integritate, e Societate Jeſu evangelici præcones contendebant, negantibus & obſiſtentibus aliis, præſertim fratribus Ordinis Prædicatorum, tum etiam Vicariis Apoſtolicis, & Chriſtianæ legis atque doctrinæ Nuntiis, quos *Seculares* vulgo nominant. Præcipuo rerum apparatu obitos ritus *civiles* duntaxat pronuntiabant ſacri Operarii Societatis. Alii *religioſos* aſſerebant & noxios, evincebantque gravibus omnino momentis & rationibus. Non defuerunt ex exteris qui Jeſuitis acceſſerint: erant & in Societate, quamquam pauci, qui contra Socios ſentiebant.

§. II.

Ejuſmodi cæremoniarum pernicioſam conditionem omnium primus Urbano VIII. Pontifici Maximo detexit, & ad Apoſtolicam Sedem detulit P. Joannes Baptiſta *de Morales* Hiſpanus Bœticus, perinſignis Theologus, Aſtygi natus anno circiter MDXCVII. de quo ita Echardus Tom. II. *Script. Ord. Præd.* pag. 611. „ Adoleſcens in Patria Ordini Prædicatorum adſcriptus, „ poſt egregios in ſacris litteris ut & in pietate progreſſus, fidei promovendæ ſtudio, ſalutiſque animarum zelo ardens, novis, quos noſter Antonius *Guttierez* in Provinciæ Philippinarum ſupplementum conſcribebat, Miſſionariis junior adhuc Diaconuſque tantum adjungi obtinuit, Mexicoque tranſiens presbyter inauguratus an. MDCXVIII. vel inſequenti Manilam pervenit. Mox in eam Inſulæ regionem *Parian* dictam a Sinis inhabitatam miſſus, lingua brevi comparata, novis illis Chriſtianis inſtituendis, proſelytiſque ad Chriſtum adducendis decem annis ſolidis cum non pœnitendo fructu deſudavit. Anno MDCXXIX. in Imperio magni Mogolis fidei ſtabiliendæ quædam ſpes affulgebat. Eo igitur miſſus eſt cum quatuor e noſtris. Cambojam ſcilicet, ſive Cambajam, ejuſdem nominis Regni Metropolim, fruſtra tamen, ſemel ac iterum eo ſe contulit, nondum iis terris arridente gratia. At tandem, quod in votis potiſſimum habebat, licet aperire non auderet, vocationem a Deo probe ſciens expectandam, quæ Superiorum voce explicatur, conſecutus eſt. Celebris ille noſter Angelus *Coqui*, de quo ſupra ad 1633. vaſtiſſimum illud Sinarum Imperium anno MDCXXXI. intraverat, Eccleſiam Miſſionemque ſtabilem fundarat ac firmarat, operarios in ingentem ac paratam meſſem inſtantius petebat ſibique coadjutores: tum Joannem Baptiſtam noſtrum jubet Philippinarum Provincialis eo ſe conferre; qui mox dicto obediens eo advolat ſocio e ſacra Minorum Familia unico F. Antonio a S. Maria, quocum anno MDCXXXIII. ad civitatem *Fogan* ſecunda Julii acceſſit. Ibi quam ſtrenue pro Chriſto dicendo, operando, ac etiam patiendo laboraverit, ac ſpatio XXXII. fere annorum deſudarit, noſtri referre non eſt inſtituti, de quibus Hiſtoriam Provinciæ noſtræ Philippinarum adeat lector curioſus, præſertim T. I. lib. 2. capp. 53. & 54. & Tom. II. paſſim, ac præſertim lib. 2. cap. 27. ad 32. Paucis dixiſſe ſat nobis ſit, alterum fuiſſe a F. Angelo *Coqui* Miſſionis noſtræ Sinicæ erectorem, ejuſdem fere ſemper ab inde præfectum, verboque & exemplo inſtitutorem, pluries ab ejus Imperii gente *pro falſa ſecta Dei* (ſic enim titulus ipſe ferebat, ſive ſententia Judicis) variis calamitatibus & torturis vexatum, flagellis etiam diriſſime cæſum, e provincia in provinciam agente quorumdam invidia injectum, imo & anno MDCXXXVIII. tota ditione majoribus cum opprobriis pulſum. Quorum occaſio potiſſima fuit, quæ noſtros & Ordinis Minorum Miſſionarios inter ex una parte, & Patres Societatis ex altera verſabatur de cultu Confucii, avorumque & progenitorum aris & ſacrificiis controverſia; his iſtos ritus omnes civiles politicoſque tantum, ac proinde licitos eſſe contendentibus; illis vero contra ſuperſtitioſos, ac idololatricos, nec ferendos conteſtantibus. Ea de cauſſa Romam provinciarum Philippinarum noſtræ, ac Minorum Procurator miſſus, qui ſummum Pontificem conſuleret, illuc non ſine graviſſimis terra marique exantlatis laboribus & periculis tandem anno MDCXLIII. pervenit, oblatoque Urbano VIII. quæſitorum ſuorum memoriali, interea dum de reſponſione tractarent Judices a Pontifice conſtituti, habita ſunt Ordinis generaliſſima Comitia anno MDCXLIV. quibus ipſe interfuit Philippinarum Provinciæ Definitor. Die XXIX. Julii ejuſdem anni extincto Urbano VIII. ab Innocentio X. die XV. Septembris ſequentis electo, decretum tandem XII. Septembris MDCXLV. emanavit ad quæſita plane reſpondens, quoque videbantur ſopiendæ omnes controverſiæ. Hoc ubi in Hiſpania, quo ſe jam contulerat, accepit, mox regreſſum parat, præclarum Miſſionariorum noſtrorum triginta ſecum ducens ſupplementum; at variis in itinere retardatus difficultatibus, nonniſi XXIII. Decembris MDCXLIX. ad relictam & optatam ſuam in Sina ſtationem acceſſit... Tum vero unius Dei prædicationi, fideique dilatationi per varias Provincias incumbere cœpit ſi unquam alias ardentius; verum & recruduerunt ſimul in eum priores perſecutiones, quas quidem ab infidelibus illatas, qui non ſemel peſſime exceptum fere necaverunt, gloriæ ducebat: at animo continuo angebatur, quod Decretum Innocentii X. ubique, ac quibus oportebat denunciatum, non, uti par erat, exciperetur; imo vi alterius decreti a Patribus Societatis XII. Martii MDCLVI. ab Alexandro VII. obtenti, & in ſpeciem contrarii, ut iſti perſuadere conabantur, omnino eluderetur, & veluti caſſum fieret. Cum autem de ſumma fidei in eo agi ſibi videretur, ritus illos Sinicos, quamdiu vixit, & verbo & ſcripto impugnavit; neophytis ſuis omnino interdixit; ad baptiſmum aſpirantes, niſi eis renunciarent, non admiſit; imo & moriens diſcipulis, quos informaverat, ut in idem inſtarent ultimis verbis veluti teſtamento præſcripſit. Obiit magna apud omnes Sæculares & Regulares omnium Ordinum etiam Societatis Jeſu cum opinione ſanctitatis XVII. Septembris MDCLXIV. ætatis LXVII. hora quarta poſt meridiem apud Sinas in civitate *Foningchen* provinciæ *Fokieng* metropoli". Hucuſque diligens doctuſque biographus Echardus, qui exſcriptis librorum indicem addit, quos Moraleſius elucubravit. Ex his duos tantum commemorabimus. Primus tunc titulum habet: *Relatio & libellus ſupplex F. Joannis Baptiſtæ de Morales, ab eo & ſeptem aliis Miſſionariis Apoſtolicis Ord. FF. Prædicatorum in Sinarum Imperio ſubſcriptus, & oblatus ſacræ Congregationi de Propaganda Fide una cum quæſtionibus XXII. ab iiſdem propoſitis circa mores, ac Ritus Sinicos XXX. Maji MDCLXI. ad ſanctam Sedem Apoſtolicam in ſacra Congregatione de Propaganda Fide.* Hunc libellum primo vulgavit Natalis Alexander in Gallica *Apologia* Dominicanorum inter documenta a pag. 29. ad 118. Cum dicto Joanne Baptiſta Moraleſio ſubſcripſerunt Fr. Timotheus a S. Antonino, Dominicus *Coronado*, Franciſcus *Varo*, Dominicus *de Navarette*, Joannes *de Polanco*. Hujus exemplar ipſius Moraleſii manu ſcriptum, & aliorum ſeptem Dominicanorum Miſſionariorum chirographo ſubſignatum,

tum, extat apud Pariſienſes Prædicatores ad S. Honoratum charta Sinenſi bombycina guttiolis aureis pro more patriæ inſperſa & flagellata foliis 21. *Princ.* „ F. „ Joannes Baptiſta de Morales Ordinis Prædicatorum „ omnium Fratrum ejuſdem Ordinis in ampliſſimo Si„ narum Regno præfectus Apoſtolicus, ſacroſanctum E„ vangelium pacis annunciantes, maximoque cum la„ bore ſemen divini verbi in gentium cordibus ſemi„ nantes, exilia non ſemel ex Sinæ Regno rectorum, „ & vice regis imperio pro Catholica fide ſupportan„ tes, multoties coram Tyrannis prætoribus publice & „ crudeliter uſque ad ſanguinis effuſionem aliqui ex i„ pſis Miſſionariis miniſtris verberati: denique relictis „ aliis ærumnis, ac laboribus, quos prædicti fratres in „ eodem Regno paſſi ſunt, & adhuc patiuntur, unus „ illorum pro Chriſti fide poſt multa tormentorum ge„ nera, carceris ſqualloremem, famem, & crudeliſſimas „ vapulationes, inductuſque a quodam tyranno Judi„ ce, ut fidem Catholicam relinqueret, quod con„ ſtanti animo venerabilis frater facere renuit, tandem „ de mandato alterius tyranni Judicis capite truncatus „ ad æternam felicitatem pertingere meruit: igitur Fra„ tres Prædicatores, qui in vinea Domini Sabaoth plu„ rimum laborant &c. " Secundi a Moraleſio compoſiti libelli hæc inſcriptio eſt: *Tractatus ex diverſis materiis compoſitus ad explicandas, & elucidandas opiniones, & controverſias, quæ inter Patres Societatis Jeſu & Religioſos ſacri Ordinis Prædicatorum in hoc permagno Sinarum Imperio ortæ fuerunt, & adhuc reperiuntur, a P. F. Joanne Baptiſta de Morales ejuſdem Ordinis Prædicatorum alumno, ac in Sina antiquo Miſſionario collectus, ac omni fidelitate, veritateque in lucem editus anno Chriſti MDCLXIII. Index materiarum omnium, quæ in magno hoc Tractatu continentur: I. Patrum Societatis antiqua ſententia eſt, in iis infidelium Regnis, in quibus Evangelium prædicant & adminiſtrant Sacramenta, non admittendos nec tolerandos aliorum Ordinum Regulares. Adverſa eſt penitus Fratrum Prædicatorum ſententia*: Tractatus I. per capp. diſtinctus ut & ſeqq. *II. Confucium, quem Sinæ venerantur ut magiſtrum, unum verum Deum agnoviſſe docent & tuentur PP. Societatis, negant Fratres Prædicatores*: Tract. 2. *III. Quid de cultu a Sinis Confucio & avis defunctis exhibito ſentiant PP. Societatis, exponitur, nempe civilem tantum & licitum; contra FF. Prædicatores ſuperſtitioſum & illicitum:* Tract. 3. *IV. In pluribus aliis articulis Dogmaticis aliter ſentiunt Socii, aliter Fratres Prædicatores*: Tract. 4. *V. Propoſitiones ex Patrum Societatis operibus lingua Sinica exaratis & excuſis excerptæ, quas non probant FF. Prædicatores*: Tract. 5. Tractatum hunc magnum præ manibus habuit Natalis Alexander, ut teſtatur in laudata Apologia pag. 193. Vidit etiam ſaltem ex parte Epiſcopus Roſalienſis Arturus de Lyonne; qui plura alia ejuſdem Moraleſii ἀυτόγραφα circa controverſias has Sinicas vidit & tenuit, quibus illum priorem ſententiam nunquam mutaſſe, evincitur. Libellum quidem, ſive *Catechiſmum Sinice ſcriptum* Moraleſio tribuere Patres Societatis; ſed quam longe a vero aberrarint, demonſtravit Natalis Alexander in citata *Apologia*, & quod inter ejus opera non ſolum a nullo Dominicanorum, ſed nec a Patribus Brancato & Fabro Sociis recenſeatur, & quod aliunde ex omnibus ab eo ſcriptis certiſſimum ſit ſententiam Jeſuitarum de Ritibus Sinicis ad ultimum uſque ſpiritum improbaſſe, & ut ſui impugnarent commendaſſe, ut Franciſcus *Varo* concellita, qui ultimum ejus halitum hauſit, ſibi ab eo præſcriptum D. Ludovico de Cicè præfecto tum Miſſionis Apoſtolico, poſtea Epiſcopo Sabulenſi teſtatus eſt. Hunc itaque libellum ex operibus Moraleſii expungas. An libellus hic apud Sinas fuerit excuſus, ſe neſcire affirmavit Fr. Joannes Franciſcus Aleoniſſa Ordinis Minorum Epiſcopus Berytenſis in Sina Vicarius Apoſtolicus in Reſponſis ad Quæſita Card. Caſanata P. II. num. 21. addens in manus ſuas nunquam veniſſe.

§. III.

A tali igitur tantoque viro de Sinenſium Rituum perverſitate Urbanus VIII. edoctus in eam incubuit curam diligenter, ut quæ Moraleſius expoſuerat, ſedulo expenderentur. Sed brevi defuncto Pontifice, ejus ſucceſſor Innocentius altero ab inito Pontificatu anno id reſponſi dedit, quod Moraleſii votis & expectationi reſponderet. Innocentii decreto parere non ſolum Jeſuitæ detrectarunt; ſed etiam paullo poſt Martinio pariter Jeſuita novam Sinenſium Rituum proponente ſpeciem, anno ab ortu Servatoris milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto decretum a ſacra Congregatione ſanctiſſimæ Inquiſitionis, ab Alexandro VII. approbatum prodiit, quo de priori non pauca derogata videbantur. Exortæ ob id apud Sinenſes contentiones maximæ, conſtantibuſque validarum partium ſtudiis Ritus ipſi, pro perſonarum & cauſſæ diſcrimine, perinde defenſi & oppugnati, ac ſi una omnes aras focoſque traheret dimicatio. Ut res in judicium contentioſe vocata fieret clarior, multi ultro citroque miſſi, & allegati viri graves, ac Theologi: plures item ſcripti editique libri. Diligentiam tamen longe præcipuam impenderunt Romani Pontifices, præſertim Clemens X. & Innocentius XII. Præter ea, quorum meminimus, in controverſia Rituum Sinenſium ediderat Moraleſius libellum ita inſcriptum: *Scriptum alterum R. P. F. Joannis Baptiſtæ Morales propria ipſius manu Hiſpanica lingua ſcriptum, in quo etiam poſt Decretum anni MDCLVI. ſuper his controverſiis declarat & probat, ſe ex conſcientia non poſſe ſe conformare praxi Patrum Societatis*. Primum hoc eſt ex authenticis documentis, quæ Domino Carolo Maigrot Vicario Apoſtolico Fokienſi, ac deinde Epiſcopo Cononenſi exhibuerunt FF. Emanuel *Trigueros* & Maginus *Ventallos* antiqui ex Dominicanis in Provincia Fokienſi Miſſionarii, præſentibus Arturo *de Lionne* & Philiberto *Le Blanc* Miſſionariis Apoſtolicis in civitate *Fochu* XVI. Decembris MDCXCI. Maigrotus poſt hæc aliaque mature expenſa documenta, adverſus Ritus ipſos & nonnulla ad Dei nomen ſpectantia vocabula illuſtre edictum promulgavit; ex quo tamen exorta diſſidia jam pridem, vehementius exarſere. Clementis proinde juſſu de rebus in diſceptationem vocatis exactiſſimo judicio inſtituto, ac diſſidentium ſubinde rationibus coram Cardinalibus orthodoxæ fidei Quæſitoribus, gravibuſque Theologis mature excuſſis, tandem duodecimo Calendas Decembris anno a Virginis partu ſeptingenteſimo quarto ſupra milleſimum ipſemet Pontifex execratis luculenta oratione cæremoniis, praviſque opinamentis, quibus tot populi ludificabantur, Ritus hujuſmodi peculiari decreto proſcripſit: vetuitque a Chriſtianis obiri, vel ab Idolorum cultoribus peractis illis intereſſe. Ad ſignificandum verum Deum vox *TIENCHU*, id eſt *cæli Dominus* probata eſt, rejectis nominibus TIEN & XAN-TI, quæ *cælum* & *ſupremus Imperator* exprimunt. Tabellarum appenſio cum inſcriptione Sinica *King-Tien*, *Cælum colito*, in Chriſtianorum Eccleſiis vetita. Ne cui denique actioni fraus ſubeſſet impoſterum, atque periculum, Progenitorum mortuorum Tabellæ cum Sinica epigraphe, qua ſedes ſpiritus vel animæ deſignatur, eliminatæ penitus.

§. IV.

Hoc Sedis Apoſtolicæ judicium de Ritibus, atque Cæremoniis Sinenſibus promulgavit Carolus Thomas Tournonius, quem ipſe Pontifex Clemens XI. ad Sinas miſſionum cauſſa ablegaverat. Quo enim quiſque ex Chriſtianis præſertim populis ab Apoſtolica Sede erat remotior, miſerior, deſpectior, eo arctiori paternæ caritatis vinculis illum Clemens complectebatur, ac dies noctesque habebat in oculis. Neglectam ejuſdem conditionem, diſcrimina, damna, propria diſpendia arbitrabatur; nec tanto amore natos amantiſſimus Pater tueri ſolet, quanto ipſe proſequebatur id genus hominum. Vel a primis Pontificatus menſibus erga Indos divino plane inſpirante Numine ita eſt affectus, ut quum altius in dies ea cura torqueret, quo tempore ab orthodoxa Eccleſia Dominici Adventus memoria recolitur, de ſuccurrendo omnino tot populis, mittendoque vel in remotiſſimas Sinarum regiones cum ampla poteſtate delecto Apoſtolicæ Sedis adminiſtro impenſe cogitaverit. Expetitum in tanto negotio, qua ſuis, qua aliorum proborum precibus a Deo lumen clarius affulſit, nec uno argumenti genere patuit. Suboleſcentia Chriſtianorum agmina pernicioſis dolis humanæ ſalutis hoſtis, ac Ethnicorum artibus attentata, populorum divinæ gratiæ expertium ingens numerus, immane terrarum & marium eoſdem a Pontificia Sede dirimens ſpatium, pertinaces denique præcipue contentiones, quæ inter Evangelicos adminiſtros de Ritibus a Chriſtiano populo vitandis, vel tuto ſervandis id maxime temporis agitabantur, paternum Clementis animum ita ſolicitabant, ut compluries dolere ſe dixerit, optatiſſimum iter maturare non poſſe, tantamque in extremi Orbis finibus pro divina gloria, & creditarum ſibi gentium ſalute obire provinciam. Intelligebat quippe Pontifex, immanem locorum intercapedinem cogitans, laboranti Eccleſiæ, atque ope indigentibus populis congruenti ſubſidio opitulari non poſſe, niſi quiſpiam opportuna pollens auctoritate in rem præſentem veniret; ac nationum indole, doctrina, moribus, cæremoniis exploratis, prava convelleret, vitiata emendaret, turbas religionis præpedientes incrementa pacaret, plenamque ac tutam tradendi Evangelii regulam magiſterio ſupremæ Sedis præſcriptam proponeret; tum ſuo ipſe exemplo dirigeret, atque firmaret.

Vi-

Virum *igitur* integritate morum, doctrina atque prudentia commendatum cogitanti, cui tantum merito imponeret onus, Carolus Thomas Maillard de Tournon Taurinenſis ab honorario Pontificis Cubiculo, genere ac virtutibus notus occurrit. Qui concordi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & totius Urbis honorifico teſtimonio comprobatus, Antiochenus renuntiatur Patriarcha. Ipſe natali die feſto S. Thomæ Apoſtoli Indorum, Carolique Patroni ab eodem Clemente conſecratus, non ita multo poſt *Viſitator Apoſtolicus* cum poteſtate Legati de Latere in vaſtiſſimum Sinarum Imperium, aliaque finitima Orientalium Indiarum regna una cum multis lectiſſimis Evangelicæ legis præconibus mittitur anno 1702., pretioſa ſupellectile, & quanta licuit in magna Pontificii ærarii difficultate inſtructus pecunia. Additis amoris & officii plenis litteris cum muneribus, materia juxta ſpectandis & opere, Canghio utriuſque Tartariæ & Sinarum Imperatori Pontificis nomine exhibendis: quibus facillime Princeps potentiſſimus, uſquequaque a Chriſtianis ſacris minime abhorrens, conciliari poſſet, taliſque reddi, qui gnaviter pro divina gloria laborantibus præſto eſſet, aut ſaltem non adverſus. Felici Tournonius navigatione uſus, ubique honorifice exceptus, ac pro viribus orthodoxæ Eccleſiæ propagandæ ſtudens, biennii itinere ad Sinarum Imperium incolumis cum ſociis pervenit; ſingularis lætitiæ, ac ſinceræ venerationis teſtimoniis ab Chriſtianis populis, ac longe præcipua & plane inſueta honoris ſignificatione ab Imperii Optimatibus, Imperatore mandante, ſuſceptus; liberaliterque ac ſplendide, quocumque diverteret, habitus. Teſtatus hæc ipſa eſt Carolus Thomas datis ad Clementem litteris ab Xao-ceu-fuo in Provincia Cantonenſi, quo tempore ad Imperatoris Aulam properabat; honorifico ſibi præparato aditu per religioſos viros Societatis Jeſu, quorum magna apud Principem erat auctoritas. Æque præcipuis honoribus, & obſervantiæ argumentis ab ipſo tandem Imperatore Pekini eſt exceptus. Regiæ porro menſæ adhibitus, novis ac plane ſingularibus reverentiæ ſignificationibus, pro more gentis, afficitur. Tournonii ſapientiam, officia, dictorumque gravitatem demiratus Princeps, gratias ſe Clementi Summo Pontifici habere maximas dixit, quod tanti animi dotibus, miraque prudentia ornatum virum ad Sinas legaſſet; meritiſque auctum laudibus, ne quod voluntatis & pretii deſideraretur indicium, magnificis quoque muneribus largiſſime cumulavit. Auſpicia tam læta optatos rerum eventus ſubſequuturos arbitratus Clemens, ingens ex nuntio gaudium concepit. Breviſſimum tamen idem reddidit longa illa malorum ſeries, de quibus modo ſumus acturi. In ſeptem diſtincta articulos lata a Pontifice ſententia erat, quam innuimus, adverſus cæremonias rituſque Sinenſes, totidem reſpondens capitibus Edicti Epiſcopi (1) Cononenſis, in quod adverſarii Jeſuitæ vires omnes & tela converterant. Nec aliter quam de iniquo auſu pronuntiabant, licet ille *donec aliter ab Apoſtolica Sede decerneretur*, ea ſe mandare aperte ſignificaſſet. Dilata tamen juſtis ex cauſſis in Urbe & Europa optatiſſimi Decreti promulgatio eſt: quam uti valde neceſſariam, quum acriter apud Clementem urgerent plurimi, is in præconcepta ſententia conſtantiſſime perſtitit. Sperabat nempe factum iri ſapientiſſimus Pontifex, ut Sinenſium aſſertores Rituum noſcentes tandem in quas tricas ſe ſe ultro conjecerant, Tournonio Apoſtolicæ Sedis Legato Sinarum Imperium attingente, illico ſalubribus monitis victi cederent, erroremque deponerent; ne publicam probro futuram damnationem pervicaci repugnantia accerſerent. Fuere nihilominus jam tum qui verebantur, ne, quum Patriarcha vel temperatiſſimis a Pontifice conceptam verbis ſententiam in Sinis promulgaret, id contra fas Jeſuitæ indigniſſime ferrent; Sinarum præterea Imperator, & Luſitani, concitatis in Legatum animis, eum veluti noxia imperio, atque regii Patronatus juri poteſtate fungentem extremis malis conficerent. Ut vanum alii riſere metum; veriſſimum tamen, & luctuoſis exemplis, non ita multo poſt comprobavit eventus. Difficile captu Societatis ſtudioſis viſum, hujus alumnos ab initio cauſſam, neceſſitate cogente nulla, totius Ordinis opibus propugnandam ſuſcepiſſe: mirum quammaxime vel poſt diremtam a Summo Pontifice controverſiam, tanta animorum contentione aliquandiu male cœptis inhæſiſſe. Quum ea prudenter jam pridem abſtinere, ſuſceptamve illa animi moderatione tueri debuiſſent, qua alii in Sinarum Imperio religioſi uſi, certiſſimo Apoſtolicæ Sedis judicio omnino acquieverunt, nec fallacibus nixam momentis propriam porro rurſus obtruſere ſententiam.

§. V.

Obſtitere primum Tournonio, dum Madurenſe, Meyſſur, & Carnatenſe cura vigili Regna complexus, edito Pudicherii edicto, omnem ab iis, qui Chriſtianæ Religioni nomen dabant, idololatriæ amorem, ac ſenſum penitus evellere ſtuduit, ut ad Diſſertationis calcem dicetur; tum vero acrius, cum Sedis Apoſtolicæ judicium in ritus Sinenſes latum, approbatumque a Clemente Pontifice ann. 1704. Nankini promulgavit (2). Quum enim hæc in Sinis & in Indiis aliaque plura, non ſine magno divinæ gloriæ augmento & populorum bono decreviſſet, non pauci Religioſi viri, e Societate Jeſu præſertim, reperti ſunt, qui debitam illi obedientiam denegaverint.

Sacris ab ipſo interdicti, ac debitis pro crimine pœnis ad præſcriptum Eccleſiæ legum affecti, quum pari judicii ſeveritate ab inferioribus etiam Epiſcopis coerceri debuiſſent, Auguſtinus ab Annuntiatione Goanus Archiepiſcopus liberius in Tournonium agendi anſam refragantibus dedit: cenſura illius acta perſtrinxit: ſalutaribus mandatis & inſtitutis interceſſit. Longius porro confidentia progreſſus, ſuperioris judicis partes ſibi arrogavit, ac vix Patriarchæ dicam non ſcripſit. Audax tamen publicavit edictum, quo notam Indis univerſis Tournonii auctoritatem convulſit, delens & irritans quæcumque idem ſapientiſſime conſtituerat. Ubi Clemens hæc didicit, poſt auſa improbata, atque reſciſſa, graves ad Auguſtinum litteras ſcripſit. Iniquæ rei turpitudine palam expoſita, factum infectum reddere juſſit, Tournonioque, qua decebat in Apoſtolicam Sedem, cujus Adminiſtrum longe potiſſimum agebat, veneratione obſequi. Nihil tamen quod Pontificiæ voluntati, ac debito faceret ſatis, conſtat Archiepiſcopum præſtitiſſe.

Quo tempore liberius in Tournonium ſunt conatus exerti, Evangelici præcones univerſi Imperatorium obtinere Diploma ſunt compulſi, quo in Sinis verſari permittebatur in poſterum: carentes diſcedere juſſi. Illud autem aſſequuturis præcipuum coram Imperatore de Confuſiana doctrina, ejuſque germana Sinenſium librorum ſententia examen erat ſubeundum: probati autem verbo & ſcripto profiteri exercendorum Sinenſium Rituum methodum Matthæi Riccii aliorumque Presbyterorum e Societate Jeſu adigebantur, quæ recta adverſabatur nuperis conſtitutis Romani Pontificis. Nec deerant arreptæ ex conquiſita occaſione cauſſæ, ut emerita glorioſi certaminis palma fallaci judicum judicio privati viderentur, ſi aliter a propoſito dimoveri non poſſent; neque ſpes erat, poſt felix Sinenſis doctrinæ, atque ſermonis experimentum, oppoſitas illos Apoſtolicæ ſanctioni ſectari partes. Ob id non pauci e Sinis excedere ſunt coacti, quorum utiliſſima Catholicis populis opera tunc potiſſimum neceſſaria cenſebatur. Pernicioſo molimine orthodoxæ Religionis extra omnem idololatrici cultus ſuſpicionem propagandæ ſpes certo fuiſſet erepta, ni Deus Optimus Maximus, qui ſuam ubique tuetur Eccleſiam, optimæ cauſæ paulo poſt feliciora tempora tribuiſſet, quibus ethnici Imperatoris propenſa in Catholicam religionem & Pontificem Maximum voluntas clarioribus argumentis patuit. Laborandum tamen fuit, ne improba vis, quæ multos oppreſſit, univerſos abriperet. Fieri non potuit, quin altiſſime Clemens commoveretur, ubi comperit novam hanc tempeſtatem Alumnos e Societate Jeſu in Imperatoris Aula verſantes excitaſſe magno cum aliorum dolore, ac indignatione Ordinis univerſi, cujus longe aliud erat propoſitum, alii conatus; ita vulgo creditum eſt. Antiochenus Patriarcha, qui luctuoſæ procellæ ſpectator interfuit, & acerbius quam ceteri, funeſtiſſimis illius pulſatus eſt fluctibus, invicto animi robore & ſanis conſiliis, quum præſenti ope non poſſet, laborantibus adfuit. Doli quoque non inſcius, quinto decimo Calendas Februarii an. 1707. ad Franciſcum Gerbillionum, Gallorum Presbyterorum ejuſdem Societatis præſidem, ceteroſque in Pekinenſi Aula manentes Socios mœſtas litteras ſcripſit Nankini: *Ego*, inquit, *non minus ſuper afflictis rebus Miſſionis, quam ſuper iis, qui eam affligunt, lacrymas coram Deo diu noctuque effundo. Si ignoraſſem cauſſam malorum, eorumque auctores, alacriori animo ea ferrem. Damnata eſt praxis veſtra a ſuprema Sede; ſed magis deteſtandus immoderatus agendi modus, quo pudorem veſtrum cum everſione Miſſionis Apoſtolicæ ſepelire contenditis. Sanis conſiliis auditum non præbuiſtis; modo ad horrenda confugitis. Quid dicam? proh dolor! Finita eſt cauſſa, & nondum finitus eſt error. Deſtruitur Miſſio, antequam reformetur.*

§. VI.

(1) Append. Monument. I. II. III.

(2) Append. Monument. IV.

§. VI.

Quoniam vero ea jam Tournonii in Eccleſiam erant merita, & comprobata duris laboribus virtus, ut ampliori præmio bonorum judicio digniſſima haberentur, Calendis Auguſti commemorati anni 1707. poſt vulgatum in Conſiſtorio Joſephum Vallemanum Fabrianenſem, Archiepiſcopum Athenarum & Apoſtolici Palatii Præfectum, quem jam pridem una cum aliis undeviginti Presbyterum Cardinalem creaverat, honore pari Thomam Carolum Clemens ornavit. Cui purpureum Pileum detulere Evangelii præcones paulo poſt in Indias a Pontifice miſſi, numero ſpectandi atque delectu. Improborum hominum dolis converſæ per eoſdem dies fuerant res Tournonii: quique olim ab Imperatore ſuſpiciebatur, & fiebat maximi, inopinato iratum Principem expertus, tanquam ſuppoſitus ſeu turbulentus, & audax Summi Pontificis & Apoſtolicæ Sedis Adminiſter in Sinas acceſſiſſet, malis ingentibus eſt factus obnoxius. De his monitus Clemens, interpoſitis cum Imperatore precibus & officiis, omnem lapidem movit, ut Patriarcha in priſtinæ gratiæ atque honoris locum reſtitueretur; aut ſaltem libera Europam repetendi poteſtas fieret. Id facile ab Imperatore obtinendi ſpem Pontifici ingeſſere honorificæ ipſius eodem anno cum Sinicis muneribus acceptæ litteræ. Eas Romam attulit Sabinus Marianus Tournonio a cognitionibus: qui ad Clementem officiorum cauſſa a Can-ghio allegatus, amplioribus cumulatus donis, & referendæ gratiæ argumentis in Sinas rediit. Quæ Carolus Thomas de Sinarum cæremoniis ſupremo Romanæ Eccleſiæ judicio damnatis ad Pontificis præſcriptum egerat, tantam illi conflarunt invidiam. Hæc aliquandiu privatis tecta pectoribus, tum demum in vim publicam & apertam erupit, quando allato de Sinenſium Ritibus comprobandis Imperatoris Edicto, ut ipſimet Tournonius ſubſcriberet, atque obſequeretur, conſtantiſſime renuit. Turbata ob id jam eſſe omnia, ac diriſſima ſibi imminere, probe videbat Cardinalis fortiſſimus. Se tamen, ac ſua nihili pendens, ut ea accuraret, quæ erant Jeſu Chriſti, idololatræ Principis ira opprimi maluit, quam ſanctiſſimis Pontificis Maximi conſtitutis turpi ſcelere refragari. Aucta vero in dies mala eo tandem proceſſere, ut duriſſimum ſubeunti carcerem, & aſperrima quæque pro orthodoxa Religione & veritate ferenti acerbiorem ipſa morte vitam reddiderint. Serio Clemens univerſa cogitans, dolore conficiebatur intimo, cum Tournonii cauſſa, tum præcipue quia ſpem illam penitus ſpectabat areſcere, quam jamdudum feliciſſimis initiis conceperat fore, ut piis, atque conſtantibus tanti viri laboribus non Ethnicorum duntaxat rituum labes e Sinenſium Chriſtianorum cordibus omnino evelleretur, ſed & Catholica Religio amplioribus in dies aucta præſidiis, brevi longe lateque per vaſtiſſimos illos terrarum tractus diffunderetur. Videbat Clemens quantum ſibi ac Religioni obeſſet Pontificii nominis dignitatem, & Apoſtolicæ Sedis auctoritatem in eo contemni: tum etiam inter Chriſtianos idololatris immixtos populos, Chriſtianorum perverſitate, & conlata ab Ethnicis ope tyrannica, miſerrime injuriis patere atque vileſcere. Nefas autem omni ſcelere cenſebat turpius, Romanæ Eccleſiæ Cardinali ampliſſimo, genere juxta ac virtutibus claro, ad promovendam cum animarum ſalute integritatem orthodoxæ fidei, ſupremique Eccleſiæ Præſulis decreta debitæ exſequutioni mandanda per innumera & maxima vitæ diſcrimina extremos orbis fines peragranti, tam indignam illos homines mercedem rependere, qui minime omnium debuerant. Hi etiam bonorum quotquot ſenſus erant.

§. VII.

Antequam in Sinas Pontificiæ pervenirent litteræ, abire permiſſus eſt ab Imperatore Tournonius. Quoniam vero in Chriſtianæ legis atque doctrinæ nuntios damnatis Sinenſium ritibus adverſantes permoleſta ſæviebat divexatio, inopinato ejuſdem Principis juſſu, Junio menſe ejuſdem anni 1707. ad Machaonenſem urbem, in qua & Luſitani dominabantur, eſt attractus: ut ibi, donec procella ſedaretur, conquieſceret. Longe tamen acerbiſſimum novæ tempeſtatis turbinem in ipſo ad ejus quietem delecto loco ſubire coactus fuit ab Didaco de Pinho Tereyra Generali Gubernatore, ceteriſque Luſitanorum Regis Adminiſtris: quin etiam a Machaonenſium Epiſcopo Joanne de Cazal, & a Laurentio Comez ejuſdem Antiſtitis cum ampla facultate Vicario, cuncta arcano molientibus dolo, nulla perſonæ & ampliſſimi Ordinis habita ratione, nulla tantæ in Aſia Pontificis Maximi, & Apoſtolicæ Sedis nomine geſtæ dignitatis, vel ſacrarum ſanctionum; gentium quoque violato jure, quod vel a barbaris Nationibus ſacroſanctum haberi ſolet, aſperrimis injuriis & ærumnis eſt affectus. Omnium primi memorati Regis Miniſtri conductam a Tournonio Machaone domum arcta atque perpetua multorum militum ſepſere cuſtodia. Paulo poſt diurnis atque nocturnis incommodis miſerrime cruciato, exercitatione ampliſſimæ poteſtatis & juriſdictionis Apoſtolicæ legationis interdixere. Rigidum porro vulgarunt Edictum, quo univerſis Machaonenſibus civibus imperatum, ne quid cum Patriarcha commercii vel conſuetudinis haberent. Pari in ſocios ac familiares uſi ſævitia. Quamquam ita perſpicue adnitentibus, ac imperantibus Ethnicis, Catholicorum opera & dolis malis, Tournonium vexatum fuiſſe paulo poſt compertum eſt, ut aliis alii ſuccenturiati, eodem omnes ſtudiis variis collineaverint. Enimvero, ubi primum Tournonius Machaonem attigit, ea idololatræ Imperatoris Luſitanis Miniſtris cum minis gravibus intentata ſunt juſſa, quibus nihil ille præſetulit manifeſtius, quam innocentem Patriarcham ipſorum nequitia diuturno carcere, & pœnis velle confectum. Poſt accepta Cardinalatus inſignia non ultimus ex iis Imperatoriæ Aulæ ac Regionum Præſidibus, quos Sinenſes *Mandarinos* appellant, itemque Luſitani atrocius in Carolum Thomam ſæviere. Fugam illum molitum, & Europam cogitaſſe commenti, gravioris culpæ reum pronuntiarunt. Vallatæ proinde arctiori ædes præſidio; negata etiam cibis, potui, ac rebus, quibus indigebat, inferendis via, ut inedia & anguſtia ſtrenuiſſimus Chriſti miles conficeretur. Eidem obedientes perduelles habiti, diriſque pœnis & probris affecti: ipſa etiam palam religione deſpecta. Hæc luculentis a Tournonio, ſociis, aliiſque Evangelicis apud Sinas & Indos præconibus narrata litteris, delibavit & Clemens, tantam regiorum hominum improbitatem cum Joanne Luſitanorum Rege querens & expoſtulans. Dignam quoque crudeli facinore animadverſionem, nedum probroſis malis remedia præſentiſſima incaſſum flagitans, ut oppreſſum tot præſtigiis & cruciatibus Cardinalem in libertatem vindicaret. Suam porro Machaonenſi Epiſcopo, atque Vicario temeritatem exprobravit; (1) datoque Idibus Martii peculiari diplomate utriuſque in Tournonium Acta reſcidit damnavitque.

§. VIII.

Eos dolebat Pontifex potiſſimum Romanæ Eccleſiæ ſanctionibus in Sinenſium Ritus jam pridem editis obniti, quos orthodoxæ fidei, & ſacri inſtituti profeſſio arctiſſimis nominibus obſequentes poſcebat. Acerbius autem conficiebatur memoria repetens, refragantes homines ob vetitorum Rituum ſtudium, integro Catholicæ Religionis ſervando ac proferendo in Sinis cultui, aſtutia & dolis obices ponere: Apoſtolica Decreta, editumque in rem ipſam a Tournonio peculiare mandatum deſpicari: tum etiam diras in Evangelicos præcones Pontificis Maximi conſtituta ſervantes excire turbas, & malum arceſſere. Qui mitiori præditi ingenio, ac ſapientiores ex obluctantibus videbantur, latum a Summo Pontifice in abſurdos Ritus Decretum vana interpretatione ludebant: atque *conditionatum*, non *abſolutum* ajebant. Quod fallaci quorumdam in Europa verſantium, eaſdemque cum ipſis tuentium partes admonitu certum habentes, cujuſvis generis per Cardinalem ceteroſque Apoſtolicos Adminiſtros objecta momenta tricas putabant, & inſulſas nænias. Rem penitus Clemens compertam habens, ut pernicioſæ licentiæ ingentium malorum fonti evelleret fomites, anno 1710. menſe Septembri peculiari declaratione pronuntiavit (2), Apoſtolicæ Sedis Decreta in cauſſa Rituum Sinenſium lata, & confirmata die vigeſima Novembris anno ſeptingenteſimo quarto ſupra milleſimum, una cum memorato Tournonii Cardinalis mandato die 25. Januarii anno ejuſdem ſæculi ſeptimo edito, *ab omnibus & ſingulis, ad quos pertinent, inconcuſſe & inviolabiliter eſſe ſervanda: quovis contrafaciendi quæſito colore, ſeu prætextu penitus ſublato*. Contumaces, nulla tergiverſatione, ſeu etiam interpoſita ad Apoſtolicam Sedem appellatione ſuffragante, ipſiſmet graviſſimis Eccleſiæ pœnis multavit, quas idem Cardinalis mandato ſuo expreſſerat. Quamcumque vero integritati orthodoxæ Religio-

(1) Append. Monument. V. (2) Append. Monument. VIII. num. IX.

ligionis temere infigendam labem, eique latius in Sinarum Imperio caſte, ſancteque propagandæ injecta ſublaturus impedimenta, congruentem agendorum rationem, & inſtitutionem præſcribi, eamque Tournonio Cardinali, vel alteri in Tournonii locum ſubrogando, tum etiam Epiſcopis & Vicariis Apoſtolicis mitti juſſit, ut non minus debitæ Apoſtolicorum Decretorum exſequutioni, quam Evangelicorum Adminiſtrorum concordiæ, ac unanimæ Catholicæ veritatis prædicationi opportune conſuleretur. Intemperantem in utramque partem ſcribendi licentiam coercuit: præcipiens, ne a quoquam deinceps de damnatis Sinenſibus cæremoniis ſcripti libri, inconſulta Apoſtolica Sede, vulgarentur. Neque ab alio facultatem de hujuſmodi Ritibus pertractandi impetrandam edixit, quam a Summo Pontifice in Congregatione ſupremæ Inquiſitionis orthodoxæ fidei. Miſſæ ſunt inſuper Clementis juſſu ab Antonio Barcherio ejuſdem Inquiſitionis Aſſeſſore Præſidibus Religioſorum hominum in Sinis degentium præcipuæ litteræ, quibus Pontificio nomine ſignificatum: edita ab Apoſtolica Sede Novembri menſe ante ſexennium in Sinenſes Ritus Decreta ita abſoluta eſſe, ut nulli prorſus conditioni, quæ plenam ipſorum exſequutionem differret, vel impediret, eſſent innixa. Mandatum proinde ſingulis eſt, ut conſtantiſſimam Pontificis mentem Evangelii e propria Familia præconibus in Sinarum Imperio morantibus, nulla mora interpoſita, aperirent; illoſque ad integre & exacte Apoſtolicis Decretis obediendum adigerent.

§. IX.

Suam tamen Turnonius operam impenſis nuper in res Sinicas a Clemente ſtudiis navare non potuit, quippe qui tres propemodum ante menſes Macaone vita deceſſerat. Triennalibus vir fortiſſimus rerum anguſtiis, vexatione permoleſtæ cuſtodiæ, aliiſque gravibus periclitantis valetudinis affectus ærumnis, quum duriſſimum vitæ genus experiretur, ineunte vere vehementibus vilcerum doloribus affligi cœpit. Quibus ſupra modum ob curas mordaces, & permoleſta imbecilli corporis incommoda in dies auctis, tandem ſexto idus Junias ipſo ſacratiſſimo Pentecoſtes die, poſtquam in ſacellum delatus divinis Myſteriis interfuiſſet, Euchariſtia refectus, & Sacræ Unctionis vallatus præſidio migravit ad Chriſtum anno ætatis ſecundo & quadrageſimo. Supremis Tabulis pecuniam, quæ quotidianis ſuperfuit impendiis, pauperibus diſtribuendam reliquit: Conſanguineis nudam cum imagine Chriſti Domini crucem legavit; propagandæ fidei in Sinis Opus ex aſſe hæredem ſcripſit. Poſt obitum ab ipſomet Clemente in Apoſtolico Senatu honorifico ad Cardinales (1) ſermone laudatur; mox in Pontificio Sacello piaculari impertitus Sacrificio, magnificis cohoneſtatur exſequiis; inter quarum ſolemnia panegyrica item eſt oratione commendatus a Carolo Majella. Spectatis jamdiu in Europa virtutibus, rebuſque geſtis præclare in Aſia pro Orthodoxa Religione, non aliud poſteritati nomen reliquit, quam quod invicti Martyres Chriſti, perfuncti pro Catholica Eccleſia laboribus, ac fortiter inter diriſſimos cruciatus morte obita, promereri conſueverunt. Intempeſtivus, & perincommodus compertus Tournonii interitus Religioni apud Sinenſes afflictæ: cui vel carcere præpeditus Cardinalis magno erat præſidio & levamento. Maturatæ tamen viro inclyto mortis cauſſa, & egregia, quibus eminebat, virtutum ornamenta luctum Clementi minime cumularunt; imo vero omnem penitus doloris ſenſum abſterſere, conſtantem illo ſpem fovente, illuſtrem animam e carceris ſqualloribus, & cruciatibus ad æternam beatorum hominum felicitatem, Deumque perfruendum commigraſſe (2).

§. X.

Vulgata per Europam Tournonii morte, Luſitanorum Regis Miniſtri Macaone confidentes ingentem ſubierunt invidiam. Notati etiam Jeſuitæ, quod potentes & in pretio apud Sinenſium Imperatorem habiti, tum etiam præfectos, quos *Mandarinos* nominant, magnifice agentes, periclitanti Religionis cauſſa Cardinali opem non tulerint; quin Pontificiis Decretis in Sinenſium cæremonias promulgatis parere reluctantes, adverſæ Tournonio ſtuderent parti, iiſque, qui ſumma rerum potiebantur, auctores eſſent, ut in virum ſanctiſſimum ſævirent. *Paucorum culpa*, inquit Polidorius Lib. III. de vita & rebus geſtis Clementis XI. pag. 228. & ſeqq. *acerbiore animorum ſenſu improbati præſides, quod, quum male a ſuis apud Sinas, Indoſque facta multiplici diſpendii genere divinæ gloriæ incremento obeſſent, par malo remedium non adhiberent: pœnarumque exemplis univerſæ ob id traductæ Societati gnaris animis, & integris non conſulerent. Inter poſtulata, quæ Procuratores e ſingulis Ordinis Provinciis ſequenti anno duodecimo Calendas Decembris ad conſuetum Procuratorum Conventum Romæ habitum miſſi expoſuere, hanc etiam criminationem* ſumma contentione & acerrimis omnium ſtudiis propulſandam tanquam longe maximi ponderis ad Provinciarum pacem, & exiſtimationem *vindicandam denuntiaverunt. Nimirum*: Societatem a vehementioribus adverſariis paſſim inſimulari, erga Decreta Pontificia præ cæteris exactam ſubmiſſionem buccinare; ab ea tamen præ cæteris deficere, dum ad ſalivam Decreta non ſunt. *Qua indigniſſima accuſatione lacerari univerſæ Societatis nomen majorem ſibi inuſſiſſe dolorem, quam inferrent aliæ innumeræ expoſtulationes, obtrectationes, & calumniæ in eandem diſſeminari ſolitæ, querebantur. Itaque ſuum eſſe rati adverſo conatu, ac publico teſtimonio notam objectam depellere, uno omnes ſuffragio judicarunt, ut ſolemni ac legitima quadam actione, quæ vim & locum obtineret cujuſcumque apologiæ, Præpoſitus Generalis Societatis provolutus ad Summi Pontificis pedes, & coram Eccleſia univerſa, nomine totius Ordinis conteſtaretur, & declararet conſtantiſſimam totius Societatis fidem in retinendis, & ad ultimum uſque vitæ ſpiritum exſequutioni mandandis quæcumque eſſent ab Apoſtolica Sede præſcripta, conſtituta, & imperata: præſertim vero quod ſpectat ad Decreta per Clementem de Ritibus Sinenſibus tum anno milleſimo ſeptingenteſimo quarto die viceſima Novembris, tum anno milleſimo ſeptingenteſimo edita. Quæ quidem conſtituta, etiam prout ab eodem Pontifice Maximo explicata & expoſita fuerunt in litteris ipſius nomine ſcriptis ab Aſſeſſore Tribunalis Inquiſitionis fidei ad memoratum Præpoſitum Generalem die undecima menſis Octobris labentis anni, invicte & inviolate ſine ulla contradictione, tergiverſatione, aut cunctatione*, quovis contradicendi quæſito colore, aut prætextu penitus ſublato, *ſibi adamuſſim ſervanda ſponte, & libere ſuſcipere, & complecti Societatem univerſam. Præſtitit id ipſo die totius Ordinis nomine Michael Angelus Tamburinus Generalis Præpoſitus, iiſdem fere verbis ſignificatione concepta. Declarationem inſuper adjecit: quod ſi quis nihilominus e Societate eſſet ubicumque terrarum, qui aliter ſentiret, & loqueretur (id enim omnino prævenire, vel impedire nullam ſatis humanam prudentiam in tanta ſubjectorum multitudine poſſe) nomine totius Societatis ſe jam tum illum reprobaſſe, repudiaſſe, meritaque multandum pœna, verum Societatis non agnoſcere atque habere filium. Ab hac id genus homines degeneres ſemper habitos & habendos. Ne vero par culpæ noxa deeſſet, eos pro viribus perpetuo compreſſum iri. Longe plura & apertiora in eam ſententiam ſe dicturum, ſi paria æquiſſimo ac obſequentiſſimo in Apoſtolicam Sedem animo verba ſuppeterent, quæ Societatis mentem redderent clariorem. Prolatis tamen vim omnem ineſſe ſe cupere, quam magis idonea & opportuna præ ſe ferre poſſent & habere. Oblatam a Generali Præpoſito, Aſſiſtentibus Nationum, & Procuratoribus Provinciarum declarationem Summus Pontifex benigne excepit, typiſque publicis mandari & pervulgari ſivit: ut expoſita animorum ſenſa nota fierent univerſis; ſimul gravis, qua Societas laborabat invidia, mature remitteret. Digna vero Pontifice maximo ad eoſdem Præſides oratione præmiſſa id deinceps accurare vehementer eſt adhortatus, ut conſtanti univerſi ſtudio ac fida voluntate, incorruptæ Religionis cauſſam ubique gentium ſedulo tuerentur, inanes ſemper declarationes futuras monens, ſi a rebus abluderent facta.*

§. XI.

Hactenus Polidorius. Nihilominus edita ab Apoſtolica Sede adverſus Ritus Sinenſes Decreta eludere, ut antea, Jeſuitæ aliqui perrexerunt, debitamque illorum exſequutionem vaferrime detrectarunt; futiles interim cauſſas obtendentes, quibus concepta ſpe Pontificem fruſtrare auſi ſunt. Turbatus igitur, uti antea, religionis ſtatus apud Sinas, valido per eoſdem dies impedimento fuit, quominus Clemens expetitæ ab Luſitaniæ Rege trium novorum Epiſcopatuum in illorum Imperio conſtitutioni aſſentiretur. Satius id in aliud tempus differendum ducens, quo liberior atque felicior Catholicæ Religionis propagatio ſperari poſſet,

(1) Append. Monument. VI. (2) Append. Monument. VII.

poſſet, conſtanti prædicatorum Evangelii redintegrato conſenſu. Ut eorumdem noxia religionis diſſidia in Sinis & in Indiis penitus extinguerentur, ac perenni Apoſtolici miniſterii felicitati conſuleretur, utrobique conſidentes Epiſcopi, cæterique Apoſtolicæ Sedis Vicarii, & Adminiſtri enixe a Clemente poſtularunt. Nihil vero ſtudioſius ſuapte natura in rebus gravibus vitare ſolitus Pontifex, quam inconſultam properantiam, diuturna deliberatione perpenſo negotio, ac divino implorato lumine, quo, quid potiſſimum in re tanti momenti decernendum eſſet, agnoſceret, tandem irrogatam multifariam Pontificiæ auctoritati injuriam, & animarum perniciem uno tempore propulſaturus, quartodecimo Calendas Aprilis an. 1715. Sanctionem edidit, cui initium *Ex illa Die* (1). Hac ex plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis omnibus & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, ceteriſque quocumque modo proprio vel alieno nomine Eccleſiaſtica juriſdictione fungentibus, itemque Evangelicis præconibus cujuſcumque Ordinis, cœtus, & inſtituti in Sinarum Imperio, aliiſque finitimis, vel adjacentibus Regnis, Provinciis, & locis exiſtentibus, aut quovis tempore permanſuris imperavit, ut reſponſa & Apoſtolicæ Sedis Decreta adverſus Sinenſes Ritus ante decennium Novembri exeunte menſe ſancita (quæ integra & abſoluta & omnino *finitæ cauſſæ* peremptoria eſſe pronuntiat) *omnimode* ac inviolate ſervarent: tum etiam pro viribus ab aliis ſervari enitentur. Qui ſecus agerent Epiſcopi, illico ſubmoti eſſent ab exercitatione Pontificalium muniorum, & ab Eccleſiarum ingreſſu repulſi; reliqui univerſi a Catholica communione ſecreti haberentur. Qua pœna reos ſolvendi poteſtatem, ſecluſo mortis articulo, unus deinceps Romanus Pontifex obtineret. Eadem noxa illos omnes irretitos denuntiavit, qui in ipſiſmet Regionibus Apoſtolicum obituri miniſterium, non ante conceptis verbis interpoſito jurejurando polliterentur, ſe prorſus exacte, abſolute & integre nuperrimam Conſtitutionem, ac deſignata in ipſa Decreta, atque reſponſa, omni dolo, ac tergiverſatione ſublata, exſequuturos. Promiſſionem vero jurantis ſubſcriptione munitam, vel legitimum ejuſdem exemplum Romam ad Cardinalium cœtum, qui de fide quærunt, excluſa mora, mitti voluit, ut plana omnia, ac expedita eſſent in poſterum. Quo arctius ad Apoſtolicam implendam Sanctionem devotos Deo Viros Clemens adigeret, refragantes, præter deſignatas paullo ante pœnas, quocumque jure ſuffragii in univerſis comitiis exutos dixit. Sincero excepta obſequio Clementis Conſtitutio ad Catholicæ Religionis ſervandam integritatem, & uberiora divinæ gloriæ incrementa conduxit. Sinarum, & quæ Sinis ſunt conterminæ Urbium & Regionum Antiſtites nullo non reverentiæ genere juſſa impleverunt. Non eadem tamen omnibus in re tanti ponderis mens fuit, nec ſpectata voluntas. Ad Sebaſtianum de Andraſſa Peſſnha Goanum paullo poſt renuntiatum Archiepiſcopum datis litteris, Pontifex negotium urſit vehementer; mandavitque inſuper, ut quæcumque Auguſtinus Goanorum Antiſtes, nuper vita functus, in Tournonium Cardinalem admiſerat, velut ab Apoſtolica Sede damnata atque reſciſſa, ipſe penitus abolita haberi ſtuderet. Nec quidquam ſibi ſumeret, vel ab Auguſtino attentata ſervaret, quod Apoſtolicorum Vicariorum juriſdictionem, ac ſupremam ſummi Pontificis auctoritatem impeteret. Bina ejuſdem Conſtitutionis exempla ad Joannem Regem Pontifex miſit, fidenter flagitans, ut ſuis in remotiſſimis illis regionibus verſantibus adminiſtris, præſertim vero Goanis & Macaonenſibus, obnixe imperaret, ne Apoſtolicis mandatis interponerent impedimenta. Imo, ſi quod alii objicerent, ſedulo removeri curarent. Jam tum enim Pontifex præviderat non defuturos, qui priſtinæ mordicus hærentes pertinaciæ, Luſitanorum etiam nomine & poteſtate abuterentur.

§. XII.

Et vero poſt vulgatam Romæ Apoſtolicam Conſtitutionem *Ex illa die*, qua Decreta adverſus Sinenſes Ritus jam pridem lata integre & exacte ſervari jubebantur, quibuſcumque rationibus & cauſſis ad illorum exſequutionem declinandam objectis omnino ſublatis, novæ in Sinis turbæ ſunt excitatæ. Graves autem difficultates & impedimenta, quæ illi promulgandæ interceſſerant, conſequutæ ſunt minæ, & terrores Europæis injecti: potiſſimum vero Evangelii promulgatoribus, quorum non dubia erat obſervantia, & obedientia erga Pontificem Maximum. Sparſus etiam mox rumor Europam pervaſit, factum iri, ut ab Imperatore ſummopere indignato Apoſtolici adminiſtri ex univerſo ipſius Imperio ejicerentur: gravibus una indictis pœnis, ne quis deinceps in ampliſſimæ ditionis ſuæ regnis Chriſtianam legem edoceret, vel profiteretur. Hæc opera ſtudioque Jeſuitarum in vulgus diſſeminabantur. Moleſtis hiſce nuntiis commotus Pontifex, quamvis omnem moverit lapidem, ut imminens periculum propulſaret; ob rei nihilominus gravitatem aliquandiu mœſtus ac trepidus manſit ancipiti metu. Anno interim 1719. Clementi ex gravi morbo convaleſcenti Joannis Luſitanorum Regis afferuntur litteræ, quibus ſignificabatur, Indis ſuis miniſtris, præſertim Goanis & Machaonenſibus, imperatum, ut remotis obicibus, ſi qui fuerant interpoſiti, memoratæ Conſtitutionis exſequutioni ſedulo patrocinarentur. Nuper autem ex ipſomet Sinarum Imperio nuntiatur, illa omnia abeſſe pericula, quæ anno 1718. præſertim Chriſtianæ legis aſſeclis ferebantur inſtare. Etenim qui rerum potiebatur vir oppido quam prudens, ac animi temperantia præditus ſingulari, non modo Chriſtianæ Religioni non erat adverſus, quin favebat, ejuſque mores, inſtituta, doctrinam faciebat plurimi. Erga Clementem vero ita erat affectus, ut eum amaret ſimul, atque ſuſpiceret. Conſtans præterea in Sinis, atque finitimis provinciis ſapientiſſimorum virorum ſententia fuit, non unis patefacta litteris: ſi pari voluntate miniſtri obtigiſſent Principi, feliciora Chriſtianæ rei tempora apud Sinas illucere nequiviſſe.

§. XIII.

Profecto non obſcura, nec pauca tantarum rerum, iniquo ceteroquin tempore humaniſſimus Princeps argumenta præbuit; e quibus, ne latius, quam res ſinit, vagetur oratio, duo memoria digna, pretium operæ facturi, dictis adteximus. Quum ante triennium Chriſtianæ legis ſectatores Europæi inſimulati eſſent, ſeditiones in Sinarum Imperio vafre moliri; ipſoſque Evangelii vulgatores prædicandæ veritatis obtentu clam milites ſcribere, ut ad præſtitutum tempus internis, externiſque conglobatis copiis, Provinciam Imperatoriæ ditionis quam florentem, ac dilatandis conatibus opportunam interciperent; tametſi ad extrema quæque ſeveritatis exempla ab Idololatris judicibus & magiſtratibus incitaretur, eos nihilominus Imperator audire noluit; nihil uſpiam tale ab profitentibus illam religionem ſuſpicans, quæ reverentiam cum fide & obſequio Principibus exhibendam edocet præcipitque, nedum iniqua id genus facta vetat & exſecratur. Aliud moderationis & eximiæ in Clementem exiſtimationis ſpecimen præ ſe tulit, quum ante plures annos duplici ad ipſum legatione miſſis Antonio Barros & Antonio Beaulvolierio; tum Joſepho Provana & Raymundo de Arxo e Societate Jeſu Presbyteris, ut ſuo nomine honorifica Clementi impertirent officia, & certa negotia conficienda proponerent, reſponſo omnino caruit. Legatorum memoria prorſus intercidit; nec quid ipſi apud Pontificem egiſſent, aliqua illi ex parte ſignificatum eſt: quamvis frequentes interea ex Urbe Roma, Italia, & Europa nuntii cum litteris ad Sinas & Indias commeaſſent. Averſi interea a Pontifice animo non deerant, qui ſuaderent, infelicem utriuſque Legationis eventum Clementis vitio tribuendum, & forſitan etiam Imperatoriæ dignitatis contemtui: incitabantque ſæpius ad ea in Apoſtolicos miniſtros decernenda indignationis exempla, quæ Pontifici acciderent permoleſta. Ita tamen improborum hominum conſultationes Imperator eluſit, ut ingenioſus ad cauſſas, expectato, dilatoque in annos plures Legatorum Nuntio, alias atque alias conſtituerit inducias. Quidquam porro de Legatis afferente nemine: ad extremum ſui ſemper ſimillimus teſtatum fecit: *Se de Clemente ita ſentire, ut plane judicaret, in eum culpam minime potuiſſe cadere; nec latere quo apud ipſum honoris loco eſſet: qui nihil ſtudioſius curaret, quam ab injuriis amico Principi inferendis abeſſe.* Enim vero tam honorifice de Clemente ſentiens, atque denuntians Canghius non erravit. Antonii ſiquidem Romæ viſi ſunt nunquam; quippe qui dum in Europam tranſmitterent, naufragio periere. Ex aliis vero, legatione ad Pontificem feliciter obita, Raymundus quum Sinas repetit, in Hiſpaniis vita deceſſit; Joſeph gravibus tentatus morbis, diu in Italia conſiſtit; nec ante quam Clemens alteram ad Sinarum Imperium legationem parare conſtituit, iter continuavit intermiſſum: vim propemodum, referentibus ſociis, languido & affecto corpori inferens, ut ſeſe opportunus, quamvis tardius quam oportuerat,

(1) Append. Monument. VIII. num. XI.

opperienti *Principi* ſiſteret, tricaſque diſſolveret. Sed & ipſe *Luſitanorum* convectus nave, antequam Sinas attingeret, prope Indias mortem obiit.

§. XIV.

Spectata in Imperatore prudentiæ ac temperantiæ exempla ubi Clemens novit, potioribus illi adſtrictus caritatis vinculis, de nova in Sinas maturanda legatione decrevit; ut qua litteris, qua Pontificii Legati verbis, & officiis conſtantiſſimam voluntatem comprobaret, gratum ſuum teſtaretur animum; & quod præcipuum in tanto negotio ſibi finem conſtituit, ampliora Catholicæ Religioni, ejuſque aſſeclis commoda exoraret. Arbitratus itaque feliciſſimam Sinenſibus, ac Indis Eccleſiis Apoſtolici Miniſtri præſentiam & operam, gratam quoque Imperatori futuram, nec uno nomine Evangelicis præconibus utilem, divina per publicas & privatas preces implorata ope, tum etiam Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum exquiſita ſententia, Carolum Ambroſium Mediobarbam Ticinenſem, in utraque Signatura Referendarium, omnium ſuffragiis atque judicio comprobatum, ad id munus delegit. Quem decimo Calendas Octobris anni 1719. Alexandrinum Patriarcham creavit, ac ſubinde *Viſitatorem Apoſtolicum* cum poteſtate Legati de latere ad Imperium Sinarum, aliaque finitima Orientalium Indiarum Regna una cum quatuor atque viginti ſelectis Evangelii evulgatoribus, præſtantique aliorum bonis artibus atque illuſtribus diſciplinis excellentium virorum manu allegavit. Majori, qua licuit ſollicitudine imperans, ut ad conſovendum inter ſacros miniſtros amorem pacis, ac tantopere neceſſariam laborantibus in Chriſti regno concordiam viribus totis incumberet; diſpiceretque an Apoſtolici Operarii deſignatam Conſtitutionem *Ex illa die* debitæ exſequutioni mandaſſent, prout interpoſito jurejurando promiſerant ſinguli. Denique an ingeſta Pontifici & ſparſa per Europam a cujuſque Religioſæ Familiæ in Sinis, & Indiis degentis præſidibus ſplendidiſſima verba rebus fideliſſime reſponderent & factis. Multi ſiquidem ex iiſdem regionibus nuntiabant, mala non penitus ademta. Vulgatum eſt etiam, Jeſuitas, ne Clementinæ Sanctioni palam adverſarentur, atque iis irretirentur pœnis, quæ in refragantes ſunt inflictæ, propagandæ Chriſtianæ Religionis miniſterium deſeruiſſe, de re ſua duntaxat accuranda ſollicitos. Ipſorum præterea non paucos eadem qua prius pertinacia Apoſtolicæ Sedis Decretis obniſos, vetitos tueri Ritus & provehere. Hæc quemadmodum Clementem ſolicitabant; ita præcipuæ fuere cauſſæ, cur alteram ipſe in Sinas Apoſtolici Inſpectoris miſſionem decreverit. Felicibus magnanimi conatus proluſurus ſucceſſibus, aliquot ante menſes Sinarum Imperatorem litteris de nova ad ipſum legatione adornanda, ut Chriſtianæ Legis & Eccleſiæ curaret emolumenta, certiorem fecerat. Aliquot item eodem tempore Religioſos viros Evangelicos miniſtros, quaſi legati præcurſores miſit, quos ut benigne ille exciperet, ac libenter audiret, flagitavit: acrioribus una ſtimulis ad Chriſtianæ Religionis tutelam atque favorem augendum impulit. Multa quoque ac maximi apud Sinas habita munera, potentiſſimo Principi per Patriarcham Pontificio nomine exhibenda, comportari juſſit; ut nullum fere eſſet argumenti genus, quo illius animum & voluntatem ad conſovendam Chriſti cauſſam non alliceret, ac ſibi arctius devinciret.

Carolo Ambroſio & ſociis ab Urbe diſcedentibus eam cujuſcumque itineris ſuſcipiendi libertatem ſartam tectamque eſſe denuntiavit, præſcripſitque, quam quibuſvis Apoſtolicis viris Orientales Indias Sinaſque petituris Paulus V. Urbanus VIII. & Clemens X. ſunt impertiti, & cautam in poſterum eſſe voluerunt. Deliberationem proinde Sinicum per Luſitaniam faciendi iter, ne idem Pontifex eo animo comprobaſſe videretur, ut in uſum revocaret antiquata Decreta, quibus hujuſmodi ſacri homines Chriſtianam fidem legemque nuntiandi cauſſa in Sinas & Indias tranſmittentes, aliam quam Luſitaniæ viam tenere vetabantur, ſive, ut Pontificio adminiſtro, ejuſque ſociis poteſtatem a quoquam impetraret, vel tribui ſineret, obeundi utrobique munus Apoſtolicum; id conſilii ea duntaxat ratione ab ſe initum, complexumque in præcipua Oratione Conſiſtoriali patefecit, ut *Viſitator* debitas Luſitanorum Regi gratias haberet, quod opem atque præſidium pro fauſto legationis ſucceſſu ille ultro obtulerit: oblationiſque fructum Carolus Ambroſius largiori beneficiorum copia cum ſociis experiretur. Enimvero Joannes Rex obligatam Clementi fidem liberans, conceptamque ſimul ab eo ſpem implens, Patriarcham ſingularibus honoris, & reverentiæ argumentis proſequutus excepit. Liberaliter porro habuit, atque dimiſit, pecuniam in commeatum & itineris impenſas ex regio ærario erogavit. Nulla inſuper præcipuæ beneficentiæ ac debiti Sedi Apoſtolicæ obſequii argumenta deſiderari paſſus, feliciter pro Clementis voto, implendo muneri præſentiſſimum ubique patrocinium impertiit. Octavo Calendas Aprilis anni 1720. Ulyſſipone Patriarcha cum ſociis ſolvit; ſecundoque longiſſimæ navigationis curſu in Indias primo, mox in ampliſſimum Sinarum Imperium pervenit. Eximios illi honores cum dignitas ipſa, quam ſuſtinebat, tum exacta Clementis prudentia, datis antea ad univerſos Indiarum, & Sinarum Epiſcopos, itemque Apoſtolicos Vicarios litteris, comparavit. Curam ille omnem & operam navans, ut ardua magniſque periculis provincia patens, undecumque Pontificiam expectationem impleret & deſiderium.

§. XV.

Novem fere menſium ſpatio Ulyſſipone in Sinas perfunctus itinere, tandem extremo menſe Decembri Carolus Ambroſius honorifice ab Imperatore ſuſcipitur. Hic Clementis acceptis litteris, ac de illius ſalute Legatum percontatus, expletis more Sinico cæremoniis ac perſolutis officiis, ſplendidiſſimo excepit convivio, ſedereque juſſit in occidentali parte ſolii a primi ordinis Magiſtratibus primum. Subinde non vulgaribus reverentiæ ſignificationibus affectum, Imperatoriis pavit cibis, propriaque manu tradito dignatus eſt vini poculo. Singularis venerationis aucturus ſpecimina, præcepit inſuper Mandarinis ut in limine Aulæ vini cyathum ſingulis Legati comitibus & familiaribus offerrent. Aeris vero rigorem cogitans, & veſtes, quibus Patriarcha pro more gentis induebatur tenuiſſimas, imperatorio indumento e *Zibellinis* pellibus egregie compacto eumdem donavit, & amiciri voluit. Abſoluto convivio, Carolo Ambroſio gratias habuit. Dilatoque in ſequentes dies tractando a Patriarcha religionis negotio, in iis, quæ deinceps per interpretem ſunt inſtituta, colloquiis, contra ſpem nulli conſtantius Principem adverſari Legatus novit, quam Apoſtolicis decretis latis in Sinenſes Ritus, eorumque publicæ exſequutioni intercedere. Damnatarum a Pontifice cæremoniarum oſores Imperator variis offuciis Pontificiæ Conſtitutioni obluctantium inſtructiſſimus, opportune, importune rudes, Sinicæ doctrinæ ac linguæ imperitos, fallaces, improbos, publicæ tranquillitatis perturbatores: nonnullos etiam deſignatos nomine, inter quos Maigrotum, innocentia atque integræ religionis ſtudio claros, perduelles notare, ac judicio capitis arceſſere. Nihil contra ſtudioſius, atque contentius præ ſe ferre, quam judicem religionis agere: damnatam a Pontifice maximo tueri cauſſam; ejuſque audaces in Sinarum Imperio propugnatores ſcitos, doctos, ſibi gratos jactare & efferre laudibus. Legatum præterea ſuſpectum traducere. Clementem Sinicorum Rituum propugnatoribus adverſum, deceptum pronuntiare, terrores injicere, duriſſimas optiones proponere, extrema Religionis diſpendia minitari. Quod autem ſupra modum dolorem augebat, & inteſtina pericula, Chriſto nomen dantes vario pro doctrinarum ac cæremoniarum diſcrimine, quibus inhærebant, diſcreti agnomine, atque invicem excepti animo, triſtiſſimam ſchiſmatis ſpeciem referebant. In ipſa Imperatoris Aula probe rei conſcia bifariam Chriſtianis diviſis, proſcriptos ab Apoſtolica Sede Ritus deteſtantes *Presbyterorum Congregationis S. Petri*; Pontificiis vero decretis obnitentes *Jeſuitarum* audiebant aſſeclæ.

§. XVI.

Hoc in diſcrimen, tantaſque in anguſtias cum ſe Patriarcha Alexandrinus conjectum vidiſſet, *Permiſſiones* quaſdam concedere coactus fuit, edita Paſtorali Epiſtola Macai die 4. Novembris 1721. (1), quibus tamen *Permiſſionibus* nequaquam Conſtitutionem Clementis XI. *Ex illa die* infringere ullo modo ſibi eſſe in animo declaravit, cum illam vim omnem potius habere, mandarique exſequutioni omnino neceſſe eſſet. Cum vero hujuſcemodi *Permiſſionum* notitiam neophytis haud eſſe neceſſariam putaret, quos nimirum ſatis erat in viam ſalutis dirigere juxta Clementis laudatæ Conſtitutionis præſcripta, vetuit ne quis illas in linguam Tartaram aut Sinicam converteret. Quod tamen minime ſervatum

(1) Append. Monument. VIII. num. XV.

tum fuit; nam, quod mirum, Pekini Epiſcopus contra expreſſam Patriarchæ voluntatem per binas ſuas Paſtoſtorales mandavit ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ univerſis Diœceſeos ſuæ Miſſionariis ut obſervarent, & obſervari præciperent Conſtitutionem *Ex illa die* juxta Permiſſiones, quas ipſe contendebat ad ea potiſſimum referri, quæ in præcitata Conſtitutione fuerant ſolemniter interdicta. Neque hiſce auſibus contentus, præcepit inſuper, ut Chriſtifideles quater ſingulis annis in diebus omnium celeberrimis diſtincte inſtruerentur cum in iis, quæ Conſtitutione Apoſtolica prohibentur, tum in iis quæ a Patriarchæ Alexandrini Paſtorali permittuntur.

§. XVII.

Sed vero quum *Permiſſiones* iſtæ cum Clementis XI. Conſtitutione componi haud poſſent, idque plures Miſſionarii probe intelligerent; hinc iſti Conſtitutioni *Ex illa die* unice adhærentes, obedienteſque, nunquam iis ſibi eſſe utendum cenſuerunt. Hinc jurgia contentioneſque inter Miſſionarios excitatæ ab iis, qui Clementis Conſtitutionem ad normam Permiſſionum Alexandrini Patriarchæ unice eſſe excipiendam contendebant. Incaſſum ad eam diem nimirum vigilantiſſimi Pontificis cura, & ſana pars Societatis Jeſu decretis, denuntiationibus, monitis, graviſſimis denique in extremam animarum perniciem irrogatis pœnis æquam mentem nefariis refragantibus viſæ ſunt indere: fruſtra præſens contendit & Patriarcha, ut funeſto ſublato diſſidio, univerſi cum Apoſtolica Sede tutiſſima Religionis & veritatis magiſtra ſentirent, nec alii *Apollo*, alii *Cephæ*, ſed concordi caritate, fidei præterea atque doctrinæ conſenſione omnes eſſent Jeſu Chriſti, ſuas in terris gerenti vices ex animo obtemperantes ſummo Pontifici. Infelicem hunc Eccleſiæ Sinenſis ſtatum miſeratus idem Carolus Ambroſius Patriarcha, paullo poſt iterum tranſmiſſo mari, novis objectus periculis, in Italiam rediit, Innocentio XIII. P. M. cui vigentium in Sinis malorum ſpectator & teſtis locupletiſſimus luctuoſam rerum ſeriem, atque conditionem expoſuit. Extat hujus Patriarchæ Diarium itineris & legationis a P. Vianio ex Ordine Servorum B. M. Virginis italice perſcriptum, editumque primo Mediolani an. 1739. & poſtea Lucæ. Mediobarbus paullo poſt Laudis Pompejæ in Inſubria creatus Epiſcopus eſt; eique vita functo ſucceſſit An. 1742. Joſeph Galeratus. Anno 1738. Epiſcopus Halicarnaſſenſis de la Beaume in regnum Indiæ ulterioris Cochinchinam miſſus fuit, deceſſitque anno 1740.

§. XVIII.

Integratæ proinde in Jeſuitas graviſſimæ accuſationes, atque querelæ. Harum æquitate veritateque comperta, Innocentius XIII. ceu qui cum Ulyſſipone Sedis Apoſtolicæ Nuntius verſaretur rerum in Sinis geſtarum erat egregie gnarus, expeditius ſibi rem eſſe agendam ratus die 29. Auguſti an. 1723. vocato ad ſe Tamburinio, totius Societatis Præſide, zelo Dei domus plenus cum indignationem ſuam illi vehementer expoſuit, tum juſſit ut ad Cardinalem Secretarium Status, ut vocant, ſe conferret, ab eo ſui mandata auditurus. Hic vero nomine Pontificis plura eſſe præſtanda a Tamburinio ſignificavit, ſi Societatem ſuam ſartam tectamque ſervare vellet; ac primo quidem enitendum, ut Clementis Conſtitutioni *Ex illa die* omnes alumni Societatis reverenter obtemperarent. 2. E Miſſionibus illico eos eſſe revocandos, qui contumaciter id præſtare detrectabant. 3. Trium annorum ſpatio exhibenda eſſe authentica monumenta, quibus illos Clementinis Decretis de Ritibus Sinenſibus adamuſſim paruiſſe conſtaret. 4. Neminem ab eo tempore deinceps in Societatem admittendum eſſe. 5. Nullum pariter Jeſuitam ad Sinenſes Miſſiones ab eo eſſe ablegandum, aut ſæcularem, qui iis in Regionibus nomen daret Societati. 6. Iis, qui jam ad Sinas pervenerant, præcipiendum ut eo loci morarentur quidem, ſed tamen intelligerent omni ſibi agendarum Miſſionum exercitio abſtinendum eſſe, quoad uſque nova Sedis Apoſtolicæ juſſa vulgarentur. 7. Præſidem Societatis revocare debere omnem facultatem, cæteris ſibi ſubjectis Superioribus conceſſam, Socios ad Miſſiones Sinarum, Indiarumque dimittendi. 8. Quum notum exploratumque eſſet Jeſuitarum Pekinenſium machinationibus aliquot Miſſionarios in carceres detruſos fuiſſe; a Societatis Generali Præſide illico eſſe laborandum, ut illi priſtinæ libertati redderentur, præcipue Sacerdotes Theodoricus Pedrinius, Ludovicus Antonius Appianius, & Antonius Guignj. 9. Ab eodem Generali Societatis encyclica epiſtola omnibus ejuſdem alumnis denunciandum eſſe gravi interpoſito præcepto, ne quis contra Sedis Apoſtolicæ decreta adverſus Ritus Sinenſes edita muſſitare auderet. 10. Demum ne Roma diſcederet P. Nicolaus Gianpriamo abſque expreſſa Pontificis facultate. Hæc ſe Pontificia juſſa ſervaturum ſpopondit Antiſtes Societatis, promiſſionemque & ſui & Adſiſtentium ſubſcriptionibus munitam confirmavit die 13. Septembris ejuſdem anni 1723. ut monumenta produnt, quæ in Archivo Congregationis de Propaganda Fide aſſervantur.

Juſſa hæc Innocentii erant validiſſima, ac plane idonea ad nefarios Sedis Apoſtolicæ Decretorum oſores coercendos; plenumque fortaſſe effectum conſequuta eſſent, ſi illorum Auctor diutius vixiſſet. Sed huic paucos poſt menſes vita functo, quum Benedictus XIII. ſucceſſiſſet, multa miſcendi turbandique Jeſuitis facultas obtigit. Anno nihilominus 1724. die 18. Septembris, plurium Cardinalium habita Congregatione, Innocentii XIII. præcepta ſervanda eſſe ſanxit, illorumque obſervationem Generali Societatis commendavit. Benedictus vero die 12. Decembris an. 1727. Prædeceſſorum Decreta adverſus Ritus Malabaricos confirmavit, rataque omnino eſſe voluit.

§. XIX.

Clemens XII. Benedicti in Petri Cathedra ſucceſſor, nervos omnes vireſque intendit, ut prædeceſſorum Pontificum de rebus Sinicis Decreta plenum abſolutumque effectum ſortirentur. Certior imprimis factus diſſenſionum jurgiorumque, quæ binæ commemoratæ Paſtorales litteræ Pekinenſis Epiſcopi peperierant, decreto edito die 26. Septembris ann. 1735. (1) illas caſſavit, & annullavit, ſibi & Apoſtolicæ Sedi reſervata facultate Chriſtifidelibus in Regno Sinarum degentibus aperiendi ſuam & dictæ Sedis mentem poſt maturam itidem habitam deliberationem ſuper aliis rebus, quæ materiam *Permiſſionum* a Patriarcha Alexandrino conceſſarum reſpiciebant. Præterea idem Clemens Cardinalis Tournonii confirmavit edictum, novaque præcepta jam factis adjunxit, ſignificavitque Præſuli Societatis ſupremo, ut tandem aliquando ex ſuo cœtu alumni reſipiſcerent, Sediſque Apoſtolicæ Decreta revererentur. Sed quam multi his rurſum obniti perrexerint, ex Relationibus licet intelligere, quas ad ſacram Congregationem de Propaganda Fide perferendas curavit Claudius de Visdelou, Epiſcopus Claudiopolitanus e Societate Jeſu. Extat de hoc egregio viro F. Norberti Epiſtola ad Benedictum XIV. aliorum itidem Miſſionariorum nomine perſcripta; cujus heic partem edere operæ pretium fuerit:

SUMMO PONTIFICI BENEDICTO XIV.

Beatiſſime Pater

„ Virorum zelo Apoſtolico, conſtantiaque Evangelica illuſtrium virtutes ad ſanctæ Sedis ſolium deferre „ conſuetudo eſt, æque ac religio; ut Summorum Pontificum judicio probati, & ore laudati, Eccleſiæ ornamento magis, & exemplo inſervire queant. Eo „ animo illuſtriſſimum Dominum Claudium de Visdelou, „ Epiſcopum Claudiopolitanum, virum vere Apoſtolicum, ſanctæ Sedis intrepidum defenſorem, ad Te, „ Beatiſſime Pater, humillime & ſuppliciter adducimus, „ & illius maximo cum luctu annuntiamus obitum. „ Dignus ille ſancti Evangelii miniſter, ex hac vita, „ die glorioſiſſimi Martini Epiſcopi Turonenſis anni „ currentis 1737. in noſtra Pudicherii habitatione migravit in cælum, quo ſua merita vocant, ut ſperamus. Nihil enim illi ad perfectam vitæ integritatem, & laudem defuit, utpote præcipua in illum a „ Patre dona confluxere; quapropter in publicis ejus „ exſequiis, ſolemniori ritu peractis qui in hiſce Miſſionibus obſervari poteſt, funebrem pro inſuetæ virtutis viri memoria orationem ad populum omittere „ non debuimus, illamque communi conſilio ad veſtram offerre Sanctitatem ac conſecrare fortaſſe non „ incongrue judicavimus. Enimvero per eam Sanctitas „ veſtra puræ & immaculatæ Religionis zelatorem maximum, Pontificiæ auctoritatis generoſiſſimum propugnatorem, Decretorum ac Conſtitutionum S. Sedis „ aſſertorem fortiſſimum, magnum in Indicis & Sinicis „ Miſſionibus lumen; uno verbo piiſſimi Caroli Tho-

(1) Append. Monument. VIII. num. XVIII. & Monument. X.

„ mæ Cardinalis de Tournon invincibilis patientiæ, & „ admirabilis conſtantiæ, aliarumque illius a latere „ Legati virtutum fidelem intelliget ac videbit ſectato„ rem. Hi duo, Beatiſſime Pater, illuſtriſſimi Antiſſi„ tes ſunt ex iis miſericordiæ viris, quorum pietates „ non defuere, & quorum nomina extollere, & laudes „ nuntiare gaudet Eccleſia, & debent in hac præſertim „ Mundi parte Miſſionarii veræ ac ſanæ doctrinæ æ„ mulatores, Paſtoriſque Paſtorum præcepta & judicia „ ſervantes. Ignoſcat igitur Sanctitas veſtra, hiſce lau„ dibus in eos Apoſtolicos viros, quorum merita, quo„ rum exempla hac noſtra ætate mirati ſumus, noſtrum „ pro ſervanda ſuper Ritus Malabaricos puritate, a „ ſancta Sede ordinata, zelum. Quod perſpeximus, „ Beatiſſime Pater, quod oculis noſtris vidimus, teſta„ mur, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium noſtrum: „ facta antiquitus & noviter relata certo, licet amare, „ illud corroborant &c. “

§. XX.

Tandem cum id, quod Clemens XII. ſibi, ac Sanctæ Sedi Chriſtianis Sinenſibus declarandum reſervavit, materia Permiſſionum eſſet, de quibus certior jam fuerat factus, deque maxima inde ſecuta inter Miſſionarios diſſenſione, quum alii Clementis XI. Conſtitutionem *Ex illa die* vim omnem amittere contenderent, ſi Permiſſiones illæ in praxi conſiſterent, alii autem factis palam demonſtrarent, Permiſſionum colore ſe ad prædictæ Conſtitutionis obſervantiam minime teneri juxta illa, quæ in ipſa Conſtitutione præſcribuntur, Benedictus XIV. Pontifex ſapientiſſimus, examine continuato Permiſſionum, quod Clementis XII. incœptum fuerat juſſu, Conſtitutionem edidit incipientem *Ex quo ſingulari Dei providentia* anno 1742. (1) in qua prædeceſſorum Pontificum primo Decretis recitatis, Permiſſiones illas denuo irritas nullaſque eſſe juſſit, tum juramenti Formulam ampliavit, cui ſubſcriberent ſacris Miſſionibus in Sinis operam dantes, atque daturi impoſterum, Ritibus illis eliminatis omnino atque proſcriptis, tanquam ab eorum profeſſione alienis, qui Chriſtiani cenſeri volunt. Quam Conſtitutionem Benedicti XIV. quum accepiſſet Petrus Martyr Sanſius, Epiſcopus Mauricaſtrenſis, de quo præcedenti Diſſertatione diximus, hanc ad ſuos Fokienſes Epiſtolam dedit: „ Nos D. F. Petrus Sans, Dei & „ Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Mauricaſtrenſis, „ Vicarius Apoſtolicus Provinciæ Fo-kien, adminiſtra„ torque Provinciarum Che-Kiang-Sy omnibus admo„ dum RR. PP. Miſſionariis Apoſtolicis ad noſtram „ juriſdictionem pertinentibus ſalutem in Domino ſem„ piternam. Poſteaquam in hac provincia Fokienſi Im„ perii Sinarum fuit a nobis SS. D. N. Benedicti „ divina providentia Papæ XIV. promulgata Conſtitu„ tio, quæ incipit: *Ex quo ſingulari Dei providentia* „ *&c. ſuper Ritibus & Cæremoniis Sinenſibus*, mox „ quidam ex Miſſionariis varia nobis propoſuere dubia, „ quibus partim reſpondimus, partim diſtulimus reſpon„ ſum, ut opportuno tempore faceremus ſatis. At „ non ſine ingenti mœrore dicere cogimur, quæ omni„ no tacere vellemus. Decreta ſcilicet Pontificia hoc „ in Sinarum Imperio divulgata, ne ad optatum Sum„ mi Pontificis perveniant effectum, contingit illis id „ ipſum, quod pueris Hebræorum recens in Ægypto „ natis, qui ne ad ætatem virilem ac perfectam ad„ venirent, ſtatim Pharaonis imperio de medio tolle„ bantur. Ita fere hic obtingit, dum multi ex Miſſio„ nariis ſuis cum quæſitis, vel potius querelis ac ca„ villationibus, omni conatu obtendentes, vellent De„ creta Pontificia, quæ in lucem prodeunt, communi „ luce privari. Sed eis forſan non venit in mentem a „ Domino eſſe definitum, portas inferi adverſus Eccle„ ſiam non poſſe prævalere. Quapropter Pharao, qui „ ſemper in circuitu velut impius ambulavit, populum „ Hebræorum haudquaquam ſuperare valuit, ſed quaſi „ ludens cum Moyſe, in ſuo circulo vitioſo de verbis „ ad ſigna, & de ſignis ad verba, tandem nec verbis „ ob duritiam cordis ſatis eruditus, nec plagis graviſſi„ mis emendatus, juſto Dei judicio, ut alieni periculo „ cuncti ſaperent, una cum magno exercitu Ægyptio„ rum ſcelerum pœnas expendit in Mari rubro. Ti„ meamus ergo, veritatique, ut par eſt, obtempere„ mus, ne ſi Eccleſiæ Prælati diſſentientes in Sinis vi„ derint Miſſionarios, exprobrent eis cum Apoſtolo *Sem„ per diſcentes & nunquam ad ſcientiam veritatis per„ venientes. Et quemadmodum Jannes, & Mambre re„ ſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veritati*. Ideo „ magnopere formidanda eſt Eminentiſſimi Cardinalis „ Tournonii ſententia, quam ſæpenumero non ſine ſtu„ pore legimus & audivimus; ſcilicet *Miſſio deſtruetur*, „ *& error non emendabitur*. Nonne Eccleſia Dei vivi „ eſt columna, & firmamentum veritatis? Columna re„ vera ignea, quæ noctis illuminat tenebras, & ad „ terram uſque promiſſionis fideles ducit Iſraelitas. Hæc „ utique eſt columna nubis, quæ ab ardore ſolis nos „ protegit; imo contra paſſionum impetus nos defen„ dit. Et ne doctrinis variis & peregrinis abducamur, „ in columna nubis loquebatur ad eos, ut crederent „ Domino, & Moyſi ſervo ejus. In hac enim columna „ etiam hodie loquitur Dominus Pontifici ſervo ſuo, ut „ credamus Domino, & ſervo ejus. Tantæ igitur co„ lumnæ niſibus totis innitamur, ut caſum & ruinam „ evitemus. Et ne forte decipiamur, toto corde creda„ mus veritati. Nam ſi Summus Pontifex Chriſti mi„ niſtros perſpexerit diſcordes, merito conqueretur di„ cens: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis* „ *mihi?* Plurimi fortaſſe reſpondebunt: *Durus eſt hic* „ *ſermo, & quis poteſt eum audire? ita ut multi abi„ rent, & relinquerent Dominum*. At Jeſus ait diſci„ pulis ſuis: *Numquid & vos vultis abire?* Ac ſi di„ ceret, ſi vobis abire placet, patent portæ, abite. „ Nihil tamen de doctrina ſua Dominus temperavit. „ Imo potius ait per Matthæum: *Intrate per angu„ ſtam portam; quia lata porta, & ſpatioſa via eſt,* „ *quæ ducit ad perditionem: & multi ſunt, qui in„ trant per eam. Quam anguſta & arcta via eſt, quæ* „ *ducit ad vitam! Et pauci ſunt, qui inveniunt eam*. „ Qui ad tantum tonitru non expergiſcitur, non dor„ mit, ſed mortuus eſt. Multos in admirationem rapit „ attente conſiderare, quam alacriter, grandi manuum „ plauſu, Miſſionarios non paucos quaſi viginti uſos „ fuiſſe Alexandrini Patriarchæ Permiſſionibus, quin „ animum miniſtri adverterent, tales Permiſſiones Con„ ſtitutioni Apoſtolicæ *Ex illa die* plane eſſe contra„ rias. Cum vero prædictæ Permiſſiones a SS. Papa „ Benedicto XIV. merito damnantur, plures Miſſiona„ rii ſubito commoventur. Quæſtiones undique rurſum „ excitantur, totaque Sinenſis confunditur Eccleſia, ita „ ut clamore magno inclamet validiſſime: *Filii matris* „ *meæ pugnaverunt contra me*. Et cum Vicarii Apo„ ſtolici opportunum velint opponere remedium, ubi„ que contradicitur, gemebundique dicere coguntur: „ *Poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris*. Nihi„ lominus a minis cavete, quæſo, in Conſtitutione Apo„ ſtolica apertiſſime fulminatis. Pariterque Paulus A„ poſtolus de geſtis antiquorum Patrum ſermonem fa„ ciens, univerſis Chriſtifidelibus comminatur dicens: „ *Hæc autem omnia in figura contingebant illis: ſcri„ pta autem ſunt ad correptionem noſtram. Itaque qui* „ *ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*. Quapropter cun„ cto populo Iſraelitico ajebat Moyſes: *Si difficile &* „ *ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter* „ *ſanguinem & ſanguinem, cauſſam & cauſſam, le„ pram & lepram, & judicum intra portas videris* „ *verba variari, ſurge & adſcende ad locum, quem* „ *elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad ſacerdotes* „ *Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tem„ pore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii* „ *veritatem; & facies quodcumque dixerint, qui præ„ ſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te* „ *juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum, nec* „ *declinabis ad dexteram neque ad ſiniſtram. Qui au„ tem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio,* „ *qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto* „ *judicis, morietur homo ille, & auferes malum de* „ *Iſrael; cunctuſque populus audiens timebit, ut nul„ lus deinceps intumeſcat ſuperbia*. En quomodo iſta „ ſcripta ſunt ad correptionem noſtram! Utinam tan„ tam pœnam ſolvat nemo! ſed Conſtitutioni Apoſto„ licæ omnino pareat, & in *captivitatem rediget in„ tellectum in obſequium Chriſti, qui dilexit Eccleſiam,* „ *& ſe ipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret mun„ dans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſam* „ *Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam*. Equi„ dem fœdata eſſet Eccleſia Sinenſis, inutiles cæremonias ac „ ritus vetitos peragendo. *Et quamvis lavaretur nitro,* „ *& multiplicaret ſibi herbam Borith, maculata eſſet* „ *iniquitate ſua coram Deo*. Quapropter conteſtor vos „ hodierna die, quia *mundus ſum a ſanguine omnium*: „ jam enim Eccleſia per ſua Decreta Pontificia omne „ conſilium Dei annuntiavit vobis. Itaque ut noſtro „ munere perfungamur, duo præcipimus quæ ſequun„ tur. Primum: Miſſionarii, qui in noſtro diſtrictu, „ & ju-

(1) Append. Monument. VIII.

„ & jurisdictione Sacramenta fidelibus administrant, nisi „ imperatum a SS. Papa Benedicto XIV. juramentum „ antea præstiterint, concessas eis facultates per præsen- „ tes revocamus, ac revocatas esse decernimus. Secun- „ dum: si quis autem Missionarius (quod Deus aver- „ tat) permiserit Christifidelibus ea, quæ jam a san- „ ctissimis Pontificibus sunt damnata, non solum facul- „ tates ei concessas revocamus, sed eum insuper pœna „ excommunicationis latæ sententiæ illico subjicimus. „ Postremo omnibus Evangelicis Operariis ad nostram „ jurisdictionem pertinentibus verba Ezechielis in me- „ moriam revocamus, quæ sunt tenoris sequentis: *Si* „ *speculator viderit gladium venientem, & non inso-* „ *nuerit buccina, & populus se non custodierit, vene-* „ *ritque gladius, & tulerit de eis animam: ille qui-* „ *dem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem* „ *ejus de manu speculatoris requiram.* Datum Moyang. „ Prov. Fokien. die 22. Mensis Julii 1745. "

§. XXI.

Hæc erant, quæ nobis breviter de Ritibus Sinensibus erant edicenda. In quibus equidem persequendis usi sumus præcipue libris, quos de vita Clementis XI. composuit Polidorius; in iis enim Tournonii, & Mediobarbæ legationes complexus est. In his autem potiora continentur, quæ in controversia illa contigerunt. Quum autem Polidorius illorum nomina non semel reticuerit, qui tamen præcipuas turbas adversus Apostolicæ Sedis Decreta excitarunt, non dubitavimus paullo clarius aliquando eloqui, verbis paullo durioribus illos perstringere, quos Ecclesia ipsa omni reprehensione atque execratione dignos deinceps judicavit. In cæteris autem enarrandis, quæ post illas legationes evenere, ordinem fere secuti sumus Decretorum, quæ adversus vindices Sinensium Rituum edita sunt, quæque Appendicis loco huic dissertationi subnectemus. Non est autem, cur pluribus multisque palam fiat, quantopere a veritate abscesserint, qui ritus illos ac cæremonias cum professione Catholica consociari posse defenderunt. Paucis rem pertractat Natalis Alexander in Epistola CII. in qua ostendendum aggreditur Christianis inter Paganos degentibus nullo prætextu licere eorum sacrificiis, aut aliis ritibus superstitiosis ministrare vel interesse etiam ficte, & aversa ab illis intentione. Et certe, quin Apostolica Decreta heic denuo urgeamus, qui hæc licere Christianis defendunt, in hæresim Eleseitarum incurrere convinci possunt, quos Elxai pseudo-propheta *simulatores esse docuit, cum ullum negaret esse crimen, si quis persecutionis tempore idola veneretur, dummodo minime id ex animo faciat; aut si quid oretenus, non item animo profiteatur;* ut refert Epiphanius lib. I. Hæresi XIX. Illis, qui hæc licere contendunt, & pernicio sam adeo simulationem ab idololatriæ labe vindicare conantur, opponendus est præclarus ille Tertulliani locus *Apologetici* cap. 25. *Igitur provocati ad sacrificandum, obstruimus gradum pro fide conscientiæ nostræ, qua certi sumus, ad quos ista perveniant officia sub imaginum prostitutione, & humanorum nominum consecratione. Sed quidam dementiam existimant, quod cum possimus & sacrificare in præsenti, & illæsi abire, manente apud animum proposito, obstinationem saluti præferamus. Datis scilicet consilium, quo vobis abutamur, sed agnoscimus unde talia suggerantur. Illæ scilicet spiritus dæmoniacæ & angelicæ paraturæ, qui noster ob divortium æmulus, & ob Dei gratiam invidus, de mentibus vestris adversus nos præliatur.* Quæ conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templi Dei idolis? Vos enim estis templum Dei vivi. *Fugite idololatriam, omnem utique & totam* (ait alibi ibidem Tertullianus). *Recogita sylvam, & quantæ latitant spinæ. Nihil dandum idolo, sed nec sumendum ab idolo. Si in idolo recumbere alienum est a fide, quid in idoli habitu videri? Quæ communio Christi & Beliæ? Et ideo fugite. Longum enim divortium mandat ab idololatria, in nullo proxime agendum. Draco etiam terrenus de longinquo homines spiritu absorbet. Altius Joannes:* Filioli (*inquit*) custodite vos ab idolis. *Non jam ab Idololatria quasi ab officio, sed ab idolis, ideſt ab ipsa effigie eorum .... Nusquam Christianus aliud est. Unum Evangelium, & unus Jesus, negaturus omnem negatorem, & confessurus omnem confessorem Dei, & salvam facturus animam pro nomine ejus amissam, perditurus autem de contrario adversus nomen ejus lucri habitam .... Non admittit status fidei necessitates. Nulla est necessitas delinquendi, quibus una est necessitas non delinquendi. Nam & ad sacrificandum, & directe negandum necessitate quis premitur tormentorum, sive pœnarum; tamen nec illi neeessitati disciplina connivet; quia potior est necessitas timendæ negationis & obeundi martyrii, quam evadendæ passionis & implendi officii. Cæterum subvertit totam substantiam Sacramenti causatio ejusmodi, at etiam voluntariis delictis fibulam laxet. Nam & voluntas poterit necessitas contendi, habens scilicet unde cogatur.* Frustra vero respondent Neoterici, ritus illos, prout ab Ethnicis fiunt, superstitiosos, & idololatricos esse: at cæremonias sive observantias esse mere civiles, prout a Christianis usurpantur. Eadem enim cavillatione philosophi pagani, qui Deos inanes, & falsos esse existimabant, & omnes gentilium sacrorum cæremonias quasi civiles cultus, non quasi religiosos usurpare se, ac frequentare dicebant, cum procul a plebe philosopharentur, ab idololatrja excusari possent. Sic enim de cæremoniis illis Seneca apud S. Augustinum lib. VI. *de Civitate Dei* cap. X. *Quæ omnia sapiens servabit tanquam legibus jussa, non quasi Diis grata. Omnem istam Deorum turbam, quam longo ævo longa superstitio congessit, sic adorabimus, ut meminerimus cultum ejus magis ad morem quam ad rem pertinere.* Sane ritus in honorem Philosophi, & progenitorum, qui animalium immolatione, oblatione carnium, libatione vini, invocatione spiritus, suffitibus, cereorum accensione, prostrationibus coram tabella, quæ inscribitur *Sedes animæ*, honorum a Paganis defunctis expectatione constant; Ritus, inquam, illi ad idololatriam pertinent, *cujus afflatum vice pestis etiam e longinquo devitari*, Apostoli & Apostolici viri voluerunt, *non in Idolorum tantum cultu, sed & in universa serie humanæ superstitionis, sive Diis suis, sive defunctis, sive Regibus mancipatæ, vel ad eosdem spiritus immundos pertinentis, modo per sacrificia & sacerdotia, modo per festos dies, & alia id genus*, ut loquitur Tertullianus lib. *de Idololatria* cap. XIII.

Tertull. lib. De Coron. militis cap. 11.

Nec refert quod Philosophum & progenitores suos homines fuisse Pagani illi agnoscant. Nam & Deos suos olim homines fuisse veteres Idololatræ Græci & Romani agnoscebant, & ultro fatebantur. *Recogitemus*, inquit Tertullianus ibidem cap. XV. *omnem idololatriam in homines esse culturam, cum & ipsos Deos nationum homines retro fuisse etiam apud suos constet. Itaque nihil interest, superioris, an hujus sæculi viris superstitio ista præstetur. Idololatria non propter personas, quæ apponuntur, sed propter officia ista damnata est, quæ ad dæmones pertinent.*

Cultus, quem Pagani illi progenitoribus suis exhibent, in oblationibus, suffitibus, nidoribus, libationibus, genuflexionibus, prostrationibus, precationibus, consultationibus, seu interrogationibus coram eorum imaginibus positus, nihil differt a cultu, quo Ethnici Græci & Romani defunctos olim suos prosequebantur. *Sed*, inquit Tertullianus lib. *de Spectaculis* cap. VI. *de idololatria nihil differt apud nos sub quo nomine & titulo, dum ad eosdem spiritus perveniat, quibus renuntiamus licet mortuis. Licebit, Diis suis faciant, proinde mortuis suis faciunt. Una conditio utriusque est, una idololatriæ, una renuntiatio nostra adversus idololatriam.* Et cap. XII. *Et idololatria parentationis est species. Tam hæc, quam illa mortuis ministrat. In mortuorum autem idolis dæmonia consistunt, ut & titulos consideremus.* Et cap. XIII. *Propterea igitur, quoniam utraque species idolorum conditionis unius est, dum mortui & Dii unum sunt, utraque idololatria abstinemus; nec minus templa, quam monumenta despuimus, neutram aram novimus, neutram effigiem adoramus: non sacrificamus, non parentamus, sed neque de sacrificato, & parentato edimus: quia non possumus cœnam Dei edere, & cœnam dæmoniorum.* His igitur Ritibus ministrare, aut interesse Christiani non possunt, quin idololatriæ participes sint. Nec illos excusat alienus ab idololatria animus. *Nam cum exterior cultus sit signum interioris cultus: sicut est perniciosum mendacium, si quis verbis asserat contrarium ejus, quod per veram fidem tenet in corde; ita etiam est pernicio sa falsitas, si quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id, quod sentit in mente.* Unde S. Augustinus dixit contra Senecam, quod *Eo damnabilius ista, quæ mendaciter agebat, sic ageret, ut eum populus veraciter agere existimaret.* Hinc rursum S. Thomas Art. III. ad Respons. ad tertium: *Idololatria*, inquit, *præsupponit interiorem infidelitatem, & adjicit exterius indebitum cultum: si vero sit exterior tantum idolatria absque interiori infidelitate, additur culpa falsitatis.*

S. Thom. 2. 2. q. 94. art. 2.

Lib. 6. de Civit. Dei c. 10.

Neophytorum nemo difficultatem obtendat ab his abstinendi propter consanguineorum offensiones, odia acerbissima, exclusionem a publicis muneribus, & gradibus, persecutiones, mulctas, reique familiaris detrimenta, honoris, famæ, vitæ pericula. Undique scopuli, fateor; sed *inter hos scopulos, & sinus, inter hæc vada & freta idololatriæ velificata spiritu Dei fides navigat, tuta si cauta, secura si attonita .... Nihil esse facilius potest, quam cautio idololatriæ, si timor ejus in capite*

Tertull. lib. de Idololatr. cap. 54.

pite ſit . Quæcumque neceſſitas minor eſt, periculo tanto comparata . Propterea Spiritus Sanctus conſultantibus tunc Apoſtolis vinculum & jugum Nobis relaxavit, ut idololatriæ devitandæ vacaremus . Hæc erit lex noſtra, quo expedita, hoc plenius adminiſtranda, propria Chriſtianorum, per quam ab Ethnicis agnoſcimur, & examinamur . Hæc accedentibus ad fidem proponenda, & ingredientibus in fidem inculcanda eſt, ut accedentes deliberent, obſervantes renuntient ſibi . Hæc Natalis Alexander, qui non una lucubratione fuſiori adverſus Ritus Sinenſes feliciter decertavit . Si quis vero librorum indicem ſub oculis habere velit, qui hac in controverſia ab utraque certantium parte in vulgus editi ſunt, is illum accipiat uti a Mamachio exhibetur Lib. II. *Origin. & Antiquit. Chriſtian.* Cap. XXIX. pag. 408. & ſeqq. *De Ritibus Sinenſibus*, inquit, *eorum, qui politicos eſſe dicerent, quorum eſt a S. Sede proſcripta ſententia, hæc ſcripta reperi ;* „ *Danielis Papebrochii* „ Diſſertatio de Epickia ſeu diſcretione in prædicando „ Sinis Tartariſque Evangelio tenenda tom. ultim. Maji „ pag. 140. & ſeqq. Defenſe des nouveaux Chreſtiens, „ & des Miſſionaires de la Chine, du Japon, & des „ Indes ſecund. edit. Pariſiis ann. 1688. Defenſe des „ nouveaux Chrêtiens & des Miſſionaires de la Chine, „ du Japon, & des Indes, Par le P. Tellier de la „ Compagnie de Jeſus. Pariſ. ann. 1694. Vol. 2. Iſtoria dell' Editto dell' Imperatore della Cina in favore „ della Religione Criſtiana coll' aggiunta di alcune notizie intorno agli onori, che i Cineſi rendono a Confucio, e a' Defonti ſcritta in lingua franceſe dal P. „ Carlo de Gobien della Compagnia di Gesù, & traſportata nella Italiana dal P. Carlo Giacinto Ferrero „ della medeſima Compagnia. Taurini an. 1690. *Idem opus ante Gallice prodierat* Pariſiis an. 1688. Apologia pro Decreto SS. D. N. Alexandri VII. & praxi „ Jeſuitarum circa cæremonias, quibus Sinæ Confucium „ & progenitores mortuos colunt, ex PP. Dominicanorum, & Franciſcanorum ſcriptis concinnata. Lovanii „ anno 1700. De Sinenſium Ritibus politicis Acta; ſeu „ Rev. P. Jac. le Faure &c. Soc. Jeſu &c. Pariſ. 1700. „ Diſcrepanze, o contradizioni intorno al fatto tra' moderni impugnatori de' Riti Cineſi. Colon. an. 1700. Proteſtation des Jeſuites à l' occaſion du dernier Decret ſur „ les affaires de la Chine avec des Réflexions ſur la proteſtation des Meſſieurs des Miſſions étrangeres : *ſine nota loci & temporis* . L' état préſent de l' Egliſe de „ la Chine adreſſé a Monſeigneurs les Eveques : *ſine nota loci & temporis*. Lettre à Meſſieurs du Seminaire des Miſſions étrangeres ſur ce qu' ils accuſent les „ Jeſuites, de ne s' être pas ſoumis ſincerement au noveau Decret touchant les affaires de la Chine : *ſine nota loci & temporis*. Reflexions Generales ſur la „ lettre, qui paroit ſous le nom de Meſſieurs du Seminaire des Miſſions étrangeres touchant les ceremonies Chinoiſes ann. 1700. Lettera al Sereniſſimo Duca del Maine intorno alle cerimonie della Cina ſcritta dal P. Luigi le Comte della Compagnia di Gesù Miſſionario Cineſe anno 1700. De Sinenſium Ritibus politicis Acta, ſeu R. Patris Franciſci Brancati S. J. apud Sinas per annos 34. Miſſionarii Reſponſio Apologetica ad R. P. Dominicum Navarette Ord. Præd. Pariſ. an. 1700. La verità, e la innocenza de' Miſſionarj della Compagnia di Gesù nella Cina difeſa „ contro un libello intitolato Apologia delle Riſpoſte „ data dal Procuratore del Cardinale di Tournon a cinque memoriali del P. Provana contro le oſſervazioni „ di un Autore Anonimo : *ſine nota loci & temporis* . „ Monumenta Sinica in diſquiſitionibus criticis pro vera „ Apologia Jeſuitarum contra falſam Apologiam Dominicanorum, & pro recto totius cauſſæ Sinenſis judicio, Authore quodam Societatis Jeſu Theologo an. 1700. Expoſitio facti de Sinenſibus controverſiis a „ PP. Societatis Jeſu oblata S. Congregationi S. Officii &c. an. 1700. Acta Cantonienſia authentica, in „ quibus praxis Miſſionariorum Societatis Jeſu circa Ritus Sinenſes approbata eſt communi conſenſu Patrum „ Dominicanorum & Jeſuitarum qui erant in China „ &c. ann. 1700. De Ritibus Sinenſium erga Confucium Philoſophum & progenitores mortuos Alexandri VII. Decreto permiſſis &c. Leodii & Venetiis „ an. 1700. Vera Sinenſium ſententia de Tabella Confucio & progenitoribus inſcripta &c. ſecundum PP. „ Societatis Jeſu an. 1700. Iſtoria dell' Editto dell' Imperadore della China : *ſine nota loci & temporis*. R. „ P. Proſperi Intorcetta S. J. Miſſion. Sinenſis teſtimonium de cultu Sinenſi datum an. 1668. &c. Pariſiis „ an. 1700. Difeſa de' Miſſionarj Cineſi della Comp. „ di Gesù in riſpoſta all' Apologia de' PP. Domenicani Miſſionarj della Cina &c. Colon. Ann. 1701. „ Traité ſur quelques points de la Religion des Chinois par le R. P. Longobardi de la Compagnie de „ Jeſus Pariſ. ann. 1701. Ad virum nobilem de cultu „ Confucii Philoſophi &c. Leodii an. 1700. Rifleſſioni „ ſopra un Trattato che ha per titolo Conformità delle cerimonie Cineſi colla idolatria Greca e Romana „ del Sig. Amato Danio . Panormi 1701. Riſpoſta di „ un Religioſo della Comp. di Gesù alla lettera ſcritta da un Religioſo dell' Ordine de' PP. ai PP. Geſuiti del Collegio di Pechino nella Cina an. 1701. „ Priere pour l' Egliſe de la Chine, & les raiſons, qui „ ont engagé à donner préſentement cette priere 1702. „ Aggiunta alla difeſa de' Miſſionarj Cineſi della Compagnia di Gesù ad una piccola ſua impugnazione, „ che va ſotto il titolo di poſcritta Colon. 1701. Eſame dell' autorità, e vera intelligenza delle teſtimonianze degli Scrittori Geſuiti allegate in prova &c. „ ann. 1701. Dimoſtrazione della giuſtizia de' Geſuiti „ nella cauſa Cineſe conſiſtente in cento ragioni Colon. „ an. 1701. Rifleſſioni ſopra alcuni teſti eſtratti da un „ libro intitolato *Innocentia Victrix* an. 1702. Raccolta di alcune deciſioni e iſtruzioni colle quali ſi dimoſtra qual ſia ſtata la pratica della Chieſa nel propagare la fede ec. Opera di Daniele del Pico an. 1702. „ Lettera 1. all' Autore del diſinganno an. 1702. Voce „ della verità riſvegliata dallo ſtrepito delle calunnie a „ favore della innocenza &c. *Sine nota loci & temporis* . Catalogo degli inganni principali contenuti nella prima parte del diſinganno . L' inganno naſcoſto „ nel diſinganno, e diſcoperto da un P. della Compagnia di G. ec. Coloniæ 1702. Atti imperiali autentici di Pechino negli anni 1705. 1706. Riſpoſta Cavalleresca a dodici Queſiti nati per occaſione della „ ſcrittura pubblicata a' Cavalieri, e agli uomini di „ onore per iſcarico della imputazione di Religione contaminata ec. an. 1710. Caduceus Sinicus modernorum Decretorum explanatio Theologica Apoſtolicæ „ Sedis judicio ſubjecta. Colon. Agripp. 1713. ".

Contra pugnant pro Sedis Apoſtolicæ ſententia Natalis Alexander „ Apologie des Dominicains Miſſionaires de la Chine, ou Reponſe au livre du P. le Tellier Jeſuite &c. Colon. an. 1699. Eadem Italice ibid. „ an. 1699. La Lettera di Riſpoſta ad un Amico del „ P. ſuo Anani ſopra la lettera concernente i riti della Compagnia ec. Colon. an. 1700. Eſtratto del Trattato compoſto dal Reverendiſſimo P. Franceſco Varo dell' Ord. de' Predicatori Vicario Apoſtolico delle „ Miſſioni ſtraniere della China in Italiano, e Veſcovo nominato di Canton ec. Colon. an. 1700. Memorie Iſtoriche della controverſia de' culti Cineſi lettera de' Signori Superiore, e Direttori del Seminario „ delle Miſſioni ſtraniere della Cina in Italiano e in Franzeſe ec. Due pareri di cento venti Dottori delle univerſità di Parigi ec. Colon. 1700. Lettere di „ un Dottore di Teologia dell' Univerſità di Parigi dell' Ord. de' Predicatori intorno alle idolatrie, e ſuperſtizioni della China : Colon. 1700. *Joſephus Maria Taballius Ord. Præd.* Nel diſinganno contrappoſto alla difeſa de' Miſſionarj Cineſi della Compagnia di Gesù : Colon. an. 1701. Vol. 2. in 8. *Dupinius* defenſe de la Cenſure de la faculté de Theologie de Paris du 18. Octobre 1700. &c. Pariſiis 1701. Lettera di una perſona pia ſopra una ſcrittura de' RR. PP. Geſuiti contro la Cenſura fatta dalla facoltà di Parigi &c. con una Riſpoſta dell' Illuſtriſſimo Navarette Arciveſcovo di S. Domingo all' Apologia de' PP. Geſuiti della China : Coloniæ *ſine nota temporis . Franciſcus de Nicolais* : Reſp. Epiſcopi Berytenſis ad Cardinalem Mareſcotum ſuper ſcriptur. Ludovici le Comte Soc. Jeſu. Colon. 1701. *Natalis Alexander* conformità delle cerimonie Cineſi colla idolatria Greca e Romana ec. Colon. 1701. Al M. R. P. della Compagnia di Gesù Autore della Riſpoſta alla Lettera ſcritta da un Religioſo dell' Ord. de' Pred. ai PP. Geſuiti del Collegio di Pechino nella Cina . Tridenti 1702. Acta cauſſæ Rituum ſeu ceremoniarum Sinenſium &c. Romæ ex Typographia Rev. Cameræ Apoſtolicæ an. 1704. Lettre de M. Marin Labbé nommé par le S. Siege Eveque de Titopolis &c. Antuerpiæ an. 1702. Memoires pour Rome ſur l' état de la Religion Chrêtienne dans la Chine avec le decret de N. S. P. le Pape Clem. XI. & le mandement de M. le Cardinal de Tournon ann. 1709. Conſiderazioni ſu la Scrittura intitolata Rifleſſioni ſopra la cauſa della Cina ec. an. 1709. Difeſa del Giudizio formato dalla S. Sede Apoſtolica nel dì 20. Novembre 1704. e pubblicato in Nankino dal Card. di Tournon alli 7. Febbrajo 1707. intorno a' riti e ceremonie Cineſi &c. Taurini 1709. Riſpoſta de' Signori delle Miſſioni ſtraniere alla proteſta, e rifleſſioni de' PP. Geſuiti pubblicata colle ſtampe di Francia „ li 5. Luglio 1710. e tradotta in Italiano in tutto il „ Meſe dell' Agoſto ſeguente. *Joannes Jacobus Fatinel-*

„ *lus*

„ *lus* Apologia delle riſpoſte date dal Procuratore dell' Eminentiſſimo Sig. Cardinale de Tournon a' cinque memoriali del P. Provana ec. an. 1710. Contra impoſte, o ſieno eſami di tutte le ſcritture pubblicate da' protettori de' Riti condannati della Cina: intorno ad un fatto accaduto in Scio nell' anno 1694. ec. Taurini *ſine temporis nota*. La Calunnia convinta, cioè riſpoſta a un libello pubblicato da' Difenſori de' Riti: Ecrits des Meſſieurs des Miſſ. Etrang. ſur l' affaire de la Chine an. 1710. Memoires pour Rome ſur l' Etat de la Religion Chrêtienne dans la Chine ann. 1710. Reponſe de Meſſieurs des Miſſions étrangeres à la proteſtation des Jeſuites. 2. Edit. ann. 1711. Recueil des Pieces touchans l' Hiſtoire de la Compagnie compoſée par le Pere Joſeph Jouvenci Jeſuite, & ſupprimée par arrêt du Parlement de Paris du 24. Mars 1713. Leodii an. 1713. Relation de la nouvelle perſecution de la Chine juſque à la mort du Cardinal de Tournon dreſsée par le R. P. P. François Gonzales de S. Pierre religieux de l' Ordre de S. Dominique an. 1714. *Carolus Maigrottus*: Examen des fauſſetez ſur les cultes Chinois avancées par le Pere Joſeph Jouvenci Jeſuite dans l' Hiſtoire de la Compagnie de Jeſus, traduit d' un écrit latin, compoſé par le R. P. Minorelli de l' Ordre de S. Dominique 1714. *Vianius*: Iſtoria delle coſe operate nella China da Monſignor Carlo Ambrogio Mezzabarba &c. Mediol. & Lucæ: *Multa hujuſmodi comparuerunt in lucem non a Dominicanis ſolum, ſed etiam ab aliis ſcripta, atque ab eorum quoque nonnullis, qui dicerentur vel minus eſſe animo propenſo in Societatem, vel etiam ſuſpecti Janſeniſmi. Atque in primis numerant Norbertum de Bar le Duc Cappucinum, qui an.* 1742. *edidit* Memorie utili e neceſſarie riſpetto alle Miſſioni delle Indie Orientali &c. *In poſtremis non eos modo, qui Moralem* practicam Jeſuitarum & Moralem Jeſuitarum &c. *ediderunt, ſed collectorem etiam* Des Anecdotes ſur l' état de la Religion dans la Chine, *cujus collectionis primum vol. publicari cœpit Pariſiis an.* 1733. *& ſeqq. Qui plures Scriptores hujuſmodi rerum deſiderat, is conſulat Raphaelem Savonarolam* Cl. Regularem Theatinum Tom. II. *Orb. Terr. Univ.* ſub nomine Alphonſi Laſor a Varea pag. 519. ſeqq. edit. 1713.

§. XXII.

Supereſt ut de Malabaricis Ritibus pauca quædam adjiciantur ad hujuſce Diſſertationis complementum. Qua quidem in re exſequenda Mamachium ſequemur, qui hac de re agit poſt ea, quæ de fidei propagatione apud eoſdem populos facta ſupra ex ipſo decerpſimus §. III. Diſſert. II. Itaque Malabarorum, inquit, ac Coromandelenſium Idololatrarum haud pauci Chriſtianam Religionem amplexi ſunt. Sed pars eorum ritus quoſdam ſuperſtitioſos retinendos putarunt. Magnæ inde ſunt ortæ contentiones. Cardinalis Tournonius eoſdem ritus damnavit (1), cavitque ne a quoquam deinceps uſurparentur. Ei controverſiæ Benedictus XIV. finem impoſuit, vulgata Conſtitutione, quam nos huc in Appendicem transferendam putavimus (2). Eo in edicto Pudicherii edito ſtatuerat Tournonius, 1. ut in adminiſtrando Baptiſmo non omittantur Sacramentalia. 2. Ut baptizato imponatur nomen alicujus Sancti. 3. Ut generaliter nomina rerum ſacrarum non depraventur. 4. Ut collatio Baptiſmi infantibus non protrahatur. 5. Ut matrimonia non contrahantur ante pubertatem. 6. Ut ne mulieres utantur Taly (præſefert id imaginem *Pyllajaris* idoli) ad inſtar gentilium, nec funiculo 108. filorum. 7. Ut nuptiarum ritus ab omni ſuperſtitione expurgentur. 8. Ut ne fructus vulgo Cocco frangatur ad capienda auſpicia. 9. Ut ne mulieres arceantur a Sacramentis cauſſa menſtruæ expurgationis. 10. Ut ne fiat feſtiva gratulatio ſuper prima purgatione puellis contingente. 11. Ut Pareis (hoc eſt infimæ conditionis hominibus) omne præſtetur ſpirituale ſubſidium etiam in ipſorum domibus. 12. Ut ne Chriſtiani tibicines, aliique muſices profeſſores operam in idolorum pagodis præſtent. 13. Ut comprehendi etiam Miſſionarii intelligantur Conſtitutione Gregorii XV. circa lavacra & ablutiones. 14. Ut ne quiſquam cineribus utatur præter modum & tempus ab Eccleſia receptum, atque ut omnia ſuperſtitioſa reprobentur. 15. Ut nemo Chriſtifidelium ejus loci libros Ethnicorum legat. Quoniam autem de re maxima, eaque graviſſima agebatur, idem Antiochenus Patriarcha, ut inquit Benedictus XIV. in cit. Conſtit. litteris ſuis totam rei geſtæ ſeriem Apoſtolicæ Sedi exactiſſime renunciavit, latumque a ſe Decretum ſupremo illius judicio ſubjecit. Quibus ad Urbem allatis litteris, Clemens XI. ſupradictum Tournonii, Vicarii Apoſtolici, Decretum rite perpenſum, atque etiam in Congregatione S. Officii diligenti examini ſubjectum, in omnibus ſervandum, & exſequendum eſſe ſtatuit, ea tamen addita clauſula: *Donec a S. Sede Apoſtolica proviſum fuerit, poſtquam eos audierit, ſi qui erunt, qui aliquid adverſus contenta in hujuſmodi Decreto afferendum habuerint*. Verum hanc providentiam, uberesque, quos inde ſpes erat obventuros, fructus fruſtratus eſt falſus rumor, qui paucos poſt annos per Indias increbuit, ipſum nempe Clementem XI. & relatum Patriarchæ Antiocheni Tournonii Decretum revocaviſſe, & nonnullas ex eis cæremonias approbaſſe, quas ille tanquam ſuperſtitioſas minimeque ferendas proſcripſerat. Cui falſo rumori curſum intercepturus laudatus Pontifex Clemens XI. utque omnibus manifeſta redderet animi ſui ſenſa, die 1. Septembris an. 1712. extrahi Tabulariis mandavit authenticum exemplum Decreti, quod die VII. Januarii 1706. emanaverat, illudque Epiſcopo Meliapurenſi tranſmitti. Ac ne ullo modo Pontificiæ mentis Oraculum in dubium poſſet revocari, Decreti exemplo jungendas alligandaſque voluit litteras Apoſtolicas in forma Brevis, *Venerabilis frater* (3) &c. Sunt præterea litteræ a Sacra Congregatione de Propaganda Fide ad Claudiopolitanum Epiſcopum in eandem ſententiam datæ. Sed quum rituum quorumdam patroni, inprimiſque Jeſuitæ inſtarent, Pontifex rem omnem, ut ajunt, a capite repetendam putavit. Controverſiam ut breviter complecteretur, Proſpero Lambertino viro doctiſſimo, tum quidem S. Univerſalis Inquiſitionis Conſultori, poſtea Romano Pontifici Benedicti XIV. nomine, in mandatis dedit. Jam muneri ſuo Lambertinus, ut erat magno ingenio, atque incredibili non peritia maxima hujuſmodi rerum modo, ſed etiam diligentia, ſatisfecerat, cum Clemens XI. e vita migravit. Succeſſit Innocentius XIII. Is viros aliquot doctos congregari, communicatiſque conſiliis, quid facto eſſet opus dicere juſſit. At paullo ante, quam res eſſet perfecta, idem Pontifex obiit. Ejus loco Benedictus XIII. Ord. Prædicatorum decus & ornamentum electus eſt, qui controverſiæ finem impoſuit. Apoſtolicas litteras in forma Brevis an. 1727. exeunte ad univerſos *Epiſcopos & Miſſionarios Regnorum Madurenſis, Mayſſurenſis, & Carnatenſis dedit, quibus Caroli Cardinalis Tournonii Decretum confirmavit, obſervandumque præcepit* (4). Mortuo Benedicto rituum defenſores ad Clementem XII. confugerunt. Nihil ſibi legitime de litteris Benedicti denunciatum dixerunt. Itaque orarunt, ut S. Officii Congregationi mandaret, ut in cauſſam inquireret, ſtatueretque quid factu eſſet opportunum. Annuit Pontifex. Ei Congregationi conſtitutus eſt dies. Patres in ædes Prædicatorum ad Minervæ convenerunt. Majorem partem Decretorum Tournonii omnino ſervandam, nonnulla explicanda cenſuerunt. Horum quidem ſunt confirmatæ auctoritate Clementis ſententiæ. Qui ante reſtiterant, paullulum acquieſcendum exiſtimarunt. Igitur litteræ Pontificis publicatæ ſunt. Etſi viri Apoſtolici conſenſerunt; tamen fuerunt, qui poſt contra facere auderent. Rurſum Clemens an. 1739. die XIII. Maji ad Epiſcopos & Miſſionarios litteras miſit, utque jurejurando omnes ſeſe obtemperaturos pollicerentur, præcepit; & formam, qua eſſet jurandum præſcripſit, cavitque, ne quis munere Apoſtolico fungeretur eorum, qui eo juramenti genere ſeſe obſtringere recuſaſſet. Scripſit præterea ad Epiſcopos. Vehementer de exitu incerto priorum litterarum (5) conqueſtus eſt, rerumque omnium ut ſe certiorem facerent imperavit. Præpoſitis deinde Generalibus Ordinum religioſorum edixit, ut ſuos ad parendum compellerent, recuſantes in Europam revocarent. Omnes imperata fecerunt. Igitur certis documentis intellectum fuit, Epiſcopos, Miſſionarioſque obtemperaſſe. Interim Proſper Card. Lambertinus, mortuo Clemente, Pontifex renunciatus eſt. Huic documenta, quibus omnes Sanctæ Sedi ſatisfeciſſe conſtabat, redduntur. Dici vix poteſt, quantum inde lætitiæ optimus Pontifex cœperit: animum mox ad reliquas dubitationes tollendas convertit. Erant nonnulli, qui jurisjurandi religionem, cenſuraſque graves ſibi eſſe dicerent, peterentque,

(1) Append. Monument. IX. num. IV.
(2) Append. Monument. IX.
(3) Append. Monument. X. num. VIII.
(4) Append. Monument. IX. num. XI.
(5) Append. Monument. IX. num. XIII.

que, ut *dispensationem* de omittendis *Sacramentalibus* in baptismo prorogare, explicareque articulum de rebus sacris Pareis administrandis Pontifex ne gravaretur. Si enim ad abjectissimum illud hominum genus adire, eique Sacramenta adhibere universi Evangelii præcones pergerent, verendum esse ajebant, ne Ethnici nobiles a Christiana religione suscipienda in posterum tempus deterrerentur. Itaque eam ineundam rationem, quam voce Clemens XII. adhiberi dixisset, posse. His igitur ut Pontifex satisfaceret, respondit: nihil ejusmodi a Clemente fuisse constitutum. Jusjurandum Missionario nemini prætermittere (1) licere. Mirari se quid sit, quod tot annorum intervallo instituti ita Catechumeni in his regionibus non sint, ut satius esse adhibere salivam insufflationesque in administrando baptismo, ut Sacramentale quodpiam, putent. Permitti tamen ab se ad decennium ejus *Dispensationis* prorogationem. Quibus autem modis uti ea Missionarii deberent, docuit. Quod si qui essent Malabari, qui ineptam esse ac minus decentem Sacramentalis ritus materiam salivam, insufflationesque censerent, hos baptismo initiari non oportere. Interim ut Catechumeni recte instituerentur, jussit. Neque enim sperarent Missionarii, se post decennium esse simile quidpiam concessurum. Decretum Tournonii *de Pareis* omnino justum necessariumque esse dixit, idque jam Scripturarum Patrumque auctoritate demonstrari posse. Quamobrem grave acerbeque ferre, esse aliquos, qui repugnent, quo minus servetur. Jesuitas, qui convertendis Madurensibus &c. operam darent, id proponere ut aliqui *ad præcipuam Parearum curam deputentur*. Id Pontifici consilium, quoniam ita tempus moneret, probari, modo erga *Pareas* eodem atque erga nobiles amore ferantur. Deputari igitur sufficientem numerum Missionariorum, qui *Pareis* adsistant, horumque loco, si inde migrassent, aut e vita decessissent, alios subrogari præcepit. Hoc nisi intra quinquennium, superius autem intra decennium impletum resciverit, novos se viros Apostolicos in ea regna missurum, ipsosque qui repugnassent parere, ut in Europam redeant, coacturum. Superstitiones gestandi Taly, *frangendi Cocci*, impediendique quominus *menstruatæ* in Ecclesias ingrediantur, damnari oportere. Observanda esse quæ Sancta Sedes præscripsit. Nemini aliter, quæ sancita sint, interpretari fas esse. Eum qui contra hæc omnia quidquam agere non vereatur, in indignationem Omnipotentis Dei, sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli incursurum. Decreti a Tournonio editi æquitatem perdocto opere defendit Aloysius Maria Lucinius Ord. Præd. S. Officii in Urbe Commissarius, ut vocant, post vero S. R. E. Cardinalis, ediditque cum hoc titulo *Esame e difesa del Decreto pubblicato in Pondicherì da Monsignor Carlo Tommaso di Tournon Patriarca d' Antiochia, Commissario e Visitatore Apostolico con podestà di Legato a Latere delle Indie Orientali, Imperio della Cina, e Isole adjacenti; dipoi Cardinale della S. Romana Chiesa, approvato, e confermato con breve dal Sommo Pontefice Benedetto XIII. presentata alla medesima Santità sua ec. In Roma.*

(1) Append. Monument. IX.

APPEN-

APPENDIX
MONUMENTORUM.

MONUMENTUM I.

MANDATUM,

Seu Edictum Domini Caroli Maigrot Vicarii Apoſtolici Fokienſis in Regno Sinarum, nunc Epiſcopi Cononenſis.

„ CAROLUS Maigrot Sacerdos, Vicarius Apoſtolicus Fokienſis, ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctor Sociuſque Sorbonicus omnibus Vicariatus noſtri Conſacerdotibus ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Ex quo in Sinarum Imperium, Deo favente, appulimus, nobis ſemper hæc Vicariorum Apoſtolicorum ſollicitudinis præcipua pars viſa eſt, ut diverſis quæſtionibus, de quibus inter Miſſionarios jamdiu controvertitur, finem, ſi fieri poſſet, afferrent: ſin minus, regulam Miſſionariis traderent, quæ donec Apoſtolica Sedes controverſiam dijudicaret, æquali ab omnibus uſu, & ratione ſervaretur. Neque enim quod ſæpius gementes conſpeximus, ſine magno Eccleſiarum iſtarum detrimento accidit, ut Evangelii Miniſtri in rebus, quæ ad Dei cultum, & idololatriæ extirpationem attinent, inter ſe non conſentiant; ut quod alii ſine idololatriæ labe fieri poſſe non putent, hoc alii Chriſtianos facere permittant, aut etiam ad faciendum adhortentur; utque illi ipſi, qui certos uſus ſuperſtitioſos eſſe arbitrantur, eoſdem pro bono pacis interdum tolerent. E qua mali tolerantia malum radices agere, atque in dies incrementum accipere, diuturna experientia cognovimus.

„ Et quidem plerique Vicariatus noſtri Miſſionarii hanc in quæſtionibus tanti momenti non ſententiarum modo diſcrepantiam, ſed praxis & uſus diſſimilitudinem tolli magnopere cupientes noſtram pro eo, quo indigni fungimur, Vicarii Apoſtolici munere ſententiam ſciſcitati ſunt: ac ne continuis conſcientiæ ſcrupulis, & angoribus premerentur, *aliquid ſaltem per interim a nobis decerni ſæpius inſtarunt*. Rerum autem gravitas fecit, ut non ita cito reſponderimus, atque illi exoptabant. Etſi enim jam a multo tempore bon. mem. Epiſcopi Heliopolitani, olim Vicarii Apoſtolici Fokienſis, & Sinarum Miſſionum Generalis Adminiſtratoris juſſu, cum ſuas nobis vices demandaret, his rebus incumberemus, nova tamen & acrior diligentia, poſtquam ad Apoſtolicum Vicariatum a S. Sede electi ſumus, adhibenda eſſe viſa eſt. Qua in re id vere affirmare poſſumus, nihil a nobis ſponte prætermiſſum fuiſſe, ut ſive ex Sinicis fontibus, ſive ex commentariis hoc in genere Europæo idiomate conſcriptis, quoſcumque habere potuerimus, ſive ex eruditorum virorum conſortio veritatem indagaremus. Et quod omnium maxime neceſſarium eſt, Deum jugi ſacrificio, & aſſiduis precibus obſecravimus, ut tenebras noſtras illuminaret, & ſemitas ſuas, quodque placitum & acceptum eſt in oculis ſuis, edoceret.

„ Cum itaque Decretis & Conſtitutionibus Apoſtolicis ſancitum ſit ad Apoſtolicos Vicarios ſpectare, ut iis, quæ ad cultum divinum & bonos mores pertinent, intra ſuorum Vicariatuum fines provideant, ut hac in parte officio noſtro faciamus ſatis, omnibus & ſingulis Vicariatus noſtri Miſſionariis obſervanda præcipimus quæ ſequuntur, *donec aliter ab Apoſtolica Sede decretum fuerit*.

„ Primo. Excluſis nominibus Europæis, quæ nonniſi barbaro quodam modo Sinicis litteris, & vocibus exprimi poſſunt, Deum Optim. Max. longo uſu recepto nomine TIEN CHU cæli Dominum appellandum eſſe ſtatuimus, itaut duæ aliæ Sinicæ voces TIEN Cælum & XANG TI ſupremus Imperator prorſus repellantur. Multo minus affirmetur id, quod Sinæ præfatis nominibus TIEN & XANG TI intelligunt, Deum eſſe, quem Chriſtiani colimus.

„ Secundo. Diſtricte prohibemus, ne in ulla Eccleſia tabella quædam, cui hæ duæ litteræ CŒLUM COLITO KING TIEN inſcriptæ ſunt, appendatur, & ubicumque appenſa fuerit, intra duos menſes auferri mandamus, cum aliis ejuſdem ſenſus tabellis, & verſibus, in quibus nomina TIEN & XANG TI Deo affinguntur, ac noſtro quidem judicio, cum omnes illæ tabellæ, tum ea in primis, quæ litteras KING TIEN continet, ab idololatria excuſari non poſſint. Tametſi vero non ita certa res eſſet, ac nobis videtur, vel ipſa periculi ſuſpicio, ne ab Evangelii miniſtris abominatio deſolationis in loco ſacro collocetur, nos ab ejuſmodi tabellis deterrere debet; maxime cum experientia nobis conſtet, eos Vicariatus noſtri Miſſionarios, quorum in Eccleſiis tabellæ illæ non habentur, nihilo ad Evangelium prædicandum imparatiores eſſe, nec minorem, quam alii, laborum ſuorum fructum percipere.

„ Tertio. Quæſita ſuper capitibus Summo Pontifici Alexandro VII. propoſita multis in rebus non eſſe veridica declaramus, ac proinde Miſſionarios reſponſis ab Apoſtolica Sede, recte quidem & ſapienter, at juxta circumſtantias in dubiis expreſſas datis, inniti non poſſe ad uſitatum apud Sinas Confuſii & Progenitorum cultum permittendum.

„ Quarto. Miſſionarii nullatenus, nullaque de cauſa Chriſtianis permittant ſolemnibus, quæ ſemel & iterum ſingulis annis Confuſio & Progenitoribus offerri ſolent, ſacrificiis ſeu oblationibus præeſſe, miniſtrare aut intereſſe, quas oblationes ſuperſtitione imbutas eſſe declaramus.

„ Quinto. Miſſionarios, qui in locis, ubi Evangelio operam navant, tabellarum in Defunctorum honorem privatis in domibus erectarum uſum abolere ſtuduerunt, magnopere laudamus, atque ut eo quo cœperunt, pede in poſterum pergant, adhortamur: ubi vero hunc uſum tollere difficilius erit, ad hoc ſaltem temperamentum res revocetur, ut ſublatis litteris XIN CHU XIN GOEI, LING GOEI, ſolummodo Defuncti nomen tabellæ inſcribatur; aut ad ſummum littera GOEI ſuperaddatur; ac ne hujuſmodi tabella, quam in prædicta forma, donec Apoſtolica Sedes de re ipſa judicaverit, non omnino reprobamus, ſuperſtitioſe accipiatur, in loco ubi tabellæ privatis in domibus erigi ſolent, ſcripta majoribus characteribus declaratio apponatur, in qua & quæ ſit Chriſtianorum de Defunctis fides, & qualis filiorum ac neporum in Progenitores pietas eſſe debeat, enuntietur: cujus declarationis formam ad hujus mandati calcem tradidimus, neque tamen prohibemus aliam ejuſdem ſenſus apponi, ſi modo prius a nobis approbata fuerit.

„ Sexto. Cum nonnulla ſeu verbo, ſeu ſcripto evulgari animadverterimus, quæ incautos in errorem inducunt, & viam ad ſuperſtitionem patefaciunt, V. G.

„ Philoſophiam, quam Sinæ profitentur, ſi bene intelligatur, nihil habere legi Chriſtianæ contrarium.

„ Nomine TAY KIE ſapientiſſimos Priſcos Deum cauſam primam rerum omnium definire voluiſſe.

„ Cultum, quem Confuſius ſpiritibus adhibuit, civilem potius quam religioſum fuiſſe.

„ Librum, quem Sinæ JE KING appellant, ſummam eſſe optimæ doctrinæ phyſicæ & moralis.

„ Hæc & ſimilia, uti falſo, temere, & ſcandaloſe dicta ſcriptave, diſtricte inhibemus, ne in toto Vicariatu noſtro diſſeminentur.

„ Septimo. Caveant Miſſionarii, ne qui Chriſtiani Sinicos libros in ſcholis legunt, atheiſmum & diverſas ſuperſtitiones, quibus illi libri, tam in textu, quam in commentariis ſcatent, in auditorum animos infundant. Sed illos Miſſionarii admoneant, ut obvios errores refutent, & errorum occaſione, quæ de Deo, de Mundi creatione, & gubernatione, Chriſtiana Religio tradit, diſcipulos diligenter edoceant, atque eoſdem Chriſtianos Miſſionarii frequenter commoneſaciant, ne quod facile contingit, ſuis in ſcriptionibus aliquid e ſcholæ litterariæ principiis legi Chriſtianæ contrarium admiſceant.

„ Sunt & aliæ quæſtiones, quas hac vice nondum attingimus; quia cum memoratis capitibus, quæ præcipua ſunt, & e quibus alia magna ex parte dependent, proviſum fuerit, facilius erit, quid in cæteris tenendum ſit, præſcribere & in uſum inducere.

„ Si quis autem Miſſionarius, quod abſit, nulla habita hujus declarationis, & Mandati ratione, intra

„ duos menſes memoratas tabellas, & verſus ab Eccle-
„ ſiis ſuis, aut domibus non auferat, aut intra præfa-
„ tum tempus manum operi non adhibeat, ut quas
„ præſcribimus, regulas in uſum & mores inducat,
„ conceſſas ei a nobis, & a quocumque alio Vicario
„ & Provicario Apoſtolico facultates per præſentes re-
„ vocamus, ac pro tempore præfato revocatas eſſe de-
„ claramus.

„ Neque tamen hac præſenti declaratione & Manda-
„ to eos culpare intendimus, qui aliter antea cenſue-
„ runt, aliamque praxim ſecuti ſunt ab ea, quam in
„ poſterum ſequendam eſſe ſtatuimus; mirum enim vi-
„ deri non debet, ſi in rebus hujuſmodi Miſſionarii o-
„ mnes unius, ejuſdemque ſententiæ non fuerint, &
„ eam unuſquiſque praxim amplexus ſit, quæ ſibi in
„ Domino magis veritati conſona videbatur: nunc ve-
„ ro omnes ſtudia noſtra conferamus, ut idem ſapia-
„ mus, ut unanimes uno ore exhibeamus iſtam Eccle-
„ ſiam non habentem maculam aut rugam, ſed ut ſit
„ ſancta, & immaculata, ac Deus pacis, & dilectio-
„ nis erit nobiſcum. Datum in Oppido Changlò Pro-
„ vinciæ Fokienſis die 26. menſis Martii 1693.

Carolus Maigrot Presbyter
Vicarius Apoſtolicus Fokienſis.

MONUMENTUM II.

QUÆSITA

In Cauſa Rituum Sinenſium ſuper Mandato ſeu Edicto Domini Caroli Maigrot Vicarii Apoſtolici Fokienſis in Regno Sinarum, nunc Epiſcopi Cononenſis, ab Eminentiſſimis & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus ſpecialiter a ſanctæ memoriæ Innocentio PP. XII. deputatis poſt varias Congregationes ac longum jurium hinc inde deductorum examen, confecta: primum quidem Theologis & Qualificatoribus ad id ſelectis propoſita, ac deinde in Congregatione Generali S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis diſcuſſa & reſoluta.

„ COntroverſiis in Imperio Sinico ſubortis inter Miſ-
„ ſionarios Apoſtolicos, iiſque ad ſanctam Sedem
„ delatis ſub Innocentio X., Alexandro VII., & Cle-
„ mente IX., num quædam quæ a Sinis Gentilibus per-
„ aguntur, præſertim erga Confucium antiquum Philo-
„ ſophum, & Progenitores defunctos permitti poſſint
„ iis, qui ad Chriſtianam fidem converſi fuerint; propter-
„ ea quod alii ex Miſſionariis affirmarent actiones illas
„ ſuperſtitioſas, vel idololatricas eſſe, alii e contra ci-
„ viles tantum, & politicas.

„ Die 12. Septembris 1645. Quæſita quædam in
„ Sac. Congregatione de Propaganda Fide propoſita, ex-
„ aminata & reſoluta fuerunt, approbante ſanct. mem.
„ Innocentio X.

„ Alia quoque in Sac. Congregatione S. Officii pari-
„ ter diſcuſſa & reſoluta die 23. Martii 1656. ſan.
„ mem. Alexander VII. approbavit. Et demum die 20.
„ Novembris 1669. ſanct. mem. Clemens IX. utraque
„ vim habere pro diverſa facti, & circumſtantiarum ex-
„ poſitione declaravit.

„ At vero cum ejuſmodi controverſiæ Miſſionariorum
„ non adhuc quieſcerent, D. Carolus Maigrot Vicarius
„ Apoſtolicus Fokienſis, nunc Epiſcopus Cononenſis,
„ in toto ſuo Vicariatu quædam obſervanda præcepit,
„ donec aliter ab Apoſtolica Sede decretum fuerit. Edi-
„ cto promulgato die 26. Martii 1693. & in ſeptem
„ articulos diſtributo.

„ Porro petente eodem Domino Maigrot ſui Manda-
„ ti confirmationem, ſanct. mem. Innocentius XII. rem
„ ad ſacram Congregationem S. Officii diligentiſſime diſ-
„ cutiendam remiſit, deputatis ad id quatuor Theo-
„ logis Qualificatoribus, videlicet patre D. Joanne Ma-
„ ria Gabriellio Abbate Generali Reformatorum S. Ber-
„ nardi, nunc S. R. E. Cardinali, Patre Nicolao Ser-
„ rano Priore Generali Fratrum Eremitarum S. Auguſti-
„ ni, Patre Philippo a S. Nicolao Exgenerali Carmeli-
„ tarum Diſcalceatorum, & Patre Carolo Franciſco
„ Vareſio olim Commiſſario Generali Ordinis Fratrum
„ Minorum de Obſervantia Reformatorum.

„ Utque opportuna Quæſita proponerentur, & de fa-
„ cti circumſtantiis probe conſtaret, Sanctitas ſua juſſit
„ adeſſe Patrem Joannem Franciſcum a Leoniſſa Ord.
„ Min. de Obſervantia Reformatorum Epiſcopum Be-
„ rytenſem & Vicarium Apoſtolicum *Hu Quang*, qui
„ poſt longam plurium annorum in Imperio Sinico mo-
„ ram, huc redux advenit, rerum quæ in illis regioni-
„ bus peraguntur, oculatæ fidei teſtis, Sinarumque ri-
„ tuum apprime inſtructus.

„ Igitur ſolerti cura, & omnibus ſerio exacteque per-
„ penſis, & addita facti circumſtantiarum plena enarra-
„ tione, infraſcripta efformata fuerunt Quæſita ſuper
„ unoquoque ex ſeptem Articulis D. Maigrot Vicarii
„ Apoſtolici Fokienſis, videlicet:

Super primo Articulo.

„ Primo. Quæritur, an excludi debeant nomina Eu-
„ ropæa ad ſignificandum Deum Optimum Maximum.

„ Nomen enim Deus, aliaque vocabula Europæa,
„ quibus ſupremum Ens ſignificatur, Sinicis characteri-
„ bus exprimi vix poſſe, nullamque rei ſignificatæ ideam
„ apud Sinas excitare videntur. Videri poſſunt (A).

„ Secundo. Quæritur, an ad ſignificandum Deum O-
„ ptimum Maximum repellendæ ſint voces TIEN, Cæ-
„ lum, vel XANG TI ſupremus Imperator.

„ Ratio dubitandi eſt, quia licet aliqui Miſſionarii
„ Europæi exiſtimaverint, & exiſtiment antiquos Sinas
„ præfatis nominibus TIEN & XANG TI indigitaſſe
„ Deum vivum & verum; nihilominus Miſſionarii fere
„ omnes aſſerunt, quod Sinenſes litterati, quæ eſt præ-
„ cipua in Sinæ Imperio Secta, doctrinam exponunt,
„ & ſequuntur, ſaltem a quingentis annis, cum in
„ atheiſmum deciderint, vel omnes, vel ut aliquibus
„ videtur, fere omnes nominibus TIEN & XANG
„ TI, nil aliud niſi cælum materiale, & viſibile, vel
„ ad ſummum quandam cæli virtutem eidem cælo inſi-
„ tam, quam rerum omnium principium, ſeu potius
„ comprincipium eſſe putant, deſignant. Unde Cælo ſic
„ ſumpto, quemadmodum & Terræ, Planetis, Mon-
„ tibus, & Fluviis reſpective ſacrificant: & in regiis
„ urbibus Peching, & Nanchiung Templa viſuntur,
„ in quibus ſtatis anni temporibus, præſertim in Tem-
„ plo Pechinenſi, ipſemet Imperator Cælo ſolemne ſa-
„ crificium offert (B).

„ Tertio. Quæritur, an Deus Optimus Maximus ſit
„ appellandus nomine TIEN CHU, Cæli Dominus.

„ Ratio eſt, quia ab omnibus Miſſionariis Sinenſibus
„ vocabulum TIEN CHU ad ſignificandum Deum O-
„ ptimum Maximum longo uſu receptum eſt. Et in
„ hoc partes diſſentire non videntur. Videri poſſunt
„ iidem Auctores; quibus additur (C).

„ Quarto. Quæritur, an attentis prædictis liceat af-
„ firmare Sinas præfatis nominibus TIEN XANG TI
„ intelligere Deum, quem Chriſtiani colunt.

Super ſecundo Articulo.

„ Primo. Quæritur, an permitti poſſit appendi in Ec-
„ cleſiis Chriſtianorum tabellam inſcriptam KING
„ TIEN Cælum colito.

„ Ratio dubitandi eſt, quia prædicta vox TIEN
„ nunc temporis a Sinenſibus litteratis accipitur pro cæ-
„ lo materiali, ut ſupra dictum eſt in ratione dubi-
„ tandi ad tertium quæſitum ſuper primo Articulo (D).

„ Et quatenus negative.

„ Secundo. Quæritur, an ſaltem permitti poſſit cum
„ *Declaratione*, & qua.

Super

(A) *Supplex Libellus Procuratoris Generalis Societatis Jeſu* §. il primo.
Obſervationes P. Dez *in Mandatum Vicarii* Maigrot *a Patribus Soc. Jeſu Sac. Congregationi exhibitæ fol.* 108. §. *Prævaluit, par.* 2. *Obſerv.* I.

(B) *Semedo Relazione della Gran Monarchia della China p.* 1. *cap.* 17. *pag.* 105. *qui ſolummodo teſtatur ſacrificare Cælo.*
Maffæus Hiſtoriarum Indicarum pag. 100. *ait, quod aliqui Cælum præcipue omni ſtudio colendum exiſtimant.*
Joannes Guelter in libro Italico: Notizie varie dell' Imperio della China *pag.* 88. *teſtatur ſacrificare Cælo.*
Memoriale Procuratoris Generalis Soc. Jeſu ſacræ Congregationi exhibitum §. il primo.
Videantur Ludovicus le Compte in libro Gallico: Nouveaux Memoires Tom. 2. pag. 186. *& Pater a Leoniſſa in ſuis Reſponſionibus ad Quæſita ſacræ Congregationis ....*
Et ad Quæſita Eminentiſſimi Caſanate.
Longobardus apud Navarettam tom. 1. *pag.* 246.

(C) *Pater a Leoniſſa in ſuis Reſponſ. ad Quæſita Sac. Congregationis Particularis.*
Et ad Quæſita Eminentiſſimi Caſanate.

(D) *Videri poſſunt Auctores allegati littera* B.

Super tertio Articulo.

„ Proponetur Quæſitum infra, quia pendet a decidendis ſequentibus.

Super quarto Articulo.

„ Primo. Quæritur, an ſuperſtitione imbuta ſint ſolemnia, quæ ſemel & iterum ſingulis annis Confucio „ & Progenitoribus offerri ſolent, ſacrificia, ſeu oblationes, ita ut iis præeſſe, miniſtrare, aut intereſſe, Chriſtianis nullatenus nullaque de cauſſa permitti poſſit.

„ Ratio dubitandi eſt reſpectu Confucii, quia Secta litteraria, quæ primas obtinet in illo Imperio, „ non ſolum uti magiſtrum, verum etiam uti Sanctum „ colere videtur. (E)

„ Præterea in quadam oblatione facienda Confucio, „ quæ deſcribitur in Libro ſeu Rituali Sinico TA MING „ HOEY TIEN, nonnullæ orationes ſeu offertoria „ præſcripta ſunt, in quibus Confucii virtus cælo terræque æquiparatur, doctrina antiquis moderniſque „ præfertur: imo ex quo homines eſſe cœperunt, nemo „ illum æquaſſe dicitur, & quod ejus ſpiritus præteritos XING ſeu Sanctos excellit. Quod autem hic dictio XING ſanctitatem potius, quam ſapientiam ſimul & ſanctitatem ſignificet, infertur ex hoc, quod „ inter illos, qui Confucium præceſſerunt, & XING „ ſuperius appellantur, comprehenduntur ſaltem nonnulli, de quibus expreſſis verbis in claſſicis Sinarum „ libris dicitur, quod poſt mortem in cælum evolarunt, „ & in cælis poteſtatem habent favendi hominibus, eoſque etiam Sinenſes antiquitus ut Sanctos venerati ſunt, „ & hactenus celebrant ut tales. Inſuper alibi in libris Sinicis habentur hæc XING SIN CHY CHYYE: „ JU IAO, XUN, VEN VANG, CHEV KUNG „ KANG CHU; id eſt Sanctorum virorum ſummitas: „ & ut verbi gratia: Antiquiſſimi Imperatores IAO & „ XUN, Rex VEN VANG, Princeps CHEV „ KUNG & KUNG CHU ſeu Confucius. Quod vero „ hoc etiam in loco dictio XING ſanctitatem potius, „ quam ſapientiam ſignificet, inferri videtur ex eo, „ quod omnes ante Confucium hic nominati apud Sinas „ in ſuprema Sanctorum ſerie ab antiquis temporibus referantur, & ut tales ab iiſdem Sinenſibus ſemper „ habiti fuerint, ut conſtat ex libris eorum claſſicis, „ licet apud Sinenſes atheos præfata dictio XING in „ allatis textibus perfectiſſimum & ſapientiſſimum virum, vel ſummum perfectionis gradum, ad quem homines Cælo ſeu Natura favente pertingere poſſunt, ſignificare videatur.

„ Ipſe Confucius in ſingulis civitatibus ædes habet „ ei dedicatas, quæ Gymnaſia non ſunt, nec Aulæ tantum eſſe videntur, ſed potius Capellæ, eo quod Sinice vocentur MIAO, quo vocabulo Idolorum templa deſignantur, & a nonnullis authoribus Ædes prædictæ Templa, ſeu Fana dicantur. Videri poſſunt (F).

„ In quibus Ædibus extat effigies Confucii, vel ſaltem tabella cum hac inſcriptione *Sedes Spiritus ſanctiſſimi vel ſapientiſſimi Protomagiſtri Confucii*, quæ verbis Sinicis eſt hujuſmodi CHI XING SIEN SU „ KUNG CHU XIN GOEY, ut teſtatur P. a Leoniſſa, qui aſſerit dictionem Sinicam XING non ſignificare tantummodo Sanctum, ſed aliquando etiam Sapientem. Alii præfatam inſcriptionem ſic latine vertunt: *Sanctiſſimi, & ſuper-excellentiſſimi.*

„ Mandarini, ſeu Gubernatores, ac Magiſtratus urbium una cum Litteratorum Præfectis, nec non Graduatis ſeu Doctoribus bis in anno, nempe circa æquinoctium Veris & Autumni ibidem ſolemnem oblationem ſeu ſacrificium peragunt, in quo a Miniſtro & Aſſiſtentibus cum variis genuflexionibus & inclinationibus, dirigente cæremoniarum Magiſtro, ante tabellam Confucii ſupra menſam ſeu Altare expoſitam, candelis accenſis, cum odorum ſuffitu, immolati ſeu immolandi animalis ſanguis ac pili offeruntur, ac deinde terræ infodiuntur, itemque panni ſerici, qui poſtea extra templum, ſeu ædem in proximo atrio, „ accenſo igne, comburuntur. Item vinum libatur, occiſorum animalium, ſuis videlicet, capræ, ſeu cervi, „ & ſimilium carnes immolantur; quæ inter aſſiſtentes „ & alios, peracta oblatione ſeu ſacrificio, diſtribuuntur, & ab omnibus magni fiunt, & comeduntur. Ante omnia autem jam a principio Confucii ſpiritus invitatur, ut adſit, immolatiſque fruatur, venienſque „ ad oblationem certis cæremoniis recipitur, eique quid- „ quid in ſacrificio geritur, tanquam præſenti in tabella „ ſignificatur: Miniſtris nonnullorum ante ſacrificium dierum jejunia, & a thoro conjugali abſtinentia publico „ ritu præſcripta ſunt: hoſtias immolandas, fuſo in earum auriculis probandi cauſa liquore quodam, ſeu vino calido, ſelſgunt. Oblatio incipit poſt primum, „ aut ſecundum galli cantum, & ſummo mane terminatur: ſpiritum Confucii, finita oblatione, abeuntem „ grato animo, ac certis verborum formulis proſequuntur: & adſtantibus omnibus, antequam dimittantur, „ ob ſacrificium bene peractum, felicitates plurimæ promittuntur, prout in Rituali TA MING HOEI „ TIEN, Tomo ſeu Tractatu 91. in deſcriptione oblationis faciendæ Confucio apud Patrem a Leoniſſa „ videri poſſunt reſpective. (G)

„ Præter prædictas binas ſolemnes oblationes, aliæ „ minus ſolemnes eodem in loco, ſeu quidam alii ritus, „ & cæremoniæ in ejuſdem Confucii honorem ſtatutis „ temporibus peraguntur, tum a Magiſtratibus ſeu Gubernatoribus urbium, tum a reliquis litteratis, de „ quibus etſi ſpeciatim a Vicario Apoſtolico Maigrot „ mentio facta non fuerit, nihilominus quia in Quæſitis P. Martin Societatis Jeſu aliqua ſaltem expoſita „ fuerunt, hic aliud quæſitum ad rem clarius elucidandam inſtituitur.

„ Secundo. Igitur quæritur, an cæremoniæ, ritus, „ & oblationes minus ſolemnes, quæ fiunt in honorem „ ejuſdem Confucii, a Chriſtianis licite exerceri, & „ peragi poſſint in loco præfato.

„ Ratio dubitandi, præter dicta in præcedenti ratione ad primum, eſt, quia bis ſingulis menſibus in novi- „ lunio ſcilicet, & plenilunio cujuſcumque urbis Mandarinus, ſeu primarius Magiſtratus, aliique officiales „ & litterati ſummo mane ædem ſeu templum Confu- „ cii magna cum pompa adeunt, & ante ejus effigiem „ ſeu tabellam, accenſis cereis, cum thuris atque odorum ſuffitu, repetitis vicibus genufiectunt, toto cor- „ pore proſtrati, ac terram fronte percutientes. Item „ quandoque, præſertim in novilunio, ab aliquibus „ vinum & olera quædam ac fructus offerri ſolent. „ Mandarini, ſeu Gubernatores urbium, ac Magiſtratus, antequam dignitatem adeant, ſeu ſtatim poſt „ aditam dignitatem, ad ædem Confucii pergunt, ibique ante ejus effigiem ſeu tabellam eadem peragunt, „ quæ fieri ab eis in novilunio, ac plenilunio modo „ dictum eſt; non tamen olera, vinum, nec fructus „ offerunt. Videri poſſunt (H).

„ Reſpectu vero Progenitorum, ratio dubitandi circa ſolemnes oblationes, quæ in primo quæſito pro- „ ponuntur, eſt, quia Sinæ defunctos parentes ſeu Progenitores, ſaltem uſque ad quartum gradum, publico ac ſingulari cultu proſequuntur, ædes eis dedicant, „ quæ potius capellæ, & templa, quam ſimplices aulæ „ videntur eſſe, tum ex his quæ in eis geruntur, tum „ ex nomine MIAO quo Imperialium aliorumque Imperii Procerum, Progenitorum defunctorum ædes ex „ antiquiſſima inſtitutione vocantur; quo pariter nomine etiam Idolorum templa communiter deſignantur, ut ſupra dictum eſt; & animalium quoque ſanguine ex antiquiſſimo Ritu in Rituali LY KI præſcripto, uti etiam oblationum, ſeu ſacrificiorum vaſa, quæ nulli uſui extra templa prædicta applicari „ licet, dedicari ſolent, veſtes vero quibus Proceres, „ ac præſertim Imperatores uti ſolebant, aut ſolent in „ præfatis oblationibus, ſpeciali ritu in eodem LY KI „ præſcripto fieri debent, ac conſumptæ obſoletæque „ cremari, ne profanis uſibus inſerviant.

„ Cæterorum autem Progenitorum defunctorum ædes, „ licet non MIAO, ſed CKU TANG appellentur, in „ re id ipſum ſignificare, & ad eoſdem cultus erga de- „ functo-

(E) *Videri poſſunt Semedo* Relazione della Gran Monarchia della China part. 1. cap. 10. *pag.* 63.
Kirker China illuſtrata part. 3. cap. 1. fol. 132. & pag. 137. col. 1.
De Marin. Hiſt. de fel. Succ. lib. 1. cap. 8. pag. 104. *qui tamen loquitur de Tunchinenſibus*.
Rhodes in Catechiſ. pag. 113. *& in* Relazione Hiſtorica *de Tunchino pag.* 60.
Bartol. La Cina *lib.* 1. *pag.* 74. *verſ.* 12.

(F) *Trigantius & Riccius de Chriſtian. Expedit. lib. I. pag.* 108.
Semedo part. 1. *cap.* 10. *pag.* 63.
Kirker China illuſtrata part. 3. *cap.* 1. *pag.* 132. *col.* 1.

(G) *Bartol. China par.* 3. *lib.* 1. *pag.* 71.
Kirker in China illuſtrata p. 3. *cap.* 10. *pag.* 132.
Le Tellier Tom. 2. *pag.* 274. §. Vous direz.

(H) *Lopez cap.* 5. *de Confucio n.* 60. *circa med. pag.* 64.

„ functorum præfatorum ſpiritus exhibendos deſtinari „ videntur; quia tam in ædibus CHUNG MIAO di„ ctis, quam in CHU TANG nuncupatis imagines, „ ſeu ſtatuæ primariorum Progenitorum reperiuntur, „ aut ſaltem & communiter ubique tabellæ progeniторum aſſervantur ſupra menſam vel Altare cum hac „ inſcriptione *Sedes Spiritus N. Defuncti Progenitoris*.

„ Quæ quidem tabellæ, ſaltem his temporibus, ideo „ fieri videntur, ut non tantummodo loco ſpirituum, „ ſeu defunctorum adhibeantur, ſed etiam ut iidem „ ſpiritus ſeu defunctorum animæ quodammodo in eis „ reſideant; quia eo tempore quo defuncti Progenitores „ ſepeliuntur, quo etiam earumdem tabellarum incipit „ uſus, in ipſomet ſepulturæ loco, ut ex Rituali Si„ nico KIA LY nuncupato conſtat, ad dictas tabellas, „ flexis genibus, & expreſſis verbis, ſpiritus ſeu ani„ mæ præfatæ invitantur, ut in illis reſideant, & do„ mum revertantur; quo facto, eædem tabellæ ſole„ mniter domum deferuntur, ac ſtatuto tempore in æ„ dibus præfatis etiam ſolemniter collocantur. Dici„ tur etiam in dicto Rituali, quod quando in præfa„ tis tabellis aliquæ litteræ mutandæ vel addendæ „ ſunt (quod quidem fit, quando in ædes præfatas „ novæ tabellæ introducuntur, & antiquæ ſeu priores „ ad gradum ſuperiorem tranſeunt juxta ordinem con„ ſanguinitatis, vel quando ab Imperatore nova digni„ tas ſeu dignitatis titulus aliquibus Progenitoribus de„ functis juxta Regni morem confertur, qui tabellis in„ ſcribendus eſt) aqua madefiant, ut abradi poſſint, „ & abraſis, lotiſque, lotionis aqua in ædis ſeu Tem„ pli parietem projiciatur; quæ ceremonia ſummam „ Sinenſium reverentiam erga eaſdem tabellas indicare „ videtur. Item in eodem Rituali dicitur, quod tranſ„ acto quarto conſanguinitatis gradu, quando ſcilicet „ in ædibus, ſeu templis præfatis dictas tabellas aſſer„ vari amplius non licet, hujuſmodi tabellæ terræ in„ fodi debent reſpective, vel in propriis ſepulturis eo„ rumdem Progenitorum, vel in parte anteriori ædis, „ ſeu prope januam. Antiquitus autem ab ædibus „ CHUNG MIAO nuncupatis ad alias ædes transfer„ ri ſolebant, ibique aſſervari, & recondi; & in Ri„ tuali KIA LY dicitur, quod Imperator & Imperii „ Proceres id faciunt. Ad eaſdem tabellas, vel ad „ ea loca, & ſedilia, ſeu menſas, in quibus di„ ctæ tabellæ e ſuis tabernaculis cum ſpeciali reve„ rentia extractæ, expoſitæ jam ſunt, ſi adhiberi de„ beant, eorumdem Progenitorum ſpiritus, ſeu animæ, „ præſertim ſolemnium oblationum tempore, invitan„ tur, ut deſcendant, & in eis maneant; quod qui„ dem fit vel expreſſis verbis, ut conſtat ex formula „ deſcripta in Rituali KIA LY, ubi de oblationibus „ faciendis primis familiarum Progenitoribus XY CHU „ & SIEN CHU nuncupatis, qui jam quartum gra„ dum aſcendentiæ præceſſerunt, fit ſermo; quæ for„ mula in medio ædis ſeu templi ante vas ibidem cum „ carbonibus accenſis poſitum, flexis genibus a primario „ oblationis miniſtro recitari debet, eaque recitata, ſu„ per eiſdem carbonibus cum ſpeciali cæremonia anima„ lis ſeu victimæ pinguedo ponitur, ſeu effunditur, ut „ vapor aſcendat, vel ſaltem & ſemper cum cæremo„ nia effundendi vinum ſuper palearum manipulum, „ quæ KIANG XIN, ideſt deſcenſus ſpirituum in eo„ dem Rituali appellatur, quæque pariter cum ſolemni„ tate & reverentia magna ordinarie fieri debet in me„ dio templi, ſeu ædis ante menſam, ſeu Altare ubi „ odores cremantur, quæ HIANG CHO, id eſt odo„ rum menſa vocatur; ibique poſtea fit alia ſimilis cæ„ remonia effundendi vinum, quæ vocatur CHY, ideſt „ oblatio, quæ loco ſpirituum fit (fierique dicitur an„ tiquis vini inſtitutoribus ſeu inventoribus). Itemque „ Progenitores, ſeu Progenitorum ſpiritus invitantur, „ ut oblatis fruantur, ſeu frui velint, ut in eodem Ri„ tuali præſcribitur. De eodem deſcenſu ſeu adventu „ ſpirituum, etiam Progenitorum defunctorum, & de „ fruitione ſeu acceptatione oblatorum pluries fit men„ tio in libris antiquis, & aliis Ritualibus Sinicis; „ unde multi Sinenſes eoſdem Progenitorum ſpiritus cæ„ remoniis ſupradictis invitatos venire & frui putant, „ aut credunt. Non pauci tamen ad imaginariam, vel „ dubiam potius, quam realem ſpirituum præſentiam, „ adventum, & fruitionem hæc omnia, ut etiam ex „ libris & Ritualibus Sinicis colligitur, reducere vi„ dentur; Confucius vero in libro LUN YV ait: „ CHI JU CHAY CHI XIN JU XIN CHAY, id „ eſt offerendum ſeu ſacrificandum eſt, veluti adeſſent „ (ſcilicet illi quibus offertur) offerendum ſeu ſacrifi„ candum eſt ſpiritibus, veluti ſpiritus adeſſent, ſeu „ exiſterent. Statutis autem anni temporibus in iiſdem „ locis ſeu templis præfatorum Progenitorum defuncto„ rum ſpiritibus ſolemnes oblationes ſeu ſacrificia offe„ runtur, ad quæ tantummodo cujuſque familiæ viri „ ac mulieres reſpective conveniunt, ac earumdem fa„ miliarum primogeniti ex lege debent primaria offi„ ficia in dictis oblationibus exercere, qui etiam „ propriis manibus animalia offerenda occidunt in „ locis, ac cum cæremoniis in Ritualibus pro per„ ſonarum qualitate reſpective præſcriptis; omniaque „ peraguntur eodem fere ritu, mutatis mutandis, qui „ ſupra in oblationibus ſolemnibus Confucio exhibitis „ deſcriptus eſt. In templis ſeu in ædibus CHU „ TANG nuncupatis juxta Rituale KIA LY ſerica „ non offeruntur, nec in eodem fit mentio illius papyra„ ceæ monetæ, quæ nunc temporis in omnibus oblatio„ nibus, quæ Progenitoribus defunctis a Gentilibus fieri „ ſolent, crematur, eo quod hæc cæremonia non ſit „ propria Sectæ litterariæ; neque in fine oblationis illa „ verborum formula præſcribitur, qua oblationibus ab„ euntes ſpiritus proſequuntur, ſed tantum ad id quæ„ dam inclinationes & proſtrationes faciendæ referuntur, „ quibus peractis tabellæ, ſi adhibitæ & expoſitæ fue„ rint, in locum ſuum reportantur, & in tabernacu„ lis reponuntur, nec non Progenitorum nomine, ſeu „ de mandato eorundem, ut in Rituali KIA LY dici„ tur, a Magiſtro cæremoniarum Miniſtris primariis, & „ implicite aſſtantibus omnibus plurimæ felicitates pro„ mittuntur, & antequam fiant nonnullæ ex prædictis „ ſolemnibus oblationibus, ſortibus cum ſpeciali cære„ monia ante januam ædis, ſeu Templi CHU TANG „ eligitur dies, & de felici electione monentur pariter „ ſpeciali ritu in eadem æde, ſeu Templo Progenito„ res defuncti, ſeu eorumdem ſpiritus, ut videre eſt in „ dicto Rituali, in quo etiam dicitur, quod omnes ob„ lationes CHI conſiſtunt tantummodo, ſeu principali„ ter in totali ſoliditate & perfectione amoris & reve„ rentiæ, & ideo pauperes juxta paupertatem ſuam, „ infirmi juxta vires ſuas in illis faciendis ſe gerant; „ qui vero divitiis & viribus abundant, juxta præſcri„ ptos ritus eas peragant.

„ Preces vero, licet ex antiquiſſimo Ritu in libro „ ſeu Rituali LY KY tantummodo certis temporibus, „ ſeu pro publicis Imperii neceſſitatibus in Templis „ Progenitorum defunctorum CHUNG MIAO nun„ cupatis peragendæ præſcribantur, & non pro priva„ tis neceſſitatibus, ſeu indigentiis, vel ad privatas „ felicitates poſtulandas, cum e contra hoc ipſum ex „ eodem antiquiſſimo Ritu in oblationibus etiam ſole„ mnibus ordinarie offerendis interdictum videatur; „ nihilominus etiam ad privatas felicitates ab eiſdem „ Progenitoribus defunctis petendas, deprecationes, „ præſertim nunc temporis, a Sinenſibus quandoque fie„ ri referuntur, & probantur ex alio Rituali Sinico in „ quatuor Tomos diviſo & KIA LY pariter dicto, quo „ Gentiles paſſim utuntur in Sinis, licet hujuſmodi de„ precationes non fuerint authoritate publica, ſed po„ tius tacita permiſſione in eodem Rituali, & alibi a „ privatis Doctoribus inſertæ. Communiter autem „ eo magis felices, ac fortunatos ſe fore putant, aut „ ſperant, quo majori pietate ac diligentia ſolitis offi„ ciis erga præfatos defunctos functi fuerint. Ex claſ„ ſico Rituali etiam habetur, quod in alendis anima„ libus ad uſum ſacrificiorum tum XANG TI, tum „ ſpiritibus omnibus etiam progenitorum in templis, & „ locis eiſdem reſpective dicatis offerendorum deſtinatis „ Imperii urbium Præfectis de mandato regio injun„ ctum ſit, ut omnem curam adhibeant, populiſque „ id ipſum ſuadeant, eo quod ad felicitates pro eiſdem „ populis petendas in dictis oblationibus offerri debeant. „ Item ex claſſicis Ritualibus plura referuntur, unde „ deduci videtur, Sinenſes non tantum a XANG TI „ aliiſque ſpiritibus, montium ſcilicet, fluminum &c. „ verum etiam a ſpiritibus defunctorum felicitates plu„ rimas concedi ob præfatas oblationes bene peractas „ docuiſſe, credidiſſe ab antiquo tempore, aut ſaltem „ finxiſſe.

„ Qui vero atheiſticam doctrinam profitentur, & „ ſequuntur, licet eorumdem ſpirituum exiſtentiam ne„ gent, tamen quadam motione ſympathica per diſ„ poſitionem Miniſtris ad ſacrificandum, vel offeren„ dum præſcriptam, cæli aerem tenuiſſimum, in quem „ defunctorum ſpiritus reſolvi aſſerunt, concitari, ac „ moveri, & quodammodo attrahi ad oblationem inſi„ nuant, unde beneficos influxus erga offerentes, ad„ ſtanteſque promanare docent: quod infertur etiam „ ex iis, quæ habentur in extractis ex libro, cui ti„ tulus *Confucius Sinarum Philoſophus, per Patres So„ cietatis iterum impreſſis, ac in parvo libello Sac. „ Congregationi oblatis*. Tandem præfati Athei, pro „ ut antiqui omnes, ſub nomine QUEY XIN ſpiritus „ omnes etiam defunctorum, dum generice eos deſigna„ re, vel nominare volunt, comprehendunt; & præ„ fatis QUEY XIN generice multa præclara referunt,

„ ſicque

„ ſicque populis erga illos timorem pariter & hono-
„ rem ſuadent (L).

„ Præter prædictas ſolemnes oblationes, quæ fiunt
„ in honorem defunctorum Progenitorum, aliæ etiam
„ minus ſolemnes oblationes, nec non alii ritus, ac
„ cæremoniæ eiſdem in ædibus, ſeu Templis diverſis
„ anni temporibus, præſertim prima die anni Sinici, in
„ ſolſtitiis, ac ſingulis menſibus, in novilunio ſcilicet &
„ plenilunio, in honorem eorumdem defunctorum fieri
„ ſolent: de quibus licet Vicarius Apoſtolicus Maigrot
„ ſpecificam mentionem non fecerit, expedire videtur,
„ ob rationem ſupra allatam, ubi de oblationibus mi-
„ nus ſolemnibus Confucio fieri ſolitis agitur, ut etiam
„ ſpeciale quæſitum hic inſtituatur, unde

„ Tertio. Quæritur, an Chriſtianis liceat in præ-
„ fatis ædibus ſeu Templis ſupradictas oblationes mi-
„ nus ſolemnes offerre, in eis miniſtrare, ſeu quomo-
„ dolibet inſervire; nec non alios ritus & cæremonias
„ peragere.

„ Ratio dubitandi, præter ea quæ dicta ſunt in ſu-
„ periori ratione ad quæſitum reſpectu præfatorum de-
„ functorum, eſt, quia ſupradictis temporibus uniuſcu-
„ juſque familiæ perſonæ utriuſque ſexus, ad quas jux-
„ ta præſcriptum in Ritualibus Sinicis, ac præcipue
„ in Rituali KIA LY, ex officio ſpectat, ſummo ma-
„ ne debitis, ac ſpecioſis veſtibus indutæ, ædes Proge-
„ nitoribus dicatas, ac pridie pro more ornatas reſpe-
„ ctive adeunt, in eis coram tabellis eorumdem Proge-
„ nitorum poſt ablutionem manuum, cum variis incli-
„ nationibus & genuflexionibus, e tabernaculis per mi-
„ niſtros deſignatos extractis, & ſuper menſam, ſeu Al-
„ tare collocatis, cereis accenſis, odores ac thura cre-
„ mantur; vinum libatur, & ſuper palearum manipu-
„ lum effunditur (quæ cæremonia indicat deſcenſum ſpi-
„ rituum) fructus varii, ac potio CHA dicta offer-
„ tur, ſeu apponitur, coram qualibet ex eiſdem tabellis;
„ ac tandem cum aliis genuflexionibus & inclinatio-
„ nibus ſpiritibus abeuntibus quodammodo vale di-
„ citur.

„ In plenilunio vero juxta ea, quæ habentur in Ri-
„ tuali KIA LY, cæremonia extrahendi tabellas e ta-
„ bernaculis non fit, vinum non apponitur; ſed fru-
„ ctus, potio CHA, cetera ut in novilunio peragun-
„ tur.

„ Inſuper diebus quaſi ſingulis, & in ceteris caſibus
„ coram tabellis præfatis ab his, ad quos ſpectat, in-
„ clinationes & proſtrationes variæ fiunt, odoreſque
„ quandoque cremantur cereis accenſis.

„ Tandem qui ſunt tenuioris fortunæ, ut non ha-
„ beant ædes, ſeu templa Progenitoribus defunctis di-
„ cata, in domibus privatis coram tabellis eorumdem in-
„ ſupradictis anni temporibus reſpective, accenſis can-
„ delis cum thuris ſeu odorum ſuffitu offerunt, ſeu ap-
„ ponunt carnes, vinum, potionem CHA; fructus &
„ alia hujuſmodi, genuflexionibus, ſeu inclinationibus
„ etiam adhibitis minori tamen cum ſolemnitate. Sinæ
„ enim domi communiter habent locum aliquem tan-
„ quam lararium, ubi dictas tabellas cum ſolita inſcri-
„ ptione aſſervant, eaſque ſingulis diebus ſæpe ſalutant,
„ ac certis temporibus, uti dictum eſt, coram eiſdem
„ ritus ac cæremonias præfatas peragunt.

„ Item Sinenſes fere omnes ſepulcra eorumdem Proge-
„ nitorum, quæ in montibus ſeu locis præaltis extra
„ mœnia ſunt, ſemel in anno adeunt; ibi oblationem
„ faciunt, apponendo ſcilicet carnes, vinum, fructus,
„ potionem CHA, & alia hujuſmodi, cum ſolitis ge-
„ nuflexionibus & inclinationibus: aliquando autem
„ ſolemnius hæc omnia peragunt juxta ritus, ac vires;
„ adhibita etiam cæremonia effundendi vinum, quæ, ut
„ ſupra, KIANG XIN vocatur; herbas etiam, & gra-
„ mina circa ſepulturas nata eradicant, purgant, plo-
„ rant; mox finitis lacrymis oblatis veſcuntur.

„ Alias inſuper oblationes, tum ſolemnes, tum mi-
„ nus ſolemnes, Sinenſes facere ſolent mortuis Progeni-
„ toribus, præſertim a die obitus uſquequo ſepulturæ
„ tradantur, quæ excepta circumſtantia Templi ſeu æ-
„ dis, nec non veſtium ſpecioſarum, quia lugubribus
„ veſtimentis eo tempore utuntur, in cæteris cum ſu-
„ pradictis reſpective concordant. Et ideo

„ Quarto. Quæritur, an Chriſtianis liceat præfatas
„ oblationes, ritus, ac cæremonias coram ſupradictis
„ Progenitorum tabellis in privatis domibus, vel etiam
„ in eorumdem Progenitorum ſepulchris, aut antequam
„ defuncti prædicti ſepulturæ tradantur, in eorum ho-
„ norem fieri conſuetas, una cum gentilibus, vel ſeor-
„ ſim peragere, eiſque miniſtrare aut intereſſe.

„ Quinto. Quæritur, an Chriſtianis liceat præfatas
„ omnes oblationes tum ſolemniores tum minus ſole-
„ mnes, nec non alios ritus ac cæremonias, tam in æ-
„ dibus ſeu templis defunctorum, quam domi, & in ſe-
„ pulchris, prout ſupra relatæ ſunt, peragere, aut eis
„ ſimul cum gentilibus intereſſe, vel in eis miniſtrare,
„ ſaltem præmiſſa publica, vel ſecreta proteſtatione eos
„ non religioſo, ſed civili tantum ac publico cultu
„ erga defunctos Progenitores hæc omnia præſtare, nec
„ ab eis quidquam petere aut ſperare.

„ Sexto. Quæritur, an liceat, ſeu permitti poſſit
„ Chriſtianis eaſdem omnes oblationes reſpective in lo-
„ cis ſupradictis, vel ſaltem domi, ac defunctorum ſe-
„ pulchris ſeorſim, vel etiam cum gentilibus offerre, alioſ-
„ que ritus ac cæremonias peragere, ſublatis omnino ſu-
„ perſtitioſis, vel ſuperſtitionis ſpeciem præſeferentibus,
„ hoc eſt ea tantummodo offerendo, quæ juxta mo-
„ rem Regni vivis offerri ſolent, & cum cæremoniis ac
„ ritibus erga vivos fieri, vel adhiberi ſolitis. Et an
„ hoc liceat, præmiſſa, ſeu adhibita ſupradicta prote-
„ ſtatione.

„ Ratio eſt, quia niſi hæc ſaltem Sinenſibus Chri-
„ ſtianis permittantur, valde timendum eſt, ne qui Chri-
„ ſtiani jam ſunt, Chriſtianam Religionem penitus ab-
„ jiciant; & qui nondum illam ſuſcepere, impoſterum
„ nullatenus amplexentur: imo in Chriſtianos tanquam
„ in patriorum rituum erga defunctos Progenitores de-
„ fertores ac deſtructores inſurgant, eoſque ac Miſſio-
„ narios omnes minis ac perſecutionibus exagitent, & a
„ Regno penitus excludant.

„ Ita, quoad factum pertinet, teſtatur P. Joannes
„ Franciſcus de Nicolais a Leoniſſa Vicarius Apoſtoli-
„ cus *Hu Quang* Epiſcopus Berytenſis, apud quem ſunt
„ Ritualia, aut textus allegati, eaque exhibuit, &
„ interpretatus eſt.

Super quinto Articulo.

„ Quæritur primo, an Chriſtianis permitti poſſit dictas
„ tabellas Progenitorum in privatis domibus retinere cum
„ inſcriptione XIN CHU, XIN COEI, LING
„ GOEI id eſt: *Thronus, ſeu ſedes ſpiritus ſeu Animæ*
„ *N. defuncti*.

„ Et quatenus negative.

„ Secundo. Quæritur, an ſaltem abraſa ea inſcriptio-
„ ne, ſolummodo defuncti nomine inſcripto, aut ad
„ ſummum ſuperaddita littera GOEI Sedes ſeu Thro-
„ nus.

„ Et quatenus negative.

„ Tertio. Quæritur, an ſaltem cum declaratione qua
„ declaretur, quæ ſit Chriſtianorum de defunctis fides;
„ & qualis filiorum, ac nepotum in progenitores pietas
„ eſſe debeat.

„ Hic quæritur, quid decernendum ſit circa tertium
„ Articulum ſupra omiſſum tenoris ſequentis.

„ Quæſita ſuper capitibus inter hujus Miſſionis Ope-
„ rarios controverſis, S. P. Alexandro VII. propo-
„ ſita, multis in rebus non eſſe veridica declaramus, ac
„ proinde Miſſionarios, reſponſis ab Apoſtolica Sede re-
„ cte quidem & ſapienter, at juxta circumſtantias in
„ dubiis expreſſas datis, inniti non poſſe ad uſitatum
„ apud Sinas Confucii, & Progenitorum cultum permit-
„ tendum.

Super ſexto Articulo.

„ Quæritur, quid decernendum ſit ſuper ſexto articulo
„ præfati edicti D. Maigrot, tenoris ſequentis: Cum
„ nonnulla ſeu verbo, ſeu ſcripto evulgari animadver-
„ terimus, quæ incautos in errorem inducunt, & viam
„ ad ſuperſtitionem patefaciunt, verbi gratia Philoſo-
„ phiam, quam Sinæ profitentur, ſi bene intelligatur,
„ nihil habere legi Chriſtianæ contrarium.

„ Nomine TAY KIES ſapientiſſimos Priſcos Deum
„ cauſam primam rerum omnium definire voluiſſe.

„ Cultum, quem Confucius ſpiritibus adhibuit, civi-
„ lem potius quam religioſum fuiſſe.

„ Librum, quem Sinæ IE KING appellant, ſum-
„ mam eſſe optimæ doctrinæ phyſicæ & moralis.

„ Hæc & ſimilia, uti falſo, temere & ſcandaloſe di-
„ cta, ſcriptave, diſtricte inhibemus, ne in toto Vica-
„ riatu noſtro diſſeminentur.

Su-

(L) *Maffæus Hiſt. pag.* 100. *Semed. part.* 1. *cap.* 118. *pag.* 101. *ubi tamen negat eſſe proprie ſacrificia. Alexand. de Rhodes lib.* I. *cap.* 27. *pag.* 88. & 89. *qui loquitur de Tunchino. De Marin. lib.* I. *cap.* 14. *fol.* 155. *qui pariter de Tunquino.*

Super ſeptimo Articulo.

„ Quæritur, an ſit approbandum quod D. Maigrot „ diſponit in ſeptimo Articulo tenoris ſequentis : *Ca-* „ *veant Miſſionarii &c.*

MONUMENTUM III.

RESPONSA

Quæ ad quæſita ſuperius relata, prævio diuturno, maturo, ac diligentiſſimo examine de mandato ſa. me. INNOCENTII XII. prius inchoato, ac deinde juſſu Sanctiſſimi D.N.D.CLEMENTIS PAPÆ XI. per plures annos continuato, a Sac. Congregatione Eminentiſſimorum ac Reverendiſſimorum DD. S. R. E. Cardinalium in tota Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum a S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatorum auditis partibus, necnon Theologorum, & Qualificatorum ad id deputatorum votis, data fuerunt, ac poſtmodum ab eodem Sanctiſſimo Domino noſtro approbata, & confirmata.

Super primo Articulo.

„ AD primum quæſitum Sacra Congregatio cenſuit, „ non eſſe adhibenda nomina Europæa ad ſignifi- „ candum Deum Opt. Max. inutilis ſiquidem eſſet eo- „ rum uſus, poſito quod illa Sinicis characteribus expri- „ mi vix poſſint, nec ullam apud Sinas rei ſignificatæ „ ideam excitare valeant.

„ Ad ſecundum reſpondit affirmative. Si enim illis „ vocibus apud præcipuam Sinenſium Sectam, quæ lit- „ teratorum nuncupatur, nonniſi cælum corporeum & „ viſibile, vel quædam cæli virtus eidem cælo inſita de- „ ſignatur, quæcumque alia tandem eiſdem vocibus ſi- „ gnificatio attribui valeat, abſtinere ab eis prorſus de- „ bent Miſſionarii, ne anſam præbeant illis gentibus „ exiſtimandi nihil aliud eſſe Deum, quem Chriſtiani „ colunt, quam cælum corporeum, aut ejus virtutem.

„ Ad tertium. Similiter reſpondit affirmative; præ- „ ſertim cum nulla hac in re adſit inter partes contro- „ verſia.

„ Ad quartum. Sufficienter fuiſſe proviſum in reſpon- „ ſione ad 2. Quæſitum.

Super ſecundo Articulo.

„ Ad primum. Attentis iis, quæ dicta ſunt in reſpon- „ ſione ad ſecundum quæſitum primi articuli, Sac. Con- „ gregatio reſpondit permittendum non eſſe in Eccleſiis „ Chriſtianorum appendi tabellam, de qua agitur, nec „ jam appenſam retineri. Etſi enim nefas omnino ſit „ ſuſpicari, quod aliqui miniſtri Evangelici tabellam „ hujuſmodi in Eccleſiis Chriſtianorum permittentes a- „ lio animo id faciant, quam per inſcriptionem in ea „ appoſitam non cæli materialis, ſed Factoris ac Domi- „ ni cæli, adeoque veri Dei cultum explicandi : abſti- „ nendum tamen omnino eſt ab illa praxi, quam, jux- „ ta ea quæ habentur apud S. Leonem *Serm. 7. de* „ *Nativit. Dom.* cum quis in noſtris invenerit, qui „ erroribus relictis Chriſtianam fidem amplexus eſt, eam „ ſecum partem opinionis vetuſtæ, tanquam probabilem „ retinere poſſet, quam fidelibus & infidelibus viderit „ eſſe communem.

„ Ad ſecundum. Præſuppoſita inſcriptione, de qua „ agitur, reſpondit negative. Quod ſi loco inſcriptio- „ nis *Cælum colito* proponeretur alia *Dominum cæli* „ *colito*, eſſet hoc ſubrogatio novæ tabellæ, non decla- „ ratio antiquæ.

Super tertio Articulo.

„ Remiſſa ad alium locum quæſtione, remittitur & „ ad illum reſponſio.

Super quarto Articulo.

„ Ad ſex quæſita hujus articuli Sac. Congregatio re- „ ſpondit : Chriſtianis nullatenus, nullaque de cauſſa „ eſſe permittendum præeſſe, miniſtrare, aut intereſſe „ ſolemnibus ſacrificiis ſeu oblationibus, quæ in utro- „ que Æquinoctio cujuſque anni Confucio, & Proge- „ nitoribus defunctis fieri ſolent, tanquam ſuperſtitione „ imbutis.

„ Similiter non eſſe permittendum in ædibus Confu- „ cii, quæ eo appellari dicuntur vocabulo, quod apud „ Sinas idolorum templum deſignari dicitur, exerceri ac „ peragi a Chriſtianis cæremonias, ritus, & oblatio- „ nes, quæ in honorem ejuſdem Confucii fieri dicun- „ tur, tum ſingulis menſibus in novilunio & plenilu- „ nio a Mandarinis ſeu primariis Magiſtratibus, aliiſ- „ que officialibus, & litteratis, tum ab iiſdem Manda- „ rinis ſeu Gubernatoribus, ac Magiſtratibus, antequam „ dignitatem adeant, ſeu ſaltem poſt ejuſdem poſſeſſio- „ nem adeptam, tum denique a litteratis, qui poſtquam „ ad gradus ſunt admiſſi, e veſtigio ad templum, ſeu „ ædem Confucii ſe conferunt.

„ Idem non eſſe permittendum Chriſtianis in templis, „ ſeu ædibus Progenitoribus dicatis oblationes minus ſo- „ lemnes eiſdem facere, nec in illis miniſtrare, aut „ quomodolibet inſervire, vel alios ritus, & cæremonias „ peragere.

„ Demum nec eſſe permittendum Chriſtianis præfatas „ oblationes, ritus ac cæremonias, prout in quæſitis „ relatæ ſunt, coram Progenitorum tabellis in privatis „ domibus, nec in eorumdem Progenitorum ſepulchris, „ aut antequam defuncti ſepulturæ tradantur, in eorum „ honorem fieri conſuetas, una cum Gentilibus, vel „ ſeorſim peragere, eiſque miniſtrare, aut intereſſe ; imo „ prædicta omnia, tanquam a ſuperſtitione inſeparabi- „ lia, juxta ea quæ in quæſitis propoſita ſunt, ne qui- „ dem eſſe permittenda Chriſtianis præmiſſa publica vel „ ſecreta proteſtatione, ſe non religioſo, ſed civili ac po- „ litico tantum cultu erga defunctos illa præſtare, nec „ ab eis quidquam petere aut ſperare.

„ Ceterum per reſponſa hujuſmodi non cenſendam „ eſſe damnatam præſentiam illam, ſeu aſſiſtentiam me- „ re materialem, quam cum Gentilibus ſuperſtitioſa pera- „ gentibus, citra ullam ſive expreſſam ſive tacitam ge- „ ſtorum approbationem, aut quovis miniſterio penitus „ excluſo, eiſdem ſuperſtitionis actibus quandoque præ- „ ſtari contingat a Chriſtianis, cum aliter odia, & ini- „ micitiæ vitari non poſſunt, facta tamen fidei proteſta- „ tione, & ceſſante periculo ſubverſionis.

„ Similiter nec per eadem reſponſa vetari, quomi- „ nus erga defunctos peragi poſſint alia, ſi quæ ſint jux- „ ta earum gentium mores, quæ vere ſuperſtitioſa non „ ſint, nec ſuperſtitionis ſpeciem præſeferant, ſed intra „ limites civilium ac politicorum rituum contineantur. „ Porro quænam hæc ſint, & quibus adhibitis cautelis „ tolerari valeant, tum Domini Patriarchæ Antioche- „ ni Commiſſarii, & Viſitatoris Generalis in Imperio „ Sinarum, tum Epiſcoporum, ac Vicariorum Apoſto- „ licorum illarum partium judicio relinquendum eſſe ; „ qui tamen interea omni quo poterunt ſtudio ac dili- „ gentia curare debebunt, ut gentium cæremoniis peni- „ tus ſublatis, illi ſenſim a Chriſtianis, & pro Chriſtia- „ nis hac in re uſu recipiantur ritus, quos Catholica „ Eccleſia pro defunctis pie præſcripſit.

Super quinto Articulo.

„ Ad tria quæſita hujus articuli Sacra Congregatio „ reſpondit : Chriſtianis non poſſe permitti tabellas Pro- „ genitorum, juxta Sinenſium morem, in privatis do- „ mibus retinere, cum inſcriptione, qua thronus ſeu ſe- „ des ſpiritus vel animæ N. defuncti, adeoque qua ſpi- „ ritum, ſeu animam illius defuncti ibidem aliquando „ ſiſti, vel reſidere ſignificetur ; imo nec cum alia, „ qua ſedes ſeu thronus, adeoque idem ac priori, li- „ cet magis contracta, inſcriptione deſignari videa- „ tur.

„ Quo vero ad tabellas ſolo defuncti nomine inſcri- „ ptas, tolerari poſſe illarum uſum ſecluſo ſcandalo ; hoc „ eſt, dummodo qui Chriſtiani non ſunt, arbitrari non „ poſſint tabellas hujuſmodi a Chriſtianis retineri ea „ mente, qua ipſi illas retinent, & adjecta inſuper de- „ claratione ad latus ipſarum tabellarum apponenda, „ qua & quæ ſit Chriſtianorum de defunctis fides, & „ qualis filiorum ac nepotum in Progenitores pietas eſſe „ debeat, enuncietur.

„ Ad quæſitum tertii articuli huc remiſſum, Sacra „ Congregatio ſatius duxit nihil reſpondere, ne alias „ Sedes Apoſtolica ab eo, quem in ejuſmodi controver- „ ſiis Sinicis hactenus tenuit, antiquo more recedere „ cogatur, quo nimirum ad ea, quæ ſibi pro tempore, „ tametſi diverſimode, expoſita fuerunt, reſponſa qui- „ dem veritatis ſemper dare, nunquam vero ſuper ex- „ poſitorum hujuſmodi veritate, ſeu falſitate pronuncia- „ re conſuevit.

Super ſexto Articulo.

„ Nihil certi firmari poſſe quoad propoſitiones enun- „ ciatas in hoc ſexto articulo, niſi præhabitis pleniori- „ bus & neceſſariis rerum in eis contentarum notitiis. „ Interea tamen committendum eſſe Præfato Domino

„ Pa-

„ Patriarchæ Antiocheno, ut auditis Epiſcopis & Vi-
„ cariis Apoſtolicis, nec non peritioribus Miſſionariis il-
„ larum partium, hac in re id ſtatuat, atque decernat,
„ quod juxta datam ſibi a Domino prudentiam Catho-
„ licæ Religionis indemnitati, atque animarum ſaluti
„ magis expedire cenſuerit.

Super ſeptimo Articulo.

„ Præſuppoſito quod Sinici libri atheiſmum & diver-
„ ſas ſuperſtitiones contineant, prout in mandato Domi-
„ ni Epiſcopi Cononenſis dicitur, utile non modo ac
„ ſalutare, ſed & omnino neceſſarium fuiſſe monitum,
„ de quo agitur in ſeptimo articulo, adeoque illud eſſe
„ approbandum.

„ Laudandam demum eſſe declarationem in calce e-
„ juſdem mandati adjectam, qua dicitur culpandos non
„ eſſe illos Miſſionarios, qui aliam praxim ab ea, quæ
„ in ipſo mandato præſcribitur, ſequi hactenus duxe-
„ runt; cum mirum videri non debeat, quod in hujuſ-
„ modi materia per tot annos diſcuſſa, & in qua jux-
„ ta diverſas Apoſtolicæ Sedi expoſitas circumſtantias,
„ diverſa itidem antehac emanarunt ejuſdem Sedis re-
„ ſponſa, concordes omnes non fuerint in eadem ſenten-
„ tia. Ita proinde hac in re agendum fore tum a præ-
„ fato Domino Patriarcha Antiocheno, tum ab aliis,
„ quibus ſuperius reſponſorum executio injungetur, ut
„ omnis quidem Ethnicæ ſuperſtitionis ſpecies, ejuſque
„ afflatus, juxta Tertulliani monitum *lib. de idololatria*, etiam de longinquo devitetur: inſimul tamen O-
„ perariorum Evangelicorum in vinea Domini ſtrenue
„ ac ſedulo laborantium, qui priuſquam ſupra relata
„ dubia ex ſolita hujus S. Sedis providentia, ac recti-
„ tudine dirimerentur, aliter ſenſerunt, honori ac fa-
„ mæ conſulatur, nec tanquam idololatriæ fautores
„ traducantur; præſertim quia pleraque ex illis, quæ
„ Chriſtianis permittenda non eſſe, ſicut permittitur,
„ reſponſum fuit, ipſi quoque ſe nunquam revera per-
„ miſiſſe declararunt; nec dubitandum ſit illos, finita
„ jam cauſſa, præfatæ ſanctæ Sedis mandatis ea, qua
„ decet, humilitate & obedientia eſſe obſecuturos.

„ *Feria* 5. *die* 20. *Novembris* 1704. *In Congregatione Generali S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Quirinali coram S. D. N. D. Clemente divina providentia Papa XI. ac Eminentiſſimis & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus a S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis. Sanctitas ſua, poſtquam in pluribus Congregationibus coram ſe habitis, ab ipſo ſui Pontificatus primordio, ſuper præmiſſis quæſitis, ſeu dubiis Theologorum, ac Qualificatorum ad id a ſanctæ memoriæ Innocentio XII. deputatorum ſententias exceperat: poſtquam itidem pluries de iis egerat coram DD. Epiſcopis Berytenſi, & Roſalienſi Vicariis Apoſtolicis in Regno Sinarum, Romæ nunc commorantibus: ac poſtquam demum quicquid in ejuſmodi controverſiis Patres Franciſcus Noel, & Gaſpar Caſtner Soc. Jeſu Procuratores & Miſſionarii Apoſtolici ejuſdem Regni deducere potuerunt, ſeu voluerunt, audiverat: Reſponſa ſupradicta, quæ in aliis præcedentibus Congregationibus ſimiliter coram Sanctitate ſua habitis diu multumque diſcuſſa, ac mature examinata fuerant, confirmavit, & approbavit, illaque domino Carolo Thomæ de Tournon Patriarchæ Antiocheno Commiſſario, & Viſitatori Apoſtolico in præfato Sinarum, & aliis Indiarum Orientalium Regnis tranſmitti mandavit, una cum congrua & opportuna inſtructione deſuper facienda, ad hoc ut tam ipſe, quam reliqui Archiepiſcopi, Epiſcopi, ſeu alii, qui in illis partibus Viſitatoris, Delegati, ſeu Vicarii Apoſtolici munus exercent, vel impoſterum exercebunt, Reſponſa hujuſmodi ab omnibus, & ſingulis nunc, & pro tempore ibidem exiſtentibus Miſſionariis cujuſcumque Ordinis, Religionis, & Inſtituti, etiam Soc. Jeſu, nec non ab univerſis Chriſtifidelibus earumdem partium ſub pœnis canonicis ea, qua decet, obedientia ſervari curent, & faciant; ſuſpenſa tamen interea, juſtis & rationabilibus cauſis animum Sanctitatis ſuæ moventibus, eorumdem Reſponſorum publicatione, ſeu quavis evulgatione tam in Urbe, quam in aliis Europæ partibus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.*

Joſeph Bartolus Sanctæ Romanæ & univerſalis Inquiſitionis Notarius.

MONUMENTUM IV.

DECRETUM

Eminentiſſimi Card. Tournonii, Patriarchæ Antiocheni, a SS. D. N. Clemente Papa XI. ad Sinarum Imperium cum poteſtate Legati a latere miſſi, quo Chriſti Miniſtris ad Imperatoris Tribunal citatis (a), *ac de Chriſtiana religione ab eodem interrogandis præſcribit atque decernit, quid illis ſit reſpondendum, ſimulque Sedis Apoſtolicæ judicium de cultu Sinenſium, die* 20. *Novembris* 1704. *Romæ latum, quo lis illa magna finita eſt, publice denunciat.*

„ CArolus Thomas Maillard de Tournon, Dei &
„ Apoſtolicæ Sedis gratia Patriarcha Antiochenus,
„ SS. D. N. Clementis divina Providentia Papæ XI.
„ Prælatus domeſticus, ejuſque Pontificio Solio aſſiſtens,
„ nec non S. R. Univerſalis Inquiſitionis Conſultor,
„ ac in Indiis Orientalibus, & Sinarum Imperio, finiti-
„ timiſque Regnis, & Inſulis Commiſſarius Apoſtoli-
„ cus & Viſitator Generalis cum facultate Legati de
„ Latere &c.

Reverendiſſimis Dominis & Fratribus Epiſcopis, locorum Ordinariis, & Vicariis Apoſtolicis, Reverendiſſimis Provicariis, nec non Miſſionariis Apoſtolicis in Regnis Sinarum ſalutem in Domino ſempiternam.

„ Quandoquidem audivimus Evangelicos Operarios
„ accerſiri, de aliquibus ad ſanctam Religionem ſpe-
„ ctantibus interrogandos, ut ſelectum Dominici verbi
„ ſemen a noxiis ſuperſtitionum oleribus publica confeſ-
„ ſione ſeparare valeamus, utque ſimus unanimes veri-
„ tatis teſtes & aſſertores, atque ſine ſcandalo errantium in invio, uno ore & corde Deum glorificemus,
„ qui non eſt diſſenſionis Deus, inhærentes menti S.
„ Sedis Apoſtolicæ & deciſioni (de qua nobis conſtat)
„ ab eadem ſuprema Sede, atque a SS. D. N. Cle-
„ mente Divina Providentia Papa XI. nuper emana-
„ tæ, poſt emenſa tot annorum ſtudia, & labores in
„ examine controverſiarum hanc Miſſionem diu exagi-
„ tantium, regulam & legem certam, ab omnibus in
„ poſterum obſervandam, pro muneris noſtri debito pro-
„ ponere, declarare & ſtatuere decrevimus, prout in
„ ſubſequentibus reſponſis ad quæſita, quæ fertur eſſe
„ facienda, cum ea majori qua fungimur poteſtate, et-
„ iam Legati de Latere, proponimus, ſtatuimus, & de-
„ cernimus, & ab omnibus Miſſionariis tam Sæculari-
„ bus, quam Regularibus, cujuſcumque Ordinis, et-
„ iam Societatis Jeſu, in hac Miſſione obſervari man-
„ damus.

„ Si interrogentur de doctrina, legibus, & ritibus,
„ ſeu conſuetudinibus Sinicis in genere, an illis con-
„ ſentiant, an promittant illos aut illas non impugna-
„ re, nec contra ſcribere, aut prædicare? Reſpondere
„ tenebuntur, quod ea quæ ſunt conformia Chriſtianæ
„ legi, & cum ea licite & rite componi poſſunt, affir-
„ mative; quoad alia, negative.

„ Si deinde interrogentur, quænam ſint in divina le-
„ ge, quæ Sinarum doctrinæ non ſunt conformia? Re-
„ ſpondebunt plura (b). Et ad exemplificandum indu-
„ cti, dicere poterunt pro libitu ea, quæ ſibi occurrent
„ de ſortibus, de ſacrificiis, ſeu CI, quæ fiunt cælo,
„ terræ, ſoli, lunæ, planetis, ſpiritibus, artium in-
„ ventoribus, & aliis: cum ſoli Deo rerum omnium
„ conditori liceat Chriſtianis ſacrificare, & ab eo pro-
„ ſpera quæque & adverſa ſortiantur.

„ Si deſcendant interrogationes ad CI, ſeu ſacrificia
„ Confucii, & Progenitorum (c) negative reſponde-
„ bunt: non poſſumus illa facere, aut permittere divi-
„ næ legis cultoribus.

„ Item

(a) Ea citatio peculiari Imperatoris Edicto facta eſt, & a Jeſuitis Pekinenſibus per Encyclicam Epiſtolam ad cæteros Miſſionarios ſcriptam denunciata.

(b) Hactenus Jeſuitis viſum erat, nihil in Sinenſium philoſophia contineri, quod cum Chriſtiana Religione componi non poſſet. Hic jam oppoſitum declaratur.

(c) Confucium Sinarum Philoſophum, ac Progenitores defunctos non veris ſacrificiis, ſed ritibus mere civilibus a Sinenſibus coli contenderunt Jeſuitæ; atque ita cultum illum iiſdem ad fidem converſis licitum fecerant. Contrarium hic ſtatui vides; ſacrificia nimirum illa eſſe, ac prorſus illicita.

„ *Item* negative quoad uſum tabellarum defuncto-
„ *rum* Progenitorum (d) juxta morem Sinicum.
„ Item negative ſi interrogentur an *Kam ti* vel *Tien*
„ ſint Chriſtianorum verus Deus (e)?
„ Si interrogentur, quare de prædictis ita ſentiant?
„ Reſpondebunt; quia non componuntur cum cultu ve-
„ ri Dei; & ita a ſuprema Sede eſt deciſum, quæ eſt
„ Regula infallibilis Chriſtianorum in rebus fidei.
Si circa tempus deciſionis? Omnibus ſit notum, illam
„ emanaſſe die 20. Novembris 1704.
„ Si demum dicatur, quomodo vobis de hoc con-
„ ſtat? Reſpondebunt: nobis conſtat ex declaratione de
„ hoc facta a Patriarcha Antiocheno Superiore noſtro,
„ qui Oracula Summi Pontificis in ſe habet, vigore
„ ſuarum facultatum; & tenemur ei credere.
„ Et ita ex commiſſa nobis, licet immeritis, autho-
„ ritate Apoſtolica, etiam cum facultate Legati de la-
„ tere, omnibus & ſingulis Epiſcopis, Vicariis Apoſto-
„ licis, locorum Ordinariis, Miſſionariis, & Presbyte-
„ ris, tam Sæcularibus, quam Regularibus, etiam So-
„ cietatis Jeſu, in hac Sinica Miſſione exiſtentibus, &
„ in futurum extituris præcipimus, & obſervari manda-
„ mus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ,
„ ſanctæ Sedi Apoſtolicæ ita reſervatæ & nobis, ut ne
„ quidem ſub prætextu cujuſcumque privilegii a Sum-
„ mis Pontificibus conceſſi, etiam Patribus Societatis
„ Jeſu, ab excommunicatione poſſit quis unquam abſol-
„ vi præterquam in mortis articulo: ad quem ſolum
„ effectum, & non in aliis caſibus, & quatenus opus
„ ſit, quodcumque privilegium hujuſmodi, vigore ſpe-
„ cialis facultatis, qua ad id fungimur, ſuſpendimus, &
„ revocamus; ſublata etiam facultate eludendi, ſeu ali-
„ ter interpretandi hoc noſtrum Mandatum, ſub præ-
„ textu Decreti (f) Alexandri S. memoriæ Papæ
„ VII. editi anno 1656. vel alicujus magni periculi.
„ Etenim ex ſpeciali Indulto Apoſtolicarum Conſtitu-
„ tionum interpretatio, & declaratio nobis eſt commiſſa
„ &c. (g) Ac præterea declaramus, non obſtante di-
„ cto Decreto, aut quocumque gravi periculo, ita ab
„ omnibus in hac Miſſione permanere, vel ingredi vo-
„ lentibus, ſub prædicta pœna ipſo facto incurrenda,
„ eſſe tenendum, docendum, & reſpondendum: cum
„ maximum Religionis, & Miſſionis bonum proprie
„ conſiſtat in decore, & honore divinæ Sponſæ, quam
„ Chriſtus acquiſivit ſanguine ſuo, & inconſutili veſte
„ contexit.

„ Datum Nankini die 25. Januarii 1707. Pontifica-
„ tus autem SS. D. N. Clementis divina Providentia
„ Papæ XI. anno ſeptimo.

Carolus Thomas Patriarcha Antiochenus Viſitator Apoſtolicus.

Publicata Nankini die 7. Februarii 1707.

Andreas Candela S. Viſitationis Apoſtolicæ Cancell. & Miſſionarius Apoſtolicus.

MONUMENTUM V.

Litteræ Apoſtolicæ Clementis XI. quibus geſta ab Epiſcopo Macaonenſi in Card. Tournonium damnantur.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

„ AD Apoſtolatus noſtri notitiam, non ſine graviſ-
„ ſima animi noſtri moleſtia, pervenit, quod Ve-
„ ner. Frater Joannes de Cazal Epiſcopus Macaonen.
„ tametſi alias, nempe ſtatim ac ad illius manus deve-
„ nerant quædam noſtræ in ſimili forma Brevis lite-
„ ræ, quibus ei ſignificaveramus, nos in illas partes
„ ablegaſſe dilectum Filium noſtrum Carolum Thomam
„ S. R. E. Cardinalem de Tournon tunc Patriarcham
„ Antiochenum, eique munus noſtri, & Apoſtolicæ Se-
„ dis Commiſſarii, ac Viſitatoris Generalis in Sinarum,
„ & aliis Indiarum Orientalium Regnis, cum poteſta-
„ te etiam noſtri & ejuſdem Sedis de Latere Legati de-
„ mandaſſe; ipſe Joannes Epiſcopus debita reverentia,
„ atque obedientia, ut par erat, ejuſdem Caroli Tho-
„ mæ Cardinalis, tunc Patriarchæ, ac Commiſſarii,
„ & Viſitatoris Generalis juriſdictionem, abſque ulla
„ mora agnoviſſet, quinimmo id ipſum per ſuum Edi-
„ ctum publice affixum, & promulgatum, toto litera-
„ rum noſtrarum præfatarum tenore inſerto, palam de-
„ claraſſet: nihilominus poſtea tam acriter, atque im-
„ pudenter ipſius Caroli Thomæ Cardinalis, tunc Pa-
„ triarchæ, ac Commiſſarii, & Viſitatoris Generalis
„ authoritatem, poteſtatem, ac dignitatem, adeoque et-
„ iam noſtra, & dictæ Sedis jura impetere auſus fuit,
„ ut non modo per alium ſuum Edictum vigore qua-
„ rumdam aſſertarum literarum ſibi hac in re a Ven.
„ Fratre Auguſtino ab Annunciatione Archiepiſcopo Goa-
„ no ſcriptarum, illique forſan ejuſdem Auguſtini Ar-
„ chiepiſcopi Edicto conſimilium, quod dudum per alias
„ noſtras in ſimili forma Brevis die 4. Januarii 1707.
„ expeditas literas nullum, irritum, atque invalidum
„ declaravimus, publicatum, D. Carolo Thomæ Cardi-
„ nali, tunc Patriarchæ ac Commiſſario, & Viſitato-
„ ri Generali cujuſvis juriſdictionis exercitium in ſua
„ Diœceſi Macaon. interdixerit, omnemque ei a ſuis ſub-
„ ditis obedientiæ actum exhiberi prohibuerit: verum
„ etiam ejus nomine a quodam Laurentio Gomez aſſer-
„ to illius Vicario Generali adverſum dilectum filium
„ Conſtantinum a Spiritu Sancto Priorem, alioſque tunc
„ exiſtentes Fratres Conventus noſtræ Dominæ de Gra-
„ tia nuncupati Macaonen. Ordinis Eremitarum San-
„ cti Auguſtini, eo quia ipſum Carolum Thomam Car-
„ dinalem tunc Patriarcham, atque Commiſſarium, &
„ Viſitatorem Generalem honorifice excepiſſent, ad in-
„ terdicti, aliaſque pœnas, & cenſuras Eccleſiaſticas
„ non minus nulliter quam injuſte deventum fuerit. Ad
„ hæc idem Joannes Epiſcopus eo temeritatis proceſſit,
„ ut minime attendens ad petram unde exciſus fuerat,
„ quaſcumque cenſuras a prædicto Carolo Thoma Car-
„ dinale tunc Patriarcha, ac Commiſſario, & Viſitato-
„ re Generali latas pro irritis, & nullis habendas eſſe
„ publice declaravit, immo etiam contra ipſum Caro-
„ lum Thomam Cardinalem tunc Patriarcham, ac Com-
„ miſſarium, & Viſitatorem Generalem, inverſo ſane
„ pœnarum per Canonicas Sanctiones irrogatarum uſu,
„ majoris excommunicationis ſententiam promulgare non
„ erubuerit: ita plane Apoſtolicæ Juriſdictionis hoſtis,
„ & everſor factus, qui illius cuſtos, & vindex præci-
„ puus

(d) Defunctorum Progenitorum tabellas, ad ſolam memoriam atque pietatem in Nepotibus excitandam, a Sinenſibus ſervari propugnaverant Jeſuitæ; atque adeo ritum illum, non tam ſuperſtitionis, quam filialis pietatis eſſe contenderant. Et hic tamen ritus modo proſcribitur, ob id certe quod multa ſuperſtitioſa contineat. Nam præter alia tabellas illas *animarum ſedes* eſſe putant, eaſque illis aſſiſtere, ad Nepotum oblationes, & ſacrificia recipienda.

(e) Sinenſes cælum materiale, ſeu vim ipſam activam cæli colunt, uti primum rerum principium, quod plerumque Sinicis illis vocabulis exprimunt *Xam ti*, vel *Tien*. Jeſuitæ autem verum Deum, qui a Chriſtianis colitur, eiſdem ipſis nominibus nuncupabant, cælumque colendum dictitabant; ita tamen ut cæli nomine, rerum omnium conditorem per figuram intelligerent. Atque illud eſt, quod præſenti Decreto prohibetur, ne forte Sinenſes eumdem a nobis coli Deum exiſtiment, qui ab ipſis impie colitur.

(f) Hoc ipſum Decretum eſt a Jeſuita Martinio quondam extortum, facto perperam expoſito, & diſſimulatis Sinenſium actibus, quibus Confucium & Progenitores colunt; eoque ad hanc uſque diem abuſi ſunt Jeſuitæ, ad Innocentii X. Decretum, quo ritus illi anno 1645. proſcripti fuerant, eludendum, & ad Epiſcopi Cononenſis Vicarii Apoſtolici Fokienſis judicium deprimendum. Quare præſenti Edicto cavetur, ne quid ſimile contingat in poſterum.

(g) Cum Decreta duo in ſpeciem pugnantia circumferantur: alterum quidem Innocentii X. quo Sinenſium ritus, quales a Joanne Baptiſta de Morales Dominicano expoſiti fuerant, damnabantur; alterum Alexandri VII. quo iidem ritus, quales a Martinio Jeſuita multo fuco obducti fuerant, magna ex parte permittebantur, nec niſi difficulter ſciri Romæ poſſet, quinam Oratorum rem ipſam, uti veritas habet, Apoſtolicæ Sedi expoſuiſſet; idcirco ejuſdem Legato poteſtas facta eſt, ut facto rei experimento, ei maxime Decreto ſtandum ediceret, quod integra Oratoris fide niti deprehenderet. Quapropter comperta jam tandem factæ a Martinio expoſitionis falſitate, declarat nihil Alexandri Decretum Sinenſium ritibus ſuffragari, ut contra præſens mandatum defendi poſſint.

„ puus esse debuisset. Præterea adeo se immemorem „ ostendit venerabilis dignitatis sui characteris, ac in„ violabilis religionis illius jurisjurandi, quo se Deo, „ nobis, & Ecclesiæ in suscipiendo consecrationis mu„ nere obstrinxerat, ut Ministris, ac Officialibus Lai„ cis earumdem partium duriora quæque adversus di„ gnitatem, immo etiam personam præfati Caroli Tho„ mæ Cardinalis tunc Patriarchæ, ac Commissarii & „ Visitatoris Generalis molientibus se sociaverit, ac pe„ ne dux eorum, qui Christum Domini sacrilego ac „ detestabili ausu multifariam vexarunt, & forte etiam „ adhuc vexant, fieri non formidaverit: aliaque plura „ adversus ejusdem Caroli Thomæ Cardinalis tunc Pa„ triarchæ, ac Commissarii, & Visitatoris Generalis, im„ mo potius adversus nostram, & Sedis præfatæ autho„ ritatem, ac jurisdictionem attentare præsumpserit. „ Innotuit pariter nobis, quod præmissis attentis D. „ Carolus Thomas Cardinalis tunc Patriarcha, ac Com„ missarius, & Visitator Generalis, tametsi tunc tem„ poris in præfata Civitate Macaonen., non quidem a „ Paganis, sed ab Officialibus, & Ministris Christia„ nis, nulla sacri characteris, nulla præstantissimæ „ suæ dignitatis, nulla ecclesiasticarum sanctionum, „ nulla denique juris gentium, quod apud barbaras „ quoque nationes sacrosanctum, ac inviolabile est, ha„ bita ratione, multorum militum diurna, nocturnaque „ custodia ut captivus detineretur, aliisque acerbissimis „ ac plene incredibilibus injuriis, & contumeliis, ipsis „ exhorrescentibus Ethnicis, afflictus reperiretur; nihi„ lominus inter affectæ valetudinis, ac tot aliarum tri„ bulationum, quas perferebat, incommoda, crescens „ quotidie magis in charitate Christi, invictoque ani„ mo illius causam agens, postquam præcipuos ejusmo„ di sacrilegorum excessuum adversus ejus personam, ac „ dignitatem commissorum authores, ac vere iniquita„ tis filios, canonicæ severitatis mucrone percusserat, „ illosque affixis publice contra eos schedulis majoris ex„ communicationis pœnam incurrisse pronunciaverat: „ inter alia, ad quæ, ut sua, quinimmo nostra, & „ ejusdem Sedis jura fortiter tueretur, imperterrito ani„ mo devenit; omnia, & singula per Curiam Episco„ palem Macaonen. contra ipsum, ejusque Jurisdictio„ nem gesta, ut præfertur, utpote impedientia exerci„ tium muneris sibi a nobis commissi, nec non Eccle„ siasticæ libertatis & Apostolicæ authoritatis summo„ pere læsiva circumscripsit, annullavit, revocavit, ac „ uti nulliter, attentate, temere, & audacter facta de„ claravit. Sententiam insuper asserti interdicti in Fra„ tres, & Ecclesiam præfati Conventus Ordinis Eremi„ tarum Sancti Augustini, sicut præmittitur, latam, „ necnon quascumque Citationes, Mandata, Edicta, „ ac Scripturas jurisdictionem Apostolicam quomodoli„ bet lædentes, aut illi quoquo modo contrarias revo„ cari, aboleri, deleri, ac pro nulliter factis, nullius„ que roboris, ac momenti haberi, & habendas esse „ mandavit; ipsum vero Joannem Episcopum propter „ præmissa censuras omnes a Sacris Canonibus, & A„ postolicis Constitutionibus, ac præsertim Literis die „ Cœnæ Domini singulis annis legi & promulgari soli„ tis, contra similia perpetrantes inflictas damnabiliter „ incurrisse, illumque pro excommunicato & a Fidelium „ consortio segregato, & vitando haberi, & habendum „ esse similiter declaravit. Post hæc cum accepisset in „ eadem civitate Macaonen. non semel adversus Pon„ tificiæ Potestatis jura, & Ecclesiasticam libertatem „ convenisse in unum, atque in tenebrarum consilia, „ non modo Ministros, & Officiales Laicos sperantes „ auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fidu„ ciam in umbra Ægypti, sed etiam eos, qui cæteris „ lucis exempla præbere, atque utpote de altari viventes, „ vel Religioso strictioris vitæ, & obedientiæ Instituto „ addicti, Apostolicam authoritatem præcipue excolere „ debuissent, turpiter conspirasse: omnia, & singula in „ ejusmodi conventibus, seu potius conciliabulis decre„ ta, & statuta, quæ Sedis Apostolicæ præfatæ, & Ec„ clesiasticæ immunitatis jura quovis modo lædere po„ terant, uti nulla, irrita, & invalida, nulliusque ro„ boris, & momenti pariter habenda esse decrevit, o„ mnesque, & singulos cujusvis status, & conditionis, „ sive Laicos, sive Ecclesiasticos, tam Sæculares, quam „ Regulares cujuscumque Ordinis, vel Instituti, qui „ conventibus, seu conciliabulis hujusmodi interfue„ rant, ibique aut suadendo, aut consulendo, aut sub„ scribendo, aut mandando, aut alias quomodolibet, „ directe, vel indirecte Decretis, & Statutis prædictis „ consenserant, censuras, & pœnas Ecclesiasticas con„ tra hæc perpetrantes in Apostolicis Constitutionibus, „ ac potissimum Literis die Cœnæ Domini legi solitis „ supradictis contentas incurrisse; illosque propterea pro „ excommunicatis, & a fidelium gremio segregatis, & „ vitandis haberi, & habendos esse denunciavit. No„ vissime demum e remotissimis illis regionibus nobis „ significatum fuit, illatas eidem Carolo Thomæ Car„ dinali Commissario, & Visitatori generali, ejusque „ dignitati multiplices, ac pene inauditas vexationes, „ etiam postquam illuc innotuerat, eum eximiis suis ita „ exigentibus meritis ad sublimem Cardinalatus hono„ rem a nobis evectum fuisse, minime cessasse: præ cæ„ teris vero supradictum Laurentium Gomez assertum „ Vicarium Generalem Macaonen. in alium prorupisse „ gravissimum excessum; cum enim dictus Carolus Tho„ mas Cardinalis ob justas, & rationabiles causas ab „ eo expressas dilectos filios Presbyteros Regulares So„ cietatis Jesu in dicta Civitate Macaonen. existentes, „ illorumque Ecclesiam, Collegium, ac Seminarium „ Ecclesiastico Interdicto suppositisset, idem Laurentius „ non modo interdictum hujusmodi irritum, ac nullum „ temere declaravit; verum etiam suo ad id promulga„ to Monitorio, seu Edicto, omnibus & singulis Epi„ scopatus Macaonen. subditis, cujuscumque tandem gra„ dus, conditionis, & præeminentiæ existerent, ne cum „ dilecto filio Petro de Amaral Fratre expresse profesto „ Ordinis Prædicatorum, qui pro debita eidem Carolo „ Thomæ Cardinali semper, & constanter præstita obe„ dientia ærumnas plurimas magno fortique animo susti„ nuit, aliisque Fratribus Conventus Macaonen. dicti „ Ordinis, immo nec cum aliis quibuscumque sive Lai„ cis sive Ecclesiasticis, tam Sæcularibus, quam Regu„ laribus cujuscumque Ordinis, seu Instituti D. Carolo „ Thomæ Cardinali obedientiam exhibentibus consor„ tium ullum, seu commercium haberent, sub pœna „ excommunicationis per contravenientes eo ipso incur„ renda districte prohibuit, ac interdixit. Quibus per„ motus, aliisque pluribus supradicti Laurentii reati„ bus attentis, idem Carolus Thomas Cardinalis ipsum „ Laurentium excommunicatum publice declaravit, & „ tanquam putridum membrum a Christifidelium con„ sortio abscissum pronunciavit: subinde vero prædictum „ Joannem Episcopum non modo ejusdem Laurentii sui „ asserti Vicarii Generalis gesta temere ac perperam pro„ pugnantem, sed etiam secundum duritiam suam & „ impœnitens cor thesaurizantem sibi iram in die iræ, „ ac peccatum super peccatum adjicere non dubitantem, „ mense Septembri anni 1709. dilecto Filio Promoto„ re Fiscali suæ Apostolicæ Visitationis instante, ad com„ parendum infra annum in alma Urbe nostra coram no„ bis, ac se defendendum, & purgandum de excessibus „ in præjudicium Ecclesiæ, atque Apostolicæ Sedis præ„ dictæ, & contra proprium juramentum Episcopale „ commissis, necnon ad dicendum causam, quare con„ tra ipsum ad depositionis, aliasque graviores pœnas „ arbitrio nostro irrogandas, procedi non deberet, cita„ ri, ac moneri jussit, & mandavit. Cum autem ea „ omnia, quæ adversus præfatum Carolum Thomam „ Cardinalem, sicut præmittitur, decreta, gesta atque „ attentata fuerunt, quæque profecto nonnisi summo o„ mnium Christi Fidelium horrore, ac mœrore audiri „ possunt, intolerabilem prorsus Ecclesiasticæ immuni„ tatis, Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus con„ stitutæ, debitæque huic Sanctæ Sedi obedientiæ vio„ lationem, immo potius eversionem importent: adeo„ que Romanum Pontificem in suprema dictæ Sedis „ specula cum potestatis plenitudine ab altissimo collo„ catum, ad quem in primis pertinent damna, & of„ fensæ, quæ Christis Domini inferuntur, in tanta, & „ tam gravi divini omnis, atque humani juris pertur„ batione otiosum, ac desidem esse minime patiantur: „ Hinc est, quod nos, qui ex commissi nobis cælitus „ Pastoralis officii debito, quorumcumque eidem Apo„ stolicæ Sedi, sanctæque Dei Ecclesiæ competentium „ jurium, necnon quarumvis Ecclesiasticarum perso„ rum, præsertim non minus insignium meritorum, „ quam sublimis in eadem Ecclesia gradus splendore ful„ gentium, libertatis, ac dignitatis assertores in ter„ ris, ac vindices a Domino constituti sumus; tametsi „ dictus Carolus Thomas Cardinalis, quantum sibi in„ ter illas, in quibus versabatur, & forsan adhuc etiam „ versatur, angustias permissum fuit, ea omnia, quæ „ ad ipsius munus pertinebant, quæque proinde firma „ semper, & salva esse volumus, strenue, ac fideliter, „ ut præfertur, implere non prætermiserit: nihilominus „ Pontificii etiam Judicii nostri accessione Ecclesiasticæ „ Jurisdictionis indemnitati uberius consulere, nostraque, „ & dictæ Sedis jura sarta, tecta, atque illibata, quan„ tum nobis ex alto conceditur, enixius tueri, & con„ servare cupientes, necnon omnium & singulorum in „ præmissis, seu eorum occasione, tam ab eisdem Joan„ ne Episcopo, ac Laurentio Gomez ejus asserto Vica„ rio Generali, quam a prædictis Officialibus, ac Mi„ nistris, aliisve quibuscumque personis, sive Ecclesia„ sticis, sive Laicis quomodolibet actorum & gestorum „ seriem, causas, & circumstantias etiam aggravantes,

„ necnon *Officialium*, Miniſtrorum, aliorumque præfa-
„ torum *qualitates*, dignitates, nomina, & cognomi-
„ na, aliave quæcumque etiam ſpecificam, & indivi-
„ duam mentionem, & expreſſionem requirentia, præ-
„ ſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac exa-
„ ctiſſime, & accuratiſſime ſpecificatis habentes: Mo-
„ tu proprio, ac ex certa ſcientia, ac matura delibe-
„ ratione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitu-
„ dine præfata omnia & ſingula Decreta, Monitoria,
„ Ordinationes, Literas, Cenſuras, Declarationes, Re-
„ ſolutiones, Interdicta, Mandata, & Edicta, ac alia
„ quælibet tam Joanne Epiſcopo, & Laurentio Go-
„ mez ejus aſſerto Vicario Generali, quam ab Of-
„ ficialibus, & Miniſtris ſupradictis, aliiſque quibuſvis
„ perſonis tam Sæcularibus, quam Eccleſiaſticis, ſive
„ Laicis cujuſcumque tandem ſtatus, gradus, conditionis
„ & dignitatis fuerint, quam cujuſvis Ordinis, Con-
„ gregationis, Inſtituti, & Societatis etiam Jeſu, Re-
„ gularibus in præmiſſis, ſive eorum occaſione adverſus
„ perſonam ſeu dignitatem ſupradicti Caroli Thomæ
„ Cardinalis Commiſſarii, & Viſitatoris Generalis, ſeu
„ alias in præjudicium libertatis, Immunitatis, & ju-
„ riſdictionis Eccleſiaſticæ, atque authoritatis Apoſtoli-
„ cæ reſpective quovis modo edita, promulgata, ſcri-
„ pta, lata, acta, facta, geſta, & perpetrata cum o-
„ mnibus, & ſingulis inde ſequutis, & forſan quando-
„ cumque ſequuturis penitus, & omnino nulla, irrita,
„ invalida, iniqua, injuſta, damnata, reprobata, ina-
„ nia, temeraria, & a non habentibus poteſtatem da-
„ mnabiliter attentata, ac de facto præſumpta, nulliuſ-
„ que roboris & momenti, vel efficaciæ eſſe, & ab
„ initio fuiſſe, & perpetuo fore, neminemque ad illo-
„ rum obſervantiam teneri; immo nec ea a quopiam
„ obſervari poſſe vel potuiſſe, neque illa ullum ſtatum
„ facere vel feciſſe, ſed perinde ac ſi numquam ema-
„ naſſent nec facta fuiſſent, pro non extantibus & non
„ factis perpetuo itidem haberi debere, tenore præſen-
„ tium declaramus. Et nihilominus ad majorem, &
„ abundantiorem cautelam, & quatenus opus ſit, illa
„ omnia, & ſingula, motu, ſcientia, deliberatione, &
„ poteſtatis plenitudine paribus, harum ſerie damna-
„ mus, reprobamus, revocamus, caſſamus, irritamus,
„ annullamus, & abolemus, viribuſque, & effectu pe-
„ nitus, & omnino vacuamus, ac pro damnatis, re-
„ probatis, revocatis, caſſatis, irritis, nullis, invali-
„ dis, & abolitis, viribuſque, & effectu penitus, & o-
„ mnino vacuis ſemper haberi volumus & mandamus.
„ Firmas præterea, ac ſalvas eſſe ſimiliter volumus,
„ atque decernimus quaſcumque cenſuras, & pœnas
„ Eccleſiaſticas, ſive a jure, ſive a præfato Carolo
„ Thoma Cardinale latas, & promulgatas, quas
„ præfati, & alii quilibet, qui præmiſſa perpe-
„ trarunt, necnon adhærentes, fautores, & defenſo-
„ res eorum, ſive qui illis auxilium, conſilium,
„ vel favorem quomodolibet præſtiterunt, propter
„ eadem præmiſſa quovis modo incurrerunt, a quibus
„ poſt condignam Eccleſiæ præſtitam ſatisfactionem
„ nonniſi a nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore
„ exiſtente, vel etiam ab ipſo Carolo Thoma Cardi-
„ nale aliove Commiſſario, & Viſitatore generali di-
„ ctarum partium ſimiliter pro tempore exiſtente (præ-
„ terquam in mortis articulo, & tunc cum reincidenti-
„ a in eaſdem cenſuras eo ipſo, quo convaluerint)
„ abſolvi & liberari valeant: Facultate inſuper non ſo-
„ lum nobis, & huic ſanctæ Sedi, ſed etiam ipſi Ca-
„ rolo Thomæ Cardinali, ſeu pro tempore exiſtenti
„ Commiſſario, & Viſitatori generali prædicto expreſſe
„ reſervata, quatenus illi minime redierint ad cor, ſed
„ in ſua contumacia perſiſtentes cenſuras, & pœnas
„ Eccleſiaſticas hujuſmodi animo, quod abſit, ſubſti-
„ nuerint indurato, ad alia canonica, & ſeveriora re-
„ media quandocumque procedendi. Decernentes etiam
„ eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcum-
„ que etiam ex eo, quod præfati, & alii quicumque
„ in præmiſſis, ſeu eorum aliquo jus, vel intereſſe ha-
„ bentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujuſ-
„ vis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & digni-
„ tatis exiſtant, ſeu alias ſpecifica, & individua men-
„ tione, & expreſſione digni illis non conſenſerint,
„ nec ad ea vocati, citati, & auditi, cauſæque pro-
„ pter quas præſentes emanarint ſufficienter adductæ,
„ verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, aut ex alia
„ qualibet etiam quamtumvis juridica, & privilegiata
„ cauſa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore
„ juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & tota-
„ lis læſionis nullo unquam tempore de ſubreptionis
„ vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis
„ noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quo-
„ libet etiamſi quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac
„ inexcogitato, & inexcogitabili defectu notari, impu-
„ gnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari,
„ aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas ape-
„ ritionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quod-
„ cumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari,
„ vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu,
„ ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo,
„ vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud
„ uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed ipſas præ-
„ ſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exi-
„ ſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus
„ ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, &
„ pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter,
„ & inconcuſſe obſervari; ſicque, & non aliter in præ-
„ miſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delega-
„ tos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores,
„ ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de Latere
„ Legatos, & ejuſdem Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes,
„ & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis
„ aliter judicandi, & interpretandi facultate, & autho-
„ ritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & ina-
„ ne, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis authorita-
„ te, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non
„ obſtantibus præmiſſis, ac quatenus opus ſit, noſtra,
„ & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de jure quæſito
„ non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſali-
„ bus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis edi-
„ tis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, &
„ ordinationibus, necnon Eccleſiæ Macaonenſis, & quo-
„ rumcumque Ordinum, Congregationum, Inſtituto-
„ rum, & Societatum, etiam Jeſu, aliiſve quibuſvis
„ etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel qua-
„ vis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudini-
„ bus, ac uſibus & ſtylis, etiam immemorabilibus:
„ Privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis
„ Eccleſiæ Macaonen. Ordinibus, Congregationibus,
„ Inſtitutis, & Societatis etiam Jeſu, prædictis, illo-
„ rumque reſpective Præſulibus ſuperioribus, & per-
„ ſonis, aliiſque quibuslibet, etiam quantumvis ſubli-
„ mibus, & ſpecialiſſima mentione dignis, ſub quibuſ-
„ cumque verborum tenoribus, & formis, ac cum qui-
„ buſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque
„ efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ir-
„ ritantibuſque, & aliis Decretis, etiam motu, ſcien-
„ tia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſeu ad qua-
„ rumcumque perſonarum etiam Imperiali, Regali,
„ aliave qualibet mundana, vel Eccleſiaſtica dignitate
„ fulgentium inſtantiam, aut earum contemplatione,
„ ſeu alias quomodolibet in genere, vel in ſpecie, et-
„ iam conſiſtorialiter in contrarium præmiſſorum con-
„ ceſſis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiſ-
„ cumque vicibus approbatis, confirmatis, & innova-
„ tis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illo-
„ rum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis
„ tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua,
„ ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas ge-
„ nerales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia
„ expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad
„ hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de ver-
„ bo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in
„ illis tradita obſervata, exprimerentur, & inſererentur præſentibus, pro plene, & ſufficienter expreſſis,
„ & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore per-
„ manſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dunta-
„ xat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ac derogatum
„ eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.
„ Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum
„ tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu ali-
„ cujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ
„ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem
„ prorſus fides tam in judicio, quam extra illud ubi-
„ que adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur,
„ ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

„ Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſca-
„ toris die 15. Martii MDCCXI. Pontificatus noſtri
„ anno XI.

F. Olivierius.

MONUMENTUM VI.

VERBA

Per Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Clementem Papam XI. habita in Conſiſtorio ſecreto fer. IV. 14. Octobris 1711. de obitu Cardinalis de Tournon.

„ VEnerabiles Fratres. Sæpius Nos ex hoc loco pu-
„ blica mala deflevimus; domeſticam hodie no-
„ ſtram, ac veſtram itidem jacturam dolemus; niſi ta-

„ men

„ men & publica dici illa mereatur; quamquam, cum „ noſtra, & veſtra ſit, cenſeri etiam debet univerſæ „ Eccleſiæ calamitas. Bene jam intelligitis, de acerbo „ Nos obitu *Caroli Thomæ* Cardinalis de Tournon „ verba facturos. Amiſimus, Venerabiles Fratres, ami- „ ſimus orthodoxæ Religionis zelatorem maximum: „ Pontificiæ auctoritatis intrepidum defenſorem: Eccle- „ ſiaſticæ diſciplinæ aſſertorem fortiſſimum: magnum „ Ordinis veſtri lumen, & ornamentum. Amiſimus „ filium noſtrum, Fratrem veſtrum, plurimis, quos „ pro Chriſti cauſſa ſuſcepit, laboribus attritum, diu- „ turnis, quas pertulit, ærumnis confectum, contume- „ liis, quas forti magnoque animo ſuſtinuit, innume- „ ris velut aurum in fornace probatum. Hæc tamen „ ſi recte perpendantur, tantum abeſt ut ad cumulan- „ dum luctum noſtrum ſint apta, ut potius omnem do- „ loris ſenſum ab animis noſtris abſtergant. Neque e- „ nim, juxta monitum Apoſtoli, contriſtari de dor- „ mientibus debemus, ſicut & cæteri, qui ſpem non „ habent. Pretioſam in conſpectu Domini piiſſimi Car- „ dinalis mortem fuiſſe, juſte ſperare Nos jubet exi- „ mius ille Catholicæ fidei propagandæ zelus, quo ubi „ primum ad Apoſtolicum miniſterium a Deo vocatus „ per Nos fuit, illico obtemperans humiliter, Aulam, „ Urbem, parentes, conſanguineos, amicos, eaque o- „ mnia, quæ natura cuique gratiſſima facit, alacri, ſi- „ cuti noſtis, animo dereliquit, longiſſimoque itineri, „ ac periculorum pleno ſe committere non dubitavit. „ Sperare Nos jubet ardens illa charitas, qua tot re- „ motiſſimis terrarum, mariumque ſpatiis peragratis, „ nunquam fecit animam ſuam pretioſiorem quam ſe: „ ac foras miſſo timore, loquutus fuit de teſtimoniis „ Domini in conſpectu Regum, & non fuit confuſus: „ ſemperque in tribulationibus gaudens, pergratum Deo „ & Angelis ejus ſpectaculum exhibuit. Sperare Nos „ jubet excelſus ille humanarum rerum contemptus, „ quo ampliſſimam dignitatem, ad quam, ſuis ita „ abunde exigentibus meritis, a Nobis evectus fuerat, „ & a qua nihil aliud, quam pro Eccleſia & pro „ Chriſto uſque ad ſanguinis effuſionem incluſive, im- „ perterrite decertandi onus, ac monitum acceperat, „ dimiſſurum ſe potius, quam in Europam, Miſſioni- „ bus Sinicis derelictis, remigraturum, ſerio ad Nos „ ſcripſit, & palam profeſſus fuit. Sperare Nos jubet „ ſingularis illa pietas, qua in ſupremis ſuis tabulis, „ relicta pauperibus pecunia, conſanguineis legata cru- „ ce, propagandæ fidei Opus vere ſanctiſſimum ex aſſe „ ſcripſit heredem: illuſtre Nobis documentum relin- „ quens, quæ & qualia eſſe debeant eorum teſtamen- „ ta, qui de Altari vixerunt, & Eccleſiæ miniſteriis „ ſe addixerunt. Sperare Nos demum jubet invicta illa „ Sacerdotalis roboris conſtantia, qua vir vere Apoſto- „ licus, tametſi ſuſtentaretur pane tribulationis, & „ aqua anguſtiæ, officium tamen ſuum nunquam dimi- „ ſit: ac non minus diuturnæ cuſtodiæ injuriis, quam „ aliis graviſſimis vexationibus ad ſupremum uſque vi- „ tæ ſpiritum fortiter toleratis, curſum conſummavit, „ fidem ſervavit. Quid ergo reliquum eſt, niſi quod „ & merito etiam ſperemus, repoſitam ei fuiſſe coro- „ nam juſtitiæ? Ita ſane & juſte ſperare Nos conve- „ nit. Verum, quia id facit humana fragilitas, ut de „ mundano pulvere etiam religioſa corda ſæpe ſorde- „ ſcant, Noſtras pro defuncti Cardinalis anima ad „ Deum preces, atque ſuffragia deeſſe, chriſtianæ cha- „ ritatis ratio non patitur. Id & privatim hactenus „ Nos ipſi ſæpius agere non omiſimus, ac, ut aliquid „ præter morem erga inſuetæ virtutis viri memoriam „ peragamus, publicis inſuper in Pontificio noſtro Sa- „ cello exequiis ſtata die vobis indicenda ſolemni ritu „ præſtabimus. Firmam interim in ſpem adducimur, „ fore ut Cardinalis de Tournon Sinenſem Miſſionem, „ quam vivens dilexit, etiam e cæleſti ſtatione benigno „ vultu reſpicere non dedignetur, ſuaque ope id in pri- „ mis efficiat, ut quod ipſe anxiis adeo votis exopta- „ vit, avulſis tandem ex illo agro, quæ inimicus ho- „ mo ſuperſeminavit, zizaniis, Catholicæ fidei ſeges „ illic refloreſcat, & ad majorem divini Nominis glo- „ riam uberius in dies multiplicetur.

MONUMENTUM VII.

ORATIO

Habita in Sacello Pontificio V. Kal. Decemb. A. D. MDCCXI. in funere Card. Caroli Thomæ Maillard de Tournon &c. a Carolo Majello ab intimo SS. Domini Sacello, & altero Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto,

„ TAnta mihi, *Beatiſſime Pater*, in hodierna cele- „ britate oboriuntur argumenta lætitiæ, ac tan- „ tus Apoſtolicæ virtutis ſplendor affulget, ut hic fu- „ neris ornatus ad triſtitiam inſtructus, qui cæteris „ mortuorum laudationibus ſuffragari conſuevit, invi- „ ſus orationi meæ, atque importunus objiciatur. Nam „ qui antea ex hoc loco indictis exequiarum honori- „ bus, Virorum Principum memoriam ſupremo laudis „ officio ſunt proſequuti, cum chriſtianæ rei jacturam „ plerique oratione defleverint, funebrem tumuli appa- „ rationem nacti ſunt mœroris ſui ſenſibus obſecundan- „ tem: mihi vero ſacrarum rerum non detrimenta, „ ſed eximia quædam triumphi ſpecies in ipſa mortis „ recordatione obverſatur. Dicendum eſt enim de im- „ mortalis memoriæ viro S. R. Eccl. Cardinale *Ca- „ rolo Thoma Maillard de Tournon*, qui rebus ſapien- „ ter, & fortiter ad extremum uſque ſpiritum geſtis, „ in aſperrima Sinenſi, & Indica expeditione mirificum „ propagandæ Catholicæ Religionis ſtudium præſtitit, „ ac Sedis Apoſtolicæ authoritatem & jura vindicavit. „ Cujus itineribus, periculis, ærumnis, morborum, „ mortiſque cruciatibus pro Dei gloria ſummopere ap- „ petitis, atque alacri animo exceptis, ac ſuperatis, „ ſicut nihil eſſe potuit Chriſto ſpectatori jucundius; „ ita nihil eſſe debet ad excitandam omnium Chriſtia- „ norum, atque adeo hujus ſanctiſſimi Conventus hila- „ ritatem vehementius. Jure itaque optandum erat, ut „ militem Chriſti, nec maris, nec barbariæ, nec mor- „ tis diſcrimina pertimeſcentem triumphali potius ritu, „ apparatuque, trophæis, imaginibus, literiſque facto- „ rum teſtibus, magnifico opere extructa mole exhibe- „ remus. Præſertim, quod ita non ſolum juſta fortiſ- „ ſimo Athletæ officia ſolverentur, ſed mea quoque „ laudantis infirmitas plurima ope relevaretur. Nam „ quæcumque mihi verbis aſſequi non licet, ipſa pom- „ pæ inſignia oculis, & animis affigerent, & inferrent: „ nec rerum magnitudini quidquam loquendi inopia de- „ tractum iret. Sed quoniam divino conſilio datum eſt, „ ut optimi Cardinalis egregia virtus inter adverſa po- „ tiſſimum emineret; ſentio memoriam *illius*, & glo- „ riæ curſum vitæ curſibus obſequentem, cum recorda- „ tioni rerum geſtarum nulla artis ſolertia opituletur, „ immo adverſantem illa patiatur oratoris infantiam. „ Eo tamen fiet, ut nihil de claritate meritorum, aut „ imagines, aut ſigna, aut eloquentia ſibi decerpant. „ *Turnonium* igitur ſolis divinorum beneficiorum lumi- „ nibus expreſſum attendite, immo expreſſum in eo „ Evangelici Miniſtri ſimulacrum, atque una divinæ „ Sapientiæ triumphos, quæ certamen forte dedit illi, „ ut vinceret. Hujus ego certaminis ubi fuero multi- „ plicem, aſperam, atque inuſitatam conditionem exe- „ quutus, tunc omnes intelligent, quibus armis victor „ e pugna, vitaque *Carolus Thomas* exceſſerit. Nihil „ habuit antiquius, Pontificatu inito, Clemens XI. „ quam ut ad extremas Sinenſis Imperii, & Indiarum „ Orientalium plagas Apoſtolicam providentiam inten- „ deret, ubi primordia chriſtiani nominis ad ſpem u- „ berrimæ ſegetis ſuboleſcentia ſenſerat diaboli dolis, „ & artibus attentari; atque interceptum prope Evan- „ gelicæ doctrinæ iter ut explicaret, nihil pietati, vi- „ gilantiæ, conſiliiſque ſuis reliquum fecit. Intellige- „ bat Pontifex ſapientiſſimus, in tanta locorum diſtan- „ tia, atque ultimis illis terrarum, mariſque receſſi- „ bus, naſcenti Eccleſiæ rite proſpici non poſſe, niſi „ qui authoritate valeret in rem præſentem veniret, & „ populorum ritibus, cæremoniis, moribus exploratis, „ depravata emendaret, turbas incrementa Religionis „ interpellantes extingueret, & tradendi Evangelii ex- „ planatam regulam, præſcriptionemque proponeret. „ Quo ipſe Pontificali ardore æſtuabat palam profeſſus „ eſt, nihil ſibi gratius fuiſſe futurum, quam ut pro- „ vinciam illam vere Apoſtolicam præſens obiret, „ viamque ſollicitudine omnium Eccleſiarum interclu- „ ſam indoluit. Quem igitur unum ampliſſima poteſta- „ te auctum delegaret a Deo Patre luminum diuturnis „ precibus cum flagitaſſet, in *Carolum Thomam Tur- „ nonium* ita oculos conjecit, ut divino quodam inſtin- „ ctu ad illum deligendum excitari ſe, urgeri, impelli- „ que affirmaret. Tournoniæ gentis nobilitas, non pie- „ tate minus quam vetuſtate, & honoribus commen- „ datiſ-

„ datiſſima, & majorum exempla, qui ſtrenua, & fi-
„ deli opera ſeſe, & Romanam Purpuram celebrave-
„ runt, indolem Caroli Thomæ ſacris laboribus de-
„ ſponderant. Excultum eccleſiaſticis ſtudiis ingenium,
„ jam antea lauream Theologiæ, & Canonici Juris
„ commeritum, mores ad ſummam Religionem com-
„ poſitos, traductam aſſiduis innocentiæ argumentis æ-
„ tatem, animi candorem, fidem, ſapientiam, fortitu-
„ dinem, ac ſummum Dei gloriæ amorem perſpexerat
„ ſanctiſſimus Pontifex tum præſertim, cum ſacri Cu-
„ biculi honore donatum, iis negotiis tranſigendis pro-
„ bavit, unde divinis rebus maxime conſultum vellet,
„ quo illum ratus eſt, nullis humanarum neceſſitudi-
„ num rationibus pericula novæ militiæ detrectaturum.
„ Et quidem præter modeſtiæ obteſtationem, qua ſe
„ votis ejus imparem faſſus eſt, opinione alacriorem
„ invenit, oblataque difficultatis ſpecie non deterritum,
„ ſed provocatum, atque imperatis ultro obſequentiſſi-
„ mum. Non hæc levia fuere certaminis præludia, ſed
„ cum ærumnarum conferto agmine congreſſus acerri-
„ mus. Tunc ille tota acie conflixit, & debellavit,
„ cum ſimul omnia animo objecta pro Chriſto contem-
„ pſit, quæ deinde ſingula in laborioſiſſimo curriculo ſu-
„ ſtineret; adverſam valetudinem, longiſſimos & infe-
„ ſtos curſus navigationis, inhoſpita maria, barbaras
„ terras, efferatas gentes, ancipitem acceſſum, reditum
„ vix ſperandum. Quanti ea duceret Carolus, ſatis o-
„ ſtendunt litteræ illæ, quibus Marchionem Turno-
„ nium parentem ſuum rei totius certiorem fecit, quas
„ cum ſæpius relego, veterum Confeſſorum magnani-
„ mitatem repræſentantes, Deo Opt. Max. gratulari
„ geſtio, quod in Eccleſia ſua nova ſemper inſtauret
„ exempla virtutum. Cum enim nullas vitæ illecebras
„ ſibi cunctationem obtuliſſe, ac beatiſſimam ſortem
„ futuram ſcripſiſſet, ſi pro Apoſtolica Romana Reli-
„ gione mortem occumberet, Patrem oravit, ut Abra-
„ hami virtutem imitatus, ſacrificium filii merito ſuæ
„ alacritatis augeret, & quam filio vitam dederat,
„ Deo auctori libens offerret. Nimirum tantum aberat,
„ ut ſuorum deſiderio retardaretur, ut illos potius ad
„ fœdera pietatis incenderet; nec jura ſanguinis ultra
„ valere pateretur, quam ad Chriſtianæ obedientiæ
„ ſanctiſſimam communionem. Salutem igitur commen-
„ datarum ſibi gentium anhelantem, & Patriarcham
„ Antiochiæ renunciatum Clemens XI. epiſcopalibus
„ ſacris initiavit auſpicatiſſimo die S. Thomæ Apoſto-
„ li, cui imbuendi chriſtianis myſteriis Indi orientales
„ ſortito evenerant, quo feſto die Carolus Thomas fue-
„ rat in lucem editus, Deo deſtinante, Thomæ Apo-
„ ſtoli provinciam, & ſollicitudinem ſubiturus. Mox
„ omni humanarum curarum impedimento explicatus,
„ & perſolutis chriſtianæ caritatis officiis amicos, con-
„ ſanguineos, Urbem, patriam, domum non amplius
„ repetendam ſuprema ſalute impartivit, & quo per
„ Clementem a Deo legabatur, relictis omnibus, ſe-
„ quutus eſt Chriſtum. Hac quidem magnanima rerum
„ cariſſimarum abdicatione ſancti plerique viri in chri-
„ ſtianis caſtris confecere ſtipendia ſanctitatis; & cum
„ propter nomen Chriſti ſua reliquiſſent, uno illo ſe-
„ cundo prælio perfuncti evocati ſunt ad coronam. Sed
„ ubi veteranis militibus propoſita ſunt ultima experi-
„ menta virtutis, ibi Carolo Thomæ poſitum eſt militiæ
„ tyrocinium, immo potius auctoramentum. Nondum
„ enim ad ſibi commiſſa externa, & tranſmarina bella ſe
„ comparaverat, cum inteſtina prius, & domeſtica natu-
„ ræ, & ſanguinis oppreſſit & profligavit, inde auſpicatus
„ ſtudium laboris, ubi metam Evangelicæ laudis alii te-
„ nuiſſent. Sed jam abeuntem, atque ad Indias pro-
„ perantem Carolum oratione proſequamur inter ea im-
„ menſi Oceani pericula, quorum ſola cognitione ex-
„ horreſcere conſuevimus. Sæpe illi quidem in longa
„ multorum menſium jactatione inter incredibiles mole-
„ ſtias de capite dimicatum eſt; ſemel tamen teſtatiſſi-
„ ma Dei ope ſervatus eſt, cum conclamata omnium
„ ſalute ſe chriſtianis præſidiis, & vectores ad mortem
„ ſubeundam communiſſet. Pelago enim maxime ſæ-
„ viente, ubi Turnonius ſacroſanctæ Crucis ſignum
„ chriſtiano more turbinibus objecit, repente concidit
„ vis tempeſtatis, ut vitam quidem pro Chriſto impen-
„ dendam ad illuminandas provincias afferret, nec illi
„ multiplicata contemptæ mortis victoria ſubduceretur,
„ antequam cum hoſte decerneret. Cui ſcilicet datum
„ erat, non ut aliis commilitonibus Chriſti, irruentes
„ modo hoſtes bello refutare, ſed abditos laceſſere, &
„ per plurima certamina imperium ſuperſtitionis quæ-
„ rere, cui ſigna, & arma veritatis inferret. Inter
„ maxima navigationis incommoda illud unum triſte ac-
„ cidit Carolo, quod contracto morbo, cujus pertina-
„ cia diutiſſime vexatus eſt, metueret, ne qua mora ſa-
„ cris laboribus occurſaret. Vicit tamen languorem cor-
„ poris animi robur; nam ubi Inſulas optatiſſimas at-
„ tigit, quamquam ſæpe affectis viribus decumbere co-
„ geretur, non ad valetudinem reparandam, ſed ad ſa-
„ lutem populorum curas advertens, ut ſanctitas veræ
„ Religionis ſanctiſſimis vitæ exemplis commendaretur,
„ incredibile dictu eſt, quibus virtutum argumentis,
„ qua benignitate, qua vigilantia, qua liberalitate,
„ quo fluxarum rerum neglectu Evangelicum opus cun-
„ ctis probaverit. Eccleſiarum neceſſitates explorare,
„ inopiam levare, obſtantia removere, excitare deſides,
„ fovere alacres, & leges ſapientiſſimas augendæ Reipu-
„ blicæ Chriſtianæ præſcribere, ut hominem tanquam
„ e Cælo ſibi demiſſum univerſi ſuſpicerent, qui non
„ ſua quæreret, ſed quæ Jeſu Chriſti; qui forma factus
„ gregis ex animo, ut maxima dignitate cæteris præluceret, ita contentiſſimo labore omnibus anteiret, &
„ bonum certamen fidei certaret, ut apprehenderet vi-
„ tam æternam. Inſulis luſtratis, Sinenſi tandem lito-
„ ri appulit, atque agrum illum, quem venditis omni-
„ bus comparaverat, Sponſamque ſibi ſanguinum futu-
„ ram conſalutavit. Terræ vix expoſito novum belli
„ genus, durius illud quidem, & periculoſius oblatum
„ eſt, potentiſſimo Sinarum Imperatore in omnes ho-
„ nores effuſo, & Magiſtratibus, populiſque in cultum,
„ & obſervantiam Apoſtolici Legati certantibus. Re-
„ giæ menſæ adhibitum ſingularibus honorificentiæ ſigni-
„ ficationibus pro more gentis Imperator accepit; ejuſ-
„ que ſapientiam, officia, dictorumque gravitatem de-
„ miratus, gratias, inquit, ſe Summo Pontifici habere
„ maximas, quod tantæ prudentiæ virum ad ſe legaſ-
„ ſet; tum magnificis muneribus tam large cumulavit,
„ nihil ut voluntatis & benevolentiæ deſiderandum ſu-
„ pereſſe videretur. At vir Apoſtolicus, qui legatio-
„ ne pro Chriſto fungebatur, nec honores, aut opes
„ conquiſiturus Sinenſes regiones obibat, invictum ani-
„ mum inter honoris blandimenta geſſit, quem inter
„ adverſa ſervaverat. Imperatorem enim de Chriſtia-
„ na Religione percunctantem pro tempore ita excepit,
„ ut nec veritati deeſſet, nec de conſtantia decederet;
„ atque Ethnici quidem hominis errores aperiret, te-
„ meritatem vero judicii declinaret. Quamobrem ſuc-
„ centuriatæ hactenus poteſtates tenebrarum in apertam
„ vim ex occultis inſidiis eruperunt. Imperatoris edi-
„ ctum de Sinenſium ritibus affertur, cui Legatus Apo-
„ ſtolicus obedientiam profiteatur. Poſtulationem a ca-
„ nonicis inſtitutis abhorrentem, & Romanæ Eccleſiæ
„ refragantem deteſtatus *Tournonius* in repentinam, nec
„ improviſam temporum aſperitatem conjectus eſt. Ex-
„templo enim fraudulenta Aulæ benignitas in virulen-
„ta odia conceſſit, minæ ubique atrociſſimæ perſtre-
„ puerunt, & offenſiones Imperatoris, ac gentis aviti er-
„ roris tenaciſſimæ extrema omnia denunciabant. *Tur-*
„ *nonius*, quanquam ad impetum coorti turbinis mole-
„ ſtiſſima corporis ægritudo acceſſiſſet, nihil omiſit, quo
„ impendentem eccleſiaſticæ vineæ vaſtitatem averteret;
„ ſed cum ſecum reputaret, Cruce Chriſti ſubnixam Ec-
„ cleſiam Confeſſorum ærumnis increbuiſſe, ſuos hortatus,
„ ut magno animo hoſtem opperirentur, adeſſe ſibi diem,
„ quem votis expetiverat, atque inter rudimenta Sinenſis
„ Eccleſiæ primæva Chriſtianorum tempora renovata eſſe
„ gratulabatur. Conſuetis ergo Ethnicorum calumniis ap-
„ petitus, quod publicam quietem perturbaret, toto Im-
„ perio proſcribitur. Minaciſſimæ literæ proſcriptionem
„ comitantur; literis terror necis adjicitur; necem vero
„ ipſam inſultantium ludibria acerbitate ſuperarunt.
„ His fluctibus agitatus, columbæ ſimplicitate, & ſer-
„ pentis prudentia, quas ex Evangelio expreſſerat, pri-
„ mum modeſtiſſima epiſtola apud Imperatorem illatas
„ calumnias depulit; tum tuendæ Religioni intentus,
„ de abolendis Sinenſium ritibus Apoſtolicam ſenten-
„ tiam edictis propoſuit, & rem periculi plenam,
„ quam favente Aula vix experiri licuiſſet, aggreſſus
„ eſt, Rege, & Regno furente, & nequidquam ſilen-
„ tium indicente, cum, Apoſtolis docentibus, non poſ-
„ ſet quæ audiverat, non loqui. Quantam ipſe rebus
„ ſuis pugnam, clademque conciret, non ignorabat;
„ ſed officii duxit, ut Religione periclitante, in caput
„ ſuum potius perniciem arceſſeret. Neque enim face-
„ re poterat, quin Miniſtros Eccleſiæ regio accitu ad
„ Aulam commeantes, de contaminatis cæremoniis re-
„ ſponſuros, ad omnem inquiſitionis ſubtilitatem in-
„ ſtrueret; quippe quem non prudentia carnis erudive-
„ rat, ut ementitæ dexteritatis nomine tempori cede-
„ ret, cum fierent greges in rapinam, & oves in de-
„ vorationem; ſed Clementis præcepta, & Dei verba
„ informaverant, ut gladio veniente ſpeculator buccina
„ inſonaret, ut aſcenderet ex adverſo, & murum
„ opponeret pro domo Iſrael. Heu terras deplo-
„ randis tenebris conſepultas, futuras quidem tanto
„ cultore beatas, ſed illo ejecto voluntaria cæci-
„ tate, & ſempiterno exitio miſerandas, qualem veri-
„ tatis præconem, & vindicem pepuliſtis! Quibus lu-

„ mini-

„ minibus populos veſtros orbaſtis! Quid vineæ ſuæ, „ quid vobis redimendis ultra facere *Clemens* Paterfa- „ milias poterat! Servos alios comprehendiſtis, alios ce- „ cidiſtis; noviſſime filium ſuum, cujus dignitatem ſpe- „ raverat verituras, diro exilio multaſtis. Non ille Re- „ gni pacem turbaturus advenerat; ſed Evangelio pacis „ truculentam diaboli tyrannidem everſurus. Illatum „ tamen veſtræ captivitati bellum vivens ipſe non deſe- „ ret, moriens redintegrabit, & morte obita ſperare „ licet cæleſti præſidio confecturum. Ad initia demum „ teterrima devenimus. Quanquam enim ſatis ad coro- „ nam certatum eſſe videatur; nondum tamen certa- „ mina commiſſa ſunt Turnonio digna, & heroica „ duntaxat fortitudine ſuſtinenda. Machaonenſem ad „ urbem in cuſtodiam Imperatoris juſſu tradendus Pa- „ triarcha deportatur; qua in arena pugilem Chriſti „ per duriſſima quæque inferorum rabies exercuit. Sen- „ ſit tamen, verbum Dei non eſſe alligatum, neque „ ullis poſſe vinculis mancipari chriſtianam libertatem, „ cum vidit decretis, legibus, authoritate oppreſſori- „ bus imperantem, & ex ipſa adverſorum conflictione „ erectiorem. Quare humani generis hoſte in omnem „ atrocitatem excito, ut ſeveriori animadverſioni præ- „ texerentur cauſæ, novorum criminum Carolo Tho- „ mæ conflata eſt invidia. Miſſa militari manu cum „ urgeretur, ut ſe omni juriſdictione legationis abdica- „ ret, conſueta animi præſentia reſpondit, fidem San- „ ctæ Sedi obſtrictam ſibi eſſe vita ipſa potiorem, ani- „ mamque ſe libentiſſime daturum, ne debitæ Romano „ Pontifici obedientiæ derogaret. Tunc imperata facere „ abnuenti, tanquam novi maleficii reo, ſententiam „ cuſtodiæ arctioris indicunt; ſtatione pro foribus excu- „ bante occluſi aditus, interdicta commercia, atque ab- „ rogata per ſummam temeritatem Apoſtolico Legato „ omnis authoritas. Tum atrociori crimini datum eſt, „ quod tres ex inclita Prædicatorum familia divini ope- „ ris miniſtros eadem tempeſtate jactatos, cum egeſtate „ miſerrima agerentur ad interitum, reficiendos exce- „ piſſet. Hæc eſt delictorum gravitas, quæ integerri- „ mum Patriarcham in novam malorum colluvionem peſ- „ ſundedit: his fidei, & miſericordiæ ſenſibus, quos „ religio, & natura animis indidit, tanto inimicorum „ odio conflagravit; qui tamen ejus laudi ſerviunt, et- „ iam cum facinora objectant; nam crimina ipſa, quæ „ ſuppliciis vindicarunt, ad perpetuam Turnonii com- „ mendationem redundabunt. Tantis cum malis Tur- „ nonius integris adhuc viribus luctabatur, cum Cle- „ mentis XI. judicio, & bonorum omnium præconio „ palmam emeritus, Romana Purpura donatus eſt, „ quo die Petri vincula ſolemni ritu venerabatur Ec- „ cleſia; tanquam Beatiſſimus Apoſtolorum Princeps „ ſocium vinculorum, gloriæ quoque ſocium deſigna- „ ret. Ex eo tamen collatæ dignitatis beneficio ad Cle- „ mentem quidem juſtæ laudes, ad cæteros ſumma læ- „ titia, ſola vero ad Carolum Thomam novorum flu- „ ctuum procella pervenit. Relata enim honoris inſi- „ gnia cum accepiſſet, tanto furore ad illum perden- „ dum bacchati ſunt hoſtes, ut auſpicia fundendi ſan- „ guinis, novo Purpuræ ſacramento ſuffragante, læta- „ bundus amplecteretur. Fugam illum moliri, atque in „ Europam cogitare comminiſcuntur: eoque obtentu, „ ita præſidio vallatæ ſunt ædes patientiſſimi Cardina- „ lis, ut negata etiam cibis inferendis via, longa fame „ tabeſceret. Quos interea inſultus, quæ probra, quæ „ convicia devoraverit, prætermittere animus jubet, „ quem ſatis diu contriſtavit commemoratio deteſtandæ „ crudelitatis. Tempus eſt, ut ad ſpectaculum Chri- „ ſtianis & Angelis pulcherrimum oculos convertamus, „ & admirabilem Turnonii tranquillitatem inter tantas „ furentium turbas intueamur. Sunt enimvero inhabi- „ tantis virtutis Chriſti effectus inſignes, quos non „ mundi ſapientia, ſed crucis ſtultitia intelligit, gloria- „ ri de contumeliis, ſuperabundare gaudio in omni tri- „ bulatione, mortem ambire, & omnia tormenta dia- „ boli provocare. Hos fructus Crucis dulces gutturi „ ſuo cum deguſtaſſet Turnonius, nihil aliud verebа- „ tur, quam ne ſibi eriperetur corona ſupplicii. Qua- „ re literis abſentes, crebris ſermonibus familiares ob- „ teſtabatur, uti a Deo impetrarent, ne confeſſionis „ ipſi curſus interſiſteret, & oppetendæ mortis oppor- „ tunitas dilaberetur. Hinc inflammata illa virtutis æ- „ mulatio, ubi audiſſet quempiam ſuorum Chriſti paſ- „ ſionibus communicantem. Hinc literæ illæ divinum „ ignem ſpirantes, quibus eos ita ſolabatur, ut deſide- „ rio tantæ felicitatis confici videretur. Hinc interpel- „ lationes apud amicos, quos timeret pugnæ ſuæ inter- „ ventores. Cum enim reſciviſſet Præfectum Inſularum, „ quas Philippinas appellant, apud Imperatorem Sina- „ rum per literas queſtum eſſe, quod ſanctæ Eccleſiæ „ Cardinalis tam indigne haberetur, gratias illi pluri- „ mas egit, quod Eccleſiaſticæ cauſæ patrocinium ſuſ- „ cepiſſet; hortatus præterea, ut omnem certantis ſol- „ licitudinem deponeret, neque putaret, ſe in palæſtra „ tolerantiæ defatigatum. Hinc preces, quibus ſatelli- „ tes ipſos oravit, ut ſibi quoque vincula injicerentur, „ cum vidit Interpretem ſuum in ea, qua vehebantur „ navi, Imperatore jubente, catenis conſtrictum; quod „ cum exorare nequiſſet, catenas ſaltem ſtrenui viri „ iterum, & ſæpius obortis lacrymis oſculatus eſt. E- „ jus certe rei, quam dicturus ſum, minorem fidem „ faceret oratio mea, niſi Clementem XI. haberemus „ teſtem, & laudatorem. Plerique putabant fore, ut „ honor Purpuræ eo maxime Turnonio gratus accide- „ ret, quod intelligeret, ſe jam aliquando e barbaro- „ rum manibus atque in portum e naufragio revocan- „ dum. Sed qui mirabilia, & humanis ſenſibus imper- „ via operatur Deus, Turnonium reddidit alia omnia „ ſentientem; metus enim, ne ab ea dignitate ſibi pa- „ tientiæ diuturnioris palma extorqueretur, ſummo do- „ lore affectum impulit, ut apud ſanctiſſimum Pontifi- „ cem ſuppliciter, enixeque ab ſe deprecaretur mandati „ honoris amplitudinem, atque apud alios collocandam „ rogaret, ſi de ſuſcepta provincia, & agone decedere „ cogeretur; quod mallet carceris ſqualore, & ignomi- „ nia Crucis, quam ſplendore dignitatis ornari. O „ virum maxima dignitate majorem, dignum plane, „ quem Clemens ad pugnam emiſerit, & ad præmia „ vocaverit! quem Chriſto confixum Cruci, nec ludi- „ bria divellerent, nec honores abſtraherent; qui omnia „ arbitrarētur detrimenta, ut Chriſtum lucrifaceret; „ qui ſic curreret, ut comprehenderet; ſic pugnaret, „ non aerem verberans, neque ut corruptibilem coro- „ nam acciperet, ſed incorruptam. Hujus coronæ opi- „ fices cum adverſarios ſuos exiſtimaret, caritate Chriſti „ adigebatur, ut etiam pro perſecutoribus oraret, eo- „ rumque cauſam ageret, non ſolum apud Deum jugi- „ bus lacrymis, ſed etiam apud homines maximis offi- „ ciis. Cum Prorex Cantonenſis Magiſtratum Sinen- „ ſem, Mandarinum vocant, qui tanta in Legatum „ ſævitia uſus erat, re comperta ſpoliare præfectura, „ non ſine mortis comminatione decreviſſet, interceſſit „ Vir clementiſſimus, ac offenſiones beneficiis repen- „ dens, gratiam pro contumelia retulit; & cui deberet „ confeſſionis dignitatem, Magiſtratus honorem reſti- „ tuit. Augebat hanc Spiritus Sancti flammam certa „ fiducia, quæ Cardinalem Religionis obſidem, & ca- „ ptivum vinctum in Domino, præcepto gaudio conſo- „ labatur, futurum ſcilicet, ut per tantam laborum „ perpeſſionem de Satanæ inſidiis Eccleſia triumpharet; „ ſecum feliciter actum putans, ſi quocumque mortis „ ſuæ genere revocandis ab errore Sinenſibus provide- „ retur. Quod quidem verbis, factiſque luculentis, ſed „ maxime omnium ultima voluntatis conteſtatione præ- „ ſetulit, qua cum pauperibus nomina, fratrique ſuo „ Crucem legaſſet, Opus propugnandæ apud Sinas Re- „ ligionis hæredem inſtituit; ut quanquam terris ere- „ ptus per Miniſtros Eccleſiæ ad veritatis agnitionem „ Sinenſes adduceret, a quorum ſalutis amore nullis in- „ juriis avocari poſſet. Diſpenſabat enim ultima officia „ ſpiritus Chriſti, ut pauperes ſibi caritate, conſangui- „ neos in Cruce conjunctos agnoſceret, Sinenſium au- „ tem redemptionem cunctis rebus anteferret. Ita Re- „ ligionis ſtudium, quo cum Crucis amore, & miſeri- „ cordia in pauperes totius vitæ rationes adminiſtrave- „ rat, ſupremas etiam tabulas obſignavit. Vicere tan- „ dem Turnonii preces, quibus tam ſollicite obſecra- „ verat, ut in Sinenſi expeditione curſum conſummaret; „ quanquam Beatiſſimus Pontifex omnes authoritatis „ nervos intendiſſet, & ſumma ope, verbis, literis, „ officiis niſus eſſet, ut cariſſimum filium in libertatem „ vindicaret. Ne quid autem de conſortio Crucis abeſ- „ ſet, ſub poſtremos triennalis cuſtodiæ menſes vehe- „ mentiſſimis viſcerum doloribus diſcruciatus eſt, quos „ ex tantis moleſtiis hauſerat, quoſque potiſſimum ab „ alienæ cæcitatis commiſeratione ſuſceperat, identidem „ confeſſus illam omni ſenſu doloris ſibi eſſe amario- „ rem, donec ſacratiſſimo die Pentecoſtes, quo promul- „ gandi Evangelii, Chriſtianæque legis colebantur ini- „ tia, poſtquam in ſacellum, lethali languore fruſtra „ obnitente, delatus eſſet, & ſacroſanctis miſteriis in- „ terfuiſſet, Viatico Corporis Chriſti refectus, atque „ in lectulum reportatus, extrema vi morbi correptus „ eſt. Tum ſacræ Unctionis præſidio armatus, e tan- „ to conflictu, vinculis, exilioque, ut a Domini beni- „ gnitate, & Militis virtute ſperamus, ad cæleſtem Je- „ ruſalem, quæ libera eſt, convolavit. Jam nihil eſt, „ invictiſſime Cardinalis, quod te abeunte, orationem „ noſtram in terris illis ingratiſſimis ultra detineat, „ ubi jam nihil erat, quod te ad gaudium Domini tui „ properantem diutius moraretur. Nihil tibi tentan- „ dum, nihil tolerandum, nihil vincendum ſupererat. „ Quidquid conari poſſet natura in blanditiis, metus in

„ peri-

„ periculis, valetudo in doloribus, exilia & carceres in „ angustiis, opprobrium in contumeliis, deviceras. A- „ nimam pro Religione devoveras, atque in omnes par- „ tes heroicis cœptis responderas. Apostolorum cursus, „ Martyrum constantiam, Pontificum sollicitudinem, „ Doctorum labores imitatus, erroribus propulsandis, „ disciplina restituenda, suppliciis perferendis, & Chri- „ sti Lege coram Regibus, & gentibus prædicanda. Te „ quidem Roma præstolabatur, de prælio revertentem „ complexura: sed clarior erat victoria, quam ut cæ- „ lestem triumphum terrestri oratione præverteremus. „ Beatissimum Patrem, tuique amantissimum, ad cu- „ jus pedes, & amplexus remeare non potuisti, fratres „ tuos Cardinales amplissimos, quos in gratulationem „ obvios habere non licuit, habes ad nominis tui splen- „ dorem, & ornandam meritorum memoriam gestientes. „ Quamquam vero præclarissima rerum monumenta, „ partim carceris tenebris oppressa, partim intervallis „ itinerum intercepta delitescant; pauca tamen, quæ „ quasi erumpere, & manare potuerunt, gloria Purpu- „ ram, virtutibus Ecclesiam, posteritatem exemplis lo- „ cupletabunt. Nec ulla vetustas in laudibus tuis Dei „ laudes reticebit, qui te dederit in murum æreum po- „ pulo terræ, ut bellantes adversum te non prævale- „ rent; qui te fecerit columnam in templo suo; & „ quem, sicut pie credimus, tibi vincenti dedisse in „ triumphante Ecclesia manna absconditum, ita datu- „ rum speramus etiam in militante nomen novum.

MONUMENTUM VIII.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ I. EX quo singulari Dei providentia factum est, ut „ Orientalium & Occidentalium Indiarum re- „ giones Europæ innotescerent, Apostolica S. Sedes, „ quæ ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Evangelicæ verita- „ tis lumen ubique diffundere, & illud ab omni erro- „ ris umbra servare maximo studio curavit, in his quo- „ que novissimis temporibus Evangelicos Operarios in „ antedictas regiones sedulo misit, ut idololatria ibi la- „ te dominante funditus eradicata, Christianæ fidei se- „ men opportune spargerent, atque horrentes illos & „ incultos campos in fertiles florentesque vineas uberri- „ mos æternæ vitæ fructus daturas commutarent. Ex „ regionibus autem illis, quas S. Sedes præ cæteris an- „ te oculos habuit, fuit profecto amplissimum Sinarum „ Imperium: in quo quidem negari non potest, quin „ Christiana fides progressus ingentes fecerit, longe et- „ iam majores factura, nisi coorta inter Operarios a S. „ Sede illuc missos dissidia cursum intercidissent.

„ II. Occasionem dissidiis ejusmodi dederunt cæremo- „ niæ quædam & ritus, quibus Sinenses ad Confucium „ philosophum, & majores suos honoribus prosequen- „ dos uti consueverunt: cum nonnulli ex Missionariis „ contenderent, eas esse cæremonias & ritus mere ci- „ viles, adeoque concedendos iis, qui relicto Idolorum „ cultu Christianam Religionem amplectebantur; con- „ tra vero alii eos, utpote superstitionem olentes, sine „ gravi religionis injuria permitti nullo modo posse as- „ sererent. Quæ sane controversia multis annis Apo- „ stolicæ Sedis curam & sollicitudinem ad se traxit; „ cum id maxime caveat, ne zizania in Agro Domini- „ co radices agant; aut, si forte egerint, eæ, quam „ cito fieri potest, evellantur.

„ III. Primo itaque ad S. Sedis tribunal causam hanc „ detulerunt ii, qui cæremonias illas & ritus Sinicos „ superstitione imbutos suspicabantur. Super illis dubia „ nonnulla proposita fuerunt Congregationi de Propa- „ ganda Fide, quæ an. 1645. comprobavit Responsa, „ ac Decisiones Theologorum, qui cæremonias & ritus „ eosdem superstitione revera infectos judicarunt. Proin- „ de Innocentius Papa X. ad præfatæ Congregationis „ preces omnibus & singulis Missionariis sub pœna ex- „ communicationis latæ sententiæ, sibi ac sanctæ Sedi „ reservatæ, mandavit ut responsa ac decisiones prædi- „ ctas omnino observarent, easque ad praxim deduce- „ rent, donec sibi & Apostolicæ Sedi aliter visum non „ esset.

„ IV. Verum paulo post ab aliis ejusdem Missionis „ Operariis alia dubia de iisdem ritibus & cæremoniis „ ipsimet Congregationi de Propaganda Fide fuerunt „ exhibita, ex quibus cæremoniæ ipsæ, ritusque nul- „ lam in se superstitionem habere videbantur. Negotium „ itaque hujusmodi ab Alexandro Papa VII. sacræ In- „ quisitionis Congregationi commissum fuit: quæ, pro- „ ut varia diversaque ratione fuerat sibi de eisdem cæ- „ remoniis expositum, alias quidem tanquam mere ci- „ viles, & politicas esse permittendas, alias vero mi- „ nime tolerari posse judicavit: idemque Alexander „ Pontifex an. 1656. hanc sententiam probavit & con- „ firmavit.

„ V. Sed ecce tertio ad S. Sedem hæc eadem con- „ troversia. Cum plura dubia Sacræ Inquisitionis Con- „ gregationi proposita fuissent, illud quoque ab ea quæ- „ situm fuit, utrum adhuc vigeret Innocentii Papæ X. „ præceptum, quo sub pœna excommunicationis latæ „ sententiæ mandabat observantiam responsionum ac de- „ cisionum, quæ a Congregatione de Propaganda anno „ 1645. ut supra dictum est, emanaverant. Præterea, „ an, stantibus recens expositis dubiis, earum praxis „ retinenda foret: cum præsertim obstare videretur de- „ cretum sacræ Inquisitionis, quod ab ea emanavit an- „ no 1656. super quæsitis nonnullis diversa ratione, a- „ liisque circumstantiis propositis ab Operariis Apostо- „ licis in Sinarum Regno commorantibus. Respondit „ ad hæc Sacræ Inquisitionis Congregatio, de Propa- „ ganda fide Decretum adhuc vigere habita ratione re- „ rum, quæ fuerunt in dubiis expositæ; neque illud „ fuisse circumscriptum a Decreto Sacræ Inquisitionis „ quod anno 1656. emanavit: immo esse omnino ob- „ servandum juxta quæsita, circumstantias, & omnia „ ea, quæ in antedictis dubiis continentur. Declaravit „ pariter eodem modo esse observandum prædictum Sa- „ cræ Congregationis Decretum anni 1656. juxta quæ- „ sita, circumstantias & reliqua in ipsis expressa. Hoc „ autem Decretum Clemens Papa IX. confirmavit.

„ VI. Cum autem omnia præfata Decreta pro varia „ rerum expositarum ratione fuerint facta ac promul- „ gata, tantum abfuit, ut rituum Sinensium contro- „ versia finem obtineret, ut magis illa vires, & incre- „ mentum acquireret. Nam scissis Evangelicis Opera- „ riis in partes, adducta res fuit in acriorem animo- „ rum, & sententiarum contentionem. Atque hinc, „ non sine gravi scandalo, magnoque fidei damno, con- „ secuta est prædicatio non uniformis, & non eadem „ ubique Christianorum illorum disciplina, & institu- „ tio. De his autem absurdis certior factus Innocentius „ Papa XII. Prædecessor noster, id muneris sui omni- „ no esse putavit, ut perniciosis adeo dissidiis finis da- „ retur; proinde exactam maximeque accuratam totius „ hujus controversiæ discussionem Sacræ Inquisitionis „ Congregationi commisit. Cumque nihil intentatum „ reliquisset, quod sinceram facti notitiam obtineret; „ formata quoque fuerunt de illius mandato summa cum „ diligentia Quæsita, quæ per eamdem sacram Congre- „ gationem resolverentur.

„ VII. Quæsitorum illorum examen Innocentii Pa- „ pæ XII. mors intercepit. Clemens autem XI. qui „ successit, Prædecessoris sui zelo plenus, coram se „ Quæsitorum eorumdem examen fieri voluit. Quamob- „ rem post diuturnam, maturam, & accuratissimam „ rei discussionem, post auditas ex utraque parte ratio- „ nes, quibus libere producendis unicuique locus am- „ plissimus datus fuit, idem Clemens Papa XI. anno „ 1704. confirmavit, & Apostolica authoritate compro- „ bavit præmemoratæ Sacræ Congregationis responsio- „ nes ad omnia & singula Quæsita proposita, quibus „ ritus Sinenses, utpote superstitione imbuti, prohibe- „ bantur; mandavitque præfatas responsiones ad Caro- „ lum Thomam de Tournon Antiochiæ Patriarcham, „ Commissarium & in Sinarum Regno Visitatorem A- „ postolicum transmitti; ut nimirum exactam earum- „ dem observantiam omnibus & singulis Missionariis, „ pœnis quoque canonicis in Refractarios indictis, „ præciperet.

„ VIII. Promulgavit quidem Patriarcha Antiochenus „ decisionem Apostolicam addito decreto, quo ab uni- „ versis ejus observantiam exigebat. Cum autem illam „ tentassent eludere, variisque inanibus rationibus effu- „ gere ii, qui Sinenses ritus tanquam politicos, ac „ mere civiles propugnaverant; prædictus Pontifex Cle- „ mens XI. Decreto, quod per Sacræ Inquisitionis Con- „ gregationem emanavit anno 1710. præcepit omnimo- „ dam & inviolabilem earumdem responsionum abs se „ Apostolica authoritate confirmatarum observantiam, „ & alia quæ Decreto ipso continentur, quod est teno- „ ris sequentis.

DECRETUM

„ *Super omnimoda ac inviolabili observatione responso- „ rum alias in causa rituum seu cæremoniarum Sinensium „ a Sacra Congregatione datorum, & a Sanctissimo ap- „ probatorum, cum aliis ordinationibus Feria V. die „ XXV. Septembris MDCCX.*

„ IX. *In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & „ Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico*

Qui-

„ *Quirinali coram Sanctiſſimo Domino Noſtro D. Cle-*
„ *mente divina providentia Papa XI. ac Eminentiſſi-*
„ *mis & Reverendiſſimis Dominis S. R. E. Cardinali-*
„ *bus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam*
„ *pravitatem Generalibus Inquiſitoribus a S. Sede Apo-*
„ *ſtolica ſpecialiter deputatis.*

„ *Idem Sanctiſſimus Dominus noſter in cauſa rituum*
„ *ſeu cæremoniarum Sinenſium, auditis tam in Congre-*
„ *gationibus anno præterito non ſemel, quam in aliis,*
„ *menſe & anno præſentibus pluries coram Sanctitate*
„ *Sua habitis, præfatorum Eminentiſſimorum & Reve-*
„ *rendiſſimorum DD. Cardinalium, qui rem mature ac*
„ *diligentiſſime diſcuſſerunt, ſententiis, decrevit, &*
„ *declaravit, Reſponſa alias in cauſa hujuſmodi ab ea-*
„ *dem Congregatione data, & a Sanctitate Sua die 20.*
„ *Novembris 1704. confirmata & approbata, nec non*
„ *Mandatum, ſeu Decretum ab Eminentiſſimo, & Re-*
„ *verendiſſimo Domino D. Cardinali de Tournon, tunc*
„ *Patriarcha Antiocheno, Commiſſario & Viſitatore*
„ *Apoſtolico Generali in Imperio Sinarum die 25. Ja-*
„ *nuarii 1707. hac de re editum, ab omnibus, & ſin-*
„ *gulis, ad quos ſpectat, inconcuſſe, & inviolabiliter,*
„ *ſub cenſuris & pœnis in Mandato, ſeu Decreto hu-*
„ *juſmodi expreſſis, obſervanda eſſe, quovis contrafa-*
„ *ciendi quæſito colore, ſeu prætextu penitus ſublato, ac*
„ *potiſſimum non obſtante quacumque appellatione a qui-*
„ *buſvis perſonis ſive Sæcularibus ſive Regularibus, et-*
„ *iam ſpecifica & individua mentione, & expreſſione*
„ *dignis, ac quavis Eccleſiaſtica dignitate fulgentibus,*
„ *ad Sedem Apoſtolicam interpoſita, quam propterea*
„ *Sanctitas Sua rejiciendam eſſe decrevit, ac re ipſa*
„ *rejecit. Porro cum idem D. Cardinalis de Tournon in*
„ *ſuo Mandato, ſeu Decreto ſupradicto Apoſtolicæ deci-*
„ *ſioni die 20. Novembris 1704. latæ ſe expreſſe inhæ-*
„ *rere profeſſus fuerit, Sanctitas Sua ulterius declara-*
„ *vit, ipſum Mandatum ſeu Decretum una cum cenſu-*
„ *ris in eo contentis ad normam eorumdem Reſponſo-*
„ *rum accipiendum eſſe; ita ut nihil per illud reſpon-*
„ *ſis præfatis additum, ſeu detractum fuiſſe cenſen-*
„ *dum ſit, ac omnia, quæ in eis inſunt, etiam in*
„ *Mandato, ſeu Decreto prædicto ineſſe intelligantur.*
„ *Ceterum Sanctitas Sua, tametſi non ſine ingenti ani-*
„ *mi ſui mœrore acceperit, quod humani generis hoſtis*
„ *multiplicia in dies zizania in latiſſimis illis regio-*
„ *nibus ſuperſeminare non ceſſat, non tamen propterea*
„ *in eis Catholicæ Religionis propagandæ ſaluberrimum*
„ *ac ſanctiſſimum opus ullatenus deſerere volens, ſed*
„ *illud majori, qua poteſt, animi contentione ac ſtu-*
„ *dio, iiſque potiſſimum diſſidiis, quibus inibi Chri-*
„ *ſtianæ fidei ſeges veluti ſpinis ſuffocatur, prorſus ſub-*
„ *motis, ardentius ſemper & enixius promovere cupiens,*
„ *congruam ſuper præmiſſis, aliiſque ad ea pertinenti-*
„ *bus inſtructionem confici, illamque dicto D. Cardina-*
„ *li de Tournon, quatenus adhuc in illis partibus com-*
„ *moretur, ſin minus illi, qui ejus loco deputatus fue-*
„ *rit, necnon Epiſcopis & Vicariis Apoſtolicis earum-*
„ *dem partium tranſmitti mandavit, qua non minus*
„ *debitæ Apoſtolicorum Decretorum executioni, quam*
„ *Miſſionariorum concordiæ, Evangelicæ veritatis præ-*
„ *dicationi, atque animarum ſaluti opportune conſula-*
„ *tur. Demum ut nimiæ illi de his rebus ſcribendi li-*
„ *centiæ, quæ non ſine fidelium ſcandalo inter partes*
„ *diuturna contentione exaſperatas invaluit, modus im-*
„ *ponatur, Sanctitas Sua diſtricte præcepit omnibus &*
„ *ſingulis cujuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti,*
„ *& Societatis, etiam de neceſſitate exprimendæ, Re-*
„ *gularibus, aliiſque quibuſcumque Sæcularibus perſo-*
„ *nis tam Eccleſiaſticis, quam laicis, cujuſcumque tan-*
„ *dem ſtatus, gradus, conditionis, & dignitatis exi-*
„ *ſtant, ut in poſterum non audeant ſub quovis quæſi-*
„ *to colore, vel prætextu imprimere, vel quoquomodo*
„ *in lucem edere libros, libellos, relationes, theſes, fo-*
„ *lia, ſeu ſcripta quæcumque, in quibus ex profeſſo,*
„ *vel incidenter de ritibus Sinicis hujuſmodi, vel de*
„ *controverſiis deſuper, ſeu illorum occaſione exortis quo-*
„ *modolibet tractetur, ſine expreſſa & ſpeciali licentia*
„ *a Sanctitate Sua, ſeu pro tempore exiſtente Romano*
„ *Pontifice in Congregatione ſupradictæ ſanctæ & uni-*
„ *verſalis Inquiſitionis obtinenda. Ut autem ejuſmodi*
„ *prohibitio inviolabiliter obſervetur, eadem Sanctitas*
„ *Sua voluit & declaravit, contravenientes quoſcumque*
„ *excommunicationis latæ ſententiæ, Regulares vero et-*
„ *iam privationis vocis activæ & paſſivæ pœnas ipſo*
„ *facto abſque alia declaratione incurrere, & nihilomi-*
„ *nus aliis etiam pœnis Sanctitatis Suæ, & ſucceſſorum*
„ *ſuorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis*
„ *ſubjacere. Libros porro, libellos, relationes, theſes,*
„ *folia, ac ſcripta quæcumque, quæ in futurum contra*
„ *præſentis prohibitionis tenorem edi contigerit (citra*
„ *ullam aliorum hactenus editorum approbationem, ſu-*
„ *per quibus opportune providebitur) pro expreſſe prohi-*
„ *bitis haberi voluit, abſque alia declaratione, ſub*
„ *pœnis & cenſuris in regulis Indicis librorum prohi-*
„ *bitorum contentis. Impreſſores vero, præter ſcriptorum*
„ *ſic impreſſorum amiſſionem, pecuniariis, aliiſque cor-*
„ *poralibus pœnis, juxta criminis gravitatem, teneri*
„ *mandavit. In contrarium facientibus non obſtantibus*
„ *quibuſcumque.*

Joſeph Bartolus S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

X. At vero nec Decretum hujuſmodi ad difficiles a-
„ nimos ſubjiciendos valuit. Itaque Clemens idem Pa-
„ pa XI. quo illos tandem aliquando frænaret, Con-
„ ſtitutionem anno 1715. evulgavit, qua ſolemniter ite-
„ rum confirmavit antedictas Sacræ Inquiſitionis Re-
„ ſponſiones, eaſque exacte & adamuſſim obſervari
„ mandavit, præcluſis omnibus iis effugiis, quibus per-
„ fectam earum obſervantiam contumaces homines ali-
„ quo pacto evadere potuiſſent, & eſt tenoris qui ſe-
„ quitur.

CLEMENTIS PAPÆ XI.

„ *Præceptum ſuper omnimoda, abſoluta, integra, &*
„ *inviolabili obſervatione eorum, quæ alias a Sanctitate*
„ *Sua in cauſa rituum ſeu cæremoniarum Sinenſium*
„ *decreta fuerunt: cum rejectione quarumcumque ratio-*
„ *num, ſeu excuſationum ad ejuſmodi Decretorum exe-*
„ *cutionem declinandam allatarum, ac præſcriptione for-*
„ *mulæ juramenti per Miſſionarios illarum partium præ-*
„ *ſentes & futuros hac in re præſtandi.*

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

„ XI. *Ex illa die, qua nullo licet meritorum noſtro-*
„ *rum ſuffragio, Catholicæ Eccleſiæ gubernacula, hoc*
„ *eſt, munus ſua amplitudine graviſſimum, ac tempo-*
„ *rum iniquitate moleſtiſſimum, Deo ſic diſponente,*
„ *ſuſcepimus, nihil nobis manum clavo admoventibus*
„ *antiquius fuit, quam acerrimas contentiones jam*
„ *pridem in Imperio Sinarum inter Apoſtolicos illa-*
„ *rum partium Miſſionarios exortas, ſemperque in dies*
„ *magis invaleſcentes tam circa quaſdam voces Sinicas*
„ *ad ſanctum & ineffabile Dei nomen exprimendum ini-*
„ *bi uſurpatas, quam circa nonnullos earum gentium*
„ *ritus, veluti ſuperſtitioſos a quibuſdam ex Miſſionariis*
„ *prædictis reprobatos, ab aliis vero, utpote eos civi-*
„ *les tantum aſſerentibus permiſſos, Apoſtolici judicii*
„ *cenſura opportune dirimere, ut, ſublatis diſſidiis,*
„ *Chriſtianæ Religionis, Catholicæque fidei propagatio-*
„ *nem turbantibus, omnes tandem id ipſum dicerent in*
„ *eodem ſenſu, & in eadem ſententia, unoque ore glo-*
„ *rificaretur Deus ab iis, qui ſanctificati ſunt in Chri-*
„ *ſto Jeſu.*

„ *Hoc conſilio reſponſa illa, quæ ad varias quæſtio-*
„ *nes ſuper ejuſmodi rebus excitatas, prævio diuturno*
„ *examine, dudum videlicet tempore fel. record. Inno-*
„ *centii Papæ XII. Prædeceſſoris Noſtri inchoato, ac*
„ *deinde juſſu Noſtro per plures annos continuato, au-*
„ *ditiſque utriuſque partis rationibus, nec non complu-*
„ *rium Theologorum & Qualificatorum ſententiis, a*
„ *Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum ſanctæ*
„ *Romanæ Eccleſiæ Cardinalium in tota Republica Chri-*
„ *ſtiana Generalium Inquiſitorum adverſus hæreticam*
„ *pravitatem auctoritate Apoſtolica deputatorum data*
„ *fuerunt, Nos die 20. Novembris 1704. eadem aucto-*
„ *ritate confirmavimus & approbavimus.*

„ *Ea autem, quæ in reſponſis hujuſmodi Decreta fue-*
„ *runt, ſunt quæ ſequuntur:* Cum Deus Optimus Ma-
„ ximus congrue apud Sinas vocabulis Europæis expri-
„ mi nequeat, ad eumdem verum Deum ſignificandum,
„ vocabulum TIEN CHU, hoc eſt, Cæli Dominus,
„ quod a Sinenſibus Miſſionariis, & fidelibus longo &
„ probato uſu receptum eſſe dignoſcitur, admittendum
„ eſſe; nomina vero TIEN Cælum, & XANG TI
„ ſupremus Imperator, penitus rejicienda.

„ Idcirco tabellas cum inſcriptione Sinica KING
„ TIEN, Cœlum colito, in Eccleſiis Chriſtianorum
„ appendi, ſeu jam appenſas in poſterum inibi retineri
„ permittendum non eſſe.

„ Ad hæc nullatenus, nullaque de cauſſa permitten-
„ dum eſſe Chriſtifidelibus, quod præſint, miniſtrent,
„ aut interſint ſolemnibus ſacrificiis, ſeu oblationibus,
„ quæ a Sinenſibus in utroque æquinoctio cujuſcumque
„ anni Confucio, & Progenitoribus defunctis fieri ſo-
„ lent, tanquam ſuperſtitione imbutis. Similiter nec eſſe
„ permittendum, quod in Ædibus Confucii, quæ Sini-
„ co nomine MIAO appellantur, iidem Chriſtifideles

„ exer-

„ exerceant, ac peragant cæremonias, ritus, & obla-
„ tiones, quæ in honorem ejuſdem Confucii fiunt tum
„ ſingulis menſibus in novilunio & plenilunio a Man-
„ darinis, ſeu primariis Magiſtratibus, aliiſque officia-
„ libus, & litteratis; tum ab eiſdem Mandarinis, ſeu
„ Gubernatoribus ac Magiſtratibus, antequam dignita-
„ tem adeant, ſeu ſaltem poſt ejus poſſeſſionem ade-
„ ptam; tum denique a litteratis, qui poſtquam ad
„ gradus ſunt admiſſi, e veſtigio ad templum ſeu ædem
„ Confucii ſe conferunt.

„ Præterea non eſſe permittendum Chriſtianis in
„ templis, ſeu ædibus Progenitoribus dicatis oblationes
„ minus ſolemnes iiſdem facere, nec in illis miniſtrare,
„ aut quomodolibet inſervire, vel alios ritus, & cære-
„ monias peragere.

„ Item nec eſſe permittendum præfatis Chriſtianis
„ oblationes, ritus, & cæremonias hujuſmodi coram
„ Progenitorum tabellis in privatis domibus, ſive in
„ eorumdem Progenitorum ſepulcris, ſive antequam de-
„ functi ſepulturæ tradantur, in eorumdem honorem
„ fieri conſuetas, una cum Gentilibus, vel ſeorſim ab
„ illis peragere, eiſque miniſtrare, aut intereſſe, imo
„ prædicta omnia, utpote quæ perpenſis hinc inde de-
„ ductis, nec non diligenter, ac mature diſcuſſis omni-
„ bus, ita peragi comperta ſunt, ut a ſuperſtitione ſe-
„ parari nequeant, Chriſtianæ legis cultoribus ne qui-
„ dem permittenda eſſe, præmiſſa publica vel ſecreta
„ proteſtatione, ſe non religioſo, ſed civili ac politi-
„ co tantum cultu erga defunctos illa præſtare, nec ab
„ eis quidquam petere, aut ſperare.

„ Non tamen per hæc cenſendam eſſe damnatam præ-
„ ſentiam illam, ſeu aſſiſtentiam mere materialem,
„ quam cum Gentilibus ſuperſtitioſa peragentibus, citra
„ illam ſive expreſſam, ſive tacitam geſtorum approba-
„ tionem, ac quovis miniſterio penitus ſecluſo, eiſdem
„ ſuperſtitioſis actibus quandoque præſtari contingat a
„ Chriſtianis, cum aliter odia, & inimicitiæ vitari
„ non poſſunt: facta tamen prius, ſi commode fieri
„ poterit, fidei proteſtatione, ac ceſſante periculo ſub-
„ verſionis.

„ Demum permittendum non eſſe Chriſtifidelibus ta-
„ bellas defunctorum Progenitorum in ſuis privatis do-
„ mibus retinere, juxta illarum partium morem; hoc
„ eſt cum inſcriptione Sinica, qua Thronus ſeu Sedes
„ ſpiritus, vel animæ N. ſignificetur; immo nec cum
„ alia, qua Sedes ſeu Thronus, adeoque idem, ac
„ priori licet magis contracta inſcriptione, deſignari
„ videatur. Quo vero ad tabellas ſolo defuncti nomine
„ inſcriptas, tolerari poſſe illarum uſum; dummodo in
„ eis conficiendis omittantur omnia, quæ ſuperſtitionem
„ redolent, ac ſecluſo ſcandalo; hoc eſt, dummodo qui
„ Chriſtiani non ſunt, arbitrari non poſſint, tabellas
„ hujuſmodi a Chriſtianis retineri ea mente, qua ipſi
„ illas retinent, nec non adjecta inſuper declaratione
„ ad latus ipſarum tabellarum apponenda, qua & quæ
„ ſit Chriſtianorum de defunctis fides, & qualis filio-
„ rum ac nepotum in Progenitores pietas eſſe debeat,
„ enuntietur.

„ Per præmiſſa nihilominus non vetari, quominus
„ erga defunctos peragi poſſint alia, ſi quæ ſint, ab
„ iis gentibus peragi conſueta, quæ vere ſuperſtitioſa
„ non ſint, nec ſuperſtitionis ſpeciem præſeferant, ſed
„ intra limites civilium & politicorum rituum conti-
„ neantur. Porro quænam hæc ſint, & quibus adhibi-
„ tis cautelis tolerari valeant, tum pro tempore exi-
„ ſtentis Commiſſarii & Viſitatoris Generalis Apoſtoli-
„ ci, ſeu ejus vices exercentis in Imperio Sinarum,
„ tum Epiſcoporum & Vicariorum Apoſtolicorum illa-
„ rum partium judicio relinquendum eſſe: qui tamen
„ interea omni, quo poterunt, ſtudio, ac diligentia
„ curare debebunt, ut Gentium cæremoniis penitus
„ ſublatis, illi ſenſim a Chriſtianis & pro Chriſtianis
„ hac in re uſu recipiantur ritus, quos Catholica Ec-
„ cleſia pro defunctis pie præſcripſit.

„ *Poſt hæc vero labente fere ſexennio, nempe die 25.*
„ *Septembris* 1710. *auditis iterum dictorum Cardina-*
„ *lium, qui rem mature ac diligentiſſime diſcuſſerunt,*
„ *ſuffragiis, eadem Reſponſa, nec non Mandatum, ſeu*
„ *Decretum, quod illis expreſſe inhærendo, a piæ recor-*
„ *dationis Carolo Thoma, dum vixit, ejuſdem ſanctæ*
„ *Romanæ Eccleſiæ Cardinali de Tournon nuncupato,*
„ *tunc Patriarcha Antiocheno Commiſſario, & Viſita-*
„ *tore Apoſtolico Generali in præfato Imperio Sinarum*
„ *die 25. Januarii* 1707. *editum fuit, ab omnibus &*
„ *ſingulis, ad quos ſpectabat, inconcuſſe & inviolabi-*
„ *liter ſub pœnis, & cenſuris in Mandato, ſeu Decre-*
„ *to hujuſmodi expreſſis obſervanda eſſe decrevimus, &*
„ *declaravimus, quovis contrafaciendi quæſito colore,*
„ *ſeu prætextu penitus ſublato, ac potiſſimum non ob-*
„ *ſtante quacumque appellatione a quibuſvis perſonis*
„ *ad Nos & Sedem Apoſtolicam interpoſita, quam pro-*
„ *pterea prorſus rejiciendam eſſe ſimiliter decrevimus,*
„ *ac reipſa rejecimus, prout in Decreto hac de re edito*
„ *fuſius continetur.*

„ *Hæc omnia plene & abunde ſufficere debuiſſent, ut*
„ *ea, quæ inimicus homo ſuperſeminaverat, zizania ex*
„ *agro illo radicitus evellerentur, fideleſque omnes No-*
„ *ſtris, & hujus Sanctæ Sedis mandatis ea, qua par*
„ *erat, humilitate & obedientia obſequerentur; præſer-*
„ *tim cum in calce Reſponſorum prædictorum a Nobis,*
„ *ſicut præmittitur, confirmatorum & approbatorum,*
„ *cauſam jam finitam eſſe apertis, & perſpicuis ver-*
„ *bis pronuntiatum fuerit.*

„ *Verum, cum, ſicuti ex eiſdem partibus non ſine*
„ *intimo animi Noſtri dolore ad Noſtri pervenit Apoſto-*
„ *latus auditum, tam enixe a Nobis præſcripta Reſpon-*
„ *ſorum hujuſmodi executio male a pleriſque, ſive va-*
„ *no falſoque obtentu, quod illa a Nobis ſuſpenſa fue-*
„ *rint, vel minus legitime promulgata, ſive conditio-*
„ *num, ut perperam aſſeritur, in eis inſitarum, & an-*
„ *te executionem ipſam verificandarum, factorumve, ſu-*
„ *per quibus ipſa emanarunt, non juſtificatorum ratio-*
„ *ne, ſive ulteriorum a Nobis in ea re edendarum de-*
„ *clarationum colore, ſive gravium, quæ tam Miſſiona-*
„ *riis, quam Miſſioni ipſi ex demandata executione ob-*
„ *venire poſſent, periculorum formidine, ſive demum*
„ *Decreti dudum, nempe die 23. Martii* 1656. *ſuper*
„ *ejuſmodi ritibus ſeu cæremoniis Sinicis a præfata*
„ *Congregatione Cardinalium editi, ac a recolendæ me-*
„ *moriæ Alexandro Papa VII. etiam Prædeceſſore Noſtro*
„ *approbati prætextu, nec non ſine gravi Pontificiæ No-*
„ *ſtræ auctoritatis injuria, Chriſtifidelium ſcandalo, ac*
„ *ſalutis animarum detrimento, ſatis diu, multumque*
„ *eludatur, aut ſaltem nimium retardetur.*

„ *Hinc eſt, quod Nos, ex commiſſæ Nobis divinitus*
„ *Apoſtolicæ ſervitutis munere, difficultates, tergiver-*
„ *ſationes, ſubterfugia, & prætextus hujuſmodi peni-*
„ *tus, & omnino e medio tollere ac rejicere, nec non*
„ *Chriſtifidelium quieti, animarumque ſaluti, quantum*
„ *Nobis ex alto conceditur, proſpicere cupientes, de eo-*
„ *rumdem Cardinalium conſilio, ac etiam motu proprio,*
„ *& ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris,*
„ *deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnibus &*
„ *ſingulis Archiepiſcopis, & Epiſcopis in ſupradicto*
„ *Sinarum Imperio, aliiſque ei conterminis, ſive ad-*
„ *jacentibus Regnis, ac Provinciis nunc & pro tempo-*
„ *re quandocumque exiſtentibus, ſub ſuſpenſionis ab*
„ *exercitio Pontificalium & Interdicti ab ingreſſu Ec-*
„ *cleſiæ, eorum vero officialibus, ac Vicariis in ſpiri-*
„ *tualibus generalibus, aliiſque illorum locorum Ordi-*
„ *nariis, ac etiam Vicariis Apoſtolicis, qui Epiſcopi*
„ *non ſint, eorumve Provicariis, nec non Miſſionariis*
„ *tam Sæcularibus, quam cujuſvis Ordinis, Congregatio-*
„ *nis, Inſtituti, & Societatis etiam Jeſu, Regularibus,*
„ *ſub excommunicationis latæ ſententiæ, a qua nemo a*
„ *quoquam præterquam a Nobis, ſeu Romano Pontifice*
„ *pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo conſtitu-*
„ *tus, abſolvi poſſit; & quoad Regulares, etiam pri-*
„ *vationis vocis activæ & paſſivæ pœnis per contrafa-*
„ *cientes ipſo facto abſque alia declaratione incurren-*
„ *dis, tenore præſentium præcipimus, ac in virtute S.*
„ *obedientiæ mandamus, ut Reſponſa præinſerta, omnia-*
„ *que & ſingula in eis contenta exacte, integre, abſo-*
„ *lute, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervent; ac ab*
„ *eis, quorum cura ad illos ſpectat, ſimiliter obſerva-*
„ *ri, quantum in ipſis eſt, curent, & faciant: neque*
„ *illis, ſive ullo ex ſuperius expreſſis, ſive alio quovis*
„ *titulo, cauſſa, occaſione, colore, vel prætextu contra-*
„ *venire quoquo modo audeant, vel præſumant.*

„ *Præterea motu, ſcientia, deliberatione, & poteſta-*
„ *tis plenitudine paribus, harum ſerie ſtatuimus, &*
„ *ſub eiſdem excommunicationis reſervatæ, ac privatio-*
„ *nis vocis activæ & paſſivæ pœnis ordinamus, ut o-*
„ *mnes & ſinguli Eccleſiaſtici tam Sæculares, quam*
„ *prædictorum Ordinum, Congregationum, Inſtituto-*
„ *rum, & Societatum etiam Jeſu, Regulares ad Si-*
„ *nas, aliave præfata Regna, & Provincias, ſive ab*
„ *hac S. Sede, ſive etiam ab eorum Superioribus miſſi,*
„ *& quandocumque in poſterum mittendi, cujuſvis tan-*
„ *dem tituli, aut facultatis vigore illic exiſtant, vel*
„ *in futurum extiterint; miſſi ſcilicet, ſtatim ac præ-*
„ *ſentes litteræ eis innotuerint; mittendi vero, ante-*
„ *quam ibidem aliquod Miſſionarii munus exercere inci-*
„ *piant, juramentum de fideliter, integre, ac inviola-*
„ *biliter obſervando ejuſmodi præcepto, ac Mandato No-*
„ *ſtro, juxta formulam in præſentium litterarum calce*
„ *annotandam, in manibus Commiſſarii, & Viſitatoris*
„ *Apoſtolici in præfato Imperio Sinarum pro tempore*
„ *exiſtentis, vel alterius ab illo deputati, ſive, eo de-*
„ *ficiente, in manibus Epiſcoporum, vel Vicariorum A-*
„ *poſtolicorum dictarum partium, in quorum reſpective*
„ *juriſdictione commorantur, vel commorabuntur, aut*

„ *aliorum*

„ *aliorum ab eis deputatorum in eiſdem partibus exiſtentium, præſtare omnino debeant, ac teneantur; ita ut ante præſtationem juramenti hujuſmodi, & ſubſcriptionem ſub eadem formula ab unoquoque, qui juramentum ipſum præſtiterit, propria manu faciendam, nullum Miſſionarii munus continuare, aut exercere, imo nec tanquam deputati ab Epiſcopis, ſeu Ordinariis locorum, aut tanquam ſimplices ſuæ religionis Presbyteri, ſive alio quovis titulo, cauſa, ſeu privilegio, de quibus expreſſa, ſpecialis, & ſpecialiſſima eſſet facienda mentio, Chriſtifidelium confeſſiones audire, concionari, aut Sacramenta quomodolibet adminiſtrare ullo modo valeant, nulliſque omnino facultatibus, ſive ſibi ſpeciatim, ſive ſuis reſpective Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus etiam Jeſu, hujuſmodi generaliter a S. Sede præfata conceſſis uti poſſint; ſed quoad eos, præter, & ultra ſuperius expreſſas pœnas, omnes & ſingulæ facultates prædictæ omnino ceſſent, nulliuſque roboris ſint, & eſſe cenſeantur.*

„ *Omnia autem juramenta hujuſmodi per quoſcumque Miſſionarios tam Sæculares quam Regulares, in memoratorum Commiſſarii & Viſitatoris Apoſtolici pro tempore exiſtentis, ſive Epiſcoporum, aut Vicariorum Apoſtolicorum manibus, ſicut præmittitur, præſtanda, poſtquam ſubſcriptione munita fuerint, vel ſaltem authentica illorum exempla per eoſdem Commiſſarium & Viſitatorem Apoſtolicum pro tempore exiſtentem, Epiſcopos, & Vicarios Apoſtolicos, ad præfatam Congregationem Cardinalium, quanto citius fieri poterit, tranſmittantur.*

„ *Superiores vero Regulares cujuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, etiam Jeſu, illic nunc & pro tempore exiſtentes, ſub eiſdem pœnis teneantur non ſolum idem juramentum in præfatorum ſive Commiſſarii & Viſitatoris Apoſtolici pro tempore exiſtentis, ſive Epiſcoporum, aut Vicariorum Apoſtolicorum manibus, juxta modum ſupra præſcriptum, præſtare, ejuſque formulæ ſubſcribere; ſed etiam illius præſtationem a ſuis reſpective ſubditis exigere, ac authentica ea ſuper re documenta quamprimum tranſmittere ad ſuos reſpective Superiores Generales, qui illa memoratæ Congregationi Cardinalium ſtatim tradere debebunt.*

„ *Decernentes, eaſdem præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod prædicti, & alii quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, ſeu alias ſpecifica & individua mentione, & expreſſione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi, cauſæque, propter quas præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno & ſubſtantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud, uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe; ſed ipſas præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, quibuſcumque juris, ſeu facti defectibus qui adverſus illas, etiam quorumvis a Sede præfata conceſſorum privilegiorum prætextu, ad effectum impediendi, ſeu retardandi earum executionem, quovis modo, ſeu quavis ex cauſſa opponi, ſeu objici poſſent, minime refragantibus, ſuos plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere; eaſque propterea omnibus & ſingulis quomodolibet allatis, ſeu afferendis impedimentis penitus, & omnino rejectis, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari; ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & præfatæ Sedis Nuncios, alioſque quoslibet quacumque præeminentia & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & authoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

„ *Non obſtantibus præmiſſis, &, quatenus opus ſit, noſtra & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, nec non quorumcumque Ordinum Congregationum, Inſtitutorum, & Societatum, etiam Jeſu, ac quarumvis Eccleſiarum, & aliis quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alias roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ac præſcriptionibus quantumcumque longiſſimis, & immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Jeſu, ac Eccleſiis prædictis, aliiſve quibuslibet perſonis, etiam quantumvis ſublimibus, & ſpecialiſſima mentione dignis a Sede prædicta ex quacumque cauſſa etiam per viam contractus, & remunerationis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſeu ad quarumcumque perſonarum, etiam imperiali, regali, aliave qualibet mundana vel Eccleſiaſtica dignitate fulgentium inſtantiam, aut earum contemplatione, ſeu alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiſcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, & derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.*

„ *Formula autem juramenti, ſicut præmittitur, præſtandi eſt quæ ſequitur, videlicet:* Ego N. Miſſionarius ad Sinas, vel ad Regnum N., vel ad Provinciam N. a S. Sede Apoſtolica, vel a Superioribus meis, juxta facultates eis a Sede Apoſtolica conceſſas, miſſus, vel deſtinatus, Præcepto, ac Mandato Apoſtolico ſuper ritibus & cæremoniis Sinenſibus in Conſtitutione Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Divina providentia Papæ XI. hac de re edita, qua præſentis juramenti formula præſcripta eſt, contento, ac mihi per integram ejuſdem Conſtitutionis lecturam optime noto, plene ac fideliter parebo, illudque exacte, abſolute, ac inviolabiliter obſervabo, & abſque ulla tergiverſatione adimplebo. Si autem, (quod Deus avertat) quoquo modo contravenerim, toties quoties id evenerit, pœnis per prædictam Conſtitutionem impoſitis me ſubjectum agnoſco & declaro. Ita tactis ſacroſanctis Evangeliis promitto, voveo, & juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

Ego N. manu propria.

„ *Ceterum volumus, & expreſſe mandamus, ut eædem præſentes literæ, ſeu earum exempla, etiam impreſſa, notificentur, & intimentur omnibus & ſingulis memoratorum Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, & Societatum, etiam Jeſu, Superioribus generalibus, ad hoc ut tam ſuo, quam prædictorum eis reſpective ſubditorum, ſeu inferiorum nomine, ipſas literas fideliter exſequi, & obſervare ſpondeant, actumque ſponſionis hujuſmodi in ſcriptis reddant: earum vero exempla prædicta pluribus viis, quanto citius fieri poterit, tranſmittant ad eoſdem ſuos ſubditos, ſeu inferiores in Sinis, aliiſque Regnis, & Provinciis ſupradictis degentes, cum arctiſſimis præceptis eaſdem literas, & in eis contenta quæcumque plenarie, & integre, ac vere, realiter, & cum effectu in omnibus, & per omnia ſimiliter exequendi & obſervandi. Quia vero difficile foret, literas hujuſmodi originales ubique oſtendi & publicari, volumus pariter & decernimus, illarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eandem prorſus fidem tam in*

„ *judicio, quam extra illud, ubique locorum haberi,*
„ *quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ,*
„ *vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majo-*
„ *rem sub Annulo Piscatoris die 19. Martii 1715. Pon-*
„ *tificatus nostri anno decimo quinto.*

F. Oliverius.

„ XII. Per Constitutionem Apostolicam adeo solemnem, qua Clemens Papa XI. se huic controversiæ finem dedisse testatur, justum & æquum videbatur, eos, qui sanctæ Sedis authoritatem se se quam maxime revereri profitentur, humili & obsequenti animo illius judicio semet omnino subjicere, nec ulterius quicquam cavillari. Nihilominus inobedientes & captiosi homines exactam ejusdem Constitutionis observantiam se effugere posse putarunt, ea ratione quod illa præcepti titulum præfert, quasi vero non indissolubilis legis, sed præcepti mere Ecclesiastici vim haberet; tum etiam quod illam debilitatam existimarent ex Permissionibus quibusdam, quas super iisdem Sinensibus ritibus publicavit Carolus Ambrosius Mediobarbus Patriarcha Alexandrinus, cum Commissarium & Visitatorem Generalem Apostolicum in iis regionibus ageret.

„ XIII. Nos igitur animadvertentes, prædictam Constitutionem Christiani cultus puritatem respicere, quem illa ab omni superstitionis labe immunem servare contendit, nullo modo ferre possumus, quemquam existere, qui eidem repugnare temere audeat, aut contemnere, perinde ac ipsa supremam Apostolicæ Sedis decisionem non contineret, & id, quo de agitur, non ad religionem spectaret, sed quid per se indifferens foret, aut quædam variabilis disciplinæ ratio. Proinde authoritate ab omnipotenti Deo nobis tradita uti volentes ad illam in suo robore omnino servandam, de authoritatis ejusdem plenitudine non modo eam approbamus & confirmamus, sed etiam quantum possumus, omnem vim, & firmitatem ad illam magis magisque roborandam ac stabiliendam adjicimus, eamque in se plenam & omnimodam Apostolicæ Constitutionis authoritatem habere dicimus, & declaramus.

„ XIV. Permissiones autem, quarum obtentu aliqui prædictæ Constitutionis robur infringere conantur, originem duxerunt a Responsionibus quibusdam, quas duo viri, qui jam pridem in Sinarum Regno fuerant, ad quæsita nonnulla dederunt, quæ super ejusdem Constitutionis Apostolicæ executione, ac praxi Missionarii quidam proposuerant. Responsiones itaque hujusmodi una cum dubiis illis, nullo tamen Romani Pontificis sive approbantis, sive aliquid de suo addentis judicio, transmissæ fuerunt ad præfatum Patriarcham Alexandrinum, ejus animi instruendi causa, utque illis uteretur, prout circumstantiæ rerum ac temporis postularent: integro tamen remanente Apostolicæ Sedis jure eas comprobandi, vel etiam revocandi, si quando conformes, aut repugnantes Constitutionis præfatæ Decretis ullo modo compertæ forent.

„ XV. Vix Sinarum Regnum Patriarcha Alexandrinus ingressus, in iis angustiis se positum intellexit, ut coactus fuerit in publicum emittere, non quidem Responsiones, quas prælaudati duo viri ad proposita quæsita dederant, bene vero Permissiones octo, quæ ab illis fuerant deductæ, atque inde ab eodem Patriarcha in Pastorali sua Epistola insertæ, cujus tenor est, uti sequitur.

„ *Carolus Ambrosius Mediobarbus Dei & Apostolicæ Se-*
„ *dis Gratia Patriarcha Alexandrinus, nec non in Indiis*
„ *Orientalibus, ac Sinarum Imperio, finitimisque Regnis,*
„ *& Insulis Commissarius, & Visitator Generalis Apo-*
„ *stolicus cum facultate Legati de Latere &c.*

„ *Omnibus Episcopis, Vicariis Apostolicis, ac Missiona-*
„ *riis, qui in prædictis partibus degunt, salutem in eo,*
„ *qui est omnium vera salus.*

„ XVI. *Benedictus Deus & Pater Domini Nostri Je-*
„ *su Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius con-*
„ *solationis, qui consolatur nos in omni tribulatione*
„ *nostra, ut possimus consolari eos, qui in omni pressu-*
„ *ra sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi*
„ *a Deo. Nil etenim Nobis magis in animo fuit, ex*
„ *quo in Sinarum Imperium Deo favente, pervenimus,*
„ *quam cum iis omnibus, qui in hac Evangelica vinea*
„ *laborant, os ad os loqui. Desideravimus enim vide-*
„ *re vos, ut aliquid impertiremur vobis gratiæ spiritua-*
„ *lis ad confirmandum vos; idest simul consolari in vo-*
„ *bis per eam, quæ invicem est, fidem vestram atque*
„ *meam. Verum quia non sapientiam hujus sæculi lo-*
„ *cuti fuimus, in timore & tremore multo fuimus apud*
„ *vos, satiusque duximus, ad sedandam tempestatem*
„ *adversus Evangelicos Operarios ingruentem, Nos in*
„ *mare projicere, ut vos jactari sinatis. Adjutor no-*
„ *ster nunc & erit ille Deus, qui dedit nobis in mari*
„ *viam, & in aquis torrentibus semitam. Veritatem*
„ *dicimus in Christo, non mentimur, testimonium nobis*
„ *perhibente conscientia nostra in Spiritu Sancto, quo-*
„ *niam tristitia nobis magna est, & continuus dolor*
„ *adhæret cordi nostro, quod præsentes non potuerimus*
„ *solari vos, ut fructum aliquem haberemus, & in vo-*
„ *bis & in cæteris gentibus. At vero quod non licuit*
„ *per præsentiam agere, saltem per Epistolam non im-*
„ *pedimur. Primum quidem gratias agimus Deo no-*
„ *stro per Jesum Christum pro omnibus vobis, qui Spi-*
„ *ritu Sancto ferventes & fortes, sanctæ Sedis manda-*
„ *tis rationabile exhibetis ministerium vestrum, jactan-*
„ *tes cogitatum in eum, cui a Domino dictum est: Pasce*
„ *oves meas: cui traditæ sunt claves Domus David,*
„ *si aperit non est qui claudat: si claudit non est qui*
„ *aperiat. Quotquot estis macte animis, vigilate, sta-*
„ *te in fide, viriliter agite, & confortamini, quia mer-*
„ *ces vestra magna est in cœlis. Ministerium vestrum*
„ *implete, attendite vobis & doctrinæ. Lucernæ esto-*
„ *te, non minus lucentes exemplo, ac zelo prædicationis*
„ *ardentes. Si qui vero adhuc essent hæsitantes, & in*
„ *opere non efficaces, obsecramus vos, fratres, per no-*
„ *men Domini Nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis*
„ *omnes, & non sint in vobis schismata; sitis perfecti*
„ *in eodem sensu, & in eadem sententia. Non am-*
„ *plius invicem judicemus. Unusquisque vestrum pari*
„ *humilitate & obedientia S. Sedis mandatis obsequa-*
„ *tur, ut vestra obedientia in omnem locum divulge-*
„ *tur. Non enim opus est, ut aliquem actum faciamus,*
„ *ut Sanctissimi Domini nostri Clementis Papæ XI. man-*
„ *data jam promulgata vobis innotescant, vimque ha-*
„ *beant; ut absque ulla tergiversatione executioni man-*
„ *dentur. Nihil proinde innovamus, sed relinquimus*
„ *res, prout sunt; hoc est nullatenus Constitutionem su-*
„ *per ritibus Sinicis a SS. Domino Nostro Clemente Pa-*
„ *pa XI. die 19. Martii 1715. emanatam suspendimus;*
„ *aut, quæ in ea vetantur, permittimus. Ab aliqua*
„ *tamen quibusdam Missionariis circa quasdam cæremo-*
„ *nias peragi consuetas suborta dubia, ut quilibet in*
„ *vinea Domini strenue, ac viriliter laborare queat,*
„ *nonnulla adnotamus quæ permitti poterunt, quæ &*
„ *separatim unicuique secundum quæsita dedissemus,*
„ *nisi compertum Nobis esset, una cum incertis nuntiis*
„ *jam disseminata proborum animos, & Christifideles*
„ *bonæ voluntatis non parum perturbasse. Omni igitur,*
„ *quo poteritis studio, ac diligentia curare debetis, ut*
„ *gentium cæremoniis penitus sublatis, illi sensim a*
„ *Christianis, & pro Christianis usu recipiantur ritus,*
„ *quos Catholica Ecclesia pie præscripsit. Primo.* Permittitur Christianis Sinensibus in suis privatis domibus uti tabellis defunctorum inscriptis solo defuncti nomine, apposita ad latus declaratione debita, & omissa quacumque superstitione, nec non secluso omni scandalo. *Secundo.* Permittuntur omnes cæremoniæ nationis Sinicæ erga defunctos, quæ non sint aut superstitiosæ, aut suspectæ, sed civiles. *Tertio.* Permittitur Confucii cultus ille, qui civilis est, & etiam ejusdem tabellæ purgatæ & litteris & superstitiosa inscriptione, & adjuncta declaratione debita, sicut permittitur ante ejus tabellam correctam accendi candelam, uri odores, apponi comestibilia &c. *Quarto.* Permittitur pro usu & expensis funerum offerri candelas, odores, adjuncta in schedula debita declaratione. *Quinto.* Permittuntur reverentiæ genuflexionum, & prostrationum erga tabellam correctam, aut etiam erga feretrum aut defunctum. *Sexto.* Permittuntur præparari mensæ cum dulciariis, fructibus, carne, & cibis usualibus circa, aut coram feretro, ubi sit tabella correcta, cum debita declaratione, & omissis superstitiosis, pro quadam honestate tantum & pietate erga defunctos. *Septimo.* Permittitur coram tabella correcta reverentia dicta *Ko teu* tum in anno novo Sinico, tum in aliis anni temporibus. *Octavo.* Permittitur coram tabellis reformatis accendi candelas, uri odores cum debitis cautelis, sicut etiam ante tumulum, ubi pariter collocari possunt cibi, ut supra dictum est, adhibitis cautelis, ut in superioribus. *Apostolici ergo viri Ecclesiam adhibentes non habentem maculam neque rugam, ponant manum suam ad aratrum, nec respiciant retro. Videte, fratres,*
„ *vocationem vestram; non enim auditores legis justi*
„ *sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.*
„ *Obsecramus itaque vos, ut digne ambuletis vocatio-*
„ *ne, qua vocati estis, solliciti servare unitatem spiri-*
„ *tus in vinculo pacis. Ne diutius agamus secundum*
„ *potestatem, paterne vos commonere voluimus per epi-*
„ *stolam. Amabilem illum patrem familias, qui exiit*

„ *primo*

„ *primo mane conducere operarios in vineam ſuam, audite*: Quid hic ſtatis tota die otioſi? Ite & vos in „ vineam meam. *Vocem patris perpendite, & illam „ judicis timete. Ipſi vos probate: virtus enim Dei e- „ rit vobis in auxilium, ac plenam miniſterio verbi „ Dei functi recipietis mercedem, immarceſcibilem ni- „ mirum a Paſtorum principe gloriæ coronam. Ne quis „ vos ſeducat inanibus verbis obedire veritati. Scitote, „ quod obedientes voci ejus, qui miſit vos, rationem „ non eritis reddituri pro animabus; ſed unuſquiſque „ veſtrum pro ſe rationem reddet Deo. Quicumque ſub „ diverſis prætextibus ceſſandum ſibi putat a miniſterio „ Miſſionarii, lædit animam ſuam, & de alienis æ- „ terno judici rationem reddet. Quam dabit homo com- „ mutationem pro anima ſua, & pro alienis? Deus eſt „ vitis vera, vos palmites. Qui non ferent fructus in „ eum, areſcent tanquam palmites, & collecti, & al- „ ligati in faſciculos ad comburendum, mittentur in „ caminum ignis inextinguibilis. Reſpicite Dominum „ noſtrum Jeſum Chriſtum ſecus viam ambulantem, qui „ in fici arbore nihil invenit, niſi folia tantum, & „ ait illi:* Nunquam ex te naſcantur fructus in ſem- „ piternum. *Si aliqui palmites jamdiu converſi in a- „ maritudinem, qui exſpectabantur ut tandem facerent „ uvas, ſpinas ſuper ſpinas adjeciſſent, væ, væ a die „ iræ, a die furoris & indignationis Domini! Atten- „ dite ad verba, quæ mandat vobis per ſervum ſuum „ Dominus adhuc miſericors. Revertimini ad Deum ve- „ ſtrum, manete in eo, qui manens in vobis purgabit „ vos, & deſideratos cunctis gentibus fructus afferetis. „ Apoſtolico ſatisfeciſſe nos muneri judicamus: non enim „ ſubterfugimus, quominus annuntiaremus omne conſi- „ lium Dei vobis, ut nullam excuſationem habeatis de „ peccatis veſtris. De cetero quotquot eritis obedientes, „ fratres, gaudete, perfecti eſtote, exhortamini, idem „ ſapite, pacem habete: & Deus pacis & dilectionis „ erit vobiſcum.*

„ *Cum vero ad promovendam in neophytis debitam „ Decretis Apoſtolicis obedientiam, præſentium litterа- „ rum noſtrarum notitiam iiſdem Neophytis minime ne- „ ceſſariam eſſe, ſed ſatis eſſe eos in viam ſalutis di- „ rigere juxta Pontificiæ Conſtitutionis præſcripta, com- „ pertum ſit; ne quis eorum, ad quos præſentes litteræ „ directæ ſunt, cujuſcumque Ordinis, aut Inſtituti, „ aut Congregationis fuerit, aut Societatis, etiam Je- „ ſu, præſentes litteras, aut quæ in eis continentur „ (exceptis Permiſſionibus, quæ quidem caute, & ubi „ neceſſitas tantum, aut utilitas poſtulaverit, pateſa- „ ciendæ erunt) ſive directe ſive indirecte per ſe, vel „ per alium voce tenus, aut ſcripto in linguam Tarta- „ ram, aut Sinicam vertat, aut quocumque modo cuili- „ bet, qui Miſſionarius non ſit, nota faciat, ſub ex- „ communicationis latæ ſententiæ, a qua nonniſi a no- „ bis, aut a Summo Pontifice (præterquam in articulo „ mortis conſtitutus) abſolvi poſſit, & quoad Regulares „ etiam privationis vocis activæ & paſſivæ pœnis per „ contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione in- „ currendis, tenore præſentium vetamus, & in virtute „ S. obedientiæ prohibemus. Datum Macai in Palatio „ noſtræ reſidentiæ die 4. Novembris anno* 1721.

„ XVII. Cum autem Patriarcha Alexandrinus in „ præallata Paſtorali mentem ſuam ſatis prudenter ex- „ plicuiſſet, nimirum paſtoralis hujus ſuæ Epiſtolæ no- „ titia opus non eſſe ad promovendam in Neophytis „ erga Pontificia Decreta veneratione & obſervan- „ tiam, cum ſatis eſſet, ut juxta Conſtitutionis Pon- „ tificiæ mandata in via ſalutis dirigerentur: præterea „ cum omnibus, & quibuſcumque interdictum voluiſ- „ ſet, ſub pœna quoque excommunicationis latæ ſen- „ tentiæ, ne quis illam in Sinenſem aut in Tartaricum „ ſermonem verteret, aut cuiquam, qui Miſſionarius „ non eſſet, eam palam faceret; de Permiſſionibus au- „ tem cum ſtatuiſſet, nonniſi caute, & ubi tantum uti- „ litas, vel neceſſitas id poſtularet, eſſe evulgandas; „ profecto omnis, ad quem paſtoralis illa epiſtola di- „ rigebatur, ex tali procedendi modo haud obſcure in- „ ferre debebat, quantis ille animi anguſtiis obſeſſus, „ & quam anceps & perplexus in Permiſſionibus hujuſ- „ modi proponendis extitiſſet: adeo ut œconomia qua- „ dam uſus fuiſſet ad loci & temporis circumſtantias „ prorſus neceſſaria: a qua putandum eſt eum receſſu- „ rum fuiſſe, ſi libertas ſibi data eſſet rem diſcutiendi „ cum Epiſcopis, aliiſque doctis viris, qui nihil aliud „ quam Chriſtiani cultus puritatem, & Apoſtolicæ „ Conſtitutionis obſervantiam ante oculos haberent. At „ Permiſſiones illæ contra expreſſam adeo Patriarchæ „ ipſius voluntatem evulgatæ; & quod mirum, Pekini „ Epiſcopus per binas ſuas Paſtorales mandavit, ſub „ pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, univerſis „ Diœceſis ſuæ Miſſionariis, ut obſervarent, & obſer- „ vari præciperent Conſtitutionem *Ex illa die* juxta „ Permiſſiones, quas ipſe contendebat ad ea potiſſimum „ referri, quæ in præcitata Conſtitutione fuerant ſole- „ mniter interdicta; præcepit inſuper, ut Chriſtifideles „ quater ſingulis annis in diebus omnium celeberrimis „ diſtincte inſtruerentur cum in iis, quæ in Conſtitu- „ tione Apoſtolica prohibentur, tum in iis, quæ a Pa- „ triarchæ Alexandrini Paſtorali permittuntur.

„ XVIII. Enimvero Clemens Papa XII. Prædeceſ- „ ſor noſter tam audax Epiſcopi Pekinenſis factum æ- „ quo animo ferre haud potens, muneri ſuo maxime „ intereſſe judicavit binas illas epiſtolas damnare, ac „ penitus reprobare Apoſtolico Brevi, quod anno 1735. „ promulgavit; in quo ſibi ac Sanctæ Sedi facultatem „ reſervavit declarandi Sinenſibus Chriſtianis mentem „ ſuam, & ejuſdem Sanctæ Sedis ſententiam in iis „ aliiſque, quæ ad materiam hujuſmodi ſpectarent. „ Præfatum autem Breve eſt tenoris ſequentis.

CLEMENTIS PAPÆ XII.

„ *Revocatio, & annullatio, & caſſatio duarum epi- „ ſtolarum paſtoralium bon. mem. Franciſci Epiſcopi „ Pekinenſis nuper defuncti, die VI. Julii & die XXIII. „ Decembris MDCCXXIII. circa ritus Sinenſes edi- „ tarum.*

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ *Apoſtolicæ ſollicitudinis nobis divinitus commiſſæ „ ratio nos admonet, ut ea, quæ Chriſtianæ religionis, „ catholicæque fidei propagationi ac incrementis qua- „ cumque ratione obſiſtere poſſe dignoſcuntur, quantum „ Nobis ex alto conceditur, recidere, ac e medio tollere „ ſtudeamus. Cum itaque, ſicut ad Apoſtolatus noſtri „ notitiam pervenit, occaſione binarum epiſtolarum, „ quas Paſtorales vocant, bon. mem. Franciſci, dum „ viveret, Epiſcopi Pekinenſis nuper defuncti, die VI. „ Julii & die 23. Decembris Anni* 1733. *circa ritus „ Sinenſes editarum graves in Imperio Sinarum inter „ Apoſtolicos illarum partium Miſſionarios exortæ fue- „ rint diſſenſiones, quæ uberes fructus, quos San- „ cta Mater Eccleſia ex aſſiduo Operariorum in il- „ lam Agri Dominici partem miſſorum labore præ- „ ſtolatur, impedire aut morari poſſent; Nos ut pri- „ ſtina inter eos Miſſionarios pax & animorum concor- „ dia, ſublatis quibuſvis diſſidiis, reſtituatur, de op- „ portuno in præmiſſis remedio providere volentes, ac „ epiſtolarum prædictarum tenores, & alia quæcumque „ etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & ex- „ preſſionem requirentia, præſentibus pro plene, & ſuf- „ ficienter expreſſis, & exacte ſpecificatis habentes, de „ nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. „ E. Cardinalium, qui juſſu noſtro epiſtolas ipſas ſe- „ dulo, ac diligenter examinarunt, conſilio, ac etiam „ motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deli- „ beratione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitu- „ dine binas memorati Franciſci Epiſcopi Pekinenſis „ Epiſtolas Paſtorales præfatas, ac pœnas & alia quæ- „ cumque in eis contenta, cum omnibus & ſingulis in- „ de ſecutis, & forſan quandocumque ſecuturis, peni- „ tus & omnino nulla, invalida, & irrita, nulliuſ- „ que prorſus roboris & momenti eſſe, & perpetuo fo- „ re, tenore præſentium declaramus: & nihilominus „ ad majorem cautelam, & quatenus opus ſit, illa „ omnia & ſingula motu, ſcientia, deliberatione, & „ poteſtatis plenitudine paribus harum ſerie itidem per- „ petuo revocamus, caſſamus, irritamus, annullamus, „ & abolemus, viribuſque, & effectu penitus & omni- „ no vacuamus, ac pro revocatis, caſſatis, irritis, nul- „ lis, invalidis, & abolitis, viribuſque & effectu pe- „ nitus & omnino vacuis ſemper haberi volumus: No- „ bis inſuper & Apoſtolicæ Sedi reſervantes facultatem „ Chriſtifidelibus in eodem Regno degentibus aperiendi „ noſtram & dictæ Sedis mentem poſt maturam itidem „ habitam deliberationem ſuper aliis rebus, quæ hujuſ- „ modi materiam reſpiciunt: decernentes, ipſas præſen- „ tes litteras ſemper firmas, validas & efficaces exi- „ ſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus „ ſortiri, & obtinere, & ab omnibus & ſingulis, ad „ quos quomodolibet ſpectat, & pro tempore quando- „ cumque ſpectabit, præſertim vero Archiepiſcopis, E- „ piſcopis, Vicariis, Provicariis, & Miſſionariis Apo- „ ſtolicis tam Sæcularibus quam cujuſvis Ordinis, Con- „ gregationis, Inſtituti, & Societatis etiam Jeſu, Re- „ gularibus in ſupradicto Sinarum Regno nunc & pro „ tempore exiſtentibus, inviolabiliter & inconcuſſe ob- „ ſervari; ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſ- „ cumque judices ordinarios, & delegatos, etiam Cau- „ ſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. „ R. E.*

„ *R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis præfatæ Nuncios, aliosve quoslibet, quacumque præeminentia & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 26. Septembris* 1735. *Pontificatus nostri anno sexto.*

F. Card. Oliverius.

„ XIX. Id vero, quod idem Pontifex Clemens XII. „ sibi ac sanctæ Sedi Christianis Sinensibus declarandum „ reservavit, erat profecto materia Permissionum, de „ quibus certior jam factus fuerat, deque maxima inde „ secuta inter Missionarios dissensione; cum alii con„ tenderent Constitutionem *Ex illa die* omnem vim „ suam amittere, si Permissiones illæ in praxi consi„ stant; alii vero factis palam ostenderent, Permissio„ num colore se ad prædictæ Constitutionis observan„ tiam minime teneri, juxta illa, quæ in ipsa Con„ stitutione præscribuntur. Itaque præfatus Prædeces„ sor noster, quo Christianæ Religionis puritatem, quæ in „ iis regionibus per exactam præmemoratæ Constitutio„ nis observantiam servanda erat, asseret, & contro„ versiis istiusmodi finem aliquando imponeret, exami„ ni perquam diligenti totum Permissionum negotium „ commisit, ita ut a Theologis, tum etiam a S. Ro„ manæ Ecclesiæ Cardinalibus sacræ Inquisitioni præ„ positis mature serioque discuteretur. Antequam vero „ supremam de illis sententiam pronuntiaret, ad ple„ niorem facti notitiam obtinendam, omnes, & singu„ los quotquot in Urbe existerent, Sinarum Missiona„ rios, tum etiam complures juvenes, qui ex iis regio„ nibus in Europam educationis, & christianæ rei ad„ discendæ caussa venerant, ad examen super his, ser„ vato juris ordine, vocari jussit.

„ Nos igitur Prædecessoris nostri vestigiis insistentes, „ eodemque religionis zelo, quo ille, incensi, ut tan„ ti momenti opus, quod ipse morte præoccupatus ab„ solvere minime potuit, aliquando tandem, Deo au„ xiliante, perficeremus, Permissiones illas, & quidem „ singulas, coram Nobis summo studio ac diligentia ex„ aminari curavimus, neque laborem nostrum tantum, „ sed Cardinalium quoque, & sacræ Inquisitionis Con„ sultorum doctrinam & consilium exquisivimus, ac „ tandem satis aperte compertum habemus, antedictas „ Permissiones nunquam a sancta Sede probatas, Apo„ stolicæ Clementis Papæ XI. Constitutioni repugnare, „ atque adversari, utpote quæ partim cæremonias, ri„ tusque Sinenses a prædicta Constitutione proscriptos „ admittant, ac veluti probatos atque utendos conce„ dant, partim regulis in ipsa traditis ad vitandum „ superstitionis periculum opponantur. Nolentes itaque „ quemquam ad Constitutionem ipsam summo Chri„ stianæ Religionis damno malitiose evertendam Per„ missionibus ejusmodi uti, definimus, ac declaramus, „ præfatas Permissiones ita esse habendas, ac si nun„ quam extitissent, earumque praxim tanquam super„ stitiosam omnino damnamus & execramur. Itaque „ præsentis hujus nostræ Constitutionis perpetuo vali„ turæ vi revocamus, rescindimus, abrogamus, atque „ omni vigore & effectu vacuas esse volumus omnes „ illas & singulas Permissiones, easque semper uti cas„ sas, irritas, invalidas, & nullius prorsus roboris aut „ vigoris habendas esse dicimus, & pronunciamus.

„ Præterea cum Clemens Papa XI. in Constitutione „ *Ex illa die* apposuerit hæc verba: *Per præmissa ni„ hilominus non vetari, quominus erga defunctos per„ agi possint alia, si quæ sint, quæ vere superstitiosa „ non sint &c.* Nos dicimus & declaramus ea verba: „ *alia si quæ sint;* intelligenda de usibus, & cæremo„ niis diversis ab illis, quas idem Pontifex Apostolica „ Constitutione jam interdixerat, & quas Nos pariter „ eadem auctoritate configimus, atque interdicimus, ne „ antedictis Permissionibus, quas omnino damnatas vo„ lumus, ullus imposterum locus pateat.

„ Districte itaque prohibemus, ne quis Archiepisco„ pus, aut Episcopus, aut Vicarius, aut Delegatus A„ postolicus, aut Missionarius tam sæcularis quam re„ gularis, cujuscumque Ordinis, Congregationis, Insti„ tuti etiam Societatis Jesu, aliorumque de quibus ex„ pressa & individua mentio fieri debeat, Permissioni„ bus prædictis ullo pacto uti valeat sive publice, sive „ privatim, sive palam, sive clam, neque audeat, vel „ præsumat Constitutionis paulo ante citata verba ali„ ter, ac Nos supra declaravimus, alicui explicare, aut „ interpretari. Quare ex prædictorum Sanctæ Romanæ „ Ecclesiæ Cardinalium consilio, motu quoque proprio, „ ac certa scientia, maturaque deliberatione, tum et„ iam de plenitudine Apostolicæ potestatis, Constitu„ tionis præsentis tenore, in virtute sanctæ obedientiæ „ præcipimus, & expresse mandamus omnibus, & sin„ gulis Archiepiscopis, & Episcopis in Sinarum Im„ perio, aliisque Regnis sive finitimis, sive adjacenti„ bus, nunc existentibus, aut olim pro tempore futu„ ris, sub pœnis suspensionis a Pontificalium exercitio, „ & ab Ecclesiæ ingressu interdicti, eorum vero Offi„ cialibus & Vicariis in spiritualibus generalibus, aliis„ que eorumdem locorum ordinariis Vicariis, tum et„ iam eorum Provicariis, & insuper Missionariis uni„ versis tam Sæcularibus quam Regularibus, cujuscum„ que Ordinis, Congregationis, Instituti etiam Socie„ tatis Jesu, sub pœnis privationis quarumcumque, „ quibus gaudent, facultatum, & suspensionis ab exer„ citio curæ animarum, tum etiam suspensionis a divi„ nis ipso facto incurrendæ absque alia declaratione, „ demum excommunicationis latæ sententiæ, a qua „ non possint, nisi a Nobis, & a Romano Pontifice „ pro tempore existente absolvi, præterquam in arti„ culo mortis constituti, addita quoad Regulares etiam „ vocis activæ & passivæ privationis pœna, præcipi„ mus & districte mandamus, ut omnia & singula, „ quæ in hac nostra Constitutione continentur, exacte, „ integre, absolute, inviolabiliter, atque immobiliter, „ non modo ipsi observent, sed etiam omni conatu, „ ac studio ea ipsa observari curent a singulis & uni„ versis, qui quoquo modo ad eorum curam, & regimen „ spectant; nec colore, caussa, occasione, seu prætextu „ aliquo huic nostræ Constitutioni ulla in parte contra„ ire, aut adversari audeant, vel præsumant. Præte„ rea quoad Missionarios Regulares cujuscumque Or„ dinis, Congregationis, Instituti, ac Societatis quo„ que Jesu, si quis eorum (quod Deus avertat) exa„ ctam, integram, absolutam, inviolabilem, strictam„ que obedientiam denegaverit iis, quæ a Nobis præ„ sentis hujus Constitutionis tenore statuuntur, ac præ„ cipiuntur, eorum Superioribus tam Provincialibus, „ quam Generalibus in virtute sanctæ obedientiæ ex„ presse mandamus, ut homines hujusmodi contuma„ ces, perditos, ac refractarios a Missionibus absque „ ulla mora dimoveant, eosque in Europam statim re„ vocent, ac de illis notitiam nobis exhibeant, ut reos „ pro gravitate criminis punire valeamus. Quod si præ„ dicti Superiores Provinciales, aut Generales huic no„ stro præcepto minus obtemperaverint, aut in eo de„ fides fuerint, Nos contra ipsos quoque procedere non „ recusabimus, atque inter cætera mittendi aliquem „ ex ipsorum Ordine in earum regionum Missiones pri„ vilegio, seu facultate eos perpetuo privabimus.

„ Postremo, ut hæc nostra Constitutio in suo ro„ bore semper integra, ac firma maneat, volumus quo„ que, ut ad formulam juramenti a Clemente Papa „ XI. in sua Constitutione præscriptam, nonnulla ad„ jiciantur, quæ maxime necessaria putavimus. Idcir„ co omnes qui præfatæ Constitutionis vigore sub pœ„ nis in ea contentis juramentum præstare debebunt, „ imposterum sequenti formula utentur, videlicet: *Ego „ N. Missionarius ad Sinas, vel ad Regnum N., vel „ ad Provinciam N. a Sede Apostolica, vel a Superio„ ribus meis juxta facultates eis a Sede Apostolica con„ cessas missus, vel destinatus, præcepto ac Mandato „ Apostolico super ritibus ac cæremoniis Sinensibus in „ Constitutione Clementis Papæ XI. hac de re edita, quæ „ præsentis juramenti formula præscripta est, contento, ac „ mihi per integram ejusdem Constitutionis lecturam ap„ prime noto plene ac fideliter parebo, illudque exacte, „ absolute, ac inviolabiliter observabo, & absque ulla „ tergiversatione adimplebo, atque pro virili enitar, ut „ a Christianis Sinensibus, quorum spiritualem directio„ nem quoquo modo me habere contigerit, similis obe„ dientia eidem præstetur. Ac insuper, quantum in me „ est, nunquam patiar, ut ritus & cæremoniæ Sinenses „ in literis Pastoralibus Patriarchæ Alexandrini Macai „ datis die 4. Novembris* 1721. *permissæ, ac a Sanctis„ simo Domino nostro Benedicto Papa XIV. damnatæ ab „ eisdem Christianis ad praxim deducantur. Si autem „ (quod Deus avertat) quoquo modo contravenerim, „ toties, quoties id evenerit, pœnis per prædictas Con„ stitutiones impositis me subjectum agnosco & declaro. „ Ita tactis sacrosanctis Evangeliis promitto, voveo, &*

„ *juro.*

„ *juro . Sic me Deus adjuvet, & hæc S. Dei Evan-*
„ *gelia . Ego N. manu propria .* Confidimus igitur fo-
„ re, ut Princeps Paſtorum Jeſus Chriſtus laboribus a
„ Nobis, qui ejus vices in terris gerimus, in hoc gra-
„ viſſimo negotio diu impenſis benedicat, ut in ampliſ-
„ ſimis illis regionibus Evangelica lux clare, nitideque
„ affulgeat, ac præpotenti manu ſua ſic pia noſtra con-
„ ſilia promoveat, ut regionum earundem Paſtores in-
„ telligant, planeque ſibi perſuadeant obligationem, qua
„ ipſi tenentur vocem noſtram audire & ſequi . Con-
„ fidimus quoque (Deo favente) ex eorum cordibus
„ inanem illum metum ſublatum iri, ne videlicet per
„ exactam Pontificiorum Decretorum obſervantiam in-
„ fidelium converſio retardetur . Nam hæc a divina
„ gratia ſperari potiſſimum debet, quæ quidem ab eo-
„ rum miniſterio longe non aberit, ſi chriſtianæ reli-
„ gionis veritatem impavide prædicaverint, atque ea
„ puritate, quæ ipſis ab Apoſtolica hac S. Sede tradi-
„ ta eſt, parati quoque ad eam propugnandam ſangui-
„ nem effundere exemplo Apoſtolorum aliorumque Chri-
„ ſtianæ Fidei clariſſimorum propugnatorum , quorum
„ ſanguis tantum abfuit, ut Evangelii curſum interci-
„ peret aut retardaret, ut potius vineam Domini flo-
„ rentem magis, & fidelium animarum copioſiorem ef-
„ fecerit . Nos quidem pro viribus noſtris Deum ob-
„ ſecrabimus, ut invictam illis hanc animi firmitatem
„ & Apoſtolici zeli robur concedat . Verum ad eorum
„ memoriam reducimus, ut quando ad ſacras Miſſio-
„ nes deſtinantur, ſe tanquam veros Jeſu Chriſti diſci-
„ pulos cogitent, & ab eodem ſe miſſos fuiſſe, non ad
„ gaudia temporalia, ſed ad magna certamina ; non ad
„ honores, ſed ad deſpectiones ; non ad otium, ſed ad
„ labores ; non ad requiem, ſed ad afferendum fructum
„ multum in patientia .

„ Volumus autem, ut earumdem præſentium tran-
„ ſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii pu-
„ blici ſubſcriptis & ſigillo perſonæ in dignitate Eccle-
„ ſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides prorſus adhi-
„ beatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi
„ forent exhibitæ, vel oſtenſæ .

„ Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ
„ confirmationis, innovationis, revocationis, reſciſſionis,
„ abolitionis, caſſationis, annullationis, damnationis,
„ ac ordinationis infringere, vel ei auſu temerario con-
„ traire . Si quis autem hoc attentare præſumpſerit,
„ indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri
„ ac Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum .
„ Datum Romæ apud S. Mariam Majorem quinto Idus
„ Julii anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptin-
„ genteſimo quadrageſimo ſecundo Pontificatus Noſtri
„ anno ſecundo .

P. Cardinalis Prodatarius
D. Cardinalis Paſſioneus .
Viſa de Curia . N. Antonellus
J. B. Eugenius .
Regiſtrata in Secretaria Brevium .

„ *Anno a Nativitate D. N. J. C.* 1742. *Indictione V.*
„ *die vero* 9. *Auguſti , Pontificatus autem Sanctiſſimi*
„ *in Chriſto Patris & Domini Noſtri D. Benedicti di-*
„ *vina providentia Papæ XIV. anno ſecundo ſupradicta*
„ *Conſtitutio affixa & publicata fuit ad valvas Baſili-*
„ *cæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Can-*
„ *cellariæ Apoſtolicæ Curiæ Generalis in Monte Citato-*
„ *rio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſoli-*
„ *tis & conſuetis Urbis per me Sebaſtianum Amadeum*
„ *Apoſt. Curſorem .*

N. Cappelli Mag. Curſor .

MONUMENTUM IX.

Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini

BENEDICTI PAPÆ XIV.

CONSTITUTIO

Super Ritibus, Cæremoniis, Uſibus, & Conſuetudinibus in Regnis Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi Indiarum Orientalium obſervandis, ſeu vitandis, permittendis, aut abolendis cum opportunis Declarationibus, Ordinationibus, & Præceptis .

Benedictus Epiſcopus Servus Servorum Dei .
Ad perpetuam rei memoriam .

„ I. OMnium ſollicitudinum, quæ demandatum No-
„ bis, divino prorſus conſilio, nulloque me-
„ rito noſtro, ſupremi, univerſaliſque Paſtoris munus
„ graviſſimum præter modum, formidandumque conſti-
„ tuunt, potiſſima ſane, quæque magis animum noſtrum
„ exſtimulat, Noſque perpetuo trepidantes, & anxios
„ habet, ea eſt, ut concreditum Nobis Fidei depoſi-
„ tum, integrum, illibatumque ſervemus ; ideoque o-
„ mne ſtudium noſtrum, operamque in id conferamus,
„ ut late diffluenter ſuper faciem terræ cæleſtis doctri-
„ næ latices nullo aut corruptelæ luto, aut erroris in-
„ ficiantur veneno, dumque Evangelica lux undequa-
„ que diffunditur, nulla forte Gentilitatis ſuperſtitione
„ obumbretur ; atque ut iis, quos e poteſtate tenebra-
„ rum erutos, confractis ferreis infidelitatis vectibus ,
„ in admirabile lumen ſuum vocavit miſericors Deus ,
„ in ſpemque evexit æternæ ſalutis, & hæreditatis ,
„ corde credentes ad juſtitiam , operibuſque quod cre-
„ dunt comprobantes, & myſticis Corporis Chriſti ,
„ quod eſt Eccleſia, digna ſe membra exhibentes, id
„ ipſum dicant, ut Apoſtolus exoptabat ardenter , &
„ ſint perfecti in eodem ſenſu , & in eadem ſententia .
„ Hinc cum primum Altiſſimo placuit humilitatem no-
„ ſtram ad ſummi Apoſtolatus apicem evehere, nulli
„ umquam labori parcere decrevimus, quem non ſolum
„ ad propagandam in omnem terram fidei , & ſalutis
„ ſcientiam, ſed etiam ad unitatem ſpiritus, & do-
„ ctrinæ inter fideles ubique fovendam, & confirman-
„ dam, vel, ſicubi opus eſſet, reconciliandam, & ſta-
„ biliendam, opitulante Deo, proficuum, & neceſſa-
„ rium fore deprehenderemus .

„ II. Verum quum eam ob cauſam ad extremas uſ-
„ que Orbis Terræ plagas mentis noſtræ obtutus dirige-
„ remus, eoſque peculiariter figeremus in novella illa ger-
„ mina Chriſtianitatis, quæ, divina irrorante gratia ,
„ in novis Eccleſiis Regnorum Madurenſis, Mayſſu-
„ renſis, & Carnatenſis dudum pullularunt, non par-
„ vam Nobis inde laborum, atque curarum materiem
„ allatum iri verebamur, dum animo recenſeremus, quan-
„ tum, & quandiu Apoſtolica Prædeceſſorum noſtrum
„ deſudaſſet induſtria, ut ex recens coaleſcentibus præ-
„ dictorum Regnorum Eccleſiis, vanarum obſervatio-
„ num, rituumque a Chriſtiana Religione abhorrentium
„ zizania radicitus evellerent, atque importunas contro-
„ verſias inter ſacros ipſos regionum illarum Operarios
„ in re tam gravi exortas, &, quod magis dolendum
„ erat, inimici hominis opera, noſtris adhuc tempori-
„ bus perſtantes, componerent, atque eliminarent . At-
„ tamen fiduciam noſtram collocantes in Domino, qui
„ humanos animos, ubi vult, fortiter, ſuaviterque in-
„ flectit ; potiſſimum vero quum delatis ad Nos argumen-
„ tis filialis obedientiæ, qua plerique illarum partium
„ Miſſionarii ſuprema hujus Apoſtolicæ Sedis Decreta
„ ſe excipere profeſſi ſunt ; nobis expoſitum fuit, ad o-
„ mnes demum iis de rebus controverſias ſedandas, ac
„ prædictarum Eccleſiarum ſtatum componendum , at-
„ que firmandum, nil aliud jam reliquum eſſe, quam
„ ut ad nonnulla poſtulata, quæ ex parte aliquorum
„ Operariorum hujuſmodi Nobis proponebantur, con-
„ gruæ reſolutiones, & reſponſiones Apoſtolica authori-
„ tate prodirent, magnam in ſpem erecti ſumus, fore
„ ut, ſublatis per opportuna reſcripta propoſitis dubi-
„ tationibus, ac finitivis demum noſtris, & hujus Apo-
„ ſtolicæ Sedis mandatis, atque præceptis editis, ac pro-
„ mulgatis, optatus aliquando finis imponeretur diutur-
„ nis, moleſtiſque diſſenſionibus, quæ Prædicationis E-
„ vangelicæ in prædictis Regnis olim diſſeminatæ fru-
„ ctum late inficientes, ipſaſque novarum Eccleſiarum
„ ſoboles vehementi diſcordiarum turbine agitantes, eo
„ rem adduxerant, ut tot verbi Dei præcones eximii
„ ſine cauſa adhuc laboraſſe, largoſque ſudores, & ſan-
„ guinem ipſum fruſtra effudiſſe viderentur .

III. Ut enim multa prætereamus, quæ retroactis tem-
„ poribus hac in re acciderunt ; graviores, quas innui-
„ mus, controverſiæ hoc ipſo ineunte ſæculo eruperunt,
„ ſeu potius renovatæ fuerunt, quum a ſel. record. Præ-
„ deceſſore noſtro Clemente Papa XI. miſſus ad oram
„ Coromandeli appulit bo. me. Carolus Thomas, tunc
„ Patriarcha Antiochenus cum poteſtate Legati a latere
„ in Indiis Orientalibus Commiſſarius, & Viſitator A-
„ poſtolicus, deinde hujus S. R. E. Cardinalis Tour-
„ nonius nuncupatus . Is enim, eo cum appuliſſet ,
„ ad trutinam vocatis nonnullis cæremoniis, quæ ab ali-
„ quibus Miſſionariis obſervabantur, vel permittebantur, ab aliis vero tanquam Chriſtianæ pietatis ſpiritui minime conformes rejiciebantur , unde diſcordiarum, & funeſtiſſimarum diſputationum ſemina , explo-
„ ratis ea qua par erat diligentia factis, & circum-
„ ſtantiis, e re Chriſtiana eſſe, ſuique Officii partes
„ exigere judicavit, plures hujuſmodi cæremonias gravi
„ interdicto proſcribere, atque damnare, latoque Edi-
„ cto , ſeu Decreto certam Miſſionariis normam præ-
„ ſcribere, quam in excolendo Dominico illo agro cun-

„ cti

„ cti ſervarent, ut divini Verbi ſemen, præciſis lolio, „ & vepribus, altas agere radices, & feliciſſime poſſet „ propagari. Quod quidem a ſe editum Decretum a „ Miſſionum illarum Provincialibus, & Superioribus ſub „ pœna excommunicationis latæ ſententiæ, a cæteris „ vero ſubditis Miſſionariis ſub pœna ſuſpenſionis a di„ vinis ipſo facto incurrendæ, inviolabiliter obſervari, „ & executioni mandari præcepit, donec aliter Apoſto„ lica Sedes provideret. Exemplum autem Decreti ejuſ„ modi eſt, videlicet.

„ IV. *Carolus Thomas Maillard de Tournon, Dei, „ & Apoſtolicæ Sedis gratia Patriarcha Antiochenus, „ Sanctiſſimi D. N. Clementis Divina Providentia Pa„ pæ XI. Prælatus domeſticus, ejus Pontificio Solio Aſ„ ſiſtens, necnon Sanctæ Romanæ, & Univerſalis In„ quiſitionis contra hæreticam pravitatem Conſultor, ac „ in Indiis Orientalibus, & Sinarum Imperio, finiti„ miſque Inſulis Commiſſarius, & Viſitator Apoſtolicus „ cum facultate Legati de Latere.*

„ *Inter graviores, quibus premimur, curas pro Apo„ ſtolici Viſitatoris munere nobis, licet tanto oneri impa„ ribus, injuncto, ea ſane eſt præcipua, cum nos huc „ miſſos eſſe conſideramus ad expurgandum Dominicum „ agrum a zizaniis novella Chriſti germina ſuffocanti„ bus, & de alienis peccatis rationem eſſe reddituros, „ qui æternam Dei ultionem pro noſtris nunquam ſatis „ expiandis jure formidamus. Quamobrem ſtatim at„ que ad has Indiarum oras appulimus, mentis noſtræ „ oculos per vaſtiſſimas illas Orientales regiones circum„ ferentes, dum corpus pertinaci morbo jaceret deten„ tum, Miſſionum neceſſitates undique inquirere curavi„ mus, ut iiſdem pro viribus de opportuno remedio pro„ ſpiceremus. Et quidem merito inter primas noſtræ „ ſollicitudini occurrerunt novæ Domini vineæ in Regnis „ Madurenſi, & Mayſſur, recentiuſque Carnatenſi iiſ„ dem fere legibus, parique labore ab Evangelicis So„ cietatis Jeſu Operariis Luſitanis, & Gallis plantatæ, „ ubi inter Ethnicorum, & Gentilium perſecutiones, „ ac inter tot vitæ aſperitates virentes germinant Evan„ gelii palmites, aſſiduis Miſſionariorum ſudoribus ir„ rigati, illuc ſane fuiſſemus, non minus laboris, quam „ gaudii in Chriſto Jeſu participes eſſe vehementer cu„ pientes, niſi hoc nobis diuturna infirmitas prohibuiſ„ ſet. Quod autem per nos ipſos immediate obtinere „ non licuit, exhibitum erga nos, & S. Sedem Apoſto„ licam obſequium a Patribus Venantio Bouchet Carna„ tenſis Miſſionis Superiore, & Carolo Michaele Bartol„ do Madurenſe Miſſionario, viris doctrina, & propa„ pagandæ fidei zelo præſtantibus, opportune ſuppedita„ vit. Enimvero cum ab illis in moribus, lingua, „ & religione iſtarum regionum ex longa in his vitæ „ conſuetudine apprime verſatis plura certius cognoveri„ mus, quæ eoſdem palmites enerves reddant, & fru„ ctu vacuos, utpote qui Gentilium vanitatibus magis „ inhæreant, quam viti, quæ eſt Chriſtus; in multo ex„ perimento tribulationis abundantia gaudii noſtri fuit. „ Rebus itaque maturo examini ſuppoſitis, dictiſque Pa„ tribus oretenus, ac in ſcriptis fuſe auditis, atque Dei „ ope publicis precibus implorata, ut fidei puritati, ſpi„ ritualique Chriſtianorum proventui ſalubriter in Do„ mino conſulamus, utque fiat oblatio Gentilium accep„ pta, & ſanctificata in Spiritu Sancto, ad præſens De„ cretum authoritate Apoſtolica, etiam cum facultate Le„ gati de Latere, devenimus.*

„ *Et a Sacramentorum adminiſtratione exordium ſu„ mentes, diſtricte prohibemus, ne in baptizandis tam „ pueris, quam adultis cujuſcumque ſexus, & condi„ tionis, omittantur Sacramentalia, ſed omnia palam „ adhibeantur, & ſignanter ſaliva, ſal, & inſuffla„ tio, quæ ex Apoſtolica traditione Catholica Eccleſia „ recepit, ac ob recondita in his ſacris cæremoniis divi„ næ erga nos bonitatis myſteria, ſancte, & inviolabi„ liter cuſtodivit; Decreto ſanctæ Univerſalis Romanæ „ Inquiſitionis de anno 1656. pro Sinis facto, ob diver„ ſas rationes, & circumſtantias, minime obſtante.*

„ *Item præcipimus, ut juxta laudabilem Eccleſiæ con„ ſuetudinem ſemper imponatur baptizando a baptizan„ te nomen alicujus Sancti in Martyrologio Romano de„ ſcripti, omnino interdictis nominibus Idolorum, vel „ falſæ Religionis Pœnitentium, quibus Gentiles utun„ tur, & Neophyti hactenus appellari conſueverant, an„ tequam eſſent per Baptiſmum divinæ gratiæ renati. „ Nec Parochis, ſeu Miſſionariis ſub quovis prætextu „ liceat, Crucis, Sanctorum, & rerum ſacrarum no„ mina per translata immutare, nec ea alio idiomate „ explicare, niſi latino, vel ſaltem Indico, quatenus „ voces Indicæ Religionis latinæ ſignificationi liquido, „ & ad amuſſim reſpondeant.*

„ *Et quia audivimus, Baptiſmum Infantium ex Chri„ ſtianis parentibus ortorum, eorumdem incuria ſæpe ſæ„ pius diu protrahi, non ſine maximo dictorum infan„ tium ſalutis diſcrimine, monemus Evangelicos Opera„ rios, ut ſacrorum Canonum memores, terminum bre„ viorem, quam fieri poſſit, attentis circumſtantiis, „ genitoribus præfigant, graviter conſcientiam eorum o„ nerantes, niſi filios intra præfixum tempus ad Eccle„ ſiam deferant ſacro fonte abluendos.*

„ *Præterea cum moris hujus regionis ſit, ut Infantes „ ſex vel ſeptem annorum, interdum etiam in teneriori „ ætate ex genitorum conſenſu, matrimonium indiſſolu„ bile de præſenti contrahant per impoſitionem Tally, „ ſeu aureæ teſſeræ nuptialis, uxoris collo penſilis; Miſ„ ſionariis mandamus, ne hujuſmodi irrita Matrimonia „ inter Chriſtianos fieri permittant, nec ſponſos ſic con„ junctos cohabitare ſinant, donec completa legitima æ„ tate, & explorato eorum conſenſu, in faciem Eccle„ ſiæ, juxta formam a ſacro Concilio Tridentino præ„ ſcriptam, verum, & canonicum matrimonium con„ traxerint. Et quoniam apud peritiores impiæ illius „ religionis Sectatores Tally præſefert imaginem licet „ informem Pulleyaris, ſive Pyllaiaris Idoli nuptiali„ bus cæremoniis præpoſiti; cumque dedeceat Chriſtia„ nas mulieres talem effigiem collo deferre in ſignum „ matrimonii, diſtricte prohibemus, ne in poſterum au„ deant Tally cum hac effigie collo appendere; & ne „ uxores innuptæ videantur, poterunt uti alio* Tally *„ vel ſanctiſſimæ Crucis, vel Domini Noſtri Jeſu Chri„ ſti, vel Beatiſſimæ Virginis, vel alia quavis religio„ ſa imagine ornato: & cum ſuperſtitione non careat „ funiculus centum & octo filis compoſitus, & croceo „ ſucco delinitus, quo plerique dictum* Tally *appen„ dunt, prohibemus etiam dictorum filorum numerum, „ & unctionem.*

„ *Cæremoniæ etiam nuptiales juxta harum regionum „ morem tot ſunt, tantaque ſuperſtitione maculatæ, ut „ tutius remedium aptari non poſſet, quam eas omnino „ interdicendo, cum undique noxia Gentilitatis labe „ ſcateant, & difficillimum ſit eas a ſuperſtitioſis ex„ purgare. At vero ut faciliori converſionum viæ & „ Neophytorum commodo, quantum fieri poteſt, in Do„ mino indulgeamus, Miſſionariis, & præcipue Miſſio„ num Superioribus injungimus, ut novis adhibitis di„ ligentiis, ſeveriorique calculo ſuperſtitioſa omnia a „ dictis cæremoniis expungant, ita ut nihil inultum re„ linquatur, quod Chriſtianam pietatem offendat, & „ Gentilium ſuperſtitionem redoleat, & ſignanter præ„ ter eas, quas audivimus jam ſtatutas in hac mate„ ria ab iiſdem Miſſionariis reformationes, ramus ar„ boris Areſciomara omnino auferatur, ferculorum nu„ merus, non minus ac cibi præſcripta qualitas, va„ rietur; circuli ſuper caput ſponſorum ad tollendæ „ maleficia omittantur; & quod de ferculis diximus, „ de luteis vaſis ibidem adhiberi ſolitis a nobis dic„ tum, & prohibitum intelligatur; fructus etiam vul„ go dictus Cocco, ex cujus fractione proſperitatis, vel „ infortunii auſpicia Gentiles temere ducunt, vel o„ mnino a Chriſtianorum nuptiis rejiciatur, vel ſaltem, „ ſi illum comedere velint, non publice, ſed ſecreto, „ & extra ſolemnitatem aperiatur ab iis, qui Evange„ lica luce edocti, ab hujuſmodi auſpiciorum delira„ mento ſunt alieni.*

„ *Nullus rite, & ſufficienter diſpoſitus arceatur a „ Sacramento Pœnitentiæ, ad peccatorum remiſſionem, „ tanquam inſtrumento divinæ Miſericordiæ a Chriſto „ Domino inſtituto, & ſignanter mulieres menſtruali „ morbo laborantes, non attentis diebus purificationis „ juxta mores Gentilium, cum hæc Sacramentalis vera „ animæ purificatio, & non alia, ſit attendenda a Chri„ ſtifidelibus, eorumque Paſtoribus; quibus præterea „ non liceat, nec per ſe ipſos, nec per Catechiſtas, nec „ per alios quoſcumque, dictis mulieribus prohibere ac„ ceſſum ad Eccleſiam, vel ad Confeſſarium, durante „ dicta infirmitate, & dicto purificationis tempore. De„ decet etiam Chriſtianæ Virginis honeſtatem prima vi„ ce dicto morbo laborantis, illum Cognatis, Vicinis, „ & Amicis notum facere, ac inverecunde publicare, „ iiſque, Ethnicorum more, & ritu, in ejus domum „ collectis, ſuper re tam ſordida feſtum inſtituere. Quo„ circa hujuſmodi celebritates, & ritus orthodoxis puel„ lis penitus interdicimus, & abolemus; Miſſionariiſ„ que injungimus, ut non ſolum eas, verum etiam Ge„ nitores moneant, quam diſſona ſit virginei pudoris „ legibus hujuſmodi obſcœna conſuetudo, quæ a Genti„ lium impudentia videtur inducta, ut ita labefactata „ puellarum verecundia, eas effrænate ad libidinem „ provocare valeant.*

„ *Ferre pariter non poſſumus, quod a Medicis ſpiri„ tualibus pro animarum ſalute ea caritatis officia de„ negentur, quæ Medici Gentiles, nobilis etiam gene„ ris, ſeu Caſtæ, pro corporis ſalute præſtare non dedi„ gnantur infirmis etiam abjectæ, & infimæ conditio„ nis, vulgo dictis Pareas. Quapropter diſtricte man„*

„ *da-*

„ *damus Miſſionariis, ut quantum in ipſis erit, nemi-*
„ *ni e Chriſtianis ægrotis, quantumvis Pareas, & vi-*
„ *lioris, ſi adeſſent, generis hominibus, deſideranda re-*
„ *linquatur in infirmitate copia Confeſſarii, & ne, in-*
„ *graveſcenribus morbis, cum graviſſimo vitæ tempora-*
„ *lis periculo, æternæ conſulere cogantur, iiſdem Miſ-*
„ *ſionariis præcipimus, ne infirmos hujuſmodi conditio-*
„ *nis ad Eccleſiam deferendos expectent, ſed conſultius*
„ *domos, ubi ægrotant, pro viribus petant ad eos invi-*
„ *ſendos, ac piis ſermonibus, & precibus, Sacramento-*
„ *rumque pabulo recreandos, atque demum eos in ex-*
„ *tremo vitæ diſcrimine conſtitutos ſancto infirmorum*
„ *Oleo deliniant, abſque perſonarum, aut ſexus acce-*
„ *ptione, expreſſe damnantes quamcumque praxim huic*
„ *Chriſtianæ pietatis officio contrariam.*

„ *Non ſine maximo animi noſtri mœrore accepimus*
„ *etiam, Chriſtianos tympanorum pulſatores, Tibicines,*
„ *aut alterius cujuſcumque muſici inſtrumenti ſonatores*
„ *ad Idolorum feſtivitates, & ſacrificia accerſiri, ad*
„ *ludendum, & interdum etiam cogi, ob quamdam ſer-*
„ *vitutis ſpeciem erga publicum ab ipſis contractæ per*
„ *hujuſmodi artis exercitium, nec facile eſſe Miſſiona-*
„ *riis eos ab hoc deteſtabili abuſu avertere: quocirca*
„ *conſiderantes, quam gravem rationem eſſemus Deo*
„ *reddituri, ſi hujuſmodi Chriſtifideles a Dæmoniorum*
„ *honore, & cultu pro viribus non revocaremus, illis*
„ *prohibemus, ne impoſterum audeant, nec in Pagodis,*
„ *nec extra, tum occaſione ſacrificiorum, tum quarum-*
„ *cumque ſolemnitatum ſuperſtitioſo cultu imbutarum,*
„ *ſonare, aut canere, ſub pœna excommunicationis la-*
„ *tæ ſententiæ, cum nullo modo liceat Chriſti famulis*
„ *Belial inſervire. Ideoque Miſſionarii non ſolum eos*
„ *monere tenebuntur de præfata prohibitione, verum et-*
„ *iam illam omnino executioni demandare, & contra-*
„ *facientes ab Eccleſia expellere, donec ex corde reſipi-*
„ *ſcant, & publicis pœnitentiæ ſignis patratum ſcan-*
„ *dalum emendaverint.*

„ *Declaramus præterea Pontificiam Conſtitutionem*
„ *Gregorii Papæ XV. incipientem:* Romanæ Sedis Anti-
„ ſtes: *ad petitionem Patrum Societatis Jeſu editam,*
„ *qua indigenis Chriſtifidelibus lavacra non alia occa-*
„ *ſione, & fine, quam corporis reficiendi, & a natu-*
„ *ralibus ſordibus mundandi, ab Apoſtolica Sede per-*
„ *mittuntur, interdictis tempore, & modo, quibus a*
„ *Gentilibus adhiberi ſolent, æque afficere Evangelicos*
„ *Operarios, quibus propterea non liceat ſub quacum-*
„ *que alia cauſa, & fine, etiam ad effectum, ut exi-*
„ *ſtimentur Sanias, ſeu Brachmanes, præ cæteris de-*
„ *diti hujuſmodi ablutionibus, illis uti præſertim ſta-*
„ *tutis eorum horis, & ante, vel immediate poſt quam-*
„ *cumque ſacram functionem.*

„ *Cineres itidem ex vaccæ ſtercore confectos, & im-*
„ *piam Gentilium pœnitentiam a Rutren inſtitutam re-*
„ *dolentes, benedicere, eoſque fronti Sacro Chriſmate*
„ *delinitæ impingere, ſive alia quæcumque ſigna albi,*
„ *vel rubei coloris, quibus Indi ſuperſtitioſiſſimi in*
„ *fronte, vel in pectore, aut in alia quavis corporis*
„ *parte utuntur, deferre prohibemus. Mandantes, ut*
„ *Sanctæ Eccleſiæ conſuetudo, piique ritus Cineres be-*
„ *nedicendi, illiſque Chriſtianorum caput Cruce ſignan-*
„ *di, ad humanæ infirmitatis memoriam recolendam,*
„ *religioſe ſerventur, tempore, ac modo ab Eccleſia*
„ *præſcripto, ſcilicet feria quarta Cinerum, & non*
„ *alias.*

„ *Et demum, quia ex librorum de falſa religione,*
„ *& de rebus obſcœnis, ſuperſtitioſiſque tractantium le-*
„ *ctura venenum ut plurimum ſerpere ſolet ad cor fide-*
„ *lium, quo non minus fidei puritas offenditur, quam*
„ *mores corrumpuntur, magnopere commendantes zelum,*
„ *ac ſtudium Miſſionariorum, qui libros ſacram Eccle-*
„ *ſiæ Catholicæ doctrinam, rerumque ſacrarum monu-*
„ *menta continentes, pro Indorum Chriſtifidelium eru-*
„ *ditione in linguam Malabaricam, ſeu Tamulicam*
„ *tranſtulere, vel novos pro illorum commodo, & inſti-*
„ *tutione compoſuerunt; iiſdem Chriſtifidelibus expreſſe*
„ *interdicimus, fabuloſos Gentilium libros, eoſque le-*
„ *gere, & retinere prohibemus, ſub pœna excommuni-*
„ *cationis latæ ſententiæ, niſi prius habita licentia Pa-*
„ *rochi, ſeu Miſſionarii curam animarum exercentis,*
„ *quorum prudentiæ committimus facultatem ſuper hoc*
„ *diſpenſandi, & libros (ſi qui forte ſunt) noxia ſu-*
„ *perſtitione vacuos, & nihil contra bonos mores tra-*
„ *ctantes, pro Chriſtianorum uſu eligendi, eorumque*
„ *lecturam permittendi.*

„ *Ea igitur univerſa, & ſingula auctoritate Apoſto-*
„ *lica, & tenore prædictis damnamus, ac diſtrictiori,*
„ *quo poſſumus, modo prohibemus. Mandantes Patri*
„ *Provinciali Provinciæ Malabaricæ, cæteriſque Supe-*
„ *rioribus Societatis Jeſu in Indiis Orientalibus, ut hoc*
„ *noſtrum Decretum notificent ſingulis Miſſionariis, ſi-*
„ *ve aliis quibuſcumque curam animarum exercentibus*
„ *ſibi ſubjectis, illudque perpetuo, & inviolabiliter*
„ *exequi faciant, ſub pœna excommunicationis latæ ſen-*
„ *tentiæ quoad Provinciales, & Superiores, & ſuſpen-*
„ *ſionis a divinis ipſo facto incurrendæ, quoad ſubditos*
„ *contrafacientes, ſeu aliter permittentes. Atque ita*
„ *decernimus, & mandamus in omnibus, donec aliud*
„ *fuerit ab Apoſtolica Sede, vel a Nobis ejuſdem au-*
„ *ctoritate proviſum, inviolabiliter ſervari, non obſtan-*
„ *tibus quibuſcumque.*

„ *Et ne ex his, quæ expreſſe præcepta, vel prohibita*
„ *a Nobis fuere, tacitum quis deducere valeat, in re-*
„ *liquis practicari ſolitis in iſtis Miſſionibus, noſtrum*
„ *aſſenſum, ſeu approbationem: (cum plura forſan*
„ *reformatione digna Noſtram cognitionem effugerint,*
„ *& alia maturius examen poſtulantia indeciſa remanſerint) hanc interpretationem omnino rejicimus, &*
„ *menti Noſtræ eſſe contrariam declaramus. Volumus*
„ *autem juſtis de cauſis, ut hoc noſtrum Decretum af-*
„ *ficiat, & pro publicato habeatur poſt illius traditio-*
„ *nem a noſtro Cancellario faciendam Patri Guidoni*
„ *Tachard Vice-Provinciali Patrum Gallorum Societatis*
„ *Jeſu in Indiis, cui propterea in virtute ſanctæ obe-*
„ *dientiæ onus injungimus quatuor ſimilia exemplaria*
„ *tranſmittendi ad Patrem Provincialem Provinciæ Ma-*
„ *labaricæ, ac ad Patres Superiores Miſſionum Madu-*
„ *renſis, & Mayſſur, & Carnatenſis, quibus poſt bi-*
„ *meſtre, & reliquis Miſſionariis poſt trimeſtre a die*
„ *conſignationis faciendæ dicto Patri Tachard, idem*
„ *Decretum pro publicato, & notificato pariter habea-*
„ *tur. Datum Pudicherii in ſancta Viſitatione Apoſtoli-*
„ *ca hac die 23. Junii 1704. & publicatum die 8. Ju-*
„ *lii ejuſdem anni 1704. per traditionem factam coram*
„ *Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino per me Can-*
„ *cellarium infraſcriptum Rev. Patri Guidoni Tachard*
„ *Patrum Gallorum Societatis Jeſu in Indiis Orientali-*
„ *bus Superiori, præſentibus RR. Patribus Franciſco*
„ *Laines Superiore Miſſionis Madurenſis, ac Venantio*
„ *Bouchet Superiore Miſſionis Carnatenſis.*

Carolus Thomas Patriarcha Antiochenus
Viſitator Apoſtolicus.

Andreas Candela S. Viſitationis Apoſtolicæ
Cuncellarius.

„ V. Quoniam autem de re maxima, eaque graviſ-
„ ſima agebatur, idem Antiochenus Patriarcha litteris
„ ſuis totam rei geſtæ ſeriem Apoſtolicæ Sedi exactiſ-
„ ſime renuntiavit, latumque ab ſe Decretum ſupremo
„ illius judicio ſubjecit. Quibus ad Urbem allatis lit-
„ teris, idem Prædeceſſor Noſter Clemens Papa XI.
„ ſupradictum Vicarii Apoſtolici Decretum rite perpen-
„ ſum, atque etiam in Congregatione S. Officii dili-
„ genti examini ſubjectum, in omnibus ſervandum, &
„ exequendum eſſe ſtatuit, ea tamen addita clauſula:
„ Donec aliter a Sede Apoſtolica proviſum fuerit,
„ poſtquam eos audierit, ſi qui erunt, qui aliquid ad-
„ verſus contenta in hujuſmodi Decreto afferendum ha-
„ buerint. Ea Pontificis in Congregatione Sancti Offi-
„ cii reſolutio ſequentis eſt tenoris, videlicet:

Feria V. die VII. Januarii 1706.

„ VI. *In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, &*
„ *Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico*
„ *Vaticano coram Sanctiſſimo Domino N. D. Clemente*
„ *divina Providentia Papa XI. ac Eminentiſſimis, &*
„ *Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota*
„ *Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem*
„ *Generalibus Inquiſitoribus a S. Sede Apoſtolica ſpecia-*
„ *liter deputatis.*

„ *Idem Sanctiſſimus Dominus Noſter relato tenore De-*
„ *creti editi Pudicherii die 23. Junii* 1704. *a D. Ca-*
„ *rolo Thoma de Tournon Patriarcha Antiocheno Com-*
„ *miſſario, & Viſitatore Apoſtolico in Imperio Sinarum,*
„ *& aliis Indiarum Orientalium Regnis, nec non lit-*
„ *terarum inde ſcriptarum ab eodem D. Patriarcha,*
„ *nempe die 9. Julii dicti anni* 1704. *ad præfatos E-*
„ *minentiſſimos, & Reverendiſſimos DD. Cardinales,*
„ *ac die* 10. *ejuſdem menſis ad R. P. D. Aſſeſſorem,*
„ *diſerte ſuper iiſdem de more locutus fuit. Auditis*
„ *deinde Votis præfatorum DD. Cardinalium, dixit,*
„ *reſcribendum eſſe D. Patriarchæ, commendando illius*
„ *prudentiam, ac zelum, & quod exacte obſervari de-*
„ *beant ea omnia, quæ in Decreto ſupradicto fuerunt*
„ *ab ipſo præſcripta, donec aliter a Sede Apoſtolica*
„ *proviſum fuerit, poſtquam eos audierit, ſi qui erunt,*
„ *qui aliquid adverſus contenta in hujuſmodi Decreto*
„ *afferendum habuerint.*

„ *Juſſit quoque Sanctitas Sua, quod per Patrem Con-*
„ *ſultorem Joannem Damaſcenum Ordinis Fratrum Mi-*

„ *norum*

„ *norum S. Franciſci Conventualium reaſſumantur ea o-*
„ *mnia, quæ circa nonnullos ritus, ut aſſeritur, ſuper-*
„ *ſtitioſos Chriſtianis Malabaris in Indiis Orientalibus*
„ *a quibuſdam Miſſionariis, ut prætenditur, permiſſos,*
„ *jampridem ad eamdem Apoſtolicam Sedem delata fue-*
„ *runt a Fratre Franciſco Maria Turonenſi Ordinis Mi-*
„ *norum ejuſdem S. Franciſci Cappuccinorum Miſſiona-*
„ *rio illarum partium, ad hoc, ut idem P. Conſultor*
„ *de iis, quæ ſive a ſanct. mem. Gregorio XV. in ſuis*
„ *litteris die 31. Januarii 1623. in forma Brevis deſu-*
„ *per expeditis, ſive ab eodem D. Patriarcha in ſuo*
„ *Decreto prædicto expreſſe damnata, vel prohibita non*
„ *fuerint, conficiat ſummarium, ſuper quo diſcuti, ac*
„ *diſcerni valeat quid ſit agendum.*

„ *Quo vero ad quæſtionem de quibuſdam ignobilibus,*
„ *ac infimæ ſortis hominibus, qui in eiſdem Regioni-*
„ *bus vocantur Pareas, & a nobilibus tamquam infa-*
„ *mes, & damnati vitantur, Sanctitas Sua dixit, quod*
„ *ſeparatim examinari debeat.*

„ VII. Verum hanc providentiam, ubereſque, quos
„ inde ſpes erat proventuros, fructus fruſtratus eſt fal-
„ ſus rumor, qui paucos poſt annos per Indias increbuit, ipſum nempe Clementem XI. Prædeceſſorem
„ & relatum Patriarchæ Decretum revocaviſſe, & non-
„ nullas ex iis cæremoniis adprobaſſe, quas ille tam-
„ quam ſuperſtitioſas, minimeque ferendas proſcripſe-
„ rat. Cui falſo rumori curſum intercepturus laudatus Pontifex Clemens XI. utque omnibus manifeſta
„ redderet animi ſui ſenſa, atque impugnatoribus De-
„ cretorum a Patriarcha prædicto editorum omne penitus effugium adimeret, quo a præſtanda eiſdem
„ Decretis debita obedientia ſe ſubtrahere quoquo modo poſſent, die prima Septembris anni MDCCXII.
„ extrahi ex Tabulariis mandavit authenticum exemplum Decreti, quod prædicta die VII. Januarii an.
„ MDCCVI. emanaverat, & ſuperius tranſcriptum
„ eſt, illudque Epiſcopo Meliapurenſi tranſmitti juſſit,
„ ut ex eo & is probe noſceret, & aliis etiam Epiſcopis, & Miſſionariis earum Regionum palam faceret, quid eo uſque de Patriarchæ Antiocheni Decreto Apoſtolica Sedes judicaſſet. Ac ne ullo modo
„ Pontificiæ mentis oraculum in dubium poſſet revocari, Decreti exemplo jungendas, alligandaſque voluit
„ litteras Apoſtolicas in forma Brevis, ut ſequitur.

„ VIII. *Venerabilis Frater &c. Non ſine gravi ani-*
„ *mi Noſtri moleſtia iſtis in partibus evulgatum fuiſſe*
„ *audivimus, quod præſcripta in quodam Decreto die*
„ 23. *Junii* 1704. *Pudicherii edito a bon. mem. Cardi-*
„ *nali de Tournon, cum illuc ad Sinenſis Imperii oras*
„ *tranſmigraturus acceſſit, a Nobis reſciſſa, & abro-*
„ *gata, ac ſimul cæremoniæ, & ritus, qui eodem De-*
„ *creto ſuperſtitionis labe infecti declarantur, vel omni,*
„ *vel aliqua ex parte approbati, ac permiſſi fuerint.*
„ *Cum autem maxime cupiamus, ut in re tanti mo-*
„ *menti non modo Fraternitati tuæ, verum etiam, te*
„ *curante, cæteris iſtarum partium Antiſtitibus, ac*
„ *Miſſionariis aperte veritas innoteſcat; tibi conjuncta*
„ *folia a Notario ſanctæ Romanæ, & Univerſalis In-*
„ *quiſitionis ſubſcripta, ac ejuſdem Inquiſitionis ſigno*
„ *roborata, mittenda duximus, ex quibus abunde, ac*
„ *luculenter intelliges, quænam ejuſmodi in rebus ha-*
„ *ctenus fuerit, & adhuc ſit Noſtra mens, donec a*
„ *Nobis, & Apoſtolica Sede aliter decernatur. Quod*
„ *ſupereſt, Paſtorum Principem enixe rogamus, ut in*
„ *arduis Paſtoralis officii curis cæleſti ope ſua tibi ju-*
„ *giter adeſſe velit. Et Fraternitati tuæ Apoſtolicam*
„ *benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ*
„ *apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die*
„ 17. *Septembris anni* 1712. *Pontificatus noſtri anno*
„ *duodecimo.*

„ IX. Quoniam autem unus, & alter annus elapſus
„ jam erat, nec dum conſtiterat S. Officii Decretum,
„ Pontificiaſque litteras Meliapurenſi Epiſcopo redditas
„ fuiſſe; idcirco Congregatio S. R. E. Cardinalium
„ negotiis de Propaganda fide præpoſitorum novum Decreti, litterarumque exemplum Epiſcopo Claudiopolitano in Cucichenſi Provincia Apoſtolico Vicario
„ die XXIV. Julii anno MDCCXIV. tranſmitti curavit, ipſique Pontificio nomine mandavit, ut ſi forte
„ priores litteræ deperiiſſent, aliave de cauſa Decreti
„ promulgatio ſecuta non eſſet, caveret ipſe diligenter, ut poſteriores hæ ſaltem Meliapurenſi Epiſcopo
„ juridice redderentur, eoque debitam Pontificiis mandatis obedientiam præſtare aut reluctante, aut differente, idem ipſe Claudiopolitanus Epiſcopus Apoſtolicæ Sedis judicium, nulla interpoſita mora, exe-
„ cutioni mandaret.

„ X. Cum tamen Patriarchæ Antiocheni Viſitatoris,
„ & Commiſſarii Decretum confirmatum quidem fuiſſet, ſed ea addita reſervatione: *Donec aliter a Sede*
„ *Apoſtolica proviſum fuerit*, poſtquam eos audierit, ſi
„ qui erunt, qui aliquid adverſus contenta in hujuſmodi Decreto afferendum habuerint: haud difficilem
„ ſe præbuit Clemens XI. audiendis Miſſionariis, qui
„ poſt Decreti confirmationem, aliiſque temporibus,
„ Romam venerant, eorumque preces benigne excepit, quibus enixe petebant, ut cenſurarum, quæ in
„ eo Decreto continebantur, ſuſpenſionem, unaque ſimul moderationem, aut ipſiuſmet Decreti interpretationem concederet: utque res maturius expediretur,
„ auditis jam non ſemel Miſſionariis prædictis, Nobis
„ in minoribus agentibus, ſanctæque univerſalis Inquiſitionis Conſultoris munus obeuntibus mandavit, ut
„ ab initio rem totam penitus cognoſceremus, atque
„ collectis, quæ ex utraque parte afferebantur, rationum momentis, de illa ad S. Officii Congregationem
„ pleniſſime referremus. Hinc productis ex una parte
„ a Decreti impugnatoribus facti, juriſque non exiguæ
„ molis voluminibus, proditiſque antiquis, & recentibus documentis, quibus vetitas Decreto obſervantias
„ ſuperſtitione vacare, omnique labe carere conabantur
„ oſtendere; exhibitiſque ex alia, quæ Decreto favebant, rationibus multiplicibus, plenam inde hauſimus cauſæ totius cognitionem, eoque res, quod ad
„ Nos attinebat, adducta erat, ut poſſemus jam de ea
„ exacte referre. Verum Clemente XI. vita functo,
„ ejus ſucceſſor fel. pariter record. Innocentius Papa
„ XIII. huic cauſæ cognoſcendæ peculiarem Congregationem ex lectiſſimis conflatam viris non minus integritate, quam prudentia, doctrinaque præſtantibus
„ (quos inter Nos etiam, etſi prædictis qualitatibus
„ minime præditi, adſcripti fuimus) deputavit. Qui
„ ſelecti viri ſæpius, per duos, & amplius annos, inter ſe convenientes, communicatis conſiliis, longa
„ rerum indagine, & exquiſita adhibita diligentia, articulatim rem totam diſcuſſerunt, Partibus tam voce, quam ſcripto iterum, ac ſæpius auditis. Cum
„ autem eo res perveniſſet, Innocentio XIII. e vivis
„ ſublato, ad Petri Cathedram evectus eſt ſan. mem.
„ Benedictus Papa XIII., qui eorum omnium, quæ
„ in hac cauſa geſta fuerant, certior apprime factus,
„ nec minori fragrans deſiderio eam ad optatum finem
„ perducendi, ſupradictam Congregationem pro ejuſdem
„ cauſæ recto, expeditoque curſu ab Innocentio deceſſore inſtitutam confirmavit, atque inceptum examen
„ perſequi juſſit; eaque non multo poſt examini finem
„ impoſuit.

„ XI. His ita peractis, idem prælaudatus Pontifex
„ Benedictus XIII. cauſa ad ſe avocata, Apoſtolicas
„ litteras in forma Brevis anno MDCCXXVII. exeunte ad univerſos Epiſcopos, & Miſſionarios Regnorum Madurenſis, Mayſſurenſis, & Carnatenſis dedit,
„ quibus prædicti Caroli Thomæ Card. Tournonii Decretum confirmavit, obſervandumque præcepit. Litteræ ſunt hujuſmodi, videlicet:

Venerabilibus Fratribus, ac dilectis filiis, Epiſcopis, & Apoſtolicis Miſſionariis in Regnis Indiarum Orientalium Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi

BENEDICTUS PAPA XIII.

Venerabiles Fratres, ac dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

„ XII. *Ad aures noſtras pervenit, vocationem Gen-*
„ *tium, Eccleſiæque incrementa, propter ſubortas inter*
„ *Operarios Evangelicæ meſſis controverſias, magnis iſ-*
„ *hic difficultatibus laborare. Quæ quidem eo gravio-*
„ *rem Nobis dolorem attulerunt, quo remedia ſalubri-*
„ *ter alias adhibita diutius a nonnullis repudiari in-*
„ *telleximus. Jam enim per bon. mem. Carolum Tho-*
„ *mam Patriarcham tunc Antiochenum, cum poteſtate*
„ *Legati de Latere Apoſtolicum Viſitatorem, deinde*
„ *hujus S. R. E. Cardinalem, pleraque ad gliſcentes*
„ *lites componendas, explicandaſque difficultates ſapien-*
„ *ter præſcripta fuerant, decreto conſilio Pudicherii in*
„ *ſacra Viſitatione Apoſtolica die 23. menſis Junii anni*
„ 1704. *die vero octava Julii ejuſdem anni promulga-*
„ *to. Partibus autem nondum acquieſcentibus, de men-*
„ *te fel. record. Clementis XI. Prædeceſſoris noſtri di-*
„ *verſa opinantibus, & evulgantibus, idem Prædeceſ-*
„ *ſor noſter, datis ad Ven. Fratrem Epiſcopum Melia-*
„ *purenſem litteris die XVII. menſis Septembris anni*
„ *MDCCXII. ſuam de ſervandis decretis mentem op-*
„ *portune declaravit. Ut igitur noſtræ quoque ſollicitu-*
„ *dinis partes ad controverſias avertendas, & ſalutem*
„ *gentium concordibus ſtudiis facilius a Vobis procuran-*
„ *dam adhibeamus; præſertim ne quis ex ſilentio no-*
„ *ſtro detractum aliquid eſſe ſuſpicetur mandatis, &*
„ *declarationibus antedictis; laudati Anteceſſoris noſtri*
„ *veſtigiis inhærentes, decreta ejuſdem Patriarchæ An-*
„ *tioche-*

„ *tiocheni noſtra etiam auctoritate confirmamus, eorum-*
„ *que obedientiam, & obſervantiam ſimiliter manda-*
„ *mus, & requirimus. Decretum quoque de Sacramen-*
„ *tis adminiſtrandis moribundis hominibus infimæ con-*
„ *ditionis, quos Pareas appellant, ulteriori dilatione*
„ *remota, pariter ſervari, & impleri præcipimus. Ve-*
„ *ſtrum autem erit, ut mandata per Anteceſſorem No-*
„ *ſtrum, & per Nos ipſos Apoſtolica auctoritate, teno-*
„ *re præſentium, in omnibus confirmata, impigre, &*
„ *obſequenter facientes opus Dei, quod tanta cum ani-*
„ *mi alacritate ſuſcepiſtis, rite, unanimiter, ſtudioſe-*
„ *que perficiatis. Ac vobis, venerabiles Fratres, dile-*
„ *cti Filii, Apoſtolicam benedictionem peramanter im-*
„ *pertimur.*

„ *Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcato-*
„ *ris die xii. Decembris MDCCXXVII. Pontificatus no-*
„ *ſtri anno IV.*

„ XIII. Tantum vero abfuit, ut qui pro ritibus eo
„ Decreto damnatis pugnabant, huic novæ ejuſdem De-
„ creti confirmationi acquieſcerent, quin potius anno
„ 1732. Prædeceſſori noſtro Clementi Papæ XII. in
„ Benedicti locum ſubrogato declaraverint, ſe nihil de
„ nova confirmatione audiviſſe, neque aliquid, quod
„ ad eam ſpectaret, Epiſcopis, & Miſſionariis India-
„ rum fuiſſe legitime denuntiatum; ideoque enixis pre-
„ cibus ab eo poſtulaverint, ut, non obſtante Benedi-
„ cti XIII. diſpoſitione, dignaretur hanc eamdem cau-
„ ſam denuo S. Officii Congregationis examini, & co-
„ gnitioni ſubjicere. Et quamquam, aliis earum Par-
„ tium Miſſionariis cauſam finitam eſſe, & in rem ju-
„ dicatam abiiſſe reputantibus, ſeu excipientibus, non
„ deeſſent, qui poſtulatis haud annuendum eſſe crede-
„ rent, iiſque adverſarentur; attamen idem Pontifex
„ Clemens XII. ſupremum tandem acerrimis, perni-
„ cioſiſque diſſidiis finem fieri peroptans, ſupradicto-
„ rum preces admittendas exiſtimavit, declaravitque in
„ cauſa poſſe procedi. Quare totius materiæ inſtaurata
„ diſceptatione, & per duos fere annos continuata,
„ documentis certis, & neceſſariis ex utraque parte
„ productis, factaque præſertim Decreti impugnatori-
„ bus ampliſſima facultate afferendi quidquid in con-
„ troverſum quemque Articulum deducendum, allegan-
„ dumque e re ſua judicarent; poſt plures Congrega-
„ tiones habitas in Conventu S. Mariæ ſupra Miner-
„ vam a S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Ge-
„ neralibus Inquiſitoribus per univerſam Chriſtianam
„ Rempublicam deputatis, hi tandem quid ipſorum
„ judicio in controverſis articulis aut confirmandum,
„ aut moderandum, declarandum denique, aut aliqua
„ ex parte remittendum eſſet, aperuerunt; eorumque
„ reſolutiones probavit, confirmavitque prælaudatus
„ Clemens Papa XII., illaſque inſerendas decrevit A-
„ poſtolicis litteris in forma Brevis, quibus Madurenſi-
„ bus, Mayſſurenſibus, & Carnatenſibus Epiſcopis, ac
„ Miſſionariis Apoſtolica auctoritate mandavit, injun-
„ xitque, ut lata ab ſe Decreta tum religioſe ipſi obſer-
„ varent, tum ab aliis omnibus ſumma fide, ac dili-
„ gentia obſervari curarent. Litteræ in forma Brevis
„ ſunt ſequentis tenoris:

Venerabilibus Fratribus, ac dilectis Filiis Epiſcopis, & Apoſtolicis Miſſionariis in Regnis Indiarum Orientalium Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi.

CLEMENS PAPA XII.

Venerabiles Fratres, dilecti Filii, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

„ *Compertum, exploratumque Vobis eſſe non ambigi-*
„ *mus, Carolum Thomam bon. mem. tunc Patriarcham*
„ *Antiochenum cum poteſtate Legati a Latere Apoſtoli-*
„ *cum Commiſſarium, & Viſitatorem, deinde hujus S.*
„ *R. E. Cardinalem de Tournon a Prædeceſſore noſtro*
„ *fel. record. Clemente XI. ad Sinas anno 1702. miſ-*
„ *ſum, ubi primum ad Arcem Pudicherii appulit, ut*
„ *gravibus, & urgentibus Miſſionum in Regnis Ma-*
„ *durenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi ſaluberrime di-*
„ *rigendarum neceſſitatibus opportune proſpiceret, con-*
„ *didiſſe die 23. menſis Junii anni 1704. Decreta non-*
„ *nulla, quæ die 8. menſis Julii ejuſdem anni promul-*
„ *gavit. Cum autem aliquot ex Venerabilibus Fratri-*
„ *bus, & dilectis Filiis, Epiſcopis, & ſacris India-*
„ *rum Orientalium Operariis, quibuſdam in iiſdem De-*
„ *cretis contentis minime acquieſcentes, reclamaſſent,*
„ *laudatus Prædeceſſor noſter Clemens XI. litteris in*
„ *forma Brevis ad Epiſcopum Meliapurenſem die 17.*
„ *menſis Septembris an. 1712. datis, eorumdem De-*
„ *cretorum obedientiam, & obſervantiam tamdiu requi-*
„ *ſivit, ac mandavit, donec Apoſtolica hæc Sedes Cau-*
„ *ſæ momentis fideliter relatis, & accuratius inſpe-*

„ *ctis, quas noviſſet juſtitiæ magis conſentaneas, &*
„ *propagandæ Chriſtianæ fidei magis idoneas, provi-*
„ *dentiæ ſuæ vias, ac rationes iniret. Benedictus etiam*
„ *XIII. ſel. record. itidem Prædeceſſor noſter provide*
„ *Clementis XI. mandatis, declarationibus, atque ve-*
„ *ſtigiis inhærens, litteris quoque in forma Brevis die*
„ 12. *menſis Novembris anni* 1727. *datis memorata*
„ *Cardinalis Tournonii Decreta confirmationis robore ſi-*
„ *militer munivit. Nos vero, qui plane immerentes*
„ *ipſis Summis Pontificibus in Apoſtolica ſervitute ſuc-*
„ *ceſſimus, nihil optamus impenſius, quam ut ſacro-*
„ *ſancta Jeſu Chriſti Fides amplius in dies promovea-*
„ *tur, atque omni ope curemus, ut ſi qua forte ma-*
„ *gnis ejuſdem incrementis, & propagationi occurrant*
„ *impedimenta, (Deo votis noſtris obſecundante) pe-*
„ *nitus auferantur. Itaque poſtquam neceſſaria, & cer-*
„ *tiora habuimus documenta, Theologorum, ac præſer-*
„ *tim Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardi-*
„ *nalium per univerſam Chriſtianam Rempublicam Ge-*
„ *neralium Inquiſitorum ſuffragia exquiſivimus, quæque*
„ *iidem Venerabiles Fratres noſtri Cardinales confir-*
„ *manda, aut moderanda, vel declaranda, atque in*
„ *nonnullis remittenda Nobis conſulere decreverunt, ex*
„ *ſequentibus Dubiis hic inſertis plane Vos dignoſcetis.*

„ Dubia pro Miſſionibus Madurenſi, Mayſſurenſi,
„ & Carnatenſi exorta occaſione Decreti clar. mem.
„ R. P. D. Caroli Thomæ Maillart de Tournon Pa-
„ triarchæ Antiocheni, poſtea S. R. E. Cardinalis,
„ editi Pudicherii die 23. Junii 1704. propoſita in Con-
„ gregationibus Generalibus S. Officii, habitis in Con-
„ ventu S. Mariæ ſuper Minervam coram Eminentiſſi-
„ mis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus
„ Generalibus Inquiſitoribus, præſentibus DD. Conſul-
„ toribus, infraſcriptis diebus: ſuper quibus Dubiis
„ iidem Eminentiſſimi ſuam protulerunt ſententiam,
„ prout infra, videlicet.

Feria 4. die 21. Januarii 1733.

„ Primum dubium: *An, & quomodo Decretum clar.*
„ *mem. Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon ſit exe-*
„ *quendum in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis:* Di-
„ ſtricte prohibemus, ut in baptizandis tam pueris,
„ quam adultis cujuſcumque ſexus, & conditionis, o-
„ mittantur Sacramentalia, ſed omnia palam adhibean-
„ tur, & ſignanter ſaliva, ſal, & inſufflatio, quæ ex
„ Apoſtolica traditione Catholica Eccleſia recepit, &
„ ob recondita in iis ſacris cæremoniis divinæ erga
„ nos bonitatis myſteria, ſancte, & inviolabiliter cu-
„ ſtodivit, Decreto ſanctæ, & univerſalis Inquiſitionis
„ de anno 1656. pro Sinis facto, ob diverſas rationes,
„ & circumſtantias minime obſtante.

„ *Eminentiſſimi dixerunt:* Confirmandum eſſe De-
„ cretum Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon, ſed
„ conſulendum Sanctiſſimo, quod Miſſionariis Regno-
„ rum Madurenſis, Mayſſurenſis, & Carnatenſis diſ-
„ penſationem concedat, ad decennium duraturam, o-
„ mittendi in collatione Baptiſmi ſalivam, & occulte
„ utendi inſufflationibus, in caſibus tamen particulari-
„ bus, & in quibus gravis, & proportionata neceſſitas
„ urgeat, ſuper quæ conſcientia Miſſionariorum onera-
„ tur; dummodo non laborent errore habendi ſalivam,
„ & anhelitum, tamquam materiam ineptam, vel in-
„ capacem ad inſerviendum pro Sacramentalibus cære-
„ moniis in Baptiſmo, utpote omnino incapaces Baptiſ-
„ mi: eiſque Miſſionariis injungendum, ut debitam in-
„ ſtructionem, aliaſque omnes poſſibiles diligentias ad-
„ hibeant, ut averſio populorum a ſaliva, & inſuffla-
„ tione amoveatur, & de inſtructione, aliiſque diligen-
„ tiis adhibitis ſanctam Sedem intra tempus decennii
„ certiorent.

„ Inſuper monendos eſſe Miſſionarios ſuper gravi ne-
„ gligentia non recurrendi ad S. Sedem pro obtinenda
„ facultate diſpenſandi, & male ſe geſſiſſe Epiſcopos
„ concedendo hujuſmodi diſpenſationem, inconſulta
„ Apoſtolica Sede.

„ Secundum Dubium: *An, & quomodo dictum De-*
„ *cretum ſit exequendum in ea parte, quæ eſt tenoris*
„ *ſequentis*: Item præcipimus, ut, juxta laudabilem
„ Eccleſiæ conſuetudinem, ſemper imponatur baptizan-
„ do a Baptizante nomen alicujus Sancti in Martyro-
„ logio Romano deſcripti, omnino interdictis nomini-
„ bus Idolorum, vel falſæ Religionis Pœnitentium,
„ quibus Gentiles utuntur, & Neophyti hactenus ap-
„ pellari conſueverunt, antequam per Baptiſmum eſſent
„ divinæ Gratiæ renati.

„ Eminentiſſimi dixerunt: Moderandum eſſe Decre-
„ tum, deleto verbo: *Præcipimus:* cum clauſula: *Cu-*
„ *rent, quantum fieri poteſt*; firma remanente interdi-
„ ctione, quoad nomina Idolorum, & falſæ Religio-
„ nis Pœnitentium.

Feria 4. die 22. Aprilis 1733.

„ Tertium Dubium: *An, & quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis*: Nec Parochis, seu Missionariis sub quovis prætextu liceat sanctissimæ Crucis, Sanctorum, & rerum sacrarum nomina per translata immutare, nec ea alio idiomate explicare, nisi Latino, vel saltem Indico, quatenus voces Indicæ Regionis Latinæ significationi liquido, & adamussim respondeant.

„ Eminentissimi dixerunt: Quod servetur Decretum Eminentissimi de Tournon, & declaretur, non habere locum in vocibus, & nominibus jam ab institutione Missionis communiter receptis; quæ tamen per hanc declarationem nec approbantur, neque reprobantur.

„ Quartum Dubium: *An, & quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis*: Et quia audivimus, Baptismum infantium ex Christianis Parentibus ortorum, eorumdem incuria, sæpe sæpius diu protrahi, non sine maximo dictorum infantium salutis discrimine, monemus Evangelicos Operarios, ut sacrorum Canonum memores, terminum breviorem, quam fieri possit, attentis circumstantiis, Genitoribus præfigant, graviter conscientiam eorum onerantes, nisi filios intra præfixum tempus ad Ecclesiam deferant sacro Fonte abluendos.

„ Eminentissimi dixerunt: Servandum esse Decretum Eminentissimi Cardinalis de Tournon.

„ Quintum Dubium: *An, & quomodo prædictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis*: Præterea cum moris hujusmodi Regionis sit, ut infantes sex, vel septem annorum, interdum etiam in teneriori ætate, ex Genitorum consensu, matrimonium indissolubile de præsenti contrahant per impositionem Taly, seu aureæ tesseræ nuptialis uxoris collo pensilis, Missionariis mandamus, ne hujusmodi irrita matrimonia inter Christianos fieri permittant, nec sponsos sic conjunctos cohabitare sinant, donec completa legitima ætate, & explorato eorum consensu, in faciem Ecclesiæ, juxta formam a Sac. Concilio Tridentino præscriptam, verum, & canonicum Matrimonium contraxerint.

„ Eminentissimi dixerunt: Exequendum esse Decretum Eminentissimi de Tournon; cum declaratione tamen servandam esse formam pro Matrimoniis a Sacr. Concilio Tridentino præscriptam in locis, in quibus Decretum dicti Concilii in cap. primo Sess. XXIV. de Reform. Matrim. publicatum est, & imposterum publicabitur, neque ejus observantia sit impossibilis; & Missionarii curent, quantum fieri potest, ut in omnibus locis Missionum illarum partium dictum Decretum Concilii publicetur.

„ Sextum Dubium: *An, & quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis*: Et quoniam apud peritiores impiæ illius Religionis Sectatores Taly præsefert imaginem, licet informem, Pulleyaris, seu Pyllejaris Idoli nuptialibus cæremoniis præpositi; cumque dedeceat Christianas mulieres talem effigiem collo deferre in signum Matrimonii, districte prohibemus, ne imposterum audeant Taly cum hac effigie collo appendere; & ne Uxores innuptæ videantur, poterunt uti alio Taly, vel sanctissimæ Crucis, vel sanctissimi Domini Nostri Jesu Christi, vel Beatæ Virginis, vel alia quavis religiosa imagine ornato.

„ Eminentissimi dixerunt: Servandum esse Decretum Eminentissimi de Tournon, quamvis Missionarii asserant, nunquam permisisse gestationem dicti Taly.

„ Septimum Dubium: *An, & quomodo prædictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis*: Et cum superstitione non careat funiculus centum & octo filis compositus, & croceo succo delinitus, quo plerique dictum Taly appendunt, prohibemus etiam dictorum filorum numerum, & unctionem.

„ Eminentissimi dixerunt: Servandum esse Decretum Eminentissimi de Tournon.

„ Octavum Dubium: *An, & quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis*: Cæremoniæ etiam nuptiales juxta harum regionum morem tot sunt, tantaque superstitione maculatæ, ut tutius remedium aptari non possit, quam eas omnino interdicendo, cum undique noxia Gentilitatis labe scateant, & difficillimum sit eas a superstitiosis expurgare. At vero ut faciliori conversionum viæ, & Neophytorum commodo, quantum fieri potest, in Domino indulgeamus, Missionariis, & præcipue Missionum Superioribus injungimus, ut novis adhibitis diligentiis, severiorique calculo, superstitiosa omnia a dictis cæremoniis expungant, ita ut nihil inultum relinquatur, quod Christianam pietatem offendat, & Gentilium superstitionem redoleat, & signanter, præter eas, quas audivimus jam statutas in hac materia ab iisdem Missionariis reformationes, ramus arboris Arescomata omnino auferatur, ferculorum numerus non minus, ac cibi præscripta qualitas varietur: circuli super caput sponsorum ad tollenda maleficia omittantur: & quod de ferculis diximus, de luteis vasis ibidem adhiberi solitis a nobis dictum, & prohibitum intelligatur.

„ Eminentissimi dixerunt: Servandum esse Decretum Eminentissimi Cardinalis de Tournon.

Feria 4. die 23. Julii 1733.

„ Nonum Dubium: *An, & quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis*: Fructus etiam, vulgo dictus Cocco, ex cujus fractione prosperitatis, vel infortunii auspicia Gentiles temere ducunt, vel omnino a Christianorum nuptiis rejiciatur, vel saltem, si illum comedere velint, non publice, sed secreto, & extra solemnitatem aperiatur ab iis, qui Evangelica luce edocti, ab hujusmodi auspiciorum deliramento sunt immunes.

„ Eminentissimi dixerunt: Dilata.

„ Decimum Dubium: *An, & quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis*: Nullus rite, & sufficienter dispositus arceatur a Sacramento Pœnitentiæ, & signanter mulieres menstruali morbo laborantes, non attentis diebus purificationis juxta morem Gentilium; cum hæc Sacramentalis vera animæ purificatio, & non alia, sit attendenda a Christifidelibus, eorumque Pastoribus; quibus præterea non liceat, nec per seipsos, nec per Catechistas, nec per alios quoscumque, dictis Mulieribus prohibere accessum ad Ecclesiam, vel ad Confessarium durante dicta infirmitate, & dictæ purificationis tempore.

„ Eminentissimi dixerunt: Servandum esse Decretum Eminentissimi Cardinalis de Tournon.

„ Undecimum Dubium: *An, & quomodo exequendum sit dictum Decretum in ea parte, quæ est tenoris sequentis*: Dedecet etiam Christianæ Virginis honestati prima vice dicto morbo laborantis illum Cognatis, Vicinis, & Amicis notum facere, & invecunde publicare, iisque Ethnicorum more, & ritu in ejus domum collectis, super re tam sordida festum instituere. Quocirca hujusmodi solemnitates, & ritus orthodoxis puellis interdicimus, & abolemus, Missionariisque injungimus, ut non solum eas, verum etiam Genitores moneant, quam dissona sit virginei pudoris legibus ejusmodi obscœna consuetudo, quæ a Gentilium impudentia videtur inducta, ut ita, labefactata puellarum verecundia, eas effrænate ad libidinem provocare valeant.

„ Eminentissimi dixerunt: Quod curent Missionarii abolere festum sub titulo Menstrui, sed sub titulo Nuptiarum tantum permittant.

Feria 4. die 9. Septembris 1733.

„ Nonum Dubium supradicta die 22. Julii propositum, sed non resolutum: *An, & quomodo prædictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis:* Fructus etiam vulgo dictus Cocco, ex cujus fractione prosperitatis, vel infortunii auspicia Gentiles temere ducunt, vel omnino a Christianorum nuptiis rejiciatur, vel saltem, si illum comedere velint, non publice, sed secreto, & extra solemnitatem aperiatur ab iis, qui Evangelica luce edocti, ab hujusmodi auspiciorum deliramento sunt immunes.

„ Eminentissimi dixerunt: Servandum esse Decretum prædicti Eminentissimi Cardinalis de Tournon.

„ Decimum secundum Dubium: *An, & quomodo Decretum prædicti Em. Card. de Tournon sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis*: Ferre pariter non possumus, quod a Medicis spiritualibus pro animarum salute ea caritatis officia denegentur, quæ Medici Gentiles nobilis etiam generis, seu Castæ, pro corporis salute præstare non dedignantur infirmis, licet abjectæ, & infimæ conditionis, vulgo dictis Pareas. Quapropter districte mandamus Missionariis, ut, quantum in ipsis erit, nemini e Christianis ægrotis, quantumvis Pareas, & vilioris, si adessent, generis hominibus, desideranda relinquatur in infirmitate copia Confessarii; & ne, ingravescentibus morbis, cum gravissimo vitæ corporalis periculo, æternæ consulere cogantur, iisdem Missionariis

„ præ-

„ præcipimus, ne infirmos hujuſmodi conditionis ad „ Eccleſiam deferendos expectent, ſed conſultius domos, ubi ægrotant, pro viribus petant ad eos inviſendos, ac piis ſermonibus, & precibus, Sacramentorumque pabulo recreandos, atque demum eos in extremo vitæ diſcrimine conſtitutos ſancto infirmorum Oleo deliniant, abſque perſonarum, aut ſexus acceptione, expreſſe damnantes quamcumque praxim huic Chriſtianæ pietatis officio contrariam.

„ Eminentiſſimi dixerunt: Servandum eſſe Decretum „ Eminentiſſimi de Tournon: præterea monendos Miſſionarios, quod neque ad Baptiſmum admittant Indos, qui in ea ſunt opinione, Pareas a Deo eſſe reprobatos, & ideo nullam poſſe ſperare ſalutem, niſi eam opinionem depoſuerint.

„ Decimum tertium Dubium: *An, & quomodo dictum Decretum exequendum ſit in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis:* Non ſine maximo animi noſtri mœrore accepimus, etiam Chriſtianos tympanorum pulſatores, Tibicines, vel alterius cujuſcumque muſici inſtrumenti Sonatores ad Idolorum feſtivitates, & ſacrificia accerſiri, ad ludendum, & interdum etiam cogi, ob quamdam ſervitutis ſpeciem erga publicum ab ipſis contractæ per hujuſmodi artis exercitium, nec facile eſſe Miſſionariis eos ab hoc deteſtabili abuſu avertere. Quocirca conſiderantes, quam gravem rationem eſſemus Deo reddituri, ſi hujuſmodi Chriſtifideles a Dæmoniorum honore, & cultu pro viribus non revocaremus; illis prohibemus, ne impoſterum audeant, nec in Pagodis, nec extra, tum occaſione ſacrificiorum, tum quarumcumque ſolemnitatum ſuperſtitioſo cultu imbutarum, ſonare, aut canere, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, cum nullo modo liceat Chriſti famulis Belial inſervire; ideoque Miſſionarii non ſolum eos monere tenebuntur de prædicta prohibitione, verum etiam illam omnino executioni demandare, & contrafacientes ab Eccleſia expellere, donec ex corde reſipiſcant, & publicis pœnitentiæ ſignis patratum ſcandalum emendaverint.

„ Eminentiſſimi dixerunt: Servandum eſſe Decretum „ Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon.

„ Decimum quartum Dubium: *An, & quomodo dictum Decretum exequendum ſit in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis:* Declaramus præterea Pontificiam Conſtitutionem Gregorii Papæ XV. incipient. *Romanæ Sedis Antiſtes*, ad petitionem PP. Societatis Jeſu editam, qua indigenis Chriſtifidelibus lavacra, non alia occaſione, & fine, quam corporis reficiendi, & a naturalibus ſordibus mundandi, ab Apoſtolica Sede permittuntur, interdictis tempore, & modo, quibus a Gentilibus adhiberi ſolent, æque afficere Evangelicos Operarios: quibus propterea non liceat ſub quacumque alia cauſa, & fine, etiam ad effectum, ut exiſtimentur Sanias ſeu Brachmanes, præ cæteris deditи hujuſmodi ablutionibus, illis uti, præſertim ſtatutis eorum horis, & ante, vel immediate poſt quamcumque ſacram functionem.

„ Eminentiſſimi dixerunt: Servandum eſſe Decretum „ Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon.

Feria 4. die 16. Septembris 1733.

„ Decimum quintum Dubium: *An, & quomodo dictum Decretum Cardinalis de Tournon ſit exequendum in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis:* Cineres itidem ex vaccæ ſtercore confectos, & impiam Gentilium pœnitentiam a Rutren inſtitutam redolentes, benedicere, eoſque fronti ſacro Chriſmate delinitæ impingere, ſive quæcumque alia ſigna albi, vel rubei coloris, quibus Indi ſuperſtitioſiſſimi in fronte, vel in pectore, vel in alia quavis corporis parte utuntur, deferre prohibemus; mandantes, ut ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo, piique ritus Cineres benedicendi, illiſque Chriſtianorum caput Cruce ſignandi ad humanæ infirmitatis memoriam recolendam, religioſe ſerventur tempore, ac modo ab Eccleſia præſcripto, ſcilicet Feria 4. Cinerum, & non alias.

„ Eminentiſſimi dixerunt: Confirmandum eſſe Decretum Eminentiſſimi Card. de Tournon, ſervata in omnibus Conſtitutione Gregorii XV. edita die 31. Januarii 1623. quæ incipit: *Romanæ Sedis Antiſtes.*

„ Præterea Eminentiſſimi dixerunt: Quod fiat Decretum, quo imponatur Miſſionariis cujuſcumque Ordinis, etiam Societatis Jeſu, in Partibus infidelium degentibus, ne audeant permittere ritus, vel conſuetudines proprias Gentilium, nec illos, aut illas proprio arbitrio vertere in Ritus, vel Conſuetudines Chriſtianæ Religionis, inconſulta S. Sede; & Miſſionarii meminerint præceptionis Alexandri VII. in ſua Conſtitutione incipien. *Sacroſanct.* la 46. ſequen-

„ tibus verbis expreſſ. Ne ob inſtructionis defectum, „ qui ſacro Baptiſmate initiantur, immaculatam Chriſti legem profanis, ac gentilitiis inſtitutis ex ignorantia fœdent, ac Idololatriam cum Orthodoxa Fide confundant, ut ſæpe inibi evenire enunciatum eſt; „ caveant ii, qui iiſdem inſtruendis incumbunt, ne impoſterum ullus ad Baptiſma admittatur, qui gentilitios mores prorſus non exuerit, & in fide non ſit ſufficienter inſtructus.

„ Decimum ſextum, & ultimum Dubium: *An, & quomodo dictum Decretum exequendum ſit in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis:* Et demum, quia ex librorum de falſa religione, & de rebus obſcœnis, & ſuperſtitioſis tractantium lectura, venenum, ut plurimum, ſerpere ſolet ad cor fidelium, quo non minus fidei puritas offenditur, quam mores corrumpuntur, magnopere commendantes zelum, ac ſtudium Miſſionariorum, qui libros ſacram Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, rerumque ſacrarum monumenta continentes pro Indorum Chriſtifidelium eruditione in linguam Malabaricam, ſeu Tamulicam tranſtulere, vel novos pro illorum commodo, & inſtitutione compoſuerunt, iiſdem Chriſtifidelibus expreſſe interdicimus fabuloſos Gentilium libros, eoſque legere, & retinere prohibemus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, niſi prius habita licentia Parochi, ſeu Miſſionarii curam animarum exercentis, quorum prudentiæ committimus facultatem ſuper hoc diſpenſandi, & libros (ſi qui forte ſunt) noxia ſuperſtitione vacuos, & nihil contra bonos mores tractantes, pro Chriſtianorum uſu ſeligendi, eorumque lecturam permittendi.

„ Eminentiſſimi dixerunt: Servandum eſſe Decretum „ Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon.

„ *Quibus dubiis, & rerum reſolutionibus Nobis per Venerabilem Fratrem Archiepiſcopum Damiatæ, Congregationis ſancti Officii Aſſeſſorem relatis, reſolutiones ipſas plene approbantes, cuncta ea, quæ juxta earum tenorem confirmanda, aut moderanda, vel declaranda, ac in nonnullis remittenda viſa ſunt, reſpective confirmavimus, moderavimus, declaravimus, & in nonnullis remiſimus. Quocirca, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Vobis injungimus, & mandamus, ut pro ſingulari veſtra in Nos, atque hanc ſanctam Sedem reverentia, quæcumque per haſce noſtras Litteras de Apoſtolicæ authoritatis plenitudine, vel confirmata, vel decreta, aut præſcripta ſunt, ſanctiſſime cuſtodiatis, atque ab omnibus ſervanda ſtudioſiſſime curetis: obſecrantes Vos in Domino per viſcera Miſericordiæ Dei noſtri, ut controverſiis jam remotis, & omnino evulſis, alacres, atque animi noſtri ſenſibus concordes, ſtudia, & labores veſtros in animarum ſalutem, quæ præſtantiſſimus veſtræ vocationis eſt finis, pro viribus conferatis. Atque Vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XXIV. Auguſti MDCCXXXIV. Pontificatus noſtri anno quinto.*

„ XIV. Poſt diutinam, accuratamque factorum, atque rationum in utramque partem diſceptationem, „ poſt tam ſolemne denique cauſæ judicium, in magnam ſpem venerat Apoſtolica Sedes, non ſecus ac „ Romæ litigiis finis erat impoſitus, ita & in Indiis „ tandem aliquando a diſcordiis, abuſibuſque ceſſatum „ iri; cum præſertim ii, qui Decretum impugnaverant, ſive illius æquitate cognita, ſeu moderationibus, declarationibus, & relaxationibus jam impetratis ſatis ſibi factum exiſtimantes, non ſolum æquo animo illud recepiſſent, ſed fidem quoque ſuam obligaſſent, ſe omnino operam daturos, ut quæcumque „ in litteris Apoſtolicis eſſent præſcripta, integre exe- „ cutioni mandarentur. Huc accedebat, quod Apoſtolicæ Sedi non fama ſolum, ſed certis, graviſſimiſque teſtimoniis allatum erat, publicatas jam fuiſſe Pontificias litteras, & ſubſcriptas ab omnibus Miſſionariis, „ & mutuum inter partes perfectæ communionis, atque concordiæ vinculum redintegratum, quod multis „ annis non ſine ingenti Miſſionum damno inter illas „ fuerat interruptum.

„ XV. At tam felicibus initiis conceptum gaudium „ ſtatim evanuit; triſtiſſimus ſiquidem nuntius quam citiſſime Sedi Apoſtolicæ allatus eſt, Miſſionarios ſcilicet, qui Card. Tournonii Decretum impugnaverant, „ non obſtantibus Clementis XII. literis Apoſtolicis ſolemni formula ab iis acceptatis, publicatiſque, damnatos tamen ritus, ac cæremonias juxta earundem „ litterarum præſcriptum minime aboleri poſſe cauſantes, tantum ſibi licentiæ ſumere, ut eos, eaſque adhuc uſu permittere, & retinere non dubitarent. Cumque de tamdiu dilata ab iis obedientia in dies fama

„ increbeſceret, præfatus Clemens Papa XII. ut debi-
„ tum Pontificiis mandatis obſequium, & obſervantiam
„ vindicaret, certamque redderet impoſterum eorum,
„ quæ in prædictis Pontificiis Literis mandabantur, exe-
„ cutionem, alteris in ſimili forma Brevis datis die
„ XIII. Maji anni MDCCXXXIX. Apoſtolicis lite-
„ ris, earum Regionum Epiſcopis, & Miſſionariis præ-
„ ceptum iteravit, gravioribus etiam pœnis impoſitis,
„ ut nedum exactiſſime ſervarent, quæ in ſuis præ-
„ miſſis literis mandabantur, ſublata cuilibet ſecus in-
„ terpretandi facultate; verum ad id illico ſe adſtrin-
„ gerent ſolemni jurejurando interpoſito, juxta formulas
„ reſpective eiſdem præſcriptas. Literæ in forma Brevis
„ ſequentis ſunt tenoris:

„ XVI. *Venerabilibus Fratribus, ac dilectis filiis E-*
„ *piſcopis, & Apoſtolicis Miſſionariis in Regnis India-*
„ *rum Orientalium Madurenſi, Mayſſurenſi, & Car-*
„ *natenſi.*

CLEMENS PAPA XII.

Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

„ *COncredita nobis Dominici gregis cura continuo nos*
„ *urget in id præcipue, & tota ſollicitudine in-*
„ *cumbere, ut ab iis maxime, qui ſortiti ſunt partem*
„ *Miniſterii hujus, & in lucem gentium ſunt miſſi, er-*
„ *ga S. Sedem, ac Apoſtolica mandata filiale obſequium*
„ *exhibeatur, atque Fidei dogmata, ſacroſque Eccleſiæ*
„ *ritus & ipſi intemerate retineant, & alios edoceant,*
„ *ut quos locorum immenſa ſpatia a Petri Sede longe*
„ *disjungunt, eos tamen Fides eadem in unitate ſpiri-*
„ *tus, & doctrinæ conglutinet. Alias itaque per ſimi-*
„ *les literas noſtras ſub datum 24. Auguſti 1734. inci-*
„ *pientes:* Compertum, exploratumque, *Fraternitates*
„ *veſtras, omneſque Miſſionarios, eo majori, quo potui-*
„ *mus, paterno charitatis affectu requiſivimus, & de-*
„ *claravimus, quam impenſe exoptaremus, ut qui in*
„ *Regnis iſtis Chriſti Fidei veritatem agnoſcentes con-*
„ *vertuntur, ſuperſtitioſos Gentilium ritus omnino ab-*
„ *jicerent, atque averſarentur, ne habeantur & ipſi ad*
„ *inſtar eorum, qui cum Dominum colerent, diis quo-*
„ *que ſerviebant juxta conſuetudines Gentium: utque in*
„ *re tanti momenti nulla eſſet offendiculi occaſio, audi-*
„ *tis Theologorum, ac præſertim Venerabilium Fratrum*
„ *noſtrorum S. R. E. Cardinalium per univerſam chri-*
„ *ſtianam Rempublicam Generalium Inquiſitorum ſuffra-*
„ *giis, plura, juxta dubia tunc propoſita, provide ſta-*
„ *tuimus, & a Miſſionariis obſervanda præſcripſimus.*
„ *Quorum omnium in nos obſervantia, ac ſtudium am-*
„ *plificandæ Fidei in certam ſpem nos erigunt, ut pa-*
„ *ri contentione pro viribus obtemperare ſatagant, nec*
„ *ullus erit, qui deteſtabili indulgentia aliter fieri poſ-*
„ *ſe cogitet, & veluti infideles filii peccare eos faciant*
„ *peccatum magnum. Sane etſi hiſce mediis muneri*
„ *noſtro ſatisfeciſſe, ac ſine ſollicitudine eſſe ſuaderent,*
„ *attamen rei momentum, a qua Fidei puritas, atque*
„ *integritas pendet, nunquam hanc in nobis curam de-*
„ *lebit, niſi ad magnitudinum negotii opportuniora ſem-*
„ *per comparemus remedia. Quare Fraternitatibus ve-*
„ *ſtris, & Miſſionariis omnibus, quibus prædictas no-*
„ *ſtras literas direximus, ſive Sæculares, ſive Regula-*
„ *res cujuſcumque Religionis, Congregationis, Inſtituti,*
„ *Societatis etiam Jeſu, fueritis, demandamus, & præ-*
„ *cipimus, ut omnia, & ſingula quæ in dictis noſtris*
„ *literis continentur, integre, exacte, ac inviolabiliter*
„ *obſervetis, atque ab eis, quorum cura ad vos ſpe-*
„ *ctat, remota penitus quavis aliter interpretandi pote-*
„ *ſtate, adamuſſim obſervari faciatis, in virtute ſan-*
„ *ctæ obedientiæ, ſub pœna ſuſpenſionis ab exercitio*
„ *Pontificalium, interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & re-*
„ *ſpective excommunicationis latæ ſententiæ, a qua nemo*
„ *veſtrum a quoquam, præterquam a nobis, ſeu Roma-*
„ *no Pontifice pro tempore exiſtente, excepto tamen mor-*
„ *tis articulo, abſolvi poſſitis; & quoad Regulares in-*
„ *ſuper privationis vocis activæ, & paſſivæ etiam ipſo*
„ *facto, & ſine ulla alia declaratione incurrendæ. Iti-*
„ *dem ſub iiſdem pœnis, & cenſuris pari authoritate*
„ *præcipimus, & mandamus, ut omnes, & ſinguli,*
„ *qui ab hac ſancta Sede, ſive ab eorum reſpective Su-*
„ *perioribus, ad iſta Regna ſacris obeundis Miſſionibus*
„ *miſſi eritis, ſtatim ac de hiſce literis noſtris certiores*
„ *facti fueritis, vel quavis alia denunciatione de illis*
„ *notitiam habueritis, juramentum præſtetis, integre,*
„ *exacte, ac omnimode implere, quæ provide a nobis in*
„ *iiſdem literis conſtituta fuerunt, neque illis ulla in parte,*
„ *quovis ſub prætextu contraire. Illis etiam, qui quan-*
„ *documque hoc munus ſuſcepturi erunt, mandamus,*
„ *ac præcipimus ſub iiſdem omnibus cenſuris, & pœ-*
„ *nis, ut nullo pacto audeant vel minimum actum ex-*
„ *plere, niſi antea & ipſi juramentum prædictum præ-*
„ *ſtiterint; quin nec tanquam Presbyteri Sæculares ab*
„ *Ordinariis locorum deputati, ſeu veluti ſimplices Re-*
„ *ligioſi, vel quovis alio titulo, & nomine Chriſtifi-*
„ *delium Confeſſiones excipere, conciones habere, aut*
„ *Sacramenta miniſtrare, ſed omni prorſus careant po-*
„ *teſtate, derogando quibuſvis privilegiis, ſibi ipſis,*
„ *aut veſtræ reſpective Religioni, Ordini, Congregatio-*
„ *ni, & Societati etiam Jeſu, ſpecialiter, aut genera-*
„ *liter a nobis, & a Prædeceſſoribus Noſtris quacumque*
„ *ex cauſa conceſſis. Juramenta prædicta Sæculares Miſ-*
„ *ſionarios coram locorum ordinariis, Regulares coram*
„ *Superioribus, vel Apoſtolicis Vicariis præſtare deman-*
„ *damus, Vicarios vero ipſos, & Superiores in manibus*
„ *Epiſcoporum. Nec eadem tantum verbo proferre, ſed*
„ *ſcripto juxta formam per Nos præſcriptam, & infra*
„ *adnotandam, aut propria manu ſubſignare teneamini*
„ *ſub iiſdem cenſuris, & pœnis. Hoc etiam juramen-*
„ *tum præſtandum fore mandamus, ac requirimus ab il-*
„ *lis, qui ad Epiſcopale munus ab hac ſancta Sede pro-*
„ *moveri meruerint, vel ipſomet die, quo in manibus*
„ *Epiſcoporum ſolemnem emiſſuri erunt Fidei profeſſio-*
„ *nem, vel in actu eorum conſecrationis. Quorum ju-*
„ *ramentorum ſubſignata exemplaria, relicta iſthic in*
„ *Archivis authentica copia, ad Congregationem de Pro-*
„ *paganda Fide, per Epiſcopos, & Superiores Regula-*
„ *res reſpective tranſmitti volumus, a qua ad illam S.*
„ *Officii remittantur, ut ſint obſequii erga Nos, no-*
„ *ſtraſque juſſiones, puritatis, integritatiſque Fidei ve-*
„ *ſtræ monumenta. Ne vero tam literarum noſtrarum*
„ *ſub prædicta die 24. Auguſti 1734. quam præſentium*
„ *ullus ignorantiam allegare valeat; hortamur Frater-*
„ *nitates veſtras, ac in Domino obteſtamur, ut quo pri-*
„ *mum illas, atque præſentes receperitis, ſtatim publi-*
„ *care faciatis, ac ad ſingulos Miſſionarios, ſive Sæcu-*
„ *lares, ſive Regulares fuerint, ſub veſtra reſpective*
„ *juriſdictione degentes eaſdem tranſmittatis. Hoc i-*
„ *pſum præcipimus Apoſtolicis Vicariis, aliiſque Regula-*
„ *rium Superioribus. Contrafacientes, vel negligentes*
„ *declaramus incurrere ipſo facto pœnam ſuſpenſionis ab*
„ *exercitio Pontificalium, & interdicti ab ingreſſu Ec-*
„ *cleſiæ; Regulares autem excommunicationis latæ ſen-*
„ *tentiæ, privationis officiorum, & vocis activæ, &*
„ *paſſivæ.*

„ Formula autem juramenti, ſicut præmittitur, a
„ Miſſionariis præſtandi eſt quæ ſequitur, videlicet:
„ Ego N. Ordinis N. ſeu Societatis Jeſu Miſſionarius
„ ad Regnum N. vel ad Provinciam N. in Indiis O-
„ rientalibus a Sede Apoſtolica, vel a meis Superiori-
„ bus, juxta facultates ei a Sede Apoſtolica conceſſas
„ miſſus, vel deſtinatus, parendo præcepto Sanctiſſimi
„ Domini Noſtri Papæ Clementis XII. per literas A-
„ poſtolicas in forma Brevis datas die 13. Maji anno
„ 1739. injuncto omnibus Miſſionariis in dictis Miſſio-
„ nibus, præſtandi juramentum fideliter ſervandi diſpo-
„ ſitionem Apoſtolicam circa Ritus Malabaricos ad for-
„ mam literarum Apoſtolicarum in forma Brevis ejuſ-
„ dem Sanctiſſimi Domini Noſtri die 24. Auguſti 1734.
„ incipien. *Compertum, exploratumque*, mihi per in-
„ tegram ejuſdem Brevis lecturam optime noto, pro-
„ mitto, me plene, & fideliter pariturum, illudque
„ exacte, integre, abſolute, & inviolabiliter obſerva-
„ turum, & abſque ulla tergiverſatione adimpleturum,
„ necnon ad formam dicti Brevis inſtructurum Chriſtia-
„ nos mihi commiſſos tam in concionibus, quam in
„ privatis inſtructionibus, ac præſertim Catechumenos,
„ antequam baptizentur; & niſi promittant obſervan-
„ tiam dicti Brevis, ejuſque diſpoſitionum, & prohi-
„ bitionum, me ipſos non baptizaturum; prout quoque
„ curaturum omni ſtudio, quo potero, ac omni dili-
„ gentia, ut ſublatis gentium cæremoniis, illi a chri-
„ ſtianis ſuſcipiantur, & retineantur ritus, quos Catho-
„ lica Eccleſia pie præſcripſit. Si autem (quod Deus
„ avertat) in toto, vel in parte contravenerim, toties
„ pœnis a Sanctiſſimo Domino noſtro impoſitis in De-
„ creto, ſeu literis Apoſtolicis, ut ſupra, ſuper præ-
„ ſtatione hujus juramenti, mihi pariter per integram
„ lecturam notis, me ſubjectum agnoſco, & declaro.
„ Ita tactis SS. Evangeliis promitto, voveo, & juro.
„ Sic me Deus adjuvet, & hæc SS. Dei Evangelia.

Ego N. manu propria.

„ *Formula vero juramenti ut ſupra, præſtandi ab E-*
„ *piſcopis eſt, quæ ſequitur, videlicet:* Ego N. Epi-
„ ſcopus Civitatis N. memor juramenti a me præſtiti
„ in actu meæ ſolemnis Conſecrationis, quo Romano
„ Pontifici fidem, ſubjectionem, & obedientiam pro-
„ miſi, tum inſuper eorum, quæ provide ſanxit Cle-
„ mens XII. Pontifex Maximus circa ritus Malabari-
„ cos in litteris Apoſtolicis in forma Brevis, Epiſco-
„ pis, &

„ pis, & Miſſionariis uſque ſub die 24. Auguſti 1734. „ tranſmiſſis, parendo mandatis Sanctitatis Suæ per „ alias ſimiles Litteras die 13. Maji 1739. injunctis, „ ut in argumentum meæ erga Sedem Apoſtolicam o- „ bedientiæ, non minus quam filialis obſequii me ju- „ risjurandi religione obſtringam, juro, & promitto, „ me plene, & fideliter eaſdem litteras Apoſtolicas ſub „ dicta die 24. Auguſti 1734. executurum, atque ea, „ quæ in illis præſcripta ſunt, exacte, integre, abſo- „ lute, ac inviolabiliter obſervaturum, curaturum pa- „ riter, quantum in me erit, ut ii omnes, qui mea in „ Diœceſi Miſſionarii, & Sacerdotes ſunt, vel futuri „ erunt, illas eodem prorſus modo in omnibus ſervent, „ atque exequantur, & contra inobedientes, ſi qui fue- „ rint, me proceſſurum ad formam Brevis ſub die 13. „ Maji 1739. ut tandem ſublatis gentium cæremoniis, „ illi a Chriſtianis recipiantur ritus, quos Catholica „ Eccleſia pie præſcripſit, ac jugiter ſervat. Utque de „ hac mea voluntate, juramento, filialique obſequio „ erga Romanum Pontificem, ejuſque mandata peren- „ ne exiſtat monumentum, propria manu me ſub- „ ſcribo.

Ego N. Epiſcopus N.

„ *Cæterum etſi magna Nobis ſpes ſit, Fraternitates „ Veſtras, & Miſſionarios omnes noſtras voces, & mo- „ nita excipere diligenter, ac filiali obſequio exequi, „ curam inſuper ſollicitudinemque plurimam gerere, ut „ tam orthodoxæ Religionis puritati, integritatique, „ quam gentium ſaluti adjumento ſitis, omneſque in „ hanc unicam rem, maximam utique, labores, ſudo- „ reſque conferre, ut tandem, qui Chriſti amplectun- „ tur fidem, ſuperſtitioſos averſentur ritus, eoſque tan- „ tum ſuſcipiant, & retineant, quos Catholica Eccle- „ ſia pie præſcripſit, ac jugiter ſervat; attamen pro „ Paſtoralis Officii debito, ac Paternæ caritatis ſtimu- „ lo, iterum, iterumque commonere non deſiſtimus; ne „ a Paſtorum Principe in cuſtodia gregis ſui minus vi- „ gilaſſe dijudicemur: & Vobis interim in auſpicium „ bonorum omnium Apoſtolicam Benedictionem impertiti- „ mur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub „ Annulo Piſcatoris die* XIII. *Maji* MDCCXXXIX. „ *Pontificatus Noſtri anno nono.*

„ XVII. Haſce Clementis XII. Litteras aliæ ſubſe- „ cutæ ſunt, prænominatis earum regionum Epiſcopis „ peculiariter inſcriptæ, quibus idem Pontifex & con- „ ceptum animo intimum dolorem, ob nondum ſibi de- „ latam certam exoptatamque notitiam de præſtita A- „ poſtolicis mandatis debita obſervantia, gravibus ver- „ bis patefecit, & eorumdem Epiſcoporum zelum, ac „ religionem excitare curavit, ut ipſi exemplo, ac di- „ ligentia ſua præeuntes, cæterorum obedientiam ſolliciti- „ te promoverent. Harum litterarum hujuſmodi exem- „ plum eſt:

„ XVIII. *Venerabilibus Fratribus Epiſcopis in Regnis „ Indiarum Orientalium Madurenſi, Mayſſurenſi, & „ Carnatenſi*

CLEMENS PAPA XII.

Venerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

„ *Continere labia noſtra non poſſumus, quin vos, Ve- „ nerabiles Fratres, Apoſtolica voce iterum alloquamur: „ moleſte Nos, imo graviter ferre, uſque adhuc certam „ denunciationem minime accepiſſe, qui tandem exitus „ contigerit noſtris litteris, quas die 24. Auguſti 1734. „ Vobis, & Miſſionariis iſthic commorantibus dedimus. „ Sane taciturnitas hæc curarum & anguſtiæ noſtro pa- „ terno erga vos amori cauſa eſt, tum & maxime „ quia, incertæ licet, ſparſæ hic ſunt voces, eaſdem „ noſtras Litteras, & Decreta in publicum ab omni- „ bus minime poſita fuiſſe, nec exacte, prout oportet, „ adimpleri; quin non deeſſe aliquos, qui diverſa opi- „ nantes, ac loquentes, adducunt diſcipulos poſt ſe. „ Quare primum Fraternitates veſtras ex animo requi- „ rimus, ut quomodo iſthic res ſe habeat, quamprimum renuncietis, ne longior tarditas acerbiorem No- „ bis afferat moleſtiam; deinde firma ſpe ducimur, ze- „ lo Dei vos impellente in doctrina ſana nobiſcum ex- „ ſurgere in eos, qui contradicunt, ut memores officii, „ cui ſe addixerunt, ſedulo caveant, ac diligenter pro- „ ſpiciant, ne culpa eorum, gentes iſtæ ſint timentes „ Dominum, ſed nihilominus & Idolis ſuis ſervientes. „ Hac de cauſa alteras miſimus Litteras Fraternitati- „ bus veſtris, atque Miſſionariis, quibus gravioribus „ ſub pœnis demandamus, ut noſtræ voluntatis ſenſi- „ bus, & Decretis obediant, & opere compleant. Ne „ vero, ut hactenus, unus alterum incuſet, & Nos, „ qui licet præſentes iſthic ſpiritu, corpore tamen ab- „ ſentes, ſuſpenſos incerti nuncii diu retineant, jura- „ mentum ab unoquoque ex Miſſionariis propria manu „ ſubſignandum, expetere duximus, quo quiſque profi- „ teatur noſtris juſſionibus promptam, atque exactam „ præſtare obedientiam, prout latius in iiſdem litteris „ continetur. Hoc etſi tuto Nobis polliceamur pro o- „ mnium pietate, & religione, attamen plurimum col- „ latura erit Fraternitatum veſtrarum exemplum autho- „ritas, quoties idem jurisjurandi ſacramentum, in cer- „ tum erga S. Sedem, & in Nos obſequii veſtri teſti- „ monium præſtitiſſe, atque Nobis miſiſſe, vos intelli- „ gant, prout in Domino etiam, atque etiam obteſta- „ mur. Porro hanc unam eſſe detegendæ veritatis viam, „ unum præſidium ad obſtruendum os loquentium ini- „ qua, voſmet facile cognoſcere non dubitamus: quare „ Pontificiam voluntatem, ceteroquin in vos propenſam, „ magis magiſque vobis devinctis, ſi induſtriæ, cogi- „ tationi, ſtudio denique veſtro vim addatis exemplo, „ nec ſane veremur, quin eam reverentiam, quam, ſu- „ ſcipientes Epiſcopale munus, huic S. Sedi, & Apo- „ ſtolicis mandatis ſpopondiſtis, hac tam opportuna oc- „ caſione explicaturi luculentius eritis, ut quos ad ju- „ ramentum proferendum vos adire conſtringimus, ex „ facto etiam veſtro obedire præceptis noſtris arctius „ impellantur, ac vobis Venerabiles Fratres in perpe- „ tuum amoris noſtri pignus Apoſtolicam Benedictionem „ peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Ma- „ riam Majorem ſub annulo Piſcatoris die* XIII. „ *Maji* MDCCXXXIX. *Pontificatus Noſtri Anno „ nono.*

„ XIX. Neque vero his, quamvis adeo enucleate „ præſcriptis, plane contentus idem Clemens Papa „ XII. Superiores quoque Generales Miſſionariorum „ in Orientalibus Indiis degentium, eorum præſertim, „ qui, ut Apoſtolicæ Sedi relatum erat, detrectabant „ adhuc obſequentis animi erga ejuſdem Sedis manda- „ ta certa argumenta exhibere, adſtrinxit, eoſque ſub „ pœnis ſuſpenſionis a divinis, privationis vocis acti- „ væ, ac paſſivæ, aliiſque gravioribus arbitrio ſuo re- „ ſervatis, Apoſtolicæ etiam Sedis indignationis, for- „ mali præcepto, eoque juridice indicto, adegit ad „ tranſmittenda ſuis reſpective Religioſis exempla Apo- „ ſtolicarum litterarum a ſe tunc editarum, atque ad „ earum publicationem, & exactam, integram, invio- „ labilemque obſervantiam pro viribus præcipiendam; „ ea lege addita, ut ſi aliquis eſſet ex Miſſionariis, „ qui mandatis reluctaretur, aut contrafacere auderet, „ ſolemni ſtatim præcepto per Superiorem Generalem „ cogeretur, relictis Miſſionibus, e Provincia decede- „ re, atque in Europam reverti. Et ne in re adeo „ gravi intentatum aliquod remedium relinqueretur, „ terminum annorum trium conſtituit, intra quem Su- „ periores Generales prædicti tenerentur certis, authen- „ ticiſque documentis Sedi Apoſtolicæ plenam, atque „ integram Decretorum, litterarumque obſervantiam „ indubitate probare, atque præſertim exempla juris- „ jurandi, ut præfertur, præſtandi, propria uniuſcujuſ- „ que Miſſionarii manu, cujuſcumque fuerit Inſtituti, „ ſubſcripta, exhibere.

„ XX. His ita conſtitutis, atque mandatis obtempe- „ rantes omnes Epiſcopi, & Miſſionarii Apoſtolici „ Regnorum Madurenſis, Mayſſurenſis, & Carnaten- „ ſis, nominatimque, qui pridem contra Cardinalis „ Tournonii Decretum ſteterant, fide data, ſacramen- „ toque interpoſito, exactam, integram, abſolutam, „ inviolabilemque obſervantiam litterarum, quarum ſu- „ perius exemplum inſertum eſt, quodque incipit: *Com- „ pertum exploratumque*, promiſerunt ſecundum formu- „ las aliis in litteris Pontificiis expreſſas, quæ pariter „ enunciatæ jam ſunt, quæque incipiunt: *Concredita „ Nobis Dominici Gregis*. Utque ſuum Nobis ad Pon- „ tificatus apicem evectis, ſanctæque Sedi fidele obſe- „ quium, & ſubmiſſionem certo probarent argumento, „ ad manus noſtras exempla reddi curarunt ſolemnis ju- „ risjurandi, quod ſinguli præſtiterunt.

„ XXI. Hunc igitur fructum ex prudenti conſtanti- „ que, quam hactenus recenſuimus, Prædeceſſorum no- „ ſtrorum agendi ratione nobis colligere datum eſt: ne- „ que jam temere videmur hanc animo ſpem concepiſ- „ ſe, ut quæcumque dubia ſuper executione eorum, „ quæ ab iiſdem Prædeceſſoribus præſcripta memoravi- „ mus, adhuc reliqua ſunt, reſolutis, ut infra, propo- „ ſitis quæſtionibus, penitus ſubmoveantur, omneſque „ demum inter ſacros iſtarum regionum Operarios diſ- „ ſenſiones, & controverſiæ compoſitæ conticeſcant; „ atque Apoſtolica mandata, & Decreta, quæ, gravi „ præmiſſa ponderatione, ac de conſilio Venerabilium „ Fratrum noſtrorum in tota Republica Chriſtiana in „ negotiis Fidei Generalium Inquiſitorum ſpecialiter de- „ putatorum, aliorumque Virorum pietate ac doctrina

„ præ-

„ præſtantium, harum ſerie edituri ſumus, pari obe-
„ dientiæ alacritate ab omnibus iſtarum partium Miſ-
„ ſionariis excipiantur, ac debitæ executioni deman-
„ dentur.

„ XXII. Nonnulli ſiquidem, poſtquam litteris ſuis
„ profeſſi ſunt ſervatas a ſe fuiſſe Apoſtolicas litteras
„ *Compertum*, *exploratumque*, ſeque accuſatos idcireo
„ perperam fuiſſe tamquam refractarios; affirmantes ni-
„ hilominus, in maximas, atque extremas animi angu-
„ ſtias ſe eſſe conjectos, ob jurisjurandi religionem, ob
„ excommunicationis periculum, aliaſque graviſſimas
„ pœnas, quibus inobedientes, legive repugnantes ine-
„ vitabili nexu obligati ſunt, atque obnoxii; commu-
„ ni illorum omnium nomine, qui in pari muneris,
„ & periculi ſocietate verſantur, ad ſublevandas ſuas,
„ ut ajunt, oneratas, trepidanteſque conſcientias, at-
„ que ad plurimorum Chriſtianorum ſalutem, qui re-
„ center converſi perſecutionum procellis aſſidue con-
„ flictantur, in tuto collocandam, tria a Nobis flagi-
„ tarunt.

„ XXIII. Primum illud eſt, ut onere ſubleventur
„ (quod quidem onus graviſſimum, intolerandumque
„ appellant) tot juramentorum, cenſurarumque, qui-
„ bus inextricabilibus veluti laqueis eorum conſcientiæ
„ vinciuntur, quibuſve fit, ut propriæ amittendæ ſalu-
„ tis periculo expoſiti, de aliena procuranda cogitatio-
„ nem prope omnem deponere cogantur.

„ XXIV. Alterum, ut diſpenſatio alias conceſſa ſu-
„ per inſufflationum, atque ſalivæ ritu, in Sacramen-
„ to Baptiſmatis miniſtrando, prorogetur, eo vel ma-
„ xime, quod non tali lege ſit hujuſmodi ritus indu-
„ ctus, in qua diſpenſatio locum habere non poſſit;
„ imo, ut ea concedatur neceſſarium eſſe ajunt, ad
„ conſervandam prorogandamque diſſeminatam jam, ac
„ diffuſam fidem in vaſtiſſimis illis regionibus, quarum
„ Incolæ ingenito veluti horrore, ſeu potius inveterato,
„ & communi præjudicio, ita ſalivam averſantur,
„ ut de eo evellendo prope jam ſit ab eis deſperatum.

„ XXV. Tertium, ut aperta, atque plana tradatur
„ interpretatio præcepti a Cardinali Tournonio Miſſio-
„ nariis graviſſime injuncti, atque ab Apoſtolica Sede
„ confirmati, eiſque inculcati, ut abjectiſſimum homi-
„ num genus, vulgo Pareas, minime deſerant, ſed cum
„ domi aliquo morbo laborantes detinentur, eos invi-
„ ſant, eiſque, cum opus fuerit, Sacramenta mini-
„ ſtrent, omnibuſque erga eos caritatis, atque pietatis
„ officiis defungantur. Nam, ſine aliqua præfati Decre-
„ ti declaratione, perniciem eis, qui Chriſtianæ Reli-
„ gioni nomen dederunt, imminere prorſus arbitrantur,
„ Gentiliumque ad fidem converſionem impoſſibilem pe-
„ nitus evaſuram. Itaque eorumdem Parearum ſaluti
„ providendum eſſe rentur, non adigendos ſacros Ope-
„ rarios ad ingrediendum eorum domos, quod certe, ut
„ aſſerunt, exitio Miſſionibus foret, ſed alia ratione,
„ atque ea potiſſimum, quam ipſi primo induxerunt,
„ quaque uſi ſunt poſt Apoſtolicas etiam litteras pro-
„ mulgatas, quarum initium: *Compertum*, *exploratum-*
„ *que*, obtentu verbalis cujuſdam declarationis, quam
„ ipſis ſuus Miſſionum Procurator ſignificaverat.

„ XXVI. Rumore itaque ad Nos allato de hujuſ-
„ modi vocali declaratione, quæ Clementi Papæ XII.
„ Prædeceſſori noſtro tribuebatur, & cujus etiam exem-
„ plum, monumentumque in Actis, & Tabulario ſan-
„ ctæ Inquiſitionis relatum fuiſſe, atque reconditum fe-
„ rebatur, exemplum, monumentumve hujuſmodi di-
„ ligentiſſime exquiri mandavimus. Cumque illud nuſ-
„ quam inventum ſit, longa licet atque exactiſſima in-
„ dagine inveſtigatum, cum etiam adminiſtri, quorum
„ cuſtodiæ mandandum fuerat, ea de re per noſmetipſos
„ interrogati, nihil hujuſmodi a ſe viſum, nihil audi-
„ tum fuiſſe, & nunquam ad ſe perveniſſe prædictam
„ declarationem, propterea que & in Actis, & in Ar-
„ chivio deſiderari conſtanter, & indubitate affirmave-
„ rint; cum denique ipſius noſtri Prædeceſſoris ea de
„ re mentem, atque ſententiam in Apoſtolicis ejus lit-
„ teris ſupra relatis luce ipſa clarius expreſſam, explo-
„ ratamque haberemus; totum hoc graviſſimum, & in-
„ veteratum negotium, cum approbatione, & conſilio
„ Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardina-
„ lium Generalium Inquiſitorum, ut ſupra, deputato-
„ rum, tandem dijudicare, ac definire deliberavimus.
„ Auditiſque propterea tum eorumdem Venerabilium
„ Fratrum Noſtrorum, tum etiam Conſultorum ſen-
„ tentiis, ac rurſus ad trutinam revocatis, & coram
„ Nobis multum, diuque perpenſis, atque diſcuſſis mo-
„ derationibus illis, quas poſtularunt a Nobis illi, qui
„ duram, atque difficilem Decretorum toties enunciato-
„ rum integram, abſolutamque obſervantiam exiſtima-
„ runt, in hunc qui ſequitur, modum ſtatuimus, atque
„ decrevimus.

„ XXVII. Ac primo quidem, animadvertentes im-
„ poſitam jurisjurandi legem eſſe veluti ſaluberrimum
„ antidotum extinguendo gliſcentium litium, diſcordia-
„ rumque veneno, aptiſſimumque ad cohibendam li-
„ centiam, libertatemque opinandi, interpretandi, a-
„ gendi denique pro libito in re tam gravi, & pericu-
„ loſa frænum exiſtere; cenſuras quoque a prædicto
„ Clemente XII. Prædeceſſore Noſtro in enunciatis lit-
„ teris, incipien. *Concredita Nobis*, conſtitutas, ad ſo-
„ los duntaxat pertinere Apoſtolicæ legis præceptorum
„ violatores, eaſdemque in hujuſmodi tantum refracta-
„ rios, quorum animos neque Eccleſiaſticæ manſuetudi-
„ nis officia, neque paternæ admonitionis caritas vin-
„ cere, aut inflectere ullo modo poſſent, juſtiſſimam
„ pœnam eſſe, & fore reputantes; non ſolum inoppor-
„ tunum cenſuimus jusjurandum aliqua in parte remit-
„ tere, aut moderari cenſuras; quod primo fuit ab
„ illis propoſitum; verum etiam de prædicto conſilio,
„ & aſſenſu, ac de plenitudine poteſtatis a Deo Nobis
„ concreditæ, illud, illaſque probamus, confirmamus,
„ & innovamus; illudque, & illas omne robur, &
„ firmamentum, omnemque vim, & efficaciam in po-
„ ſterum ſemper habere, ſuoſque plenarios, & integros
„ effectus ſortiri, & obtinere, atque ab illis ad quos
„ ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in-
„ violabiliter, & inconcuſſe obſervari decernimus, &
„ jubemus.

„ XXVIII. Quod autem attinet ad ſecundam poſtu-
„ lationem de proroganda ſupradicta diſpenſatione,
„ quam Prædeceſſor Noſter in decennium conceſſit, ut
„ ſcilicet per id temporis, in Sacramento Baptiſmatis
„ conferendo, ſalivæ uſu abſtinere, & ſacras inſufflatio-
„ nes in occulto adhibere liceret, non tamen hoc ge-
„ neratim, neque indiſtincte, ſed ubi gravis aliqua, &
„ certa neceſſitas poſtularet, ut luculentius in eiſdem
„ litteris Apoſtolicis, quarum initium: *Compertum*,
„ *exploratumque*, expreſſum eſt; Nos declarare ſatis
„ non poſſumus, quam ægre feramus, quod nullis ad-
„ huc certis indiciis, aut argumentis cognoſcere potue-
„ rimus, utrum Miſſionarii per id decennii tempus,
„ quod jam dilapſum eſſe dignoſcitur, ad Apoſtolica-
„ rum litterarum præſcriptum, in eo pro viribus ela-
„ boraverint, atque ea, qua par erat, fide, ac dili-
„ gentia, omne ſuum ſtudium, operamque adhibuerint,
„ ut vanus ille horror, & parum æqua averſatio præ-
„ dictorum Sacramentalium, quæ Gentium illarum a-
„ nimis inſidere fertur, ſenſim emendata, demum ab
„ eiſdem penitus deponeretur. Nemo quippe ignorat,
„ Sacramentalium, de quibus agitur, uſum, ſive inſti-
„ tutionis antiquitas, ex qua ritus illi in Eccleſiam
„ derivati ſunt, ſive multiplex myſteriorum ſignifica-
„ tio, quæ in illis continetur, ſive demum Romanæ
„ Eccleſiæ omnium Magiſtræ ſpectetur authoritas, quæ
„ eoſdem in ſuis Ritualibus receptos inviolabiliter ob-
„ ſervari præcepit, jure, ac merito venerandum eſſe,
„ præcipuoque ſemper in honore habendum, & conſe-
„ quenter incapacem prorſus recipiendæ Baptiſmatis gra-
„ tiæ eum eſſe, qui falſo ſibi perſuaſerit, inſufflatio-
„ nes, atque ſalivam aptam haud eſſe materiam ſacra-
„ mentalium cæremoniarum, graviſſimique piaculi ex-
„ pertem non futurum, qui ſic opinanti conferre illud
„ auderet.

„ XXIX. Et quamquam exploratum eſſet, Gentes
„ illas hoc pravo errore minime detineri, ſed ob id
„ tantum a prædictorum Sacramentalium uſu abhorre-
„ re, quod ingenita quadam, ut ferunt, averſione ſa-
„ livam, anhelitumque abominentur, non minori ta-
„ men induſtria ſacris Miniſtris adnitendum eſt, ut ex
„ earum animis perperam conceptum horrorem, ine-
„ ptamque averſionem eliminent, atque ablegent: ali-
„ ter timendum merito eſſet, ne illarum Regionum
„ Neophyti, confirmata in ipſorum mentibus hujuſmodi
„ abominatione, eo uſque deſipiant, ut eamdem etiam
„ transferant ad miracula, quæ per ſalivam Chriſtus
„ Redemptor Noſter edidit, ipſumque propterea mira-
„ culorum, & ſalutis noſtræ Authorem, quo nihil pro-
„ fecto magis impium excogitari poteſt, averſentur.
„ Utque alia prætereamus, illud tandem non diutius
„ eſt differendum, ut in Regnis Madurenſi, Mayſſu-
„ renſi, & Carnatenſi Baptiſmi Sacramentum rite,
„ ſancteque miniſtretur, iiſdem adhibitis Sacramentali-
„ bus, & cæremoniis, quibus Romana utitur Eccle-
„ ſia, ex qua ad gentes illas fidei lux propagata eſt,
„ dediſcantque tandem novelli Regionum illarum fide-
„ les id horrere, quod Deus dignatus eſt facere.

„ XXX. Verumtamen ut memorata Sacramentalium
„ prædictorum abominatio ſuaviter, leviterque ex eo-
„ rum animis divelli poſſit, neve hujuſmodi lex, quæ
„ Sacramentalium uſum præſcribit, ad nimiam in ſpe-
„ ciem ſeveritatem exacta, eas adducere calamitates vi-
„ deatur, quæ ex illa, tamquam e fonte, in Eccle-

„ ſias,

„ ſias, atque Miſſiones dimanaturæ denunciantur, Nos „ enarratis de cauſis diſpenſationem, quam Prædeceſſor „ Noſter in litteris jam relatis conceſſit, iterum con„ cedendam, prorogandamque decrevimus in aliud de„ cennium, quod a die datæ præſentis Noſtræ Apo„ ſtolicæ Conſtitutionis eſt inchoandum.

„ XXXI. Ex quo fas eſt intelligere, non eam eſſe, „ aut fuiſſe noſtram, & Apoſtolicæ Sedis ſententiam, „ quod ſcilicet nullus diſpenſationi locus eſſe poſſit in „ hujuſmodi ſacrorum Rituum, & Sacramentalium ma„ teria, nec ulla diſpenſandi neceſſitas aut ſufficiens „ cauſa umquam valeat allegari. Verum, cum ex ra„ tionibus ſuperius allatis, nullo pacto permitti va„ leat, venerabiles adeo ritus, ac traditum a Patri„ bus, ſanecteque ab Eccleſia ſervatum hujuſmodi Sa„ cramentalium uſum penitus aboleri; vel eorum con„ temptui, aut erroribus circa eadem inducendis, vel „ jam conceptis amplius confirmandis occaſionem præ„ beri; idcirco omnibus dictorum Regnorum Miſſiona„ riis diſtricte præcipimus, ut hac diſpenſatione beni„ gne a Nobis indulta, nonniſi certis in caſibus, & „ cum gravis id neceſſitas poſtulabit, de quo eorum „ conſcientiam oneramus, utantur, nec niſi in prædi„ ctis caſibus ſalivæ uſum in adminiſtratione Baptiſma„ tis poſſint omittere, & occultas adhibere inſufflatio„ nes; modo ii, qui ſe baptizandos offerunt, in ea „ non ſint opinione, ut credant ſalivam, atque inſuf„ flationes hujuſmodi ineptam eſſe, atque indecentem „ Sacramentalis ritus materiam: qui enim adeo falſa, „ atque diſtorta perſuaſione imbuti eſſent, tamquam „ indigni, & incapaces Sacramenti Baptiſmatis licite „ ſuſcipiendi, ab eo repellendi eſſent. Volumus autem, „ atque omnibus, & ſingulis prædictorum Regnorum „ Epiſcopis, & Miſſionariis in virtute ſanctæ obedien„ tiæ præcipimus, & expreſſe jubemus, ut & com„ munibus ſtudiis, atque conſiliis, & ſinguli pro virili „ parte, intra præfinitum decennii tempus, omnibus „ viribus, nerviſque contendant, & quemadmodum „ fuerat eiſdem a ſan. mem. Prædeceſſore Noſtro impe„ ratum, non intermiſſis laboribus aſſidue curent, ut „ ex illarum Gentium animis errorum tenebræ, male„ ſanæque opiniones, quibus obcœcantur, & miſerri„ me detinentur, penitus diſcuſſæ, ac radicitus evulſæ „ eliminentur. Ut vero indultum, prorogatumque a „ Nobis tempus ſanctiſſimis Romanæ Eccleſiæ cæremo„ niis prædictis, quæ tamdiu a Sede Apoſtolica com„ mendatæ, atque inculcatæ fuerunt, facilius apud Na„ tiones illas inſinuandis vere conducat, utque ulterior „ hujuſmodi rituum prætermiſſio (quam tamen extra „ veræ neceſſitatis caſus, ut ſupra, nullatenus conceſ„ ſam, aut licitam eſſe, iterum declaramus) alendis „ Populorum erroribus, atque difficultatibus augendis, „ confirmandiſque anſam non præbeat; univerſis Gen„ tium illarum Epiſcopis, & Miſſionariis prædictis „ notum eſſe volumus, hoc exacto decennio, nullis „ aut precibus, aut rationibus, quæ porrigi, proferri„ que umquam poſſent, aliam denuo prorogationem „ conceſſum iri.

„ XXXII. Ad tertium denique, quod pertinet po„ ſtulatum, ut nempe apertius, atque diſtinctius decla„ retur Decreti articulus, quo laudatus bon. mem. Ca„ rolus Thomas Card. Tournonius ſancivit, ut Miſ„ ſionarii ad Pareas ægrotantes accedant, ut Sacramen„ ta deſiderantibus etiam domi adminiſtrent, ut deni„ que illis omnia præſtent ſpiritualia ſubſidia, quæ ca„ ritas, religio, & officii ratio Evangelicis Operariis „ nullo diſcrimine, nulloque reſpectu, Fidelibus uni„ verſis, adverſa præſertim valetudine conflictatis, ad„ miniſtranda præſcribunt: nemo profecto non videt, „ quantumvis maximæ proponantur difficultates, in quas „ incurrere Miſſionarii ſe poſſe dicunt, ſi huic præce„ pto tam juſto, tam ſancto parere velint, ferendum „ tamen nullo modo eſſe, quod caſas humiliorum hu„ juſmodi hominum ex morbo decumbentium ſubire re„ cuſent, atque illos in ſummo etiam vitæ diſcrimine, „ aut Sacramentis omnino carere ſinant, aut ſaltem „ eorumdem percipiendorum maximam illis ingerant „ difficultatem. Nulla etenim apud Deum eſt perſona„ rum acceptio; nec ullum deſpicere fas eſt eorum, „ quos Unigenitus Dei Filius per novam generationem „ ſibi conjunctos, non confunditur Fratres vocare: quin „ imo *elegit Deus pauperes in hoc Mundo, divites in „ Fide, & hæredes regni, quod repromiſit diligentibus „ ſe*. Quæ qui contemnunt, exhonorantes pauperem, „ & fratrem humilem confundentes in humilitate ſua, „ hi porro longe nimis diſcedunt a doctrina, & exem„ plo Chriſti Domini Salvatoris noſtri, qui nos non „ divina tantum voce, ſed magnis etiam, atque illu„ ſtribus factis edocuit, quanti apud nos eſſe debeant, „ qui pauperes, atque abjecti per mundi inſaniam vo„ cantur. *Ecce enim*, ajebat S. Gregorius Pontifex „ Maximus, *ire non vult Filius Dei ad filium Regu„ li, & tamen venire paratus eſt ad ſalutem ſervi. „ Certe ſi nos cujuſpiam ſervus rogaret, ut ad eum ire „ deberemus, protinus nobis noſtra ſuperbia in cogita„ tione tacita reſponderet dicens: non eas, quia temet„ ipſum degeneras; honor tuus deſpicitur, locus vile„ ſcit. Ecce de Cælo venit, qui ſervo in terram occur„ rere non deſpicit*.

„ XXXIII. Quare ut graviſſimo huic malo reme„ dium afferrent Prædeceſſores Noſtri Romani Pontifi„ ces Gregorius XV. Alexander VII., & Clemens IX. „ in ſuis Apoſtolicis Litteris die XXXI. Januarii „ MDCXXIII., die XVIII. Januar. an. MDCLVIII. „ & die XIII. Septembris anni MDCLXIX. reſpecti„ ve datis, omni animorum contentione, atque zelo „ obtinere curarunt (quod & Nos eorum veſtigiis in„ hærentes ſummopere optamus, & quantum in Do„ mino poſſumus, diſtricte præcipimus, & mandamus) „ ut Nobiles cum plebeiis in unam, eamdemque Eccle„ ſiam convenientes, una ſimul divini verbi pabulo re„ ficerentur, & Eccleſiæ Sacramenta reciperent, utque „ Miſſionarii Regnorum, Provinciarumque Orientalium „ Indiarum, ſui officii memores, ita animo eſſent com„ parati, atque diſpoſiti, ut, non ſecus ac Nobilibus, „ abjectis quoque, & infimæ ſortis hominibus, in iis, „ quæ ad ſpiritualem eorum profectum pertinent, præ„ ſto eſſent, illiſque in propriis etiam domibus, etſi „ humillimis, ac ſordidis, ſacrum Viaticum miniſtrare „ minime recuſarent. At, quod maxime Nos angit, „ ſive ob immodicum illum horrorem, quo claro gene„ re nati infimæ plebis homines, ut fertur, ita aver„ ſantur, ut vel illorum contactu ſe commaculari, no„ bilitateque, & gradu cadere ſibi perſuadeant (qui „ tamen horror cum ſit Chriſti lege damnatus, e Chri„ ſtianorum animo omnino eſt eliminandus) ſive ob „ patrias leges, imperiaque Regum idololatrarum, qui„ bus Chriſtiani in iis regionibus ſubjecti ſunt, aliave „ tandem de cauſa id evenerit; fruſtra certe fuerunt „ Prædeceſſorum Noſtrorum conſilia, paternæ exhorta„ tiones, præcepta demum, queis uſi ſunt, ut infimi „ hujus generis hominum converſioni, ac ſaluti pro„ curandæ, quantum optaverant, plene conſulerent, ac „ providerent.

„ XXXIV. Cum vero, & Nos Chriſti Domini do„ cumentis, Prædeceſſorumque Noſtrorum exemplo ex„ citati, anxie cogitaremus, qua ratione illud tandem „ reipſa conſequi poſſemus, quod eiſdem Prædeceſſori„ bus Noſtris tantopere cordi fuit; opportune accidit, „ ut Societatis Jeſu Miſſionarii, quorum villicationi „ Regnorum Madurenſis, Mayſſurenſis, & Carnatenſis „ Miſſiones potiſſimum concreditæ ſunt, poſtquam de„ clarari a Nobis articulum de Pareis *poſtularunt*, pa„ ratos ſe Nobis obtulerint, *pollicitique* ſint, modo id „ Nos ipſi probaremus, certos aliquos delegare Miſſio„ narios, qui Pareis convertendis dirigendiſque præci„ pue dent operam. Quod quidem eorum conſilium, „ quo Parearum converſioni, & ſaluti ſatis bene con„ ſultum fore confidimus, paterno gaudio ſuſcipientes, „ pro temporum circumſtantiis probandum, commen„ dandumque eſſe duximus, oblationiſque Nobis factæ, „ ac religioſi promiſſi exemplum ab eorum Præpoſito „ Generali ſubſcriptum in hujus Romanæ, atque uni„ verſalis Inquiſitionis Tabularium referri, perpetuo„ que aſſervari mandavimus.

„ XXXV. Præmonemus itaque in primis partium „ illarum Miſſionarios univerſos, ut quæ Apoſtolici „ eorum miniſterii erga Fideles omnes ex Divina inſti„ tutione potiſſimæ partes ſunt, minime obliviſcantur; „ ac ſerio perpendentes, quod inter eos, qui Filii Dei „ ſunt, per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, juxta do„ ctrinam Apoſtoli, jam non eſt ſervus, neque liber, „ non eſt maſculus, neque fœmina, ſed omnes unum „ ſunt in Chriſto Jeſu; quod ipſe quoque Salvator no„ ſter a Deo Patre ſuo poſtulaverat pro omnibus, qui „ crediturі erant per verbum Diſcipulorum in *ipſum*, „ rogans nimirum: *Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pa„ ter in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum „ ſint, ut credat mundus, quia tu me miſiſti*; novos „ credentes inſtruant, oportere illos eo mutuæ caritatis „ vinculo inter ſeſe colligari, ex qua veluti teſſera, & „ divini Filii ab æterno Patre miſſionem, & Chriſtia„ næ Religionis veritatem facile Gentiles agnoſcant.

„ XXXVI. Deinde vero tot ſtatim pro Pareis Miſ„ ſionarios deputari volumus, & præcipimus, quot ne„ ceſſarii, & reipſa ſufficientes reputabuntur pro eo„ rum debita cura ſingulis in locis exercenda, qui pe„ culiari ſtudio eorumdem domos, ubi ægrotant, pro „ viribus petant, ad eos inviſendos, ac piis ſermoni„ bus, ac precibus, Sacramentorumque pabulo recrean„ dos, eoſque demum in extremo vitæ diſcrimine con„ ſtitutos ſancto Infirmorum Oleo deliniendos, abſque

„ Per-

„ Perſonarum, aut ſexus exceptione. Ubi vero contigerit præfatos Miſſionarios ad Parearum curam præcipue deputatos, aut eorum aliquem e vivis excedere, vel alio abire, alterum alterius loco continuo ſubrogari mandavimus: & intra ſpatium quinquennii a die datæ præſentium certiſſima, atque authentica documenta de mandatorum noſtrorum executione Apoſtolicæ Sedi reddi debere præcipimus. Quod ſi intra quinquennii ſpatium hujuſmodi documenta reddita minime fuerint, vel iis redditis, minime conſtiterit alios Miſſionarios ad præcipuam illam Parearum curam exercendam ſubrogatos fuiſſe in eorum locum, quos vel obiiſſe, vel alia de cauſa officio deeſſe contigerit: tum etiam ſi intra ſpatium annorum decem omnes non fuiſſent adhibitæ diligentiæ, quæ tam a Prædeceſſoribus Noſtris, quam a Nobis ipſis ſuperius præſcriptæ ſunt, ad evincendum, expellendumque horrorem, quo Gentes earum Regionum inſufflationes, atque ſalivam in Sacramenti Baptiſmatis adminiſtratione, & ſuſceptione, averſari dicuntur; de quo tamen minime dubitare Nos ſinit filialis obedientia, quam iis præ ceteris Miſſionariis in Apoſtolicam Sedem ſe profiteri gloriantur: aut denique ſi omnes adhibitæ diligentiæ fruſtra ceſſiſſent; quod ſecus fore confidimus, dum mentis noſtræ oculos ad miſericordiarum Patrem, totiuſque conſolationis Deum, cujus agitur cauſa, convertimus; in quemcumque eventum, ne Miſſiones illas tot virorum laboribus, ac ſanguine fundatas deſeramus, a quo ſane longiſſime abſumus; decernimus, & mandamus, ut alii Miſſionarii ſive ſæculares, ſive Regulares ex alio cœtu, vel inſtituto, in ea Regna mittantur, ut experiamur, num Deus, cujus incomprehenſibilia ſunt judicia, in aliorum Operariorum villicationem divitias miſericordiæ ſuæ effundere decreverit, eorumque labore, atque induſtria illos fructus in præfatis Regionibus, & Gentibus producere, quos Miſſionariorum nunc ibi laborantium ſudoribus, nulla licet ipſorum culpa, vel omiſſione, conſequi non potuerimus.

„ XXXVII. Et quamquam confidimus prædictos Miſſionarios nunc, & pro tempore ibi exiſtentes, pro ſuo erga Apoſtolicam Sedem obſequio, ab excitandis turbis alienos futuros, nec ullum juſſionibus noſtris obſtaculum, aut impedimentum allatum iri, ſi dum ipſi in iis Regionibus commorantur, eo novi Miſſionarii accederent, ibique verſarentur; tamen quoniam Apoſtolici muneris id a Nobis ratio exigit, ut caveamus pericula, quæ Chriſtianæ caritati offendiculo eſſe poſſent; hinc eſt, quod Societatis Jeſu Miſſionariis, qui in Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi Regnis tunc erunt, virtute ſanctæ obedientiæ jubemus, atque præcipimus, ut quicumque caſus ex ſupradictis evenerit, quo, vel omnia, vel aliqua ex his, quæ per præſentes litteras noſtras circa præmiſſa decrevimus, & obſervari mandavimus, intra præfinitum reſpective tempus, integre exacteque, ut par eſt, impleta non fuerint, ſive id ex eorum facto, ſive ex omiſſione, ſive ex prava, & contra litteralem earumdem præſentium ſenſum diſtorta mentis, & voluntatis noſtræ interpretatione, ſive demum ex qualibet alia cauſa, etiam de neceſſitate exprimenda, id contigerit; ſtatim, relictis prædictarum Regionum Miſſionibus, quarum in iis Regnis exercendarum, & quocumque titulo, etiam deputatorum ab Epiſcopis, ſeu Ordinariis locorum, aut ſimplicium ſuæ Religionis Presbyterorum, ſeu quolibet alio colore proſequendarum, jure omni, officio, & facultate ex eo tempore in poſterum jam nunc eos a Nobis privatos, & imminutos declaramus, atque ex nunc prout ex tunc, & e contra, auctoritate Apoſtolica, & earumdem præſentium tenore privamus, & imminuimus, illico, non expectata alia noſtra, & Sedis Apoſtolicæ declaratione, juſſione, aut ſententia, in Europam revertantur, uberiores, ut ſperamus, in hiſce Partibus fructus relaturi.

„ XXXVIII. Demum etſi ii Miſſionarii, qui moderandas cenſuras, diſpenſandum ſuper inſufflationum, & ſalivæ ritu in Sacramento Baptiſmatis adminiſtrando, atque articulum de Pareis declarandum poſtulaverunt, nil difficultatis præſetulerint circa alia capita Decreti prædicti Caroli Thomæ Cardinalis Tournonii, & Apoſtolicarum Litterarum Clementis Papæ XII. quarum initium *Compertum*, *exploratumque*; ex aliorum nihilominus litteris ingenti noſtro dolore accepimus, ex Miſſionariis alios eſſe, qui nulla habita interdicti a præfato Cardinali Tournonio lati, ampliſſimeque a Prædeceſſore noſtro confirmati ratione, eo uſque progrediuntur, ut Chriſtianis mulieribus geſtare permittant monile collo ſuſpenſum, contracti teſſeram Matrimonii, quod Regionis illius lingua Taly denominatum, effigiem quamdam habet informem Idoli, quod profanis earum Gentium nuptiis præſidere fertur, ipſiſque pariter fidelibus, quo tempore ab illis nuptiæ celebrantur, permittant fructum, vulgo *Cocco* nuncupatum, frangere, ad hoc ut futurorum inde auſpicia vel fauſta, vel infauſta deſumant: mulieribus demum, cum menſibus detinentur, Templi acceſſu, & ſalutari Pœnitentiæ Sacramento interdicant. Quarnobrem Nos animo reputantes, quam ſit execrandum, mulieres illas, quæ ſub Crucis vexillo militant, ornatas incedere hujuſmodi inſignibus, quæ aut Idololatriam importent, aut de Gentilitatis ſuperſtitione ſuſpecta ſint, prout dubio procul eſt memoratum Taly, neceſſario proinde damnatum; quamque Chriſtifideles dedeceat, ritus, cæremoniaſque ſequi, vel imitari, ethnicam ſuperſtitionem redolentes, qua certe non vacat illa nuptiarum tempore in prædictis Regionibus uſitata præfati *Cocco* diſtractio, quæ idcirco jure, & merito pariter reprobata dignoſcitur; quam denique juſtum ſit menſium tempore minime arcere Templis, & ſalutari Pœnitentiæ Sacramento fideles mulieres, quas laudabili praxi admittit Eccleſia Redemptoris veſtigiis inſiſtens, qui ſanguinis fluxu laborantem non abjecit: *Si enim*, ut olim ſcripſit laudatus S. Gregorius Magnus, *in ſanguinis fluxu poſita laudabiliter potuit Domini veſtimenta tangere; cur quæ menſtruum ſanguinis patitur, ei non liceat Domini Eccleſiam intrare?*

„ Hæc, inquam, reputantes, ac relatis, & minime ferendis abuſibus pro Apoſtolici muneris ratione remedium adhibere quam maxime cupientes, mandamus, & virtute ſanctæ obedientiæ tenore præſentis noſtræ Conſtitutionis perpetuæ legis vim habituræ jubemus, atque diſtricte præcipimus univerſis Epiſcopis, atque omnibus, & ſingulis tam Sæcularibus, quam Regularibus, ex quocumque ſint Ordine, Congregatione, Inſtituto, nominatimque ex Societate etiam Jeſu, in Orientalium Indiarum Regnis Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi exiſtentibus Apoſtolicis Miſſionariis, ut omnia, & ſingula, quæ in ſupra inſertis Clementis Papæ XII. litteris, quarum initium *Compertum*, *exploratumque*, quas etiam auctoritate noſtra, quatenus opus ſit, in omnibus, & per omnia approbamus, confirmamus, & innovamus, contenta ſunt, tam quæ ſupradicta capita reſpiciunt, quam alia quæcumque per eaſdem litteras præſcripta, & definita, ad eorum normam, quæ idem Prædeceſſor Noſter alteris pariter ſuperius inſertis Apoſtolicis litteris, incipien. *Concredita Nobis*, conſtituit, & ſanxit, non ſolum ipſi pro virili parte integre, exacte, abſolute, inviolabiliter, perpetuoque obſervent, atque adimpleant, verum etiam, quantum in ipſis eſt, ut ab univerſis fidelibus, qui eorum curæ ſunt concrediti, exacte ſerventur, & impleantur, omni ſtudio, ac viribus curent, atque contendant.

„ Denique eoſdem Epiſcopos, & Miſſionarios omnes rogamus, & obſecramus per Dominum Jeſum Chriſtum, & per caritatem Sancti Spiritus, ut nihil aliud ſapientes præter id, quod a Nobis, & a Prædeceſſoribus Noſtris conſtitutum fuit, ſalutare Dei, quod per eorum miniſterium Regionum iſtarum Gentibus miſſum eſt, pari zelo, ac puritate propagare non intermittant; omnique ſtudio dent operam, ut nedum in novellis Chriſtifidelibus veteris hominis veſtigia penitus expungantur, deleanturque; verum etiam quæcumque vel ſymbola, vel imagines, aut figuræ, atque omnis demum ſpecies mala, ipſaque veluti umbra, & odor ethnicæ ſuperſtitionis ab ipſis eliminentur; illud cogitantes, ejuſmodi cæremoniis, vaniſque obſervationibus, quæ Idololatriæ reliquiæ ſunt, earum Gentium animos inextricabilibus veluti laqueis irretiri, ac vetuſtos ali, confirmarique errores, quibus miſere detinebantur. Quod ſi aliquos Regionum illarum fideles, veluti parvulos adhuc fluctuantes, Paganorum contemptus, contumelias, aut perſecutiones, propter Eccleſiæ præceptorum, & rituum obſervantiam, formidare conſpexerint; illud ipſis illuſtre monitum, quod Sanctus Auguſtinus Eccleſiæ Doctor in pari argumento reliquit, commemorare, atque inculcare non deſinant: *Si quæritis, unde vincantur Pagani, unde illuminentur;* quodque ad ipſos Evangelii præcones præcipue dictum eſſe dignoſcitur: *Si quæritis, unde ad vitam vocentur, deſerite ſolemnitates eorum, deſerite nugas ipſorum.*

„ Volumus autem, atque decernimus, eaſdem præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædicti Miſſionarii, eorumque Procuratores, & alii quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cu-

„ juſvis

„ jusvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, ſeu alias ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi, cauſæque propter quas præſentes emanaverint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo umquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari; ſed ipſas præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, quibuſcumque juris, ſeu facti defectibus, qui adverſus illas, etiam quorumvis a Sede præfata conceſſorum Privilegiorum prætextu, ad effectum impediendi, ſeu retardandi earum executionem, quovis modo, ſeu quavis ex cauſa opponi, ſeu objici poſſent, minime refragantibus, ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; eaſque propterea, omnibus, & ſingulis quomodolibet allatis, ſeu afferendis impedimentis penitus & omnino rejectis, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari; ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere legatos, & præfatæ Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri deberet, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

„ Non obſtantibus præmiſſis, &, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula *de jure quæſito non tollendo*, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus: nec non quorumcumque Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, & Societatum, etiam Jeſu, & quarumvis Eccleſiarum, & aliis quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ac præſcriptionibus quantumcumque longiſſimis, & immemorabilibus. Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis, Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Jeſu, ac Eccleſiis prædictis, aliiſve quibuslibet perſonis, etiam quantumvis ſublimibus, & ſpecioſiſſima mentione dignis, a Sede prædicta ex quacumque cauſa, etiam per viam contractus, & remunerationis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſeu ad quarumcumque Perſonarum, etiam Imperiali, Regali, aliave qualibet mundana, vel Eccleſiaſtica dignitate fulgentium inſtantiam, aut earum contemplatione, ſeu alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiſcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut alia aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

„ Quia vero difficile foret literas hujuſmodi originales ubique oſtendi, & publicari, volumus pariter, & decernimus, illarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii Publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eandem prorſus fidem, tam in judicio, quam extra illud, ubique locorum haberi, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

„ Inſuper volumus, & expreſſe mandamus, ut eædem præſentes literæ, ſeu earum exempla, etiam impreſſa, notificentur, & intimentur omnibus, & ſingulis memoratorum Miſſionariorum, cujuſcumque Ordinis, Congregationis, Inſtituti, Societatis, etiam Jeſu, Superioribus Generalibus, & Procuratoribus Generalibus, ad hoc ut tam ſuo, quam prædictorum eis reſpective ſubditorum, ſeu inferiorum nomine, ipſas literas fideliter exequi, & obſervare ſpondeant, actumque ſponſionis hujuſmodi in ſcriptis reddant, earum vero exempla prædicta, præter ea, quæ a Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum, ad Epiſcopos prædictorum Regnorum legitime publicanda, de mandato pariter noſtro, tranſmittentur, iidem Superiores, aut Procuratores Generales pluribus viis, quanto citius fieri poterit, tranſmittant ad eoſdem ſuos Subditos, ſeu Inferiores in Regnis ſupradictis degentes, cum arctiſſimis præceptis eaſdem literas, & in eis contenta quæcumque plenarie, & integre, ac vere, realiter, & cum effectu in omnibus, & per omnia ſimiliter exequendi, & obſervandi.

„ Et nihilominus, quocumque modo earundem præſentium exempla in prædictis Regnis legitime publicata fuerint, & promulgata, volumus, ut ſtatim poſt hujuſmodi publicationem, omnes, & ſingulos, quos concernunt, ſeu concernent in futurum, perinde afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum approbationis, confirmationis, innovationis, declarationum, decretorum, præceptorum, mandati, ſtatuti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem „ Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXXXIV. „ pridie Idus Septembris Pontificatus Noſtri anno „ quinto.

D. Card. Paſſioneus.

I. Dataſſus.

Viſa de Curia I. C. Boſchi.

I. B. Eugenius.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Loco ✠ Plumbi.

„ Anno a Nativitate Domini milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto, Indictione ſeptima, die „ vero 7. Menſis Octobris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Benedicti Divina Providentia Papæ XIV. anno quinto, ſupradictæ Literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt „ ad valvas Baſilicarum Lateranenſis, Principis Apoſtolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in acie „ Campi Floræ, ac aliis in locis ſolitis, & conſuetis per me Nicolaum Capelli Apoſtolicum Curſorem.

Bandinus Cheti Magiſter Curſorum.

MONUMENTUM X.

Venerabili Fratri Polycarpo Epiſcopo Pekinenſi in Sinis

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

„ REdditæ Nobis fuerunt eodem tempore duæ Fraternitatis tuæ Epiſtolæ; prima quidem die decima menſis Januarii elapſi anni 1743. qua gratiarum actionem Nobis, quod tibi Epiſcopatum Pekinenſem in Sinis contulerimus, referre ſtudes; altera „ vero die quinta menſis itidem Januarii currentis anni 1744. data, qua dolens quereris, Te apud Nos „ tan-

„ tanquam debitæ Apoſtolicis Conſtitutionibus ac Decretis obedientiæ reum fuiſſe peractum. Una inſimul „ cum hiſce Epiſtolis tuis accepimus pariter ſolemnem „ jurisjurandi a Te in Epiſcopali tua inauguratione delati, juxta formam ac tenorem tibi præſcriptum in „ ipſis Noſtris tuæ ad Epiſcopatum promotionis literis „ in ſimili forma Brevis expeditis, Actum; nec non duo „ alia a Te ſeorſim præſcripta teſtimonia, alterum quidem de jurejurando ſuper Apoſtolicæ Conſtitutionis „ quæ incipit *Ex illa die*; alterum vero de jurejurando etiam ſuper alterius Apoſtolicæ Conſtitutionis, „ quæ incipit *Ex quo*, obſervantia, præſtitis. Hiſce omnibus conjuncta erant nonnulla etiam præſcripta „ Miſſionariorum teſtimonia, qui te ſtudioſum zelantemque ſuper obſervantia memoratæ Apoſtolicæ Conſtitutionis *Ex illa die* eſſe teſtabantur, quemadmodum „ Tu ipſe Sacramento conteſtaris.

„ §. 1. Sed Fraternitati tuæ &c. *Et infra:* Id unum „ in animo ſemper fixum permaneat, tam apud Nos ipſos, quam apud Venerabiles Fratres noſtros S. R. E. „ Cardinales negotiis & conſultationibus quarumcumque Congregationum Apoſtolicæ hujus Sanctæ Sedis „ præpoſitos, plurimum valere hoc unicum & maximum ad accuſationum veritatem falſitatemve dijudicandam, comprobandamve, argumentum, novam ſilicet poſt criminum delationes initam agendi rationem. „ Quamobrem adeſto animis & enitere, ut quemadmodum Tu ſpopondiſti, & Nos de Fraternitate tua Nobis pollicemur, ita deinceps te in omnibus rebus geras, ut tuam erga Apoſtolicas Conſtitutiones, atque „ eas præſertim, de quibus agitur, obedientiam, reverentiam, zelumque non ſolum Nobis, ſed univerſis „ etiam probare & reipſa commonſtrare ex animo ſatagas. Hinc enim fore confidimus, ut falſitatis redarguantur accuſationes de geſtarum rerum ratione a Te „ hactenus habita inſtructæ.

„ §. 2. Porro ut ceteris in tuis literis a te propoſitis „ ſatisfaciamus; aſſeris quidem, quod cum per quatuordecim annos operam laboreſque tuos in S. Miſſionibus antea peragendis impenderis, atque adeo optime „ noveris iſtarum partium ac populorum ingenia & rerum vices, ac conteſtari præ cæteris poſſis, præſentia certe tempora expoſcere, non anguſtiari vaſa carnis, ſed dilatari ſpatia charitatis; ac propterea melius fuiſſe conſultum, res omnes in eodem, quo reperiebantur, ſtatu relinquere, cum in præſentia omnis „ ſpes de exigenda a Chriſtifidelibus iſtarum partium debita Apoſtolicis Conſtitutionibus obedientia penitus „ præciſa videatur; Apoſtolica namque Sacroſanctum „ Jeſu Chriſti Evangelium prædicandi libertas non tam „ impedita, quam certe ſublata eſt; quippe quod Chriſtifideles per vim metumque ad Idolorum templa traduntur; unde timendum eſt, ne proximum immineat „ ſacris Miſſionibus excidium: Nec Fraternitati tuæ, „ nec aliis in vinea Dei adlaborantibus inſunt vires, „ quibus per vim etiam Chriſtifideles, ut veſtris mandatis „ ea, qua par eſt, reverentia obediant, cogi poſſint: „ Tartari pariter & ipſi fideles, tam intra Pekini mœnia, quam in ſuburbiis, ſub gravi duræ ſervitutis jugo degentes, omni procul dubio antiquis indulgentiis, permiſſionibuſque per abuſum inhærentes, ne a „ Dominis ad Imperatorem deferantur, Apoſtolicarum „ Conſtitutionum obſervantiam periculis ac tormentis „ poſthabebunt; quamvis Fraternitas tua aliique Miſſionarii per paſtorales exhortationes monere obteſtarique minime omittant.

„ §. 3. At liceat, ut Fraternitati tuæ replicemus, „ poſt ſuſceptum conſilium, onuſque per tot annos retinendi ſervarique faciendi patrios Sinarum ritus, priſcaſque cæremonias, propoſitis tot tantiſque in varias „ partes trahentibus dubiis & diſputationibus, poſt diuturnam accuratiſſimamque, adhibitis diligentiis, requiſitiſque debitis notitiis, eorumdem rituum & cæremoniarum diſcuſſionem, fieri ne poterat, ut ſine „ graviſſimo conſcientiæ angore conſilia tanta providentia „ capta, & Conſtitutiones tanta ſapientia propoſitæ „ amplius differrentur? Certe ſi obfirmatis patronorum „ proſcriptorum rituum cæremoniarumque hujuſmodi „ ſenſibus votiſque aſſenſum ſatisfactumque fuiſſet, „ nunquam profecto adveniſſet tempus, verba tua uſurpamus, anguſtiandi vaſa carnis. Nos quidem non latet, vobis deeſſe cogendi compellendique vires; ſed „ ſcimus & certi ſumus, eandem ineſſe vobis virtutem, „ quam habebant Sanctiſſimi Jeſu Chriſti Apoſtoli (ſi „ tamen Apoſtolico ſpiritu ducti ad Evangelium prædicandum ad remotiſſimos populos acceſſiſtis) qui reponentes omnem fiduciam in eo, qui eos confortabat, Deo & ferventis caritatis zelo, & verbi divini „ miniſterio non ſolum gentes ad credendum perducebant, ſed credentes etiam, nova fidei germina, collectumque Jeſu Chriſti gregem providentiſſime regebant, & ſuaviter fortiterque incendebant, & excitabant ad illud jucundiſſimum ſpectaculum a Minucio „ Felice deſcriptum, præſertim ubi ob oculos ponit lætitiam Chriſtifidelium, qui intentatas minas objectaque tormenta deſpicientes, libertatem ſuam adverſus „ Reges & Principes erigebant, ſoli Deo cedebant.

„ §. 4. Ingenti cum animi noſtri dolore & gravio„ ri, quam explicari poſſit, mœrore tuum excepimus „ ſane nuntium de perſecutionibus iſthic adverſus ſacroſanctam Jeſu Chriſti Religionem ſævientibus: verum „ quod hujuſmodi perſecutiones, ſi minime fuiſſent proſcripti ritus cæremoniæque Sinenſes, ſi minime ſublatæ fuiſſent indulgentiæ permiſſioneſque laudati Caroli „ Ambroſii Patriarchæ, vel deſinerent, vel mitiores fierent, ſive prædicandi Evangelium libertas magis coaleſceret, nec Chriſtifideles ad idolorum templa raperentur: hæc ne ii quidem ſibi, qui res juxta humanæ prudentiæ regulas dijudicant, unquam perſuadebunt; quanto magis eadem in animum nunquam inducent ſuum ii, quibus pro comperto exploratoque „ eſt, quod Chriſtiana Religio inter perſecutiones ſemper increverit adoleveritque?

„ §. 5. Omnibus jam notum eſt, in rebus ad orthodoxam Religionem ſpectantibus, patientiam ſive tolerantiam, ubi de ſuperſtitione, vel idololatria agitur, nullo pacto haberi poſſe; tunc enim juxta Tertullianum: *Omnis patientia hujuſmodi Idololatria*. „ Cæterum unicum ac ſingulare ſolatium, quo nos dolentes mœrenteſque conſolamur, inde affertur, quod „ ex tuis litteris perſpicimus, Te pro debita Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac Decretis obſervantia probe „ ſtudioſum planeque accenſum eſſe. Quamobrem fore „ in Patre miſericordiarum & Deo totius conſolationis „ confidimus, ut Chriſtifideles propoſito Fraternitatis „ tuæ exemplo, zelo, opera, conſiliis, & monitis excitati, orthodoxam fidem integram, reliquiarumque „ gentilitatis omnino puram putamque, ad Principis „ etiam tenebrarum contemptum deſpicatumque, conſtanti pectore profiteri non erubeſcant. Nam *utile „ eſt, & ſalutare*, ut S. Cyprianus Epiſcopus & Martyr verbo & opere docuit, *cum ſe Epiſcopus per firmamentum fidei Fratribus præbet imitandum*. Interea a bonorum omnium largitore Deo uberrimam cæleſtium chariſmatum copiam Fraternitati tuæ apprecantes, Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Venerabilis „ Frater, etiam peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris „ die XIX. Decembris MDCCXLIV. Pontificatus noſtri anno quinto.

Cajetanus Amatus.

DIS-

DISSERTATIO V.

DE ERRORIBUS, HÆRESIBUSQUE SÆCULI XVII. & XVIII.

DE Erroribus Hæreſibuſque dicturi, quibus mali homines Eccleſiam Dei infeſtare hoc ſæculo pertentarunt, non erit abs re cum Moshemio ab iis initium ducere, qui omnem ſus deque religionem vertere voluiſſe viſi ſunt. Angli a Cromwelli tyrannidis temporibus gentem ſuam atrociſſimorum vitiorum & ſcelerum contagionem invaſiſſe, hanc deinde immoderatam de rebus ſacris diſputandi & dubitandi licentiam peperiſſe, utramque magnam vim hominum ingenii ſui laſcivia & protervia ad omnem pietatis, & religionis ſenſum extinguendum abutentium produxiſſe, conqueruntur. Neque vanam hanc eſſe querimoniam cum plura oſtendunt eorum exempla, qui poſt hanc ætatem ex Anglis aut omni plane religioni bellum indixerunt, aut illam unice, quam ratio & natura docent, ſequendam eſſe publice contenderunt, tum tot eximii libri, quibus graviſſimi gentis Scriptores religionis majeſtatem & divinitatem ab injuriis eorum vindicarunt. Omnium vero potentiſſime, non temere hæc perhiberi, ſuadet illuſtre eruditiſſimi Equitis Roberti Boylii inſtitutum, qui A. MDCXCI. in Teſtamenti tabulis eximiam divitiarum ſuarum partem religioni legavit, ex cujus fructibus præmium in ſingulos annos ſolveretur viris acutis & diſertis, qui progredienti impietati reſiſtere, atque pro concione octies quotannis Religionis tam naturalis, quam divinitus patefactæ veritatem demonſtrare, & firmare vellent. Suſceperunt munus hoc ad noſtram uſque memoriam maximi & ingenioſiſſimi homines, quorum diſputationes aut ſermones magna cum utilitate totius Europæ in lucem publicam producti ſunt. Eorum Index ſermonum in Bibliotheca Anglica Tom. XV. P. II. exhibetur; eruditam vero & concinne digeſtam Epitomen omnium, quæ adhuc recitatæ ſunt, hujus argumenti Orationum non ita pridem edidit Anglorum lingua Gilbertus Burnetus, quam & Galli & Germani civitate ſua inde donarunt.

§. I.

De Thoma Hobbeſio.

DUx & ſignifer improbæ factionis, quæ Deum reſque ſacras hac tempeſtate in Anglia oppugnavit, vulgo Anglis eſſe dicitur *Thomas Hobbeſius* Malmesburienſis, homo audax, verſutus, ſubtilis & perſpicax, at ingenio ditior quam doctrina, rerumque divinarum & humanarum cognitione. Invenit is tamen extra Angliam patronos quoſdam, qui erraſſe quidem hominem, at ita turpiter non erraſſe pugnant, ut Deum cultumque ejus tolleret. Horum in numero cenſentur Nicolaus Hieronymus Gundlingius & Godofredus Arnoldus, contra quos diſputat Joannes Franciſcus Buddæus in Theſibus *de Atheiſmo & ſuperſtitione* Cap. I. Si non omni Dei & Religionis ſenſu caruit, hoc tamen haud ægre largientur, quibus libri, quos reliquit, non ſegniter lecti ſunt, planum eſſe per præcepta ejus iter ad omnis rei divinæ contemtionem: nec obſcura ſunt in illis ſigna mentis a Chriſto & Sacris Chriſtianis alieniſſimæ. Jam ſenem tamen ad ſanitatem rediiſſe, & ſententias antea propoſitas publice condemnaſſe refert Antonius Voodius, qui *Athen. Oxon.* vol. II. pag. 646. refert ſcriptam eſſe ab *Hobbeſio Apologiam pro ſe ſcriptiſque ſuis*, in qua profeſſus ſit, ſententias in *Leviathane* a ſe traditas ſibi nunquam vere placuiſſe, verum ingenii tantum exercendi cauſſa propoſitas, nec poſt ſcriptum hunc librum vel publice vel privatim defenſas, ſed judicio Eccleſiæ ſubjectas eſſe: ea ſigillatim, quæ receptis de Deo & Religione ſcitis repugnare in ſcriptis ſuis videantur, non tamquam certa & vera, ſed ut probabilia, & eo tantum conſilio, ut de illis ſtatuerent rerum ſacrarum & divinarum conſulti, promulgata eſſe. Sed non addit annum Voodius, inquit Moshemius *Hiſt. Chriſt. Sæcul. XVII. Sect. I. §. XXII.* in notis, quo hæc *Apologia*

prodiit; quod argumento eſt, non ipſi tractare hunc libellum licuiſſe. Silet etiam, utrum mortuo an vivente *Hobbeſio* in lucem exierit. Poſitus vero quum ſit in Indice ſcriptorum Hobbeſii poſt annum MDCLXXXII. probabiliter conjicias poſt fata hominis demum emiſſum eſſe. Diem enim obiit A. MDCLXXIX. Nondum igitur ſatis conſtat, quemadmodum de hac mutatione *Hobbeſii* ſentiendum ſit. Crediderim extare *Apologiam* ejuſmodi *Hobbeſianam*: at fortaſſe ab amicorum ejus quodam, ut mortui famæ conſuleret, conſcripta eſt. Quod ſi tamen & ab ipſo exarata & edita eſſet, parum eos juvaret, qui memoriæ ejus bene cupiunt. Ea enim, qua Hobbeſius ſeſe excuſavit ratione, omnes illi ſeſe purgare ſolent, qui odium & indignationem pravis & noxiis opinionibus partam propulſare volunt, quo ſecurius vivere queant, tales licet, quales fuerant, eſſe perſeverent.

§. II.

De Joanne Wilmoto, & Antonio Ashley Cooper, Comite Shaftsburio.

CUm *Hobbeſio* deliravit quoque Joannes *Wilmotus* Comes Roſſenſis, vir ſagax tamen ingeniique elegantia præditus, at ſupra omnem modum levis, & dum vires corporis animo obſequebantur, vitioſus & libidinoſus. De vita & ſcriptis ejus legatur Voodius *Athenarum Oxonienſium* vol. II. De ingenio vero, quod fortitus fuerat, poetico agit Voltaerius *Mêlange de Littérature & de Philoſophie* cap. XXXIV. Monitore potiſſimum Gilberto Burneto an. MDCLXXX. quo deceſſit, errores ſuos & crimina agnovit *Wilmotus*.

Huic jungendus eſt non apertus quidem, at ob ſales, dictionis leporem, ingeniique ſummam amœnitatem & copiam quo cautior & occultior, eo periculoſior rei chriſtianæ hoſtis Antonius *Ashley Cooper*, Comes *Shaftsburius*, anno MDCCIII. Neapoli lenta tabe conſumtus. Extant hujus varii libri ſæpius editi, omnes & orationis & ſententiarum naturali quadam pulcritudine eximii, verum teneris animis & imparatis vehementer metuendi.

§. III.

De Joanne Tolando, Eduardo de Cherbury, Carolo Blount.

AGreſtis & hebes eſt, ſi cum his conferatur, Joannes *Tolandus* Hibernus, qui extrema ſæculi parte jam libellis quibuſdam in Sacra Chriſtiana contumelioſis ſemetipſum & patriam infamare non eſt veritus. Sed ut raro fautores deſiderant qui vitiorum amori fomenta ſuppeditant; ita hic etiam homo non indoctus quidem, verum impius, glorioſus, & turpiſſimi moris, rerum imperitis aliquid eſſe viſus eſt. *Tolandi Nazarenum* confutavit laudatus Moshemius.

Cæteros ex Anglis ejuſdem generis, at obſcuriores commemorare nihil attinet: addat tamen, ſi quis velit, agmini Eduardum Henricum *de Cherbury* Equitem & philoſophum, qui neceſſitatem Chriſtianæ Religionis ad ſalutem obtinendam negavit. Scripſit *de cauſſis errorum*, & *de Religione Gentilium*, aliaque ſatis nota Eruditis, qui etiam non ignorant Confutationes, quas his oppoſuere Joannes Maſæus & Chriſtianus Kortholtus. Caput vulgo & pater familiæ *Naturalitarum* vocatur. Addat etiam Carolum *Blount*, *Oraculorum rationis* authorem, qui an. MDCXCIII. ipſe ſibi mortem conſcivit.

§. IV.

De Julio Cæſare Vanino.

IN Gallia Angliæ adverſa Julius Cæſar *Vaninus* Italus, patria Neapolitanus, ſcriptor *Amphitheatri Providentiæ, & Dialogorum de Natura* publice Toloſæ an. MDCXXIX. tanquam protervus Dei omniſque Religionis hoſtis combuſtus eſt. Honeſte vixiſſe Bælius contendit; quod ſi ita fuit, oportet illum contra ac impie ſentiebat ſe geſſiſſe: certe illius Dialogi omni turpitudine ſcatent. Sunt præterea teſtes omni exceptione majores, qui flagitioſæ vitæ a Vanino actæ fidem faciunt. Inter quos Bartholomæus Gramondus, qui tunc Toloſæ præerat, publicamque poteſtatem exercebat; nam lib. 3. *Hiſt. Gall.* ita narrat: *Vidi ego in cuſtodia, vidi in patibulo, videram antequam ſubiret vincula: flagitioſus in libertate, voluptatum ſectator avidus; in carcere Catholicus: in extremis omni philoſophiæ præſidio deſtitutus, amens moritur.* Gramondo conſentanea tradit ſuis in Geneſim Commentariis Merſennus, qui Pariſiis degebat, quando Vanini cauſſa Toloſæ agebatur, ut notat P. Cerbonius lib. I. Theolog. Naturalis Art. I. §. I. Nec conſtans Vaninus in ſua impietate fuit, uti Bælius contendit, ut inde concludat, Atheiſmo ſuos non defuiſſe martyras; nam uti proſequitur Gramondus: *Poſtulatus corruptæ per novum dogma juventutis in vincula conjicitur, catholicumque ſe orthodoxum mentitus differt quam meruerat pœnam ..... Falſo ſane imperterritum ſe dixit ſceleſtus homo, quem vidimus dejectum animo philoſophia uti peſſime, cujus ſe mentiebatur profeſſorem.*

§. V.

De Coſmo Ruggerio, Caſimiro Leszynski, & Mathia Knutzen.

COſmi *Ruggerii* Florentini, ſcelerati hominis, qui A. MDCXV. Lutetiæ Pariſiorum extinctus eſt, famam nemo facile bonus tuebitur. Vana enim ſibi videri omnia audacter, propius a morte remotus, profitebatur, quæ de ſupremo Numine & de malis geniis ferrentur.

Caſimirus *Leszynskius*, Eques Polonus An. MDCLXXXIX. Varſoviæ capitali ſupplicio, ob Deum divinamque negatam providentiam affectus eſt.

Mathias *Knutzen* Holſatus in Germania, excors & emotæ mentis homo novam *Conſcientiariorum*, ideſt hominum conſcientiæ ſive rectæ rationis dictata unice, ſpreto Deo, ſequentium condere Sectam nitebatur: qui facile tamen repreſſus, & amentiſſimum conſilium dimittere coactus eſt.

§. VI.

De Benedicto Spinoza, ejuſque præcipuis diſcipulis.

PRinceps & acutiſſimus omnium, qui hoc ſæculo ipſum rerum omnium Authorem in Naturam æterni fati & neceſſitatis legibus alligatam converterunt, putatur Benedictus *Spinoza*, Judæus Luſitanus, qui Hagæ Comitum an. MDCLXXVII. diem obiit. Libris ſuis, illis maxime, qui poſt obitum ejus prodierunt, id aperte agit, ut hanc rerum Univerſitatem a Deo minime differre, & quæcumque fiunt, æterna & immutabili lege Naturæ, ex infinito tempore neceſſario exiſtentis, & agentis, contingere convincat. Quæ ſi vera forent, jam ſibi unuſquiſque ipſe Deus eſſet, nec ulla ratione peccare poſſet. Eorum Indicem bene longum, a quibus Spinoza confutatus eſt, exhibet præter alios Joannes Albertus Fabricius *Biblioth. Græc.* Lib. V. P. III. Vera ejus de Deo ſententia, obſervante Moshemio, ex Ethica, quæ poſt ejus obitum in lucem protracta eſt, minime vero ex Tractatu Theologico-politico, quem vivens emiſit, æſtimari debet. In hoc enim non ſecus diſputat, ac ſi Numen quoddam æternum a Natura rerum & Materia diſtinctum crederet, quod religionem ad homines amore & æquitate imbuendos promulgari curaverit, & eventis mirabilibus quidem, at ipſa tamen naturæ lege ac virtute productis, confirmaverit. In Ethica vero, quam diximus, clarius ſententiam ſuam explicat, Deumque ipſam eſſe rerum Naturam neceſſarios motus inteſtina virtute ſua edentem demonſtrare ſtudet. Hæc ad eos refellendos conducunt, qui meliorem fuiſſe Spinozam contendunt, quam vulgo credatur, ſententiæque ſuæ rationes ex Tractatu Theologico-politico promunt. Utrum gradatim ad deteriora progreſſus fuerit, an vero caute, dum vixit, & prudenter vera animi ſui ſenſa celaverit, difficile dictu eſt. Hoc certe conſtat Spinozæ Epicureos præluſiſſe, alioſque qui cum Lucano in libro nono Pharſaliæ dixere

Eſt ne Dei ſedes niſi terra & pontus & aer
Et cælum & virtus? Superos quid quærimus ultra?
Juppiter eſt quodcumque vides, quocumque moveris.

Primas tenent inter diſcipulos Spinozæ, qui *Pantheiſtæ* a dogmate, quod ſuum fecere, quam a Magiſtro appellari malunt, Ludovicus *Mejerus*, Medicus quo familiariter uſus eſt, *Lucas* quidam, Comes Bovlainvilliers, & quidam alii. Mejero uſus eſt Spinoza interprete in illis, quæ belgice ſcripſerat, latine convertendis. Hic morienti Magiſtro, cujus morbum fruſtra ſanare tentaverat, adfuit. Hic denique opera ejus poſthuma cum præfatione edidit, qua nihil *Spinozæ* diſciplinam a Chriſtiana diverſum tradere infeliciter demonſtrare vult. Ipſe etiam notiſſimi libelli, cujus index *Philoſophia Scripturæ Interpres*, *Eleutheropoli* 1666. author eſt: quo quidem ſacrorum librorum dignitas omnis & authoritas philoſophiæ judicio ſubjicitur.

Lucas Medicus Hagenſis, atque medicamentis ſuis panchreſtis, & morum perverſitate celebris fuit. Reliquit flagitioſus homo vitam *Spinozæ*, ex qua Lenglet du Freſnoy promſit ea, quæ Hiſtoriæ *Spinozæ* a Joanne Collero ſcriptæ addidit. Circumfertur etiam, eximioque pretio hominibus chartarum hujuſmodi cupidis venditur medulla ejus diſciplinæ Spinoſiſticæ *l'Eſprit de Spinoza*, cum qua ſi conferantur ea, quæ ipſe Spinoza ſcripſit, ſacra hæc, pia & tolerabilia videntur. Eo uſque infelix Scriptor omnes pudoris, prudentiæ & ſapientiæ limites tranſiliit.

Boulainvillierſius ex ſcriptis variis ad Hiſtoriam & Rempublicam Galliarum pertinentibus, ex vita Muhamedis, & fatis parum proſperis, aliiſque rebus notus, tam ſui diſſimilis fuit, ut parem fere ſuperſtitioni & Atheiſmo locum in animo male compoſito tribueret. Nullum enim licet alium eſſe Deum putaret, quam rerum Naturam, Muhamedem tamen non dubitabat pro viro divinitus excitato ad genus humanum erudiendum habere, & fata tam hominum ſingulorum, quam rerum publicarum ex aſtris prædici poſſe arbitrabatur. Moleſte ferebat vir boni publici ſcilicet amantiſſimus, præclaram Spinozæ diſciplinam ab omnibus fere male intelligi: quare laborem ſponte ſuſcepit plana eam & mediocribus ingeniis accommodata ratione declarandi, & exponendi. Succeſſit hoc conſilium, ſed hunc unice fructum tulit, ut omnes jam clarius, quam antea ſentiamus, nec Baylium, nec cæteros, qui *Spinozæ* decreta & in ſe rationi contraria, & omni religioni, & virtuti peſtifera eſſe, cenſuerunt, temere judicaſſe. Æternis dignus tenebris hic labor erat; verum Lengletus *de Freſnoy* in lucem eum protulit, ac quo ſecurius emeretur & legeretur, falſo *Confutationis diſciplinæ Spinozæ* titulo exornavit, additis nonnullis, quibus vere hoc nomen convenit, & Spinozæ vita.

Denique Joannes Tolandus quo inopiæ ſuæ & eſurienti libidini ſubveniret, edidit Coſmopoli ſeu Londini 1720. infamem & peſſimum librum *Pantheiſticon* inſcriptum, quo *formula celebrandæ Societatis Socraticæ*, ſeu *Pantheiſticæ*, id eſt ratio Conventuum, quos *Pantheiſtas* ubique diſperſos agere fingit, exhibetur, & mores ſimul factionis tanquam in tabula repræſentantur. Colloquuntur in Opuſculo hoc, quo nullum fieri bonis & incautis mentibus pernicioſius poteſt, Præſes ampliſſimi *Pantheiſtarum* Collegii, ejuſque membra. Ille ſociis & collegis ſuis veritatis, libertatis, valetudinis curam ſollicite commendat, & ſuperſtitionem, id eſt religionem diſſuadet, interdum ſelectos ex Cicerone & Seneca locos, in quibus ineſt aliquid impietati favens, fratribus prælegit. Hi ſancte mandatis ejus ſe obtemperaturos eſſe promittunt. Nonnunquam univerſa turba ſic animatur, ut vocem una tollat, & verſus quoſdam ex antiquis Latinorum poetis, moribus & præceptis ſuis convenientes hilariter canat. Si tales ſunt, quales hic ſiſtuntur ſodales *Pantheiſtæ*, virorum ſapientum haud eſt cum illis diſputare, ſed bonorum Magiſtratuum providere, ne in civitatem tam petulantia ingenia irrepant, & civium animos ab officio abducant.

§. VII.

De Secta Quackerorum.

QUI jam de præcipuis egimus monſtris, quæ Anglia contra religionem peperit, rerum jam ratio flagitat, ut de Secta *Quackerorum* diſſeramus. Hujus originem & dogmata ſubtiliter & acute expoſuit Moshemius in *Hiſt. Chriſt.* Sæculi XVII. ſect. II. P. II. cap. IV. laudatis Scriptoribus, quorum narrationibus

bus ſe tuto inniti poſſe credidit, ut veriorem illorum hominum diſciplinam exhiberet. Moshemio igitur præeunte & nos de hac Secta quæ inſtituto conveniunt, in medium afferemus. Qui Anglorum ſermone *Quackeri* vocantur, latine ſunt *Trementes* ſeu *Tremuli*. Impoſuit eis hoc nomen A. MDCL. Gervaſius Bennetus judex Derbienſis: utrum ideo, quod toto corpore contremiſcerent, antequam dicendi de rebus ſacris initium facerent, an vero propterea quod *Foxus* & Socii ejus dicerent, tremendum eſſe homini ad verbi Dei auditum, non ſatis liquet. Ipſi patiuntur interim hoc ſe vocabulo, modo recte intelligatur, appellari. Malunt tamen a primario dogmate ſuo *Filii* ſeu *Confeſſores* lucis nominari. Familiari ſermone ſe *Amicos* vocare ſolent. Ortus Sectæ in illa incidit Anglorum tempora, quibus bello civili ardebant omnia, & ex latebris ſuis in publicum prodibant, quicumque vel Civitatis, vel Religionis novam formam animo conceperant. Parens eſt Georgius *Foxus*, ſutor, homo natura triſtiſſimus, lucifugus, & ad omnia ſibi fingenda in primis aptus. Is an. MDCXLVII. jam quum viginti tres annos natus eſſet, Angliæ quaſdam Provincias percurrebat plenum ſeſe numine dictitans, atque populum ad vocem verbi divini in omnium animis latentis attendendam exhortans. Carolo I. interfecto quum & ſacræ & civiles leges una extinctæ viderentur eſſe, majora audebat. Plurimos enim ejuſdem ingenii homines utriuſque ſexus, diſcipulos & amicos nactus, univerſam cum illis Angliam concitabat, imo an. MDCLI. publicos ad Deum colendum conventus, tanquam inutiles & parum Chriſtianos, ubi poterat, diſturbabat. Qua de cauſa & ipſe & Socii in carceres conjiciebantur aliquoties, & a judicibus caſtigabantur.

§. VIII.

Sectæ primi motus ſub Cromwellio.

PRima hæc *Trementium* Familia ex hominibus magnam partem conſtabat emotæ mentis, & fanaticis, multaque ideo committebat, quæ ipſi hodie moderatiores *Quackeri* excuſant quidem, at probare & laudare nolunt. Plerique enim viri fœminæque vehementer in omnes religiones declamabant, cultum publicum Sacrorumque Miniſtros exquiſitis contumeliis & injuriis invadebant, Magiſtratuum juſſa & leges contemnebant religionis & divini inſtinctus obtentu; denique utramque Rempublicam vehementer conturbabant. Quare nil mirum eſt, multos levitatis & ſtultitiæ ſuæ exquiſitas ſæpe dediſſe pœnas. Cromwellius nulli ceteroquin Sectæ inimicus, turbulentam tamen hanc multitudinem metuebat, & opprimendam primo eſſe ſtatuebat. Quum vero cunctis & promiſſis & minis ſuis eam potentiorem eſſe cerneret, prudenter ſe ſe continebat, idque unum ſibi providendum eſſe rebatur, ne ſeditionem in populo commoveret, & novæ dominationis ſuæ fundamenta labefactaret. Quackeros tamen ſemper Cromwellio inimiciſſimos manſiſſe Clarendonius refert in Hiſtoria Rebellionis bellorumque civilium Angliæ.

§. IX.

Progreſſus Caroli II. & Jacobi II. ætate.

PAullatim vero, ut fit, immoderatus ille adoleſcentis Familiæ ardor deferveſcebat, divinumque illud lumen, quo ſe jactant *Quackeri*, gradatim turbare civitatem deſinebat. Carolo II. deinde regnante & religio & diſciplina eorum formam magis ſtabilem & certis finibus deſcriptam obtinebat: in quo Foxus cura & ſtudio Roberti *Barclaii*, Equitis Scoti, Georgii *Keithi*, & Samuelis *Fisheri* virorum eruditorum, qui ad ejus ſe ſe familiaritatem adjungebant, potiſſimum adjuvabatur. Hi enim Triumviri vagam & laxam *Foxi*, viri illiterati, diſciplinam ſub certas leges vocabant & dirigebant. Verum diu Quackeris ſapientioribus & quietioribus plus miſeriæ & calamitatum in Anglia ſuſtinendum fuit, quam furentes & turbulenti ſuſtinuerant, non tam religionis quam morum & conſuetudinum nomine. Magiſtratus nempe quum honorificis vocabulis compellare, & decenter ſalutare, quum ſacramento fidem Regi polliceri, quum denique decimam fructuum partem ſacro Ordini pendere recuſarent, mali & periculoſi cives videbantur, & plurimis ſæpe malis afficiebantur. Sub Jacobo II. lætioribus uti fatis, maxime ab ann. MDCLXXXV. incipiebant: quod quidem celeberrimo Guilielmo *Penn* debebant, cujus opera Rex in maximi momenti rebus utebatur. Qui pacem omnibus Sectis conceſſit Guilielmus III. huic demum genti etiam publica libertate & tranquillitate frui permiſit.

§. X.

Propagatio Sectæ extra Angliam.

PReſſi & vexati in Patria Quackeri ſcita ſua ad alias proſeminare gentes, & variis in provinciis tutiores ſibi ſedes parare & conſtituere ſtudebant. Tentata eſt Germania, Pruſſia, Gallia, Italia, Græcia, Batavia, Holſatia; verum vano plerumque labore. Exorari tamen ſe poſtremo Batavi paſſi ſunt, ut habitandi apud ſe poteſtatem familiis quibuſdam concederent: quam quidem adhuc habent. In Americam multi ex hoc genere non diu poſt initia Sectæ jam profecti ſunt. Poſtea vero ſingulari facto contigit, ut in hac Orbis terrarum parte libertatis ejus & fortunarum domicilium veluti collocaretur. Guilielmus *Penn*, filius pro-præfecti Claſſis Anglicæ, qui ann. MDCLXVIII. Quackerianam religionem adoptaverat, anno MDCLXXX. a Carolo II. & Senatu Regni ampliſſima in America Provincia tum temporis inculta, donabatur, ut præmium, quod ſummis Parentis meritis Reſpublica debebat, hac ratione perſolveretur. Is homo minime hebes & præterea diſertus, in novum regnum ſuum fratrum & ſociorum coloniam deducebat, remque publicam ibi condebat forma, legibus, inſtitutis nulli civitatum hujus Orbis ſimilem. Dominantur in ea *Quackeri:* civibus vero adſcribi poſſunt omnes, qui unum tantum ſupremum eſſe Numen, quod rebus humanis providet, fatentur, idque ſi minus ſignis, vitæ tamen & morum probitate colunt. Provincia univerſa a domino *Penſylvaniæ* nomen accepit: primaria ejus urbs Philadelphia vocata eſt.

§. XI.

Controverſiæ & diſſidia inter Quackeros.

FOxo adhuc vivente, rixæ ſæpe ac diſſidia inter *Quackeros* naſcebantur, an. MDCLVI. MDCLXI. MDCLXXXIII. & alios, non de religione quidem, ſed de diſciplina, de moribus, de rebus minutis: verum hæ contentiones plerumque brevi tempore componebantur. Mortuo vero Foxo, deceſſit autem MDCXCI. gravioribus turbis tum alii, tum Georgius *Keithus* in primis, totius Sectæ facile doctiſſimus, fores aperiebat. *Keithus* nempe fratribus reliquis in Penſylvania cum de aliis rebus, tum præſertim de humana Chriſti natura ſecus ſentire, quam veritatis ratio poſtulat, videbatur. Statuebat duplicem eſſe Servatori noſtro humanam naturam, alteram cæleſtem & ſpiritualem, alteram terrenam & corpoream. Forte & hoc & alia *Keithi* commenta moderatiſſime tuliſſent homines, qui univerſam religionem ad ſenſum neſcio quem revocant, niſi fratrum Americanorum mirabiles opiniones idem vehementius reprehendiſſet, & in primis univerſam Servatoris noſtri hiſtoriam in allegoriam ſeu ſymbolicam explicationem officiorum, quæ religio poſcit ab hominibus, converti ab illis noluiſſet. In Europa quidem non audent Quackeri veritatem hiſtoriæ Jeſu Chriſti inficiari: at in America, ubi nihil metuendum eſt, aperte quæ mente volvunt dicuntur enuntiare, atque Chriſtum extra nos negare. Lis hæc inter *Keithum* ceteroſque Quackeros in nonnullis Conciliis totius Sectæ in Anglia diſceptata & ad ipſum magnæ Britanniæ Senatum delata, poſtremo ita an. MDCXCV. terminata eſt, ut *Keithus* cum ſuis ſacrorum communione ſemoveretur. Ipſe hac injuria permotus, elapſis aliquot annis, ad Anglicanam Eccleſiam redibat, cujus membrum obiit. Amici ejus privatos diu conventus egerunt, nunc ſi famæ credere licet, ſociis reconciliati ſunt.

§. XII.

Dogmata Quackerorum.

PRinceps Quackerorum dogma eſt, latere in omnium hominum mentibus partem aliquam rationis & naturæ divinæ, ſeu ſcintillam quandam ſapientiæ illius, quæ in ipſo Deo eſt. Hanc mole corporis, & caligine carnis, qua cingimur, oppreſſam, quiſquis veræ felicitatis & æternæ ſalutis cupidus eſt, in ſe a rebus externis redeundo, contemplando, & vim ſenſuum debilitando, elicere, excitare, inflammare debet. Quod qui fecerit, is ex intimis mentis receſſibus admirabilem ſibi lucem oriri, aut cæleſtem vocem prorumpere ſentiet, veritatis omnis divinæ magiſtram, & certiſſimum conjunctionis cum ſupremo Numine pignus. Quia Chriſtus in omnibus qui naſcuntur reſidet, ideo 1. omnis in eo religio poſita eſt, ut homo mentem a rebus externis avocet, ſenſuum imperium infirmet, totus in ſemet ipſe deſcendat, ſummaque attentione, quæ reconditus in pectore

ctore Christus, seu lumen interius jubet & dictat, excipiat. 2. Verbum externum, id est Scriptura sacra, non ad salutem hominum vel instituit vel ducit; nec enim litterarum & vocabulorum tanta potest esse virtus, quum vita careant, ut animum hominis illuminent, ac Deo conjungant. Hoc unum sacri libri fructum præstant legenti, ut animum ejus ad interius verbum audiendum, & ad scholam Christi intus docentis quærendam excitent & stimulent. 3. Qui scripto hoc verbo destituti sunt, Deorum cultores, Judæi, Muhamedani, barbaræ gentes adminiculo quidem aliquo potiundæ salutis, non ipsa salutis via & disciplina, egent. Interiori enim præceptori, qui silente tantum homine nunquam silet, si operam dederint, abunde ex hoc, quæ scitu & factu necessaria sunt, accipient. 4. Amplissime igitur patet Civitas Jesu Christi, & universum genus humanum comprehendit; omnes enim mortales Christum animo inclusum gerunt, & per hunc, maxima licet in barbarie, omnique Religionis Christianæ ignoratione versentur, & in hac vita, & in futura sapientes & beati fieri possunt. Qui honeste vivunt, & libidinum impetus coercent, sive Judæi sint, sive Muhamedani, sive multorum Deorum cultores, & hi Deo per Christum intra mentem eorum latentem jungentur, & æternum juncti erunt. 5. Ne intus præsentem Christum facile cernant, & audiant homines, corpus maxime impedit, grave, obscurum, ex vitiosa materia conflatum, quo tecti sunt. Quare etiam atque etiam videndum est, ne communio hujus mentem obtundat, conturbet, & per sensus rerum externarum simulacris repleat. Neque hanc ob causam credibile est, fore, ut Deus aliquando mentes ex carcere suo elapsas in eum denuo detrudat, sed, quæ de corporum in vitam reditu scripta leguntur, aut figurate intelligenda, aut de novis & cælestibus corporibus accipienda sunt.

§. XIII.

Disciplina.

QUackerorum autem disciplina vivendique ratio ita fere se habent. Conveniunt quidem diebus illis, quibus vulgo reliqui Christiani congregantur, religionis nomine: sed nec dies festos celebrant, nec cæremoniis & ritibus utuntur, nec institutis & legibus religionem, quam totam in Christi in animis abditi cultu collocant, alligari patiuntur. Docent, quibus placet, in Concionibus tam viri quam fœminæ: quis enim hominibus, in quibus Christus loquitur & vivit, facultate fratres alloquendi & instituendi interdixerit? Preces, hymnos, reliqua, quibus ceterorum Christianorum Conventus publici distinguuntur, nesciunt & repudiant. Nec baptismo novos cives suos lustrant, nec Cœna, ut Anglicani cæteri, memoriam mortis, & beneficiorum Christi renovant. Utrumque enim hoc institutum Judaicum, & a Servatore ideo tantum olim adhibitum esse opinantur, ut spectabili quadam imagine in baptismo animorum mysticam lustrationem, & in Cœna divina mentium alimenta ante oculos quasi poneret. Consuetudine etiam vivendi & ipsa forma ab aliis facile dignoscuntur. Non obvios salutant, non humanis & officiosis verbis alios compellant, non Magistratibus & in dignitatis quodam gradu positis aut corporis motu aut verbis honorificis reverentiam aliquam testantur, non vitam, bona, & famam ab aliorum injuriis defendunt, non jurejurando aliquid confirmant, non judices implorant, & eos, a quibus læsi sunt, accusant: contra vultu ipso & oris habitu, vestitu prorsus agresti & simplici, sermone, cibo, aliisque rebus ex illis, quos inter degunt, sese eximunt. Adsunt tamen, qui narrant, testes spectatæ fidei, ab hac rigida regula Quackeros, Anglos maxime, qui mercatura rem feliciter quærunt, multum jam defeciisse, & paullatim magis desciscere, imo ipsam majorum religionem haud paullo sapientius instruere & explanare. Est hoc etiam testatissimum, plurimos veram, quam a Patribus acceptam habent, religionem non intelligere.

§. XIV.

Forma Gubernationis.

PRincipia Sectæ omnis ordinis & gubernationis nescia erant. Procedente vero tempore Duces animadverterunt, Rempublicam suam sine legibus & præfectis stare nullo modo posse, & summam confusionem effugere. Itaque Collegia Seniorum instituta sunt, quæ disceptant, & expediunt omnia, quibus dubitationis aliquid & difficultatis adjunctum est, & studiose cavent, ne quis aliquid præpostere, & cum detrimento Cœtus agat. His nomina profitentur, qui nuptias meditantur: his ortus & obitus membrorum Societatis denuntiantur: his qui verba facere ad populum volunt, sermones suos nonnullis in locis scriptos exhibent, ut videant, num lucem ferre queant. Neque enim, quod olim licebat, hodie unicuique, cui placet, ubique declamare ad populum integrum est, postquam multorum ineptissimæ orationes gravem familiæ invidiam & ludibrium pepererunt. Sunt etiam in majoribus, Londini maxime, Cœtibus certi homines, quorum est populum cohortari, si forte desit ex multitudine, qui fratres monere & incitare velit, ne, quod sæpe quondam usuvenit, concio, deficiente oratore, vacua dimitti debeat. Necesse quidem non est, ut in Quackerorum Conventibus concionetur aliquis; neque enim ideo fratres coeunt, ut externum magistrum audiant, sed ut ad illius, quem intus quisque mente inclusum gerit, vocem attendant, seu, ut loqui solent, *in semetipsos introvertant:* at quoniam muti Conventus illi hostibus gentis cavillandi occasionem & ridendi præbuerunt, nunc certi Oratores constituti sunt, quibus quoque modicum laboris præmium dari solet. Quotannis Quackeri Londini, hebdomade festum Pentecostes antecedente, Comitia totius Ecclesiæ celebrant, ad quæ omnium Cœtuum legati veniunt: & in his Comitiis graviores caussæ cognoscuntur, & dirimuntur. Queruntur & hodierni Quackeri de multis calamitatibus; sed has omnes ideo tantum experiuntur, quia decimas pendere recusant. Sed jam cœptam de hæresibus erroribusque Sæculi XVII. & XVIII. narrationem prosequamur.

§. XV.

De Antonia Bourignonia.

ANtonia *Bourignonia de la Porte*, Virgo Flandrica, afflatam se se a supremo Numine, & ad religionem Christianam inter Sectarum rixas & disputationes amissam & extinctam instaurandam mirabiliter institutam esse gloriabatur. Implevit mulier, lingua volubili, inusitato quodam naturæ ardore & inexhausta imaginationis ubertate instructa, Provincias Belgicas & Cimbriam, in qua aliquot annos versata est, commentorum suorum fama; nec indoctis tantum & rudibus, verum etiam eruditis quibusdam viris, veritatem eorum persuasit. Docuit præterea Adamum ante lapsum fuisse utriusque sexus, & filios pariturum absque muliebri concubitu, ipsumque revera hoc pacto genuisse humanam naturam: tum religionem Christianam interiori quodam animi motu & sensu, non cognitione & factis contineri. Decessit, variis postquam satis jactata fuisset, Franeckeræ Frisiorum ann. MDCLXXX. Vates & augur sit necesse est, qui ex scriptis ejus, quæ plurima protulit, concinnam quamdam & omnibus sibi partibus respondentem religionis formam confecerit. Inter Patronos ejus recensetur Petrus Poiretus, vir acrioris ingenii & philosophiæ Cartesianæ in primis peritus; qui quidem exemplo suo luculenter docuit, non ita distare scientiam & inscientiam, rationem & superstitionem, ut in uno homine simul commorari & sociatis viribus monstra parere nequeant.

§. XVI.

De Jana Leada.

IDem, simillimum certe, consilium, idem institutum, idem denique ingenium fuit Janæ *Leadæ*, quæ sæculo XVII. ad finem festinante in Anglia visis, vaticinationibus, promissis, dogmatibus suis non ex populo tantum multos, sed etiam doctiorum aliquos obcœcavit, & *Societati Philadelphicæ* originem potissimum dedit. Fore enim in universum arbitrabatur, ut omnes inter Christianos contentiones plane cessent, unaque prorsus concors & pulcherrima fiat Jesu Christi civitas in his terris, si cuncti mentem magistro interiori fingendam, erudiendam, flectendam, relictis aliis formulis, legibus & opinionibus committant, neque dubitabat Dei verbis polliceri, talem, qualem ipsa cogitatione informaverat, Sanctorum multitudinem ante Orbis hujus exitum coactum iri. Licuit hoc tanto fidentius bonæ fœminæ promittere, quanto certius putavit Cœtum suum *Philadelphicum* illam ipsam esse familiam Jesu Christi, in qua una divinus Spiritus habitet & dominetur.

§. XVII.

De Isaaco Peyrerio.

ISaacus Peyrerius Calviniſta Gallus, genere Aquitanus, patria Burdigalenſis an. MDCLV. effutire auſus eſt, Adamum fuiſſe duntaxat primum Judæorum Parentem, quorum hiſtoriam Moſes in Libro Geneſeos enarraverit, ſed non fuiſſe cæterorum, ac ſubinde alios ante Adamum extitiſſe homines a Deo creatos, quos ideo *Præadamitas* appellavit. Abſurdum ſyſtema duobus in libris tueri conatus eſt, quorum alterum inſcripſit *Præadamitæ, ſive exercitatio ſuper verſus XII. XIII. & XIV. Capitis V. Epiſtolæ ad Romanos*; alterum *Syſtema Theologicum ex Præadamitarum hypotheſi*. Poſt varios caſus variaque diſcrimina rerum cum ſe Peyrerius ſuumque ſyſtema a Catholicis æque, ac Calviniſtis ſuis male acceptum vidiſſet, facti pœnitens Romam ſedente Alexandro VII. veniam petiturus acceſſit, annoque MDCLVII. epiſtolam ad Philotimum edidit, in qua momenta profert propter quæ Calvini ſectam ab ſe ejurari oportere crediderit, adjecto ad calcem libello ſupplici, in quo hiſce verbis de aliis ante Adamum conditis hominibus opinionem rejecit: *Fateor coram Sanctitate veſtra, tanquam coram Deo, cujus imaginem Sanctitas veſtra gerit in Eccleſia Dei, me non latuiſſe hypotheſim, quæ mihi venit in mentem de primis hominibus ante Adamum conditis, diverſam penitus abiiſſe ab opinione ſanctorum Patrum, nec non aberraviſſe a toto orthodoxorum Canone Conciliorum, totamque doctrinæ Chriſtianæ fabricam de homine lapſo & redempto fundatam fuiſſe a Patribus Concilii ſuper hypotheſim de Adamo primo omnium hominum formato, a quo deinceps totum genus humanum derivatum ac propagatum eſſet.* Agunt de Peyrerio Petrus Bayle Tom. III. Dictionarii, Bernardus Monnoye Tom. II. *Menagian.* Godofridus Arnoldus & alii. Antequam errores evulgaret Peyrerius, lucubrationem ſuam ad amicum miſerat cum Ovidii verſu, mutata voce *Urbem* in *Ignem*

Vade nec invideo, ſine me liber ibis in ignem.

Sed & anno a libri ſui editione inſequenti Bruxellis in carcerem auctor conjiciebatur, pœnaſque debitas ſibi evadebat abſurdi ſyſtematis, & Sectæ Calviniſticæ ejuratione.

§. XVIII.

De Thoma Anglo.

THomas *Albius*, ſive Bracklo, *Thomæ Angli* nomine, quod a Patria accepit, notior, medio ſæculo XVII. plurimis libellis editis, multum ſibi famæ in Belgio, Gallia, Luſitania, & in Anglia, at nec parum quoque invidiæ in Cœtu ſuo comparabat. Valebat ſine dubio ſubtilitate & ingenio: at Philoſophiæ Peripateticæ decretis, quibus præter modum deditus erat, dogmata quædam religionis Catholicæ interpretari & enodare audebat. Qua fidentia duce quum ad opiniones inauditas delatus eſſet, libri ejus Romæ damnati ſunt. Dicitur in Anglia mortuus eſſe, & Sectam inter ſuos condidiſſe, quam dies diſpulit, uti ex Petri Baylii Dictionario, & Hadriano Bailleto in vita Renati Carteſii refert Moshemius *Hiſt. Chriſt.* ſæcul. XVII. Sect. II. P. I. cap. I. §. LI.

§. XIX.

De Joſepho Borri.

JOſephus Franciſcus *Borri*, Eques Mediolanenſis, rerum chimicarum & medicarum peritiſſimus, ſi vera ſunt, quæ de rebus ejus feruntur, non tam erravit, quam deliravit. Tam ſtulta enim ſunt & abſurda, quæ de Maria Virgine, de Spiritu Sancto, de nova Civitate cæleſti a ſe conſtruenda, de Romani Pontificis interitu nugatus eſſe perhibetur, ſanum ut homini caput fuiſſe, nemo unus ipſe ſanus arbitrari queat. Levitatis, vanitatis & fallaciæ plurimum, bonæ mentis & recti conſilii haud multum in eo fuiſſe, res, quas paſſim geſſit, abunde declarant. Piis ſalutaribuſque documentis ſepoſitis ſpretiſque, quæ in Romano Seminario imbiberat, contaminata vita, peſtilentibus exemplis, virulentis colloquiis, & abſurdiſſimis erroribus otioſos quoſdam homines ſtuduit inficere. Jactabat ſe eſſe Chriſtum, qui totum deberet Orbem ſuis ſubdere legibus, novam fidem, novos ritus, novam Eccleſiam inſtituere. Viſiones Angelorum, miracula, & neſcio quas prædictiones ineptiſſime obtrudebat. De Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis impie ſentiebat, & B. Virginem Deam eſſe effutiebat, aliaque perinde ridicula procudebat dogmata, quæ ut per totum Orbem diſſeminare poſſet, duodecim Socios, velut totidem Apoſtolos, ſibi delegit lymphaticus Novator, quibus, quod ſatis feſtivum ac lepidum eſt, Regnorum dominia, ampliſſimas opes, & aureos montes pollicitus eſt. At pro theſauro carbones, & pro Regnis opibuſque, carceres, exilia, exſpoliationes bonorum, variaſque alias calamitates incurrerunt deluſi illi Pſeudo-Apoſtoli. Roma ſiquidem, Alexandro VII. Pontificatum gerente, præcipiti fuga cum Sociis ſuis Joſephus Borri ſecedere coactus, Mediolanum ſe recepit, ubi tamen nec ipſe, nec Sodales diu potuere conſiſtere; nam a fidei Quæſitore detecti, alii carcere mancipati, alii in exilium acti ſero intellexerunt ſe vana ſpe lactatos falſiſque promiſſis ab Anteſignano ſuo *Borrio* ineſcatos fuiſſe. Qui quidem his ſolertior e naufragio tunc enatavit, atque tempeſtive fugam arripiens in Germaniam conceſſit, dein Bataviam, tum Daniam peragravit; ac tandem in Germaniam reverſus captus eſt, & a Leopoldo Imperatore Clementi X. R. P. traditus ea tamen conditione, ut ejus vitæ parceretur. Tunc *Borrius* poſt ſalutares pœnitentias exhortationeſque, rediit ad ſanam mentem, quam jam pridem emotam ipſe, licet peritus medicus, ſumto helleboro hactenus curare noluerat. Nec ſolum deliria ſua, divina adfulgente gratia, agnovit *Borrius*, verum etiam ſolemni execratione eadem deteſtatus eſt in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam Romæ die XXVII. Septembris an. 1672. & a Cenſuris abſolutus, atque ut moris eſt, habitu pœnitentiæ indutus, in carceres Inquiſitionis primum detruſus eſt, inde poſtea ad molem Hadriani, quæ nunc Arx S. Angeli vocatur, translatus fuit, ubi editis veræ pœnitentiæ ac ſinceræ converſionis ſignis, ſicut a viris fidei probatiſſimæ oculatiſque teſtibus ſe accepiſſe teſtatur Graveſonius, ex hac vita migravit. De Borrio nonnulla in Clementis IX. vita dicta jam ſunt.

§. XX.

De Edmundo Richerio.

IS Caduſiæ in Diœceſi Lingonenſi natus, cum Lutetiam ſtudiorum cauſa veniſſet, ac Presbyter & Doctor, deindeque Syndicus S. Facultatis Pariſienſis anno 1608. creatus eſſet; anno demum 1612. ob publicatum anno 1611. *De Eccleſiaſtica, & Politica Poteſtate* libellum, comitiis Sociorum de Syndici gradu dejectus eſt. Hac accepta calamitate, etſi ſubjectum ab ſe libellum cenſuræ, atque judicio Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæque fuiſſe diceret, perſtitit tamen in antecœpta opinione, eamque non longa apologia ſolum, ſed etiam anno 1613. ſcripto teſtamento defendit. (1) Sed anno 1620. ut Cardinali de Rets Pariſienſi Archiepiſcopo obtemperaret, eo ſe animo libellum *De Eccleſiaſtica, & Politica Poteſtate* edidiſſe, ſcripſit, ut quæ vetus Pariſienſis Scholæ doctrina eſſet, intelligeretur. Nihilo ſecius fuiſſe aliquos, qui nonnulla, quæ obſcura propter brevitatem eſſent, in pejorem partem rapere auderent, hiſque de auctoritate Pontificis nonnihil dereptum vociferarentur. Se autem eorum, quæ ſtatuiſſet, rationem, ſi viſum opportunum eſſet, perfacile redditurum. Interea ſubjici ab ſe, ut ſæpe alias fecerat, ſua quæque opera Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæque Sedis judicio. Hanc ille declarationem, quam vocant, an. 1622. ſuo chirographo confirmavit, omiſſiſque iis, quæ ante de cauſa oſtendendæ Scholæ Pariſienſis doctrinæ adnotaverat, ſuo libro præfigi curavit (2). Anno 1625. ut quæ vellet, quæque ſentiret, poſterorum memoriæ commendaret; eos, qui de ſe quidquam ab æmulis dici intellexiſſent, obteſtatus etiam, atque etiam ſcripto eſt, ut ſi unquam ipſum in eas angultias redactum accepiſſent, ut ſuum de *Eccleſiaſtica, & Politica Poteſtate* librum rejiceret, aut illius partem ullam immutaret, reprobaretve, contra atque declaratio an. 1622. coram notario literis tradita, atque obſignata ferret; id ipſum non ſponte, ſed vi, ac metu, qui in virum conſtantem caderet, feciſſe; atque

(1) Extat apud Carolum du Pleſſis d'Argentrè pag. 303. tom. II. Collect. de Novis Erroribus; & Tom. I. Defenſ. libri de Eccleſ. & Polit. Poteſtate pag. 31. Edit. Colon. an. 1701.

(2) Tom. I. *Defenſ. Richerianæ* pag. 22. Edit. Colon. ann. 1701.

que adeo *totum* falſum, confictum, inaneque eſſe arbitrarentur (1). Anno 1629. cum decima octava Junii menſis die eam rurſus edere declarationem, quam an. 1622. perſcripſerat, decreviſſet; idque, ita ut fit, enunciari, ſpargique in vulgus cœpiſſet, ſeptimoque Idus Decembris certior a Card. Richelio factus eſſet, placere Regi, ut pax in Sorbonæ Collegio ſervaretur: diſſenſiones tolli declaratione illa non poſſe: quare conſcribi, publicarique accuratiorem alteram oportere; declarationem ſecundam ab eodem Cardinali, ut ferunt, dictatam deſcripſit, atque conſignandam ad Notarios detulit (2). Erat hæc illius declarationis ſumma: Eorum, quæ libello de Eccleſiaſtica, & Politica Poteſtate continerentur, nonnulla a malevolis adripi in pejorem partem. Hoc ſe omnibus teſtatum eſſe perſpectumque cupere. Voluiſſe ſemper, velleque ſe, ut libellus idem Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, Sediſque Apoſtolicæ judicio ſubjiciatur; eoque ſe vehementer angi, quo intelligeret, eſſe quoſdam, qui imminutam ab ſe Pontificis, Præſulumque Eccleſiaſticorum poteſtatem fuiſſe contenderent. Propoſitiones quaſcumque, quatenus Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ judicio, ut ſonant, contrarias, vehementer ab ſe non improbari modo, ſed etiam condemnari. Id ſe non coactum, ſed ſponte, libereque facere (3). Interea conqueri pertinaciores Richeriani, carpere Cardinalem Richelium, vim Richerio illatam dicere. Alii contra Richerium laudare, qui colendæ pacis cauſſa declarationem probaſſet; excuſare; teſtari denique, eum non unius Apoſtolicæ Sedis, ſed Eccleſiæ univerſæ, Sediſque Apoſtolicæ junctim cenſuræ, judicioque ſuum ſubjeciſſe librum, perſtitiſſeque in ſententia (4); idque Teſtamento confirmaviſſe, quod viceſima quarta Decembris die anno 1629. recognorit, concluſerit, obſignarit (5). Anno 1631. cum gravi nephritidis morbo Richerius laboraret, palinodiam ſatis longam ſcripſiſſe fertur (6), dixiſſeque Doctoribus tribus, qui ipſius inviſendi cauſa venerant, calumnia ſuos inimicos agere, qui, quod ipſe ſponte feciſſet, id factum fuiſſe jactarent metu (7). Fateor autem neſcire me, quæ ratio Andream Duvalium, Petavium, Argentreum, Boſſuetium, Graveſonum, Niſſoronum, alioſque impulerit, ut hanc palinodiam a Fontaine allatam prætermitterent, cum horum aliqui ceteras Richerii declarationes, ad depellendam invidiam, colligendas, deſcribendaſque putaverint. Quamquam ne Fontaine quidem mirari ſatis rationem poſſim, qui eam afferens, a quo demum acceperit, indicandum non exiſtimavit. Nam quod ſcribit, relictam eam in Muſeo fuiſſe a moriente Richerio, vereor, ne movere nequeat Richerianos, qui res imprimis teſtatas, rectèque conſtitutas calumniando pervertere conantur. Itaque etſi tot graviſſimorum hominum teſtimoniis, Richerium declarationem a Cardinali Richelio propoſitam ſponte, libereque ſubſcripſiſſe conſtat; id tamen vi fuiſſe factum, non dixerunt modo, ſed etiam literarum mandarunt monumentis. Eſt enim apud Claudium Bartholomæum Moriſotum (8), compoſitum ab Richerio fuiſſe Henrici Borbonii hortatu *de Eccleſiaſtica, & Politica Poteſtate* librum. Graviter id tuliſſe Urbanum VIII. Pontificem. Itaque primum Eſpernonio Duci, tum Cardinali Richelio promiſiſſe, ejus ſe filium, hujuſque fratrem in Cardinalium Collegium cooptaturum, modo eorum authoritate, potentia, artibuſque Richerius aut in Romanorum poteſtatem veniret, aut revocare quæ ſcripſerat, cogeretur. Suſceptum fruſtra hunc fuiſſe laborem ab Eſpernonio. Richelium, qui Pontifici confirmarat, eam rem ſibi curæ futuram, uſum fuiſſe Joſephi Capuccini, qui tunc Lutetiæ agebat, opera. Ab hoc igitur, qui hoſpitio Notarium Apoſtolicum in Galliam ab Urbano miſſum exceperat, quibuſque poterat modis non minus Pontifici, quam Richelio ſatisfacere conſtituerat, Richerium ad prandium fuiſſe vocatum, imprudentemque, ac nihil tale ſuſpicantem oppreſſum, armatiſque ſatellitibus adductis coactum, ut non deſcriberet modo, ſed etiam probaret παλινῳδίαν eorum, quæ libello de Eccleſiaſtica, atque Politica Poteſtate continerentur. Inde Richerium trementem revertiſſe domum, cumque ſecum, quæ ſibi evenerant, cogitaret, ad Moriſotum ſcripſiſſe: indignum eſſe illius amicitia ſe; ultimum ei vale dicere; ſolvi ſe, fatalemque ignaviam pœnitentia, & morte expiare. Hac ſcripta, clauſa, obſignataque Epiſtola eum inclinantem ſe, ut ego, inquit Moriſotus, noviſſime accepi, in vicinum meniæ thorum, cœlumque aſpicientem animam emiſiſſe. Ac de Moriſoto quidem alias. Quod autem Joannes Georgius Schelhornius in Epiſtola ad Card. Quirinum (9) Moriſoti locum, lectoribus rem gratam facturus, tranſtulerit, ut ea quæ a Monarchicis Pontificiis in hominem grandævum geſta fuiſſent, oſtenderet; tam indignum viro & ſapiente, & bene morato eſt, ut ferri nullo modo poſſe videatur. Sapiens enim beneque moratus qui eſt, nunquam committet, ut ipſum quiſquam circumventum fuiſſe mendaciis, quæ facile poſſint detegi, arbitretur. Quis vero tam eſt ignarus Richerianæ hiſtoriæ, ut non animadvertat, Moriſoti Epiſtolam plenam eſſe mendaciorum? Imprimis ann. 1631. Richerium deceſſiſſe conſtat (10). Quæ igitur confidentia Moriſoti fuit, ut perinde de Richerio ageret, ac ſi anno 1633. ſupremum clauſiſſet diem? Ille enim 1633. anno Epiſtolam ad Courtetum dedit, quæ ſic habet: *Jam vita Richerii noſtri terminata eſt.* Et paulo poſt: *Quibus ſcriptis, clauſaque, & obſignata Epiſtola, ut ego noviſſime accepi . . . . . preſſam recenti malo animam emiſit.* Quemadmodum autem noviſſime accepi dixiſſet, niſi anno, quo ſcribebat, obiiſſe Richerium putaſſet? Expectaſſe vero tamdiu amicos, ut de re tanta virum Richerio devinctum certiorem facerent, ſuſpicari qui poſſumus? Deinde quid illud eſt, quod addit de recenti malo? Annon Richerius anno 1629. hortatu Richelii, proponente Joſepho Capuccino, declarationem ſcripſit, annoque 1631. biennio nempe poſtea quam ſcripſit, interiit? Non ergo, ſi ullum fuit unquam, tam recens id malum fuit, ut ejus, non ætatis, adverſæque valetudinis cauſſa, homo grandævus, ut Schelhornius Moriſotum ſequutus jactat, & graviſſimo, diuturnoque nephritidis morbo laborans, periret. Eſt autem horum ſimile, quod Moriſotus de Henrico Borbonio Principe (11) mentitur; cum Richerius, non Henrici Borbonii, ſed Nicolai Verduni hortatu, atque impulſu id ab ſe opus fuiſſe perſcriptum tradiderit. Neque eſt verius, quod idem adjungit Moriſotus, quodque Schelhornius confirmat, perveniſſe ad extremam ſenectutem, nempe ad annum ætatis ſuæ 84. Richerium. Anno 1613. die 22. Novembris, ut eſt in ejus teſtamento, ætatis ille annum agebat quinquageſimum tertium cum menſe uno, & duobus, ac viginti diebus. Quare ann. 1631. quo certe obiit (12), annum ætatis 71. non 84. numerarit, neceſſe eſt. Qua quidem ex re intelligitur,

---

(1) Dupleſſis d' Argentrè l. cit. pag. 301.
(2) Tom. I. *Defenſ.* cit. pag. 22.
(3) Apud du Pleſſis d' Argentrè &c. Tom. I. *Defenſ. Rich.* pag. 23. Spondanum ad ann. 1629. Duvalium Tom. II. Opp. Roccabertum Biblioth. Pontific.
(4) Tom. 2. *Defenſ. Rich.* pag. 24.
(5) Ibid.
(6) Hanc deſcribit P. la Fontaine Tom. III. *Conſtit. Unigenitus &c.* edit. Rom. 1721. pag. 1194.
(7) Apud Duvalium ibid.
(8) Centur. II. Epiſt. epiſt. IX. ad Courtetum pag. 16. edit. Divionenſis an. 1656.
(9) *De Conſilio de emendanda Eccleſia* edit. Tigur. 1748. pag. 8.
(10) Confer *Teſtimonium Doctorum Pariſ.* apud Duvalium l. cit.
(11) Moriſotus ibid. *Libellulum*, inquit, *anno ſalutis 1611. ſcripſerat* de Eccleſiaſtica & Politica Poteſtate *ſuadente Henrico Borbonio primo Principe*. At Richerius in ſuo teſtamento pag. 31. Tom. I. *Defenſ. Richer. edit.* Col. 1701. *Anno* 1611. inquit, *poſt ſolutionem Capituli Generalis Dominicanorum, rogatu atque impulſu viri ampliſſimi Nicolai Verduni primi Præſidis Curiæ Parlamenti, ego libellum* de Eccleſiaſtica & politica poteſtate lucubravi . . . *quem libellum publici juris feci, quando cauſa Academiæ Pariſienſis contra Jeſuitas in ampliſſimo Ordine perorata eſt.*
(12) Apud Duvalium l. c. „ Anno Domini 1631. die nona „ Decembris coram me Petro Le Gay ſanctæ Sedis A„ poſtolicæ, & Curiæ Archiepiſcopalis Pariſienſis No„ tario .... ſubſignato, & in præſentia Curatus Paro„ chiæ S. Jo. Evangeliſtæ Collegii Cardinalis Mona„ chi, in Univerſitate Pariſienſi fundati, Carolus Ter„ nois etiam Presbyter, & Theologiæ Baccalaureus.... „ & Johannes de Tour Presbyter Doctor Theologus... „ qui pro ſalute, & unione Eccleſiæ, & S. Sedis Apo„ ſtolicæ honore, & ut integra prædicti Collegii fama „ conſervetur, credentes ſe in conſcientia adſtrictos eſ„ ſe ad teſtandum, & declarandum, quod acceperunt, „ & audierunt a Venerabili viro Magiſtro Emundo Ri„ cher, dum viveret, Doctore Theologo .... ſuper de„ claratione libri ſui de Eccleſiaſtica, & Politica Pote„ ſtate ab eo a duobus annis habita, necnon proteſta„ tione, & ſubmiſſione ſua inter manus DD. Eminen„ tiſſimi Cardinalis de Richelieu vivendi, & moriendi „ in obedientia Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ ob ob„ ſtruendum os maledicentium, & calumpiantium con„ tra memoriam, & famam, atque ſana conſilia dicti „ defuncti Richer, ea, quæ ſequuntur declarant, & te„ ſtantur. Scilicet prædictum Richer ſponte, & abſque „ cujuſquam impulſu, & requiſitione ſignificaſſe, & con„ ſtanter affirmaſſe prædictam ſuam declarationem, & „ proteſtationem a ſe cum ampliſſima libertate, & ple„ naria voluntate, nec non abſque cujuſquam reſpectu „ fa-

gitur, tam indiligentem virum, qualis Moriſotus fuit, ut neque quot tunc annos natus Richerius fuerit, neque quo æræ Chriſtianæ anno e vita migraverit, neque cujus viri impulſu animum ad ſcribendum *de Eccleſiaſtica Poteſtate* librum appulerit, nec quorum cauſa, quo ſuo ſenſu, quibus modis, quo tempore declarationem probaverit, ſciret; amici Richerii nomine fortaſſe vix, ſcriptoris autem, cui ſit credendum, authoritate, ne vix quidem dignum videri. Quis enim ſibi perſuadeat, eum, ſi tam conjunctus amicitia Richerio, quam jactare ſolebat, fuiſſet, tanta in Richerianarum rerum ignoratione verſari potuiſſe? Quod ſi in deſcribendis rebus, de quibus nulla eſſet diſſenſio, quaſque exploratas, cognitaſque habere facile poterat, turpiter erravit; de παλινῳδίᾳ diſſerens turpius errarit neceſſe eſt, quum dogmatum Richerianorum, rumorumque vulgi ſtudioſior inveſtigator, quam Richerii diligens, veruſque amicus eſſet. Nihilo ſecius Schelhornius, contra Doctorum Pariſienſium trium, qui brevi morituro Richerio aderant, (1) ipſorumque Richerianæ defenſionis Editorum fidem, Moriſoto Scriptori & minus diligenti, & male in noſtros animato credendum cenſet. Hactenus Mamachius Lib. IV. orig. pag. 250. ubi Richerii Opus exagitat. Eſt autem hæc Richeriani Operis ſumma apud Carolum du Pleſſis d'Argentrè *Collect. Judiciorum de novis erroribus* Tom. 1. „ Sicut jure naturali omnis perfecta ſocietas „ prius, immediate ac eſſentialiter poteſtatem habet ſe „ ipſam gubernandi habitu, & in actu ſignato, ante„ quam aliqui homines, & Magiſtratus eam habeant „ poteſtatem monarchice, ariſtocratice, aut democrati„ ce in actu exercito, pariter etiam Eccleſia &c. " Richerius cum Card. de Cuſa inquit in defenſione ſui libelli nuper in lucem edita lib. 2. cap. 1. §. 3. pag. 62. Itaque Richerius pro certo ſumit, ſummam potentiam rectionis in communitate populi prius, immediatius & eſſentialius reſidere, quam in rege, ſimiliterque de Eccleſia judicat. Hanc comparationem ſeu collationem Eccleſiaſticæ poteſtatis cum politica & civili in libello Richerii explicatam Concilium Senonenſis Provinciæ, Pariſiis congregatum ann. 1612. jure ac merito reprobavit, itemque Aquenſe Concilium. Ipſa monumenta hujus cauſſæ exſcribentur tom. 2. ibique cum Joanne Gerſon, Pariſienſis Eccleſiæ Cancellario docebimus; ut in homine aliud eſt *totum ſubjectum* corpus, *quod* videndi facultatem recipit, & aliud *ſubjectum in quo* facultas videndi per ſe proxime accipitur, ſic in Eccleſia omnium Chriſtianorum ſocietas, quæ tanquam ovile ex ovibus, & paſtoribus conſtat, totum quaſi ſubjectum corpus eſt, quod cœleſtium clavium potentiam in ſe accipit, eamque proprie habens inſtar totius denominatur. Sed ipſum ſubjectum, in quo ſumma poteſtas, & ditio cæleſtium clavium proxime accipitur, collegium eſt Pontificum & Sacerdotum, quorum caput in terris eſt Romanus Epiſcopus. Vel ſi, commutatis verbis, dicere mavis, hujuſmodi proximum ſubjectum *in quo* &c. B. Petrus eſt una cum ipſo Collegio Apoſtolorum & 72. diſcipulorum. Quem ſacrum Ordinem Petrus, ut ſupremus Vicarius Chriſti in terris, & Apoſtolorum Caput repræſentabat. Ab hac ſententia doctiſſimi Gerſonis Senonenſe Concilium & Aquenſe non receſſit. At Edmundus Richerius in ſuo libello *de Eccleſiaſtica & politica poteſtate*, exemplo a facultate videndi, quæ toti corpori inſervit, totiuſque pars eſt, aſſumpto temere abutitur, ut doceat ſacram jurisdictionem, quæ poteſtas cæleſtium clavium vocatur, in tota communitate omnium Chriſtianorum, hoc eſt, univerſæ Eccleſiæ, tanquam in proximo ſubjecto, prius, immediatius, & eſſentialius reſidere, quam in Collegio Epiſcoporum & Presbyterorum, perinde quaſi divinitus tantum inſtituti ſint, ut velut miniſtros Eccleſiæ ſe gerant. Sed hos Miniſtros Dei & Legatos divinos Scriptura centies appellat. Richerius in eo hallucinatur, quod finem, propter quem cæleſtes claves datæ ſunt, cum proximo ſubjecto, in quo eædem claves immediate accipiuntur, ad utilitatem totius Eccleſiæ confundere non ceſſet. A defenſoribus Pontificiæ authoritatis vehementes perſecutiones pertulit Richerius, Magiſtratui, quem *Parlamentum* vocant, ſummopere acceptus. Cum vero exortis inter Venetorum Rempublicam & Paulum V. diſſidiis, quidam Joannis Gerſonis Tractatus recuſi forent Venetiis, refutati a Venerabili Bellarmino; Richerius ardenti animo ſcripſit Gerſonis Apologiam, ediditque ulterius ann. 1611. librum initio laudatum. In quo præter expoſita hactenus, docuit, Eccleſiam præcipue Conciliorum Canone gubernari; Romanum Pontificem nihil abſque aliis Epiſcopis in rebus magni momenti poſſe decernere; Beneficia quælibet Eccleſiaſtica ſpatio 1400. annorum communi jure ſacris electionibus collata, habere a lege naturali & divina confirmationem.

§. XXI.

De Marco Antonio de Dominis.

M. Antonius *de Dominis*, inquit Spondanus ad an. 1616. olim Societatis Jeſu, poſtea Epiſcopus Segnienſis, deinde Archiepiſcopus Spalatenſis Dalmatiæ & Croatiæ primas, innata animi inquietudine & æſtro amiſſæ litis de quadam penſione annua, qua prædictus Archiepiſcopatus erat oneratus, percitus, & quod ſuis Suffraganeis odio & contemtui ſe eſſe animadverteret, de patria & fide deſerenda infauſtum conſilium cepit; perque Helvetiam ac ſuperiorem Germaniam in Belgium, atque inde in Angliam trajecit: ubi benigne a Rege exceptus, duo ingentia volumina Rapſodiarum contra fidem Catholicam & œconomiam Eccleſiaſticam evulgavit titulo *de Republica Chriſtiana*, quæ multi Catholici continuo variis in locis confutarunt. Anno 1622. vitam hujuſmodi pertæſus, & opera Oratoris Hiſpanici in Anglia commorantis ſecurus a Pontifice Gregorio XV. redditus de venia, palinodiam canens, ac valedicens Angliæ Romam pervenit ad finem Novembris; ibique ejurata hæreſi, ſcriptum edidit, quo diſtinctim revocavit quæcumque adverſus Eccleſiæ Catholicæ doctrinam evomuiſſet, eademque confutavit. At anno 1624. ad vomitum reverſus, cum nova per litteras de hæreſi cum Anglis inire conſilia detectus fuiſſet, in Arcem S. Angeli conjectus fuit. Ubi paullo poſt, ut erat ſenex, & pinguis ac ventroſus gravi morbo correptus, Dei benignitate viſus eſt ad cor redire, deteſtarique errores; ac moriturus Sacramentis Eccleſiæ curatus eſt cum ſignis pœnitentiæ. Cujus nihilominus corpus, ob relapſum, una cum impiis ejus ſcriptis in exemplum, manu carnificis in Campo Floræ publice combuſtum eſt menſe Decembri, quo mortuus eſt. Docuit autem *De Dominis* 1. *omnimodam paritatem & æqualitatem fuiſſe inter Apoſtolos*. 2. *Petrum neque Caput neque Principem Apoſtolorum fuiſſe*. 3. *Apoſtolis nihil datum, nihil conceſſum, niſi purum miniſterium fidei Chriſti per Evangelii prædicationem miniſterialiter, & non poteſtative propagandæ*. 4. *Chriſtum dum mortalis fuit, non fuiſſe Caput Eccleſiæ, neque Eccleſiam veram extitiſſe*. 5. *Nullam Chriſto mortali Eccleſiæ adminiſtrationem commiſſam fuiſſe*. 6. *Chriſtum fuiſſe tantum inviſibile Eccleſiæ Caput, ex quo regimine monarchico in Eccleſia rejecto ariſtocraticum eſſe conſtituendum cenſebat*. 7. *Nullam omnino poteſtatem, ſed nudum tantum miniſterium, quod poteſtatem expellit, in Apoſtolis fuiſſe*. 8. *Petrum non formaliter & vere, ſed potius parabolice claves a Domino recepiſſe, ex quo inferebat Petrum eſſe Eccleſiæ figuram*. 9. *Apoſtolos ut Chriſti Paſtores non*

„ factam fuiſſe, & nullas minas, nullaſque promiſſiones „ vim ullam apud ſe unquam habuiſſe, quatenus dice„ ret, & declararet ea, quæ ſibi minime arridebant, „ aut contra mentem ſuam pugnabant; ſeque facta hac „ declaratione in quietem, & tranquillitatem diem ſuum „ extremum clauſurum, eo quod beneficio illius ſibi „ ipſi conciliaſſet eos, qui ſibi antea infenſi, & inimici „ credebantur. Inſuper teſtantur prædicti Fourment, & „ Ternois, ſe menſe Auguſto nuper elapſo cum ipſo „ Richerio, poſt reſolutionem ab eo captam ſuſtinendi „ inciſionem, ſeque propterea ad mortem præparandi, „ pro debito ſui officii de prædicta declaratione, & pro„ teſtatione egiſſe, qui quidem ea, quæ ſupra ſunt ex„ poſita, eis reiteravit: quod nempe declarationem, & „ proteſtationem prædictam, quam de libro ſuo fece„ rat, approbabat, & eos eſſe ſuos inimicos declara„ bat, qui rumorem ſpargebant, ſe prædictam declara„ tionem invitum, & contra voluntatem, aut ſenten„ tiam ſuam, ſeu propter reverentiam, atque reſpectum „ erga prædictum Dominum Cardinalem de Richelieu „ feciſſe, & habuiſſe &c. " Quis autem præferendum his, qui præſto Richerio aderant, Moriſotum & abſentem, & qui ab aliis quæ ſcripſit acceperat, arbitretur? Nam quod ille, ait, literas ſe ab Richerio accepiſſe, tam verum eſt, quam eſt verum, quod ſcribit de mortuo anno 1633. eodem Richerio, quem conſtat biennio ante ſupremum obiiſſe diem. Niſi forte velimus eam eſſe Epiſtolam falſo Moriſoto adſcriptam.

(1) Editores defenſionis Richerianæ tom. 1. pag. 22. *Cum color quæreretur pacis in Collegio Sorbonico ſtabiliendæ, quam Richerius ne tantillum quidem unquam labefactaverat &c. Ut ergo publicæ atque privatæ pacis amantiſſimus, declarationem ſibi a Card. Richelio dictatam & oblatam in ejus ædibus exſcripſit, atque obſignavit in Camera P. Joſephi Ord. Cappucinorum &c.* Multa de Richerio diſputant Bailletus in ejus vita (ſed is Moriſotum ſequutus errat) Niceronus, aliique, quos enumerare non vacat.

esse oves, 10. *Petrum Israelitarum tantum oves pascendas suscepisse*. 11. *Petrum non habuisse supremum principatum*. 12. *Quicumque ab Apostolis Episcopi fiebant, eos protinus habuisse eandem Apostolicam potestatem universalem in Ecclesia*. 13. *Episcopos & Presbyteros inter se differre essentialiter*. 14. *Quemlibet Episcopum esse Monarcham in suo regimine*. 15. *Deum suum concursum specialem noluisse ullo Sacramento obligare*. 16. *Sacramentum Ordinis, cui Deus specialem suum concursum obligavit, non esse vere Sacramentum*. 17. *Jurisdictionem in habitu in utroque Episcopo de jure divino universalem, in tota Ecclesia esse: in actu vero non esse nisi in propria Ecclesia*. 18. *Papam in Episcopos nullam potestatem habere aut exercere posse ea de caussa, quod tota jurisdictio de jure divino, quæ in Apostolis fuit, sit etiam in Episcopo, ex quo inferebat potestatem Episcopi non pendere a Papa, sed æqualem cum Papa habere in tota Ecclesia; addebatque Episcopos nulli certæ Ecclesiæ de jure divino esse arctandos, eo quod de jure divino per omnes Ecclesias excurrere possint*. 19. *Vinculum Episcopi cum Ecclesia in communi solvibile esse*. 20. *Episcopos prælationem ac jurisdictionem in Presbyteros ex laicorum Principum potestate sumsisse exordium*. 21. *Ecclesiam votum continentiæ Sacris Ordinibus annectere non posse*. 22. *Monachorum institutum nulla publica institutione emersisse, & eorum statum a laicalis ordinis statu non esse separatum*. 23. *Votum personale ex sola interna deliberatione & plenissima electione non oriri*. 24. *Inæqualitatem, prælationem, & subjectionem in Ecclesia introductam, maximam in eam invexisse confusionem*. 25. *Populi in electione Episcopi consensum requirendum esse, atque electionis jus intrinsece habere*. 26. *Episcopos jus habere eligendi successores*. 27. *Episcoporum ordinationem, non legem, non canonem, non præceptum sed nudam consuetudinem esse*. 28. *Episcopos in sua Ecclesia jure divino, immediate soli Deo esse subjectos*. 29. *Jure divino nullos esse Metropolitanos, nullos Primates, nullos Patriarchas, & nullum esse discrimen inter Patriarcham & Archiepiscopum*. 30. *Patriarchales Sedes, scilicet Alexandrinam, Romanam, & Antiochenam primatum supra cæteras Ecclesias habere ob eminentiam Civitatum sæcularium*. 31. *Pallium nihil potestatis tribuere Metropolitanis*. 32. *Ecclesiam Romanam paucarum duntaxat Ecclesiarum esse caput, & ejus præeminentiam ab Urbis magnitudine pendere*. 33. *Neque Petro, neque ulli Apostolo datam in Ecclesia personalem successionem, & claves non Petro, sed Ecclesiæ a Christo esse collatas, & Papam claves ab Ecclesia accepisse*. 34. *Appellationes Ecclesiarum ad Romanam Sedem non esse tolerandas*. 35. *Canones Sardicensis Concilii nullius esse in Ecclesia authoritatis*. 36. *Cardinales nullam super alios prærogativam habere*. 37. *Papam Romanum non esse verum Petri successorem*. Ita fere hujusce Apostatæ errores & dogmata enumerat Dominicus Berninus in Hæreseon Historia Sæcul. XVII. Cap. I. Romæ edita, ubi etiam addit Dominicum Gravinam Dominicanum, Philippum Fabrum Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, Zachariam Boverium Capuccinum, & Dominicum Venetum Vercellarum Episcopum in eadem stylum acuisse.

§. XXII.

De Secta Illuminatorum.

IN Hispania circa A. MDCXXIII. prodiit hæc Secta *Illuminatorum*, cujus adsectæ eadem fere docuere quæ in Italia postmodum docuit Michael *Molinos*, caput impurissimum *Quietistarum*, ut mox palam fiet. Bonaventura Malvasia in *Catalogo Hæresum* centuria decima sexta, ex eoque Gravesonius, sexaginta sex propositiones refert, quas ab hisce Sectariis approbatas Andreas Paccecus, supremus in Regnis Hispaniarum fidei Quæsitor, damnavit. Asserebant in primis, *mentalem Orationem divino præcepto imperatam esse adeo, ut per eam omnia impleantur*. 2. *Dei servos nec laborare debere, nec Prælato ulli obedire, quando mentalis Oratio impeditur*. 3. *In elevatione Sanctissimi Sacramenti claudendos esse oculos*. 4. *Eum qui pervenerit ad certum perfectionis statum, nec videre posse sacras imagines, nec divinum verbum audire, neque alia facere, huic Sectæ & doctrinæ contraria*. 5. *Orationem & abstinentiam non posse diu simul, nisi miraculo consistere*. 6. *Orantem ita se debere in Dei præsentiam colligere, ut nec discurrat, nec meditetur vel passionem vel humanitatem Christi*. 7. *Eum, qui Orationi mentali vacat, posse ab audienda Missa etiam diebus festis abstinere*. 8. *Posse hominem ad eum perfectionis gradum pervenire, ut gratia animæ facultates submergat, nec possit anima vel progredi, vel retrogredi, & ad eum perfectionis statum pervenire, ut Sanctorum intercessione non egeat*. 9. *Illuminatos spernere debere omnes Theologos & Concionatores*. Denique ut cætera prætermittamus eorumdem deliria, dictitabant, *Actus eo magis meritorios esse, quo minor est sensibilis devotio, & turpes actus & inhonestos tactus cum Sectæ suæ fœminis ac puellis non esse peccata, imo virtutes potius ac pietatem*. Hos Hispani *los Allumbrados* vocavere.

§. XXIII.

De Cornelio Jansenio.

JAnsenius anno 1585. ex honestis catholicisque parentibus natus est in territorio Laerdamensi apud Batavos. Postquam litteras humaniores Ultrajecti didicisset anno ætatis XVIII. Societati Jesu nomen dedit; tum ea relicta Lovanii operam philosophiæ navavit, in eaque cæteris quatuor Collegiorum condiscipulis palmam præripuit. Emenso eodem loci Theologiæ curriculo Parisios se contulit, ubi Abbatis Sancyrani, quo cum Lovanii amicitiam iniverat, ope & favore Collegii Bajonensis Primarius instituitur. Post annos duodecim Lovanium redux, Collegio S. Pulcheriæ præficitur, anno 1617. laurea doctorali donatus Theologiam primum, deinde sacras litteras interpretatus est. Absolutis celeberrimis Congregationibus *de Auxiliis divinæ gratiæ*, ac rejecta in aliud tempus Apostolicæ Sedis definitione adversus Molinæ novitates, hujus Sectatores, quod fulminis ictum insperato declinassent, audaciores facti, Moliniana placita ardentius tueri, ac ubique disseminare aggressi sunt. Nec irriti sane fuerunt eorum conatus; cum enim ex una parte Molinismus & novitatis speciem haberet, ac corruptæ naturæ propensionibus plurimum faveret; ex altera Ecclesiæ silentium oculis imperitæ multitudinis turpitudinem ac perniciem novarum opinionum subduceret, brevi auctus est numerus Molinistarum, cujus favore Jesuitarum factio majores vires accepit, nihilque intentatum reliquit, ut latius in dies propagaret, ab iisque eam abstergeret ignominiam, quam ex variis celebriorum Theologorum, & Universitatum censuris Molinismus acceperat. Hinc omnes artes a Jesuitis adhibitæ, ut inter Doctores Universitatum cooptarentur, maxime vero Universitatis Lovaniensis, quæ exorienti in Lessii & Hamelii scriptis Molinismo primum vulnus inflixerat, idemque etiam post editum Decretum Pauli V. refricaverat antiquam censuram confirmando, novamque Cathedram S. Augustini nomine nuncupatam adversus Molinianas novitates erexerat: id quod maxime Jesuitarum animos perculerat, ut ipsi fatentur in imagine primi Sæculi lib. 6. *Ad extremum Lectio publica extra ordinem adversus Lessii doctrinam instituta non sinebat obduci cicatricem, sed erat unguis in vulnere, nostramque ignominiam perpetuo refricabat*. Nullum itaque lapidem non moverunt apud Hispaniæ Regem, ut in Lovaniensi Universitate Theologiam docere possent. Quod demum largitate ac munificentia Philippi IV. tandem obtinuerunt. At quum id ægre ferrent Doctores Lovanienses, antequam Regium placitum exequutioni demandarent, Legatum ad Regem mittere decreverunt, qui rerum statum eidem exponeret, damnaque ob regium illud Decretum toti Universitati, ac saniori doctrinæ impendentia patefaceret, ac ita si fieri posset, beneficium in Jesuitas conlatum revocaretur. Hoc munus Cornelio Jansenio demandatum fuit, quem gratia apud Regem Hispaniæ valere plurimum ignorare non poterant, non solum ob illius præclara merita in Christianam Rempublicam, sed etiam in Austriacam familiam, cujus jura in Belgium adversus Galliarum Regem defenderat, edito sub nomine Alexandri Patricii Armachani Theologi libro inscripto *Mars Gallicus*. Hujus sane legationem acceptissimam Regi fuisse probavit eventus; nam facultatem docendi, quam Jesuitis fecerat, suspendit; Jansenium vero Iprensem renunciavit Episcopum. Rebus Universitatis Lovanii ita compositis cum Jansenius ad Sedem Iprensem ascendisset anno 1636. Opus, cui jam ab annis viginti manum admoverat, collatis etiam studiis cum Sancyrano, perficere aggressus est: tunc enim latius in dies serpebat Moliniana lues. Hunc Operi titulum fecit *Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis Augustinus*; quoniam in eo nihil nisi purissimam S. Augustini doctrinam, in cujus operum lectione ætatem ferme contriverat, expressisse sibi visus erat. Tres illud in partes distribuit; in quarum prima Historiam Pelagianam, ac Semipelagianam contexuit; in altera rationem modumque aperuit definiendi & explicandi sacra fidei mysteria, maxime prædestinationis & gratiæ; ex sacrarum nimirum authoritate litterarum & Patrum, præsertim Augustini, cujus de hoc argumento doctrinam ab Ecclesia celebratam probatamque esse demonstrat: agit deinde de gratia primi hominis & Angelorum, ac de

ſtatu naturæ puræ latiſſime differit. In tertia vero parte de gratia Redemtoris, ejuſque vi & efficacia, ac de gratuita prædeſtinatione diſputat. Cui demum parallelum ſuccedit inter errores Maſſilienſium & Moliniſtarum. Hoc Opus Urbano VIII. qui tum Eccleſiæ clavum tenebat, inſcribere cogitaverat Janſenius, ac vel ipſam pararat epiſtolam, qua ſe ſuique ingenii fœtum ſummi Pontificis judicio & authoritati devovebat; at contagioſa lue, quæ tum in Urbe graſſabatur, præreptus exſequi cogitata non potuit, quæ tamen jam jam moriturus expreſſit, aliiſque demandavit, hoc ſcripto Teſtamento: *Ego Cornelius Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Iprenſis de mea libera voluntate do, & dono omnia mea ſcripta ad explicationem S. Auguſtini ſpectantia, Capellano meo Reginaldo Lamæo; partim quia magno labore ea ſcripſit, vel dictavit, partim quia ſine Originali copia corrigi non poteſt. Hac tamen mente hanc donationem facio, ut cum doctiſſimis viris magnifico Domino Liberto Fromondo & Reverendo Domino Henrico Caleno Canonico Mechlinienſi conferat, & diſponat de editione quam fideliſſime. Sentio enim aliquid difficulter mutari poſſe. Si tamen Romana Sedes aliquid mutari velit, ſum obediens filius, & illius Eccleſiæ, in qua ſemper vixi, uſque ad hunc lectum mortis obediens ſum. Actum 6. Maji* 1638. Infra ſcriptum erat *Cornelius Janſenius*, impreſſumque ſigillum ejuſdem. Quæ ſane demonſtrant animum Catholici Epiſcopi egregie catholicum, dignumque viro Catholico in opere perficiendo conſilium. Hinc neſcio qua lege æquitatis ſibi licitum eſſe nonnulli putaverint tanti Epiſcopi memoriam injuriis maledictiſque proſcindere ac cineres exturbare; ejus perſonæ invidiam creare, eique dum viveret, Opuſque ſuum adornaret ex Auguſtino, vel prava animi conſilia, vel vitium ſuperbiæ, aliaque id genus exprobrare. Certe quantum ad illius mores & animi dotes pertinet, vir fuit Janſenius, juxta illius vitæ Scriptores, pietate, religione in Deum, vitæ modeſtia, morumque diſciplina, comitate atque affabilitate, ſed maxime prudentia conſpicuus. Ingenium illi fuit acerrimum, judicium graviſſimum, memoria capaciſſima; quibus naturæ dotibus noctu diuque pertinax ſtudium acceſſerat, & veritatis amor immenſus, quam tamen in tradenda S. Auguſtini doctrina non eſt aſſequutus, Eccleſia judice. Omnia Auguſtini Opera decies, libros vero de gratia divina, & libero arbitrio pluſquam trigeſies a capite ad calcem evolverat. Scripſit Orationem de interioris hominis reformatione, Alexipharmacum civibus Sylvæ-Ducenſibus propinatum adverſus miniſtrorum ſuorum faſcinum; Spongiam Notarum, quibus Alexipharmacum aſpergit Gisbertus Voetius: Commentaria in Pentateuchum, in quatuor Evangelia, in Proverbia & alia.

Defuncto Janſenio, ut hujus votis annuerent Fromondus & Calenus executores Teſtamentarii, Janſeniani Operis editionem procurabant; cujus rei admoniti Jeſuitæ, authoris fama operiſque gravitate perterriti, quaſi Moliniani ſyſtematis exterminium futurum, ubi illud in lucem prodiiſſet, vererentur, operam dederunt apud Nuncium Apoſtolicum Bruxellarum, & Cardinalem Franciſcum Barberinum Urbani VIII. nepotem, ut illius editio interciperetur, ſed fruſtra; nam ea abſoluta in lucem tandem prodiit ſemen illud tot tantarumque diſcordiarum, quæ deinde ſubſecutæ ſunt. In Gallias delatum Janſenii Opus, quo tempore Gallici Imperii ſupremum miniſterium obibat Cardinalis Julius Mazarinus, ab Iſaaco Haberto, poſtea Vabrenſi Epiſcopo examinatum fuit, ex eoque quinque fuere propoſitiones excerptæ cenſura configendæ.

Prima hæc erat: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia.*

Secunda: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

Tertia: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.*

Quarta: *Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: ſed in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.*

Quinta: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.*

Excerptæ quinque illæ Janſenii propoſitiones ad judicium Epiſcoporum Gallicanorum, qui ſolita tunc Comitia Pariſiis celebrabant, delatæ ſunt. Has omnino configendas eſſe cenſuit Sacer Conſeſſus. At quum de Epiſcopo hic quæſtio eſſet, & quidem alienæ ditionis, in quem nullum jus, authoritatem nullam Galliarum Epiſcopi obtinebant, damnationem in quinque propoſitiones excerptas non ferendam quidem judicarunt, ſed ſupplicandum cenſuerunt Apoſtolicæ Sedi, ut de iis ſententiam ipſa ferret. Quare litteras obſequentis officii teſtes Innocentio X. qui tunc Eccleſiam moderabatur, ſcripſerunt Epiſcopi Gallicani, quibus configendas Propoſitiones ad illius tribunal detulere. Cauſſa Romam delata maturo judicio diſcuſſa eſt; ac tandem propoſitiones illæ quinque ut hæreticæ, erroneæ, impiæ, ſcandaloſæ proſcriptæ ſunt anno 1653. Ut primum in Gallias pervenit Diploma Pontificium, non defuere, qui ut damnationis vim effugerent, illico reſponderunt, propoſitiones merito quidem damnatas eſſe; at alieno omnino ſenſu, quam quo illas Janſenius docuiſſet. Hinc factum eſt, ut Alexander VII. qui Innocentio X. proxime ſucceſſit, novo diplomate edito eaſdem propoſitiones a prædeceſſore ſuo damnatas & a ſe damnari declaraverit in ſenſu ab Authore intento. Credi vix poteſt, quot inde Janſenianorum obmurmurationes prodierint. Janſenii ſenſum ab errore penitus alienum multo altius conclamarunt; tametſi propoſitionibus illis ſenſus aliquis ineſſet merito proſcribendus. Eccleſiam in juris quæſtione dirimenda, an ſcilicet propoſitiones illæ hæreticæ eſſent, nulli obnoxiam errori faſſi ſunt; ſecus in Facti controverſia decernenda, qualis profecto eſt illa *Quiſnam Janſenii ſenſus eſſet*; atque idcirco non pauci Alexandri VII. Conſtitutioni parere renuerunt. Quid plura? Creſcente in dies virorum Janſenii partibus addictorum factione fidei formulam edidit Summus Pontifex, cui viri omnes in ſuſpicionem vocati (atque etiam Sanctimoniales, quæ ea fuligine reſperſæ putabantur) ſubſcribere coacti ſunt. Hæc erat Formula, ſive *Formularium* ab Alexandro præſcriptum: *Ego N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. datæ die* 31. *Maji anno* 1653. *& Conſtitutioni Alexandri VII. datæ die* 16. *Octobris anno* 1656. *SS. Pontificum me ſubjicio, & quinque propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen* Auguſtinus *excerptas, & in ſenſu ab eodem Authore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio ac damno, & ita juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.* At hic rurſus non minima circulatio fuit. Subſcriptionem nonnulli negarunt: alii ſubſcriptionem circumſcriptione aliqua reſtrinxerunt; ita nempe ſubſcribendo: *In dogmatibus fidem præſto, in Factis reverentiam;* hoc eſt, fide credo, dogmata illa quinque juſte eſſe damnata; ſed in altero, quod facti caput attinet, Janſenium nempe dogmata illa eo ipſo hæretico ſenſu docuiſſe, non fidem, ſed reverentiam Eccleſiæ præſto. Non minimas in Eccleſia Gallicana turbas excitavit ille ſubſcribendi modus. Hunc Epiſcopi nonnulli, quibus ſubſcriptiones illas ſuſcipiendi munus incumbebat, recipiebant ac ratum habebant: Alii nullas iſtiuſmodi ſubſcriptiones acceptabant, ſed nude, nulloque appoſito temperamento ſubſcribi volebant abſque diſtinctione juris & facti. Atque ii quidem duas in partes ſcindebantur. Quidam nullum idcirco ſubſcriptioni temperamentum apponi patiebantur, quod quæſtionem Facti a quæſtione juris ſecerni non poſſe crederent, Eccleſiamque in utraque dirimenda infallibilem judicarent: alii ab iſtiuſmodi reſtrictione abſtinendum volebant, tametſi Factum a jure longe ſecernerent; quia eam inutilem reputabant, & ab Eccleſiæ uſu alienam. Quoties enim (inquiebant) alicui inſtrumento ſubſcribitur, ad omnes inſtrumenti partes ſubſcriptio refertur, prout cujuſque partis conditio poſtulat; nec neceſſe eſt, ut tot illa in ſubſcriptionibus temperamenta & clauſulas reponamus. Cum ergo Janſenianarum propoſitionum damnatio dogma complectatur & Factum; quorum primum fidem exigit, alterum puram ac meram reverentiam, ſubſcriptio etiam nude appoſita fidem dogmati præſtat, & facto ſolummodo reverentiam; tametſi diſtinctis illud verbis nullatenus exprimatur. Verum cum Janſenii fautores reponerent, id quidem verum eſſe, ſeque etiam damnationis Formulario ſine clauſula ſubſcripturos, niſi pertimeſcerent ne forte nebulones aliqui abſolutam illorum ſubſcriptionem perperam interpretarentur; illamque ad factum non aliter, quam ad jus inique detorquerent. Res compoſitione finita eſt. Declararunt ſcilicet Epiſcopi viginti publicis Inſtrumentis a Notariis exceptis, ſe ſubſcriptionem quidem abſolutam ab iis exigere, non quod factum cum jure promiſcue confundi, eademque religione utramque a fidelibus credi vellent; ſed quod duo hæc ſatis per ſe ſe diſtincta ſupponerentur; nec clauſulis & additamentis in ſubſcriptione diſtingui neceſſe eſſet præter ſolitum Eccleſiæ morem. Negotium iis Epiſcopis aliquandiu faceſſitum eſt, quaſi Janſenii partiariis abundantius indulſiſſent. At re ad Clementis IX. qui Alexandro VII. ſucceſſit, Tribunal delata, eorum agendi ratio probata eſt, zelus laudatus, pacis amor commendatus; eoque pacto Eccleſiæ Gallicanæ inteſtino veluti bello diſciſſæ reſtituta

ſtituta pax *fuit*, ut in Clementis IX. vita diximus.

Neque tamen partibus ſuis omnibus abſoluta fuit. Hanc nonnulli Ardeliones quantocitius interturbarunt. Cum enim quinque famoſas Propoſitiones hæreticas pronunciaſſet Alexander VII. in ſenſu a Janſenio intento; nec tamen quis ille ſenſus eſſet, expoſuiſſet: non defuere male feriati cavillatores, qui varios in Janſenio ſenſus a damnato remotiſſimos, corraſis inde verbulis, venarentur; legitimas Auguſtini & Thomæ ſententias a Janſenio forte aſſertas exquirerent (nemo enim errantium eſt, qui non veri aliquid obiter dixerit) ut in illas Pontificiam damnationem referrent. Quam audaciam ut opportuno remedio frænaret SS. Pontifex, qui Eccleſiam Catholicam pari tunc religione ac majeſtate regebat, Innocentius XII. ſenſum in quinque famoſis propoſitionibus damnatum fixit *in Brevi ad Belgii Epiſcopos dato anno 1694.* illumque eſſe pronunciavit, quem verba ipſa præ ſe ferunt, quique per ſe legentibus obvius eſt; ne in fabricandis pro arbitrio Janſenii ſenſibus iniquo & fraudulento labore deſudarent inquieti homines, qui nihil oblique non moverant, ut Scholæ Thomiſticæ doctrinam Janſenii damnatione petitam effutirent. Quin etiam in eodem Brevi vetuit, ne quis aliquem invidioſo Janſeniani nomine inſimularet, niſi Eccleſiaſtico judicio convictus eſſet, proſcriptas quinque propoſitiones, aut ſaltem ex illis aliquam propugnaſſe. Ecquis enim petulantiam illam ferat, inquit Serrius quem heic excipimus, qua homunciones plerumque inſcientes, ac prorſus ignari viros eruditos ac pios invidioſo *Janſeniſtæ* nomine traducunt ob id unum, quod in divinæ Gratiæ controverſiis Auguſtini dogmata tenacius æmulentur, a Molinianis abſurditatibus abhorrentes; cum ceteroquin a Janſenii erroribus ita procul abſint, ut abeſt Moliniana ab Auguſtini doctrina, illorumque damnationi ſponte ſubſcripſerint? Quanti autem hujuſce generis Janſeniſtæ ſint, intelligere licet ex Bibliotheca *Janſeniſtica*, & *Dictionario* Janſeniſtico, quorum illa P. De Colonia Jeſuitam, iſtud vero Patrem Patuel ejuſdem Societatis authorem habet. Opus utrumque Romæ damnatum fuit. Quod quidem injuria eſſe factum cum quidam Jeſuita Anonymus Doctoris Sorbonici larva aſſumpta arroganter inſolerterque demonſtrandum ſuſcepiſſet; Sacra Indicis Congregatio opellam hanc tanquam libellum famoſum confixit; Ricchinius vero, qui eidem Congregationi erat a ſecretis, *de juſta Bibliothecæ Janſenianæ proſcriptione* ſub nomine Romani Philalethis ad Theologum Lovanienſem epiſtolam perdoctam elegantemque dedit, in qua perverſa horumce Scriptorum conſilia patefecit, & pro meritis caſtigavit. Digna nobis hæc Ricchinii epiſtola viſa eſt, quæ hic loci recuderetur. Itaque ſic habet:

„ Non unum illud, quod ad me miſiſti, apparuit in „ Urbe exemplum epiſtolæ Doctoris Sorbonici ad amicum Belgam, qua damnatæ non ita pridem a Sacra „ Indicis Congregatione Bibliothecæ Janſeniſticæ Decretum inique proſcinditur: alia multa circumferuntur „ miſſa ad Cardinales, alioſque Viros, qui quanto cum „ ſtomacho, quantaque cum indignatione ſcriptum legerint cum ineptum, & inſulſum, tum temeritatis, audaciæque plenum, dici vix poteſt. Improbus ille qui „ confecit, cum parum ad eam, quam ſumit, Doctoris „ Sorbonici perſonam accommodate loquatur, perfecit „ omnino, ne ibi, & a quo credi vellet, cuſum fuiſſe putaretur, & ipſe diu latere non poſſit. Varias „ propterea in animis hominum ſuſpiciones diſſeminavit, quas ego, quoniam mea, atque ut puto, tua „ parvi intereſt verum noſſe authorem, ſilentio prætereo. Caveat tamen is, quiſque fuerit, ſibique proſpiciat: nam ſi, quod fieri poſſe audio, certis prodatur indiciis,

„ *Flebit, & inſignis tota cantabitur Urbe.*

„ Putavit fortaſſe veſanus Author ſcriptum Chriſtiano homine indignum minus fore invidioſum, propterea quod unum illum, qui Congregationi eſt a ſecretis, Reverendiſs. Ricchinium videri velit laceſſere, „ atque inſectari; ſed eo viſus eſt omnibus bonis deterius feciſſe, quod viam ſibi, & improbo cuique patefecit ad ipſam Cardinalium Congregationem, & „ Pontificem O. M. per latus Adminiſtri impune feriendum. Neque enim ignorare poterat, ecquæ ſint „ in ea Congregatione Ricchinii partes. Quid ſi „ ille non conſuli ſe, cum libri damnantur, non ullum „ diceret ferre ſuffragium; ſed libros, qui accuſantur, „ duntaxat ad Cenſores tranſmittere, & poſtquam illi „ ad Congregationem retulerint, Decretum, quod uni „ Cardinales pronunciarunt, in tabulas referre; nonne „ in ipſam Congregationem, nonne in Pontificem ipſum „ manifeſtum eſſet omnia recidere maledicta? Itaque „ nihil Authori epiſtolæ prodeſt in Ricchinium, quod „ ipſum tamen indignum, ac temerarium eſt, tam multa invehi; ejuſque fraudi, invidiæ, & livori Decretum, quod illi diſplicet, imputare. Nemo enim dubitat quin illud non Ricchinius, ſed ſacra ediderit „ Congregatio, & Pontifex ipſe juſſerit promulgari.

„ At qui Pontifex? Doctiſſimus ille quidem, ac ſolertiſſimus, ingenti acie omnia pervadens ac circumſpiciens, & quo, ut ipſi fatentur Hæretici, non ullus „ multis ab hinc annis omni genere doctrinarum ornatior Sedem Apoſtolicam occupavit. Ab hoc Pontifice Ricchinii artibus, ait epiſtolæ Author, circumvento, atque inſidiis irretito extorta eſt Bibliothecæ „ Janſeniſticæ proſcriptio. Poſſum ego putare Virum „ eſſe Catholicum, qui Romanum Pontificem, ſive ille ſit, ſive non ſit doctus, cum Fidei, & Reipublicæ Chriſtianæ negotia tractat, Adminiſtri fraudibus „ dicere audeat circumveniri, decipi, circumduci? Quid „ ſperamus fore deinceps in religione tutum hac via „ improbis hominibus ad maledicendum, & Romæ Decreta contemnenda patefacta? Idem vero jactatum „ in Benedictum XIV. quale tandem convicium eſt? „ quæ injuria? quæ contemptio? Hic tantus Pontifex „ tam exigue ſapere viſus eſt Scriptori maledicentiſſimo, ut quid contineretur Bibliotheca Janſeniſtica ad „ diligentiſſimum Congregationis examen deducta, ignoraret prorſus, neque poſſet, quin Ricchinii fraudibus „ caperetur, de ea judicare. Huic Pontifici, quo e manibus imperitorum Librum eriperet exitioſum, neceſſe fuit Ricchinium imponere, atque inſidiari. Quid „ poſſet e grege Lutheranorum Scriptor deterius in Pontificem Romanum jactare?

„ Et vero ſi liber aliquis minus juſte Pontificis juſſu fuiſſet a Congregatione proſcriptus, æquum erat, „ virum Catholicum moderate ferre, atque ab injuria, „ & contumelia ſibi temperare: quanto vero magis cum „ juſtiſſima fuerit Bibliothecæ Janſeniſticæ condemnatio? Dicam tibi de ea quod ſentio, & optimum „ quemque ſentire video, liberius quam ulli hactenus „ dixerim. Cum primum edita fuit, nemo Coloniæ „ diligentiam in libris notandis, qui pravitate Janſeniſticæ doctrinæ eſſent infecti, non laudavit, nemo „ non vituperavit licentiam, & temeritatem, qua uſus „ eſt in reponendis eodem numero pleriſque virorum „ Catholicorum libris ob quaſdam opiniones, quæ non „ modo damnatæ non eſſent, ſed libere a Scholis Catholicis, & quod majus eſt, Romæ ſub oculis Romanorum Pontificum publice defenderentur. Id enim „ agere, præterquam quod injurioſum erat Catholicis „ viris, putabant non licere Coloniæ per leges Romanorum Pontificum Innocentii XII. Clementis XI. „ itemque XII. qui cum viderent eſſe qui temere invidioſa Janſeniſmi accuſatione abuterentur, & ſaniores Auguſtinianæ, Thomiſticæque Scholæ opiniones, „ quo ſuas melius tuerentur, Janſenii Queſnellique erroribus affines eſſe prædicarent, indignum eſſe judicarunt, præclariſſimas Scholas obnoxias eſſe calumniæ, & malitioſam coerceri debere accuſationem. „ Quare prohibuerunt, graviſſima propoſita pœna, ne quiſquam diſputando, aut ſcribendo auderet earum Scholarum opiniones ulla ejuſmodi afficere cenſura. Digni profecto erant tres iſti Pontifices, quibus Colonia „ homo privatus, Scriptor exigui nominis obtemperaret. Obtemperavit autem? Nemo fortaſſe eorum „ Decreta, quæ juſtiſſima erant, minoris fecit, & impudentius violavit. Multos ille Scriptores Catholicos, veſtræ præſertim Academiæ Lovanienſis, Baii, „ Janſeniique diſcipulis adnumeravit, propterea ſolum „ quod opiniones defenderent aut de victrici, minimeque neceſſitante delectatione, aut de actionibus deliberatis in Deum cum aliquo amoris initio referendis; aut de eodem charitatis amore cum attritione „ ſupernaturali in Sacramento Pœnitentiæ conjungendo: quas opiniones cum nunquam Sedes Apoſtolica „ reprobarit, certumque ſit ab omni diſtare periculo, „ magna inſolentia eſt privatum audere notare, & Hæreticis, qui defendunt, accenſere. Multo vero major, quod Romani Pontifices, id ne fieret, vetarunt. „ Potes ipſe per te, ſi vacat, ac lubet, videre quot, „ qualeſque viros, quod eas tuerentur opiniones, retulerit Colonia in numerum Janſeniſtarum. Non debuit autem tandem aliquando damnari liber, in quo „ author inſigni temeritate, dolo malo, incredibili audacia viris Catholicis errores, atque hæreſes affingit? „ Non debuit coerceri arrogantia, qua non ſolum judicium antevertit Eccleſiæ, ſed contra etiam quam „ ipſa ſanxit, in ſuſpicionem vocare nititur Scriptores „ innocentiſſimos, quorumque doctrina nulli eſt obnoxia „ cenſuræ?

„ Eos autem, qui aliquando accuſati, ſapientiſſimis „ Viris, quorum intereſt judicare, abeſſe viſi ſunt a „ pravitate doctrinæ, audere in numerum Hæreticorum

„ refer-

„ referre, quæ perverſitas eſt? Loquor ego de Noriſio, in quo uno violando execrabilis mihi videtur, „ & minime ferenda Coloniæ temeritas. Fatetur ipſe „ ter ejus Scripta ad Romanæ Inquiſitionis Tribunal „ fuiſſe delata, ter item cognita cauſa dimiſſa fuiſſe ſine „ cenſura. Qui quidem vir non ſolum poſt accuratum operum ſuorum examen notatus non eſt, ſed etiam magno præmio a Pontifice Romano cumulatus. „ Nam Cardinalis creatus eſt, cooptatuſque in illud ipſum, apud quod accuſatus fuerat, Cardinalium Inquiſitorum Collegium, ſplendidiſſimum ſemper, ut „ eum appellat Benedictus XIV. habitus eſt lumen Apoſtolici Senatus, & quod minoris non facio, commendatiſſimus præconiis omnium Litteratorum. Poſſes tu, poſſem ego, poſſet quivis alius, ſi Janſeniſmi accuſaretur, his quibus abſolutus eſt Noriſius, „ melioribus indiciis, ſanctioribuſque teſtibus cupere abſolvi? Ego certe non cuperem. Nam video magnum Athanaſium non alia ratione ſanctum Dionyſium Alexandrinorum Epiſcopum vindicaſſe ab Arianorum calumnia, quam quod nunquam ille vir impietatis, cujus inſimulabatur ab Hæreticis, convictus „ fuiſſet ab Epiſcopis, ejuſque memoria, perinde ac ceterorum orthodoxorum Patrum, celebris hactenus „ haberetur. *Hoc unum*, ajebat Athanaſius, *magno „ eſt argumento, nihil Arianos veri dicere, & calumniis conari premere virum*. Non ſic agitur hodie: „ non idem quod Dionyſio profuit, videmus prodeſſe „ Noriſio. Hic tantus vir, hic Scriptor egregius, & „ Cardinalis celeberrimus inter Bajaniſtas, & Janſeniſtas, agente Colonia, comparet; & qui Summis Pontificibus, qui Romanæ Inquiſitionis Judicibus Eminentiſſimis, qui denique eruditis Theologis, atque omnibus bonis viſus non eſt malam tueri doctrinam, viſus eſt Coloniæ, videtur Authori Epiſtolæ: qui duo plus vident, quam viderint Pontifices, Cardinales, „ Theologi, Cenſoreſque Romani. Ecquis autem ferre hanc tantam audaciam poterit, quæ ſpreto alienæ „ innocentiæ graviſſimo indicio, ne tantorum quidem virorum exiſtimationi parcit ac famæ? Cui autem minus ferenda quam Indicis Congregationi, ſi quidem „ ſuam tueri vellet Regulam, qua vetat tolerari libros, *qui famæ proximorum, præſertim Eccleſiaſticorum, detrahunt?* Nihil eſt autem quod majorem Catholici atque Eccleſiaſtici Scriptoris famæ labem inurat, quam eum in ſuſpicionem hæreſis vocare, præſertim ſi fiat dolo malo, & non apud eos, quorum intereſt judicare, legitime accuſetur. Poſtquam autem accuſatus fuerit, & minime condemnatus, quæ „ improbitas, quæ iniquitas eſt, optimo ſpreto judicio „ perſeverare illum apud vulgus rerum imperitum traducere?

„ Etſi autem ob unum Noriſium tam gravi injuria „ affectum, Pontificeſque Romanos, & Cardinales a „ Colonia contemptui habitos ſatis juſte apparet Bibliothecam Janſeniſticam fuiſſe proſcriptam; cave putes alias deeſſe cauſas cur damnari oporteret. Quid „ enim, ut aliquas ſpeciminis loco commemorem, quid „ peccavit Cardinalis Bona, quid Epiſcopus Genettus, ut hos quoque Colonia Janſeniſtis conſociaret? „ Cardinalis Bonæ, ait Colonia, damnata Romæ fuit „ Epiſtola quædam. Quæ Bonæ Epiſtola? Scilicet illa, quæ ſcripta ad Philalethem Eupiſtinum, Bonæ revera ſit, anne ſit dubitare ſe dicit. At non „ erat profecto cur Colonia dubitaret. Hanc Bona vere ſcripſit Epiſtolam ad Philalethem, quo nomine latet Theologus Belga neſcio quis, cujus ſcripta vindicaverat a cenſura Cardinalis doctiſſimus. Sed cum „ in eam Epiſtolam Anonymus quidam, idemque Moliniſmi ſuſpectus commentationes quaſdam parvo libello vulgaſſet, hunc, non Epiſtolam Bonæ, Romana damnavit Inquiſitio, propterea ſic in Indice: *Liber, cui titulus Epiſtola ſub nomine Eminentiſſimi D. Jo. S. R. E. Cardinalis Bona approbans doctrinam Philalethis Eupiſtini*. Nunc adverte animum. Agitur „ de viro inſigni, de Cardinali Bona, Hæreticis annumerando; & hac utitur diligentia Bibliothecæ „ Janſenianæ Collector: qua putas uſum fuiſſe, cum „ tot alios minorum gentium Theologos in eam conjecit?

„ Dignus etiam Genettus erat, qui inter Janſeniſtas „ non cenſeretur. Hunc ad ſcribendum Moralem Theologiam impulere, ut conſtat inter omnes, Camuſius, „ & Grimaldus Cardinales. Ad id vero, quod cœperat, perſequendum hortatus vehementer eſt qui tum „ Indicis Congregationi erat a ſecretis. Ejus Theologiam probavit Romæ Cardinalis Capiſuccus cum „ eſſet ſacri Palatii Magiſter: editas vero contra primum, & alterum Volumen animadverſiones reprobavit Sacra Inquiſitionis Congregatio. Eandem vero „ Theologiam doceri voluit in Seminario Montis Faliſci celebris, ac Venerabilis Cardinalis Barbadicus. „ Hæc, quæ typis vulgata neminem latere poterant, „ unus ignoravit Colonia, Genettumque cum Janſeniſtis conjunxit. Accipe cauſam. Abeſt ille quidem „ doctiſſimus Epiſcopus ab omni Janſeniana pravitate „ quam longiſſime; at quia Probabiliſmum refellit, „ mollioreſque Caſuiſtas inſectatur, par eſt ut in Janſeniſtis numeretur. Itane vero agendum cum Noriſio, cum Bona, cum Genetto? Itane cum ſanctiſſimis Epiſcopis, & Cardinalibus, ut aliorum Ordinum Theologos, Scriptoreſque prætermittam?

„ Quid ego tamen Epiſcopos, & Cardinales commemoro? Habeto, quoniam in hunc locum perveni, „ reverentiæ, egregiæque fidei Bibliographi Janſeniſtarum cum de Sanctis Eccleſiæ Doctoribus ageretur „ exemplum unum & alterum. Statuit a damnata Richerii doctrina nihil diſtare Favuellum. Noſti quamobrem? Quod doceat: *pertinere ad multitudinem leges „ condere, vel ad eum qui curam habet multitudinis*. „ Quid ſi conceptis verbis idem doceat Thomas Aquinas? Quid ſi Aquinatem omnes ſequantur Theologi, Juriſque periti? Vides aut ſummam inſcitiam, „ ſi hæc ignoravit, quæ omnibus Theologis ſunt in „ ore; aut, ſi non ignoravit, ſummam improbitatem, „ quod per eum, qui expreſſam afferebat Sancti Thomæ „ ſententiam, conatus eſt Angelicum Doctorem in numerum referre Janſeniſtarum. Horum utrum ſit, pete a Colonia.

„ Idem te docebit, quid ſibi velit, cum relata Romanis litteris hac Epiſcopi Caſtorienſis propoſitione: „ *Catholici colunt Sanctos in cælo commorantes eodem „ modo, quo colunt Sanctos hic in terra exulantes*, abſurdum eſſe pronunciat, eique Calvinianos omnes „ non ægre ſubſcripturos aſſeverat. Utinam vero tam „ parati, atque Colonia ſibi fingit, aut credit, forent „ omnes Calvinianæ Sectæ homines ad ſubſcribendum „ huic ſententiæ. Et miror ſane, virum catholicorum „ dogmatum tam imperitum, quique per ſummam inſcitiam, quæ Eccleſiæ Romanæ propria ſunt, putat „ eſſe Calvinianæ, auſum eſſe ſe ſe ad ſcribendum conferre, docendumque, ut ipſe pollicetur, & jactat, „ populum Chriſtianum, qui poſſit Evangelium Chriſti ſecernere ab Evangelio diaboli. At ſi erat ipſe „ Evangelii Chriſti tam imperitus, ut plane confunderet cum Evangelio Diaboli, debuerat prius Bellarminum legere inſtituti ſui Theologum, quam in publicum prodiret ad dedocendos Chriſtianos doctrinam „ Catholicam. Ex eo didiciſſet, in eo errore fuiſſe „ Calvinum, ut omnem cultum civilem, ac religioſum Sanctis in cælo negaret adhibendum; neque tam „ facile, ut aſſeverare audet, Calviniſtas ſubſcripturos „ propoſitioni Epiſcopi Caſtorienſis, quæ vera, quæ „ Catholica eſt, quæque ab omnibus docetur Eccleſiæ „ Romanæ Theologis. Age vero: quo nititur Epiſcopus Caſtorienſis auctore? Cujus adhibet verba? „ Nonne ipſam recitat Auguſtini ſententiam? Nonne „ hic illius propoſitionis eſt auctor graviſſimus? Sic „ eſt: nihil horum non vidit, aut videre Colonia non „ debuit: ſed non putavit Evangelium Chriſti recte „ poſſe ſecerni ab Evangelio Diaboli, niſi D. Thomam cum Richerio, cum Calvino conjungeret Auguſtinum. Ecquæ non erunt, ſi hæc non ſunt, errata; „ quæ abſurda, ob quæ tandem debeat liber aliquis „ malis annumerari, atque inter pernicioſos referri? „ Horum tamen Coloniæ peccatorum, ejuſque malæ „ fidei, inſcitiæque exemplorum videbis propediem mirificam copiam, ſi, quod magnopere ſuadeo, volet „ amicus meus, qui collegit, in vulgus edere. Quare „ mitto modo de ceteris ejus multis, & magnis erratis dicere, de quibus dicetur ab amico copioſe, & „ accurate.

„ Ad hæc pauca tamen quæ commemoravi, neſcio „ quid poſſit Auctor Epiſtolæ reponere, niſi, quod in „ ea facit, eo confugiat: Coloniæ fuiſſe conſilium recenſere in eo libro non ſolum certos, & minime dubios Janſeniſtas, ſed eos etiam, qui inſimulati, aut „ in ſuſpicionem erroris vocati aliquando fuerunt; propterea Noriſium, Genettum, ceteroſque horum ſimiles non prætermiſiſſe. Sed quid Colonia, quid Auctor „ Epiſtolæ diceret, ſi quiſpiam concinnata Bibliotheca „ Pelagiana, aut Semipelagiana, in ea Molinam, qui „ apud ſanctam Sedem accuſatus hujus hæreſis eſt, nequedum innocens a judicio dimiſſus, reponeret? „ Quid ſi Vaſqueſium a Suareſio, atque hunc viciſſim „ a Vaſqueſio in ejuſdem hæreſis ſuſpicionem adductum, deinde horum duorum, & Molinæ omnes „ Diſcipulos Semipelagianis accenſeret? Placeretne conſilium, quod ille habuiſſe ſe diceret patefaciendi cum „ certos, tum dubios, & ſuſpectos Semipelagianos? „ Ego vero quin expectem quid iſto ingenio homines „ dicturi pro Molina ſint, ſatis intelligo conſilii Co-

„ loniæ

„ loniæ *improbitatem*, quæ una cauſam continet, cur „ *Bibliotheca* Janſeniſtica proſcribatur. Non enim „ *hodie* parum abeſt, quin accuſetur, vel in ſuſ„ picionem vocetur, ſed accuſatur reipſa, & in ſuſpi„ cionem Janſeniſmi vocatur quicumque repudiato, ut „ licet, ac decet, Molina, doctrinam tuetur ſanioris „ ſcholæ Auguſtinianæ, vel eas, quas ſupra indicavi, „ Lovanienſis Academiæ veſtræ opiniones defendit. In„ credibilis eſt enim omnium imperitorum accuſandi „ libido, qui jam pene in Symbolo Apoſtolorum vi„ dentur ſibi Janſeniſmum videre; neque poſſum non „ mirari Cardinali Thomaſio viro ſancto, atque eru„ ditiſſimo, qui Laderchio in ſuſpicionem venit Janſe„ niſmi, Coloniam peperciſſe. Dignus ſcilicet erat qui „ cum Noriſio, & cum Bona in ejus Bibliotheca con„ jungeretur. Itaque ſi, ut quiſpiam locum habeat in „ Bibliotheca Janſeniſtica, ſufficit eum ſemel accuſari, „ aut in ſuſpicionem adduci Janſeniſmi, illi uni locum „ non habebunt, qui Molinam ſequuntur, illi uni, qui, „ quæ Molinianis non placent, oderint opiniones. Fac „ enim, ut ſignificantius, quod volo, dicam, eſſe in „ aliqua Civitate Epiſcopum Molinianis devotum opi„ nionibus; quot, bone Deus, erunt in eadem Janſe„ niſtæ! Erunt omnes Auguſtiniani. Erunt omnes Do„ minicani, ceterique Thomiſtæ. Erunt omnes qui „ Molinæ nollent aſſentiri. Quid ego tamen Moliniа„ num Epiſcopum quæro, ut tibi quam facile Janſe„ niſmi confletur invidia demonſtrem? Vide quid agant, „ cum purioris Auguſtinianæ Scholæ ſunt Epiſcopi im„ buti doctrina. Nonne hos ipſos audaciſſime oppu„ gnant, & calumnioſe traducunt? Non ignoras tu „ quidem quæ acta non ita pridem ſunt adverſus Tu„ ronenſium Archiepiſcopum virum doctiſſimum, im„ primiſque ſtudioſum Sedis Apoſtolicæ. Hunc, quod „ edita de juſtitia chriſtiana paſtorali inſtitutione quaſ„ dam docere videretur Auguſtinianas opiniones, & „ malignis cenſuris, editiſque libellis furioſiſſime appe„ tiverunt, & Conſtitutionis *Unigenitus* violatorem, „ fautoremque Baji, & Queſnelli inſimulare non dubi„ tarunt. Vicit quidem, repreſſitque importunos ac„ cuſatores doctiſſimi Præſulis innocentia, & cauſæ „ bonitas, idem tamen duobus, aut ſummum tribus „ abhinc annis in Bibliotheca Janſeniſtica, ſi tum qui„ dem edenda foret aucta, ut tertio jam, vel quarto „ factum eſt, novis Janſeniſtis procul dubio compare„ ret. Quidni? Accuſatus aliquando fuit: non omit„ tendus idcirco ab iis qui recudendæ, augendæque Bi„ bliothecæ curam ſuſciperent. I nunc, & viſo ne his „ quidem parci ſummis, & ſanctiſſimis viris dum vi„ vunt, ſpera, ſi potes, tutum a periculo fore quem„ quam alium privatorum hominum, nacti cum fue„ rint hi malitioſi Janſeniſtarum Cenſores ſuarum par„ tium Epiſcopum.

„ Poteſt etiam, quid cuiquam timendum ſit, ex eo „ cognoſci, quod non ita pridem accidit Berto cl. Au„ guſtiniano Theologo. Noſti? Ne illi quidem, qui „ Romæ ſcribunt, quorumque ſcripta a Magiſtro Sacri „ Palatii, & ab iis, quibus ipſe mandat, doctiſſimis „ Theologis probata fuere, tuti ſunt a calumnia. Et „ tamen non facile eduntur Romæ libri, qui poſſint „ hæreſis merito accuſari, & miror, cum accuſantur, „ Romæ taceri. Sed de Berto dicam poſtea. Intellige „ modo quam parum pro ſano reſpondeat Epiſtolæ „ Auctor, cum propoſitum Coloniæ fuiſſe dicit, non „ ſolum certos, ſed etiam ſuſpectos, & ſemel accuſa„ tos Janſeniſmi in ſua Bibliotheca recenſere: quaſi „ vero in tanta accuſandi licentia, quanta nequit ver„ bis exponi, quantamque in dies videmus percrebeſce„ re, ferri æquo animo poſſet, eſſe unum, qui accu„ ſationes monumentis mandaret litterarum, atque ita „ mandaret, ut accuſationes ſæpe probando, nunquam „ refellendo, aceuſatorum autem præjudicia, inſcitiam, „ malitiam, & partium ſtudia ſemper prætereundo, „ numquam innocens appareret qui ſemel fuerat accu„ ſatus.

„ At non erat, inquit ille, Coloniæ expectandum „ Sedis Apoſtolicæ judicium, ut quæ Noriſio, Genet„ to, aliiſque Scriptoribus contigerunt, narraret: qua„ re nihil, ſi narravit, contra Sedem Apoſtolicam „ peccaſſe videtur. At ſi narrare tantum volebat, & „ rei litterariæ Hiſtoricum agere, cur in Bibliothecæ „ proœmio denunciavit id ſe præſtiturum, ut antidotum „ paret Chriſtianis, impuroſque fontes ac veneno illi„ tos, qui jam multos infecerunt, commonſtret? Cur „ addidit, velle ſe omni perſonarum generi regulam „ exhibere, qua triticum a zizaniis, & Evangelium Chri„ ſti ab Evangelio diaboli ſecernant? Erat ne operæ „ pretium hæc præſtare volenti viros Catholicos & „ Scriptores innocentiſſimos cum Hæreticis confundere? „ Nonne ſic triticum cum zizaniis, Evangelium Chri„ ſti cum Evangelio diaboli magis confunditur, eo in „ libro, in quo regula parabatur, qua facile ſecernerен„ tur? Fuerunt, inquit Colonia, ejuſque vindex, illi „ quoque accuſati Janſeniſmi, & propterea id quoque „ Lectoribus narrandum. At regulam præbere qui vult „ omni generi perſonarum, qua Evangelium Chriſti ſe„ cernant ab Evangelio diaboli; non id attendere de„ bet, utrum aliqui accuſati Janſeniſmi fuerint, ſed „ magis utrum reipſa Janſeniani ſint: nam ſi revera „ non ſunt, dum in eorum cenſum referuntur, ea pro„ poſita regula, turpiter decipitur, cum vult doceri, „ populus Chriſtianus. Itaque cognoſce improbam frau„ dem, & compoſitum horum Scriptorum ad fallendum „ ingenium. Vidit Colonia, ſi Noriſium, alioſque vi„ ros Catholicos in Bibliotheca ſua reponeret, futuros „ qui id vehementer reprehenderent, & violata eſſe „ dicerent Romanorum Pontificum Decreta: quare vel„ le ſe dixit, non ſolum eos qui ſunt, ſed eos etiam „ qui eſſe Janſeniſtæ viſi ſunt, & in ſuſpicionem hujus „ Hæreſis aliquando adducti, in Bibliotheca Janſeni„ ſtica reponere. Quo facto duo conſequebatur, nam „ erat, quod reprehenſoribus reſponderet, ſe, quod „ Romani Pontifices non prohibuiſſent, narrare, eos „ Scriptores fuiſſe aliquando Janſeniſmi ſuſpectos; una„ que efficiebat, ut hæc in animis Lectorum perpetuo „ hæreret ſuſpicio, cum, declarato regulam ſe velle „ præbere quam indicavimus, & Scriptores illos Jan„ ſeniſtis adnumerando, ſignificaret, quidpiam ei regu„ læ, quam conſtituerat, abfuturum, ſi eos præter„ mitteret, eſſeque in iis aliqua zizania, & partem „ aliquam Evangelii diaboli. Hoc enim efficere Bi„ bliotheca Janſeniſtica debebat, ut qui ſemel accuſa„ tus Janſeniſmi fuerat, numquam innocens judicare„ tur. Jam vero quis erit innocens, ſi ſemel accuſaſſe „ ſufficiat?

„ Vide parem in Auctore Epiſtolæ improbitatem. „ Colonia, inquit, nihil aliud egit, quam quæ No„ riſio contigerunt, referre. Idem paullo poſt, ſacræ „ Indicis Congregationis Decretum conſiſtere non poſſe, „ & nauci fieri debere impudentiſſime blaterat: *Nam „ ſi Decreto*, inquit, *huic ſtamus, ab omni Janſeniſmi „ ſuſpicione vacat Noriſius, Serry, aliique id genus „ homines. Adfirmabunt alii a P. de Colonia injuria „ Janſenianis adnumerari Abbatem S. Cyrani, Arnal„ dum, Nicolium, Paſcalem, Juveninum, ceteroſque „ ad unum omnes, Romamque hos quoque ab Janſenii „ nota vindicaſſe, dum Bibliothecam illam legi vetuit.* „ Intelligis modo quo pertineant eorum, quæ Scripto„ ribus contigerunt, malitioſæ narrationes? Non enim „ obſcure loquitur. Velit nolit Pontifex, velint nolint „ Romanæ Inquiſitionis, & Indicis Cungregationes, „ non vacat a Janſeniſmi ſuſpicione Noriſius: neque „ magis eum poterit Roma vindicare, quam Sancyra„ num, Arnaldum ceteroſque Janſeniſtas. Sic eſt, ſi „ Pontificum opponis Decreta, reſpondent ſe, quæ in „ cauſa Noriſii acta ſunt, referre. At ſi Romæ Biblio„ theca damnatur, Decretum nullum eſt: *Nam ſi huic „ ſtamus, ab omni Janſeniſmi ſuſpicione vacat Nori„ ſius.* Hæccine a Romanis Judicibus diſſimulanda, ac „ ferenda?

„ Huic autem incredibili arrogantiæ, his molitioni„ bus, non potentiæ Dominicanorum, non eorum in „ Jeſuitas livori debuerat maledicus Scriptor damnatio„ nem aſſignare Bibliothecæ Janſeniſticæ. Neque enim „ tantus ſtupor, torpedo tanta ſapientiſſimos Cardinales „ occupavit, ut, cum ipſi habiti ſint a Colonia con„ temptui, vellent potius Dominicanorum, ſi quis eſ„ ſet, ſervire livori, quam ſui Ordinis dignitatem tue„ ri. Nemo tamen non videt hæc ab homine profliga„ tæ conſcientiæ, procaciſque animi jactata impuden„ ter fuiſſe ad conflandam Dominicanis invidiam. Sed „ ego Dominicanos omitto, qui, ſi putabunt e re, ac „ dignitate ſua eſſe obſcuro ineptoque Scriptori, ejuſ„ que maledictis animum advertere, defendent ipſi ſe, „ defendent ſuos. Docebunt Auctorem Epiſtolæ, quam„ obrem non Graveſonius, non Concina, non alii da„ mnentur, & doceri ab eo volent, num quiſquam al„ terius Inſtituti, dignus qui damnaretur, accuſatus „ propterea a ſuis fuerit, veluti Serrius ab Agnano „ Dominicano Bibliothecæ Caſanatenſi olim Præfecto. „ Non enim ſatis illis fuit Serrium, cum erravit, a „ Lucinio, & Vandendyckio item Dominicanis publice „ refelli; ſed viſum eſt præterea fore glorioſum ſibi, ſi „ accuſarent ipſi, & darent operam, ut damnaretur. „ Abundant illi hujus erga veritatem, erga Eccleſiam „ amoris, vindictæque in ſuos pulcherrimis exemplis, „ quæ non facile apud eos invenias, qui cum ſoli ſibi „ ſapere videantur, errantes Sodales ſuos etiam adver„ ſus Apoſtolicæ Sedis judicia magno Eccleſiæ ſcanda„ lo pervicaciter, impudenterque defendunt. Hæc con„ ſideranda prius fuerant Epiſtolæ ſcribillatori, quam „ compilatis ex proſcripto Theophili Raynaudi Opu-

„ ſculo

„ ſculo eos laceſſeret maledictis, rancidiſque cantilenis, „ quæ nemo ſtomachans non legit, ſciens a malevolo „ obtrectatore eſſe profecta. Si autem livoris eorum „ nimiæque potentiæ alia non affert exempla, quæ „ numquam afferet; hoc certe damnatæ Bibliothecæ „ Janſeniſticæ, & hujus quodcumque ſimile numquam „ officiet gloriæ, & moderationi Dominicanorum, quo- „ rum opera ſane utili, fideli, & ſincera ſemper uſæ „ ſunt Romanæ Congregationes. Expectare autem a „ Dominicanis, ut minime malos ſuorum libros pro- „ pterea ſolum quod uni & alteri diſplicent, accuſent „ ipſi, aut, quantum in ipſis eſt, patiantur ab aliis „ accuſari, & prohiberi, injuſtum eſt, ac plane ridi- „ culum. Quandoquidem autem Concinæ vehementer „ iraſcitur, quæſivi quid rei eſſent paradoxa, quæ il- „ lum tantopere urunt, ac ſollicitum habent. Væ! „ non Concinæ, ſed iis, qui vellent eum damnari, ſi „ liber iſte ad Romanam deferatur Inquiſitionem. In- „ telliget Congregatio Eminentiſſimorum Judicum qui „ ſint impudentiſſimi contemptores Decretorum ſuo- „ rum.

„ Multo etiam, meo judicio, melius feciſſet, ſi Ber- „ ti Auguſtiniani Theologiam ſilentio præteriiſſet, de „ qua magis incorrupte Romanos Cenſores judicaſſe „ puto, quam ii judicarint, qui eam Janſeniſmi, & „ Bajaniſmi inſimularunt. Bertus, ſcripta Apologia, „ Commentarios ſuos ab omni criminatione ſtrenue „ vindicavit, oſtenditque ab omni Baji, Janſeniique „ errore vacuos eſſe, perinde ac vacua cenſetur eſſe „ multorum Societatis Jeſu Theologorum, & Galliæ „ Epiſcoporum doctrina. Hanc Apologiam probavit „ Ricchinius, quem Auctor Epiſtolæ contumelioſum „ fuiſſe arguit contra Archiepiſcopum Viennenſem, „ quem libri contra Bertum ſcripti fuiſſe dicit aucto- „ rem. Id ſi verum ſit, neſcio plane quam apud eum, „ qui latere ſtuduerat, gratiam inire poſſit: eo præ- „ ſertim quod ab tali viro Sedis Apoſtolicæ maxime „ ſtudioſo, & cum Chriſtianæ modeſtiæ, tum veritatis „ amantiſſimo credi non poterat ſcriptum cum Scho- „ læ Auguſtinianæ, ejuſque Theologis, tum Romanis „ Cenſoribus tam injurioſum eſſe profectum. Romæ „ certe ferebatur, atque etiamnum a pleriſque creditur „ ejus libri auctor Epiſcopus Rutenenſis Theologus „ Molinianus; neque poterat Ricchinius, contra quam „ omnibus fere erat perſuaſum, divinare, non huic, „ ſed Archiepiſcopo Viennenſi eſſe attribuendum. Pot- „ erat autem? Ne nunc quidem poteſt. Nam quæ „ prudentia eſt Anonymo Eccleſiæ Decretorum viola- „ tori fidem adhibere? Hoc etiam ad cetera mala deeſ- „ ſet, ut revereri deberemus omnes Anonymos, qui „ ſcripto laceſſunt, eoſque Epiſcopos, aut Archiepiſco- „ pos eſſe putare, quo liberior, & ſecurior campus „ pateret Molinianis ad optimum quemque injuriis, „ contumeliiſque impune oppetendum. Fac tamen Au- „ ctori Epiſtolæ fidem eſſe adhibendam. Quid amplius „ dixiſſe invenies & quidem parce Ricchinium quod „ Bertus ipſe uberius in ſua Apologia, luculenterque „ demonſtrat? Sed hæc ad cauſam non attinent. Illud „ tamen animadverte, quo reprehenſionem concludit „ Anonymus: *Ita ſcilicet Ordinem Epiſcopalem reve-* „ *retur Ricchinius*. Næ dignam tali monitore ſenten- „ tiam! An non tibi videtur ſatis idoneus ad docendos „ alios erga Ordinem Epiſcopalem reverentiam? qui „ Pontificem, qui Cardinales, qui Romanas Congre- „ gationes horrendum in modum contempſit, earum „ Adminiſtrum commonefacit, ut Ordinem Epiſcopa- „ lem revereatur. Quid facias tam lepido capiti?

„ Puto tamen Ricchinium qua eſt probitate, ac re- „ ligione hunc ordinem revereri. Atqui multo magis „ Decreta Innocentii XII. Clementis XI. itemque XII. „ digna erant, quæ Auctor, quicumque ſit, Libri ad- „ verſus Bertum editi revereretur, neque contra quam „ illi ſanxerunt, Auguſtinianam Scholam inique tradu- „ ceret, ejuſque præclaros Theologos Baji, Janſenii- „ que diſcipulos, & Auguſtini *Filios ſpurios* contu- „ melioſe appellaret. Cupio videre licuiſſe Anonymo „ juſſa Romanorum Pontificum procaciter contemnere; „ non licuiſſe Berto, non licuiſſe Ricchinio contra con- „ temptorem mutire.

„ Unum reſtat, ut qualem fructum ex hac larvati „ Sorbonici Epiſtola percipiat Hæreſis Janſeniana dili- „ genter attendas. Equidem cœpta eſt hæc Hæreſis, „ cum primum damnata fuit, plurimum a Catholicis „ juvari. Nam quæ odio, ut par erat, habita ab o- „ mnibus fuiſſet, planeque concidiſſet, ſi in iis, in „ quibus erat, oppugnata fuiſſet; improborum opera „ in viros Catholicos, & egregios Scriptores malitioſe „ translata exui quodammodo deformitate cœpit, & „ minus, quam reipſa eſt, pernicioſa judicari. Veri „ Janſeniſtæ, non hebetes illi quidem, ſed vafro, acu- „ toque ingenio, quod viderunt quanti ſua intereſſet, „ hæreſim quam tuerentur, non modo ab ſe, ſed et- „ iam a noſtris communem prædicari cum Catholicis „ Scholis, ſibi non defuerunt, quin diligentiſſime effi- „ cerent, ut cauſæ ſuæ horum improborum malitia „ prodeſſet. Ergo viam, quæ illis commonſtrata a „ noſtris fuerat, ſecure inſiſtentes modo ſocietatem, „ conjunctionemque doctrinæ ſuæ cum Scholis Catho- „ licis prædicare; modo liberius jactare, phantaſma „ eſſe Janſeniſmum; atque ipſius hæreſis, qua com- „ puncti fuerant, nullum præſeferre pudorem: quæ res „ non iis male procedere videbantur. Nam qui pote- „ rant minus docti, imperitumque vulgus non facile „ putare, phantaſma eſſe Janſeniſmum, cum perſpice- „ rent eorum pleroſque, qui Janſeniſmi a Scriptoribus „ Catholicis inſimulabantur, magnos eſſe in Eccleſia, „ ac ſummis etiam honoribus perfungi? Quem vero „ Arnaldi, Queſnellique fautorem pudere poterat Jan- „ ſeniſtam vocari, cum perpetuo audiret, eo nomine „ appellari Cardinales aliquos, Epiſcopos plures, do- „ ctiſſimos ſine numero variorum Ordinum viros? „ Quid quæris? Nequiſſimo conſilio ſubventum eſt „ Sectæ Janſeniſtarum. Nam cum alia quavis hæreſi „ damnata, princeps ſemper cura fuerit quam plури- „ mos eidem eripere, hac Janſeniſtarum proſcripta, „ laboratum eſt maxime, quam plurimos in eam con- „ jicere. Hoc autem tantum malum, quod optimo „ conſilio minuere pro viribus conati fuerant Annatus, „ Decampus, Sanſelicius, aliique Societatis Jeſu Pa- „ tres, & Theologi doctiſſimi, majorem in modum „ auxit Colonia, & perennari ſtuduit eo in libro, in „ quo omnium Ordinum multos, & magnos viros Jan- „ ſeniſtis annumerando, Sectam deterrimam multo ma- „ xime illuſtrem reddidit, effecitque ut multo inſolen- „ tius, quam pridem feciſſent, jactare poſſent Janſe- „ niſtæ, ſe cum præclaris Thomæ, atque Auguſtini „ diſcipulis commune habere fatum, & cauſam. Hunc „ librum, quo bonæ cauſæ plurimum detrimenti affe- „ rebatur, damnavit non ita pridem ſacra Indicis Con- „ gregatio, effecitque Decreto ſuo, ut omnes intellige- „ rent, nihil eam hæreſim habere commune cum Scho- „ la D. Thomæ, Divique Auguſtini, & horum ple- „ roſque diſcipulos per ſummam injuriam cum Janſe- „ nianis fuiſſe conſcriptos. Hoc Romæ declarato, ja- „ cent homines Janſeniani, deſtitutique magno præſi- „ dio, quod habebant in ſocietate illuſtrium Theolo- „ gorum, non poſſunt amplius tegere ſe ſe, & ullam „ apud imperitos cum Catholicis Scholis jactare con- „ junctionem. Sed ecce tibi audax Congregationis cri- „ minator, qui Colonia, quantum in ipſo eſt, vindi- „ cato, ac reſtituto, non patitur tantum beneficium „ eſſe diuturnum, neque veretur iterum Janſeniſtas eri- „ gere, eodemque ſubſidio, quo eos Colonia firmarat, „ roborare. Non ille Janſenianam veritatis zelo hære- „ ſim odit, ſed iniquo fert animo in ea non eſſe No- „ riſium, non eſſe Bonam, non eſſe Genettum, non „ ceteros eſſe Scriptores noſtros, quos eſſe voluit Colo- „ nia: quaſi una ſit via ad Hæreſim Janſenianam op- „ pugnandam eam in optimos quoſque Eccleſiæ Roma- „ næ transferre Theologos. Nam quod ipſe, damnata „ Bibliotheca Janſeniſtica, Noriſioque, & aliis Catho- „ licis viris a calumnia vindicatis, veretur ne res haud „ male Janſenianis procedat, agnoſcis quam ſit non „ ſolum, ut demonſtravi, temerarium, ſed etiam ina- „ ne, & longe petitum. Quid timet autem? Non de- „ futuros, ait, qui, Noriſio vindicato, dicant Sancy- „ ranum etiam, ceteroſque Porturegienſes injuria a „ Colonia fuiſſe in Bibliotheca repoſitos, & hos quo- „ que a Janſeniſmi cenſura vindicatos. Non puto „ quemquam inveniri tam pingui, ſtolidoque ingenio, „ ut ei cadere in cogitationem poſſit, utrum, vindica- „ to Noriſio, Arnaldus etiam, & Sancyranus vindi- „ cati cenſendi ſint a Janſeniſmi cenſura. Fac tamen „ eſſe, qui ſic, ut ſomniat Auctor Epiſtolæ, velit de- „ ſipere. Quale tandem peccatum erit reſpondere: Bi- „ bliothecam Janſeniſticam non eſſe normam Catholi- „ corum, non unum eſſe Coloniam, cui neglectis ve- „ ris Magiſtris auſcultare debeat populus Chriſtianus, „ atque ex eo quæ vitanda ſunt diſcere vitare? Qua- „ le, ſi addamus, Romanos eſſe Pontifices, eſſe Car- „ dinalium Congregationes, quæ, qui ſint veri Janſe- „ niſtæ eorumque errores doceant, & commonſtrent; „ Coloniam denique privatum eſſe Scriptorem, nullius „ nominis Theologum, imperitum Catholicorum dog- „ matum, falſumque in recenſendis Janſeniſtis eſſe? „ Ceterum tot jam ſunt a Sede Apoſtolica in veros „ Janſeniſtas lata decreta, ut illi tergiverſari non poſ- „ ſint, multoque minus, damnato Colonia, eniti late- „ re. Quid igitur? Deſinent tandem aliquando deſipe- „ re Janſeniani? Nihil minus. Contemnent magis, „ magiſque Romæ Decreta, eoſque quemadmodum con- „ temnere poſſint, docuit omnium optime Epiſtolæ

„ Auctor

„ Auctor exemplo, dictoque, præsertim cum audeat „ effutire: *Catholicorum cum Jansenistis controversiam, „ eo demum verti, utrum quinque propositiones quo ab „ Ecclesia damnatæ sunt sensu, revera extent in Jan- „ senii libro*. Negant quidem extare Jansenianí; non „ in eo tamen sita est omnis eorum cum Catholicis „ controversia. Quod eo dico, ut hujus Censoris agno- „ scas insciti am. Arripient tamen, quod ille tribuit, „ Jansenianí, & audito Romanum Pontificem idem „ sæpe declarasse, audacius multo, quam antea respon- „ debunt, extortum fraudibus, & insidiis fuisse Jansse- „ nii damnationis Decretum; circumventum fuisse Pon- „ tificem, illusum Cardinalibus. Num hæc, inquient „ illi, accidere Romæ possunt, cum damnatur Colo- „ nia, non item possunt, cum damnatur Jansenius? „ Aut longe difficilius putatur esse, quid Colo- „ nia peccarit, atque utrum Pontificum Decreta vio- „ larit, agnoscere, quam Jansenii sensum in ejus li- „ bris investigare? En arma quæ parata Jansenistis „ sunt ab Auctore Epistolæ: quibus si utantur, nescio „ plane quid a nostris reponi possit, nisi illud respon- „ deatur, exisse, cum hæc scriptitaret, de judicio, de „ mente Romanæ Congregationis criminatorem. Ne- „ que vero potest quin plane exierit, cum non animad- „ verterit, se se ita scribendo vicisse temeritatem omni- „ um Jansenistarum, atque effecisse exemplo suo, ut „ deinceps omnem, si quis in eis superesset, abiicerent „ pudorem.

„ Ut autem nihil deesset ad summam impudentiam, „ neque solum Jansenianos, sed etiam omnes improbos „ incitaret, impelleretque ad Indicis Congregationis „ contemptum, libros que ab ea proscriptos impune le- „ gendos, insinuavit quoque illud Menagii: *Notabitur „ Romæ, legetur ergo*. Non desunt, qui illud usur- „ pent, profligatæ conscientiæ homines; & non dee- „ runt deinceps multo plures, cum videant esse Theo- „ logos, qui illud suggerere, atque probare non du- „ bitent. Horum, horum opera visæ sunt deterrimum „ in modum sperni Romanæ Congregationes; & non „ solum legi, sed etiam furtivis typis iterum edi in I- „ talia, vulgarique libri, quos illæ damnarunt. Sed „ hæc viderint illi, quorum interest salvam esse, nihil- „ que ex improbitate malorum detrimenti capere Chri- „ stianam Rempublicam.

„ Nos, quando tam multi sunt hæretici homines, „ qui hanc Apostolicam Sedem inique contemnunt, „ ac maledictis insectantur, Deum precemur O. M. ut „ ei saltem omnes obsequantur, & pareant, qui Ca- „ tholicorum nomine ac religione censentur, ejusque „ sanctiones, qua par est reverentia, excipiant ii cum „ primis, qui *cæca quadam obedientia se se amplecti* „ prædicant *quidquid Roma decreverit*; unaque effici at „ ut ad sanitatem redeant refragatores, sibique dictum „ accipiant a Spiritu Sancto: *Non judices contra judi- „ cem, quoniam secundum quod justum est judicat*. „ Tum illud intelligant: Quasi peccatum ariolandi est „ repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquie- „ scere.

Datum Romæ pridie Idus Martii MDCCL.

§. XXIV.

De Michaele Molinosio.

MIchael de Molinos Hispanus Presbyter patriam habuit Cæsaraugustam in Aragonia. Insignis hypocrita fuit, tantamque vultu habituque modestiam, ac simplicitatem effingere studuit, ut plurimorum animos, Romæ præsertim, multorum annorum spatio sibi conciliarit, & pestilentissimis erroribus infecerit. *Cujusvis infamiam*, inquit Pacichellius, qui ea tempestate scribebat, Tom. I. Epistolar. Familiar. *longe superavit damnatissimi nominis Michael Molinos, natione Hispanus, patria Aragonius. Viginti & duobus annis, quibus Romæ vixit, stabiliendæ Quietistarum hæresi, quam ipse commentus est, sedulam navavit operam a subornatione sequioris sexus, uti hæreticis semper solemne fuit, auspicatus. Propriam annihilationem (sic enim loquuntur vulgo) qua media Deo uniri possit anima, & quiescere, minime sollicita de his, quæ corpori obveniunt, summopere inculcabat, qua in re nimirum doctrinæ suæ cardinem constituit. Ex hoc principio veluti fonte hauriebat, nullum actum animæ positivum aut præmio aut pœna dignum esse, cum nec anima nec ejus potentiæ annihilatæ cooperentur. Hinc facilis in omne scelus, omnemque voluptatem ruina. Capto Molinos anno MDCLXXXVII. propositionibus, quas se promulgasse fassus est, ad examen a fidei Quæsitoribus coram Cardinalibus & Summo Pontifice vocatis, orationis methodum, quam profitebantur Quietistæ sic dicti a quiete, ob quod & Sectæ nomen adhæsit, damnavit S. Sedes simul cum sexaginta octo numero propositionibus, hæreseos, scandali, & blasphemiæ. Jussu etiam Summi Pontificis Innocentii XI. cuncta ejus Opera flammis adjudicata sunt. Coactus ipse Molinos de pegmate erecto in Templo Dominicanorum S. Mariæ super Minervam in Urbe, coram Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Senatu palinodiam canere, ad perpetuos carceres damnatus fuit. Fertur illum serio pœnitere criminum sexagesimum ætatis annum agens. Nativa, qua pollebat, dicendi facultate, aliisque artibus ita plurimis imposuit, ut sanctus haberetur, licet vitam fœdissimis erroribus contaminatam duxerit. Per duodecim integros annos crimina apud Sacerdotem nunquam deposuit, quum a Sacris faciendis non abstineret. Quatuor millia aureorum, & duodecim millia Epistolarum, quarum ope Sectatores ejus innotuerunt, reperta sunt in ejus scriniis* &c. Ita Pacichellus oculatus testis. Sed operæ pretium fuerit Innocentii XI. heic Constitutionem, qua Molinosii errores proscribuntur, exscribere, ut cum hujusce Sectarii errorum historia, tum nequitia luculentius dignoscantur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

„ CÆlestis Pastor Christus Dominus, ut jacentem „ in tenebris mundum, variisque gentium erroribus involutum a potestate Diaboli, sub qua misere „ post lapsum primi Parentis tenebatur, sua ineffabili „ miseratione liberaret, carnem sumere & in ligno Cru- „ cis chirographo Redemptionis nostræ affixo in testi- „ monium suæ in nos caritatis se se hostiam viventem „ Deo pro nobis offerre dignatus est: mox rediturus in „ cælum Ecclesiam Catholicam sponsam suam tanquam „ Civitatem sanctam Hierusalem descendentem de cæ- „ lo, non habentem rugam neque maculam, unam „ sanctamque in terris relinquens, armis potentiæ suæ „ contra portas inferi circumvallatam, Petro Apostolorum Principi, & Successoribus ejus regendam tradidit, ut doctrinam ab ipsius ore haustam, sartam „ tectamque custodirent, ne oves pretioso suo Sanguine „ redemptæ pravarum opinionum pabulo in antiquos „ errores recíderent: quod præcipue Beato Petro mandasse sacræ Litteræ docent. Cui enim Apostolorum „ nisi Petro dixit: *Pasce oves meas?* & rursus: *Ego „ rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos?* Quare Nobis, qui non nostris meritis, sed inscrutabili Dei „ Omnipotentis consilio in ejusdem Petri Cathedra pari potestate sedemus, semper fixum in animo fuit, „ ut populus Christianus eam sectaretur fidem, quæ a „ Christo Domino per Apostolos suos perpetua, & „ nunquam interrupta traditione prædicata fuit, quamque ipse usque ad sæculi consummationem permansuram esse promisit.

„ Cum igitur ad Apostolatum nostrum relatum fuisset, quemdam Michaelem *de Molinos* prava dogmata tum verbo tum scripto docuisse, & in praxim „ deduxisse, quæ prætextu Orationis quietis contra doctrinam & usum a sanctis Patribus ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis receptum, Fideles a vera religione, & a Christianæ pietatis puritate in maximos errores & turpissima quæque inducebant: Nos, „ cui semper cordi fuit, ut fidelium animæ nobis ex „ alto commissæ, purgatis pravarum opinionum erroribus, ad optatum salutis portum tuto pervenire „ possint, legitimis præcedentibus judiciis, prædictum Michaelem *de Molinos* carceribus mancipari mandavimus. Deinde coram nobis & Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus Apostolica authoritate specialiter deputatis, auditis pluribus in sacra Theologia Magistris, eorumque suffragiis tum voce tum scripto susceptis matureque perpensis, „ implorata etiam S. Spiritus assistentia, cum prædictorum fratrum nostrorum unanimi voto, ad damnationem infrascriptarum propositionum ejusdem Michaelis *de Molinos*, a quo fuerunt pro suis recognitæ, & de quibus propositionibus tanquam a se dictatis, scriptis, communicatis, & creditis ipse convictus, & respective confessus fuerat, ut latius in „ Processu & decreto de Mandato nostro lato die 28. „ Augusti præsentis anni 1686. devenire ut infra decrevimus.

PRO-

PROPOSITIONES.

„ 1. *Oportet hominem ſuas potentias annihilare ; &*
„ *hæc eſt via interna. 2. Velle operari active, eſt Deum*
„ *offendere, qui vult eſſe ipſe ſolus agens: & ideo o-*
„ *pus eſt ſe ipſum in Deo totum & totaliter derelin-*
„ *quere, & poſtea permanere, velut corpus exanime.*
„ *3. Vota de aliquo faciendo ſunt perfectionis impediti-*
„ *va. 4. Activitas naturalis eſt gratiæ inimica, impe-*
„ *ditque Dei operationes, & veram perfectionem; quia*
„ *Deus operari vult in nobis ſine nobis. 5. Nihil ope-*
„ *rando anima ſe annihilat, & ad ipſum principium*
„ *redit, & ad ſuam originem quæ eſt eſſentia Dei, in*
„ *qua transformata remanet & divinizata: & Deus*
„ *tunc in ſe ipſo remanet, quia tunc non ſunt amplius*
„ *duæ res unitæ, ſed una tantum, & hac ratione Deus*
„ *vivit, & regnat in nobis, & anima ſe ipſam anni-*
„ *hilat in eſſe operativo. 6. Via interna eſt illa, qua*
„ *non cognoſcitur nec lumen nec amor, nec reſignatio,*
„ *& non oportet Deum cognoſcere: & hoc modo recte*
„ *proceditur. 7. Non debet anima cogitare nec de præ-*
„ *mio, nec de punitione, nec de Paradiſo, nec de in-*
„ *ferno, nec de morte, nec de æternitate. 8. Non de-*
„ *bet velle ſcire, an gradiatur cum voluntate Dei ;*
„ *an cum eadem voluntate reſignata maneat nec ne; nec*
„ *opus eſt ut velit cognoſcere ſuum ſtatum, nec proprium*
„ *nihil, ſed debet ut corpus exanime manere. 9. Non*
„ *debet anima nec ſui reminiſci, nec Dei, nec cujuſ-*
„ *cumque rei ; & in via interna omnis reflexio eſt no-*
„ *civa, etiam reflexio ad ſuas humanas actiones, &*
„ *ad proprios defectus. 10. Si propriis defectibus alios*
„ *ſcandalizet, non eſt neceſſarium reflectere, dummodo*
„ *non adſit voluntas ſcandalizandi; & ad proprios de-*
„ *fectus non poſſe reflectere gratia Dei eſt. 11. Ad*
„ *dubia quæ occurrunt, an recte procedatur, nec ne,*
„ *non eſt opus reflectere. 12. Qui ſuum liberum arbi-*
„ *trium Deo donavit, de nulla re debet curam habere*
„ *nec de Inferno, nec de Paradiſo, nec debet deſiderium*
„ *habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ*
„ *ſanctitatis, nec propriæ ſalutis, cujus ſpem expurga-*
„ *re debet. 13. Reſignato Deo libero arbitrio, eidem*
„ *Deo relinquendæ eſt cogitatio, & cura de omni re*
„ *noſtra, & relinquere ut faciat in nobis ſuam divi-*
„ *nam voluntatem. 14. Qui divinæ voluntati reſigna-*
„ *tus eſt, non convenit ut a Deo rem aliquam petat ;*
„ *quia petere eſt imperfectio, cum ſit actus propriæ vo-*
„ *luntatis & electionis, & eſt velle quod divina vo-*
„ *luntas noſtræ conformetur, & non quod noſtra divi-*
„ *næ. Et illud* petite & accipietis *non eſt dictum a*
„ *Chriſto pro animabus internis, quæ nolunt habere vo-*
„ *luntatem. Imo hujuſmodi animæ eo perveniunt, ut*
„ *non poſſint a Deo rem aliquam petere. 15. Sicut non*
„ *debent a Deo rem aliquam petere; ita nec illi ob*
„ *rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque*
„ *eſt actus propriæ voluntatis. 16. Non convenit indul-*
„ *gentias quærere pro pœna propriis peccatis debita ;*
„ *quia melius eſt divinæ juſtitiæ ſatisfacere, quam di-*
„ *vinam miſericordiam quærere: quoniam illud ex puro*
„ *Dei amore procedit, & iſtud ab amore noſtri intereſ-*
„ *ſato ; nec eſt res Deo grata, nec meritoria ; quia eſt*
„ *velle crucem fugere. 17. Tradito Deo libero arbitrio,*
„ *& eidem relicta cura & cogitatione animæ noſtræ,*
„ *non eſt amplius habenda ratio tentationum; nec eis*
„ *alia reſiſtentia fieri debet, niſi negativa, nulla ad-*
„ *hibita induſtria ; & ſi natura commovetur, oportet*
„ *ſinere ut commoveatur; quia eſt natura. 18. Qui in*
„ *oratione utitur imaginibus, figuris, ſpeciebus, &*
„ *propriis conceptibus, non adorat Deum in ſpiritu &*
„ *veritate. 19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio*
„ *argumentatur, aut intellectus comprehendit, non a-*
„ *mat verum Deum. 20. Aſſerere quod in oratione o-*
„ *pus eſt ſibi per diſcurſum auxilium ferre, & per co-*
„ *gitationes, quando Deus animam non alloquitur, i-*
„ *gnorantia eſt. Deus nunquam loquitur, ejus locutio*
„ *eſt operatio ; & ſemper in anima operatur, quando*
„ *hæc ſuis diſcurſibus, cogitationibus & operationibus*
„ *eum non impedit. 21. In oratione opus eſt manere in*
„ *fide obſcura & univerſali, cum quiete, & oblivio-*
„ *ne cujuſcumque cogitationis particularis ac diſtinctæ*
„ *attributorum Dei ac Trinitatis; & ſic in Dei præ-*
„ *ſentia manere ad illum adorandum & amandum,*
„ *eique inſerviendum, ſed abſque productione actuum,*
„ *quia Deus in his ſibi non complacet. 22. Cognitio*
„ *hæc per fidem non eſt actus a creatura productus, ſed*
„ *eſt cognitio a Deo creaturæ tradita, quam creatura*
„ *ſe habere non cognoſcit, nec poſtea cognoſcit illam ſe*
„ *habuiſſe, & idem dicitur de amore. 23. Myſtici*
„ *cum S. Bernardo in ſcala clauſtralium diſtinguunt*
„ *quatuor gradus, lectionem, meditationem, oratio-*
„ *nem, & contemplationem infuſam. Qui ſemper in*
„ *primo ſiſtit, nunquam ad ſecundum pertranſit. Qui*
„ *ſemper in ſecundo perſiſtit, nunquam ad tertium per-*
„ *venit, qui eſt noſtra contemplatio acquiſita, in qua*
„ *per totam vitam perſiſtendum eſt, dummodo Deus*
„ *animam non trahat, abſque eo quod ipſa id expectet,*
„ *ad contemplationem infuſam ; & hac ceſſante ani-*
„ *ma regredi debet ad tertium gradum, & in ipſo per-*
„ *manere, abſque eo quod amplius redeat ad ſecun-*
„ *dum aut primum. 24. Qualeſcumque cogitationes in*
„ *oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra*
„ *Deum, Sanctos, fidem, ſacramenta, ſi voluntarie*
„ *non nutriantur, nec voluntarie expellantur, ſed cum*
„ *indifferentia, & reſignatione tolerentur, non impe-*
„ *diunt orationem fidei ; imo eam perfectiorem efficiunt,*
„ *quia anima tunc magis divinæ voluntati reſignata re-*
„ *manet. 25. Etiamſi ſuperveniat ſomnus, & dormia-*
„ *tur, nihilominus fit oratio & contemplatio actualis ;*
„ *quia oratio & reſignatio, reſignatio & oratio idem*
„ *ſunt ; & dum reſignatio perdurat, perdurat & ora-*
„ *tio. 26. Tres illæ viæ purgativa, illuminativa, &*
„ *unitiva eſt abſurdum maximum, quod dictum fuerit*
„ *in myſtica, cum non ſit niſi unica via, ſcilicet via*
„ *interna. 27. Qui deſiderat & amplectitur devotio-*
„ *nem ſenſibilem, non deſiderat, nec quærit Deum, ſed*
„ *ſeipſum ; & male agit cum eam deſiderat & eam*
„ *habere conatur, qui per viam internam incedit, tam*
„ *in locis ſacris, quam in diebus ſolemnibus. 28. Tæ-*
„ *dium rerum ſpiritualium bonum eſt, ſiquidem per*
„ *illud purgatur amor proprius. 29. Dum anima inter-*
„ *na faſtidit diſcurſus de Deo & virtutes, & frigida*
„ *remanet, nullum in ſe ipſa ſentiens fervorem, bo-*
„ *num ſignum eſt. 30. Totum ſenſibile, quod experi-*
„ *mur in via ſpirituali, eſt abominabile, ſpurcum,*
„ *& immundum. 31. Nullus meditativus veras vir-*
„ *tutes exercet internas, quæ non debent a ſenſibus*
„ *cognoſci. Opus eſt amittere virtutes. 32. Nec ante,*
„ *nec poſt communionem alia requiritur præparatio, aut*
„ *gratiarum actio (pro iſtis animabus internis) quam*
„ *permanentia in ſolita reſignatione paſſiva, quia mo-*
„ *do perfectiore ſupplet omnes actus virtutum qui poſſunt,*
„ *& fiunt in via ordinaria. Et ſi hac occaſione com-*
„ *munionis inſurgunt motus humiliationis, petitionis,*
„ *aut gratiarum actionis, reprimendi ſunt, quoties non*
„ *dignoſcatur eos eſſe ex impulſu ſpeciali Dei, alias*
„ *ſunt impulſus naturæ nondum mortuæ. 33. Male a-*
„ *git anima, quæ procedit per hanc viam internam, ſi*
„ *in diebus ſolemnibus vult aliquo conatu particulari*
„ *excitare in ſe devotum aliquem ſenſum ; quoniam*
„ *animæ internæ omnes dies ſunt æquales, omnes feſti-*
„ *vi. Et idem dicitur de locis ſacris; quia hujuſmo-*
„ *di animabus omnia loca æqualia ſunt. 34. Verbis &*
„ *lingua gratias agere Deo non eſt pro animabus inter-*
„ *nis, quæ in ſilentio manere debent, nullum Deo im-*
„ *pedimentum apponendo, quod operetur in illis: &*
„ *quo magis Deo ſe reſignant, experiuntur ſe non poſſe*
„ *Orationem Dominicam ſeu Pater noſter recitare. 35.*
„ *Non convenit animabus hujus viæ internæ, quod fa-*
„ *ciant operationes etiam virtuoſas, ex propria electio-*
„ *ne, & activitate, alias non eſſent mortuæ; nec de-*
„ *bent elicere actus amoris erga B. V. Sanctos, aut hu-*
„ *manitatem Chriſti; quia cum iſta objecta ſenſibilia*
„ *ſint, talis eſt amor erga illa. 36. Nulla creatura,*
„ *nec B. Virgo, nec Sancti ſedere debent in corde no-*
„ *ſtro: quia ſolus Deus vult illud occupare, & poſſi-*
„ *dere. 37. In occaſione tentationum, etiam furioſa-*
„ *rum, non debet anima elicere actus explicitos virtu-*
„ *tum oppoſitarum, ſed debet in ſupradicto amore &*
„ *reſignatione permanere. 38. Crux voluntaria mortifi-*
„ *cationum pondus grave eſt & infructuoſum, ideoque*
„ *dimittenda. 39. Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas*
„ *peregerunt Sancti, non ſufficiunt ad removendam ab*
„ *anima vel unicam adhæſionem. 40. B. Virgo nunquam*
„ *opus exterius peregit, & tamen fuit Sanctis omnibus*
„ *ſanctior. Igitur ad ſanctitatem perveniri poteſt abſ-*
„ *que opere exteriori. 41. Deus permittit & vult,*
„ *ad nos humiliandos & ad veram transformationem*
„ *perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis,*
„ *etiam non arreptitiis, dæmon violentiam inferat ea-*
„ *rum corporibus, eaſque actus carnales committere fa-*
„ *ciat, etiam in vigilia, & ſine mentis offuſcatione,*
„ *movendo phyſice illarum manus, & alia membra con-*
„ *tra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios*
„ *actus per ſe peccaminoſos: in quo caſu non ſunt pec-*
„ *cata, quia his non adeſt conſenſus. 42. Poteſt dari*
„ *caſus, quod hujuſmodi violentiæ ad actus carnales*
„ *contingant eodem tempore ex parte duarum perſona-*
„ *rum, ſcilicet maris & fœminæ, & ex parte utriuſ-*
„ *que ſequatur actus. 43. Deus præteritis ſæculis Sanctos*
„ *efficiebat tyrannorum miniſterio, nunc vero eos effi-*
„ *cit Sanctos miniſterio dæmonum, qui cauſando in eis*
„ *prædictas violentias, facit ut illi ſe ipſos magis de-*
„ *ſpi-*

„ *ſpiciant, atque annihilent, & ſe Deo reſignent.*
„ *44. Job blaſphemavit, & tamen non peccavit la-*
„ *biis ſuis, quia fuit ex dæmonis violentia. 45. S.*
„ *Paulus hujuſmodi dæmonis violentias in ſuo corpore*
„ *paſſus eſt, unde ſcripſit:* Non quod volo bonum hoc
„ ago; ſed quod nolo malum hoc facio. *46. Hujuſmo-*
„ *di violentiæ ſunt medium magis proportionatum ad*
„ *annihilandam animam, & ad eam ad veram trans-*
„ *formationem & unionem perducendam, nec alia ſuper-*
„ *eſt via, & hæc eſt via facilior & tutior. 47. Cum*
„ *hujuſmodi violentiæ occurrunt, ſinere oportet ut Sa-*
„ *tanas operetur, nullam adhibendo induſtriam, nullum-*
„ *que proprium conatum; ſed permanere debet homo in*
„ *ſuo nihilo: & etiamſi ſequantur pollutiones & a-*
„ *ctus obſcœni propriis manibus, & etiam pejora, non*
„ *opus eſt ſe ipſum inquietare, ſed foras emittendi ſunt*
„ *ſcrupuli, dubia, & timores: quia anima ſit magis*
„ *illuminata, magis roborata, magis candida, & ac-*
„ *quiritur ſancta libertas. Et præ omnibus non opus*
„ *eſt hæc confiteri, & ſanctiſſime ſit non confitendo:*
„ *quia hoc pacto ſuperatur dæmon, & acquiritur the-*
„ *ſaurus pacis. 48. Satanas, qui hujuſmodi violentias*
„ *infert, ſuadet deinde gravia eſſe delicta, ut anima*
„ *ſe inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur,*
„ *unde ad ejus vires enervandas, melius eſt ea non con-*
„ *fiteri, quia non ſunt peccata, nec etiam venialia.*
„ *49. Job ex violentia dæmonis ſe propriis manibus pol-*
„ *luebat eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum*
„ *preces (ſic interpretando locum ex Cap. XVI. Job).*
„ *50. David, Hieremias, & multi ex ſanctis Prophetis*
„ *hujuſmodi violentias patiebantur harum impurarum*
„ *operationum externarum. 51. In ſacra Scriptura mul-*
„ *ta ſunt exempla violentiarum ad actus externos pec-*
„ *caminoſos: uti illud de Sampſone, qui per violen-*
„ *tiam ſe ipſum occidit cum Philiſtæis, conjugium iniit*
„ *cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus*
„ *eſt; quæ alias erant prohibita, & peccata fuiſſent:*
„ *de Juditha, quæ Holoferni mentita ſuit: de Eliſæo qui*
„ *pueris maledixit; de Elia qui combuſſit Duces cum*
„ *turmis Regis Achab. An vero fuerit violentia im-*
„ *mediate a Deo peracta, vel dæmonum miniſterio, ut*
„ *in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.*
„ *52. Cum igitur violentiæ etiam impuræ abſque men-*
„ *tis offuſcatione accidunt; tunc anima Deo poteſt uni-*
„ *ri, & de facto ſemper magis unitur. 53. Ad cogno-*
„ *ſcendum in praxi, an aliqua operatio in aliis perſo-*
„ *nis fuerit violenta, regula de hoc, nedum ſunt*
„ *proteſtationes animarum illarum, quæ proteſtantur ſe*
„ *dictis violentiis non conſenſiſſe, aut jurare non poſſe,*
„ *quod iis conſenſerint, & videre quod ſint animæ,*
„ *quæ proficiunt in via interna: ſed regulam ſumerem*
„ *a lumine quodam actuali cogitatione humana, ac*
„ *theologica ſuperiore, quod me certo cognoſcere facit*
„ *cum interna certitudine, quod talis operatio eſt vio-*
„ *lenta, & certus ſum quod hoc lumen a Deo procedit,*
„ *quia ad me provenit conjunctum cum certitudine quod*
„ *a Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relin-*
„ *quit in contrarium: eo modo quo interdum contingit,*
„ *quod Deus aliquid revelando, eodem tempore ani-*
„ *mam certam reddit, quod ipſe ſit qui revelat, & a-*
„ *nima in contrarium non poteſt dubitare. 54. Spiritua-*
„ *les vitæ ordinarie in hora mortis ſe deluſos inve-*
„ *nient, & confuſos, & cum omnibus paſſionibus in*
„ *alio mundo purgandis. 55. Per hanc viam internam*
„ *pervenitur, etſi multa cum ſufferentia, ad purgan-*
„ *das & extinguendas omnes paſſiones, ita quod nihil*
„ *amplius ſentitur, nihil, nihil; nec ulla ſentitur in-*
„ *quietudo, ſicut corpus mortuum, nec anima ſe am-*
„ *plius commoveri ſinit. 56. Duæ leges, duæ cupidi-*
„ *tates, animæ unæ, & amoris proprii altera, tamdiu*
„ *perdurant, quamdiu perdurat amor proprius: unde*
„ *quando hic purgatus eſt, & mortuus, ut ſit per*
„ *viam internam, non adſunt amplius illæ duæ leges,*
„ *& duæ cupiditates; nec ulterius lapſus aliquis incur-*
„ *ritur; nec aliquid ſentitur amplius, ne quidem ve-*
„ *niale peccatum. 57. Per contemplationem acquiſitam*
„ *pervenitur ad ſtatum non faciendi amplius peccata*
„ *nec mortalia nec venialia. 58. Ad hujuſmodi ſtatum*
„ *pervenitur non reflectendo amplius ad proprias opera-*
„ *tiones, quia defectus ex reflexione oriuntur. 59. Via*
„ *interna ſejuncta eſt a Confeſſione, a Confeſſariis, &*
„ *a caſibus conſcientiæ, a Theologis, & philoſophia.*
„ *60. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori inci-*
„ *piunt, & eo etiam perveniunt, ut ſint mortuæ, Deus*
„ *confeſſionem aliquando efficit impoſſibilem, & ſupplet*
„ *ipſe tanta gratia præſervante, quantum in Sacramen-*
„ *to reciperent, & ideo hujuſmodi animabus non eſt*
„ *bonum in tali caſu ad Sacramentum Pœnitentiæ acce-*
„ *dere, quia id eſt in illis impoſſibile. 61. Anima cum*
„ *ad mortem myſticam pervenit, non poteſt amplius*
„ *aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet*
„ *amplius voluntatem, & Deus illi eam abſtulit. 62.*
„ *Per viam internam pervenitur ad continuum ſtatum*
„ *immobilem in pace imperturbabili. 63. Per viam in-*
„ *ternam pervenitur etiam ad mortem ſenſuum; quin-*
„ *immo ſignum quod quis in ſtatu nihilitatis maneat,*
„ *id eſt mortis myſticæ, eſt, ſi ſenſus exteriores non re-*
„ *præſentent amplius res ſenſibiles, unde ſint, ac ſi non*
„ *eſſent; quia non perveniunt ad faciendum, quod in-*
„ *tellectus ſe ad eas applicet. 64. Theologus minorem*
„ *diſpoſitionem habet, quam homo rudis ad ſtatum con-*
„ *templativi; primo quia non habet fidem adeo pu-*
„ *ram; ſecundo quia non eſt adeo humilis; tertio quia*
„ *non adeo curat propriam ſalutem; quarto quia caput*
„ *refertum habet phantaſmatibus, ſpeciebus, opinioni-*
„ *bus, & ſpeculationibus, & non poteſt in illud in-*
„ *gredi verum lumen. 65. Præpoſitis obediendum eſt in*
„ *exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religioſorum tan-*
„ *tummodo ad exterius pertingit. In interiore vero ali-*
„ *ter ſe res habet, quo ſolus Deus & Director intrant.*
„ *66. Riſu digna eſt nova quædam doctrina in Eccleſia*
„ *Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat*
„ *ab Epiſcopo: quod ſi Epiſcopus non ſit capax, ani-*
„ *ma ipſum cum ſuo Directore adeat. Novam dico do-*
„ *ctrinam; quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec*
„ *Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Authores eam*
„ *unquam tradiderunt, nec tradere poſſunt; quia Eccle-*
„ *ſia non judicat de occultis, & anima jus habet eli-*
„ *gendi quemcumque ſibi bene viſum. 67. Dicere quod*
„ *internum manifeſtandum eſt exteriori tribunali Præpo-*
„ *ſitorum, & quod peccatum ſit id non facere, eſt ma-*
„ *niſeſta deceptio; quia Eccleſia non judicat de occul-*
„ *tis, & propriis animabus præjudicant his deceptioni-*
„ *bus & ſimulationibus. 68. In mundo non eſt facul-*
„ *tas, nec juriſdictio ad præcipiendum, ut manifeſten-*
„ *tur epiſtolæ Directoris quoad internum animæ; & ideo*
„ *opus eſt animadvertere, quod hoc eſt inſultus Sata-*
„ *næ &c.*

„ Quas quidem propoſitiones tanquam hæreticas, ſuſ-
„ pectas, erroneas, ſcandaloſas, blaſphemas, piarum
„ aurium offenſivas, temerarias, Chriſtianæ diſciplinæ
„ relaxativas & everſivas, & ſeditioſas reſpective, ac
„ quæcumque ſuper iis verbo, ſcripto, vel typis emiſ-
„ ſa, pariter cum voto eorumdem Fratrum noſtrorum
„ S. R. E. Cardinalium & Inquiſitorum Generalium
„ damnavimus, circumſcripſimus, & abolevimus: de-
„ que eiſdem, & ſimilibus omnibus, & ſingulis poſt-
„ hac quoquo modo loquendi, ſcribendi, diſputandi,
„ eaſque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim re-
„ ducendi facultatem quibuſcumque interdiximus, &
„ contra facientes omnibus dignitatibus, gradibus, ho-
„ noribus, beneficiis, & officiis ipſo facto perpetuo pri-
„ vavimus, & inhabiles ad quæcumque decrevimus,
„ vinculoque etiam anathematis eo ipſo innodavimus,
„ a quo niſi a Nobis, & a Romanis Pontificibus ſuc-
„ ceſſoribus noſtris non valeant abſolvi. Præterea eo-
„ dem noſtro Decreto prohibuimus & damnavimus o-
„ mnes libros, omniaque opera, quocumque loco &
„ idiomate impreſſa, nec non omnia manuſcripta ejuſ-
„ dem Michaelis *de Molinos*; vetuimuſque ne quis cu-
„ juſcumque gradus, conditionis, vel ſtatus, etiam ſpe-
„ ciali nota dignus, audeat ſub quovis prætextu, quo-
„ libet pariter idiomate, ſive ſub ejuſdem verbis, ſub
„ æqualibus aut æquipollentibus, ſive abſque nomine,
„ ſeu ficto, aut alieno nomine ea imprimi facere; ne-
„ que impreſſa, ſeu manuſcripta legere, vel apud ſe
„ retinere, ſed Ordinariis locorum aut hæreticæ pravi-
„ tatis Inquiſitoribus ſtatim tradere & conſignare te-
„ neantur, ſub eiſdem pœnis ſuperius inflictis, qui Or-
„ dinarii & Inquiſitores ſtatim ea igni comburi fa-
„ ciant.

„ Tandem, ut prædictus Michael *de Molinos*, ob
„ hæreſes, errores, & turpia facta prædicta debitis
„ pœnis in aliorum exemplum, & ipſius emendatio-
„ nem plecteretur, lecto in eadem noſtra Congregatio-
„ ne toto proceſſu, & auditis dilectis filiis Conſultori-
„ bus noſtræ S. Inquiſitionis Officii in Sacra Theolo-
„ gia & Jure Pontificio Magiſtris cum eorumdem Vene-
„ rabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium
„ unanimi voto dictum Michaelem *de Molinos*, tan-
„ quam reum convictum, & confeſſum reſpective, &
„ uti hæreticum formalem, licet pœnitentem, in pœ-
„ nam arcti & perpetui carceris, & ad peragendas a-
„ lias pœnitentias ſalutares, prævia tamen abjuratio-
„ ne de formali per ipſum emittenda, ſervato juris or-
„ dine, damnavimus; mandantes ut die & hora præfi-
„ gendis in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam hujus
„ almæ Urbis, præſentibus omnibus Venerabilibus Fra-
„ tribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, & Romanæ
„ Curiæ noſtræ Prælatis, univerſoque populo ad id et-
„ iam per conceſſionem indulgentiarum convocando, ex
„ alto tenor proceſſus, ſtante in ſuggeſtu eodem Mi-

„ chae-

„ chaele *de Molinos*, una cum ſententia inde ſecuta le-
„ geretur: & poſtquam idem *de Molinos* habitu pœni-
„ tentiæ indutus prædictos errores & hæreſes publice
„ abjuraſſet, facultatem dedimus dilecto filio noſtro S.
„ Officii Commiſſario, ut eum a Cenſuris, quibus in-
„ nodatus erat, in forma Eccleſiæ conſueta abſolveret:
„ quæ omnia in executionem dictæ noſtræ Ordinatio-
„ nis die 3. Septembris labentis anni ſolemniter adim-
„ pleta ſunt, &c. Datum Romæ apud S. Mariam Ma-
„ jorem anno Incarnationis Dominicæ 1687. 12. Ka-
„ lendas Decembris Pontificatus noſtri anno duode-
„ cimo ".

Commiſſarii Generalis in Urbe munere hoc tempore magna ſui & Ordinis gloria fungebatur Thomas Mazza Forolivienſis ex Familia Prædicatorum, qui Innocentii XI. juſſu in Quietiſtarum errores, & Anteſignani Michaelis *Molinos*, ejuſque erroris ſociorum diligenter inquiſivit, ac poſt longiſſimi tædioſiſſimique Proceſſus moras tandem prædicti Molinoſii ſolemnem ſuſcepit abjurationem, maximo inauditoque præſente populorum concurſu. Deceſſit Michael *Molinoſius* die XXVIII. Novembris an. MDCXCII. Quæ confixa fuiſſe dogmata diximus, partim ex ejus nondum editis ſcriptis, partim ex vulgatis deſumta ſunt. In his præcipuum locum tenet ille, qui inſcribitur *la Guida Spirituale*, ſive *via* aut *manuductio ad vitam*, quam myſtici *ſpiritualem*, & *contemplativam* nominare ſolent, in quo capitales veterum Beguardorum & Beguinarum errores ab Inferis revocavit, & ad ſceleſta quævis flagitia perpetranda oſtium aperuit.

§. XXV.

De Petro Matthæo Petruccio.

PEtrus Matthæus *Petruccius* Æſinus, & Congregationis Oratorii in Patria alumnus, ab Innocentio XI. primum Æſinus Epiſcopus, tum anno 1686. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis creatus eſt. Quum plures eo circiter tempore, quo Michael Molinoſius damnatus eſt, italico ſermone in vulgus libellos edidiſſet, nempe *la Vergine Aſſunta: la Contemplazione miſtiſta: il tutto in niente: Poeſie ſacre ec.* in graviſſimas offenſiones incurrit, maximamque nominis ſui jacturam ſubiit; nam ii diligenter expenſi proſcripti ſunt S. Univerſalis Inquiſitionis Decreto ceu Molinoſii erroribus infecti. Præbuit tamen tum Petruccius egregia humilitatis ſpecimina. Primus enim ipſe illos damnavit, petiitque ut comburerentur, atque ob id acceptus denuo Pontifici facultatem eſt aſſecutus ad ſuum Epiſcopatum redeundi. Parum tamen ibidem ſubſtitit, & Romæ ut plurimum verſatus eſt. Demum tædio affectus anteacti infortunii, ſtudioque flagrans vitæ privatæ, an. 1696. Epiſcopatu ſe ſe abdicavit. Pontifex vero duorum millium aureorum penſionem motu proprio Cardinali adſignavit. Ut ſibi ad ſuam Oratorii Congregationem redeundi copia fieret, pluries ſed fruſtra petiit. Ipſe interim moribus omnique vitæ genere vere pius, religioſum in ſæculo degens ſervavit inſtitutum.

Communem menſam cum ſuis familiaribus & ſibi inſervientibus habebat, eodem prorſus modo, quo inter ſui Ordinis confratres utebatur. Jejuniis vigiliiſque pallebat. Congregationibus præſto erat, quibus erat addictus; præſertim vero a S. Congregatione Epiſcoporum & Regularium ſæpe adhibitus in viſitationibus explendis Apoſtolicis, vigilantiam vere paſtoralem adhibuit. Hinc Viſitator miſſus in Provinciam S. Severini, adeo in Cleri reformationem, & populi ſalutem incubuit, ut curarum pondere oppreſſus obierit die 5. Julii an. 1701. anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo. Ita fere in ejus vita Marius Guarnaccius, qui Ciacconianum opus continuavit.

§. XXVI.

De Franciſco Malavallio, & P. Guillorio.

QUamquam Molinoſii doctrina talis eſſet, ut illam cordatus quiſque horrere exſecrarique deberet, nonnullorum tamen in novum ſpiritualitatis pietatiſque genus, tum in res, quæ intelligi haud poſſent, ſtudium nimium & amor effecit, ut brevi Gallias quoque pervaderet, falleretque viros, quos ejuſmodi illuſionibus haud facile eſſe obnoxios dixiſſes. Hos inter enumeramus Franciſcum *Malavallium* Maſſilienſem, qui an. 1676. Molinoſii placita confirmare conatus eſt in Opere, cui titulum indidit *Pratique facile pour élever l'Ame à la Contemplation*; quod an. 1688. Romanorum judicum cenſuram ſubiit, damnatumque fuit. Deceſſit Author Maſſiliæ an. 1719. non obſcuris editis cum ſuæ in Romanam cenſuram reverentiæ, tum in Molinoſii doctrinam execrationis documentis. Malavallio præiverat *P. Guillorius* Jeſuita, quem Petrus Nicolius in celeberrimo *de Oratione* Tractatu præcipue perſtrinxit & refutavit.

§. XXVII.

De Joanna Maria Bouvieres de la Mothe Guyon, & P. La Combe.

ILluſtris hæc fœmina non mali quidem animi, vitæque emendatæ, ſed mobilis ingenii, & ex ſenſu ſuo, quo nihil eſt fallacius, religionis naturam definiens, Quietiſticam diſciplinam in Gallia ſcriptis diſſeminavit, quorum inſcriptio, *Moyen court & facile pour faire l'oraiſon &c. Cantique des Cantiques interprété ſelon le ſens myſtique &c. la Repréſentation des voies interieures &c.* In novæ perverſæque doctrinæ placitis non parum Guyoniam obfirmavit *P. La Combe*, Barnabita Allobrox, quem Molinoſii doctrinæ ſtudioſum fuiſſe cum ejus vitæ acta teſtantur, tum libellus plane perſuadet ab eodem hoc titulo editus, *Analyſe de l'Oraiſon mentale*.

Confixere hos omnes myſticos libellos cenſuris ſuis plures Galliarum Antiſtites, ſolidiſſime vero confutavit Jacobus Benignus Boſſuetus pluribus auro cedroque dignis elucubrationibus quæ in ſexto ejuſdem Operum volumine continentur.

§. XXVIII.

De Franciſco de Fenelon Archiepiſcopo Cameracenſi.

CUM Boſſuetus pro libro ſuo adverſus Guyoniæ errores exarato, Franciſci Salignaci *Fenelonii* Archiepiſcopi Cameracenſis ſuffragium exoptaret, hic non modo piam fœminam temere multis ab adverſario maculis inſperſam eſſe judicavit, ſed etiam libro edito an. 1697. *Explication des Maximes des Saints ſur la vie interieure* præcipua Guyoniæ placita ſtabilire voluiſſe viſus eſt. Hac de cauſſa excitatus Boſſuetus denuo in arenam deſcendit, noviſque editis ſcriptis novum hunc Quietiſticæ doctrinæ vindicem profligandum ſuſcepit, egitque cum apud Ludovicum XIV. Galliarum Regem, tum apud Innocentium XII. præcipue ut *Fenelonii* ſententiæ damnarentur. Diu multumque hujus libro Romæ excuſſo, tandem Innocentius tres ſupra viginti ex eo decerptas propoſitiones damnavit hac Brevi Epiſtola.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

„ CUM alias ad Apoſtolatus noſtri notitiam perve-
„ nerit, in lucem prodiiſſe librum quemdam Gal-
„ lico idiomate editum, cui titulus: *Explication des ma-*
„ *ximes des Saints ſur la vie interieure par Monſieur*
„ *François de Salignac Fenelon Archéveque Duc de Cam-*
„ *bray, Précepteur de Meſſeigneurs les Ducs de Bour-*
„ *gogne, d'Anjou & de Berry. A Paris chez Pierre*
„ *Auboin, Pierre Emery, Charles Clouſier* 1697. ingens
„ vero ſubinde de non ſana libri hujus doctrina exci-
„ tatus in Galliis rumor adeo percrebuerit, ut oppor-
„ tunam Paſtoralis vigilantiæ noſtræ opem efflagitave-
„ rit; Nos eumdem librum nonnullis ex Venerabilibus
„ Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, aliiſque in
„ ſacra Theologia Magiſtris, mature, ut rei gravitas
„ poſtulare videbatur, examinandum commiſimus.
„ Porro hi mandatis noſtris obſequentes, poſtquam in
„ quamplurimis Congregationibus varias propoſitiones
„ ex eodem libro excerptas diuturno accuratoque exa-
„ mine diſcuſſerant, quid ſuper earum ſingulis ſibi vide-
„ retur, tam voce quam ſcripto nobis expoſuerunt.
„ Auditis igitur in pluribus itidem coram Nobis deſuper
„ actis Congregationibus memoratorum Cardinalium,
„ & in ſacra Theologia Magiſtrorum ſententiis, Do-
„ minici gregis Nobis ab æterno Paſtore crediti pericu-
„ lis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cu-
„ pientes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & ma-
„ tura deliberatione Noſtra, deque Apoſtolicæ poteſta-
„ tis plenitudine, librum prædictum ubicumque, &
„ quocumque alio idiomate, ſeu quavis editione, aut
„ verſione huc uſque impreſſum aut impoſterum impri-
„ mendum, quippe ex cujus lectione & uſu fideles ſen-
„ ſim in errores ab Eccleſia Catholica jam damnatos
„ induci poſſent, ac inſuper tanquam continentem pro-
„ poſitiones, ſive in obvio earum verborum ſenſu, ſive
„ attenta ſententiarum connexione, temerarias, ſcanda-
„ loſas, male ſonantes, piarum aurium offenſivas, in
„ praxi pernicioſas, ac etiam erroneas reſpective, te-
„ nore

„ nore præſentium damnamus & reprobamus, ipſiuſque „ libri impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, reten„ tionem, & uſum omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus „ etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſio„ ne dignis, ſub pœna excommunicationis per contra„ facientes ipſo facto abſque alia declaratione incurren„ da, interdicimus & prohibemus: volentes & Apoſto„ lica authoritate mandantes, ut quicumque ſupradictum „ libellum penes ſe habuerint, illum ſtatim atque præ„ ſentes litteræ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel „ hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere ac conſigna„ re omnino teneantur, in contrarium facientibus non „ obſtantibus quibuſcumque &c. Ceterum propoſitiones „ in dicto libro contentæ, quas Apoſtolici cenſura ju„ dicii, ſicut præmittitur, configendas duximus, ex „ Gallico idiomate in latinum verſæ, ſunt tenoris, qui „ ſequitur, videlicet:

„ 1. *Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt ca„ ritas pura & ſine ulla admixtione motivi proprii „ intereſſe. Neque timor pœnarum, neque deſiderium re„ munerationum habent amplius in eo partem. Non a„ matur amplius Deus propter meritum, neque propter „ perfectionem, neque propter felicitatem in amando „ inveniendam.*

„ 2. *In ſtatu vitæ contemplativæ ſive unitivæ, amit„ titur omne motivum intereſſatum timoris & ſpei.*

„ 3. *Id quod eſt eſſentiale in directione animæ eſt, „ non aliud facere quam ſequi pedetentim gratiam cum „ infinita patientia, præcautione & ſubtilitate. Opor„ tet ſe intra hos limites continere, ut ſinatur Deus „ agere, & nunquam ad purum amorem ducere, niſi „ quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire „ cor huic verbo, quod adeo durum eſt animabus adhuc „ ſibimet affixis, & ideo poteſt illas ſcandalizare, aut „ in perturbationem conjicere.*

„ 4. *In ſtatu ſanctæ indifferentiæ anima non habet „ amplius deſideria voluntaria & deliberata propter „ ſuum intereſſe, exceptis iis occaſionibus, in quibus „ toti ſuæ gratiæ fideliter non cooperatur.*

„ 5. *In eodem ſtatu ſanctæ indifferentiæ nihil nobis, „ omnia Deo volumus. Nihil volumus ut ſimus perfe„ cti, & beati propter intereſſe proprium; ſed omnem „ perfectionem ac beatitudinem volumus, in quantum „ Deo placet efficere, ut velimus res iſtas impreſſione „ ſuæ gratiæ.*

„ 6. *In hoc ſanctæ indifferentiæ ſtatu nolumus amplius „ ſalutem, ut ſalutem propriam, ut liberationem æ„ ternam, ut mercedem noſtrorum meritorum, ut no„ ſtrum intereſſe omnium maximum; ſed eam volumus „ voluntate plena, ut gloriam & beneplacitum Dei, „ ut rem quam ipſe vult, & quam nos vult velle pro„ pter ipſum.*

„ 7. *Derelictio non eſt niſi abnegatio, ſeu ſui ipſius „ renuntiatio, quam Jeſus Chriſtus a nobis in Evange„ lio requirit poſtquam externa omnia reliquerimus. Iſta „ noſtri ipſorum abnegatio non eſt, niſi quoad intereſſe „ proprium .... Extremæ probationes, in quibus hæc „ abnegatio, ſeu ſui ipſius derelictio exerceri debet, „ ſunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare „ amorem, nullum ei oſtendendo perfugium, neque „ ullam ſpem quoad ſuum intereſſe proprium, etiam æ„ ternum.*

„ 8. *Omnia ſacrificia, quæ fieri ſolent ab anima„ bus quam maxime diſintereſſatis circa earum æternam „ beatitudinem, ſunt conditionalia .... Sed hoc ſacri„ ficium non poteſt eſſe abſolutum in ſtatu ordinario. In „ uno extremarum probationum caſu hoc ſacrificium fit „ aliquo modo abſolutum.*

„ 9. *In extremis probationibus poteſt animæ invinci„ biliter perſuaſum eſſe perſuaſione reflexa, & quæ non „ eſt intimus conſcientiæ fundus, ſe juſte reprobatam „ eſſe a Deo.*

„ 10. *Tunc anima divina a ſemetipſa expirat, cum „ Chriſto in Cruce dicens: Deus Deus meus, ut quid „ dereliquiſti me? In hac involuntaria impreſſione de„ ſperationis conficit ſacrificium abſolutum ſui intereſſe „ proprii quoad æternitatem.*

„ 11. *In hoc ſtatu anima amittit omnem ſpem ſui „ proprii intereſſe, ſed nunquam amittit in parte ſupe„ riori, ideſt in ſuis actibus directis & intimis ſpem „ perfectam, quæ eſt deſiderium diſintereſſatum promiſ„ ſionum.*

„ 12. *Director tunc poteſt huic animæ permittere, „ ut ſimpliciter acquieſcat jacturæ ſui proprii intereſ„ ſe, & juſtæ condemnationi, quam ſibi a Deo indictam „ credit.*

„ 13. *Inferior Chriſti pars in Cruce non communica„ vit ſuperiori ſuas involuntarias perturbationes.*

„ 14. *In extremis probationibus pro purificatione amo„ ris fit quædam ſeparatio partis ſuperioris animæ ab „ inferiori .... In iſta ſeparatione actus partis infe„ rioris manant ex omnino cœca & involuntaria pertur„ batione: nam totum, quod eſt involuntarium intelle„ ctuale, eſt partis ſuperioris.*

„ 15. *Meditatio conſtat diſcurſivis actibus, qui a ſe „ invicem facile diſtinguuntur .... Iſta compoſitio a„ ctuum diſcurſivorum, & reflexorum eſt propria exer„ citatio amoris intereſſati.*

„ 16. *Datur ſtatus contemplationis adeo ſublimis, a„ deoque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties a„ nima actu orat, ſua oratio ſit contemplativa, non diſ„ curſiva. Tunc non amplius indiget redire ad medi„ tationem, ejuſque actus methodicos.*

„ 17. *Animæ contemplativæ privantur intuitu diſtin„ cto, ſenſibili & reflexo Jeſu Chriſti duobus tempori„ bus diverſis .... Primo, in fervore naſcente earum „ contemplationis .... Secundo anima amittit intui„ tum Jeſu Chriſti in extremis probationibus.*

„ 18. *In ſtatu paſſivo exercentur omnes virtutes diſtin„ ctæ, non cogitando quod ſunt virtutes. In quolibet „ momento aliud non cogitatur quam facere id quod „ Deus vult; amplius & amor zelotypus ſimul efficit, „ ne quis ſibi virtutem velit, nec unquam ſit adeo „ virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus „ non eſt.*

„ 19. *Poteſt dici in hoc ſenſu, quod anima paſſiva „ & diſintereſſata nec ipſum amorem vult amplius, „ quatenus eſt ſua perfectio & ſua felicitas, ſed ſolum „ quatenus eſt id, quod a nobis Deus vult.*

„ 20. *In confitendo debent animæ transformatæ ſua „ peccata deteſtari, & condemnare ſe & deſiderare re„ miſſionem ſuorum peccatorum, non ut propriam puri„ ficationem, & liberationem, ſed ut rem quam Deus „ vult, & vult nos velle propter ſuam gloriam.*

„ 21. *Sancti myſtici excluſerunt a ſtatu animarum „ transformatarum exercitationes virtutum.*

„ 22. *Quamvis hæc doctrina (de puro amore) non „ eſſet pura & ſimplex perfectio Evangelica in univerſa „ traditione deſignata, antiqui Paſtores non propone„ bant paſſim multitudini juſtorum, niſi exercitia amo„ ris intereſſati eorum gratiæ proportionata.*

„ 23. *Purus amor ipſe ſolus conſtituit totam vitam „ interiorem, & tunc evadit unicum principium, & „ unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, & „ meritorii ſunt.*

„ Non intendimus tamen per expreſſam propoſitio„ num hujuſmodi reprobationem alia in eodem libro „ contenta ullatenus approbare &c. Datum Romæ apud „ S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 12. „ Martii 1699. Pontificatus noſtri anno octavo “.

Sententiam hanc in ſe latam ſine ulla exceptione probavit, gregique ſuo notam fecit Fenelonius, uti in vita Innocentii XII. dictum eſt. Sed de tota hac Quietiſtarum Hiſtoria Racinius conſulatur Tom. XIII. Art. XXXIV. *Abrégé de l' Hiſtoire Eccléſiaſtique*. Copioſe etiam, & Moshemii judicio ſatis ingenue hiſtoriam certaminis inter Boſſuetum & Fenelonium perſequutus eſt *Touſſaints du Pleſſis* ex familia Benedictinorum in Hiſtoria Gallica Eccleſiæ Meldenſis lib. V. Tom. I. Partium autem ſtudio plus tribuit *Ramſay* in vita Fenelonii edita an. 1723. Acta publica exhibet Carolus *du Pleſſis d' Argentrè* in Collectione Judiciorum *de novis erroribus* Tom. III. P. II. pag. 402.

Interea damnandos illos errores cum Gallicani Præſules DD. Ludovicus Antonius de Noailles Archiepiſcopus Pariſienſis, Jacobus Benignus Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis, Paulus Godet des Marets Epiſcopus Carnotenſis, paſtoralibus inſtitutionibus, aliiſque palmaribus ſcriptis expugnaſſent: Summi Pontificis Conſtitutionem, qua demum cauſſa finita eſt, omnes Gallicanæ Eccleſiæ Epiſcopi per ſingulas Metropoles ſacra juſſione Chriſtianiſſimi Regis congregati, ſumma devotione, ac veneratione receperunt, & in ſingulis Diœceſium ſuarum Eccleſiis promulgari & executioni mandari decreverunt, prout Rex magnus edixerat, declaratione data Verſaliis die 4. Auguſti 1699. & in tabulas ſupremi Senatus relata ex ſolemni Senatus-Conſulto die 14. Auguſti ejuſdem anni, Ipſeque Archiepiſcopus Cameracenſis, uti innuimus, Comprovincialibus ſuis Epiſcopis adunatis, Pontificiam Conſtitutionem ſubmiſſo animo recepit, promulgavitque, librum ſuum prohibuit, & propoſitiones ex eo excerptas ſecundum tenorem ejuſdem Conſtitutionis damnavit, Mandato hoc Archiepiſcopali ea de re in Diœceſi ſua publicato:

Fran-

Franciſcus Dei miſericordia & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia Archiepiſcopus Dux Cameracenſis, ſancti Imperii Princeps &c. Clero Sæculari & Regulari noſtræ Diœceſis, Salutem & Benedictionem in Domino.

„ Nos ipſos vobis totos debemus, Fratres cariſſimi, „ ſi quidem non ſumus amplius noſtri, ſed gregis, qui „ nobis creditus eſt: *Nos autem Servos veſtros per Je-* „ *ſum*. Eo urgemur affectu, ut cor noſtrum vobis pan- „ damus, communicantes vobiſcum, quæ Nos ſpectant „ in cauſa libri, cui titulus eſt *Explications des Maxi-* „ *mes des Saints*. Tandem Sanctiſſimus Dominus no- „ ſter Papa hunc librum damnavit, cum propoſitioni- „ bus viginti tribus ex eo excerptis, Brevi Apoſtolico „ dato die 12. Martii MDCXCIX. quod jam ubique „ vulgatum, vobiſque notum eſt.

„ Huic Brevi, cariſſimi Fratres, tum quod libri tex- „ tum attinet, tum quod propoſitiones XXIII. ſpe- „ ctat, ſimpliciter, abſolute & abſque umbra reſtri- „ ctionis adhæremus. Quamobrem tam librum ipſum, „ quam XXIII. propoſitiones, præciſe, ſub eadem for- „ ma, & cum iiſdem qualificationibus, ſimpliciter, ab- „ ſolute & ſine ulla reſtrictione damnamus. Sub iiſdem „ etiam pœnis fidelibus hujus Diœceſis inhibemus, ne „ hunc librum legant, aut retineant. Humiliationem „ noſtram conſolabimur, dilectiſſimi Fratres, modo mi- „ niſterium verbi, quod ad veſtram ſanctificationem a „ Domino accepimus, inde non infirmetur, nec obſtet „ humiliatio Paſtoris, quin grex in Dei gratia creſcat. „ Vos igitur toto animo ad ſinceram obedientiam, ab- „ ſolutamque docilitatem adhortamur, ne ſenſim con- „ tabeſcat ſimplicitas obedientiæ ſanctæ Sedi debitæ, „ cujus exemplum, per Dei gratiam, ad extremum uſ- „ que ſpiritum vobis præbere volumus. Abſit, ut in „ ore hominum ſimus ad eorum offenſionem; faxit „ Deus, ut meminerint Paſtori fuiſſe perſuaſum ſe ma- „ gis docilem eſſe debere, quam poſtremam gregis ovi- „ culam; nullumque ſubmiſſioni ſuæ & obedientiæ „ modum, ac finem poſuiſſe. Opto, ac precor, Fra- „ tres cariſſimi, ut gratia D. N. J. C. charitas Dei, „ & communicatio S. Spiritus maneat cum omnibus „ vobis. Amen.

Franciſcus Archiepiſcopus Dux Cameracenſis.

De Mandato Illuſtriſſimi D. Archiepiſcopi Des Anges a Secretis.

Datum Cameraci 9. Aprilis 1699.

Ita illuſtris Fenelonius in Mandato ſuo heic Latine e Gallico idiomate ſumma fide reddito, ad oves ſibi concreditas loquebatur, magis certe ob humilitatem fideique confeſſionem laudandus, quam propter falſam proſcriptamque doctrinam reprehendendus.

§. XXIX.

De Joſepho Beccarellio, & Pelaginis.

QUietiſtarum hæreſim, & quæ inde conſequitur, turpitudinum omnium licentiam, occultis conventiculis docuit rurſum, excercendamque propoſuit Joſephus Beccarelli Diœceſis Brixienſis Presbyter; qui ejus comperta nequitia anno 1710. die 13. Septembris palam abjurare coactus eſt, & ad ſeptennium damnatus ad triremes. Illum vero Decemviri, ideſt excelſus Venetorum Senatus ann. 1711. perpetuo tetroque carceri addixerunt. Solicitudini & vigilantiæ Joannis Cardinalis Badoarii Brixienſis Epiſcopi tribuenda eſt ſerpentis clanculum peſtilentiæ detectio, atque extinctio. Ita de Beccarello ſcribit P. Joannes Laurentius Berti in Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Breviario cap. III. ad ſæculum XVIII. Beccarellio eadem in Brixienſi Diœceſi, præcipue in Vallibus, præiverant *Pelagini*, ita a Jacobo Philippo a S. Pelagia, viro laico Mediolanenſi, nuncupati. Quorum errores, & latebras in apricum produxit Petrus Cardinalis Ottobonus, Brixianus Epiſcopus, ac poſtea Romanus Pontifex ſub Alexandri VIII. nomine; miſſis illuc anno 1656. probis doctiſque viris Lucio Avoltorio Canonico, Carolo Como Auguſtiniano, & Carolo Montino Brixiæ Eccleſiæ Parochialis S. Zenonis Rectore. Ab his Fidei Quæſitores excitati, capti non pauci ex Pelaginis ſunt, & cum primis Marcus Antonius Recaldinius, Joannes Baptiſta Mauritius, & Benedictus Paſſaneſius; quorum prior Tarviſii errores ſuos ſolemniter ejuravit, & magna inde ſectam adſperſit infamia. Acta Berninius recitat.

§. XXX.

De Silveſtro Legni, Joanne Vecchiolio, Julio Legni, Bonaventura Arigonio, & Bernardino Salviato.

DE his ita ſcribit Graveſonius Colloq. III. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſæculorum XVII. & XVIII. Hanc eſſe veram, & unicam Atheorum inſaniæ cauſſam, ut vitiis nimirum libere indulgeant, Dei exiſtentiam negare, ſatis ipſe compertum habeo ex his, quæ duobus ab hinc annis Romæ propriis oculis vidi, & audivi, dum in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam Ordinis Prædicatorum, præſentibus Cardinalibus, Prælatis, Conſultoribus, Miniſtris Tribunalis S. Officii; inſpectantibus ex variis cancellis, hinc inde per Eccleſiam diſpoſitis, Principibus & Nobilibus Romanis, ac concurrente ad hoc ſpectaculum tota ex Urbe populo, quinque nequiſſimi viri oriundi Velitris, quæ Urbs eſt Volſcorum XX. mille paſſuum Roma diſtans, Atheiſmum publice ejurarunt. Horum primus, & aliorum quatuor anteſignanus erat Silveſter *Legni*, alter Joannes *Vechioli*, tertius Julius *Legni* filius prænominati Silveſtri *Legni*, quartus Bonaventura *Arigoni*, poſtremus Bernardinus *Salviati*. Dolore, fateor, contabui, & obrigui timore, dum alta voce legerentur impietates, quarum rei manifeſto, & publica confuſione convicti ſunt flagitioſiſſimi illi homines, negantes exiſtentiam Dei, immortalitatem animæ rationalis, Infernum & Paradiſum; dum audivi ſacrilegas, & hactenus inauditas blaſphemias, quas in Chriſtum Dominum Salvatorem noſtrum infrunito ore proferre ſoliti erant, nec non execranda libidinum monſtra, quibus ſeſe turpiter fœdabant, quæ hic referre pudor vetat, quæque non aliter, quam vivicomburio puniri debebant: mitiori tamen pœna in eos animadverſum eſt; quia impietates ſuas non ſolum confeſſi, ſed etiam coram Tribunali Sacræ Inquiſitionis deteſtati ſunt, eaſque palam induti habitu pœnitentiæ ejurarunt in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam, ubi a Reverendiſſimo P. Ludovico Maria *Lucino* O. P. Sanctæ Romanæ Inquiſitionis Commiſſario Generali ab excommunicatione majori, quam incurrerant, fuerunt abſoluti, & poſtea ad plangenda peccata ſua in carceribus S. Officii recluſi ſunt, cum hoc tamen diſcrimine, quod Silveſter *Legni*, qui alios ætate & impietate ſuperabat, quique Atheiſmum ejuravit die 25. menſis Januarii MDCCXIX. duro, arcto, & perpetuo carceri mancipatus ſit; alter ſeu Joannes *Vecchioli*, qui itidem die 25. Januarii ejuſdem anni Atheiſmum ejuravit, carceri ad ſeptennium addictus ſit; tertio, ſeu Julio *Legni*, qui Atheiſmum ejuravit die 26. ejuſdem menſis & anni MDCCXIX. quique impietate patrem ſuum æquabat, eadem ac patri impoſita fuerit pœna, ſeu durus, arctus, & perpetuus carcer. Denique alii duo, ſeu Bonaventura *Arigoni* & Bernardinus *Salviati*, qui pariter die XXVI. ejuſdem menſis & anni Atheiſmum ejurarunt, pœnam carceris ad decennium ſubire juſſi ſunt. Sic ubique terrarum puniri ac coerceri deberent impii illi homines, qui juvenum animos pravis colloquiis corrumpunt, eoſque falſæ libertatis, & in vitiis vitæque deliciis immunitatis promiſſa ſecuritate, ſenſim ſine ſenſu in Atheiſmum præcipitant.

§. XXXI.

De Paſchaſio Queſnello.

PAſchaſius Queſnellus Pariſiis natus eſt anno 1634. Poſt emenſa humaniorum litterarum, & theologiæ curricula, anno 1657. Oratorio Berulliano nomen dedit. Cum propoſitæ in Congregationis Comitiis Formulæ contra Baji & Janſenii aſſerta proprium calculum adjicere detrectaſſet, ut ſibi conſuleret, Bruxellas ſe recepit, ubi a Mechlinenſi Archiepiſcopo carceri addictus eſt: at amicorum opera effracto pariete Hollandiam petiit; ibique plura ſcripſit, quæ recenſebimus. Præ cæteris *Conſiderationes Morales in novum Teſtamentum* ingentes ei calamitates attulere. Prodiit primum hoc opus an. 1671. & ſolum quatuor Evangelia complectebatur unico volumine in 12. cum brevioribus quibuſdam Reflexionibus moralibus, adeoque probatum fuit Felici Vialard Catalauneuſium Epiſcopo, ut eodem anno die 9. Novembris edito paſtorali documento Eccleſiaſticis ſuæ Diœceſeos illud commendarit. Anno 1687. prolixiorem ſui Operis editionem vulgavit Queſnellus tribus voluminibus in 12., quæ Morales Conſiderationes in ſingulos N. T. libros complectebatur. Ampliorem adhuc edidit annis 1693. & 1694., atque tunc Opus numeris omnibus abſolutum viſum eſt. At

„ ad

ad Apoſtolicam Sedem delatum accuſatumque, die 13. Julii an. 1708. S. Inquiſitionis Decreto uti fidelibus perniciosiſſimum damnatum fuit. Sed quibuſdam adverſus hanc præſcriptionem obſtrepentibus, Rex Chriſtianiſſimus commotionibus fatigatus, quæ occaſione Queſnelliani Operis excitatæ fuerant, rem totam Clementi XI. dijudicandam obtulit, per ſuum in Urbe Oratorem petens, ut Queſnelli liber novo ſubjiciatur examini, pernicioſæque ex eo propoſitiones extrahantur, tum debita cenſura notentur. Regis Chriſtianiſſimi votis ſatisfecit Clemens XI. Imminentis Romani judicii conſcius factus Queſnellus datis litteris an. 1712. ſuppliciter audiri petiit, ſed fruſtra. Itaque die 8. Septembris anni 1713. Clemens celeberrimam adverſus ejuſdem librum Conſtitutionem edidit, incipientem *Unigenitus*, quam heic ſubjicimus.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei Univerſis Chriſtifidelibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ UNigenitus Dei filius pro noſtra & totius Mundi ſalute filius hominis factus, dum diſcipulos „ ſuos doctrina veritatis inſtrueret, univerſamque Eccleſiam ſuam in Apoſtolis erudiret, præſentia diſponens & futura proſpiciens, præclaro ac ſaluberrimo „ documento nos admonuit, ut attenderemus a falſis „ Prophetis, qui veniunt ad nos in veſtimentis ovium, „ quorum nomine potiſſimum demonſtrantur Magiſtri „ illi mendaces, & in deceptione illuſores, qui ſplendida pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuantes, introducunt Sectas perditionis ſub imagine ſanctitatis; utque facilius incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſe divinæ legis ſententiis, velut quibuſdam ovium velleribus obvolventes „ ſanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipſius novi „ Teſtamenti verbis, quæ multipliciter in ſuam aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: „ antiqui ſcilicet, a quo progeniti ſunt, mendacii parentis exemplo, ac magiſterio edocti, nullam omnino ad fallendum eſſe expeditiorem viam, quum ut „ ubi nefarii erroris ſubintroducitur fraudulentia, ibi „ divinorum verborum prætendatur auctoritas.

„ His Nos vere divinis monitis inſtructi, ubi primum, non ſine intima cordis noſtri amaritudine, accepimus librum quemdam Gallico idiomate olim impreſſum, & in plures tomos diſtributum, ſub titulo: „ *Le Nouveau Teſtament en François avec des Réflexions Morales ſur chaque Verſet* &c. *à Paris* 1699.; „ aliter vero *Abrégé de la Morale de l' Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres de S. Paul, des Epiſtres Canoniques & de l' Apocalypſe, ou Penſées Chrétiennes ſur le texte de ces livres ſacrez* &c. *à Paris* 1693. & 1694. tametſi alias a Nobis damnatum, ac revera catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiſcentem, adhuc tamen tanquam ab omni errore immunem a pluribus „ haberi, Chriſtifidelium manibus paſſim obtrudi, ac „ nonnullorum nova ſemper tentantium conſilio, & opera ſtudioſe nimis quaquaverſum diſſeminari, etiam „ latine redditum, ut pernicioſæ inſtitutionis contagium, ſi fieri poſſit, pertranſeat de gente in gentem, & de regno ad populum alterum; verſutis hujuſmodi ſeductionibus atque fallaciis creditum Nobis „ Dominicum gregem in viam perditionis ſenſim abduci „ ſummopere doluimus; adeoque Paſtoralis non minus „ curæ Noſtræ ſtimulis, quam frequentibus orthodoxæ „ fidei zelatorum querelis, maxime vero complurium „ Venerabilium fratrum, præſertim Galliæ Epiſcoporum, litteris, ac precibus excitati, gliſcenti morbo, „ qui etiam aliquando poſſet in deteriora quæque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

„ Et quidem ad ipſam ingruentis mali cauſam providæ Noſtræ conſiderationis intuitum convertentes, „ perſpicue novimus ſummam hujuſmodi libri perniciem ideo potiſſimum progredi, & invaleſcere, quod „ eadem intus lateat, & velut improba ſanies, nonniſi „ ſecto ulcere, foras erumpat, cum liber ipſe primo „ aſpectu legentes ſpecie quadam pietatis illiciat: molliti enim ſunt ſermones ejus ſuper oleum, ſed ipſi „ ſunt jacula, & quidem intento arcu ad nocendum „ parata, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Nihil „ propterea opportunius aut ſalubrius præſtari a Nobis „ poſſe arbitrati ſumus, quam ſi fallacem libri doctrinam generatim ſolummodo a Nobis hactenus indicatam, pluribus ſingillatim ex eo decerptis Propoſitionibus, diſtinctius & apertius explicaremus, atque univerſis Chriſtifidelibus noxia zizaniorum ſemina e „ medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quaſi „ in propatulo poſitis, non uno quidem aut altero, „ ſed plurimis graviſſimiſque tum pridem damnatis, „ tum etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus, benedicente Domino, fore ut omnes tandem „ apertæ jam manifeſtæque veritati cedere compellantur.

„ Id ipſum maxime e re catholica futurum, ſedandis „ præſertim in florentiſſimo Galliæ Regno exortis ingeniorum varie opinantium, jamque in acerbiores „ ſciſſuras protendentium diſſidiis apprime proficuum; „ conſcientiarum denique tranquillitati perutile, & propemodum neceſſarium non modo præfati Epiſcopi, „ ſed ipſe etiam in primis cariſſimus in Chriſto Filius „ noſter Ludovicus Francorum Rex Chriſtianiſſimus, „ cujus eximium in tuenda Catholicæ fidei puritate, „ extirpandiſque erroribus zelum ſatis laudare non poſſumus, ſæpius Nobis eſt conteſtatus, repetitis propterea vere piis & Chriſtianiſſimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis a Nobis efflagitans, ut „ inſtanti animarum neceſſitati prolata quantocius Apoſtolici cenſura judicii conſuleremus.

„ Hinc adſpirante Domino, ejuſque cæleſti ope confiſi, ſalutare opus ſedulo diligenterque, ut rei magnitudo poſtulabat, aggreſſi ſumus, ac plurimas ex „ prædicto libro, juxta ſupra recenſitas reſpective Editiones, fideliter extractas, & tum gallico tum latino „ idiomate expreſſas Propoſitiones a compluribus in „ ſacra Theologia Magiſtris, primo quidem coram „ duobus ex Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus accurate diſcuti; deinde „ vero coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium „ Cardinalium conſilio, quam maxima diligentia ac „ maturitate ſingularum inſuper Propoſitionum cum „ ipſomet libri textu exactiſſime facta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi & examinari „ mandavimus. Hujuſmodi autem Propoſitiones ſunt, „ quæ ſequuntur, videlicet.

„ 1. *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque „ ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas & ſegnis indigentia, „ hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?*

„ 2. *Jeſu Chriſti gratia, principium efficax boni cujuſcumque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum; abſque illa non ſolum nihil fit, ſed nec fieri „ poteſt.*

„ 3. *In vanum Domine præcipis, ſi tu ipſe non das, „ quod præcipis.*

„ 4. *Ita Domine. Omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.*

„ 5. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.*

„ 6. *Diſcrimen inter fœdus judaicum & chriſtianum „ eſt, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis a peccatore, relinquendo illum in „ ſua impotentia, in iſto vero Deus peccatori dat quod „ jubet, illum ſua gratia purificando.*

„ 7. *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in „ quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ vero felicitas non eſt „ admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat quod petiit a nobis?*

„ 8. *Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in „ quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ „ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.*

„ 9. *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.*

„ 10. *Gratia eſt operatio manus Omnipotentis Dei, „ quam nihil impedire poteſt, aut retardare.*

„ 11. *Gratia non eſt aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei, jubentis & facientis quod jubet.*

„ 12. *Quando Deus vult ſalvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis „ ſequitur voluntatem Dei.*

„ 13. *Quando Deus vult animam ſalvam facere, & „ eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.*

„ 14. *Quantumcumque remotus a ſalute ſit peccator „ obſtinatus, quando Jeſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.*

„ 15. *Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam æternam locutionem comitatur unctione ſui ſpiritus, & „ interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.*

„ 16. *Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris „ gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.*

„ 17.

„ 17. *Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jeſum Chriſtum; quicumque ad eum non venit poſtquam audivit vocem exteriorem filii, nullatenus eſt doctus a Patre.*

„ 18. *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.*

„ 19. *Dei gratia nihil aliud eſt, quam ejus omnipotens voluntas; hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis.*

„ 20. *Vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi a nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.*

„ 21. *Gratia Jeſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis, ſequela & imitatio operationis Dei incarnantis & reſuſcitantis filium ſuum.*

„ 22. *Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipſius voluntatis conſenſu, demonſtratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ & gratiæ: quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes a Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio.*

„ 23. *Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, qua creaturas e nihilo producit, & mortuis reddit vitam.*

„ 24. *Juſta idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jeſu Chriſti in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis animabus a cupiditate.*

„ 25. *Deus illuminat animam, & eam ſanat æque ac corpus ſola ſua voluntate; jubet, & ipſi obtemperatur.*

„ 26. *Nullæ dantur gratiæ niſi per fidem.*

„ 27. *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.*

„ 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.*

„ 29. *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.*

„ 30. *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.*

„ 31. *Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.*

„ 32. *Jeſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine Primogenitos, id eſt Electos de manu Angeli exterminatoris.*

„ 33. *Proh quantum oportet bonis terrenis & ſibimetipſi renuntiaſſe, ad hoc ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum Jeſum, ejus amorem, mortem & myſteria, ut facit S. Paulus dicens:* Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me!

„ 34. *Gratia Adami non producebat niſi merita humana.*

„ 35. *Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ & integræ.*

„ 36. *Differentia eſſentialis inter gratiam Adami & ſtatus innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt, quod primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet; iſta vero non recipitur niſi in perſona Jeſu Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus.*

„ 37. *Gratia Adami, ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata; gratia Chriſtiana nos ſanctificando in Jeſu Chriſto, eſt omnipotens & digna filio Dei.*

„ 38. *Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia liberatoris.*

„ 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris niſi ad ſe præcipitandum, virium niſi ad ſe vulnerandum; eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

„ 40. *Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.*

„ 41. *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in philoſophis Ethnicis, non poteſt venire niſi a Deo, & ſine gratia non producit niſi præſumtionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.*

„ 42. *Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium fidei; ſine hoc nihil niſi impuritas, nihil niſi indignitas.*

„ 43. *Primus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere ut moriamur peccato; adeo ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.*

„ 44. *Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones & actiones omnes noſtræ naſcuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remunerat: & amor, quo nos ipſos ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.*

„ 45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.*

„ 46. *Cupiditas aut caritas uſum ſenſuum bonum vel malum faciunt.*

„ 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eſt caritas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt quod apparet exterius; alioquin non eſt niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.*

„ 48. *Quid aliud eſſe poſſumus niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum ſine fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine caritate?*

„ 49. *Ut nullum peccatum eſt ſine timore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.*

„ 50. *Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi, ſi ſpiritus caritatis non eſt ille, qui clamat.*

„ 51. *Fides juſtificat quando operatur; ſed ipſa non operatur niſi per caritatem.*

„ 52. *Omnia alia ſalutis media continentur in fide tanquam in ſuo germine & ſemine; ſed hæc fides non eſt abſque amore & fiducia.*

„ 53. *Sola caritas Chriſtiano modo facit (actiones Chriſtianas) per relationem ad Deum & Jeſum Chriſtum.*

„ 54. *Sola caritas eſt, quæ Deo loquitur, eam ſolam Deus audit.*

„ 55. *Deus non coronat niſi caritatem; qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit.*

„ 56. *Deus non remunerat niſi caritatem, quoniam caritas ſola Deum honorat.*

„ 57. *Totum deeſt peccatori, quando ei deeſt ſpes; & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei.*

„ 58. *Nec Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt caritas.*

„ 59. *Oratio impiorum eſt novum peccatum; & omne quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium.*

„ 60. *Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eo magis ducit ad deſperationem.*

„ 61. *Timor nonniſi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur.*

„ 62. *Qui a malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo.*

„ 63. *Baptizatus adhuc eſt ſub lege ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore.*

„ 64. *Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccator ſive faciendo malum, ſive illud nonniſi ob timorem evitando.*

„ 65. *Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui ſunt, abſque eo quod ullum Deo dederint filium; cum non effecerint niſi mancipia per timorem.*

„ 66. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem ſicuti beſtiæ; ſed per fidem & per amorem ſicuti filii.*

„ 67. *Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.*

„ 68. *Dei bonitas abbreviavit viam ſalutis claudendo totum in fide, & precibus.*

„ 69. *Fides, uſus, argumentum, & præmium fidei totum eſt donum puræ liberalitatis Dei.*

„ 70. *Nunquam Deus affligit innocentem, & afflictiones ſemper ſerviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.*

„ 71. *Homo ob ſui conſervationem poteſt ſeſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.*

„ 72. *Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt quod ſit catholica, comprehendens & omnes Angelos Dei & omnes electos & juſtos terræ, & omnium ſæculorum.*

„ 73. *Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus filiorum Dei manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri ſæculi?*

„ 74. *Eccleſia ſive integer Chriſtus, Incarnatum Verbum habet ut caput, omnes vero Sanctos ut membra.*

„ 75. *Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona: unus ſolus Chriſtus, compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt ſanctificator.*

„ 76.

„ 76. *Nihil ſpatioſius Eccleſia Dei, quia omnes ele-*
„ *cti & juſti omnium ſæculorum illam componunt.*

„ 77. *Qui non ducit vitam dignam filio Dei, &*
„ *membro Chriſti, ceſſat interius habere Deum pro pa-*
„ *tre, & Chriſtum pro capite.*

„ 78. *Separatur quis a populo electo, cujus figura*
„ *fuit populus Judaicus, & caput eſt Jeſus Chriſtus,*
„ *tam non vivendo ſecundum Evangelium, quam non*
„ *credendo Evangelio.*

„ 79. *Utile & neceſſarium eſt omni tempore, omni*
„ *loco, & omni perſonarum generi ſtudere & cognoſce-*
„ *re ſpiritum, pietatem, & myſteria ſacræ Scripturæ.*

„ 80. *Lectio ſacræ Scripturæ eſt pro omnibus.*

„ 81. *Obſcuritas ſancta Verbi Dei non eſt laicis ra-*
„ *tio diſpenſandi ſe ipſos ab ejus lectione.*

„ 82. *Dies Dominicus a Chriſtianis debet ſanctificari*
„ *lectionibus pietatis, & ſuper omnia ſanctarum Scri-*
„ *pturarum. Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac*
„ *lectione retrahere.*

„ 83. *Eſt illuſio ſibi perſuadere, quod notitia myſte-*
„ *riorum Religionis non debeat communicari fœminis le-*
„ *ctione ſacrorum librorum. Non ex fœminarum ſimpli-*
„ *citate, ſed ex ſuperba virorum ſcientia ortus eſt Scri-*
„ *pturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes.*

„ 84. *Abripere e Chriſtianorum manibus novum Te-*
„ *ſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo*
„ *eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os ob-*
„ *turare.*

„ 85. *Interdicere Chriſtianis lectionem ſacræ Scriptu-*
„ *ræ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum lumi-*
„ *nis filii lucis, & facere, ut patiantur ſpeciem quam-*
„ *dam excommunicationis.*

„ 86. *Eripere ſimplici populo hoc ſolatium jungendi*
„ *vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius*
„ *praxi Apoſtolicæ & intentioni Dei.*

„ 87. *Modus plenus ſapientia, lumine, & caritate*
„ *eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate,*
„ *& ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœni-*
„ *tentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus ſatis-*
„ *facere juſtitiæ Dei, antequam reconcilientur.*

„ 88. *Ignoramus quid ſit peccatum, & vera pœni-*
„ *tentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bo-*
„ *norum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, &*
„ *detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem.*

„ 89. *Quartus decimus gradus converſionis peccatoris*
„ *eſt, quod, cum ſit jam reconciliatus, habet jus aſſi-*
„ *ſtendi ſacrificio Eccleſiæ.*

„ 90. *Eccleſia auctoritatem excommunicandi habet,*
„ *ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu, ſal-*
„ *tem præſumpto, totius corporis.*

„ 91. *Excommunicationis injuſtæ metus nunquam de-*
„ *bet nos impedire ab implendo debito noſtro. Nun-*
„ *quam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum*
„ *nequitia videmur ab ea expulſi, quando Deo, Jeſu*
„ *Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per caritatem affixi ſu-*
„ *mus.*

„ 92. *Pati potius in pace excommunicationem & ana-*
„ *thema injuſtum, quam prodere veritatem, eſt imita-*
„ *ri S. Paulum: tantum abeſt, ut ſit erigere ſe contra*
„ *auctoritatem, ac ſcindere unitatem.*

„ 93. *Jeſus quandoque ſanat vulnera, quæ præceps*
„ *primorum Paſtorum feſtinatio infligit ſine ipſius man-*
„ *dato: Jeſus reſtituit, quod ipſi inconſiderato zelo re-*
„ *ſcindunt.*

„ 94. *Nihil pejorem de Eccleſia opinionem ingerit*
„ *ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri*
„ *ſupra fidem fidelium, & foveri diviſiones propter*
„ *res, quæ nec fidem lædunt nec mores.*

„ 95. *Veritates eo devenerunt, ut ſint lingua peregri-*
„ *na quaſi pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædi-*
„ *candi eſt velut idioma incognitum; adeo remotus eſt*
„ *a ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem ca-*
„ *ptum fidelium. Neque ſatis advertitur, quod hic de-*
„ *fectus ſit unum ex ſignis maxime ſenſibilibus ſenectu-*
„ *tis Eccleſiæ, & iræ Dei in filios ſuos.*

„ 96. *Deus permittit ut omnes poteſtates ſint contra-*
„ *riæ prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui*
„ *non poſſit, niſi divinæ gratiæ.*

„ 97. *Nimis ſæpe contingit, membra illa, quæ ma-*
„ *gis ſancte ac magis ſtricte unita ſunt Eccleſiæ, deſpi-*
„ *ci atque tractari tanquam indigna ut ſint in Eccleſia,*
„ *vel tamquam ab ea ſeparata; ſed juſtus vivit ex fi-*
„ *de, & non ex opinione hominum.*

„ 98. *Status perſecutionis & pœnarum, quas quis to-*
„ *lerat tanquam hæreticus, flagitioſus & impius, ul-*
„ *tima plerumque probatio eſt, & maxime meritoria,*
„ *utpote quæ facit hominem magis conformem Jeſu*
„ *Chriſto.*

„ 99. *Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo*
„ *aut aliquid examinare, aut agnoſcere ſe fuiſſe dece-*
„ *ptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mor-*
„ *tis id, quod Deus in ſua Eccleſia poſuit, ut in ea*
„ *eſſet odor vitæ, V.G. bonos libros, inſtructiones, ſan-*
„ *cta exempla &c.*

„ 100. *Tempus deplorabile, quo creditur honorari*
„ *Deus, perſequendo veritatem, ejuſque diſcipulos, tem-*
„ *pus hoc advenit . . . . Haberi & tractari a Religio-*
„ *nis miniſtris tanquam impium & indignum omni*
„ *commercio cum Deo, tanquam membrum putridum,*
„ *capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt*
„ *hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtra*
„ *quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate,*
„ *& zelo quodam Religionis, perſequendo flamma fer-*
„ *roque viros probos, ſi propria paſſione eſt excæcatus,*
„ *aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult exami-*
„ *nare. Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, &*
„ *ſacrificamus Diabolo Dei ſervum.*

„ 101. *Nihil Spiritui Dei, & doctrinæ Jeſu Chriſti*
„ *magis opponitur, quam communia facere juramenta*
„ *in Eccleſia: quia hoc eſt multiplicare occaſiones peje-*
„ *randi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & effi-*
„ *cere, ut nomen & veritas Dei aliquando deſerviant*
„ *conſilio impiorum.*

„ Auditis itaque tum voce, tum ſcriptis nobis exhi-
„ bitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theolo-
„ gorum ſuffragiis, divinique in primis luminis, priva-
„ tis ad eum finem, publiciſque etiam indictis preci-
„ bus, implorato præſidio, omnes & ſingulas Propoſi-
„ tiones præinſertas tanquam falſas & captioſas, male
„ ſonantes, piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas, per-
„ nicioſas, temerarias, Eccleſiæ & ejus praxi injurio-
„ ſas, neque in Eccleſiam ſolum, ſed etiam in pote-
„ ſtates ſæculi contumelioſas, ſeditioſas, impias, blaſ-
„ phemas, ſuſpectas de hæreſi, ac hæreſim ipſam ſa-
„ pientes, nec non hæreticis & hæreſibus ac etiam
„ ſchiſmati faventes, erroneas, hæreſi proximas, plu-
„ ries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variaſque
„ hæreſes & potiſſimum illas, quæ in famoſis Janſenii
„ Propoſitionibus, & quidem in eo ſenſu, in quo hæ
„ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifeſte
„ innovantes, reſpective hac noſtra perpetuo valitura
„ Conſtitutione declaramus, damnamus & reproba-
„ mus.

„ Mandantes omnibus utriuſque ſexus Chriſtifideli-
„ bus, ne de dictis Propoſitionibus ſentire, docere,
„ prædicare aliter præſumant, quam in hac eadem no-
„ ſtra Conſtitutione continetur; ita ut quicumque illas,
„ vel illarum aliquam, conjunctim, vel diviſim docue-
„ rit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam diſputati-
„ ve, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan im-
„ pugnando, Eccleſiaſticis cenſuris, aliiſque contra ſi-
„ milia perpetrantes a jure ſtatutis pœnis ipſo facto,
„ abſque alia declaratione ſubjaceat.

„ Cæterum per expreſſam præfatarum Propoſitionum
„ reprobationem alia in eodem libro contenta nulla-
„ tenus approbare intendimus; cum præſertim in de-
„ curſu examinis complures alias in eo deprehenderi-
„ mus Propoſitiones illis, quæ ut ſupra damnatæ fue-
„ runt, conſimiles & affines, iiſdemque erroribus im-
„ butas; nec ſane paucas ſub imaginario quodam vel-
„ uti graſſantis hodie perſecutionis obtentu, inobedien-
„ tiam & pervicaciam nutrientes, eaſque falſo Chri-
„ ſtianæ patientiæ nomine prædicantes: quas propterea
„ ſingulatim recenſere & nimis longum eſſe duximus,
„ & minime neceſſarium; ac demum quod intolerabi-
„ lius eſt, ſacrum ipſum novi Teſtamenti textum da-
„ mnabiliter vitiatum compererimus, & alteri dudum
„ reprobatæ verſioni Gallicæ Montenſi in multis con-
„ formem, a vulgata vero editione, quæ tot ſæculo-
„ rum uſu in Eccleſia probata eſt, atque ab Orthodo-
„ xis omnibus pro authentica haberi debet, multipli-
„ citer diſcrepantem, & aberrantem, pluriesque in a-
„ lienos, exoticos, ac ſæpe noxios ſenſus non ſine ma-
„ xima perverſitate detortum.

„ Eumdem propterea librum, utpote per dulces ſer-
„ mones & benedictiones, ut Apoſtolus loquitur, hoc
„ eſt, ſub falſa piæ inſtitutionis imagine, ſeducendis
„ innocentium cordibus longe accommodatum, ſive
„ præmiſſis, ſive alio quovis titulo inſcriptum, ubi-
„ cumque & quocumque alio idiomate, ſeu quavis e-
„ ditione aut verſione hactenus impreſſum, aut in po-
„ ſterum (quod abſit) imprimendum, authoritate A-
„ poſtolica tenore præſentium iterum prohibemus, ac
„ ſimiliter damnamus; quemadmodum etiam alios o-
„ mnes & ſingulos in ejus defenſionem tam ſcripto
„ quam typis editos, ſeu forſan (quod Deus avertat)
„ edendos libros ſeu libellos, eorumque lectionem, de-
„ ſcriptionem, retentionem, & uſum omnibus & ſin-
„ gulis Chriſtifidelibus ſub pœna excommunicationis per
„ contrafacientes ipſo facto incurrenda prohibemus pa-
„ riter & interdicimus &c. Datum Romæ apud S. Ma-
„ riam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1713.

„ ſexto

„ ſexto idus Septembris Pontificatus noſtri anno decimo „ tertio “.

Ut ſe injuſte petitum hoc Apoſtolico diplomate, utque Janſenii partes tueretur, plura in vulgus edidit Queſnellus, quæ recenſet P. Richardus in Dictionario Univerſali Pariſiis edito 1761. Tom. IV. V. *Queſnel*, ubi accuratiſſimum illius Operum catalogum exhibet, qui hujuſmodi eſt: „ On a de lui: „ 1. Les *Reflexions Morales ſur le nouveau Teſtament*, „ en quatre volumes in 8. dont les éditions les plus „ complettes ſont celles de 1699. & de 1708. & dont „ il y a cent une propoſitions condamnées par la „ Bulle *Unigenitus Dei filius* qui fut donnée le 8. Septembre 1713. par le Pape Clement XI. 2. On a „ du Pere Queſnel une édition des œuvres de Saint „ Leon. 3. *Tradition de l'Egliſe Romaine ſur la prédeſtination des Saints, & ſur la grace efficace*, à „ Cologne 1687. quatre volumes in 12. ſous le nom „ du Germain Docteur en Théologie, 4. *Hiſtoire abrégée des Congregations* de auxiliis 1686. 5. *Apologie Hiſtorique des deux cenſures de Louvain & de Dovai ſur la matière de la Grace*, ſous le nom du „ Sieur Gery Bachelier en Théologie in 12. à Cologne 1688. 6. *La Diſcipline de l'Egliſe*, tirée *du nouveau Teſtament, & de quelques anciens Conciles*, „ deux volumes in 4. en 1689. à Lyon. 7. *Regles de la diſcipline Eccléſiaſtique, recueillies des Conciles, des Synodes de France, & des SS. Peres de l'Egliſe, touchant l'état & les mœurs du Clergé*. Cet „ ouvrage eſt du Pere Darcis de l'Oratoire, mais l'„ édition de 1679. eſt du Pere Queſnel. 8. *Cauſa Arnaldina* in 8. 1699. C'eſt un recueil des pièces latines qui ſont preſque toutes de M. Arnauld & de „ M. Nicole. 9. *Juſtification de M. Arnauld contre la Cenſure de* 1656. &c. à Liege en 1702. 3. vol. in 12. „ C'eſt encore un recueil de pièces. 10. Lettre à M. „ Vanſuſteren en 1703. 11. Motif de droit en 1704. „ principalement contre M. l'Archevêque de Malines „ & ſa procedure. 12. Lettre au Roi contre les Jeſuites 1704. 13. Lettre à M. le Chancelier, en 1704. 14. „ Lettre à un Archevêque 1704. 15. Lettre d'un particulier à un ami 1704. 16. Idée générale du libelle „ du fiſcal de Malines 1705. 17. Anatomie de la ſentence de l'Archevêque de Malines contre le Pere „ Queſnel in 12. 1705. 18. Memoire juſtificatif du recours qu'a le Pere Queſnel au Roi 1711. 19. Edition des Lettres de M. le Prince de Conti, & du „ Pere Dechamps Jeſuite avec des notes 1689. 20. Divers Ecrits touchant la fourberie de Dovai 1691. 21. „ Le Roman ſeditieux du Neſtorianiſme renaiſſant, convaincu de calomnie & d'eſtravagance 1693. 22. Trois „ humbles remonſtrances à M. Humbert de Precipiano, Archevêque de Malines ſur ſon Decret de 15. „ Janvier 1695. &c. in 12. 23. Memorial touchant les „ accuſations de Janſeniſme &c. 1696. 24. Hiſtoire „ abrégée de la vie & des ouvrages de M. Arnauld, „ ou queſtion curieuſe &c. 1690. pluſieurs fois réimprimée. 25. Défenſe de Deux Brefs de N. S. P. le „ Pape Innocent XII. 1697. 26. Lettre a M. Heyart, „ pour ſervir de ſupplement à la défenſe des deux Brefs „ en 1697. 27. Premier & ſecond memoire en faveur „ du Seminaire de Liege contre les prétentions des Jeſuites in 12. 1698. & quelques autres ouvrages ſur „ le même ſujet. 28. Solution de divers problèmes „ très-importants pour la paix de l'Egliſe &c. 29. La „ foi & l'innocence du Clergé de Hollande défendues, „ en 1700. 30. Le Pere Bouhours Jeſuite convaincu de „ ſes calomnies anciennes, & nouvelles contre MM. de „ Port Royal, ou Recueil des divers écrits faits contre ſes deux lettres, & d'autres libelles &c. 1700. „ 31. Avis ſincères aux Catholiques des Provinces unies ſur le Decret de l'Inquiſition contre M. l'Archevêque de Sebaſte 1704. 32. Trois memoires ſur „ l'introduction du Formulaire dans les Pays-Bas en „ 1707. 33. Lettre à M. Decker ſur ſon nouveau ſyſtême du Janſeniſme. 34. Divers abus & nullités „ du Decret de Rome du 4. Octobre 1707. contre M. „ L'Archevêque de Sebaſte en 1708. 35. Défenſe de la „ juſtice &c. dans la cauſe de M. Vandeneſſe, Paſteur „ de Sainte Catherine de Bruxelles contre M. l'Archevêque de Malines in 4. 1708. 36. Déſaveu d'un „ libelle calomnieux fauſſement attribué au Pere Queſnel. 37. Une réponſe aux deux lettres de M. de „ Fenelon, Archevêque de Cambrai en 1711. 38. Une „ réponſe a M. de Witte ſur ſon dernier écrit, où il „ pretend juſtifier ſa dénonciation de la Bulle de N. „ S. P. Clement XI. &c. en 1712. 39. L'intrigue découverte au ſujet de la lettre de M. L'Abbé Bochart de Saron en 1711. 40. Le Nouvel Adam. 41. „ Entretiens ſur le Decret de Rome du 13. Juillet „ 1708. contre les Reflexions Morales du nouveau Te„ ſtament. 42. Edition de la juſtification des Reflexions ſur le nouveau Teſtament en 1712. 43. Explication Apologetique des ſentimens du P. Queſnel „ dans ſes Reflexions ſur le nouveau Teſtament &c. „ 1712. 44. Vains efforts des Jeſuites contre la juſtification des Reflexions ſur le nouveau Teſtament, compoſée par M. Boſſuet in 12. en 1713. 45. Deux lettres au ſujet de la Conſtitution *Unigenitus* en 1714. „ 46. Proteſtation & plainte du Pere Queſnel contre „ la Bulle *Unigenitus* en 1715. 47. Sept Memoires „ pour ſervir à l'examen de la Conſtitution *Unigenitus* 7. vol. in 12. en 1713. 1714. 1715. & 1716. „ 48. Première lettre à M. l'Evêque de Poitiers du „ 12. Mars 1716. ſur le même ſujet. 49. Réponſe à „ une conſultation ſur le devoir d'une Religieuſe ſur „ le même ſujet en 1716. 50. Lettre à M. le Cardinal de Rohan ſur le même ſujet en 1716. 51. Lettre Apologetique à M. l'Evêque de Beauvais en „ 1716. 52. Deux actes d'appel de la Bulle *Unigenitus*, & une réponſe à quelques accuſations des Evêques ſur le même ſujet 1719. 53. Inſcription en faux „ ſur le même ſujet. 54. Juſtification du droit des „ chapitres d'Utrecht 2. vol. in 4. 1719. 55. La paix „ de Clement IX. contre l'Hiſtoire des cinq propoſitions de M. du Mas, Docteur de Sorbonne, à „ Chambery en 1700. 56. Une lettre au Pere de la „ Chaiſe Jeſuite, & pluſieurs autres lettres ſur le ſyſtême de la grace générale. 57. L'Idée du Sacerdoce, & du ſacrifice de Jeſus Chriſt. 58. Le trois conſecrations, la baptiſmale, la ſacerdotale, & la religieuſe in 8. 59. Elevations à Jeſus Chriſt ſur la „ paſſion, & ſur ſa mort in 18. 60. Jeſus pénitent „ in 12. 61. Du bonheur de la mort Chrétienne in „ 12. 62. Prières Chrétiennes, avec des pratiques de „ pieté 2. vol. in 12. 63. L'Office de Jeſus avec des „ Reflexions. 64. Nouvelles prières Chrétiennes, a„ vec des pratiques de pieté ſur la dédicace des Egli„ ſes &c. in 12. 65. Prières à N. S. J. C. au nom „ des jeunes gens &c. in 12. 66. Eloge Hiſtorique de „ M. Des-Mahis, Chanoine d'Orleans. 67. Recueil „ de lettres ſpirituelles ſur divers ſujets de morale, „ & de pieté in 12. 3. vol. à Paris, chez Barois en „ 1731.

Interim poſt editam Bullam *Unigenitus*, cum non pauci putarent in illa damnari magni Auguſtini doctrinam (quod tamen cum ipſe Clemens XI. tum alii Pontifices eſſe a vero alienum declaraverunt) ad futurum Œcumenicum Concilium appellarunt. Horum primi fuere quatuor Galliarum Epiſcopi Mirapiſcæ, Agathopolis ſeu Montis Peſſuli, Bononiæ, & Santii, qui Appellationis libellum vulgarunt anno 1717. die 1. Martii. Eidem libello die 5. ejuſdem menſis ex CX. Doctoribus, quibus Theologica Sorbonæ Facultas conſtabat, ſubſcripſerunt XCVII. duodecim nil decernentibus, & hæſitantibus, & uno tantummodo repugnante. Crevit inde magnopere multitudo adverſantium Conſtitutioni; atque hi ſunt qui dicuntur *Appellantes*. Verum ipſa Conſtitutio a majori Galliarum quoque parte recepta eſt, atque ne quis audeat ei refragari, ſolemni actu, quem *Juſtitiæ* vocitant, anno 1756. die 13. Decembris Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus XV. mandavit.

§. XXXII.

De Petro Jannonio.

PEtrus Jannonius, ſeu *Giannone* natus eſt anno MDCLXXVI. die octava menſis Maji in oppido vulgo dicto *Iſchitello*, qui locus in ea Apuliæ parte ſitus eſt, quæ Mons Garganus dicitur, ex mediocris quidem conditionis, ſed honeſtis parentibus, Patre Scipione *Giannone*, Matre vero Lucretia *Migaglia*, qui eum educarunt in ſolida pietate. Jam adoleſcens Grammaticam didicit, & politiores litteras in eodem oppido ſub optimo præceptore, qui erat quidam Monachus Franciſcanus, quo duce valde profecit. Adultus an. MDCXC. ætatis ſuæ decimo quinto jam completo, Parentum juſſu Neapolim petiit ſtudendi cauſſa *juriſprudentiæ*, quo in loco uſus eſt præceptore eximia doctrina prædito Dominico *Auliſio*, in Athenæo Neapolitano legum primario Profeſſore, ſub quo tum juriſprudentiæ, tum philoſophiæ, ac hiſtoriæ tam profanæ quam ſacræ, ut erat præcoci ingenio præditus, magno animi ardore operam dedit, nec ſine condiſcipulorum ac amicorum admiratione in iis quam maxime profecit. Deinde quum fori veſtigia ſequi ſtatuiſſet, præceptorem ſibi elegit doctiſſimum virum Cajetanum *Argentum* virum omnigena eruditione præditum, juriſprudentiæ ſplendorem, cujus laudes velle condigna panegyri proſequi, hic loci noſtrum non eſt. Sub hujus diſciplina adeo profecit, ut omnium ore ſummus cauſarum patronus ſalutaretur, &

merito. Plurimas cum ſui temporis celebrioribus Advocatis controverſias habuit, & maxime in materia, quæ dicitur *Juriſdictionalis*, multaſque compoſuit Allegationes doctiſſimas atque eruditas; & quamvis in foro aſſidue operam navaret, ita ut nil temporis ei ſupereſſet ad alia agenda; licet gravi hypochondriæ morbo laboraret, nihilominus noctes ducebat inſomnes, ſemper in evolvendis libris eruditis, & ad hiſtoriam noſtram pertinentibus occupatus; quibus in ſtudiis tantum progreſſus eſt, ut ſpatio viginti annorum magnis exantlatis laboribus, anno MDCCXXIII. Neapoli typis mandaverit celeberrimum ac eruditiſſimum Opus, ita inſcriptum: *Iſtoria Civile del Regno di Napoli libri XL. ſcritti da Pietro Giannone Giureconſulto ed Avvocato Napoletano*. Quod quidem Opus in quatuor volumina diſtributum eſt, quorum tomus primus continet libros octo, in quibus tractatur Politia Regni Neapolitani ſub Romanis, Gothis, Græcis, & Langobardis; alter vero continet politiam ipſiuſmet Regni ſub Northmannis, & Suevis, & in undecim libros eſt diſtributus. Tertius vero tomus agit de politia Regni ſub Regibus Andegavenſibus, & Aragonenſibus, quam rem expedit Author undecim libris. Quartus vero & ultimus tomus dividitur in decem libros, in quibus Author politiam Regni ſub Auſtriacis Principibus deſcribit. Quo in opere difficultates multas atque tenebras, quibus hiſtoria noſtra tot per ſæcula premebatur, qua per Chronologiam reſtitutam, qua per cæterorum factorum antiquorum circumſtantias optime examinatas, amovit, & ſuo nitori reſtituit. Huic Operi non parum adjumenti contulit Academia, quam in domo ſupradicti Cajetani *Argenti* ipſe Petrus frequentabat; cujus Academiæ inſtitutum erat materias eruditas, præcipue Regnorum utriuſque Siciliæ tractare; in quam quum adſcitus eſſet Petrus, Concubinatus antiqui tractatio ei ſorte obtigit; quam quidem tractationem cum vellet a prima origine ad noſtra uſque tempora digerere, oportuit hac occaſione totam hiſtoriam Regni ſub omnibus ſuis Principibus & Dynaſtis verrere, atque examinare. Hæc itaque origo Operis fuit. Opus ſane immortalitate dignum, niſi cenſuras incurriſſet Romanæ Curiæ, tum quia librum ſine Eccleſiaſtica adprobatione ipſe edidit, tum quia regia jura, vulgo *Regalia*, nimio ardore adſerebat adverſus eandem Romanam Curiam; a qua illius Opus ſtatim proſcriptum eſt Decreto feria quinta edito die 1. Julii an. 1723. atque hiſce verbis concepto: *In Congregatione Generali S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico coram Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio divina providentia Papa XIII. ac Eminentiſſimis & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus a S. Sede ſpecialiter deputatis, Sanctiſſimus Dominus noſter Innocentius XIII. habitis prius plurium inſignium in ſacra Theologia Magiſtrorum ac Profeſſorum, nec non memoratæ Congregationis S. R. E. in tota Republica Chriſtiana Generalium Inquiſitorum votis, libros typis editos, & in quatuor Tomos diviſos, quibus titulus eſt* Dell' Iſtoria Civile del Regno di Napoli ec. *prohibendos atque damnandos cenſuit, prout præſenti Decreto authoritate Apoſtolica omnino prohibet & damnat, uti continentes doctrinas, & propoſitiones quamplurimas falſas, temerarias, ſcandaloſas, ſeditioſas, per ſummam calumniam injurioſas omnibus Eccleſiæ ordinibus, & toti Eccleſiaſticæ hierarchiæ, præſertim S. Sedi Apoſtolicæ, erroneas, ſchiſmaticas, atque impias, & hæreſes ut minimum ſapientes. Hos igitur libros ſic prohibitos & damnatos Sanctitas Sua vetat, ne quis, cujuſcumque ſit ſtatus, & conditionis ullo modo, & ſub quocumque prætextu iterum imprimere vel imprimi facere, neque jam quocumque loco, & quocumque idiomate impreſſos apud ſe retinere & legere audeat, ſed eos ordinariis locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ſtatim & cum effectu tradere & conſignare teneatur ſub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis, aliiſque pœnis arbitrio Sanctitatis Suæ infligendis &c.* Cenſuris quoque Eccleſiaſticis ab Eminentiſſimo Franciſco Cardinali Pignatellio, Archiepiſcopo Neapolitano non ſolum percuſſus Jannonius, ſed etiam omnium Eccleſiaſticorum tum Sæcularium tum Regularium conſenſu atque vocibus laceſſitus undequaque, ſolum vertit ſibi ſummopere timens, ne a populo vocibus Eccleſiaſticorum concitato male adficeretur, exemplaribus editis apud amicos ſecreto depoſitis, ne in manus tum Curiæ Eccleſiaſticæ, tum Laicalis inciderent; nam Regium Collaterale Conſilium, adnitente tunc temporis maxime Prorege Althano Cardinali, eos inquirebat. Itaque ſolum vertere coactus Vindobonam petendam ſibi ſtatuit, ut ſub auſpiciis Caroli VI. Cæſaris, tunc temporis Regni Neapolitani Regis, tutam vitam agere poſſet. Itaque menſe Majo pedeſtri itinere Sipontum petiit, ex quo navi ad Littus Tergeſtanum traductus, circa finem menſis Junii anni ſupradicti Vindobonam pervenit. Interim Cæſar, ut animo liberali ſemper fuit erga omnes eruditos homines, aliquibus, qui apud eum plurimum tunc temporis gratia valebant, adnitentibus, Petrum ſubditum ſuum, & patrocinio ſuo, & liberalitate dignatus eſt; nam ei permiſit Vindobonæ tutam vitam agere, & annua mercede florenorum mille cohoneſtavit. Qua in urbe dum ſine timore verſaretur, non ſe in otium abdidit, ſed dies atque noctes plurima meditatus eſt; & primo reſponſionem adverſus librum R. P. Joſephi *Sanfelicis* Societatis Jeſu Sacerdotis atque Theologi, qui omnium primus, mentito nomine, & ſub larva *Euſebii Philopatræ* duos tomos edidit Coloniæ, ſed revera Neapoli, anno MDCCXXVIII. quorum titulus: *Rifleſſioni morali e Teologiche ſopra l' Iſtoria Civile del Regno di Napoli*. Hoc Opus conſtat epiſtolis triginta quinque, quibus ille ſphalmata multa atque errata in hiſtoria Regni, ne dicam hæreſes, ſe reperiſſe gloriatur, atque librum authoremque igne ferroque exterminandum cenſet. Tantum facinus non cenſuit inultum relinquendum eſſe Petrus. Statim itaque novum Opus meditatus eſt, quo & Adverſarii ineptias in hiſtoria perſtringeret, & propriam hiſtoriam a culpis atque erroribus, quorum accuſabatur, vindicaret. Et quia a prædicto *Euſebio* & quoad mores, & quoad cetera fortunæ bona etiam laceſſitus fuerat nimis inepte, nil mirum eſt, ſi Petrus atra bile, qua multum laborabat, Adverſarium ſuum, quem prius telis jaculiſque plurimis adfixerat, multo etiam ſale poſtea perfricaverit. Hinc illæ amaræ ironiæ, hinc illi ſales, quibus & Opus illud oppletum eſt, & Adverſarium ſuum & Monachos, Monachorumque ſectatores, ſpretu, atque cachinnis ille perſtringit. Operi titulum fecit *Profeſſione di Fede ſcritta da Pietro Giannone al P. Giuſeppe Sanſelice Geſuita dimorante in Roma, per la di cui ſantità, e fervorato zelo, e calde eſortazioni, s' è il medeſimo convertito a quella credenza, che è inculcata dalle ſue Rifleſſioni Morali e Teologiche*. Hoc Opus typis tunc temporis non eſt editum, ſed manuſcriptum tantum vulgatum eſt. Siluit Euſebius; & Euſebii ſors non terruit P. Sebaſtianum *Pauli*, Clericum Regularem Congregationis Matris Dei, virum eruditum, atque Oratorem celeberrimum, quin adverſus hiſtoriam civilem, ſuppreſſo nomine, inſurgeret, Opuſculo edito italice, cui titulus: *Annotazioni critiche ſopra il nono libro del Tomo ſecondo della Storia Civile di Napoli del Sig. Pietro Giannone, qual nono libro è compoſto in 56. pagine in quarto*, ſine nota tum loci, tum temporis. Contendebat Reverendus Pater prædictus in nono libro Hiſtoriæ Civilis multa ſphalmata tam in Chronologia, quam in Hiſtoria Northmannorum ab Auctore admiſſa eſſe, quæ amico ſuo aperit, nam Epiſtolæ formam Operi aptavit. At Petrus, qui nondum animo quieverat præteritum ob bellum ſuſceptum contra Euſebium, ut erat nimio calore præditus, ſtatim adverſus Adverſarium ſuum inſurrexit edito Opuſculo, cui titulus: *Riſpoſta alle Annotazioni critiche ſopra il nono libro della Storia Civile del Regno di Napoli, anno* MDCCXXXI. ſine nota loci, & temporis, & larvam ſicuti detraxit Euſebio, ſic auctorem hujus Opuſculi omnibus palam fecit: qua Reſponſione propriæ hiſtoriæ defenſionem ſuſcepit, & Adverſarium qua factis, qua rationibus, qua conjecturis, nunquam ſine lepore, a veritate aberrantem in ſemitam reducere conatus eſt. Quies hinc nata Petro Jannonio. Interim Vindobonæ moram dum agit, & Procerum Aulas dum colit, amicorum, qui in urbe Neapolitana degebant, & negotia procurabat apud Cæſaris Miniſtros, & reliquum temporis ſtudio donabat vel in Cæſarea Bibliotheca, vel in propriis ædibus. At quum dignum exiſtimaſſet cura ſua amicos certiores facere tum de Conſiliis, tum de Dicaſteriis urbis Vindobonæ, ut expeditius faciliuſque dignoſcerent, quæ cauſſa, quo in Conſilio, vel Dicaſterio agenda eſſet, de his Conſiliis & Dicaſteriis Opuſculum edidit ad commodum & inſtructionem tum peregrinorum Vindobonam convenientium, ut res ſuas procurarent, tum exterorum alibi degentium, ut prædicta Conſilia ac Dicaſteria cognoſcerent, & rei ſuæ magis conſulerent. Opuſculo nomen inſcripſit: *Jani Perontini Juriſconſulti de Conſiliis ac Dicaſteriis, quæ in urbe Vindobona habentur, liber ſingularis. Halæ Magdeburgicæ* MDCCXXXII. At non licuit amplius Petro pace propriis laboribus ſibi parta quæſitaque frui, & operam navare amœnioribus litteris. Res ita ſe habuit. Philippus V. Hiſpaniarum Rex Regna utriuſque Siciliæ ut ſibi vindicaret, negotium marti commiſit, & expeditionis ducem ſelegit Carolum Borbonium, Hiſpaniarum Infantem, ſuum filium, qui dux brevi Regnum Neapolitanum Hiſpanicæ Monarchiæ ſubdidit, atque parva mora interjecta ſortem ſimilem experti ſunt Siculi: quæ

Regna poſtea ab eodem Rege Philippo ipſi belli duci Carolo donata fuerunt, a quo omnes mercedes, quæ variis de cauſſis ſolvebantur, extinctæ fuerunt in beneficium Regii Fiſci. Hinc cauſſa Petro ut Vindobonam deſereret, quo in loco nimis anguſte quoad rem familiarem, ei vivendum erat, ſi diutius ibi vitam ducere vellet. Mercede enim ab Imperatore ei donata deſtituebatur, quæ conſtabat ex proventibus, qui vulgo appellantur *Dirictus Secretariæ Siculæ*: itaque ut rei ſuæ magis conſuleret, & quia ſperabat poſſe in Patriam remeare, ſtatuit inde diſcedere. Vale itaque dicto Vindobonæ, Italiam petiit, & Venetiis domicilium conſtituit; quem in locum pervenit die 2. menſis Septembris MDCCXXXIV. & a Cl. Senatore Angelo Piſano comiter exceptus eſt; at ibi ei multum non licuit immorari; nam anno vix elapſo ex improviſo Reipublicæ mandato die XIV. menſis Septembris anno MDCCXXXV. inde expulſus fuit, & extra Reipublicæ juriſdictionem ejectus. Interim quum Petrus undequaque ſibi pericula imminere conſpiceret, nec Vindobonam iterum petere, cui vale dixerat, nec Patriam, in qua Eccleſiaſticos omnes timebat, nec Romam, a qua præcipue timendum erat, ſe conferre auſus eſt. Itaque admodum dubius mentito nomine, nempe ſub nomine Antonii *Rinaldi*, primo Mutinam petiit; quo in loco circa menſem moratus Mediolanum contendit; & dum ibi una cum Joanne *Jannonio* ſuo filio naturali itineris comite morari ſtatuit ſub auſpiciis Regis Sardiniæ, fortuna eum fefellit; nam ejuſdem Regis mandato Senatus Mediolanenſis eum exſilio multavit circa finem menſis Novembris anno MDCCXXXV. Itaque ſtatuit Genevam ſecedere, quæ urbs quaſi Italiæ oſtium eſt, donec conatibus amicorum, qui apud Miniſtros Regis utriuſque Siciliæ nullum officium omittebant, ut eum aliquo honore decoratum in Patriam reducerent, fortuna faveret. Quo loci die ſexta menſis Decembris anni ejuſdem pervenit, & apud Carolum *Sheneve* ejuſdem civitatis hominem hoſpitium ſumſit, & frequenter ad Bibliopolam Jacobum Boſquet ventitabat. Hac in Civitate quatuor menſes moratus eſt, & interim tomum quintum Hiſtoriæ Civilis incœptum Vindobonæ, continuatum Venetiis perfecit. Ut vero animum a curis quibus premebatur, ſubducere tantiſper valeret, invitante præcipue Joſepho Guaſtaldi, Regi Sardiniæ a Cubiculo, qui ex ejus contubernio multam voluptatem capere ſe fingebat, & cui ipſe multum fidebat, ſtatuit ruſticam quamdam domum in Sabaudia ſitam, & a prædicto amico Guaſtaldo ei oblatam petere, ut ibi feriaretur per dies aliquot: quæ domus ſita erat in loco dicto *Veſene*. Haud mora, comitante eodem amico, die XXV. menſis Martii MDCCXXXVI. rus prædictum petiit; ea etiam de cauſſa ut paſchalem eo loci communionem ſumeret; quod multum valiturum ad famam tutandam, quam ejus inimici lacerabant, Guaſtaldus ſæpius incolcaverat. At vix dum eo pervenit, quod ſtatim in laqueum ſe incidiſſe cognovit; nam & locus prædictus Regis Sardiniæ juriſdictioni erat ſubjectus, & nondum prima nox tranſierat, quum Regis Miniſtri eum dormientem aggrediuntur, & bene cuſtoditum abducunt, atque in carcerem civitatis Cameriaci, quæ Sabaudiæ urbs eſt, conjiciunt: quo in carcere per dies quatuordecim moratus eſt; fuitque ad illum cum militibus ductus a Guaſtaldo, mortalium peſſimo. Inde in Caſtrum *Miolans* dictum translatus fuit, quod oppidum diſtat a Cameriaco duodecim mille paſſus, ibique per menſes decem & octo detentus eſt. Quo loci ſolitariam vitam ducere debuit, interdictus commercio aliorum & libris, excepto Tito Livio. At qui vivido ingenio a natura donatus eſt, ut experientia conſtat, inertem vitam agere non poteſt. Hinc Petrus novum munus adgreditur, ut tædia otii carceriſque leniret, & Decades Livii vulgari ſermone reddere ſuſcipit, & vitæ ſuæ heu nimis tragicæ hiſtoriam texere. Utrumque opus eodem temporis ſpatio perfecit, ut teſtatur prædictus ejus filius naturalis ſocius Patris in eadem tragœdia & amanuenſis. Quo tempore elapſo, nempe die XIV. menſis Septembris an. MDCCXXXVII. Regii milites inde eum abducunt, atque a filio divellunt, quem ſui juris pronunciant, atque ut intra non multos dies extra Regis ditionem ſe conferat, jubent, & interim aliquot aureis eum donant itineris impenſis ſubeundis. Sic ipſe invitus invitum patrem relinquit, cui ne ut vale diceret quidem permiſſum fuit. At Petro longe alia ſors; nam & ſcriptis ſpoliatus, ſortis ſuæ incertus Taurinum perducitur, & in carceres ſitos ad portam ejuſdem urbis, quæ Padi, vulgo *del Pò*, nuncupatur, conjicitur; quo loci per ſex menſes detentus fuit, etiam interdictus hominum commercio, & omnibus libris, exceptis Operibus P. Pauli Segneri S. J. quorum uſus permittente Marchione Ormea, ei a R. Sacerdote ſæculari Aſtrua conceſſus fuit. Horum lectione dum ſummopere delectabatur, fruebaturque etiam colloquiis P. Joannis Baptiſtæ *Prever*, D. Philippi Nerii Oratorii Presbyteri, hominis ſingularis probitatis fama conſpicui, ſacræ Inquiſitionis Vicarium ſponte, ut ad ſe veniret, requiſivit, cum quo poſtquam longum ſermonem habuiſſet, tandem ſtatuit errores ſuos abjurare. Itaque die XXIV. menſis Martii MDCCXXXVIII. in iiſdem carceribus coram Inquiſitore ſupremi Tribunalis ſacræ Inquiſitionis abjuravit omnes Propoſitiones erroneas, falſas, ſcandaloſas, & ut minimum hæreſim ſapientes, quæ in ſcriptis ab eo compoſitis reperiuntur, ut ex actis patet ejurationis, quæ mox ſubjungemus. Hoc in actu ita ſe geſſit, ut veterem hominem eum in totum exuiſſe putares, & novum & Chriſtianum induiſſe. Itaque die IV. menſis Aprilis ejuſdem anni abſolutus fuit ab eodem Inquiſitore; & die XV. ejuſdem menſis Regis mandato translatus fuit in Caſtrum civitatis Cebæ, quæ in Pedemontio eſt, ibique ad annum uſque MDCCXLV. permanſit, quo denuo Taurinum perductus in Arce regiæ urbis conſedit, piis iterum P. *Prever* modo commemorati officiis commendatus. Hoc in loco deceſſit die 17. Martii anni MDCCXLVIII. cum annum ageret ſecundum ſupra ſeptuageſimum. Ingenio fuit præcoci, atque ad omnia apto, ut ex ejus ſcriptis adparet: memoria pollebat, ut amicis notum eſt: hypochondria laborabat: ſanitatem ut tueretur, matutina deambulatione delectabatur. Ciborum parcus: Litteratorum & eruditorum hominum amiciſſimus fuit. Hæc ſunt fere, quæ de Petro Jannonio memoriæ commendavit, dum hic adhuc inter vivos ageret, Auctor anonymus, cujus libellum Parti primæ Tomi II. Joannes Lamius Operis inſeruit, quod inſcripſit: *Memorabilia Italorum eruditione præſtantium, quibus vertens ſæculum gloriatur*. His nos adjiciemus *Abjurationem* ſeu palinodiam, de qua ſupra diximus. Pluries hæc edita eſt; noviſſime vero Tom. II. Operum Poſthumorum ejuſdem Jannonii, quæ Venetiis an. 1768. typis Joannis Baptiſtæ Paſquali prodierunt, pagg. 117. & ſeqq. Ita autem ſe habet, atque inſcripta eſt:

ABIURA

Di Pietro Giannone Giureconſulto Napoletano

„ Fatta avanti il Vicario Generale del S. Officio
„ di Torino Delegato del Tribunale dell' Inquiſi-
„ zione di Roma. Eſtratta dagl' Atti del medeſimo
„ Tribunale dal P. Maeſtro Fra Gian-Domenico A-
„ gnani Bibliotecario in S. Domenico della Minerva
„ di Roma, e tranſmeſſa in Napoli al P. Abate D.
„ Placido Troyli dell' Ordine Ciſtercienſe Teologo del-
„ la fedeliſſima Città di Napoli ed Iſtorico del Re-
„ gno.

„ *Acta Retractationis, ſeu Abjurationis Petri Gian-*
„ *none, die* 24. *Martii* 1738.

„ *Attentis litteris ſacræ, & ſupremæ Congregationis*
„ *ſub die decima quarta Martii anni currentis, & re-*
„ *ceptis per Tabellionem ſub die vigeſima prima ejuſ-*
„ *dem una cum commiſſione & inſtructione nobis tranſmiſ-*
„ *ſa de modo ſumendi ſpontaneam comparitionem, ſeu*
„ *retractationem, aut abjurationem Doctoris Petri Gian-*
„ *none Neapolitani detenti in carceribus laicalibus po-*
„ *ſitis ad Portam dictam* del Po, *prout ipſemet petiit*
„ *a Sacra Congregatione, prout in litteris, & pariter*
„ *eodem tempore, & cum ejuſdem litteris, compendio-*
„ *ſum Reſcriptum omnium ejuſdem reatuum ob majo-*
„ *rem informationem ſumendi ſupradictam retractatio-*
„ *nem ſpontaneam cum ordine communicandi ipſam Pa-*
„ *tri Prever Congregationis Oratorii Sancti Philippi,*
„ *tamquam Confeſſori, & Directori ejuſdem, veluti lu-*
„ *men ad efficaciorem aſſiſtentiam pro exoneratione con-*
„ *ſcientiæ ipſius* Petri Giannone. *Ideo communicata di-*
„ *cta inſtructione prædicto Patri Prever, admodum Re-*
„ *verendus Pater Magiſter Frater Joannes Albertus Al-*
„ *ferius Vicarius Generalis Sancti Officii Taurini his*
„ *omnibus conſideratis, & excuſſis, decrevit ſe trans-*
„ *ferre ad dictos carceres, & ad ſupradictum Petrum*
„ Giannone, *ad effectum, ſecundum inſtructionem, ſu-*
„ *mendi ſupradictam ſpontaneam comparitionem, &*
„ *abjurationem prout fuerit in mei præſentia.*

„ *Ita eſt; Frater Joannes Thomas Villata Notarius*
„ *Sancti Officii, die quarta Aprilis milleſimo ſeptin-*
„ *genteſimo trigeſimo octavo.*

„ *In exequutione ſupradicti Decreti, ſupradictus Re-*
„ *verendus P. M. F. Joannes Albertus Alferius Vica-*
„ *rius Generalis Sancti Officii Taurini ſe contulit ad*
„ *carceres ſitos ad portam dictam* del Po, *& ad ſupra-*
„ *dictum Doctorem Petrum* Giannone *Neapolitanum de-*
„ *tentum in dictis carceribus ad effectum, ut ſupra, in*
„ *meique infraſcripti Notarii aſſumti præſentia & im-*
„ *mediate, ſponte, & perſonaliter comparuit coram*
„ *eodem,*

„ *eodem, loco, ut supra, supradictus Doctor Petrus* „ Giannone *in dictis carceribus detentus una cum eo-* „ *dem Patre Joanne Baptista Prever Congregationis O-* „ *ratorii Sancti Philippi Nerii Notario assumto, & tan-* „ *quam Confessore Directore ipsius Petri, ætatis suæ an-* „ *norum sexaginta sex, filius quondam Scipionis, Nea-* „ *politanus, petens audiri pro exoneratione conscientiæ* „ *suæ, cui data facultate, & juramento veritatis di-* „ *cendæ, quod præstitit tactis Scripturis, & Evange-* „ *liis, deposuit, ut infra.*

„ Ho fatto chiamare voſtra Paternità con aver fatto „ ricorſo alla Sagra Congregazione per eſſere ſponta- „ neamente ſentito, affine di ſgravare la mia conſcien- „ za, e per potere godere la miſericordia del ſagro „ Tribunale dell' Inquiſizione, con deporre tutti i miei „ reati ai piedi del medeſimo, ed ottenere, ſe ſi com- „ piace, l'aſſoluzione, intendendo abiurare come verrà „ dal Tribunale giudicato, deteſtare, e ritrattare tutto „ ciò, in che poſſa avere, e con iſtampe, e con ma- „ noſcritti, o con fatti, o in parole mancato, ſotto- „ mettendo in tutto, e per tutto alla S. Madre Chie- „ ſa, ed al ſacro Tribunale del S. Officio.

„ In eſecuzione dunque della mia ſpontanea com- „ parſa, per fare la più ſincera, e reale ritrattazione, „ e rendermi più capace della miſericordia di queſto „ Tribunale, colle mie proprie mani ho ſcritto in „ queſti fogli tutto ciò che poſſo del mio reato com- „ meſſo, e capace di cenſura. Quali fogli tengo qui „ pronti per preſentarli a voſtra Paternità quando me „ lo comanderà.

„ *His habitis, & auditis cum dixerit supradictus* „ *Doctor Petrus Giannone habere penes se quædam fo-* „ *lia manuscripta, in quibus reperiuntur omnes reatus* „ *digni censura, motivo illa præsentandi S. Officio,* „ *ideo ponit super Bancum Juris.*

„ *Et facto posuit super Bancum Juris sex folia longi-* „ *tudinis unius palmi, & duorum digitorum, lati-* „ *tudine fere unius palmi, scripta tantum per colu-* „ *mnam in tribus foliis ex utraque parte, & primum* „ *folium* incipit: *Intorno all' Istoria Civile* in princi- „ pio, & in fine a *condannare li miei errori, e debo-* „ *lezza umana. Quæ folia signata litera A. posita* „ *fuerunt in actis, tanquam per modum suæ spontaneæ* „ *comparitionis; & primo*

„ I. Intorno all'iſtoria Civile del Regno di Napoli „ dico che non ebbi altra mira ſe non che di chiarire „ la polizia, e le leggi di quel Regno, e poichè non „ poteva nettamente concepirſi ſe non con dare una „ idea dell' Ordine Eccleſiaſtico, che occupa la mag- „ gior parte di quello, mi convenne trattare degli Or- „ dini Regolari, e con tale occaſione degli abuſi. Se „ ho ecceduto in narrargli, come ora me ne accorgo, „ intendo ritrattarmene; e ſe poteſſi, vorrei che ora „ foſſero annullate tali ſtampe, affinchè non ſi apporti „ per quelle ſcandalo ad altri, e danno alla Chieſa; „ con che li condanno, e ritratto.

„ Perciò che riguarda la riſpoſta fatta al P. Sanfeli- „ ce, il quale con due Tomi in quarto ſtampati in „ Roma, ſcriſſe non tanto contro l' Iſtoria ſuddetta, „ quanto contro il ſuo Autore, caricandolo di molte „ contumelie, ſicchè dal Conſiglio Collaterale di Na- „ poli fu dichiarato per Libello famoſo, non ebbi ani- „ mo di offendere la Chieſa di Roma; ma fu dettata „ unicamente per deridere il P. Sanfelice, il quale m' „ imputa d'Eretico, perchè aveva finte maſſime eſor- „ bitanti della poteſtà Pontificia, facendogli vedere che „ quelle ſi leggono in più Autori Romani, e ben ſa- „ pendo, che Autori ſerj, e gravi abborrivano tali „ maſſime: e così parimente de' miracoli, che ſi nar- „ rano da altri Scrittori, non approvati da più gravi, „ e ſerj. Nè inteſi mai, che quella ſcrittura ſi pubbli- „ caſſe, nè mai conſentii che quella foſſe data alle „ ſtampe: anzi procurai che non mai ſi ſtampaſſe, co- „ me fatta per puro ſcherzo, e per deriſione del Pa- „ dre Sanfelice preſſo li miei amici; e con dolore ſep- „ pi poi che manoſcritta giraſſe intorno; onde ſiccome „ non fu mia volontà di pubblicarla, così ora prote- „ ſto, e deſidero che ſe ne ſpenga affatto ogni memo- „ ria, e la caſſo, irrito, e ritratto, avendola come „ non foſſe ſcritta nè mai da me dettata.

„ Terzo: Intorno al libro de Conſiliis, & Dicaſteriis „ urbis Vindobonæ, queſto libro non lo riconoſco per „ mio, ma fu rifatto da una mia Relazione manoſcrit- „ ta, che io mandai in Napoli ad un Reggente del „ Conſiglio Collaterale, il quale mi ricercò che gli „ inviaſſi una diſtinta Relazione di tutti i Conſigli, e „ Dicaſterj di Vienna, la quale la dettai in lingua Ita- „ liana, e gliela mandai per ſua inſtruzione, ed uſo; „ non già che doveſſe pubblicarſi in ſtampa. Poi ſeppi „ che capitata in mano di alcuni Tedeſchi, la fecero „ tradurre in lingua latina, e che la dettero alle ſtam- „ pe, molto alterata però dal ſuo originale manoſcrit- „ to in lingua Italiana; onde non devo riconoſcerlo „ per mio, e perciò tutte le propoſizioni, che per „ cauſa mia ſi foſſero ritrovate in quello, ſcandaloſe, „ temerarie, falſe, contumelioſe, erronee, e proſſime „ all' Ereſia, anche le ritratto, e condanno, abbiuro, „ e deteſto.

„ Quarto: Perciò che riguarda gli altri manoſcritti „ mandati in Roma dalla Regia Maeſtà del Re di „ Sardegna, il primo de' Rimedi contro le ſcomuniche „ invalide, fu dettato contro la cenſura del Vicario di „ Napoli, il quale credette poterla fulminare, perchè „ io non aveva cercato a lui la licenza di potere ſtam- „ pare l'Iſtoria Civile del Regno di Napoli; onde fu „ compoſto per mia difeſa, affinchè foſſe rimoſſa come „ nulla ed invalida, e le altre parti, che la compon- „ gono, *de' modi de' quali i Principi poſſo valerſi per* „ *farla rivocare*, furono dettate nel caſo che il Vica- „ rio non voleſſe da ſe ſteſſo rivocarla; ma tutte que- „ ſte ſcritture non furono fatte per darſi alle ſtampe, „ nè poi più ſervirono, poichè il Cardinal Pignatelli „ allora Arciveſcovo di Napoli, conoſciuto il motivo „ in cui ſi appoggiava la cenſura, ed il mio ricorſo „ fatto a ſua Eminenza perchè la toglieſſe, mentre io „ era in Vienna mi mandò l'aſſoluzione; e fu rimeſ- „ ſa, e caſſata da quell' Arciveſcovo; onde non fu d' „ uopo nemmeno pubblicare quelle ſcritture, ma rima- „ ſero in profondo obblio, come quelle che più non ſer- „ vivano: nè ebbi mai l'animo di ſtamparle, e dovun- „ que manoſcritte ſi trovino, anche ora le caſſo, irri- „ to e ritratto, abbiuro, e deteſto.

„ Così l'altro manoſcritto intorno alla proibizione „ de' libri non fu compoſto per darlo alle ſtampe, ma „ unicamente per ſincerare l'animo debole di alcuni, „ e per dimoſtrare quanto potei a mia difeſa in quelle „ propoſizioni, ſopra le quali ſi appoggiò la proibizio- „ ne; ma queſto non biſognò, e ſi tenne ſempre naſco- „ ſto per non pubblicarſi, onde ſe in quello ci foſſe „ eccelſo, come conoſco eſſervi, nè ſi conformaſſe alla „ ſanta credenza della Chieſa Romana, lo rivoco, ri- „ tratto, abbiuro, e deteſto.

„ Quinto: Per ciò che riguarda gli altri manoſcritti, „ e note, che teneva meco, e ritrovati non ſono, „ che cartole, e piccole memorie che ſecondo andava „ leggendo alcuni autori io notava, ed ancorchè aveſ- „ ſero relazione fra di loro, e portaſſero ſeco un grup- „ po di diverſi errori, non furono da me abbracciati, „ ma unicamente per notare gli altrui ſentimenti; ed „ in ciò confeſſo di avere errato, perchè non doveva „ nè leggere tali libri, nè traſcrivere da eſſi tali erro- „ ri, onde tutte le ſuddette memorie deſidero che ſi „ caſſino, aboliſcano, e non ſi ſerbi di eſſe memoria, „ nè veſtigio alcuno, mentre le deteſto, irrito, ritrat- „ to, ed aboliſco.

„ Seſto: Intorno al ritratto del Concubinato, non „ ſi ebbe animo di darlo alle ſtampe, ma fu ſcritto iſto- „ ricamente per difeſa di due capi dell' Iſtoria Civile, „ dove io parlava del Concubinato antico de' Romani; „ nè mai ho creduto che quello oggi foſſe permeſſo. „ Con tutto ciò mi rincreſce avere meſſo in ſcritto tal „ materia, dalla quale avrebbe potuto forſe recarſi „ ſcandolo. E perciò ſiccome non ebbi animo di ſtam- „ parlo, così deſidero che ſe ne perda ogni memoria, „ e ſi abbia come non ſcritto, che però lo deteſto, ir- „ rito, ed abbiuro.

„ Settimo: In quanto agli ſcritti filoſofici ben ſi co- „ noſce che non ſono miei ſentimenti, ma bensì d'al- „ tri filoſofi, a' quali non mi uniformai, anzi in al- „ tre cartuccie furono da me notati i loro abbagli, e „ da me conoſciute le beſtemmie, e propoſizioni „ ereticali, e li ſcriſſi per notarli, non già per abbrac- „ ciarli, le quali propoſizioni abbiuro, e deteſto.

„ Per ultimo: Quanto mai ſi trovaſſe in tali car- „ tuccie, e manoſcritti, ed ogni mia memoria, che „ non foſſe conforme alla S. dottrina della Chieſa, e „ che poteſſe altrui eſſere di ſcandolo, e di errore, „ tutte ritratto, rifiuto, ed abbiuro, e prego la divina „ miſericordia, che ſiccome mi ha dato lume di cono- „ ſcere i miei errori, ſicchè ne aveſſi potuto avere pie- „ no dolore, e pentimento, così mi conceda il ſuo „ perdono, ſiccome lo chieggo alla Santa Madre Chie- „ ſa Cattolica, ed a tutti i ſuoi fedeli dello ſcandolo „ dato, e danni recati; pregando in fine tutti a con- „ dannare i miei errori, e umane debolezze, ed aver- „ mi nell'avvenire nel loro concetto per uomo diver- „ ſo, di quello che forſe aveva io dato occaſione per „ i miei ſcritti di farmi credere, e reputare, proteſtan- „ domi di vivere, e morire vero figlio ubbidiente alla „ Santa Madre Chieſa.

„ E per mia maggiore ritrattazione, (e ciò ſia a „ tutti noto) quando la Santa Chieſa giudichi bene di

„ fare

„ fare ſtampare queſta mia ritrattazione per metterla in
„ pubblico ad eſempio degli altri, mi ſarà ſomma glo-
„ ria, e conſolazione, e però per maggiormente aſſicu-
„ rare la Santa Chieſa, ed il ſuo Tribunale di quan-
„ to qui in queſti fogli ho deteſtato, e deteſto, mi ſot-
„ toſcrivo: Pietro Giannone.

„ Aggiungo a queſta mia ſpontanea comparizione,
„ che ſupplico Voſtra Paternità molto Reverenda fare
„ ſcrivere qualmente nell'anno 1735. nel fine di No-
„ vembre non avendo nè ſuſſiſtenza, nè terreno da po-
„ tere abitare in Italia forſe a motivo de' miei mano-
„ ſcritti, così penſai di ritirarmi in Ginevra, non già
„ (per Dio grazia) a motivo di cangiar religione, ma
„ per neceſſità di vivere, e come pure la mia Storia Ci-
„ vile di Napoli ſoprannominata la volevano tradurre
„ e farla ſtampare in Franzeſe, così avevano a caro in
„ Ginevra la mia aſſiſtenza, conchè mi portai colà per
„ queſto fine, non avendo altra ſtrada da mantenermi.
„ Ma non fu poi ſtampata: ben può eſſere tradotta,
„ come ſo in fatti eſſere in parte tradotta in Franzeſe,
„ ma non mai ſtampata, che io ſappia, eſſendo ormai
„ tre anni, che io fui arreſtato, e che manco da detta
„ Città di Ginevra.

„ Debbo ben dire per maggiore iſgravio di mia co-
„ ſcienza, che quando foſſe proſeguita la mia dimora
„ in Ginevra, e non aveſſi avuta ſuſſiſtenza, probabil-
„ mente mi ſarei indotto a travagliare, e comporre il
„ quinto tomo di detta Iſtoria. Quando mai foſſi per-
„ ciò incorſo in qualche errore, parimente deteſto il
„ tutto, e ne chiamo la miſericordia di Dio, ed aſſo-
„ luzione; con dire che in quei tre meſi, e mezzo che
„ ho dimorato in Ginevra ho ſempre viſſuto cattolica-
„ mente, sì nell' udire la Santa Meſſa, che in ogni
„ altro dogma ſpettante alla Cattolica Chieſa Apoſto-
„ lica Romana, ed in fatto fui arreſtato nella Dome-
„ nica delle Palme per eſſermi portato in un Villaggio
„ fuori di Ginevra, ſtato di S. M. Re di Sardegna per
„ adempire il precetto paſquale. E queſto è quanto
„ devo dire, e rappreſentare a Voſtra Paternità in ſgra-
„ vio di mia coſcienza. Pregando ognuno, che poſſa
„ avere de' ſuddetti libri, e manoſcritti, conſegnarli al-
„ la Santa Chieſa, come iniqui, ſcellerati, e ſcanda-
„ loſi, deteſtando il tutto.

„ *Licet in ſuis foliis judicialiter conſignatis Sancto*
„ *Officio appareat ſua intentio & credulitas; attamen*
„ *ut clarius, & ſecurius procedatur in abſolutione, &*
„ *ſententia, fuit*

„ *Interrogatus an credat vel crediderit licitum eſſe,*
„ *vel fuiſſe viro catholico typis mandare ſupradictam*
„ *hiſtoriam continentem propoſitiones temerarias, ſcan-*
„ *daloſas, ſeditioſas, per ſummam calumniam injurio-*
„ *ſas omnibus Eccleſiæ ordinibus, & toti Eccleſiæ hie-*
„ *rarchiæ, præſertim Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, erroneas,*
„ *ſchiſmaticas, & hæreſim ut minimum ſapientes? Re-*
„ *ſpondit catholice.*

„ *Interrogatus an credat, vel crediderit licitum eſſe,*
„ *vel fuiſſe viro catholico manifeſtare, vel publicare*
„ *quoddam manuſcriptum contra P. Sanfelice ſub titu-*
„ *lo:* Profeſſione di fede ſcritta dal Dottor Pietro Gian-
„ none; *prout in ſcriptis, & in ſpontanea comparitio-*
„ *ne? Reſpondit catholice.*

„ *Interrogatus an credat, licitum fuiſſe Venetiis impri-*
„ *mere, vel permittere impreſſionem operis hujus titu-*
„ *li;* Jani Perontini, prout in ſcriptione? *Reſpondit*
„ *catholice.*

„ *Interrogatus an credat, vel crediderit licitum eſſe*
„ *vel fuiſſe viro catholico ſcribere, vel aliis tradere*
„ *manuſcripta in ordine ad invaliditatem excommuni-*
„ *cationum, prout in ſcriptis, & in ſua ſpontanea*
„ *comparitione? Similiter tractatum de falſi imputatio-*
„ *nibus, prout in ſua comparitione? nec non tractatum*
„ di qual forza, e vigore eſſer devono le proibizioni
„ de' libri fatte in Roma, *prout in ſua ſpontanea com-*
„ *paritione?* concludendo, che ſimili decreti proibitori
„ non debbano mai aver forza, *prout in ſua compari-*
„ *tione?* e che i ſpurghi de' libri debbono farſi da' Prin-
„ cipi, *prout in ſua ſpontanea comparitione, ſicut per*
„ *Judices ſunt prohibiti? Reſpondit;* Già ho detto
„ nella mia ritrattazione, perchè lo feci. Per altro ho
„ fatto male, nè mai ho creduto che foſſe lecito.

„ *Interrogatus an credat, vel crediderit licitum eſſe,*
„ *vel fuiſſe viro catholico dicere, vel ſuſtinere,* che le
„ proibizioni che ſi fanno in Roma vengono precedute
„ dalla cenſura de' Frati qualificatori &c. *ut in ſua*
„ *ſpontanea comparitione? Reſpondit catholice.*

„ *Interrogatus an credat, vel crediderit licitum eſ-*
„ *ſe, vel fuiſſe viro catholico dicere,* che i Caſiſti ſi
„ hanno fatto una Morale a loro modo, *prout in ſua*
„ *ſpontanea comparitione? Reſpondit catholice.*

„ *Interrogatus an credat, vel crediderit licitum eſſe,*
„ *vel fuiſſe viro catholico retinere manuſcriptum cum*
„ *titulo* del Regno celeſte e terreno libri due *continen-*
„ *tem plures propoſitiones hæreticales; nec non retinere*
„ *plura manuſcripta, quæ poſſent formare viginti Vo-*
„ *lumina, & multa alia manuſcripta, ſeu folia con-*
„ *tradicentia Eccleſiæ Catholicæ? Reſpondit:* Replico,
„ che ſempre ho viſſuto da vero figlio di S. Chieſa
„ Cattolica, come in tutto ciò che ſono ſtato finora
„ interrogato; conoſcendo beniſſimo, come allora co-
„ noſceva, che non ſi poteva fare quanto ho fatto ſen-
„ za un grand' aggravio di coſcienza, e contravvenzio-
„ ne alle Leggi Cattoliche Apoſtoliche Romane. Ma
„ perchè *abyſſus abyſſum invocat*, mi ſono traſportato
„ a tutto ciò che ho detto, fatto, e ſcritto. Perlochè
„ imploro la miſericordia del Tribunale ad eſſere ri-
„ conciliato con la Santa Madre Chieſa, rendendo pri-
„ ma a Dio grazie del lume che mi ha dato in farmi
„ conoſcere i miei errori, poſcia alla Real Maeſtà di
„ Sardegna, e ſuoi Miniſtri che mi abbiano fatto ar-
„ reſtare, perchè nel miſero ſtato in cui mi ritrovava
„ poteva cadere in altri errori: conchè pregherò ſem-
„ pre S. D. M. per la loro conſervazione.

„ *Quibus habitis, & acceptis, cum catholice re-*
„ *ſponderit ſuper credulitate, dimiſſus fuit, ſalva*
„ *ſententia abjurationis de vehementi, necnon ſalutari-*
„ *bus pœnitentiis; & pro fide in confirmationem omnium*
„ *ſupradictorum denuo ſe ſubſcripſit:* Pietro Gian-
„ none.

„ *Acta ſunt per me Joannem Baptiſtam Prever Con-*
„ *gregationis Oratorii S. Philippi Nerii Notarium aſ-*
„ *ſumptum.*

„ *Deinde ſub die 3. Aprilis 1738. prævia abjura-*
„ *tione de vehementi, fuit abſolutus in forma ſolita*
„ *&c. cum pœnitentiis ſalutaribus.*

Sententia, & Abſolutio.

„ Noi Fra Gio. Alberto Alfieri Maeſtro di Sagra
„ Teologia Vicario Generale del S. Offizio di To-
„ rino.

„ Eſſendo che tu Pietro Giannone di Napoli figlio
„ del fu Scipione compariſti ſpontaneamente in queſto
„ S. Officio, e contro te ſteſſo giuridicamente deponeſti
„ d' avere fatto ſtampare libri, e compoſte molte altre
„ ſcritture tutte meritevoli di grave cenſura; cioè l'
„ Iſtoria Civile del Regno di Napoli con dottrine, e
„ propoſizioni falſe, temerarie, ſcandaloſe, calunnioſe,
„ ed ingiurioſe alla Santa Sede e Religione; di avere
„ pubblicato un manoſcritto contro il P. Sanfelice Ge-
„ ſuita impugnatore della detta Iſtoria ſotto titolo di
„ Profeſſione di fede, come nella tua ſpontanea com-
„ parizione, e contro la giuriſdizione, ed autorità A-
„ poſtolica; di avere ſparſo in Venezia un' Opera col ti-
„ tolo *Jani Perontini*, con propoſizioni ſcandaloſe, fal-
„ ſe, temerarie contro la Religione, la Giuriſdizione
„ Eccleſiaſtica, come nella tua ſpontanea comparizio-
„ ne; di eſſere ſtato in Ginevra con intenzione (per
„ vivere) di ſeguitare il quinto Tomo di detta Iſto-
„ ria; di avere tenuti varj manoſcritti intorno alle
„ ſcomuniche, sì invalide, che valide, e proibizione
„ de' libri, come nella tua ſpontanea comparizione; di
„ avere ſcritto un Trattato del concubinato anticamen-
„ te permeſſo, e ſcritto contro la proibizione de'libri;
„ di avere tenuti varj manoſcritti continenti propoſizio-
„ ni temerarie contro la Chieſa, come ſopra nella
„ tua ſpontanea comparizione; Foſti da noi interroga-
„ to ſopra la credulità, e che riſpondeſti cattolicamen-
„ te. Per tanto avendo noi viſta e maturamente con-
„ ſiderata queſta tua ſpontanea comparizione, e quanto
„ di ragione ſi doveva vedere, e conſiderare, ſiamo
„ venuti contro di te all' infraſcritta definitiva ſen-
„ tenza.

„ Invocato il ſantiſſimo nome di noſtro Signor Gesù
„ Criſto, e della glorioſiſſima ſua Madre ſempre Ver-
„ gine Maria, e di S. Pietro Martire noſtro Protettore,
„ avendo avanti di noi li ſagroſanti Evangelj, acciоc-
„ chè dal volto di Dio proceda il noſtro giudizio, e
„ gli occhi noſtri veggano l' equità. Per queſta noſtra
„ definitiva ſentenza, quale ſedendo pro Tribunali
„ proferiamo, in queſti ſcritti, in queſto luogo, ed
„ ora da noi eletti diciamo, pronunciamo, e ſentenzia-
„ mo, dichiariamo, e ordiniamo, che tu Pietro Gian-
„ none ſopradd. per le coſe da te dette e confeſſate
„ come ſopra, cioè per avere fatto ſtampare libri, e
„ compoſte molte altre ſcritture tutte meritevoli di gra-
„ ve cenſura, cioè l' Iſtoria Civile del Regno di Na-
„ poli con dottrine, e propoſizioni falſe, temerarie,
„ ſcandaloſe, ingiurioſe, calunnioſe alla Santa Sede,
„ e Religione; di avere pubblicato un manoſcritto con-
„ tro il P. Sanfelice Geſuita impugnatore della detta
„ Iſtoria ſotto titolo Profeſſione di Fede, come nella
„ tua ſpontanea comparizione, contro la giuriſdizione,

„ ed

„ ed autorità apoſtolica ; di avere ſparſo in Venezia „ un' Opera col titolo Jani Perontini, con propoſizio- „ ni ſcandoloſe, falſe, e temerarie contro la giuriſdi- „ zione Eccleſiaſtica, come nella tua ſpontanea com- „ parizione ; di eſſere ſtato in Ginevra con intenzione „ (per vivere) di ſeguitare il quinto Tomo della tua „ Iſtoria ; di avere tenuti varj manoſcritti intorno alle „ ſcomuniche, sì invalide, che valide, e proibizioni de' „ libri, come nella tua ſpontanea comparizione; di „ avere ſcritto contro la proibizione de' libri ; di avere „ tenuto varj manoſcritti contenenti propoſizioni con- „ trarie alla Chieſa, come nella tua ſpontanea compa- „ rizione. Ti ſiei reſo veramente ſoſpetto di ereſia, e „ perciò ſiei incorſo in tutte le pene, e cenſure, che „ ſono da' Sagri Canoni, e da altre coſtituzioni gene- „ rali, e particolari contro ſimili delinquenti impoſte, „ e promulgate.

„ Ma perchè ſpontaneamente ſiei comparſo in que- „ ſto S. Officio, e liberamente hai confeſſato i tuoi er- „ rori, domandandone miſericordia, e perdono, ſare- „ mo contenti aſſolverti dalle ſcommuniche, nelle quali „ per le predette coſe poteſſi eſſere incorſo, purchè „ prima col cuor ſincero, e fede non finta abbiuri, „ maledichi, e deteſti li ſuddetti errori, e generalmen- „ te ogni, e qualunque altro errore, ſortilegio, ed ere- „ ſia, che contradica alla Santa Cattolica, ed Apoſto- „ lica Romana Chieſa, come per queſta difinitiva ſen- „ tenza ti comandiamo che facci, nel modo e forma „ che da noi ti ſarà data.

„ Ed acciocchè queſti tuoi errori non reſtino del tut- „ to impuniti, ed ottenghi più facilmente da noſtro „ Sig. Iddio miſericordia e perdono, per penitenza ſalu- „ tare t' imponiamo.

„ 1. Che quanto prima confeſſi i tuoi peccati ad un „ Sacerdote dall' Ordinario approvato, e di ſua licenza „ ti communichi.

„ 2. Che per un anno reciti per una volta la ſetti- „ mana la terza parte del Santiſſimo Roſario per le „ anime eſiſtenti nel Purgatorio.

„ 3. Che per tre anni proſſimi avvenire ti confeſſi, „ e ti comunichi nelle quattro principali ſolennità, cioè „ nella Natività di noſtro Signor Geſù Criſto, nella „ Reſurrezione, nella Pentecoſte, e nella Solennità di „ tutti i Santi riſervando a noi l' autorità d' accreſcere, „ diminuire, commutare, rimettere, e condonare in „ tutto, o in parte le ſuddette penitenze.

„ E così diciamo, pronunciamo, ſentenziamo, di- „ chiariamo, ordiniamo, penitenziamo, e riſerviamo in „ queſto ed ogni altro miglior modo che di ragione po- „ temo, e dovemo.

„ *Ego Frater Jo. Albertus Alferius S. T. Magiſter* „ *Vicarius Generalis Sancti Officii ita pronunciavi die* „ 4. *Menſis Aprilis* 1738.

„ *Lecta, lata, & in ſcriptis ſententialiter promul-* „ *gata fuit ſupradicta ſententia per ſupradictum P. Vi-* „ *carium Generalem Sancti Officii pro Tribunali ſeden-* „ *tem. Lecta vero per me Notarium infraſcriptum in-* „ *telligibili voce.*

„ *Ita eſt. Ego Jo. Baptiſta Prever Oratorii Sancti* „ *Philippi Neri Notarius aſſumptus.*

Abjuratio de Vehementi.

„ Io Pietro Giannone di Napoli d' età mia d' anni „ ſeſſantadue coſtituito perſonalmente in giudizio, ed in- „ ginocchiato avanti Voſtra Paternità molto Reverenda „ Vicario del S. Officio di Turino, avendo avanti gl' „ occhi miei i ſacroſanti Evangeli, quali colle mie „ mani tocco, giuro che ſempre ho creduto, credo „ adeſſo, e con ajuto di Dio crederò ſempre per l' av- „ venire tutto quello che tiene, crede, e predica, ed „ inſegna la Santa Chieſa Cattolica Romana. Ma per- „ chè dal S. Officio ſono ſtato giudicato veementemen- „ te ſoſpetto d' ereſia per avere compoſto, e fatto ſtam- „ pare la Storia Civile del Regno di Napoli con pro- „ poſizioni falſe, temerarie, ſcandaloſe, calunnioſe, „ ingiurioſe alla Santa Sede, e Religione, di avere „ pubblicato un manoſcritto contro il P. Sanfelice Ge- „ ſuita, come nella mia ſpontanea comparizione, e con- „ tro la giuriſdizione, ed autorità Eccleſiaſtica ; di ave- „ re ſparſo in Venezia un' Opera col titolo *Jani Pe-* „ *rontini* con propoſizioni ſcandaloſe, falſe, temerarie „ contro la giuriſdizione Eccleſiaſtica, come nella „ mia ſpontanea comparizione ; di eſſere ſtato a Gine- „ vra, con intenzione (per vivere) di ſeguitare il „ quinto Tomo della detta Iſtoria ; di avere tenuti va- „ rj manoſcritti intorno alle ſcomuniche sì valide, che „ invalide, e proibizioni de' libri, come nella mia „ ſpontanea comparazione ; di avere ſcritto un trattato „ del Concubinato anticamente permeſſo, e ſcritto con- „ tro la proibizione de' libri ; di aver tenuti varj ma- „ noſcritti contenenti propoſizioni contrarie alla Chie- „ ſa, come ſopra nella mia ſpontanea comparizione.

„ Per tanto io per levare dalla mente de' fedeli di „ Criſto queſta veemente ſoſpezione contro di me con sì „ giuſte ragioni concepita, abbiuro, maledico, deteſto „ i ſuddetti errori, e generalmente ogni qualunque al- „ tro errore, e ſortilegio, che contraddica alla detta „ Santa Cattolica Apoſtolica Romana Chieſa, e giuro „ che per l' avvenire non farò, nè dirò mai più coſa, „ per la quale ſi poſſa avere di me tal ſoſpezione, „ nemmeno avrò pratica, e converſazione di Eretici, „ ovvero che ſiano ſoſpetti di ereſia ; ma ſe conoſcerò „ alcun tale, lo denuncierò al S. Officio, ed all' Ordi- „ nario del luogo, ove mi ritroverò. Giuro anche, e „ prometto di adempire tutte le penitenze che mi ſono „ ſtate, e mi ſaranno da queſto S. Officio impoſte ; e „ contravenendo io in alcune di queſte mie proteſte, e „ giuramenti (che Dio non voglia) mi ſottometto „ adeſſo per allora a tutte le pene, e gaſtighi, che ſo- „ no da' Sagri Canoni, ed altre coſtituzioni generali e „ particolari contro ſimili delinquenti impoſte, e pro- „ mulgate.

„ Così Iddio mi ajuti, e queſti ſuoi ſacroſanti E- „ vangelj, quali colle proprie mani tocco .... Io Pie- „ tro Giannone ſuddetto ho promeſſo, giurato, ed ab- „ biurato queſto giorno quattro Aprile 1738. ed in fe- „ de mi ſono ſottoſcritto alla preſente cedola di mia „ abbiurazione recitata di parola in parola nel ſudde- „ to carcere. Pietro Giannone.

„ *Succeſſive, & incontinenti ſupradictus Petrus Gian-* „ *none genuflexus coram Vicario Generali S. Officii, ut* „ *ſupra, abſolutus fuit ad cautelam ab excommunica-* „ *tione quam præmiſſorum cauſa, & deciſione quomo-* „ *libet forſitan incurrerat, ac comuni fidelium cœtui* „ *participationique Eccleſiaſticorum Sacramentorum, &* „ *Sanctæ Matris Eccleſiæ veritati, & gremio reſtitutus,* „ *adhibitis precationibus fuit dimiſſus.*

„ *Ita eſt Pater Joannes Baptiſta Prever Congregatio-* „ *nis Oratorii Sancti Philippi Nerii Notarius aſſumptus* „ *Sancti Officii.*

„ Relazione ſincera di quello che ho oſſervato e co- „ noſciuto ne' ſentimenti del fu Avvocato Pietro Gian- „ none Napoletano, sì per il tempo che viſſe, e n' „ ebbi la direzione, che in occaſione della di lui „ morte.

„ Prima, che dal Caſtello di Miolans, dove era „ ſtato rinchiuſo, foſſe condotto a Torino, io non lo „ conoſcevo, e ſolamente avevo inteſo di lui quello „ che con rincreſcimento criminoſo ne ſentivano gli uo- „ mini da bene. Fu poi l' anno 1738. traſportato in „ queſta Città col fine che ſi adoperaſſe il zelo di „ qualche perſona Religioſa per ridurlo ad un vero „ ravvedimento, e così ricondurre a Gesù Criſto una „ pecora così miſeramente traviata.

„ Ebbi per tanto ordine dal fu Sig. Marcheſe d' „ Ormea d' intraprendere queſta buona opera, ed era „ veramente grande la premura che ſi aveva di fargli „ conoſcere i ſuoi errori, diſingannarlo, e convincerlo. „ Erano queſti errori ſparſi nella Storia Civile, ed Ec- „ cleſiaſtica del Regno di Napoli da lui compoſta, ed „ ancora più ne' peſſimi ſuoi manoſcritti ritrovati preſ- „ ſo del medeſimo ; mi diſſe che mi dava ſei meſi di „ tempo ; non mi ſgomentai per tanto, confidando nel „ Signore, che tutto può, e dà a chi ſi impiega per „ amore di lui nella converſione de' peccatori ſomma „ virtù, e forza. Grazie al cielo, cui tutto ſi dee u- „ nicamente attribuire, poche viſite, e conferenze ba- „ ſtarono per toccarli il cuore, e fargli conoſcere, „ confeſſare, e deteſtare i ſuoi mancamenti : eſſendomi „ ſingolarmente valſo per illuminarlo di alcuni Teſti „ dell' Epiſtole di S. Paolo, e di S. Pietro ; onde egli „ poi convinto, commoſſo, ed intenerito m' abbracciò „ nell' atto che io ne partiva, e mi diſſe ; *Fuit homo* „ *miſſus a Deo.* Ed io riſpoſi che avevo appunto la „ ſorte di portare il nome di S. Gio. Battiſta ſoggiun- „ gendo che ringraziaſſe il Signore di una così grande „ miſericordia.

„ Mi ricordo che nella mia prima viſita gli diſſi, „ che non penſaſſe più ad uſcire di carcere, nè a mu- „ tare ſtato ; mentre qualunque eſito aveſſe avuta la „ mia ingerenza, ſarebbe ſtato, ſe buono, utile a lui „ per l' anima ſolamente, e non per altro ; come poi „ veramente così fu, e potei conoſcere, che n' era per- „ ſuaſo.

„ Deſiderò poi di leggere buoni libri, e me ne do- „ mandò ; onde io gli portai quello di S. Agoſtino *de* „ *Civitate Dei*, come paruto a me il più adatto a „ maggiormente iſtruirlo, e confermarlo nel ſuo rav- „ vedimento ; me ne ringraziò, e ne ringraziava con- „ tinuamente il Signore Padre de' lumi, e delle miſericor- „ die, ſiccome ancora diceva che Iddio benedirebbe S.

„ M. per

„ M. per avergli usata questa carità, e cercato il suo
„ salvamento, conoscendo, come pure diceva ogni dì
„ più, che al suo arresto doveva la sua liberazione; e
„ soggiungeva che il Cielo l'avesse condotto a Ginevra
„ luogo degli errori per di là ricondurlo pietosamente,
„ dove avesse a conoscergli, e piangergli in una prigio-
„ nia per lui salutare. Venne intanto il Venerdì San-
„ to di quell'anno, giorno in cui il Padre Vicario del
„ S. Uffizio stimò di sentire, e riceverne la ritrattа-
„ zione, ed *abbiura*, ed io ebbi il contento di servir-
„ gli da Segretario.

„ Questa egli fece colle lacrime agli occhi, e colle
„ più affettuose dimostrazioni di un vero cuore pentito,
„ onde s'intenerì, e prima dell'atto medesimo si esibì
„ di scriverla, come fece di proprio pugno, e si di-
„ chiarò pronto a spiegarvi tutto quello di più che li
„ fosse suggerito, essendo intenzione sua che la ritrat-
„ tazione fosse non solamente vera, ma anche intiera,
„ e come per ogni riguardo doveva essere.

„ Fece poi nelle mie mani una Confessione generale
„ che mi consolò, e ricevette la santa Comunione
„ Pasquale. Fu indi trasferito al Castello di Ceva, e
„ vi stette insino all'anno 1745. Da Ceva mi scrisse
„ la lettera, di cui si trasmette la copia; si può da
„ da questa anche conoscere i sentimenti, che aveva in
„ quel tempo. L'Opera di cui egli parla nella Lettera,
„ non è poi capitata nelle mie mani, e per qualche
„ tempo non ricevei nemmeno altre sue lettere.

„ Per occasione poi della guerra il Signore dispose
„ che fosse condotto a Torino, e nella Cittadella,
„ dove giunto fu riconsegnato alla mia direzione. I sen-
„ timenti suoi erano sempre constanti nella ritrattazione
„ fatta de' passati errori, e secondo la medesima, pro-
„ testandosi che aveva, e dimostrerebbe sempre un ve-
„ ro, e filiale rispetto alla Santa Sede, accompagnato
„ da quegli atti di riverenza, e di ubbidienza, i quali
„ sono alla Santa Chiesa dovuti, e propri di un fedel
„ Cristiano, confessando, che i suoi trascorsi erano pro-
„ venuti da uno spirito di vanità, per cui cercava di
„ farsi un nome, senza riflettere se quel nome era poi
„ veramente buono, e singolarmente avanti Dio, e
„ che spinto poi dalla passione, e dall'impegno preso
„ si era inoltrato in tanti errori e scandali, e come
„ chi cammina per la dritta strada suole andare di vir-
„ tù in virtù, così di fallo in fallo chi per l'obliqua;
„ dichiarando quindi di avere mal fatto nel comporre, e
„ dare alla luce quella Storia del Regno di Napoli, e
„ di avere conservate quell'altre carte, che diceva es-
„ sere veramente infami.

„ I suoi costumi in tutto questo tempo sono sempre
„ stati come quegli di un buon Cristiano, ed i suoi di-
„ scorsi ancora, parlando con somma riverenza della
„ nostra santa Fede, e de' Santi: si confessava spesso
„ da me, e si comunicava.

La sua occupazione era per lo più la Sagra Scrittu-
„ ra che aveva sempre per le mani, e si tratteneva
„ ancora nel leggere i sacri Espositori. Non diede mai
„ contrassegno di disgusto, o noja della sua prigionia,
„ ed ivi vivea con tranquillità di spirito, e si può di-
„ re, per quanto egli mostrava, con una santa con-
„ tentezza; quella che Iddio dà a chi gliela chiede in
„ angustie, ed in istrettezze.

„ Voleva per fine dare di mano ad un'opera, ed
„ era anche secondo il mio desiderio per trattare delle
„ massime del Vangelo, e di quelle del Mondo, e già
„ ne aveva in mente l'idea, e l'ossatura, e me ne fe-
„ ce una distinta narrazione, di cui era contento: ma
„ Iddio dispose altrimenti, perchè caduto infermo fu
„ troncato il filo dell'opera, e della vita.

„ La di lui malattia non durò più di giorni otto. Gli
„ dissi un dì, che si munisse de' santissimi Sagramenti, e
„ sì mi rispose: *Aggiustiamo bene la conscienza, acciocchè compaja bella al Tribunale di Dio, e torniamo a ripigliare alquanto le cose passate.*

„ Ricevè divotamente tutti li Sagramenti, e il dì
„ 17. Marzo dell'anno scorso 1748. passò a miglior
„ vità in età di anni settantadue, facendo la morte che
„ fanno i veri penitenti convertiti al Signore, cui si
„ raccomandava fervorosamente, dicendo alli circostan-
„ ti: pregate Iddio per me.

„ Ed ecco il fine che fece quest'uomo per una spe-
„ cial misericordia di Dio.

„ Così io dichiaro, ed attesto avanti il Signore, cui
„ se ne devono le grazie, e la gloria, con mio giura-
„ mento toccato il petto.

„ Di più attesto con mio giuramento essere la lette-
„ ra qui acchiusa copia fedele di quella scrittami dal
„ detto Avvocato Giannone da Ceva ....

Torino 26. *Agosto* 1749.

„ Dichiaro io qui sottoscritto Protonotario Apostо-
„ lico, qualmente la presente Copia di relazione sincе-
„ ra sopra de' sentimenti in vita, e in morte del fu
„ Avvocato D. Pietro Giannone sia stata ricavata ad
„ litteram e fedelmente dal suo originale scritto tutto
„ di pugno, e sottoscritto dal medesimo Padre Giam-
„ batista Prever della Congregazione dell'Oratorio di
„ Torino vivente, e che a me lo consegnò a fine di
„ potersi copiare per farsene buon' uso; onde si possa
„ avervi tutta la credenza. In fede di che ne posso
„ fare, e fo giuramento tacto pectore Sacerdotali; e
„ mi sottoscrivo.

Giulio Cesare Valmagini
Protonotario Apostolico,

DIS-

DISSERTATIO VI.

DE

CONCILIIS

SÆCULI XVII. & XVIII. CELEBRATIS.

§. I.

De Concilio Mechlinienſi Provinciali.

SEDENTE Paulo V. in Romana Cathedra hoc Concilium celebratum eſt anno MDCVII. pluresque conditi fuere Canones, quorum aliquot commemorabimus.

Tit. I. *De Profeſſione fidei, ac de his, quæ ad ejuſdem fidei integritatem conſervandam pertinent* Cap. IX. *Ludi Theatrales non aliter deinceps permittantur, quam ſi ab Ordinario, vel eo, quem ipſe ad id deputaverit, permittendi videantur. Idemque ſit de actionibus Mimorum & Hiſtrionum, qui vulgo Camer-Speelders vocantur; ac de cantilenis, rhythmis, & quibuſvis ſcripturis, quæ paſſim ab ignotis & exteris hominibus venales circumferuntur, aut etiam publice decantantur. Et ut hæc omnia exactius obſerventur, decernit Synodus ſupplicandum Sereniſſimis Principibus, ut in eo authoritatem ſuam interponant.*

Tit. III. *de Sacramento Baptiſmi* Cap. VII. *Hortatur hæc Synodus, & requirit omnes Magiſtratus ſingulorum locorum, ne quam ad obſtetricandum parturientibus admittant, niſi prius a Curato loci, ubi obſtetrix moratur, teſtimonium ſinceræ & catholicæ fidei habeat, profeſſionemque fidei coram Archipresbytero ſuo faciat; nec non materiam formamque Baptiſmi teſtimonio ejuſdem Curati probe calleat: ultra conſuetum juramentum juret etiam, quod infantes a ſe excipiendos quantocyus, vel ſaltem intra paucos dies baptizari curabit; aut ſi obſiſtentibus parentibus vel amicis id efficere non poſſit, mox paſtori loci eos denuntiet.*

Tit. V. *de Sacramento Pœnitentiæ* Cap. II. *Judicem ſedentem ſententias ferre oportet; ideo etiam Confeſſarius nonniſi ſedens confeſſiones excipiat; quacumque etiam pœnitentes dignitate fulgeant.*

Tit. XI. *De doctrina & prædicatione Verbi Dei* Cap. III. *Abſtineant Concionatores ab inanibus ac difficilibus, captumque auditorum ſuperantibus, & ad fidei ædificationem minus pertinentibus quæſtionibus, a conviciis, a fabuloſis, & a narratione apocryphorum, iiſque omnibus, quæ vel auditoribus riſum moveant, vel eorum animos a ſuperioribus ſuis avertant: neve paſſim hæreticorum argumenta apud imperitam multitudinem referant; ſed ea tantum doceant, quæ ad fidem veram, pietatem, obedientiam, & concordiam pertinent, quæque ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem: annunciando cum brevitate, & facultate ſermonis vitia quæ quemque declinare, & virtutes quas ſectari oportet.*

Tit. XV. *De ſuperſtitione* Cap. I. *Nemo ad morbos vel vulnera hominum aut brutorum curanda ſuperſtitioſis remediis utatur; vel ſuper rebus deperditis, ac ſuper futuris eventibus, aut quibuſvis ſecretis, divinos, ſeu pro divinis ſe venditantes conſulere præſumant. Si quis aliquid horum fecerit, & monitus non abſtinuerit, mox ipſi Ordinario vel Officiali denuntietur, juxta Bullam Sixti V. editam contra exercentes aſtrologiæ judiciariæ artem, quæ incipit:* Cæli & Terræ Creator.

Eodem Titulo Cap. IV. *Nullus omnino exorcizare præſumat ſine licentia Ordinarii in ſcriptis obtenta; nemo etiam utatur aliis exorciſmis, quam ab Ordinario approbatis, vel poteſtate exorcizandi ulla ratione abutatur, ſub pœna perpetuæ privationis illius officii, & alia arbitraria.*

Recitatis hiſce Canonibus hæc notat Cabaſſutius: De Ariolis & Aruſpicibus ac Sortilegiis Levit. 20. 6. *Anima, quæ declinaverit ad Magos & Ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi ſui.* Deuteron. 18. 9. *Quando ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inveniatur in te qui luſtret filium ſuum aut filiam ducens per ignem; aut qui Ariolos ſciſcitetur, & obſervet ſomnia aut auguria; nec ſit maleficus aut incantator, nec qui Pythones conſulat, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem: Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit eos in introitu tuo.* Sunt & alia innumera in Scripturis divinis loca. Saul Rex, occiſis Magis, nihilominus Pythoniſſam conſulit, a qua per necromantiam, ſui exercitus cladem, & ſuam ſuorumque mortem addiſcit. Ochoſias Rex Iſrael ægrotans dum mittit ad Acharonitas conſultum de ſua valetudine idolum Beelzebub, occurrit ejus nunciis Elias Dei Propheta, eiſque prædicit Regis mortem imminentem in pœnam criminis, quo Dæmonium conſulere attentaſſet. Sacra Eccleſiæ Concilia anathemate feriunt quoſcumque ad divinos ſeu Magos recurrentes, aut ad dæmoniacas ſortes, & phylacteria. Ita Laodicenum can. 36. Agathenſe c. 42. Aurelianenſe I. c. 32. Carthaginenſe IV. can. 89. Plura require apud Gratianum cauſa 26. q. 12. 3. 4. 5. Varia ſuperſtitionum genera condemnando commemorat Auguſtinus lib. I. *de Doctr. Chriſt.* capp. 19. 20. 21. Vide etiam in Decretal. *de Sortilegiis.*

Tit. XVI. *De Epiſcopis* Cap. III. *Inter cætera meminerint oneris prædicandi verbi Dei, & totius Diœceſeos ſingulis ſaltem bienniis viſitandæ.*

Ibid. Cap. IV. *Curent etiam, ut jura & ſtipendia ſecretariorum, & aliorum quorumcumque miniſtrorum ſuorum ſacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini in nullo contrarientur; atque inſuper pro qualitate laborum, & ratione ſumptuum ita ſint moderata, ut iis ſe gravari nemo jure conqueri poſſit: & ſi quis in eorum exactione exceſſiſſe deprehendatur, graviter puniatur: & relapſus, officio privetur.*

Tit. XVIII. *De vita & honeſtate Clericorum eorumque correctione* Cap. III. *Nemo beneficiatus, vel in Ordine ſacro conſtitutus barbam geſtet alatam; & quilibet Sacerdos ita inſuper ſuperius labrum reſciſſum habeat, ut Sanguinem Chriſti ſumpturo non ſit impedimento.*

Eodem Tit. Cap. IV. *Etſi habitus non faciat Monachum, tenentur tamen Clerici in oppidis veſtes geſtare ſuo Ordini congruentes, ut per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatem intrinſecam oſtendant: ideoque tunicas exteriores manicatas, & clericale biretum, quod eſt Eccleſiaſticorum hominum proprium, ſemper gerant: galerum vero non adhibeant, niſi cum ob adverſam valetudinem, aut aeris intemperiem, pluviam ingruentem adhiberi oporteat; qui tamen ſericus non ſit, aut inſtar militarium turbinatus: quem etiam, cum primum in Eccleſiam, vel in ædes publicas præcipue ingreſſi ſunt, ſtatim deponant. Qui vero ruri agunt, veſtem interiorem, ut minimum, ad dimidium tibiarum uſque promiſſam habere debeant &c.*

§. II.

De Concilio Narbonenſi Provinciali.

ANno Domini MDCIX. habitum eſt Concilium Provinciale Narbonenſe ſub Ludovico de Vervins, Archiepiſcopo Primate, & Præſidente. Saluberrima ex eo Decreta prodiere, & inter alia hæc quæ ſubjicimus.

Cap. III. De libris vetitis: *Biblia vero Sacra, idiomate Gallico conſcripta, legere aut domi retinere nemini liceat; niſi ab Epiſcopo, aut ejus Vicario Generali expreſſa in ſcriptis obtenta licentia; quam non concedent niſi eiſdem viſis, lectis & approbatis; ne venenum ab hæreticis ſparſum in permultis Verſionibus, leniter ſerpens, animas alioquin pias inficiat.*

Cap. XXII. De Extrema Unctione: *Extremam Unctionem infirmantibus ſolamen eſſe ad ſalutem corporis recuperandam, & medium aptiſſimum ab hac vita cum majori gratia diſcedendum ex D. Jacobi verbis ſatis conſtat; quoniam, ut ait, orante Sacerdote & ægrotum oleo ungente in nomine Domini ſalvatur infirmus; &*

ſi in

ſi in peccatis ſit, remittuntur ei: ideo Parochi cum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ægroto miniſtraverint, hortabuntur eumdem, ut ſe ad ſacram Unctionem recipiendam præparet: ſubditos vero omnes frequenter moneant, ne ſint in ſuſcipiendo tam utili Sacramento negligentes, & curent crebris monitionibus imperitum vulgus ab illa inani & impia opinione abducere, qua plerique ſiniſtre de virtute hujus Sacramenti ſentiunt, perinde ac ſi mortem ægris acceleret; cum tamen certum ſit hujus virtute Sacramenti, non animæ tantum, ſed & corporis ſanitatem a Deo optimo maximo ſæpiſſime concedi. Eos ſæpius viſitent Parochi, quibus hoc Sacramentum contulerint; non enim muneri proprio ſatis eſt factum, niſi eos in periculo mortis inviſant, & hortentur ad conſtantiam in fide, patientiam in morbo, ut finem ſuum feliciter explere poſſint in Religione Catholica, cum de æterno bono aut malo in tali ſtatu agatur.

Illud vero Sacramentum non illis ſolum conferant Parochi, de quorum ſalute corporis nulla omnino eſt ſpes, ſed illis etiam in quibus vitæ diſcrimen eſſe judicabunt. Et ut interſint dum tale Sacramentum confertur, hortentur fideles, & indulgentias quadraginta dierum, quas intereſſentibus ter Pater & Ave pro ægroto recitantibus conferimus, intelligibili voce publicent.

Ex hujuſce Concilii Decretis, quæ *ad Epiſcopos* pertinent ex Tit. XXVI. recitat Cabaſſutius.

Primum in ſanctis meditationibus, & orationibus certam ſibi quotidie horam ſumat Epiſcopus, quam in ſtudio & exercitatione divinarum contemplationum inſumat: in quibus Deo non pro ſe tantum, ſed pro fidelibus ſibi commiſſis preces fundat humiliter; ut quod in ipſis confractum eſt, divina bonitate alligetur, quod languidum eſt, ſanetur; perditum reparetur, & quod bonum eſt, conſervetur. Singulis diebus ad veſperam horam deſignet, qua ſuam familiam ad ſacellum domeſticum aut oratorium convocet, ubi ipſo præſente, ſi non impeditus ſit, recitari faciat Litanias, & pias orationes; tum quiſque breve examen conſcientiæ efficiat; profeſtis diebus Miſſæ ſaltem ſacrificio interſit Epiſcopus, ſi ipſe celebrare non poſſit: Dominicis vero & feſtivis Miſſam dicat, cum ipſe ſit aſſumtus ex hominibus ut pro peccatis populi ſacrificium offerat.

Quotieſcumque munia Pontificalia exercebit, paratus accedet; poſt Miſſam celebratam in fine expreſſe orabit, ut ſibi præſto ſit Dei gratia in tali munere obeundo: ut vero populus miniſterii ab eo peragendi, illiuſque inſtitutionis cauſſas odorari poſſit, priuſquam ea munia aggrediatur Epiſcopus, eaſdem brevi ad populum habita concione explicabit.

Canonicas horas diſtincte & attente, ſi non cum choro, apud ſe recitent Epiſcopi ſtatis horis, quas præveniendo potius quam tardando perſolvere debent.

Singulis diebus feſtis & Dominicis in choro divinis officiis, ſaltem Miſſæ & Veſperis interſint.

Officiarios & maxime officiales, ac promotores, viros proba vita & doctrina conſpicuos inſtituant, ut ſi aliquantulum in ſcientia deficiant, illud vitæ probitate & integritate compenſent.

Se faciles adeuntibus præbeant, præſertim vero conquerentibus de injuriis receptis, denunciantibus ex charitate defectus ſubditorum quorumcumque, & pauperum miſerias, vel infirmorum dolores declarantibus; quibus ita paterna dilectione provideant, ut egentibus largas eleemoſynas concedant, inimicos concilient, infirmos viſitent, quibus ſanctam benedictionem concedendo & dolorem levabunt, & forſan ex Dei bonitate ſanitatem reſtituent.

Convivia non faciant frequentia, a laicorum nimia familiaritate abſtineant, ne ſic dignitatem imminuant, ſed tempus pro exercitatione aſſumendum ſacrorum librorum lectioni, & piis hominum colloquiis impendant; petentibus maxime conſilium dent, & afflictos benigne conſolentur.

In domibus ſuis fœminas non admittant; domeſticos de fide bene ſentientes, modeſtos & pios habeant, quos ſemel in menſe confiteri, & ſacram Euchariſtiam ſumere procurent, & lectionem ſacrorum librorum in menſa per Clericum faciendam.

Si Coepiſcorum aliquos temporum vel bellorum injuria, fame, peſtilentia, aut aliarum difficultatum calamitatibus oppreſſos ſciverit, orationibus & privatis & publicis, largaque eleemoſynarum largitione conabitur quam citiſſime ſublevare.

Frugali menſa & mediocri ſupellectili contenti ſint Epiſcopi, atque in reliquo vitæ genere mediocritatem ſectentur; caveantque ne quid in tota familia ſua ab hoc ſancto inſtituto alienum appareat, quodque ſimplicitatem, pietatem, divini cultus ardorem, & vanitatis mundique contemptum non præ ſe ferat: ſicuti enim ſordidis & maculatis veſtibus indui non eſt licitum; ita pretioſis & profanis aut varie contextis uti non decet. Non in publicum prodeant ſine talari tunica & roqueto. Juxta temporum & locorum rationes, veſtiantur modeſte, ita ut gravitatem ſapiant; ſive in publico, ſive privatim, ſive in itinere, ſive in Civitate ſemper in eo habitu, & forma incedant, quo appareant & judicentur Epiſcopi.

Tonſuram ſemper conſpicuam gerant in capite grandiorem multo quam ceteri inferiores Sacerdotes, tanquam a terrenis curis magis abſtracti: populo ſemper ſanctam benedictionem impartiantur, dum per civitatem aut diœceſim incedunt.

Picturas omnes profanas res repræſentantes domi non retineant: obſcœnas omnino rejiciant, eaſque tantum habeant, quæ ad pietatem provocant intuentes.

Quos habebunt domi Clericos, nonniſi Clericali, & decenti habitu uti permittant, illoſque non retineant niſi bonæ exiſtimationis. Opera miſericordiæ frequenter exerceant, ut ſancta converſatione quaſi Epiſcoporum teſtes ſint, & imitatores: quorum unum ſuper familiam conſtituant, qui laicorum domeſticorum actiones percunctetur, & videat num aliquid præter decentiam Chriſtianæ converſationis perpetrent, & delinquentes corrigat; non enim fas eſt in tali familia ſcandaloſos aut ullius criminis ſuſpectos eſſe; ideo errantes ſevere reprimant per ſe Epiſcopi, pertinaces e familia excludant, ægrotantes omni ſollicitudine & pietate curent, nec ſumptibus parcant.

Gravem aliquem Sæcularem aut Regularem Confeſſarium eligant, qui ſit ſacra ſcientia, prudentia, & vitæ ſanctitate inſignis, cujus ſtudio & precationis ſpiritu in gravioribus difficultatibus uti poſſint.

Capitulis Metropolitanis & Cathedralium Eccleſiarum præcipimus, ut ſtatim poſt mortem Prælati, Metropolitanum & Coepiſcopos noſtros commonefaciant; qui omnes ſolemni cæremonia Miſſam pro defuncto celebrari curabunt: tum indictis publicis ſupplicationibus Deum deprecabuntur, ut orbato gregi velit juxta cor ſuum Paſtorem mature concedere.

§. III.

De Conciliis Senonenſi, & Aquenſi.

ANNO MDCXII. Jacobus Cardinalis Perronius Archiepiſcopus Senonenſis, Galliarumque & Germaniæ Primas Concilium habuit Pariſiis; cui Henricus Pariſienſis, Franciſcus Antiſſiodorenſis, Joannes Meldenſis, Gabriel Aurelianenſis, Renatus Trecenſis, Euſtachius Nivernenſis, & Philippus Carnutenſis Comprovinciales Epiſcopi interfuerunt. In eo damnatus eſt Richerii liber *de eccleſiaſtica & politica poteſtate* ob multas *quas continet propoſitiones, expoſitiones, & allegationes falſas, erroneas, ſcandaloſas, ſchiſmaticas, &, ut ſonant, hæreticas; juribus tam Regis, quam Eccleſiæ Gallicanæ, ejuſque immunitatibus & libertatibus per nos non tactis.*

Eodem anno MDCXII. in Concilio Provinciali Aquenſi, Paulus Aquenſis Archiepiſcopus, Carolus Rejenſis, Bartholomæus Forojulienſis, & Tuſſanus Siſtaricenſis eumdem Richerii librum cenſura notarunt, in eoque ſe deprehendiſſe teſtati ſunt *multas propoſitiones, expoſitiones, allegationes & doctrinas falſas, ſcandaloſas, ſchiſmaticas, & impietatem gravemque errorem ſapientes.*

§. IV.

De Concilio Burdigalenſi.

HÆC Provincialis Synodus Burdigalæ convocata fuit ab Eminentiſſimo Cardinali Franciſco de Sourdis Burdigalenſium Archiepiſcopo, Aquitaniæ Primate, ſummo exiſtente Pontifice Urbano VIII. anno 1624. Ludovico XIII. in Gallia regnante. Hæc poſtrema Synodus Provincialis eſt, quam diſcutit Cabaſſutius in ſua *Notitia Eccleſiaſtica*.

Tit. IX. De Dimiſſoriis litteris: *Graviter officiunt rectæ Miniſtrorum Eccleſiæ ordinationi facultates* de promovendo a quocumque. *Quare ut probe norit Epiſcopus ſubditorum Eccleſiæ ſuæ mores, per ſemetipſum ordines conferre teneatur, niſi ægritudine aut alia juſta cauſa impediatur: qua ſubſiſtente, ſubditos ſuos aliter quam jam probatos, examinatos, & de quorum probitate, moribus, & converſatione per denunciationes in Eccleſia factas ſibi conſtet, ad alium viciniorem, ſeu alios certos, non* quoſcumque *dimittat, cauſam in litteris exprimendo cur a ſe non potuerint ordinari; neque ad plures Ordines ſacros ſuſcipiendos, ſed ad unum Ordinem duntaxat: quo ſuſcepto, vel temporibus ordinationum a die facultatis conceſſæ proxime ſequentibus*

lapsis, quascumque facultatis litteras nullas esse, & omni virtute carere declaramus. Conformatur Tridentino Concilio Sess. 7. cap. 11. 12. 13.

Quia vero complurimi ob incapacitatem & pravam vitam ab Ordinariis suis repulsam passi, facultates de promovendo a quocumque *obtinentes seu habere prætendentes, sine commendatione & licentia Ordinariorum suorum contra sacros Canones sæpissime promoventur; nullus deinceps a quoquam Episcopo, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam statis temporibus promoveatur, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur: si secus fiat, Ordinans a collatione ordinum per annum juxta sacri Concilii Tridentini Decretum; & Ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* Istud decernitur in Tridentino sess. 23. cap. 8.

Sed neque liceat Capitulis Ecclesiarum, aut aliis quibuscumque in jurisdictione Episcopi loco Capituli Sede vacante succedentibus infra annum a die vacationis, Ordinis licentiam, aut litteras dimissorias, seu Reverendas, *ut aliqui vocant, tam ex juris communis dispositione, quam etiam ex cujusvis privilegii, aut consuetudinis vigore, alicui, qui beneficii Ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere: si secus fiat, Capitulum contraveniens Ecclesiastico subjaceat interdicto: alii autem loco Capituli existentes, ab officio & beneficio per annum sint ipso jure suspensi: sic ordinati vero, si in minoribus constituti fuerint, nullo clericali privilegio præsertim in criminalibus gaudeant; in majoribus vero ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Prælati sint ipso jure suspensi. Abbates etiam, & alii exemti, aut Collegia vel Capitula quæcumque, etiam Cathedralium, litteras dimissorias aliquibus Clericis secularibus, ut ab aliis ordinentur, concedere non possint; sed horum omnium ordinatio servatis omnibus a sacro Concilio Tridentino decretis ad Episcopos, intra quorum fines consistunt, pertineat; non obstantibus quibuscumque privilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. Unde Superioribus Monasteriorum, in quibus Religiosi fixam & firmam commorandi sedem habent, prohibemus ne litteras dimissorias Religiosis suis, ut a* quocumque *ordinentur, concedant; sed a suo Pontifice, aut ab alio de ejus licentia ordinandos esse duntaxat decernimus. Eos vero, qui pro instituto ad varia domicilia certis temporum intervallis transferuntur, cum litteris Provincialium suorum de voto emisso religionis fidem facientibus, ab Ordinario loci, in quo pro tempore degunt, tantum admitti præcipimus: ab aliis nunquam nisi attestatione præhabita a Pontifice loci seu Vicario Generali obtenta, qua cur a se non potuerint ordinari, perhibeatur. Omnes autem litteras Ordinis proxime susceptí ordinanti Episcopo exhibere, aut alias de eodem suscepto fidem facere teneantur.*

Tridentinum Sess. 7. Cap. 10. Concilium etiam generale Lugdunense sub Gregorio X. eos, qui scienter ordinaverint Clericum alienum, per annum a collatione Ordinum suspendit. Et postquam suspensio fuerit manifestata, poterunt suspensi illius Episcopi subditi, sine hujus licentia, a vicinis Episcopis præcedente debito examine ordinari, ut refertur *C. Eos qui, de temp. Ordin. in 6.* Concilium Sardicense Can. 15. 18. & 19. ipsumque Nicænum can. 16. declarant ejus ordinationem, quæ fit ab alio Episcopo absque litteris proprii Episcopi, esse irritam, &, ut loquuntur, ἄκυρον. Huc pertinet apud Gratianum dist. 71. per totam. Cumque censuræ, si violentur per sacri Ordinis exercitium, inducant ipso facto irregularitatem; is qui violat hoc modo ejusmodi suspensionem, irregularitatem contrahit, a qua, si sit occulta, potest quidem proprius Episcopus dispensare juxta Concilium Tridentinum Sess. 14. Cap. 6. Sed si publice innotuerit, solus Papa dispensare ab illa potest irregularitate, eamque remittere. Videndus ea de re Bonacina *Tract. de dispensat.* in part. disputat. 3. q. 1. p. 11. n. 28. Quod autem violatio censuræ cujusvis per exercitium Ordinis sacri pariat irregularitatem, liquet ex *C. Apostolicæ &c. si celebrat, de Cler. excomm. ministrante.*

Quanta vero sit adhibenda in sacris conferendis ordinationibus cautio, docet Apostolus I. ad Tim. 5. his verbis: *Manus cito nemini imposueris, & ne communicaveris peccatis alienis:* Et Leo Papa Magnus epist. 1. alias 87. ad Episcopos Africanos, in qua exponit eadem Apostoli verba. De eodem quoque Leone refert Sophronius cap. 149. quod cum plures noctes ad sacram Apostolorum memoriam excubasset, orans pro suorum remissione peccatorum, responsum habuisse a S. Petro sibi apparente, omnia ei præterita dimissa esse peccata, solis iis exceptis, quæ in ordinationibus aliquando commisisset. Summus quoque Pontifex Hormisda epist. 25. ad universos Episcopos Hispaniæ Cap. I. inquit: *Ut in sacerdotibus ordinandis quæ sunt præscripta, & a Patribus definita cogitetis: quia sicut est caput Ecclesiæ Christus, Christi autem vicarii Sacerdotes: sic & in eligendis his curam oportet esse præcipuam. Irreprehensibiles enim esse convenit, quos præesse necesse est corrigendis: nec quidquam illi deesse personæ, penes quam est religionis summa, & substantia disciplinæ: & æstimet quis pretium dominici gregis, ut sciat quod meritum constituendi debeat esse Pastoris. Hoc ita fiet, si non Sacerdotii gradus saltu quodam passim laicis transferantur. Longa debet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiæ. Discere prius quisque debet ante quam doceat, & exemplum religiosæ conversationis de se potius aliis præstare quam sumere; emendatiorem esse convenit populo, quem necesse est orare pro populo.*

Tit. XXII. De Concilio Provinciali. *Teneantur omnes Episcopi sub pœnis sacris Canonibus latis, stata die Concilio adesse. Itaque in benedictionibus tempora prævenire curent, ut illuminata mente & purgato spiritu principali affectu, conjunctis & sollicitis animis Ecclesiæ Dei providere possint.*

Et quidem in hoc ipso Concilio Episcopus Comprovincialis admonitus & rogatus, ut ad Concilium conveniret, suasque in rebus definiendis partes conferret, nec tamen parere dignatus esset; inquisitum tandem de eo fuit, ejusque malo regimine, ratione cujus ejus Vicarium Generalem, quem sibi elegerat suis conformem moribus, & lucro addictissimum, instante Synodi Promotore, Synodus ipsa officio deposuit, eidemque ex officio alterum Generalem Vicarium subrogavit meritis præcellentem. Antistes vero ipse Sarlatensis damnatus est privatione tertiæ partis proventuum Episcopalium, quorum detractione & sequestratione Cathedralis Ecclesia, quam summopere neglexerat, repararetur, ut liquet ex Concilii actis. De Metropolitano quidem decernit Nicolaus Papa scribens ad Rodulphum Bituricensem Episcopum, nihil posse Metropolitanum aut Primatem in Suffraganei Parochia, excepto appellationis judicio, ut refertur *in C. Conquestus 9. q. 3. & c. 1. de Officio Legati.* Loquitur porro de potestate quæ usu frequentissima erat: quotidie namque occurrebant apud Metropolitarum tribunal dirimendæ appellationum causæ; minus vero frequentior erat cæterarum prærogativarum usus & occasio, inter quas non minima erat indictio & convocatio Synodorum Provinciæ, & inflictio pœnarum, quibus mulctandi erant Suffraganei Prælati, qui per contumaciam non adventarent, neque excusationis causas allegarent. Concilii Laodiceni canone 40. jubetur Episcopis ad Synodum vocatis, ut accedere non pigritentur, nisi valetudine impediantur. Habetur *dist. 18. c. Non oportet vocatos.* Concilii etiam Arelatensis II. cap. 19. eadem iteratur jussio sub pœna suspensionis usque ad subsequentem Synodum Provincialem, in qua se sistens obtenta absolutione prioris contumaciæ, recipi & considere poterat. Habetur *Can. Si quis autem dist. 18.* Antiquitus etiam nemini electo in Episcopum licet consecrationem suscipere, nisi de manu proprii Metropolitani, ut constituit primum Nicænum Concilium can. 4. & 6. Itemque Antiochenum can. 19. & Innocentius I. epist. ad Victricium Rothomagensem Episcopum cap. 1. Et Leo Papa Magnus epist. 4. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum cap. 4. & Gelasius Papa epist. ad Episcopos Dardaniæ. Quin etiam si quando Metropolitanus per ægritudinem aliudve impedimentum tum non poterat novum Suffraganeum consecrare, jus habebat alium vice sua Episcopum delegandi ad hoc munus, cui vices has gerenti reliqui Suffraganei cæteri cedere tenebantur, uti declarat Innocentius III. *Cap. quod Sedem Apostolicam de Off. judic. Ordin.* Omitto antiquum jus visitandi Provinciam, & ad hoc procurationes exigendi; *Cap. Cum ex officio de præscriptionibus*, aliaque prisca Metropolitarum jura.

§. V.

De Concilio Constantinopolitano Anni 1638.

VUlgata Constantinopoli Fidei Confessione, quam Patriarcha Cyrillus Lucar edidit in gratiam Calvinistarum, ut fusius infra exponetur, Cyrillus Berrhoensis exauctorato Cyrillo Lucari suffectus Synodum habuit Constantinopoli, cui adfuit Constantinopolitanæ Ecclesiæ Clerus universus cum Patriarchis Alexandrino & Hierosolymitano, ac viginti tribus Episcopis Orientalibus, in eaque in Calvinianam illam Confessionem, ejusque nefarium authorem anathema pronunciatum fuit. Quod in aliis quoque Synodis mox percensendis non semel iteratum est, ostensumque hoc modo, quan-

topere

topere Ecclesiæ illæ Orientales quamvis diro schismate a Sede Beati Petri sejunctæ a novitatibus erroribusque abhorrerent, quibus præsidium aliquod Calvinistæ vaferrime conciliare semper studuerunt.

§. VI.

De Concilio Constantinopolitano Anni 1642.

Elapso sæculo XVII. perditissimus Cyrillus Lucar, vir Græcus egit cum Batavorum Calvinistarum Oratore, qui pro commerciis gentis suæ tuendis & promovendis ad Portam residet Turcarum Monarchæ, si ejus interventu hoc impetraret, ut ad Sedem Patriarchalem Ecclesiæ Constantinopolitanæ promoveretur, se tanto obstrictum beneficio deinceps omni studio elaboraturum, ut Calviniana Secta toto Oriente propagaretur. Propositionem Batavus lubens excepit, egitque cum Batavorum Optimatibus, ut vim auri Respublica illa suppeditaret, qua corruptus Præfectus Prætorio, quem magnum Visirem vocant, Turcarum Monarchæ persuaderet, ut suprema qua pollet authoritate Cyrillum Ecclesiæ regiæ civitatis Patriarcham constitueret, qui etiam corrasa undique pecunia, & pollicitatione dignitatum & emolumentorum Græcanicæ Ecclesiæ, multorum studia sibi conciliavit. Provectus igitur hisce artibus, hisque patronis ad concupitam illam Sedem, Calvinianos errores sensim insinuare exorsus est, deinde majore sumta fiducia confidentius animis instillare per se, & corruptos a se Concionatores. Et quamvis permulti resisterent, atque obniterentur, non paucos tamen seduxit, suisque partibus addixit. Sed tamen Veteratoris hujus oppignoratam novatoribus hæreticis fidem, & sacrilegas ab eo suscitatas de religione contentiones ejus diremit interitus. Qui enim ei successor datus est Parthenius nuperas Orientalis Ecclesiæ labes ac ruinas coacta Constantinopoli Græcorum Episcoporum Synodo reparavit an. 1642. Cujus Acta & Decreta Moldavorum Principi Basilio Baibondæ dedicata, typis publicis idem Patriarcha Parthenius in Moldavia ab Jasio Typographo imprimi curavit, græco sermone postmodum in latinum verso. Et subscripserunt Parthenius dictus Œcumenicus Patriarcha, Petrus Mogilas Metropolitanus Russiæ, cumque his alii plerique Antistites, omnesque primarii magnæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ Ministri ac Officiales. Grande fuit operæ pretium Synodi hujus promulgatio, ex qua perspicuum fit, vix ullum esse dogma Novatorum a sacrosancta Œcumenica Tridentina Synodo damnatum, quod pariter Synodus ista Græcanica non detestetur. Quod tamen Ministri sectarii studiose dissimulant & occultant; imo vero imperitis & vecordibus fraudulenter ex occasione Schismatis execrandi, quo se olim Græcanici ab Ecclesia Romana sejunxerunt, asseverare audent habere se Græcos secum in rebus fidei convenientes, prorsusque ab Ecclesiæ Romanæ doctrina dissentientes. Per hanc vero Synodum illa manifeste convincitur impostura, ut ad hujusce Synodi Decreta animadvertit Cabassutius optimæ frugis adpositis animadversionibus, quas heic non prætermittemus.

Primo quidem Decreto Concilii hujus immerito explodituri illa propositio, cui consentiunt cum universa Ecclesia Catholica sequaces Calvini, Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere; hoc tamen ab hæreticis discrimine, quatenus illi non ex divina & infusa divinitus fide istud credunt, sed humana quadam & naturali proprii judicii persuasione; si enim ex persuasione a fide proficiscente ex Ecclesia, quæ falli aut fallere nequit in hujusmodi propositionibus circa res fidei ac æternæ salutis, id ipsis persuasum esset, utique in omnem Ecclesiæ doctrinam consentirent; quandoquidem caput Ecclesiæ Christus portas inferi nunquam adversus eam prævalituras contestatur, & evidenter adstruit, si quis Ecclesiam audire noluerit, habendum esse pro ethnico & publicano, ejusque Apostolus asserit Ecclesiam Dei columnam esse ac firmamentum omnis veritatis. Præclare ait Augustinus lib. de *Unitate Ecclesiæ* cap. 4. *Item quicumque credunt quidem, quod Christus Jesus ita in carne venerit, ut in eadem carne, ut dictum est, venerit, & in eadem in qua natus & passus est surrexerit, & ipse sit Filius Dei, Deus apud Deum, & cum Patre unum, & incommutabile verbum Patris, per quod facta sunt omnia; sed tamen ab ejus corpore, quod est Ecclesia, ita dissentiunt, ut eorum communio non sit cum toto quacumque diffunditur, sed in aliqua parte separata inveniatur, manifestum est, eos non esse in Catholica Ecclesia. Quapropter quia cum Donatistis quæstio nobis est non de capite, sed de corpore, id est non de ipso Salvatore Jesu Christo, sed de ejus Ecclesia, ipsum caput, de quo consentimus, ostendat nobis corpus suum, de quo dissentimus &c.* S. Doctor Thomas Aquinas cæterique methodici Theologi hoc idem hoc argumento probant. Tunc fides in aliquo perit, quando in eo deperit formale objectum fidei: at vero in hæretico etiam unicum fidei articulum inficiante perit objectum formale fidei, quod est veritas prima in Deo attestante & docente, ac proponente per Ecclesiam & Scripturas divinas ab eadem Ecclesia expositas, cujus est officium de sacris Libris judicandi, eorumque veros sensus explicandi, dirigente Spiritu Sancto, quem eidem affuturum pollicitus est Deus omnibus diebus ad usque sæculorum finem, & consummationem. Hæreticus autem, qui vel unum ab Ecclesia assertum fidei articulum rejicit, quamvis cæteris omnibus assentiri profiteatur, ad proprium judicium ac libitum suam determinat, ac definit consensionem acquiescens iis, quæ sibi arridenti, reliqua autem sibi displicentia despiciens, rejecta Ecclesiæ proponentis authoritate. Quapropter L. 1. C. de Hæret. erudite definit hæreticum, ut sit omnis qui vel minimo negotio a judicio catholicæ Ecclesiæ aberrat. Igitur etiam in iis, quæ simul cum Ecclesia credere se profitetur, neque formatam neque informem retinet fidem. Etiamsi enim fides nostra non terminetur aut resolvatur, nisi ad primam, quæ Deus est, veritatem revelantem; tamen Ecclesiæ propositio, per quam nos docet veritatem, est conditio sine qua non assentiremur Deo revelanti: nec Evangelio, testante Augustino, crederemus, nisi Ecclesiæ jubentis juberet, ac suaderet authoritas.

Excepto primo hujus Synodi Decreto, quod errori Græcanico velificatur, cætera omnia quæ sequuntur orthodoxæ fidei conformantur. Quale est istud secundum, quo damnantur Calviniani solius sacræ Scripturæ authoritatem ut unicam rectæ fidei ac religionis normam astruentes, sacras vero Traditiones, quas Magnus Basilius cæterique veteres Sancti, tum Græci, tum Latini Patres sacris libris æquiparant, procaciter respuentes.

Tertio Articulo Concilii Patres Calvinianum dogma cum execratione proscribunt, Deum sola voluntate, nullaque habita meritorum ratione, quosdam in æternam gloriam, alios in æterna supplicia prædestinare.

Nec minori detestatione quartum damnant, Deum reprobos de industria ad peccata impellere ac incitare ea vi, cui homo non possit obsistere.

V. Divinæ Providentiæ proprie ac primario attribuenda esse crimina omnia, quæ a cunctis malis tam Angelis, quam hominibus, secundum ejus permissionem, perpetrantur.

VI. Universam naturam humanam infectam fuisse peccatis, non solum originis per primum parentem Adamum, sed etiam actualibus iisque mortiferis, ne maximo quidem inter natos mulierum excepto, neque Virgine inter omnes mulieres benedicta.

VII. Tollendas esse Sanctorum intercessiones, & Beatorum Angelorum protectionem, & custodiam.

VIII. Statuentium fide, absque operibus, homines salutem consequi.

IX. Terrestrem ac cælestem Hierarchiam confundens dogma, tollensque Pontificiam potestatem.

X. Asserentes pari temeritate hujus terrestris Ecclesiæ membra solos esse apud Deum electos, neque illos cæteros credentes, qui divinorum Sacramentorum sunt participes, nec tamen ad æternam felicitatem prædestinati, atque ita Judam, dum esset innocens, nunquam ad Ecclesiæ corpus pertinuisse; Paulum vero dum Ecclesiam persequebatur ejusdem Ecclesiæ membrum extitisse, eo quod esset ab utero matris prædestinatus.

XI. Quod Calviniani enitentes Patrum doctrinas abolere, Ecclesiam dicant immediate a Spiritu Sancto doceri, nullatenus utente hominum manibus aut lingua, cum tamen homines Prophetæ, & Apostoli fuerint, qui verbum Dei, a quo mittebantur, prædicarint, & scriptis consignarint; Paulusque Apostolus ad Ephesios contestetur: *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Patronos & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Dei.* Patres enim divino Spiritu impulsi nos docent non secundum hominem, ut cum Apostolo loquamur, sed per revelationem Jesu Christi. Quod vero addunt iidem Sectarii, fieri posse ut erret Ecclesia, quamvis & Doctorem Spiritum, & Christum Caput habeat, quam neque maculam habere neque rugam, sed totam pulchram & perfectam esse, columnamque & firmamentum veritatis scriptum est, & quam quicumque non audierit jussum sit haberi ut ethnicum & publicanum, damnat hæc Synodus ut prorsus impium, & his aliisque divinarum Scripturarum testificationibus adversans.

XII. Damnat quoque illud dogma, nullam esse bonis operibus in hominum salute partem: quo non solum virtus omnis cælestisque vita, sed & omnis Scri-

ptura Sacra tollitur, quæ homines ad bonas actiones adhortatur, ut salutem consequantur.

XIII. Adstruitur contra eosdem liberum arbitrium hominum.

XIV. Damnat in eisdem abolitionem quinque Sacramentorum. *Negat Ecclesiæ Sacramenta quinque, Sacerdotium, sacram Unctionem, sacrum Oleum, Confessionem cum Pœnitentia, & honorabile Connubium. Quæ omnia ut sacra & divinam gratiam conferentia, nobis antiqua traditio reliquit.* His adjungere mihi visum est hominis Græci, Græcanicæque Religionis tenacissimi testimonium. Is est Gabriel Severus Philadelphiensis, qui græce opusculum edidit a se elucubratum περὶ τῶν μυστηρίων ἁγίων *de Sanctis Sacramentis*. Quod idem ipse curavit Venetiis typis imprimi. Cujus cap. 5. sic docet Ἑπτά εἰσι τὰ τῆς Ἐκκλησίας μυστήρια κ. τ. λ. *Septem sunt Ecclesiæ Sacramenta, scilicet sanctum Baptisma, sancta Unctio, sanctum Sacrificium, Ordo Sacer, Pœnitentia, legitimum Conjugium, & sacrum Oleum.* Idemque hæc adjungit cap. 7. de sacro charactere, quem aliqua infigunt Sacramenta: *Sacramenta præbentia suscipientibus ea indelebiles characteres, sunt nimirum divinum Baptisma & Sacerdotium; alii etiam recte pieque divinam Chrismatis unctionem adjungunt.*

XV. Duo vero duntaxat Sacramenta admittens Calvini Secta, eorum virtutem non recte exponit. Nam baptismo ipsum ita justificari baptizatum putat, ut perire is nullo modo possit: eos quippe qui non sunt divinitus electi, nisi exterius signum aquæ suscipiant, nullatenus hoc lavacro justificari censent.

XVI. Divinam autem Eucharistiam ita convellit, ut nihil ipsi aliud nisi nudam figuram relinquat, quasi adhuc in umbra veteris legis serviremus. Negat enim eum, qui videtur & comeditur, panem jam sanctificatum esse verum Christi corpus, sed spiritualiter tantum intellectum, aut potius imaginando fictum, quod omni impietate plenum est; neque dixit Jesus: *hoc est figura corporis mei*, sed *hoc est corpus meum. Hoc est sanguis meus.* Hoc scilicet quod videtur, & accipitur & comeditur, & frangitur, sanctificatum jam & benedictum.

Cujus testimonium paulo ante adduxi, Gabriel Severus Philadelphiensis tractatum alterum contexuit περὶ τῶ μυστηρίω τῆς θείας λειτουργίας *de Sacramento divinæ Missæ*, seu *Sacrificii*, in quo transubstantiationem profitetur panis & vini in Carnem & Sanguinem Christi. Ita vero scribit: *Liturgia est Sacramentum sumptionis transubstantiatorum panis & vini in Salvatoris nostri Carnem & Sanguinem, quibus evidenter repræsentatur sepultura & resurrectio illius.* Porro hic Auctor Schismaticus μετουσίαν *Transubstantiationem*, & vocem μετουσιῶσαι *transubstantiari*, & μετουσιωθὲν *transubstantiatum*, tum hoc ipso Tractatu, tum in sua adversus Occidentales Apologia περὶ τῶν ἁγίων δώρων sæpenumero sanctissimæ Eucharistiæ applicat; qua in Apologia idem Auctor disertissime asserit per hanc μετουσίαν deperdi panis & vini substantiam, transmutarique in adorandam substantiam Corporis, & Sanguinis Domini, solis remanentibus panis & vini accidentibus per admirabilem Christi ad nostram infirmitatem condescensum; ideoque Sacramentum istud, & Sacrificium supremo cultu esse a fidelibus venerandum. His liquido convincitur quorumdam hæreticorum Sacramentariorum præstigiosa impostura de Græcanicarum Ecclesiarum religione apud rerum imperitos mentiri audentium; cum tamen occidentales Sacramentarii in omnibus rebus, in quibus circa religionem a nobis dissident, ac præsertim circa veritatem transubstantiationis, & Sacrificii, circaque divinum Eucharistiæ cultum, a Græcis anathematizentur, nec habeant quidquam cum Græcanicis adversus nos commune, nisi solum apostasiæ ab Apostoli Petri Cathedra flagitium.

XVII. Damnatur Calvinianus error, quo Purgatorii fides rejicitur, ut simul repudientur pro fidelibus defunctis preces, & commemorationes Ecclesiæ, per quas sperant remissionem, ac refrigerium illis, qui torquentur in Purgatorio, propitiante Deo indultum iri. Hasce vero temporales & expiatorias post excessum istius vitæ pœnas vocat hoc ipso Articulo Synodus ista καθαρτήριον πῦρ *Purgatorium ignem*. Cui Divus Basilius (ut cæteros sileam Græcos Patres) perspicue adstipulatur, ita scribens in Isaiæ caput nonum: *Si igitur per confessionem detexerimus peccatum, jam succrescens gravamen arefecimus, dignum plane quod depascatur, ac devoret purgatorius ignis. Non omnimodam internecionem ac exterminium comminatur Deus, sed imuit expurgationem juxta Apostoli sententiam: quia si cujus opus exarserit, damnum patietur: ipse autem salvus fiet, sic tamen quasi per ignem.* Basilio fraternus accedit calculus Gregorii Nysseni, qui in sermone de non lugendis fidelibus hac vita defunctis, ait quosdam eorum exacta ista mortali vita in ignem purgatorium mitti, quo abstergantur contractæ ab eis materiæ labes: *Aliis autem post hanc vitam purgatorio igne materiæ labes abstergentibus*, ut mirum sit Græcos in Concilio Florentino aperte professos fuisse se ignem nullum in Purgatorio agnoscere. Sacra vero Synodus non judicavit aliud ab ipsis exigendum nisi pœnalem, qualiscumque esset, in Purgatorio animarum non sufficienter expurgatarum dolorem; qui mitigari atque auferri queat viventium suffragiis; quæ constans semper extiterat Græcarum Ecclesiarum professio.

Ultimo demum Decreto hæc Synodus eosdem damnat hæreticos, non solum quia sacros Codices alieno a sanctis Patribus sensu exponere audent; sed etiam quia nonnullos ex divinis libros expungere præsumunt, quos sanctæ æque ac Œcumenicæ Synodi pro sacris agnoverunt. Et insuper eosdem damnat venerabilium imaginum venerationem & cultum respuentes, quem sancta Œcumenica Synodus septima damnando Iconomachos confirmavit.

§. VII.

De Synodo Hierosolymitana.

ADversus Calvinistas, *Orientalem Ecclesiam de Deo rebusque divinis hæretice cum ipsis sentire mentientes* Synodum celebravit Dositheus Patriarcha anno MDCLXXII., quam Tom. XI. Conciliorum vulgavit Harduinus. In Epistola ad Episcopos ita de Hæreticis hisce loquitur Dositheus: *Sciendum est, hæreticorum hujusmodi præpositos, doctrinam Orientalis Ecclesiæ haud quidem ignorantes, suos tamen circa Deum resque divinas errores illi affingere, eamque quo rudiores seducant potissime, opera data inculpare. Cum enim ab Occidentalibus jam jam recesserint, seque ab omni demum Ecclesia Catholica procul fecerint, manifestissime sese probant hæreticos, imo & hæreticorum coryphæos. Nam falsa atque inepta non modo dogmata, sui supra modum amantes induxere, si tamen dogmata licet fabellas appellare: at etiam Ecclesiæ prorsus extorres facti sunt, cum Ecclesia Catholica, ut dictum est, nulla penitus communione conjuncti. Ac eorum, quos suis seduxere fabulis, conversionem veluti pertimescentes, eo fraudis confugere, ut quod illi circa fidem sentiunt, hoc ipsum & Orientalem sentire Ecclesiam persuaderent. (Deo nempe, etsi mirabiliter id sinente, at significante Christianum nec dici posse, nec esse, Ecclesiæ nomine non insignitum: quin & docente, eos, etsi nescientes, hoc ipso Catholicæ Ecclesiæ fuisse allectos, quod in illa mereri sese moliti sunt persuadere). Non ita porro id probare nituntur, ut vera esse universe ea, quæ creditmus, asserant: si enim ita esset, alia in nobis nequaquam reprehenderent, at nobiscum in omnibus consentirent; sed nec apud nos sese constituere Magistros appeterent, qui heri, & nudiustertius frementes meditati sunt inania: imo a Nobis edoceri nostræque obedire fidei statuerent, quam prædicantibus Apostolis Ecclesia Catholica suscepit, modo tenet, ac in finem sæculi, scilicet quoadusque veniat Dominus, ipso Deo Salvatore duce, conservabit &c.* Pergit Patriarcha Hæreticorum ostendere novitatem, inanesque, quos adhibuere, conatus, ut Orientales suas in partes pertraherent. „ Elapsis, inquit, „ ab Luthero quinquaginta annis, Martinus Crusius „ Tubingensis, cæterique cum eo novitatum Lutheri peri„ tiores (porro non alia est Lutheri hæresis, atque Cal„ vini, quamquam nonnihil videtur interesse) suæ ca„ pita professionis ad eum, qui Catholicæ Ecclesiæ „ Constantinopolitanæ id temporis clavum tenebat, di„ rexere; quatenus, uti dicebant, dignoscerent, an „ cum Orientali Ecclesia de doctrina convenirent. Ve„ rum ad illos, immo & contra ipsos, insignis ille „ Patriarcha sermones tres, seu magis peritas Respon„ siones rescripsit; quibus & omnem eorum hæresim „ theologice juxta ac catholice confutabat, & ortho„ doxas opiniones, quascumque a principio Ecclesia „ obtinuit Orientalis, eos edocebat; quamquam hæc „ illi nequaquam attenderunt; quippe nuncium pietati „ penitus remiserint. Habetur liber iste græce & lati„ ne editus Wittembergæ in Germania anno salutis „ 1584. Sed & ante Patriarcham istum, nomine Jere„ miam, Joannes Nathanael presbyter & œconomus „ Constantinopoleos, in Tractatu, quem de expositione „ sacræ Liturgiæ edidit; ac rursum post eumdem Hie„ remiam, Gabriel Severus Moraanus fratrum nostro„ rum Cretensium Archiepiscopus in Libro, quem de „ septem Ecclesiæ catholicæ Sacramentis composuit, „ universam Ecclesiæ Orientalis doctrinam manifestius „ exhibuere. Non solum autem isti, sed & alii bene

„ mul-

„ multi (quos cum opus fuerit, recenſebimus) idem „ nuper argumentum ſunt proſecuti. Ac in primis an„ te annos ſex aut ſeptem prodiit in lucem liber, cui „ titulus: *Confeſſio Orthodoxa Eccleſiæ Orientalis* ab „ ſanctiſſimo quidem illo Kiæbæ Archiepiſcopo Petro „ exaratus: at ob nonnulla obſcura, & emendatione di„ gna, quæ habebat, ab Meletio Cretenſi, magnæ „ Eccleſiæ, quæ eſt Conſtantinopoli, Doctore, ac Pro„ toſyncello, juſſu Synodi apud Jaſium celebratæ ex„ plicatus, & emendatus. Hunc omnino excepit, & „ modo etiam excipit Eccleſia Orientalis; ac optimus, „ illuſtriſſimus, nec non & ſapientiſſimus Princeps Pa„ nagiotti, utriuſque Imperii, Orientalis nimirum & „ Occidentalis, linguarum interpres peritiſſimus, ac „ pietatis zelantiſſimus, ad unum autographi apicem „ typis mandavit. Cum itaque hæc omnia probe ſciant „ Adverſarii noſtri, atque prædictorum etiam librorum „ plurimi apud illos fuerint excuſi; manifeſtum eſt, „ eos non jam ex fidei noſtræ ignoratione, ſed ex ſum„ ma impudentia nobis imponere, & ad ſimplicium „ ruinam ea nobis affingere, quæ noſtra non ſunt, ſuſ„ cepiſſe &c. “. Et quia Calviniſtæ in medium pro„ tulerant Cyrilli Lucaris Cretenſis ac Patriarchæ CP. Confeſſionem, ex qua cum ipſis Eccleſiam Orientalem ſentire deducerent, ideo Doſitheus Patriarcha cæterique, qui eidem Synodo interfuerunt, Nectarius nimirum ex-Patriarcha, ſex Metropolitani, & Archimandritæ, Presbyteri, Diaconi, & Monachi tres ſupra quinquaginta, ut firmiorem tum propriæ Confeſſionis fidei expoſitionem, tum Calvinianæ Cyrilli Lucaris Confeſſionis damnationem ederent, utriuſque Synodi antea commemoratæ, atque adverſus eandem ipſam Cyrilli Lucaris Calvinianam fidei Confeſſionem celebratæ, acta retulerunt, innovarunt, & confirmarunt. Graviter item conqueſti ſunt, quod Calviniſtæ (quos vocant *vaniloquos*, *novatores*, *hæreticos*, *mendaces architectos*, *apoſtatas*, *artificioſos Scripturæ & Patrum*, *hæreticorum more*, *expoſitores*) poſt tot Græcorum Patrum declarationes, poſt typis editam Confeſſionem orthodoxam, poſt reprobatas, & perculſas anathemate Cyrilli Lucaris impias *Reſponſiones* Eccleſiam Græcam calumniari non ceſſent, aſſerendo hanc Calvinianam Cyrilli Lucaris Confeſſionem univerſæ Eccleſiæ Orientali fuiſſe probatam. Quod putidum mendacium ut falſi convincat, prædicta Synodus Hieroſolymitana declarat primo, hanc Confeſſionem Calvinianam a Cyrillo Lucare, nemine Orientalium conſcio, ſed prorſus clanculum editam, ac male conſarcinatam fuiſſe. Secundo ejuſdem Cyrilli Lucaris Calvinianam Confeſſionem non eſſe Orientalis Eccleſiæ Confeſſionem. Tertio prædictæ Confeſſionis Cyrilli Lucaris capita ita ab Eccleſia Orientali fuiſſe reprobata, ut his contraria vel ipſe Cyrillus Lucar in Homiliis, ſingulis Dominicis ac feſtis diebus ab ipſo Conſtantinopoli pronunciatis, etiam cum execratione docuerit, atque ab Synodis duabus frequentiſſimis propterea excommunicatione & anathemate perculſus ſit, quod ſcriptis quoque ea impugnare detrectaverit. Poſt has declarationes Synodus octodecim capitibus clare explicat, ſolideque vindicat Eccleſiæ Orientalis doctrinam, definitque contra hæreticos Calviniſtas, liberum hominis arbitrium per peccatum Adami non fuiſſe extinctum. Ad juſtificationem non ſufficere ſolam fidem in Chriſtum Mediatorem abſque bonis operibus. Septem eſſe Sacramenta: Baptiſmum delere peccatum originale: Panem & vinum ſubſtantialiter converti in Corpus & Sanguinem Chriſti in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento: Sanctos tanquam Dei amicos colendos, & invocandos: ſacris imaginibus cultum eſſe exhibendum; retinendas eſſe traditiones, quas ſive per Srripturam, ſive per ſermonem Catholica didicit Eccleſia, quæ Sancto Spiritu erudita errare non poteſt. Hujuſce Synodi titulus juxta latinam verſionem, quam Anonymus e Congregatione S. Mauri Monachus adornavit, hic eſt: *Clypeus fidei orthodoxæ, ſeu Apologia adverſus hæreticos Calviniſtas, Eccleſiam Orientalem ſecum idem de Deo, rebuſque divinis ſentire mentientes editus a Synodo Hieroſolymitana*. Quod opus ab eadem Synodo comprobatum idem Doſitheus Patriarcha Hieroſolymitanus novis argumentis, & teſtimoniis Patrum Græcorum auxit, illuſtravit, & anno 1690. in Walachia publicavit ſub hoc novo titulo: *Enchiridion fidei neceſſarium ad confutandas calumnias Calviniſtarum, qui Eccleſiam Orientalem de Deo, rebuſque divinis cum ipſis idem ſentire mentiuntur*. Conſule aureum Arnaldi & Nicolii Opus a Renaudotio poſtmodum abſolutum *de Perpetuitate Fidei* &c.

§. VIII.

De Concilio Provinciali Mœſiæ & Epiri.

MEmorat hocce Concilium Pollidorius Lib. II. de Vita Clementis XI. ad annum 1703. pag. 102., ubi inquit: „ Hanc ipſam Paſtoralis muneris ſollicitudi„ nem Italis, aliiſque in remotiſſimis regionibus conſti„ tutis Epiſcopis enixe Clemens commendavit. Nudis ta„ men monitis non contentus rem urſiſſe, alienæ quoque „ inertiæ mala ſtuduit pro virili depellere. Itaque Joſe„ phum Criſpinum Amerinum, & Marcum Battaglinum „ Nucerinum Antiſtites Diœceſeon Oſtienſis & Veliter„ næ, Portuenſis, Prænestinæ, Albanæ & Sabinæ: Fran„ ciſcum Mariam de Aſte Hydruntinæ Eccleſiæ Præſidem „ Tuſculanæ: Vincentium Zmajeuievikium Antibarenſem „ Archiepiſcopum, Primatemque Serviæ, omnium prorſus Epiſcopatuum Mœſiæ & Epiri *Apoſtolicos Viſitatores* cum ampla poteſtate conſtituit. Qui ſuas ſtudioſe „ obeuntes partes, ſacrarum rerum dignitatem, atque de„ cora cum Eccleſiæ diſciplina, & religionis incremento „ provexerunt. Ac Vincentius quidem poſt expletum, „ quod ſibi imperatum eſt, munus, cum Archiepiſcopis, „ Epiſcopis, ceteriſque Principibus Cleri Mœſiæ & Epiri „ Concilium habuit: in quo multa opportuna de Sacra„ mentis, rebus ſacris, Clericorum moribus, & ortho„ doxæ fidei cultu inter Turcas ægre ſervando, & profe„ rendo decreta ſunt. Actum eſt etiam de finibus Dioe„ ceſeon Sappatenſis, Alexienſis, Albanenſis, Pullatenſis, „ & regione Poſtireppenſi, quam tres Antiſtites, nempe „ Scodrenſis, Sappatenſis ac Pullatenſis non ſine gravi ac „ periculoſo diſſidio ſibi vindicabant. Certis itaque cuique „ deſignatis, attributis & aſſertis locis, quæ deinceps al„ ter cum alterius juris detrimento uſurpare non poſſet. „ Ab eodem ſtrenuo Apoſtolicæ Sedis Miniſtro rerum ſa„ crarum in Epiro ſtatum, populorumque mores & ſtu„ dia edoctus Pontifex, novum religioni, atque Eccleſia„ ſticæ diſciplinæ præſidium decrevit adjicere. Quare non „ ita multo poſt ejuſdem Nationis adoleſcentibus Romæ „ certum ac perpetuum in Collegio de Fide Propaganda „ locum conſtituit, congruenti attributa dote, qua oppreſ„ ſæ Turcarum tyrannide genti perennis beneficii conſta„ ret fructus.

§. IX.

De Concilio Lateranenſi ſub Benedicto XIII. P. M.

DIgnitate cæteras Synodos hoc noſtro ſæculo coactas ea antecellit, quam an. 1724. die 24. Decembris indixit Benedictus XIII. veteris diſciplinæ amantiſſimus Pontifex, in feſto Pentecoſtes anni ſequentis in Eccleſia Lateranenſi celebrandam. Plures hocce Concilium, ut ſcribit Bertius, Congregationes præceſſere in Collegio *de Propaganda fide*, quum ea Pontifici mens ineſſet, illa præſertim, quæ in Bulla *In illa die* contra Ritus Sinenſium a Clemente XI. ſancita fuerant, confirmandi. His aliiſque congreſſibus illorum rituum comprobata eſt ſuperſtitio, adverſus Confratres teſtimonium quoque perhibente P. Fouquet Jeſuita Gallo, qui apud Sinas verſatus veritatem ſuiſmet oculis conſpexerat. Comprobata item fuit Ambroſii Mediobarbi Apoſtolici ad Sinas Legati agendi ratio, atque prudentia. Tum præſtituto die inchoata eſt Synodus. Interfuere priori Seſſioni Cardinales XXXII., Archiepiſcopi, & Epiſcopi LVII., cunctiſque aſſentientibus decem Articuli ad fidem moreſque ſpectantes firmati ſunt. Pertractatum in aliis Seſſionibus de Clericis, de Feſtis, de Sacramentorum adminiſtratione, de immunitate Eccleſiarum, de Monachis & Eremitis, de Confraternitatibus laicorum, de Puellarum recluſoriis, de Sepulturis, Seminariis, ceteriſque ad optimum Eccleſiæ regimen pertinentibus. Poſt Seſſionem IV. diſputatum eſt, num Provinciale Concilium, cui Romanus Pontifex præſit, obliget univerſam Eccleſiam. Contradicente Cardinali de Polignac, indeciſa controverſia permanſit. Concilium iſtud Lateranenſe abſolutum fuit eodem anno 1725. proxima Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis; eique poſt Pontificem Benedictum ſubſcripſere Cardinales XXXII. Epiſcopi XLIV. Abſentium Prælatorum Procuratores XXXV., numero omnes CXI. Provincialis autem fuit Synodus, non Œcumenica, ut idem Pontifex declaravit; neque enim ad hanc celebrandam invitavit totius Orbis Epiſcopos. Decreta hujus Lateranenſis Concilii peculiariter hoc loco non recenſemus; ſunt enim ea in manibus omnium fere Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudioſorum.

§. X.

§. X.

De Concilio Provinciali Ebredunenſi.

HAbuit hoc Provinciale Concilium an. 1727. menſibus Auguſto & Septembri Petrus de Guerin de Tencin Archiepiſcopus Princeps Ebredunenſis, Notatu maxime digna ſunt, quæ Cap. II. *de Conſtitutionibus Apoſtolicis* ſtatuta fuerunt; & ſunt quæ ſequuntur

Cum fides ſit humanæ ſalutis initium, & (1) fundamentum, ac ſine illa impoſſibile ſit placere Deo; *primum ac præcipuum Paſtoralis ſollicitudinis caput eſt, illam integram illibatamque ſervare.*

Quoniam igitur in ſimplicitate fidei quidam non ambulantes, Conſtitutionibus Apoſtolicis, quibus ſuccreſcentes noviſſimis temporibus errores damnati ſunt, palam & aperte refragantur, aut eas ſubdolis interpretationibus conantur eludere, idcirco de obedientia illis Conſtitutionibus debita ſequentes articulos promulgandos judicavit hæc ſancta Synodus.

I.

Conſtitutio Unigenitus, *qua centum & una Queſnelli Propoſitiones damnatæ ſunt, cui ſuffragata eſt univerſalis Eccleſia, eſt dogmaticum, definitivum, & irretractabile judicium illius Eccleſiæ, de qua divino ore dictum eſt:* Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. *Si quis igitur eidem Conſtitutioni corde & animo non acquieſcit, aut veram, & ſinceram obedientiam non præſtat, inter eos habeatur,* qui circa fidem naufragaverunt. *Quod ſi nonnulli creſcente contumacia, hæreticorum veſtigiis inſiſtentes, a præfato dogmatico judicio, quo non laudabiles Patrum ſententiæ, non innoxiæ Catholicarum Scholarum opiniones, ut calumniantur Novatores, ſed in primis Baji & Janſenii errores jam dudum damnati, iterum damnantur, ad futurum generale Concilium provocare præſumpſerint, hujuſmodi provocationem noverint eſſe ipſo jure irritam, ſcandaloſam, ſchiſmaticam, jam damnatis erroribus faventem, Sedi Apoſtolicæ & Eccleſiæ injurioſam.*

II.

Quoniam autem quidam eorum, per quos oborta ſunt memorata ſcandala, præſcriptæ ab Alexandro VII. formulæ reluctantes diverſis cavillationibus vim illius eludere conantur, obtenduntque Eccleſiam non exigere, ut quiſque ſubſcribendo præfatæ formulæ juramento profiteatur, ſenſum hæreticum in quinque Propoſitionibus ab Innocentio X. damnatum contineri in Cornelii Janſenii libro; ideo nos ejuſdem Alexandri VII. Conſtitutioni inhærentes, præfatam illam ſubſcriptionis interpretationem declaramus pernicioſam, temerariam, Eccleſiæ & ejus praxi injurioſam, ſchiſmaticam, nec non hæreticis & hæreſibus faventem, & ut talem rejicimus & damnamus.

III.

Quod ſpectat ad inquietos illos homines, qui non ſine gravi Sedis Apoſtolicæ injuria, maximoque totius Eccleſiæ ſcandalo, docere non verentur, ad obedientiam præfatis Conſtitutionibus Apoſtolicis debitam, non requiri, ut quis prædicti Janſeniani libri ſenſum in antedictis quinque Propoſitionibus damnatum, interius ut hæreticum damnet; ſed ſatis eſſe, ſi ea de re obſequioſum, ut vocant, ſilentium teneatur, doctrinam illam declarat hæc S. Synodus ab omni catholico abhorrendam, fallacem, pernicioſam, & perjuriis faventem; hujus enim doctrinæ pallio non deponitur error, ſed abſconditur; Eccleſiæ illuditur, non paretur; & lata filiis inobedientiæ via ſternitur ad fovendam ſilentio hæreſim; ſtatuitque juxta Conſtitutionem Clementis XI. Vineam Domini Sabaoth, *obedientiæ, quæ memoratis Apoſtolicis Conſtitutionibus debetur, minime ſatisfieri, ſed damnatum in quinque præfatis Propoſitionibus Janſenii libri ſenſum, quem illarum verba præ ſe ferunt, ab omnibus Chriſtifidelibus ut hæreticum non ore ſolum, ſed corde rejici, ac damnari debere; & qui ſecus docuerint, vel quovis modo aſſeruerint, ſubjacere cenſuris & pœnis in ſupradictis Conſtitutionibus contentis.*

IV.

Neminem ad ſacros Ordines promoveant Epiſcopi, aut ad Confeſſiones audiendas, & munia Concionatoris obeunda applicent, vel ad beneficia poſſidenda admittant, niſi prius Conſtitutionum Innocentii X. & Alexandri VII. ſubſcriptionem exegerint, & de præſtita Clementis XI. Conſtitutionibus Vineam Domini Sabaoth, & Unigenitus Dei filius, *ſincera ac demiſſa obedientia certiores facti fuerint.*

V.

Denique cum Novatores ſparſis ubique virulentis ac fallacibus libellis incautos homines ipſoſque etiam, ſi fieri poſſet, electos in errores ſuos inducere conentur, eaque prævaleat iniquitas temporum, ut libri improbi, quo graviori anathemate feriuntur, eo curioſius requirantur, & legantur avidius; ne venenum latius ſerpat, & ut a noxiis paſcuis Chriſti oves arceantur, piorum Conciliorum veſtigiis inhærens declarat hæc Sancta Synodus, omnes, qui prohibitos libros ſeu libellos, & præſertim adverſus præfatas Conſtitutiones Apoſtolicas recens vulgatos, tam ſcripto quam typis editos, legere, deſcribere, aut apud ſe retinere auſi fuerint, excommunicationis vinculo eſſe ipſo facto innodatos, a qua niſi ſpeciali licentia (ſecluſo mortis articulo) abſolvi nequeant.

Sunt hæc præcipua Ebredunenſis Synodi Decreta, quæ ea de cauſſa potiſſimum indicta fuit, ut Paſtoralis Inſtructio Epiſcopi Sanicienſium, anno ſuperiori edita, damnaretur. Stitit ſe Epiſcopus Sanicienſis, regia vocatus epiſtola, annum agens octuageſimum Ebredunenſi Synodo, in qua prædicta inſtructio damnata fuit, quoniam in ea laudantur Reflexiones Morales Paſchaſii Queſnellii, & Conſtitutio *Unigenitus* refutatur. Quamquam vero contra hanc ſententiam ſenex Epiſcopus proteſtatus ſit, duodecim Præſules pro illo apud Regem interceſſerint, & quinquaginta Pariſienſes Advocati res in conventu Ebreduni geſtas, agendique modum improbaverint; Benedictus tamen XIII. ſummopere illum commendavit in Epiſtola ad Archiepiſcopum de Tencin, qui etiam poſtea purpura decoratus fuit. Chriſtianiſſimus etiam Rex in ſua ad eumdem Præſulem epiſtola, quæ in Synodo fuerant acta, ſua auctoritate munivit. Sanicienſium Præſule amoto, hujus Eccleſiæ adminiſtratio commiſſa eſt ab eadem Synodo D. de Saleon, qui deinde ad Archiepiſcopatum Viennenſem evectus ætate noſtra Benedicto XIV. P. M. libros Patrum Belelli & Berti tanquam hæretico ſpiritu animoque malo conſcriptos non minus infeliciter, quam inepte denunciavit.

§. XI.

De Nationali Maronitarum Concilio.

CElebrata fuit hæc Synodus Montis Libani in Eccleſia B. M. V. de Loaiſa Monachorum S. Antonii an. 1736. ineunte Octobre. Interfuere Patriarcha Antiochenus, XIV. Epiſcopi Maronitæ, duo Syri, totidem Armeni, Abbates aliique complures; in eaque Decreta S. Congregationis de Propaganda fide propoſita & recepta fuerunt: actum etiam de numero, limitibus & diviſione Diœceſum Maronitatum, & de contributione erogari ſolita Epiſcopis in collatione Ordinum, & ſacrorum Oleorum diſtributione. Plenius hæc intelliguntur ex Litteris Apoſtolicis Benedicti XIV. an. 1741. Kalendis Septembris datis, quibus hæc Synodus confirmatur: „ Etſi autem, inquit Benedictus §. 2. & ſeqq. „ Venerabiles Fratres Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epi„ ſcopi, aliique pro tempore exiſtentes inclytæ Natio„ nis Maronitarum, quæ ab ipſa ſua origine Ortho„ doxam Romanam fidem profeſſa, ſemper intactam ab „ infidelibus, hæreticis, ſchiſmaticis undique circumſi„ dentibus cuſtodire, atque Apoſtolicæ huic S. Sedi ar„ ctiſſime adhærere, debitaque obedientia obſequi ſtu„ duit, ac pergit, cœtus & Synodos hujuſmodi veluti „ in ſpeciem inter ſe celebrare non deſtiterint; nun„ quam tamen apud illos Provinciale, ſeu totius Na„ tionis Concilium habitum fuiſſe conſtat. Quo factum „ fuit, ut, cum nonnulla ad diſciplinam Eccleſiaſticam „ potiſſimum ſpectantia ſenſim a primæva inſtitutione, „ ac ſplendore declinare viderentur, ad eadem ſuſti„ nenda reparandaque aſſidue per Congregationem Ve„ nerabilium fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, „ tum Generalis adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitio„ nis,

(1) Concil. Trid. Seſſ. 61. de Ref. c. 8. Ad Hebr. 11.

„ nis, tum Propagandæ fidei, Decreta ſuper propoſitis „ dubiis, & exortis controverſiis, quantum fieri potuit, „ conſuleretur. Quæ certe providentia jam dudum ini„ ta ac ſervata, etſi quodammodo ſalutaris, haud ta„ men ſatis viſa fuit modernis Venerabilibus fratribus „ Joſepho Petro Patriarchæ Antiocheno, cæteriſque „ Archiepiſcopis, & Epiſcopis ejuſdem Nationis Ma„ ronitarum, ut votorum ſuorum compotes fierent. „ Quamobrem per ſupplices Litteras eximiis ſingularis „ erga Apoſtolicam hanc Sanctam Sedem reverentiæ & „ obedientiæ notis inſignes, iterum atque iterum datas, „ non modo abuſus ſenſim irreptos, ac controverſias & „ confuſiones pacem plerumque interturbantes e medio „ tollendas ſignificabant: verum enixis etiam precibus „ tandem poſtularunt, ut ad graviſſimum hujuſmodi ne„ gotium cum ejuſdem Nationis decore atque utilitate „ conficiendum, adlegare dignaretur Apoſtolica Sedes „ dilectum filium Joſephum Aſſemanum ejuſdem Na„ tionis virum, primæ in Bibliotheca noſtra Vaticana „ cuſtodiæ Præfectum, Canonicum Baſilicæ Principis „ Apoſtolorum de Urbe, Magiſtrum in utraque Signa„ tura noſtra Referendarium, Prælatum domeſticum, „ & intimum Cubicularium noſtrum, quem triginta fe„ re ab hinc annis nobis notum & acceptum, tum pro„ pter obſequia ſua in earundem Congregationum In„ quiſitionis, & Propagandæ Fidei negotiis Nationum „ Orientalium expediendis laudabiliter præſtita, & tot „ volumina de Orientalibus præſertim, aliiſque rebus „ jam typis edita, plurimi facimus. Itaque felicis re„ cordationis Clemens PP. XII. Prædeceſſor noſter, „ ex ejuſdem Congregationis Propagandæ Fidei conſi„ lio, ſupplicationibus hujuſmodi inclinatus, laudatum „ Joſephum Simonium, tum ſuis Apoſtolicis litteris in „ ſimili forma Brevis, tum decreto & inſtructione ſu„ per nonnullis Articulis peculiari reformatione dignis „ habitis, & facultate Synodum Provincialem ſeu to„ tius Nationis, ſi opus fuiſſet, congregandi inſtru„ ctum, ablegare dignatus fuit. Hic autem ſupremis „ ejuſdem Clementis Prædeceſſoris juſſibus ea, qua de„ cebat, obedientia obtemperans, Orientem contendit. „ Poſtquam ad Libanum Montem acceſſit, Apoſtolica „ mandata, Decreta, & inſtructionem dictæ Congre„ gationis in Apoſtolicis litteris, & Decretis, ut præ„ mittitur, contenta, iiſdem Joſepho Petro Patriar„ chæ, aliiſque Præſulibus Maronitis expoſuit. Qui„ bus omnibus cum veneratione Apoſtolicæ Sedi debi„ ta exceptis, lectiſque, unanimi conſenſu ſtatutum „ fuit, ut Synodus hujuſmodi haberetur, in qua non „ ſolum recitarentur, atque obſervanda proponerentur „ Decreta, & Ordinationes dictæ Congregationis Pro„ pagandæ Fidei; verum etiam alia Decreta, & Ca„ nones, ſi aliquo pacto id ad Eccleſiaſticam diſcipli„ nam cum ejuſdem Nationis laude reformandam illu„ ſtrandamque neceſſarium atque opportunum fuiſſet vi„ ſum, conderentur. Interea variis congreſſibus antea „ peractis, Synodus hujuſmodi, quæ jam indicta fue„ rat, in Eccleſia ſub invocatione B. Virginis Mariæ „ Immaculatæ Monaſterii de Loaiſa dilectorum filio„ rum Monachorum S. Antonii Congregationis Montis „ Libani in Provincia Cheſroanenſi Phœniciæ convoca„ ta fuit. In ea ſane, præter Patriarcham, & Ab„ legatum hujuſmodi, interfuerunt Archiepiſcopi, & „ Epiſcopi, nimirum quatuordecim Maronitæ, duo Sy„ ri, & totidem Armeni, Abbates Generales Mona„ chorum tum S. Antonii Congregationis Montis Li„ bani, tum ſancti Iſaiæ, ſinguli cum quatuor Defini„ toribus, & aliis Abbatibus localibus, tam ejuſdem „ Congregationis Montis Libani, quam Monaſteriorum „ antiqui Inſtituti, Locumtenens cuſtodiæ Hieroſolymo„ rum, ac totius terræ Sanctæ, Apoſtolici Miſſionarii „ omnium Ordinum, qui in Syria & Palæſtina com„ morantur, nempe S. Franciſci Minorum de Obſer„ vantia, & Capuccinorum, ſanctæ Mariæ de Monte „ Carmelo Excalceatorum nuncupatorum, & Clerici „ Regulares Societatis Jeſu, ac quamplures Archipres„ byteri, Parochi, Presbyteri, Theologi, Collegii „ Pontificii de Urbe olim alumni, aliique Clerici, „ Monachi, Principes, ac Magnates Gazeni, Hebai„ ſcii, & aliarum familiarum inſignium Montis Liba„ ni, & Antilibani. Antedicti omnes in ſeſſionibus „ tam matutinis, quam veſpertinis trigeſima menſis Se„ ptembris, ac prima, & ſecunda diebus menſis Octo„ bris anni MDCCXXXVI. habitis, inſimul conve„ nientes, poſtquam recitata & propoſita fuerant De„ creta, Canones, & Articuli juxta inſtructionem di„ ctæ Congregationis Propagandæ Fidei, ut præmitti„ tur, in Synodo hujuſmodi condita & contenta, non „ ſolum omnia & ſingula comprobarunt, laudaverunt„ que, iiſque omnes & ſinguli, qui ſuffragium & vo„ tum habebant, aliique ſubſcripſerunt; verum etiam „ litteras, quibus & ea quæ geſta erant, ſignificabant, „ & ipſum Ablegatum propter ſuum zelum, pruden„ tiam, doctrinam, pietatem, ſapientemque in rebus ge„ ſtis habitam rationem, maximopere commendabant, „ diebus tertia, quarta, quinta, ſeptima & decima„ quinta ejuſdem menſis, & anni datas, ad Clemen„ tem Prædeceſſorem præfatum, & ſæpe dictam Con„ gregationem perferendas curarunt, ſuppliciter expo„ ſtulantes, ut Synodus hujuſmodi, prævio Apoſtolicæ „ hujus ſanctæ Sedis examine, cenſura, & correctio„ ne, quatenus neceſſitas exegiſſet, Apoſtolica autho„ ritate approbata, & confirmata, typis etiam arabi„ cis dictæ Congregationis Propagandæ Fidei in lucem „ prodiret. Interea dum ipſe Joſeph Simonius Able„ gatus inſtructioni memoratæ Congregationis, & bo„ næ mem. Felicis Cardinalis Zondadari, dum vive„ ret, Nationis Maronitarum protectoris, & hujuſmo„ di ad Montem Libanum ablegationis ponentis, man„ datis obtemperaturus, & iis, qui in dicta Synodo ſuf„ fragati fuerant, morem geſturus, ſtatim nonnulla in „ quibuſdam Articulis, ut præmittitur, contenta, ac „ primum hic Romæ, deinde in memorata Synodo „ jam diſcuſſa atque decreta, executioni mandanda cu„ rat, ac præſertim omnimodam Monialium a Mona„ chis ſeparationem, non levis eumdem Ablegatum in„ ter & Patriarcham, quoad modum ſeparationis, e„ merſit diſſenſio. Acceſſit deinde controverſia de in„ hibita quacumque vel modica pecuniæ ſumma, aut a„ liarum rerum contributione, tum in ſacrorum Oleo„ rum diſtributione, tum in ſacrorum Ordinum colla„ tione, Patriarchæ aut Epiſcopis alias ſolvi & ero„ gari ſolita. Demum de ſtatuta uniuſcujuſque pro„ priæ Eccleſiæ Antiſtitis firma incardinatione, & Epi„ ſcopatuum ad certum numerum, juxta folium ab ipſo „ Patriarcha, Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſubſcriptum, „ reductione, diſſidium erupit. De hiſce omnibus idem „ Patriarcha & per ſuas litteras anno MDCCXXXVII. „ ſcriptas, & per ſuum Nuntium an. MDCCXXXVIII. „ hanc almam Urbem aſſequutum, Apoſtolicam Sedem „ conſuluit. Narratis autem relatiſque prius in ſæpe„ dicta Congregatione Propagandæ Fidei non ſemel ha„ bita quam plurimis, tum quoad puncta in antedictis „ Articulis contenta, tum quoad authoritatem legitimi„ tatemque Synodi præfatæ, rationum momentis, hinc „ inde adductis, & accuratiſſime expenſis; audita tum „ Venerabilis Fratris Gabrielis Eva Archiepiſcopi Cy„ pri Maronitæ, tum dilectorum filiorum Thomæ Bu„ di Abbatis Generalis Monachorum S. Antonii dictæ „ Cnngregationis Montis Libani, & Pompilii Rodata „ in Bibliotheca noſtra Vaticana Græci Scriptoris, & „ de rebus Orientalibus non ignari, quibus Synodus „ præfata revidenda, & examinanda commiſſa fuerat, „ relatione, particularem Congregationem eorumdem „ Venerabilium Fratrum noſtrorum Propagandæ Fidei „ jam a nobis deputatam, coram nobis die XXVII. „ proxime elapſi menſis Auguſti, ponente dilecto pari„ ter Filio noſtro Vincentio S. R. E. Cardinali Petra „ ejuſdem Congregationis Propagandæ Fidei Præfecto, „ in locum dilecti itidem Filii noſtri S. R. E. præfa„ tæ Cardinalis Rezzonici ponentis abſentis ſuffecto, „ habendam indiximus. Propoſita fuerunt in Congre„ gatione hujuſmodi dubia, quæ ſequuntur: I. *An con„ ſtet de legitimitate dictæ Synodi?* II. *An Canon quo„ ad cohabitationem prohibitam Monialium, ſeu Mulie„ rum cum Monachis, ſuſtineatur; vel quomodo moderan„ dus?* III. *An Canon prohibens Patriarchæ quamcum„ que exactionem in diſtributione Olei ſancti Parochis, ſu„ ſtineatur & mereatur confirmationem?* IV. *An Canon „ quoad reſidentiam Epiſcoporum Maronitarum in propriis „ titulis Eccleſiarum Epiſcopalium, ſit approbandus; & „ quid quoad Appendicem Synodi Cap. XLI. in quo adeſt „ diviſio ſedium Epiſcopalium, cum limitibus Diœceſum „ Maronitarum pro diſtributione Diœceſum in tot Epiſco„ pis, ita ut non poſſint amoveri a Patriarcha?* V. *An „ ſit conſulendum Sanctiſſimo pro approbatione dictæ Syno„ di etiam per Breve Apoſtolicum?* Ad quæ ſane dubia „ omnibus ſedulo expenſis, per eoſdem Cardinales re„ ſponſum fuit. Ad primum *conſtare de legitimitate Sy„ nodi, omnibus ſuffragantibus*. Ad ſecundum: *pro „ approbatione Canonis, citra tamen approbationem Mona„ ſteriorum*. Ad tertium: *Approbandum, & ad San„ ctiſſimum qui dignetur alio modo providere Domino Pa„ triarchæ*. Ad quartum: *Pro approbatione Canonis de„ mandantis reſidentiam Epiſcoporum: & ad Sanctiſſimum „ quoad contenta in Appendice Cap. XLI. in quo propo„ nuntur Metropolitarum & Epiſcoporum Maronitarum „ ſedes & limites*. Ad quintum: *Ad Sanctiſſimum, qui „ dignetur approbare Synodum, cum Brevi Apoſtolico*. „ Hinc eſt quod Nos, qui in ſublimi ſacroſancti Apo„ ſtolatus ſpecula per divinæ bonitatis abundantiam con„ ſtituti, nihil optamus impenſius, quam ut per uni„ verſum Catholicum Orbem evangelizemus, & dog„ mata

„ mata Orthodoxæ fidei omnes Chriſtifideles edoceamus, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ præcepta intacta ſanctiſſime ſervanda curemus; eapropter omnibus & ſingulis diſſidiis, controverſiis, diſſenſionibus, cæteriſque quibuſcumque, quæ ad hanc uſque diem ſuper præmiſſis omnibus quocumque pacto, & quomodolibet excitata fuerunt, perpetuum ſilentium imponentes; nec non omnium, & ſingulorum ſupra memoratorum Patriarchæ, Ablegati, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, cæterorumque Nationis Maronitarum hominum votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere, eorumque ſingulares perſonas ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, atque Apoſtolicis laudibus commendantes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorundem nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, Synodum hujuſmodi, omniaque & ſingula, in ea, ut præmittitur, edita, ſtatuta, decreta, Ordinationes, & Canones, authoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus; ita tamen quod per noſtram prædictæ Synodi confirmationem nihil derogatum eſſe cenſeatur Conſtitutionibus Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, & Decretis Conciliorum Generalium ſuper Ritibus cæterarum quarumcumque Nationum, ſive ſpecialiter, ſive generaliter factis, quæ non obſtante hujuſmodi confirmatione, in ſuo robore permanere debeant; ac ſalva ſemper in præmiſſis authoritate dictæ Congregationis Propagandæ Fidei, Nobis tamen, ac Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, toties quoties opus fuerit, ſuper præmiſſis omnibus prius conſultis". Adhibere ſolet, inquit Bertius in Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Breviario Sæcul. XVIII. Cap. II. hanc clauſulam Apoſtolica Sedes in qualibet confirmatione Synodorum Orientalium; adhibuitque illam anno 1714. confirmando Synodum Albaniæ, ſive Epiri, & anno 1720. confirmando Synodum Ruthenorum Samoſcii in Polonia celebratam.

§. XII.

De Synodis Hiſpaniæ.

ANno 1600. Synodus Oriolana celebrata eſt a D. Joſepho Stephano Oriolano Antiſtite, in qua actum de receptione ſacri Concilii Tridentini, de opera diligenti adhibenda a Parochis in converſione *Moriſchorum* procuranda, multiſque aliis cum ad Sacramenta, tum ad diſciplinam pertinentibus. Cap. XVII. *De Miſſa B. Rochi tempore peſtis ſingulis feriis tertiis celebranda* ita ſtatuitur: *Piam populi propenſionem, devotionemque in Domino commendantes, maxime hoc tempore, quo peccatis noſtris exigentibus, peſtis in hoc regno Valentino graſſatur, & late contagione metuenda ſerpit, in B. Rochum Confeſſorem in dies augeri & accendi magis ac magis cupientes (cujus veneranda imago coloribus expreſſa in oppido de Calloſa noſtræ Diœceſis, pluries ſudore madida viſa eſt, ejuſque lampas oleo ebullire conſpecta, cujus unctione plurimos fidelium a variis ægritudinibus liberatos eſſe aſſeritur) volumus ut durante hac calamitate, quæ nobis imminet, in tertia feria cujuslibet hebdomadæ, de illo in omnibus noſtris Eccleſiis Miſſa privata vel publica de uno Confeſſore non Pontifice recitetur, & eleemoſynæ, quæ intuitu illius imaginis fidelium largitione donantur, in illius extruendum & amplificandum Eremitorium cedant.*

Anno MDCI. Concilium III. Provinciale Limanum in Civitate Lima Toribius Mogrovexius Archiepiſcopus Regum ſive Limenſis habuit. Idem duo alia Concilia celebravit annis MDCII. & MDCIV. quorum Acta & Decreta ad calcem Tomi IV. Conciliorum Hiſpaniæ invenias a Cardinali de Aguirre collectorum.

§. XIII.

De quibuſdam aliis Conciliis Synodiſque Diœceſanis præſertim Italiæ.

SEdente Paullo V. in Petri Cathedra habitæ ſunt Synodi nonnullæ, videlicet una Glaſcuæ in Scotia menſe Junio anno ſalutis 1610. in quo confirmata eſt authoritas Epiſcoporum in regimine, ordinatione, ac juriſdictione ſuarum Eccleſiarum.

Anno 1616. menſe Martio in Urbe Apamea Meſopotamiæ habita eſt Synodus ab Elia Patriarcha Babylonis, occaſione profeſſionis fidei a Paulo Pontifice acceptæ, quam cuncti amplexi ſunt.

Sub ejuſdem Pauli Pontificatu habitum eſt Concilium Provinciale Petricovienſe Bernardo Maczieouuski S. R. E. Presbytero Cardinali Archiepiſcopo Gneſnenſi ad reſtaurandos tum Cleri tum populi mores, ac pro unione Ruthenorum Ritus Græci cum Eccleſia Romana promovenda.

Synodum quoque ſuam celebrarunt Rutheni Ritus Græci præſidente Hipatio Pociey Metropolita Kiovienſi, qui a ſchiſmate ad Eccleſiæ Catholicæ communionem redierat.

Anno primo Pontificatus Gregorii XV. nempe 1621. die 26. Aprilis habitum eſt Concilium Provinciale Petricovienſe pro immunitate Eccleſiaſtica, & Clericorum moribus reſtaurandis: præfuit illi Laurentius Gembicius Archiepiſcopus Gneſnenſis, cujus Conſtitutiones Gregorius approbavit.

Urbano VIII. Pontifice ann. 1625. alterum Petricovienſe Concilium habitum eſt. Ann. 1634. Varſavienſe primum, tum ſecundum pro diſciplina Eccleſiaſtica reſtauranda, depravatorum morum correctione, & divini cultus propagatione.

Si porro omnia Concilia Provincialia vel Diœceſana, quæ in Italia celebrata fuerunt hac tempeſtate, percenſere, eorumque Acta ac Decreta ſeligere vellem, longius quam par eſſet, Diſſertatio noſtra protraheretur, & in tanta rerum dicendarum copia vix illa exitum reperiret. At enim præter triginta quatuor Concilia Beneventana quæ convocavit ediditque Vincentius Maria Card. Urſinus, poſtea Benedictus XIII. alia quamplurima ſunt coacta, inter quæ potiſſimum numerantur Concilium Mediolanenſe ſeptimum a Friderico Cardinali Borromæo S. Caroli Nepote, ſucceſſore & virtutum imitatore congregatum. Concilium inſuper Senenſe a Franciſco Maria Cardinali Tauruſio habitum: duo etiam Neapolitana, tria S. Severinæ, Ravennatenſe, Florentinum, Urbinatenſe, Turritanum in Sardinia; duæ Synodi Æſinæ ſub Cardinali Matthæo Patricio Epiſcopo, Albingaunenſis Synodus, Amerina ſub Antonio Gratiano, Synodus Aſſiſienſis ſub Cardinali Nerlio, Synodus Averſana, Synodus Bononienſis ſub Card. Jacobo Boncompagno, Synodus Cæſenatenſis ſub Cardinali Denoffio, Synodus Lunenſis & Sarzanenſis ſub Cardinali Benedicto Lomellino, Synodus Auximana ſub Card. Antonio Maria Gallo, Synodus Montisfaliſci ſub Card. Marco Antonio Barbadico, Synodus Nonantulæ ſub Cardinali de Angelis, Synodus Sabinenſis ſub Card. Ptolomæo Gallo, Synodus Sutrina ſub Card. Julio Spinula, & aliæ hujuſmodi, Eugubina, Genuenſis, Aſculana, Roſſanenſis, Venuſina &c. Hiſce Synodorum nominibus recitatis, fuſe Graveſonius pertractat de Synodo Diœceſana inſignium Abbatiarum S. Mariæ Farfenſis & S. Salvatoris Majoris, Ordinis S. Benedicti, quam Eminentiſſimus Carolus Barberinus, Presbyter Cardinalis Tituli S. Laurentii in Lucina, & Sacroſanctæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum Archipresbyter, & ſacrorum Monaſteriorum earumdem Abbatiarum Abbas, & perpetuus Commendator, nec non earumdem Diœceſum ac juriſdictionum Ordinarius celebravit An. MDCLXXXV. Hujus Synodi Farfenſis Acta & Decreta nonnulla in varia capita diſtributa, cum eodem Graveſonio referemus. In primis cap. 3. Farfenſis Synodus admonet verbi Dei præcones, ut ſæpius animo reputantes altiſſimam proprii muneris vocationem recte tractent & annuncient verbum veritatis, non ſemetipſos, ſed Jeſum Chriſtum prædicantes, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, ac ſubinde ſeſe in omnibus exhibeant ejuſdem Chriſti Miniſtros, & diſpenſatores myſteriorum Dei: loca, ad quæ diverterint, bono virtutis odore perfundant, ſeque animarum ſaluti, non temporalis ſtipendii lucro inhiare oſtendant: parentibus præcipue inculcent arctiſſimam obligationem, qua naturali jure & ex præcepto divino tenentur liberos ſuos bonis moribus imbuere & in viam Dei dirigere, adeoque illos moneant, ut filios ipſi inſtruant, & ad Eccleſias doctrina Chriſtiana erudiendos mittant. Denique verbi Dei præconibus præcipit Synodus, ut vitia omnia generatim reprehendant, eaque præſertim, quæ ex Parochorum relatione frequentiora & manifeſtiora eſſe noverint in locis, ubi concionantur. Capite nono, quod eſt *de Sacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento*, injungit Parochis, ut caveant, ne quoſvis indiſcriminatim ad ſacram communionis menſam admittant, ſed potius excludant publice excommunicatos, concubinarios, meretrices, blaſphemos, maleficos, uſurarios publicos, itemque publice criminoſos, & eos præterea, qui in odio proximi cum ſcandalo perſeverant, nec non conjuges cohabitare ſine

re ſine cauſa legitima nolentes, niſi prius ii omnes certum pœnitentiæ cum vitæ emendatione ſignum dederint. Capite XI. quod eſt *de Sacramento Pœnitentiæ*, Synodus Farfenſis præcipit Confeſſario, ut, ſi pœnitentes offenderit, qui ad reſtitutionem rerum, ſeu famæ teneantur, eos exacte de ſua obligatione admoneat, cui ſi ſatisfacere expreſſe nolint, aut alias nolle eam adimplere liquido judicare poſſit, eis abſolutionem deneget, neque eorum pollicitationibus, ſeu ipſi Confeſſario, ſeu aliis pluries factis, & ſemper effectu carentibus, facile credat: ſed eo caſu, niſi circumſtantiis certa ſpes faciendæ reſtitutionis effulſerit, abſolutionem tandiu differat, quouſque reſtitutione facta, ſi poſſint, illata damna reparaverint. Eoque diligentiorem in hac materia operam probatos Authores legendo, & juſtitiam præ oculis habendo Confeſſarius adhibere debet, quod majus ei periculum imminet pœnitentium ſe peccatis, atque etiam obligationibus irretiendi, ſi injuſta conſilia, etiam per ignorantiam craſſam & affectatam, ſuggerendo, alieni damni cauſſa extiterit. Præterea, cum his, qui nec peccata, nec proximas peccandi conſuetudines relinquere volunt, abſolutio tanquam indignis deneganda ſit, prohibet Synodus Farfenſis, ne Confeſſarius abſolutionis beneficium impertiatur concubinariis, meretricibus, uſurariis, blaſphemare inter ludendum ſolitis & tamen ludere pergentibus, odia & inimicitias exercentibus, nec tamen deponentibus, aut ignoſcere recuſantibus, aliiſque hujuſmodi, niſi per tantum temporis ſpatium ab his ſceleribus ſe abſtineant, ut Confeſſarius ſpem moraliter certam habeat, eoſdem impoſterum vitam emendandi firmum propoſitum animo concepiſſe. Confeſſarius autem quam maximam curam adhibebit, ut peccatores gravitatem primum peccatorum ſuorum ac turpitudinem deprehendant, deinde ſalutari timore concuſſi, ſed inconcuſſa fide, ſpe certa, & charitate non ficta erecti præteritos annos in amaritudine animæ recogitantes vetera commiſſa deteſtari, & meliorem vitam inchoare incipiant, atque admiſſas noxas non ſolum per humilem miſeriarum hujus vitæ perpeſſionem, verum etiam per ſalutares pœnitentias abolere proponant. Et quia ſatisfactiones pro peccatis non tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed ad præteritorum etiam criminum vindictam & caſtigationem imponuntur, Confeſſarius diligentiſſime cavere debet, ne connivendo, & indulgentius cum pœnitentibus agendo, pro delictis graviſſimis opera leviſſima imponat, & ſe alienorum criminum participem efficiat. Debebit ergo confeſſarius, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate peccatorum & pœnitentium facultate, inſpecta etiam doloris magnitudine, ſalutares, convenientes, & peccatorum redemptrices ſatisfactiones injungere; & quamvis ob refrigeſcentem fidelium caritatem, canonum pœnitentialium rigor paulatim remiſſus, multumque relaxatus in Eccleſia reperiatur, poterit tamen Confeſſarius illam ſanctiſſimorum hominum diſciplinam pœnitentibus delictis gravioribus obſtrictis ob oculos ponere, ut dum lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis manſuetudinem, & ſuperbis humilitatem præcipit; ſcelerum ſuorum magnitudinem pœnarum gravitate commetientes, & benignius ſecum agi quam commererentur videntes; libenter, promte jejunia ad domandam carnis concupiſcentiam, eleemoſynas ad frænandam concupiſcentiam oculorum, orationem denique ad ſuperbiam vitæ deprimendam, non modo cum injunguntur, ſed ultro etiam & ſponte complectantur. Ut autem Confeſſarii, quos a purioris doctrinæ moralis ſtudio ac praxi nunquam recedere oportet, ſemper præ oculis haberent illos errores, a quibus potiſſimum in Sacramentorum adminiſtratione præcavere & abhorrere debent, Synodus hæc publicari juſſit, & inter acta Synodalia inſeruit primum Decretum Alexandri VII. datum die 25. Septembris an. MDCLXV. quo viginti octo laxiorum Caſuiſtarum propoſitiones damnantur; inſuper alterum ejuſdem Pontificis Decretum datum XVIII. menſis Martii anni MDCLXVI. quo ſeptemdecim eorumdem mollium Caſuiſtarum configuntur propoſitiones; denique Decretum Innocentii XI. Summi Pontificis promulgatum die 2. menſis Novembris an. MDCLXVII. quo proſcribuntur ſexaginta quinque propoſitiones novellorum illorum Caſuiſtarum, qui Chriſtianæ moralis doctrinæ puritatem, pernicioſis inductis corruptelis, infuſcarunt, ejuſque ſanctitatem laxiſſimis opinionibus & vaniſſimis diſtinctionum metaphyſicarum nugis inquinarunt. Cap. XVIII. quod eſt de *Feſtorum obſervantia*, onus imponit Synodus Parochis ſollicite invigilandi, omnemque adhibendi operam, ut populi ſibi commiſſi feſtos dies rite obſervent, ſimulque eos docendi, dierum feſtorum obſervantiam conſiſtere in perfecta, & plena applicatione ad divina, & in religioſa ab omni opere ſervili, ſive illud mechanicum, ſive rurale ſit, ceſſatione; atque adeo totos ſacris meditationibus, precibus, aliiſque charitatis & religionis operationibus eſſe impendendos. Præcipit inſuper Parochis, ut præcipue doceant, teneri ſub pœna peccati mortalis omnes fideles ſingulis diebus dominicis & feſtivis, aſſiſtere ea, qua decet, pietate mentiſque attentione integræ Miſſæ ſacrificio; ita ut dum Miſſa, officia divina, ſacra concio, doctrina Chriſtiana, vel quæcumque alia functio peragitur, nulli in Eccleſia, vel prope illam ſtrepitus, clamores, aut importunæ confabulationes permittantur; cantilenæ autem, inſtrumentorum concentus, ſaltationes, luctæ, ſpectacula, circulatorum ineptiæ, ludive quilibet prope Eccleſiam nunquam, nec alibi etiam per plateas dierum feſtorum tempore ullatenus tolerentur: denique intemperantes compotationes, taxillorum & chartarum luſus toto die feſto, etiam per carniſprivium omnino prohibeantur; ſicut & comœdiæ in privatis domibus prædictis diebus, & tempore dum divina officia celebrantur. Cap. XIX. quod eſt *de Jejunio*, volens Synodus Farfenſis ut ſacrum, & maxime acceptabile quadrageſimæ tempus eo quo debet fructu a populis celebretur, jubet Parochis ut eos efficaciter, & opportune præmoneant, illius obſervantiam licentia atque intemperantia præcedentium dierum non recte ſuſcipi, nec in peccatis jejunando recte peragi, neque ſine magno jejunio, abſtinentia ſcilicet iniquitatum, Paſchali cæleſtis panis ſaturitate licere frui. Quocirca, ut omnis non ſolum culpa, ſed etiam culpæ occaſio cautius tempore quadrageſimæ quam alias vitari poſſint, diſtricte inhibet prædicta Synodus, ne a feria IV. cinerum uſque ad feſtum Paſchatis fiant ſpectacula inania, comœdiæ, tripudia, compotationes, convivia, alearum & taxillorum ludi, & quælibet licentioſa conventicula ſub gravibus pœnis tam contra Authores, quam contra illos, qui eis quomodocumque interſunt. Capite XXI. quod eſt *de Vita & honeſtate Clericorum*, ſanctiſſimas leges condidit Synodus Farfenſis, quæ utinam omnium Clericorum alte inſiderent animis, & ad praxim redigerentur. Et primo quidem præcipit Clericis, ut libros pios crebro evolvant; inanes, ſcurriles, & impuros ne nominari quidem apud ſe permittant. Secundo tum Sacerdotibus, tum Clericis ſub pœna ſuſpenſionis a divinis ipſo facto incurrendæ vetat, ne taxillis, aleis, foliiſque luſoriis ullo pacto ludere, vel domum ad ludendum commodare audeant, vel quovis modo ludi participes, aut ſpectatores eſſe. Tertio jubet Clericis, ut a venationibus, in quibus canum, armorum, clamorumque ſtrepitus intervenire ſolent, omnino abſtineant; ut convivia ſæcularia fugiant, & ubique victus frugalitati ſtudeant; ut vino, in quo eſt luxuria, modice utantur: ut choreis, ſpectaculis ſcenicis, aliiſque cœtibus, ubi amatoria & turpia obſcœnis verbis, atque indecora corporis motibus laſcivoque cantu exprimuntur, nullo modo interſint: ut ad comœdias non accedant, nec larvati ſeu perſonati in publicum prodeant: ut vitent fœminarum ædes; familiaritates, congreſſus, & ſecreta colloquia, quovis officii, aut pietatis prætextu, nullatenus frequentent: ut nullum mercaturæ aut negotiationis genus vel per ſe vel per alium exerceant; aliena prædia, reditus, vectigalia non conducant; nulliſque ſæcularibus perſonis, præcipue fœminis, in procurandis negotiis, aut domus gubernatione famulentur: ut denique domi ſe, ſuaque religioſa diſciplina componant; raro per publicum, gravique inceſſu, oculorum totiuſque corporis modeſto habitu interiorem animi moderationem oſtendant; in Eccleſia frequentes ſuo quiſque miniſterio, & divino cultui intenti, nihil niſi ſanctum faciant aut cogitent; ubique morum innocentia, tacendi, loquendi, atque agendi prudentia, in Superiores reverentia atque obedientia, erga alios benignitate, inter ſe fraterno amore, vocationis, qua vocati ſunt, memores appareant, cum omni humilitate, & patientia ſupportantes invicem in charitate &c. Poſtremo, ut miſſa faciam brevitatis ergo bene multa alia, quæ ad reſarciendam Eccleſiæ diſciplinam, moreſque reformandos ſtatuit hæc Synodus, pauca duntaxat addam, quæ cap. XL. quod eſt *de Uſuris, ac illicitis Contractibus*, ad peſtiferam uſurarum luem, utriuſque Teſtamenti paginis, civilibus & canonicis legibus reprobatam, radicitus extirpandam, in his, qui ineuntur, contractibus neceſſario obſervanda decrevit. Hortatur quippe hæc Synodus, & obſecrat omnes Parochos, Confeſſarios, Concionatores, alioſque curam animarum exercentes, ut ſacros Canones, ſummorum Pontificum Conſtitutiones, probatoſque authores indefeſſo ſtudio evolventes, ſanam de Contractibus doctrinam apprime calleant, quam populis ſibi commiſſis, Contractus cenſuum, ſocietatum, alioſque inire volentibus, omnibus denique, maxime Tabellionibus, aut eorum vices fungentibus, ſequendam proponant; occaſionemque ſæpe, & liberaliter arripiant fidelem plebem enucleate docendi, atque mo-

nefaciendi, ut in præfatis Contractibus faciendis memores charitatis, juſtitiæ, æquitatis, bonæ fidei, ſpontanei conſenſus, inviolabilis juramentorum, & promiſſorum religionis, nec non Evangelii moniti *mutuum dantes nihil inde ſperantes*, proximorum in ſe affectum, vitam, juſtitiam, & gloriam a Deo omnium Patre & juſto ſimul Judice conſequantur. Monet præterea Synodus Parochos, Confeſſarios & Concionatores, ut acriter invehantur in eos, qui per vim, & metum, per dolos ac fraudes, per colluſiones, deceptiones, pauperumque, per fas & nefas, oppreſſiones, vias Domini rectas ſubvertunt, & eluſis in communem utilitatem latis legibus, nulla in proximos amoris aut æquitatis ratione habita, viſcera miſericordiæ claudunt & crudeliter obdurant, nefariaſque rapinas, aut palam, cum impune poſſunt; aut ſi ſecus, clam in pupillorum, viduarum, operariorum, aliorumque miſeria oppreſſorum perniciem exercent. Quamobrem ad graviſſimos illos tollendos abuſus, prohibet hæc Synodus Confeſſariis, ne alienorum bonorum raptores, uſurpatores, detentores, & præcipue uſurarios, debitarumque mercedum fraudatores, atque etiam horum omnium filios & hæredes crudeli, & iniqua indulgentia palpent, eoſque niſi facta reali reſtitutione, aut certe detecto in ipſis firmo quam primum reſtituendi propoſito, a peccatis abſolvant; gnari, ſi ſecus fecerint, ſe alienis peccatis innecti, & in defectum ſuorum pœnitentium ad reſtitutionem obligari. Præcipit quoque Parochis, ut maxima diligentia invigilent ſuper cenſuum, ſocietatum, aliiſque factis faciendiſque contractibus, quibus ſi lædi æquitatis & juſtitiæ jura, Summorum Pontificum Pii V. Conſtitutionem 79. & Sixti V. Conſtitutionem 45. infringi liquido cognoverint, quantum poſſunt, iniri impediant, jamque initos omni conatu reſcindi procurent; quorum monitis & increpationibus ſi qui manifeſte refragentur, perpetua infamia notati, nec vivi ad Sacramenta, nec mortui ad Eccleſiaſticam ſepulturam admittantur, niſi prius pro uſurarum debito ſolutione reali ſatisfecerint, aut fideijuſſoribus, pignoribuſque legitimam cautionem præſtiterint. Hæc Italica Synodus ideo *Farfenſis* nuncupatur, quod fuerit celebrata in clariſſimo Ordinis S. Benedicti Monaſterio Abbatiæ ſub titulo S. Mariæ Virginis, quæ vulgo *de Farfa* dicitur, eo quod in territorio Diœceſis Sabinenſis, in Ducatu Spoletano viginti duobus millibus paſſuum ab Urbe Roma diſtans, verſus Boream ad *Farfa* fluviolum vulgo italice *Farfaro* ſit.

Præter commemoratas hactenus Synodos, aliæ inſuper in Italia fuere celebratæ; uti quinque Viterbii a Cardinali Franciſco Maria Brancacci; Veliterna a Franciſco Card. Barberino; tres Piſanæ ſub Archiepiſcopo & Primate Franciſco Froſini an. 1708. 1717. & 1726. ſtylo Piſano; & denique plures in Gallia Subalpina maxime hoc ſæculo XVIII.

De Cleri Gallicani Comitiis, quæ pluries duobus hiſce ſæculis, quorum hiſtoriam ſcribimus, coacta fuerunt, quæque inſtar Nationalium Synodorum ſunt, nihil diximus; propterea quod illorum mentio opportunior occurret in Diſſertatione de Doctrina præſertim Morali ſæculi XVII. & XVIII. quam mox ſubjungemus.

DIS-

DISSERTATIO VII.

DE ECCLESIÆ DOCTRINA

PRÆSERTIM MORALI,

QUÆ

SÆCULIS XVII. & XVIII. OBTINUIT.

§. I.

Casuistarum novitatibus, erroribusque obsistunt Romani Pontifices, & cum primis Alexander VII.

DOCTRINAM, quæ ad fidem moresque pertinet, uti antea, ita etiam duobus hisce sæculis incorruptam, atque incontaminatam servare studuit Ecclesia Christi, iis repressis atque damnatis, qui eam quovis modo maculare pertentarunt, ut apparet ex hæreseon errorumque historia, quam texuimus. Hinc cum Sæculo XVII. fungorum instar Casuistæ plurimi pullulare cœpissent, quorum Ethice molliori omnia sus deque miscebantur, cunctisque perpetrandis sceleribus latissima sternebatur via, illico sanctiores Ecclesiarum Præsules, imprimisque Romani Pontifices tanto malo obviam ire sategerunt, doctissimis in vulgus editis documentis, queis Christiani docerentur, quantopere sibi esset cavendum a novis iis magistris, quorum libri unice ad eorum perniciem nati factique esse viderentur. Ex tot libris ad animarum detrimentum sparsis Rothomagenses, Parisienses, & aliarum Galliæ urbium Parochi, doctrina & pietate insignes, multas propositiones collegerunt, easque Clero Gallicano in Comitiis Generalibus anno MDCLVI. congregato discutiendas præbuerunt. Harum propositionum lectio horrore quidem perculit Gallicanos Antistites, magnusque illos omnes zelus & ardor incessit coercendæ illorum Scriptorum audaciæ, qui tam nefarie sanctissima quæque Evangelii dogmata pervertebant; temporis tamen angustiis, & concludendi diuturnioris Conventus necessitate a ferenda censura præpediti fuerunt. Sed ne hac censuræ dilatione malum ingravesceret, placuit Episcopis, Cleri Gallicani impensis in lucem edi S. Caroli Borromæi institutiones ad Confessarios, quibus animarum Rectores possent interim insistere, quousque fortius remedium præberetur. Dissoluto Galliæ Episcoporum Conventu, prodiit in lucem *Apologia Casuistarum* anno 1657. authore P. Pirot e Societate Jesu, quæ statim, cum laxissimis opinionibus scateret, non solum ab Ecclesiæ Gallicanæ Episcopis, & a sacra Facultate Parisiensi confixa est, sed etiam proscripta fuit ab Alexandro VII. die XXVI. mensis Augusti MDCLIX. Idem Alexander Pontifex die 30. Januarii anno 1659. plurimas proscripsit propositiones, quæ hujusmodi sunt.

1. *Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut sæcularium Confessiones audiri possint; neque ex illius Concilii authoritate privilegia Regularium restringi possunt, cum in Gallia receptum non sit, præterquam in decisionibus fidei; neque etiam Bulla Pii V. pro confirmatione illius Concilii promulgata.*

Est falsa, temeraria, scandalosa, in hæresim & Schisma inducens, sacro Concilio Tridentino & Sedi Apostolicæ injuriosa.

2. *Ubi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad Confessiones audiendas, neque illas ulla ex causa revocare. Quinimmo Ordinum Mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur; & si ab Episcopis Religiosi non probentur, rejectio illa tantumdem valet, ac si approbatio concessa fuisset.*

Complexe accepta est falsa, temeraria, scandalosa, & erronea.

3. *Regulares Ordinum Mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad Confessiones audiendas in sua Diœcesi, habentur pro approbatis in aliis Diœcesibus, nec nova Episcoporum indigent approbatione. Regulares habent potestatem absolvendi a peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab Episcopo authoritas ipsis indulta non fuerit.*

Quoad primam partem est falsa, & saluti animarum pernicioſa. Quoad 2. partem est falsa, authoritati Episcoporum & Sedi Apostolicæ injuriosa.

4. *Nullus in foro conscientiæ Parochiæ suæ interesse tenetur nec ad annuam confessionem, nec ad Missas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in Catechesibus annunciantur, & docentur.*

Quoad primam & secundam partem simpliciter accepta est erronea & temeraria; suppositis vero privilegiis Apostolicis, nullam meretur censuram. Et quoad tertiam partem de auditione Verbi Dei servetur dispositio sacri Concilii Tridentini.

5. *Talem legem in hac materia nec Episcopi, nec Concilia Provinciarum, vel Nationum sancire, nec delinquentes aliquibus pœnis, aut Ecclesiasticis censuris multare possunt.*

Suppositis itidem Privilegiis Apostolicis, nullam meretur censuram, verum ista non est prædicanda, nec publice docenda, prout nec præcedens quarta.

6. *Regulares Mendicantes petere possunt licite a judicibus sæcularibus, ut injungant Episcopis, quatenus ipsis mandata concedant ad prædicandum in Adventu & Quadragesima. Quod si renuant facere Episcopi, Decretum judicum sæcularium tantumdem valet, ac si permissio dictis Religiosis concessa fuisset.*

Est falsa, erronea, & in hæresim ac schisma inducens.

Hanc ergo qualificationem & declarationem a cunctis tenendam, sequendam, & in praxi observandam esse, Sanctitas Sua declaravit, & mandavit sub pœnis contra Schismaticos, temerarios, seditiosos, & de hæresi suspectos respective impositis. Contrariis quibuscumque non obstantibus &c.

Anno 1665. die 24. Septembris multo plures propositiones, & commenta Casuistarum Apostolico mucrone confixit idem Pontifex, Decreto edito, quod tale est.

„ Sanctissimus Dominus Noster audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Chri„ stianæ Disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem „ inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim „ noviter prodire: & summam illam luxuriantium in„ geniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam „ in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinan„ di irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, „ sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro re„ cta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irru„ ptura esset vitæ Christianæ corruptela. Quare ne „ ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema „ veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, „ arctam esse definivit, in animarum perniciem dilata„ ri, seu verius perverti contingeret, idem SS. D. N. „ ut oves sibi concreditas ab hujusmodi spatiosa, lata„ que, per quam itur ad perditionem, via, pro Pasto„ rali sollicitudine in rectam semitam evocaret, earun„ dem opinionum examen pluribus in sacra Theologia „ Magistris, & deinde Eminentissimis & Reverendissi„ mis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem „ Generalibus Inquisitoribus serio commisit: qui tan„ tum negotium strenue aggressi, eique sedulo incum„ bentes, & mature discussis usque ad hanc diem in„ frascriptis propositionibus, super unaquaque ipsarum „ sua suffragia Sanctitati Suæ singillatim exposuerunt.

PROPOSITIONES.

1. *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

2. *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

3. *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.*

4. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.*

5. *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.*

6. *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.*

7. *Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante: hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.*

8. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque post Decretum Urbani VIII.*

9. *Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.*

10. *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata dami stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

11. *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

12. *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

13. *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.*

14. *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

15. *Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.*

16. *Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

17. *Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit: uti suppetere non videtur, si calumniatus sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.*

18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, & etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.*

19. *Non peccat Maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehensam.*

20. *Restitutio a S. Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna.*

21. *Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.*

22. *Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis; quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

23. *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemtu vel inobedientia hoc faciat; puta, quia non vult se subjicere præcepto.*

24. *Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideoque sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutionem.*

25. *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

26. *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

27. *Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica, tamquam improbabilem.*

28. *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.*

Anno 1666. die 18. Martii Decreto altero, sequentes etiam propositiones ut minimum tanquam scandalosas uti modo recitatas, damnavit idem Romanus Pontifex Alexander.

PROPOSITIONES.

29. *In die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

30. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii; nec debent se certificare, an labor sit comparabilis jejunio.*

31. *Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.*

32. *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadragesima obliget.*

33. *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit.*

34. *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.*

35. *Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.*

36. *Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.*

37. *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ.*

38. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quam primum, est consilium, non præceptum.*

39. *Illa particula* quamprimum *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.*

40. *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

41. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo, Regalo, dum deficiente illo nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.*

42. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

43. *Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.*

44. *Quoad forum conscientiæ reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant Censuræ.*

45. *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.*

§. II.

Innocentius XI.

PAri studio Innocentius XI. Christianæ Reipublicæ bonum procuravit non paucas configendo propositiones, quas Casuistarum malesanum ingenium obtruserat. Decretum edidit die 2. Martii 1679. eoque quæ sequuntur, ad minimum pariter uti scandalosas, & in praxi perniciosas, damnavit assertiones.

1. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

2. *Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.*

3. *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.*

5. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.*

6. *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.*

7. *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.*

8. *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

9. *Opus*

9. *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.*

10. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.*

11. *Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.*

12. *Vix in ſæcularibus invenies, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui: & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui.*

13. *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.*

14. *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem uti malum Patris, ſed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.*

15. *Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis a ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.*

16. *Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.*

17. *Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.*

18. *Si a poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & fidei glorioſum conſulo: tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.*

19. *Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.*

20. *Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habeat ſupernaturalem.*

21. *Aſſenſus fidei ſupernaturalis & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.*

22. *Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris.*

23. *Fides late dicta ex teſtimonio creaturarum ſimilive motivo ad juſtificationem ſufficit.*

24. *Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.*

25. *Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.*

26. *Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus.*

27. *Cauſa juſta utendi his amphibologiis, eſt quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.*

28. *Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis a ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.*

29. *Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.*

30. *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, ſi impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.*

31. *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.*

32. *Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.*

33. *Licitum eſt tam hæredi, quam legatario contra injuſte impedientem ne vel hereditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſte impedientem.*

34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.*

35. *Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur; ac conſequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.*

36. *Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.*

37. *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario quod recipiunt.*

38. *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per parva furta, quantacumque ſit magna ſumma totalis.*

39. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.*

40. *Contractus Mohatra licitus eſt, etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retroventionis prævie inito cum intentione lucri.*

41. *Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem quam futuram; poteſt creditor aliquid ultra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.*

42. *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur tanquam ex juſtitia debitum.*

43. *Quidni nonniſi veniale ſit detrahentis authoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?*

44. *Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat; & ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

45. *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed duntaxat, tamquam motivum conferendi vel efficiendi ſpirituale; vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut e contra.*

46. *Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; immo etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis.*

47. *Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui non quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent; Concilium vel primo videtur per hoc digniores, non aliud ſignificare velle niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo; vel ſecundo locutione minus propria ponit dignores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tantum loquitur tertio, quando ſit concurſus.*

48. *Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur.*

49. *Mollities jure naturæ prohibita non eſt; unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.*

50. *Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium; ideoque ſufficit in confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum.*

51. *Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.*

52. *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.*

53. *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo ſacro, qui duas ejus partes, immo quatuor, ſimul a diverſis celebrantibus audit.*

54. *Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad ſe minorem.*

55. *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Corporis Domini manducationem.*

56. *Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.*

57. *Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam.*

58. *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.*

59. *Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis, aut Indulgentiæ.*

60. *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem.*

61. *Poteſt aliquando abſolvi qui in proxima occaſione peccandi verſatur quam poteſt, & non vult omittere, quinimmo directe, & ex propoſito quærit, aut ſe ingerit.*

62. *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.*

63. *Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam*

pec-

peccandi pro bono ſpirituali vel temporali noſtro, vel proximi.

64. *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem naſciat Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

65. *Sufficit illa Myſteria ſemel credidiſſe.*

„ Quicumque autem (inquit Pontifex) cujuſvis conditionis, ſtatus, & dignitatis illam, vel illarum aliquam, „ conjunctim vel diviſim defenderit, vel ediderit, vel „ de eis diſputative, publice, aut privatim tractaverit, „ vel prædicaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto „ incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, a qua „ non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, „ quacunque etiam dignitate fulgente, niſi pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

„ Inſuper diſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ, & „ ſub interminatione divini Judicii prohibet omnibus „ Chriſti Fidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, „ & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum „ ad praxim deducant.

„ Tandem ut ab injurioſis contentionibus Doctores, „ ſeu Scholaſtici, aut alii quicumque impoſterum ſe abſtineant, & ut paci, & charitati conſulatur, idem „ Sanctiſſimus in virtute ſanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuſcriptis, „ quam in theſibus, diſputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni cenſura, & nota, necnon a quibuſcumque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognitæ, ſuper iiſdem propoſitionibus judicium proferatur.

Damnavit etiam Innocentius duas theſes de omnipotentia donata & ſubjecta creaturæ, die 23. Novembris 1679. & ſunt hæ.

1. *Deus donat nobis omnipotentiam ſuam, ut ea utamur, ſicut aliquis donat alteri villam, aut librum.*

2. *Deus ſubjicit nobis ſuam omnipotentiam.*

Denique, quin Conſtitutionem ejuſdem Pontificis iterum commemoremus, quam adverſus Molinoſium emiſit, die 18. Novembris 1682. theſim hanc proſcripſit de uſu ſcientiæ ex Confeſſione acquiſitæ.

Scientia ex Confeſſione acquiſita uti licet, modo fiat ſine directa aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, niſi aliud multo majus ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.

Addita deinde, ait in Decreto, *explicatione ſive limitatione, quod ſit intelligenda de uſu ſcientiæ ex Confeſſione acquiſitæ cum gravamine pœnitentis, ſecluſa quacumque revelatione, atque in caſu quo multo majus gravamen ejuſdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur*; ſtatutum fuit, *dictam propoſitionem quatenus admittit uſum dictæ ſcientiæ cum gravamine pœnitentis, omnino prohibendam eſſe, etiam cum dicta explicatione, ſive limitatione.*

§. III.

Alexander VIII.

Anno 1690. die 24. Auguſti Alexander VIII. duas haſce theſes damnavit.

1. *Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali, formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in ultimum finem interpretative. Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis.*

2. *Peccatum philoſophicum ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali & rectæ rationi: theologicum vero & morale eſt tranſgreſſio libera divinæ legis. Philoſophicum quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.*

Primam theſim damnavit Alexander ut *hæreticam*, ſecundam autem declaravit *ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, & erroneam*. Diu autem eſt, inquit Hyacinthus Serry Lib. III. Cap. XLVIII. *Hiſt. Congregationum de Auxiliis*, cum Molinianæ doctrinæ cardinem in peccati philoſophici errore tanquam principio potiſſimum verti putant Theologi bene multi, colliguntque argumento non longius accerſito, ſed e re nato, ac ſponte fluente. Cum enim gratiam ſufficientem actualem, in mentis illuſtratione, voluntatiſque excitatione poſitam, idcirco maxime univerſis hominibus indiſcriminatim præſto eſſe doceant, quod alias admiſſa delicta vitio nobis minime verterentur; id certe principii loco ponunt, eum peccati culpa minime teneri, Deumque re ipſa nequaquam offendere, qui nulla ſibi gratia affulgente & adſpirante, de Deo actu ejuſve lege non cogitaret. Baſtidam eodem ſtetiſſe principio in Congregatione 45. coram Clemente VIII. animadvertit idem præclariſſimus Hiſtoricus, eodemque araſſe vitulo liberales gratiarum ſufficientium largitores adeo palam eſt, ut ſolem lucere meridie probandum ille adgrederetur, qui id congeſtis teſtimoniis vellet adſtruere. Hic peccati philoſophici inſanus error, ſparſo per Normanniam libello recuſus fuit a P. Buffiero Jeſuita, quem Illuſtriſſimus Rothomagenſium Archiepiſcopus Epiſtola Paſtorali die 28. Martii 1697. infra exhibenda, perſtrinxit. Eumdem denique errorem, ſed nova larva obductum, inſtauravit Pariſiis Germanus Becheferius Societatis Profeſſor Theologus in Theologicis Theſibus, quas habuit die 14. Decembris 1699. ut fuſius poſt pauca dicetur.

Denique Alexander VIII. die 7. Decembris anni 1690. alterum Decretum adverſus pernicioſas doctrinas edidit, damnavitque unam ſupra triginta propoſitiones, quæ ſunt hujuſmodi.

1. *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.*

2. *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali.*

3. *Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles, probabiliſſimam.*

4. *Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis Electis, ſed pro omnibus & ſolis Fidelibus.*

5. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jeſu Chriſto influxum: adeoque hinc recte inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti.*

6. *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tam utilis, quam pernicioſa eſt, ſic ut proinde merito poſſimus petere: a gratia ſufficienti libera nos, Domine.*

7. *Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio, vel mundi; ſi Dei, Charitas Patris eſt; ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt mala eſt.*

8. *Neceſſe eſt, infidelem in omni opere peccare.*

9. *Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu.*

10. *Intentio, qua quis deteſtatur malum & proſequitur bonum, mere ut cæleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.*

11. *Omne, quod non eſt ex Fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.*

12. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides; & etiamſi videantur credere, non eſt Fides divina, ſed humana.*

13. *Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.*

14. *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.*

15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.*

16. *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, natura rei id ipſum quodammodo dictante.*

17. *Per illam praxim mox abſolvendi, ordo Pœnitentiæ eſt inverſus.*

18. *Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.*

19. *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.*

20. *Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.*

21. *Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.*

22. *Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.*

23. *Similiter arcendi ſunt a Sacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.*

24. *Oblatio in Templo, quæ fiebat a B. M. V. die Purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtatur, quod indiguerit purificatione, & quod filius, qui*

qui offerebatur, etiam macula matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. *Dei Patris sedentis simulacrum nefas est christiano in Templo collocare.*

26. *Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est.*

27. *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, in nomine Patris &c. prætermissis illis, Ego te baptizo.*

28. *Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia.*

29. *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Œcumenicum authoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.*

30. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.*

31. *Bulla Urbani VIII. in eminenti est subreptitia.*

Enumeratas hactenus propositiones *tamquam temerarias, scandalosas, male sonantes, injuriosas, hæresi proximas, hæresim sapientes, erroneas, schismaticas, & hæreticas respective*, damnavit & prohibuit Alexander VIII.

§. IV.

Innocentius XII. & Clemens XI.

INnocentius XII. novorum Quietistarum & Francisci de Fenelon Archiepiscopi Cameracensis anno 1699. damnavit propositiones viginti tres.

Clemens XI. anno 1704. die 28. Januarii Launoii librum inscriptum *Véritable tradition de l' Eglise sur la Prédestination & la Grace* typis procusum Leodii ann. 1702. in S. Patrem Augustinum injuriarum plenissimum, damnavit. Hyacinthus Serry, non solum contra Launojum magni Augustini vindicias elucubravit, verum etiam lepidula Epistola, ut ait Bertius, quasi ex Elysiis data ostendit, quidquid Launojus in Augustinum effutiit, depromtum fuisse ex Scriptoribus Societatis Jesu, quorum enumerat saltem viginti, nempe Andream Junium, Christophorum Ortegam, Dionysium Petavium, Franciscum Annatum, Gabrielem Vasquez, Jacobum Sirmondum, Joannem Adamum, Joannem Hamelium, Joannem Ituren, Joannem Marianam, Joannem Martinonum, Joannem Baptistam Guesnay, Leonardum Lessium, Levinum le Mayer, Ludovicum Molinam, Petrum Halloix, Petrum l' Abbè, Stephanum de Champs, Theophilum Raynaudum, & Thomam Bonartum. Plura alia Clemens XI. in Religionem zeli sui argumenta exhibuit, ac præcipue in summis maximisque, quos obivit, laboribus, ut Jansenisticæ doctrinæ vindices, & pervicacissimos Rituum Sinensium defensores compesceret, & ad saniora consilia revocaret. Quidam tamen Avitus Academicus in libello inscripto *De Clementina periodo*, *Hodie Forma servi reversa est in formam Dei*, oppugnatam hæresim Eutychetis insscite & impudenter visus est sibi deprehendere in Homilia, quam idem Clemens XI. in sacro purpuratorum Patrum Senatu, & frequentissima Ecclesiasticorum virorum concione habuit an. 1702. & in qua laudata verba *Hodie* &c. leguntur. At allatam Clementinam periodum, gravem esse, & ab omni vel minimo errore immunem demonstravit Bertius Lib. XXVI. Cap. XIX. *de Theologicis disciplinis*. Ostendit nimirum *formæ* vocabulum non tantum significare *naturam*, sed & apud Latinos, & apud Græcos, non profanos tantum, sed etiam sacros divinosque Scriptores commonstrare effigiem, imaginem, & externa latentis naturæ dignitatisque argumenta. Hoc sensu usurpat vocem illam Cicero l. 2. de Officiis, & 2. de Finibus, Virgilius in 6. Æneid. Terentius in *Andria*, & nullus est qui non habeat in sermonis consuetudine *Egregius forma*, *forma liberali*, *forma bona*. Clemens autem XI. latini sermonis proprietatem, quantum singula ejus scripta testantur, novit maxime. Non solum latinum *forma*, etiam græcum μορφὴ cum naturam, tum externam faciem significat. Duplicem naturam demonstrat Apostolus ad Philippenses scribens: ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων & μορφὴν δούλου λαβών. *Qui cum in forma Dei esset*, & *formam servi accipiens*. Pro effigie, ac faciei imagine usurpatur vox eadem μορφὴ Marci XVI. 12. ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ *in alia effigie*. Itaque Clemens dum ait *Hodie forma servi reversa est in formam Dei*, non commixtionem ostendit humanæ divinæque naturæ, sed commutationem corporis tot vulneribus fauciati, & cujus non erat species aut decor, in splendidum ac redivivum; ita ut, quemadmodum ex priori effigie dignoscebatur humanitas, ita ex gloria resurgentis sit manifestata divinitas. Non ergo natura in naturam reversa est, sed nostræ mortalitatis imago in gloriam immortalitatis; ex qua Christum, quem reputarunt scelerosum & impium, agnoverunt esse mundi reparatorem, & unigenitum filium Dei. Neque, ut Clementina oratio hunc referat sensum, indiget benigna interpretatione legentium. Sensum ipsum exhibet, ut qui illum non percipit, aut detorquet, vel insigniter sit malignus, vel habeat fungum pro cerebro. Enimvero in eadem Homilia ad hunc modum loquitur Romanus Pontifex: *Hodie nimirum novus Adam non in animam viventem, sed in Spiritum Sanctum vivificantem formatus apparuit, novam mundo daturus progeniem, non terrenam & sordidam, sed cælestem & splendidam. Hodie verum Dei templum Judaica nuper impietate destructum divina post triduum omnipotentia reparavit. Hodie forma servi reversa est in formam Dei, & exinanitio humilitatis ad pristinæ altitudinis rediit majestatem. Hodie qui traditus fuerat propter delicta nostra, resurrexit propter justificationem nostram. Reddunt inferna victorem, suscipiunt superna triumphantem; infirmitas quippe in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia transivit in gloriam.* Vide quid sit formam servi in Dei formam reverti. Non est utriusque naturæ permixtio, sed passionis & contumeliæ in gloriam resurgentis commutatio. Alia in eandem rem profert Bertius, ab his consulendus, quibus modo dicta satis non sunt ad criminationem Clementi XI. affictam dignoscendam.

§. V.

Benedictus XIV.

PAri studio cæteri, qui postea floruere, Pontifices res Christianas curarunt, ingruentesque Casuistarum licentia laxitates repressserunt, quemadmodum ex eorum rebus gestis in prima Dissertatione comprehensis intelligere licet. Benedictus XIV. an. MDCCLII. quarto idus Novembris quinque has *de Duello* propositiones rejecit.

1. *Vir militaris, qui nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ ac promeritæ spe perpetua carere deberet, culpa & pœna vacaret, sive offerat sive acceptet duellum.*

2. *Excusari possunt etiam, honoris tuendi vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.*

3. *Non incurrit in Ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas, dux vel officialis militiæ acceptans duellum, ex gravi metu amissionis famæ & officii.*

4. *Licitum est in statu hominis naturali, acceptare & offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.*

5. *Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia Magistratus, justitia aperte denegatur.*

Quas propositiones non solum tamquam *falsas*, *scandalosas*, *ac pernicioſas* rejecit Benedictus, ac ut tales prohibuit atque damnavit in Constitutione, quæ incipit *Detestabilem*, sed etiam novas pœnas in duellantes decrevit. Idem Benedictus plures evulgavit Epistolas Encyclicas, quibus sanctior disciplina morum, & tutissima purioris Ethices præcepta sancita sunt, ut in ejus vita innuimus. Sed nullum Pontificium Decretum magis exacerbavit mollioris ethices patronos, quam illud quod adversus putidam P. Bentii Jesuitæ die 16. Aprilis an. 1744. vulgatum fuit. Ediderat hic anno superiori Dissertationem *in Casus reservatos Venetæ Diœceseos*, atque in ea Casum VIII. hisce conceptum verbis: *Quælibet impudicitia cum Monialibus facta, vel quocumque modo attentata*, explanaturus, inter alia quæsitum hujusmodi sibi proposuerat, *an reservatione afficiatur qui cum Moniali peragat vel attentet actus subimpudicos de se veniales v. g. vellicare genas, mammillas tangere, & solum ex pravo affectu vel ex prava intentione mortales;* cui ita satisfecit, *R. negative; nam juxta nostram regulam octavam, nonnisi peccata per externam malitiam mortalia reservantur.* Enormis hæc & scandali plena doctrina non potuit multos non offendere, atque excitare ad illam exagitandam. Hoc statim exsequutus est Daniel Concina editis *Epistolis Theologico-Moralibus* Venetiis 1744. in quibus valido & vehementi stylo, nec minori doctrinæ apparatu singularia Bentii placita excussit. Re interea ad judicium Apostolicæ Sedis delata, die 16. Aprilis 1744. solemni

Con-

Congregationis S. Officii Decreto Bentii Dissertatio carbone notata est, tanquam continens propositiones *respective falsas, male sonantes, scandalosas, & piarum aurium offensivas*. Quo Decreto pariter damnati vetitique sunt libri quicumque editi vel edendi in Bentii defensionem. Pontifex Benedictus non satis eo Decreto scandalo consultum putans, quod intulerat Bentius, voluit insuper, ut is publico scripto palinodiam caneret, quod celerrime, & libentissime etiam, ut accepimus, præstitit. Quem deinde, fidelium exhomologeses excipiendi in Veneta Diœcesi a Patriarcha privatum facultate, Concellitæ, inito consilio, Patavium ablegarunt. Denique Benedictus secundam partem *Historiæ Populi Dei* jam proscriptam, italico sermone iterum editam una cum adjectis Dissertationibus rursus an. 1758. die 17. Februarii damnavit. Plures illam Historiam confutarunt; locupletissime vero Franciscus Episcopus Suessionensis in Instructione Pastorali edita an. 1759. postea italice factam vulgatamque Brixiæ typis Rizzardi.

§. VI.

De fatis Casuistarum in Gallia.

UBI Casuistæ in Galliis caput cœperunt attollere, non defuere illico, qui illos exagitandos susciperent. Anno 1641. Academia Parisiensis P. Stephani Baunii S. J. Moralem Theologiam tanquam laxissimas sententias docentem, damnavit. Anno insequenti 1642. eosdem Baunii libros censura perstrinxit, ceu qui *ad mollitiem & dissolutionem morum homines inducerent, æquitati naturali, juri gentium adversarentur, blasphemias, usuras, simonias quasi leviora peccata nequissime excusarent*. Anno 1656. Patribus in Comitiis Parisienbus plures adversus Casuistas exhibitæ animadversiones fuere, ut initio hujusce Dissertationis monuimus. Sed cum jam jam Comitia essent dissolvenda, jussum interea Petro de Marca Tolosatium Archiepiscopo, ut Gallice redderet S. Caroli Borromæi monita atque instructiones ad Confessarios: quod illico præstitum fuit, præmissa Patrum Epistola, in qua inter cætera hæc leguntur: *Novitiæ illæ opiniones ita Christianam morum disciplinam, & Evangelicam vivendi normam adulterarunt, ut hujusmodi scientia quævis ignorantia longe sit potior*. Cum se Jesuitæ præsertim tuerentur, atque non paucos in vulgus ederent libros, plures editæ sunt adversus eos elucubrationes, in quibus vitia & monstra disciplinæ morum, quam docebant, exposita, & castigata sunt. Cæteris palmam præripuit Blasius Paschasius in opere inscripto *Les Provinciales, ou lettres écrites par Louis de Montalte à un Provincial de ses amis & aux Jesuites sur la Morale & la politique de ces Peres*. Hoc opus illustravit Petrus Nicolius adscito Guillelmi Vendrockii nomine. Immiserunt in terribilem hunc adversarium Jesuitæ locupletissima ingenia sua, in primisque Gabrielem Danielem, qui fassus est pleraque scripta Paschalio a Jesuitis appositа infirma esse. Celebratum etiam tunc temporis fuit opus alterum ob testimoniorum & locorum ex probatissimis Jesuitarum scriptis multitudinem, hoc titulo insignitum *La Morale des Jesuites extraite fidellement de leurs livres imprimez avec la permission & l' approbation des Superieurs de leur Compagnie par un Docteur de Sorbonne*. Author hujus Perraut. Parisiis hic liber, adnitentibus Jesuitis, igni traditus est. Nec immerito; nam hunc unum qui legerit, is nihil eorum ignorabit, quæ vitio data sunt morum doctoribus Jesuiticis. Ipsis vero factis & vitæ rationibus exprimere solitos fuisse Jesuitas, in remotioribus maxime regionibus, quæ docuere, magno labore demonstrandum sibi sumsit Antonius Arnaldus famoso opere, cui titulum fecit *La Morale pratique des Jesuites*, cujus octo extant volumina superiori sæculo paullatim edita, & Amstelodami postea an. 1742. recusa. Tres hi adversus Jesuitas libelli æquo justoque Apostolicæ Sedis judicio fuere proscripti. Historiam turbarum, in Gallia & in aliis locis ex Jesuitarum his de re morali opinionibus natarum, exhibet Author Operis *Catechisme historique & dogmatique sur les contestations qui divisent maintenant l' Eglise* 1730.

Anno 1657. Authore Joanne Pirot S. J. prodiit *Apologia Casuistarum, calumniis Jansenistarum opposita*. Hoc in Opere immaniores sententiæ propugnantur, in eoque Sanchesius, qui in propinandis laxitatibus vix quemquam superiorem habuit, ceu eruditissimus Theologiæ morum præceptor proponitur & acclamatur. Zelus doctiorum Galliæ Theologorum adversus Pirotii Opus statim emicuit. Omnium primus Aurelianensis Episcopus in Synodo habita an. 1658. tum Episcopus Tullensis in gravissima Pastorali epistola tenebris dignum illud judicarunt. Archiepiscopus Senonensis in Synodo coacta die quarta Septembris anni ejusdem 1658. editam a Pirotio Apologiam conficit, tamquam librum *qui fait un horrible renversement dans toute la doctrine des mœurs n' y ayant presque rien qu' il n' y altère, & qu' il n' y corrompe*. His aliisque censuris, Alexandri VII. R. P. judicium accessit, a quo idem Pirotii Opus peculiari decreto an. 1656. confixum fuit.

Episcoporum Galliæ pro saniori ethice servanda Pastorales Epistolas si recensere vel commemorare vellem, infinitus essem. Anno 1697. celeberrima prodiit Jacobi Nicolai Colbert Archiepiscopi Rothomagensis Epistola Pastoralis adversus benignioris doctrinæ patronos, imprimisque Buffierum, qui complures propositiones detestari scripto compulsus est. Hanc heic integram damus, latine redditam, prout scilicet eam exhibet Natalis ipse Alexander in Appendice Monumentorum ad Theologiam suam Dogmaticam & Moralem hoc titulo:

Epistola Pastoralis Illustrissimi ac Reverendissimi D. D. Archiepiscopi Rothomagensis Normanniæ Primatis Jacobi Nicolai Colbert occasione libelli in sua Diœcesi disseminati, cui titulus Difficultez proposées &c.

„ JAcobus Nicolaus Colbert, permissione divina Rothomagensis Archiepiscopus, Normanniæ Primas,
„ Venerabilibus Fratribus nostris Decano, Canonicis, & Capitulo Cathedralis Ecclesiæ nostræ: Decanis, Canonicis, & Capitulis Ecclesiarum Collegiatarum, Rectoribus Parochiarum, aliisque Ecclesiasticis viris Diœcesis nostræ, salutem, & benedictionem. Præcipuas inter Pastoralis officii nostri partes, gravissima semper visa nobis est obligatio, morum doctrinam omni modo puram servare, uniformemque in Diœcesi nostra stabilire disciplinam. Hoc animo assiduitatem in Collationibus Ecclesiasticis vobis commendavimus, ut de regulis disciplinæ, ac de Moralis Christianæ principiis communiter institutі idem sentiretis, unamque commissas vobis animas dirigendi rationem teneretis; atque ita sana doctrina auctoritatem obtineret, magisque indocilia ingenia illi se subjicere compellerentur. Verum justæ nobis fuere timendi rationes, ne viri quamplures Ecclesiastici recentiorum Auctorum, qui de moralibus rebus scripserunt, lectioni sine delectu se dantes aberrarent, malos duces secuti, aliique principia cum aliorum principiis e regione pugnantia amplecterentur. Hæc ut avertamus pericula, conveniens judicavimus in argumentis Collationum anno proxime elapso propositis libros vobis præscribere, quos ad vestras decisiones responsaque formanda consulere debetis. Librorum Theologiæ Moralis ab Episcopis doctrina pariter, ac pietate celebratissimis editorum lectionem vobis commendavimus, operaque Doctorum, quorum spectata eruditio, quæ solida firmaque principia, & decisiones, seu responsa in libris Sacris, & Traditione SS. Patrum fundata continent, puris fontibus, ex quibus veras regulas morum haurire debetis. Delectus ille Auctorum adeo necessarius, *ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia ..... & in eadem permaneatis regula*, occasionem dedit anonymo libello in nostra Diœcesi dissemінato, cui titulus est: *Difficultez proposées à Monseigneur l' Archevesque sur divers endroits des livres dont il recomande la lecture à ses Curez*. Id est, *difficultates propositæ Domino Archiepiscopo circa varios locos librorum, quorum lectionem Curatis suis commendat*. Hujus Auctor libelli, damnanda adversus Episcopalem auctoritatem contumacia doctrinam Archiepiscopi sui, & illorum, quorum utitur ministerio, Diœcesanis ejus suspectam efficere conatur. Nihil quippe in locis omnibus Auctorum a nobis indicatis inveniens, quod reprehendere posset, omnium quæ de aliis quæstionibus scripserunt, de quibus locuti non fuimus, nos vadimonium vult exhibere; & circa has istas quæstiones, quæ nos minime spectant, certiores moralis Christianæ veritates, & firmiores status Ecclesiastici regulas impugnat. Quascumque latebras obscuritatis affectet, ne damnatos Gallicanorum Episcoporum censuris, & summorum Pontificum Decretis errores aperte renovare videatur, perspectum satis est ex iis, quas proponit, objectionibus, hunc ejus esse scopum illos ut renovet; eoque tendit temeritas, qua in ordine propositionum veri fines, justæque severitatis modum excedentium describit certissima, receptissimaque dogmata, damnatis illis erroribus contraria. Sic doctrina probabilitatis tot censuris confixa pernicioso isto libello insinuatur: peccati philosophici principia pariter adstruuntur. De beneficiorum curam animarum annexam habentium ingressu eo modo loquitur, qui & scandalum moveat, & ad
„ ever- 1.Cor. 1.10.

„ eversionem tendat omnium, quæ sacris Canonibus
„ constituta sunt ad Clericorum ambitionem comprimendam. Nihil vero publicam indignationem concitare justius potest, quam extrema istius Auctoris audacia, qua asserere non dubitat, eos omnes, qui amorem Dei, saltem inchoatum ad justificationem in Pœnitentiæ Sacramento necessarium propugnant, puram putam Lutheri doctrinam a Concilio Tridentino damnatam sustinere. Quo denique tempore Summus Pontifex a Deo Ecclesiæ datus ad pacem in ea firmandam, injungit Episcopis, ne ulla ratione quempiam vaga illa accusatione, & invidioso nomine Jansenismi traduci, & infirmari sinant, nisi prius convictus fuerit aliquam ex quinque Propositionibus damnatis tenuisse, ille pacis æque, ac veritatis inimicus hac insuper habita contemptaque regula, quam præscribit æquitas, & quam in Diœcesi nostra accuratissime observari volumus, Jansenianos vocare audet, qui errores ejus non sequuntur de attentione ad malitiam, & pravitatem actionis, quam ille quidem ad peccandum necessariam esse propugnat; aut qui circa alia Moralis Christianæ capita doctrinam prorsus Catholicam docent. Offensio publica, quam in nostra Diœcesi libellus iste excitavit, ad inquirendum in auctores, aut disseminatores scripti tam seditiosi nos impulit; compertumque habuimus *P. Buffierum Societatis Jesu Professorem*, unum ex iis esse, qui illud studiose in vulgus disseminabant. Tam nefandæ temeritatis licentiam impunitam, inultamque ferri non debere judicavimus; quamobrem illum sacro multavimus interdicto, ejusque Superiores vocavimus, ut propositiones contrarias libelli supra dicti erroribus ab illo subscribi, eosque errores ab illo ejurari, seu improbari de Mandato nostro curarent, qua satisfactione injuria Episcopali auctoritati illata expiaretur: & Superiorum quidem humilem erga Episcopatum reverentiam probavimus & laudavimus. Omnem enim auctoritatem suam adhibuere, ut P. Buffierum ad plenam satisfactionem adducerent. Verum eorum jussioni, ac Archiepiscopi sui mandatis parere vir ille rebellis recusavit, & contumaciam ejus, qua par erat severitate puniverunt. Opportunum porro Nobis visum est pro veritatis, & sacri nostri characteris juribus, ac honore servandis, quin etiam, ut Jesuitarum honori consulamus, hic inserere litteras, quas Pater Vice-Provincialis ad nos dedit, necnon propositiones, quarum subscriptionem P. Buffiero imperavit, ut nobis comprobaret, Societatis Præpositos, ob pravam libelli doctrinam, & seditiosam P. Buffieri agendi rationem damnare.

Epistola Patris Ayraut Vice-Provincialis Societatis Jesu in Provincia Franciæ, ad Illustrissimum, ac Reverendissimum DD. Archiepiscopum Rothomagensem, de libello a P. Buffiero disseminato.

Illustrissime Archipræsul.

„ DE obedientia P. Buffieri speraveram iteratis mandatis me ab ipso impetraturum, ut quam optaverat amplitudo tua satisfactionem illi exhiberet, improbando, & ejurando libellum, & propositionibus infrascriptis, prout jussit amplitudo tua, subscribendo. Id mihi spoponderat, ac de ipsius bona fide non dubitans meam tibi obstrinxeram. Verum cum ille Pater exinde obedire pertinaciter recusaverit, nihil aliud facere possum, Illustrissime Domine, quam severe in ipsum animadvertere ob culpas graves in tota istius negotii serie ab ipso commissas, quibus indignationem in se tuam arcessivit. Propterea ipsum relego Corisopitum, ubi in Collegio nostro recluſus maneat, illique omnibus Societatis functionibus, omnique extra commercio sit interdictum, donec amplitudini tuæ placuerit pœnam ejus finire, qua certe majorem illi infligere meæ non est potestatis.

„ Spero fore, ut amplitudinis tuæ benignitas liberet me ab anxietate, quam patior, & molestum istud negotium tandem finiat, certiorem me faciendo, quod meam hac in re probatam habeat agendi rationem, qui sum maxima cum reverentia

Illustrissime Archipræsul

Amplitudinis tuæ
Humillimus Obsequentissimus servus

Guillelmus Ayraut Vice-Provincialis
Societatis Jesu in Provincia Franciæ.

Lutetiæ Parisiorum in Domo Professa die 2. Februarii 1697.

PROPOSITIONES

Ab Illustrissimo DD. Archiepiscopo Rothomagensi determinatæ, ac de ejus mandato a P. *Buffiero* subscribendæ

„ *Impositio mihi a R. P. Guillelmo Ayraut Vice-Provinciali Societatis Jesu in Provincia Franciæ præcepto, ut Illustrissimo DD. Archiepiscopo Rothomagensi faciam satis ratione libelli, cui titulus est;* Difficultates propositæ; &c. *utque subscribam propositionibus ejus nomine mihi designandis, cum summissæ erga tantum Archipræsulem reverentiæ & obedientiæ, & grati animi erga potentissimum Societatis nostræ Protectorem publica nimis testimonia edere non possim, agnosco, & declaro Auctorem libelli, qualiscumque sit, a reverentia eidem Archipræsuli debita cum scandalo defeciſſe, Opus edendo, quo pax Diœcesis perturbari potest, avertendo Clerum ab observantia mandatorum ejusdem D. Archiepiscopi & quod sententiis quampluribus refertum est, rectitudini, ac puritati Moralis Christianæ contrariis. Ut autem omnibus innotescat quantum improbem hujus opiniones Auctoris, quæ nec meæ sunt, nec Societatis nostræ, sequentibus propositionibus subscripsi.*

„ 1. *Circa doctrinam probabilitatis, damnare me profiteor quicquid Innocentii XI. Pontificis Maximi Decreto die 2. Martii* 1679. *damnatum est.*

„ 2. *Quod spectat peccatum philosophicum, damno, quod ab Alexandro octavo Summo Pontifice damnatum est Decreto edito die 24. Augusti* 1690. *privatimque agnosco, & profiteor, quod & Societatis nostræ Patres in suis circa peccatum philosophicum declarationibus agnoverunt, & professi sunt falsum esse, quod necessaria sit actualis attentio ad malitiam actionis, ut in peccatum imputetur.*

„ 3. *Peccatores excæcati, & obdurati, qui homicidia, adulteria, & alia crimina sine conscientiæ stimulo committunt, non animadvertentes, quod illa perpetrando Deum offendant, & quod illa contraria sint legi naturali, pœnarum inferni nihilominus rei sunt; cum excusari propterea non possint a peccato mortali, quod actu ad actionis malitiam non attendant.*

„ 4. *Obligatio amandi Deum, primum & præcipuum est hominis officium, & nulla vitæ pars eo amore, saltem habituali, vacare debet.*

„ 5. *Omne opus, ut vere Christianum, ac meritorium sit, ex amore Dei, saltem habituali, ceu ex principio oriri, ad eumque ceu ad finem ultimum referri debet.*

„ 6. *Quicumque asserit, amorem Dei inchoatum necessarium esse ad excludendum affectum peccati, a doctrina Lutheri alienissimus est.*

„ 7. *Agnosco, & profiteor nullam esse veram conversionem sine aliquo Dei amore, nec peccatorem sufficienter dispositum esse posse ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ consequendam, nisi Deum, ut omnis justitiæ fontem, diligere incipiat.*

„ 8. *Ambitionis reus est, generatim loquendo, quicumque pro se Episcopatum, curam Parochialem, aut quodvis aliud beneficium curam animarum annexam habens postulat; indignumque reddit vel ipsa postulatio.*

„ 9. *Apostoli verbis abutitur, quicumque dixerit, nisi liceret Episcopatum postulare, nos seduxisset Apostolus scribendo:* Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.

„ *Qui majorum, & nobiliorum Ecclesiarum suggesta, seu pulpita ambiunt & postulant, ut nominis claritatem consequantur, sicque viam sibi parent ad Episcopatum, prædicatione abutuntur, & ministerium Evangelii profanant.*

„ Quamvis prorro sapientia, & zelo Superiorum Societatis Jesu sublatum scandalum hac in occasione judicemus; quia tamen anonymus iste libellus per omnem Diœcesim nostram studiose disseminatus est, officii nostri esse ducimus præjudicia delere, quæ in minus peritorum animis forte peperit circa probabilitatem, amorem Dei, peccatum Philosophicum, & ambitionem. Et ut præstemus, quod debemus veritati, hac Instructione Pastorali sanam doctrinam vobis explicabimus, quam in omni Diœcesi nostra doceri volumus circa hæc Moralis Christianæ fundamentalia capita, ab Auctore libelli eversa: expresse declarantes, Nos omnem a Deo nobis commissam auctoritatem adhibituros, ut profanas destruamus novitates, quas falsi nominis scientia documentis nostris posset opponere, & ut impediamus, ne simplices animæ a falsis Doctoribus seducantur, qui doctrinam

„ traderent inſtructionibus noſtris contrariam. Jeſuitas „ Diœceſis noſtræ id non commiſſuros ſpopondit nobis „ Pater Ayraut, ipſiſque expreſſe mandavit, ut prin„ cipia mox a nobis proponenda adamuſſim ſequeren„ tur. Cum abuſus probabilitatis non privatus modo „ ſit error, ſed radix, & origo laxitatum omnium, „ quas recentiores Caſuiſtæ in morum diſciplinam „ invexerunt, neceſſarium duximus paulo fuſius vobis „ explicare principia, quibus adhærere debetis circa „ iſtud, quod maximi certe momenti eſt, Moralis Chri„ ſtianæ caput. Quiſquis ad certiora doctrinæ morum „ principia vel minimum attenderit, facile convinci„ tur, nos ſemper teneri, ſub pœna peccati, præpo„ nere opinionem, quæ nobis probabilior ſimul, & tu„ tior videtur, ei, quæ & minus tuta, & minus pro„ babilis eſt. Hæc regula adeo conſentanea eſt rationi, „ ut ab ea nunquam diſcedant homines, cum de tem„ poralibus illorum commodis agitur: unde non ſine do„ lore videmus novos probabilitatis Doctores ita teme„ rarios eſſe, ut contrariam prorſus regulam in con„ ſcientiæ rebus proponant; & Chriſtianos de ſalute „ ſua tam parum eſſe ſollicitos, ut eam ſequantur. „ Cum inter plurimas rationes, auctoritateſque fluctua„ mus, quarum aliæ nobis perſuadent aliquid contra„ rium eſſe Legi Dei, aliæ non eſſe diſſentaneum, „ mens certe noſtra dubia manet, nec pronunciare pot„ eſt, qua ex parte ſtet veritas. Tunc tenemur ſequi „ regulam in Jure Canonico toties repetitam, & quam „ ipſi Ethnici, ceu legem indiſpenſabilem ſpectarunt, „ *In dubio viam eligendam eſſe tutiorem*. Ab hac re„ gula qui aberrat, hoc ipſo peccat, S. Auguſtino ju„ dice, quod in negotio ſalutis ſuæ certis incerta præ„ ponit. At vero cum rationes & auctoritates, quæ „ actionem aliquam divina lege vetitam eſſe oſtendunt, „ probabiliores, & validiores nobis videntur iis, quæ „ proferuntur, ut probetur eſſe licitam: multo eviden„ tius eſt teneri nos abſolute ſequi opinionem tutio„ rem, ac probabiliorem. Deſerere, quod nobis ve„ rum videtur, ut ſequamur, quod falſum eſſe proba„ bilius judicavimus, amor veritatis non permittit. Fi„ delitas quam legi debemus, nos determinat ad am„ plectendum quod illi magis conſentaneum agnoſci„ mus; & conſcientia majori lumine mentis formata, „ tam clare dictat nobis tenendum eſſe, quod tutius, „ & probabilius eſt, ut partem oppoſitam amplecti, „ niſi ipſa repugnante, & reclamante non poſſimus. „ Quod quidem ex omnium Theologorum ſententia „ excuſari a peccato nullatenus poteſt, etiamſi conſcien„ tia erronea ſit, ut docet S. Paulus, de illis agens, „ qui certorum ciborum uſum prohibitum eſſe crede„ bant. His enim veſci abſque peccato non poterant, „ Apoſtolo judice, quamvis contrariæ ſententiæ proba„ bilitas certo conſtaret. Sola ergo cupiditas efficere „ poteſt, ſi minus probabilem, minuſque tutam opinio„ nem probabiliori ſimul, ac tutiori præponamus, & „ quod illam adſtruit principium, certiſſimas duas no„ ſtrarum actionum regulas, legem Dei ſcilicet, ac
S. Thom. Quodlib. 3. art. 3. „ conſcientiam evertit. Duas iſtas regulas perfecte ex„ plicat celeber. S. Thom. locus, qui Scripturæ Sa„ cræ, & Patrum principia circa id caput paucis com„ plectitur, & ad falſam probabilitatis doctrinam peni„ tus deſtruendam ſufficit: *Dicendum* (inquit Sanctus „ ille Doctor) *quod duobus modis aliquis ad peccatum „ obligatur; uno modo faciendo contra legem, ut cum „ aliquis fornicatur; alio modo contra conſcientiam, „ etiamſi non ſit contra legem, ut ſi conſcientia dictat „ alicui, quod levare feſtucam de terra ſit peccatum „ mortale. Ex conſcientia autem aliquis obligatur ad „ peccatum, ſive habeat certam fidem de contrario ejus, „ quod agit, ſive etiam habeat opinionem cum aliqua „ dubitatione. Illud autem, quod agitur contra Legem, „ ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod eſt „ ſecundum conſcientiam, & ſimiliter quod eſt contra „ conſcientiam, eſt malum, quamvis non ſit contra le„ gem*. Immutabilibus illis duabus actionum noſtrarum „ regulis novi Theologi probabilitatem, veriſimilibus „ fundatam, aut Doctorum quorumdam auctoritate ni„ xam ſubſtituerunt; quarum conditionum alterutra, „ ſecundum illos ſemper ſufficiens eſt, ut opinio in „ praxi tuta cenſeatur. Addunt quidem interdum, ad „ probabilitatem opinionis requiri, ut nec Scripturæ „ Sacræ, nec Traditioni contraria ſit, gravibuſque ra„ tionibus muniatur, adverſus quam nullum argumen„ tum convincens proferatur: ſed ſpecioſa duntaxat „ verba ſunt ad abſcondendum doctrinæ venenum adin„ venta. Gravium enim rationum nomine vere ſolidas, „ firmaſque rationes non intelligunt, cum tales inve„ niri non poſſint ad probationem, ac munimen falſa„ rum opinionum, quales ſunt maxima ex parte, quæ „ ab ipſis ut probabiles propugnantur; ſed id volunt „ unum, ut qui opinionem aliam amplectitur, bonis „ eam rationibus fultam cenſeat; quod certe omnis ge„ neris erroribus & ſophiſmatis convenire poteſt. Quod „ autem ajunt, probabiles opiniones Scripturæ, vel „ Traditioni contrarias eſſe non debere, non ita intel„ ligunt, ut tam ſacris regulis re ipſa non repugnent; „ id volunt unum, ut iſtarum opinionum ſectatores, „ illas Scripturæ, & Traditioni evidenter contrarias „ non judicent. Tandem ſecundum illorum principia „ nulla convictio eſt adverſus opinionem, quam graves „ tuentur Auctores, quia præſumendum eſt, illos ſolu„ tiones nobis incognitas excogitaſſe, & inveniſſe. „ Verum omnis ille modificationum fucus, quem pro„ babiliſmi Auctores adhibent, ut eorum opinio minus „ invidioſa videatur, non impedit, quin duos in erro„ res impingant, quibus fundamentalia Moralis Chri„ ſtianæ principia everturtur. Primus eſt: ex quo opi„ nio, quæ blanditur cupiditati, certo probabilis eſt, „ tuto nos illam amplecti, & in praxi ſequi poſſe, „ relicta opinione contraria, quæ & probabilior vi„ detur, & tutior. Alter: probabilitatem extrinſecam „ Doctorum quorumdam auctoritate fultam, ſemper „ ſufficere, ut opinio tuta in praxi cenſeatur: eamque „ conſcientiæ luminibus, & ſententiæ, quæ proprio ju„ dicio verior videtur, licite præponi. Inde Chriſtia„ nis in inſtituenda vitæ ratione verum, an falſum ſe„ quantur, perinde eſt, ut recte obſervat Eminentiſſimus „ Cardinalis de Aguirre, ob eruditionem æque, ac „ pietatem reverendus, fateturque ſtudium olim ſuum, „ dum probabiliſmum, quem nunc totis viribus impu„ gnat, ſectaretur, ſitum fuiſſe in examinando potius, „ an aliquid eſſet probabile, quam in inveſtigando an „ eſſet verum. Contradictoriæ opiniones, velut proba„ biles proponuntur eo nomine, quod a diverſis Au„ ctoribus propugnatæ ſint; eaſque, ceu æque tutas in „ praxi amplecti poſſunt illi ipſi, quibus ſpeculativo „ judicio falſæ videntur, ut recentioribus Caſuiſtis pla„ cet. Secundum nova hæc principia cognitam deſerere „ veritatem, quiſque ſine prævaricatione poteſt. Vanis „ illis diſtinctiunculis certitudinis practicæ, & certitu„ dinis ſpeculativæ, ſe juſtiores conſcientiæ ſtimulos „ retundere, ac ſedare poſſe novi Doctores gloriantur: „ Doctrina denique probabilitatis, humana ratio, „ quamtumvis peccato depravata actionum Chriſtiani „ hominis regula evadit: *Via quæ videtur homini recta*, „ numquam *ducit ad mortem*. Doctores, etiam cum „ errant, duces fiunt, quos ſequi tutum eſt, nec ul„ lum eſt periculum *cadendi in foveam*, ſequendo du„ ces cœcos, ſi gravium Auctorum nomen habeant. „ Hinc conſequens erit, Judæos falſas Magiſtrorum „ ſuorum traditiones tuto ſequi potuiſſe; quin & Jeſu „ Chriſti damnationem a Doctoribus ſuis conclamatam, „ ut probabilem ſpectare, illamque ſine labe criminis „ approbare. Si neceſſaria illa probabilitatis conſecta„ ria vobis horrorem incutiunt, ſi vel ſola iſtius do„ ctrinæ novitas, ſine qua Orbis Chriſtianus fuit ad „ poſtremum uſque ſæculum, quo prodire cœpit, vos „ ad eam rejiciendam obligat, ex ejus uſu intelligetis, „ quam neceſſarium ſit longius ſerpentem cohibere. „ Turba recentiorum Caſuiſtarum, qui Scripturam ſa„ cram, & Patres deſeruerunt, ut propria commenta, „ privatumque ſenſum, aut nuperorum quorumdam Do„ ctorum auctoritatem ſequerentur, inanium ratiuncu„ larum levitate abrepti erraverunt. Tam ſtupenda „ fuit eorum cœcitas, ut opiniones omnibus naturæ „ luminibus contrarias propugnaverint, quas ipſi Ethni„ ciſmi ſapientes non ſine horrore audiviſſent, & per„ nicioſas adeo ſententias quaſi tutas, & ſecundum „ probabilitatis principia propoſuerunt. Proſper Fagna„ ni Canonici Juris ſcientia in Romana Curia ſpectatiſ„ ſimus, in Commentario ad Caput, *Ne innitaris*, ubi „ falſam probabilitatis doctrinam egregie refellit, error„ rum monſtra recenſet, quæ probabilium opinionum „ effrenata licentia peperit. Eccleſiæ Gallicanæ Epi„ ſcopi harum ſententiarum enormitate perculſi, totque „ propoſitiones ſcandaloſas in ſuis Apologiæ Caſuiſta„ rum cenſuris damnantes, everſæ pene morum diſci„ plinæ cauſam indigitarunt, licentiam ſequendi opi„ nionem minus probabilem & minus tutam, & at„ tributum extrinſecæ probabilitati ſecuritatis privile„ gium. Hanc doctrinam adeo pernicioſam judicavit „ pius, & eruditus P. Thirſus Gonzalez Societatis Je„ ſu Præpoſitus Generalis, ut injuriam Societati fa„ ctam proclamet, quod illi fuerit imputata, & in „ egregio Opere, quod edidit in lucem, *De recto proba„ bilium opinionum uſu*, prolixa Præfatione oſtendit, „ Jeſuitas non eſſe primos hujus opinionis Auctores, „ imo plures ejus impugnatores ex Societate prodiiſſe, „ inter alios Comitulum, cujus reſponſiones Morales „ a novorum Caſuiſtarum diſſolutis opinionibus longe „ alienæ ſunt, quia doctrinam, ex qua prodierunt, lu„ culenter impugnavit. De tanti momenti argumento

„ dicen-

„ dicendi finem facimus, duas propoſitiones in direct io-
„ ne animarum deteſtandas vobis indicantes, quas pro-
„ babilitatis defenſores docuere . Prima eſt: *Conſcien-*
„ *tiæ moderator, cujus ſententia de caſibus conſcientiæ*
„ *rogatur, reſpondere poteſt ſecundum opinionem proba-*
„ *bilem, quam falſam judicat* . Ne tam erroneo prin-
„ cipio, & agendi ratione tam perverſa animas perda-
„ tis, attendite vos a Fidelibus conſuli, & interrogari,
„ ut magiſtros veraces, & finceros, qui viam Dei in
„ veritate docere debetis . Vos illis reſpondere debe-
„ re, quod Dominus annunciare præcipit; Deum ra-
„ tionem a vobis exacturum pro animabus, quas falſis
„ opinionibus ſeduxeritis; violare vos ſanctitatem, &
„ fidem miniſterii veſtri, ſi palpetis carnalium hominum
„ cupiditatem, qui veniunt ad vos cum eo affectu,
„ quem Judæis exprobrabat Deus : *Dicunt videntibus,*
„ *nolite videre, & aſpicientibus, nolite aſpicere nobis*
„ *ea, quæ recta ſunt . Loquimini nobis placentia, vi-*
„ *dete nobis errores* . Altera propoſitio eſt : *Cum pœ-*
„ *nitens opinionem ſequitur ab aliquibus Doctoribus aſ-*
„ *ſertam, Confeſſarius debet illum abſolvere, quamvis*
„ *opinionem illam falſam judicet* . Ne adeo falſam
„ pacem detis, quæ nihil prodeſſet recipientibus, vobis
„ etiam dantibus pernicioſa eſſet . Memineritis vos in
„ ſacro tribunali perſonam Chriſti gerere, ut eos ſo-
„ los in terra ſolvatis, quos merito creditis ab illo
„ ſolvi in cælo : ipſoſque Probabiliſtas (quamvis olim
„ altiter ſenſerint) hodie damnare Judicem, qui in
„ cauſa rei temporalis ſententiam ferret ſecundum opi-
„ nionem minus veriſimilem ; & Medicum, qui reme-
„ dia infirmi curationi minus convenientia, minuſque
„ ſalutaria adhibet . Falſis illis Regulis præclarum,
„ & inconcuſſum Felicis Papæ III. principium oppo-
„ nite, quod præ oculis ſemper vos habere volumus in
„ directione animarum : *Quod ſe decipit ipſe, qui fal-*
„ *lit, nihilque per noſtram facilitatem tribunali excelſi*
„ *Judicis derogari, cui illa ſunt rata, quæ pia, quæ*
„ *vera, quæ juſta ſunt* . Novis illis Theologis ſatis
„ non fuit doctrina probabilitatis ad regulas morum e-
„ vertendas abuti; animam inſuper, ac principium re-
„ liquarum virtutum Chriſtianarum deſtruxerunt editis
„ circa divinum amorem erroribus . Solum naturæ lu-
„ men docet hominem, amorem cultum eſſe perpe-
„ tuum, gratique animi officium, Deo debitum, pro-
„ pter quem conditus eſt, & a quo accepit omnia .
„ Beatitudinis deſiderio, quod omnium motuum ejus prin-
„ cipium eſt, ſemper incitatur ad amandum ſolum bo-
„ num, quo repleri poſſit ejus animus: lexque immu-
„ tabilis, a qua deficere ſine injuſtitia non poteſt, ju-
„ bet ut omnibus actionibus ſuis ad Deum ut ad finem
„ ultimum ſuum tendat . Tota denique ſeries Scriptu-
„ rarum non præcipit niſi Dei amorem . Hoc manda-
„ tum legem complectitur, & Prophetas : vehemen-
„ tiſſima ad illud implendum incitamenta, media, ſive
„ auxilia efficaciſſima in Chriſto Jeſu invenimus . Vix
„ credi potuiſſet, officium adeo juſtum, adeo amabile a-
„ pud Chriſtianos in dubium revocari potuiſſe . Novi
„ nihilominus Doctores inventi ſunt, quibus Deum ſem-
„ per amandi neceſſitas grave jugum viſa eſt, a quo to-
„ tam pene hominis vitam immunem, ac liberam eſ-
„ ſe voluerunt . Probabilem velut opinionem propo-
„ ſuere, ſingulis tantummodo quinquenniis præceptum a-
„ moris Dei obligare, ejuſque obſervationem ad ho-
„ ram mortis, & ad occaſiones aliquas admodum ra-
„ ras reſtringentes, aſſerere non erubuerunt, reli-
„ quo vitæ tempore Deum, redundantia quadam bo-
„ nitatis, non tam nobis præcipere, ut ipſum diliga-
„ mus, quam nec odio habeamus. Ut porro damnetur
„ quicquid in Libello anonymo tendit ad renovandum
„ tam enormes errores, inter propoſitiones, quibus P.
„ *Buffierum* ſubſcribere Superiores Societatis juſſerunt,
„ hanc deſignavimus : *Nullam vitæ partem ab amore*
„ *Dei immunem eſſe debere* . Hæc ratio nos ad omnes
„ actus noſtros movere debet; nullus ſiquidem eſt, cujus
„ Deus regula, finiſque eſſe non debeat ſecundum ex-
„ preſſa S. Pauli verba : *Sive ergo manducatis, ſive bi-*
„ *bitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei*
„ *facite* . Quæ verba S. Thomas, & doctiores Scri-
„ pturæ Sacræ Interpretes præceptum continere ſenſe-
„ runt, quod ſine aliquo genere peccati non poſſit o-
„ mitti . Quam late pateat hoc officium, vobis me-
„ lius explicare non poſſumus, quam S. Auguſtini ver-
„ bis libr. 1. de Doctrina Chriſtiana . *Hæc regula di-*
„ *lectionis conſtituta eſt*, inquit, *dilige proximum tuum*
„ *ſicut te ipſum; Deum vero ex toto corde & ex to-*
„ *ta anima, & ex tota mente, ut omnes cogitationes*
„ *tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in*
„ *eum conferas, a quo habeas ea ipſa, quæ confers. Cum*
„ *autem ait, toto corde, tota anima, tota mente, nul-*
„ *lam vitæ noſtræ partem reliquit, quæ vacare debeat,*
„ *& quaſi locum dare, ut alia re velit frui; ſed quid-*
„ *quid aliud diligendum venerit in animum, illuc ra-*
„ *piatur, quo totus dilectionis impetus currit* . Verum
„ ut æquivocationes omnes tollantur, quibus tanti mo-
„ menti materiam noviſſimis hiſce temporibus intrica-
„ runt, & obſcurarunt, continua illa noſtrorum ope-
„ rum ad Deum relatio, qua præceptum amoris imple-
„ tur, minime ſita eſt in conceptione, aut recitatione
„ certarum formularum, quæ in manualibus precum
„ libris, *actus amoris Dei* inſcribuntur . Cogitare poſ-
„ ſumus nos Deum amare, idque illi dicere, quamvis
„ illum re ipſa non amemus . Contra vero, ſæpe in
„ imo corde latet amor Dei, nec diſtinctis reflexionibus
„ percipitur, aut verbis exprimitur . Qui nobis præ-
„ ceptus eſt amor, propenſio eſt voluntatis noſtræ, mo-
„ tuſque cordis a Spiritu Sancto productus, quo ad
„ Deum ut ad finem ſuum ultimum tendit amor; nec
„ re movetur altera, ut agat, quam deſiderio illi pla-
„ cendi, humano amori in eo ſimilis, quo ad gratifi-
„ candum & ſerviendum amico ferimur, & ad ejus af-
„ fectus ac ſtudia obſervanda, ut illi placeamus, il-
„ lumque magis promereamur, quamvis ſæpe non co-
„ gitemus nos ipſum amare, neque id ipſi verbis ſigni-
„ ficemus, & profiteamur . Quæ tamen non ita intel-
„ ligi volumus, ut non ſit utilis cogitatio, quæ inter-
„ dum animum ſubit, quod diligat Deum, & propter
„ gloriam ejus agat . Quæ id exprimunt verba in ju-
„ ſtorum animis, teſtimonia ſunt amoris, quo Deum pro-
„ ſequuntur, & colunt, ſimul & media ſunt, quibus ar-
„ dentior fiat, & efficacior . Peccatoribus vero utiles
„ ſunt cogitationes illæ, piæque Deum precandi formu-
„ læ, ut illorum affectum in Deum excitent, aut cer-
„ te duritiam cordis illis exprobrent, illorumque men-
„ tibus pietatis ſenſus proponant, quibus affici deberent .
„ Amor ille, quem omnium actionum noſtrarum mo-
„ tivum eſſe oportet, quamvis diſtincte ſemper non per-
„ cipiatur, quarta Propoſitione deſignavimus . Amoris
„ ſaltem habitualis nomine, quo nullam vitæ noſtræ par-
„ tem vacare debere diximus, ſignificatum eſt nos ſem-
„ per teneri ad agendum propter Deum, utque illi pla-
„ ceamus, quamvis continua, & actualis mentis atten-
„ tio neque poſſibilis ſit, nec neceſſaria . Verumtamen
„ amor ille habitualis cum charitate ſanctificante mini-
„ me confundendus eſt . Abſit enim ut eos, qui ju-
„ ſtificati non ſunt, in omnibus operibus ſuis peccare
„ ſentiamus, vel dicamus . Imo certiſſima veritas eſt,
„ eos, in quibus cupiditas adhuc dominatur, amoris a-
„ ctualis, & tranſeuntis impulſu interdum agere, quo
„ hæc illorum actio fit bona, illoſque ad juſtificationem
„ diſponit . Neque etiam charitas habitualis ad ſanctifi-
„ candum univerſas juſtorum actiones ſufficit, quorum
„ aliquæ ex cupiditate velut ex principio oriuntur . Nul-
„ la itaque in ipſis etiam Juſtis opera vere Chriſtiana
„ ſunt præter ea, quæ fiunt ex impulſu, vel motivo
„ divini amoris, quem Deus intimo in corde videt,
„ quamvis ipſi ſemper hunc animi ſui affectum non per-
„ cipiant . Verus hic ſenſus eſt 4. & 5. Articulorum
„ ſuperius præſcriptorum . Iidem illi Theologi, qui
„ juſti hominis vitam ad externam officiorum perfunctio-
„ nem, æque laborioſam, ac ſterilem ſecluſo ab ejus
„ operibus divini amoris motivo, reſtrinxerunt, pecca-
„ tores etiam abſolverunt ab obligatione diligendi De-
„ um, ut cum ipſo reconcilientur, & in gratiam re-
„ deant docendo ſolum metum pœnarum Inferni ad
„ ipſorum juſtificationem cum pœnitentiæ Sacramento
„ ſufficere . Facilitas illa ad Deum redeundi ſine ejus
„ amore, quam non habuere qui ſub veteris legis jugo
„ vivebant, novis illis Theologis gratia ſingularis viſa
„ eſt novo Teſtamento conceſſa, fructuſque utiliſſimus
„ Sanguinis Chriſti pro nobis effuſi, & in Sacramento
„ nobis applicati . Abſona illa doctrina in Eccleſia in-
„ cognita ante poſtremum ſæculum, quo primum ut
„ probabilis opinio proponi cœpit, quam Suarez ipſe
„ (quo maxime authore propagata eſt) hoc Sæculo ine-
„ unte faſſus eſt, *nec certam eſſe, nec communem, nec*
„ *valde antiquam*, neminemque hanc in hora mortis
„ tuto ſequi poſſe non dubitanter aſſeruit : hæc, in-
„ quam, doctrina per ſummam, & quæ vix capi poſ-
„ ſit cæcitatem ab Authore libelli proponitur, ut ſo-
„ la, quam vir Catholicus tenere valeat, ſententia .
„ Si enim Author ille anonymus audiatur, *quicumque*
„ *exigit amorem Dei ſaltem inchoatum, ut affectus pec-*
„ *cati ex hominis animo excludatur, puram putam Luthe-*
„ *ri doctrinam docet : & ſi metus pœnarum affectum pec-*
„ *cati non tolleret, eo fieret homo magis peccator, &*
„ *hypocrita contra doctrinam expreſſam Tridentini Con-*
„ *cilii* : ſic veluti fidei articulum obtrudit errorem con-
„ trarium veritati ex Scriptura, & Traditione certiſſi-
„ mæ, & per ſe ipſam evidentiſſimæ : qua aſſeritur,
„ hominem peccati mortalis reum Sacramento Pœni-
„ tentiæ juſtificari non poſſe, niſi ejus animus ad eum,
„ a quo defecit, ultimi finis ordinem amore Dei revo-
„ cetur .

„ cetur . Timor quidem pœnarum inferni utiliſſimus „ eſt, ut peccatorem ad ſe ipſum revocet; malam con„ tinet voluntatem, ne foris prodeat; & ſalutari ama„ ritudine conſpergens noxias voluptates, viam parat ad „ juſtitiam. Donum Dei eſt, & impulſus Spiritus San„ cti quo debilitatur cupiditas; tantum abeſt ut homi„ nem reddat magis peccatorem & hypocritam, quem„ admodum Lutherus docebat . Verum quamdiu me„ tus pœnarum æternarum ſola ratio eſt peccatorem „ continens, non eſt immutatus ejus animus, quamvis „ manus ejus a pravo opere cohibeatur; peccatum non „ odit, quod ſponte committeret, ſi ſperare poſſet im„ punitatem; tantumque a juſtitia alienus eſt, adeo *ju„ ſtitiæ inimicus*, ut eam, ſi poſſet, auferret, peritu„ rorum, quæ ſemper diligit, bonorum fruitionem tam „ ſevere prohibentem atque punientem . Niſi ergo a „ timore illo ſervili ad amorem tranſeat juſtitiæ, niſi „ Deo reſtituat in corde ſuo locum, quem dederat crea„ turæ, illam præeligendo, & prædiligendo (cum præ„ dilectio creaturæ crimen ejus fuerit) ordini ſem„ per contrarius, Dei ſemper inimicus eſt, ac proinde „ incapax virtutem, ac fructum Sanguinis Jeſu Chriſti „ in Pœnitentiæ Sacramento recipiendi . Id perſpicue „ ſatis docet Sancta Synodus Tridentina exigens diſpo„ ſitionem neceſſariam ad gratiam juſtificationis, etiam „ in Baptiſmo, conſequendam, ut peccator Deum tan„ quam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiat . Fal„ ſus, alienuſque ſenſus, quem Tridentino Concilio af„ fingere conati ſunt attritionis ſervilis defenſores, to„ ties tamque luculente confutatus eſt, ut etiamnum „ ſine ignorantia, vel malitia renovari non poſſit . „ Pravam illam doctrinam ab omnibus melioris notæ „ Theologis reprobatam ſumma cum lætitia videmus . „ Superiores Jeſuitarum conqueruntur, quod ſpectetur „ ut doctrina Societatis . Coram nobis affirmarunt ſe „ illam abſolute damnare, ſeque illam omni ex parte „ ſententiam amplecti de Dei amore, quam exprimunt „ ſuperius deſcriptæ propoſitiones, quibus continetur do„ ctrina, quam in Diœceſi noſtra teneri volumus, & „ jubemus . Nihil amplius circa hoc caput nobis di„ cendum ſupereſt: Vos tantum adhortamur, ut ſancta „ hæc, & ſaluberrima veritas de amoris Dei neceſſita„ te ad gratiam juſtificationis in Sacramento Pœniten„ tiæ conſequendam, vobis in ejus adminiſtratione re„ gula ſit, quibus plene perſuaſum eſt, quod omnis, *qui „ non diligit, manet in morte*, nec Deum remittere pec„ cata, niſi illis, quorum animus mutatus eſt, ac ſin„ cere converſus . Sinceram illam converſionem ex mu„ tatione vitæ digniſque pœnitentiæ fructibus explora„ tam & probatam habeatis; *nec pro ſalutaribus dila„ tionum remediis exitioſa præcipitatæ communionis ve„ nena* illis detis, in quibus hæc veræ converſionis ſigna „ non videritis, quæ ſola ſunt ab omnium temporum „ Sanctis agnita, & recepta . Pravum dogma, quod „ libelli author inſinuat de attentione ad malitiam a„ ctionis, quam vult eſſe neceſſariam ut peccatum im„ putetur, nos impellit ut pernicioſas omnes falſi hu„ jus principii conſecutiones vobis aperiamus . Error „ eſt a quibuſdam noviſſimorum temporum Theologis „ propugnatus, ut actio ſatis libera cenſeatur ad con„ ſtituendum reum hominem non ſufficere, ut cogno„ ſcat, quod ſibi proponit agendum, ſed neceſſarium eſ„ ſe inſuper, ut cognoſcat ſe male agere, idque cogi„ tet agendo, & animadvertat . Exempli gratia, qui „ ultionis libidine impulſus interficit inimicum, cædem „ ſe committere ſatis novit; ſed ut illi cædes in pec„ catum imputetur, neceſſe eſt ſecundum novos illos Theo„ logos, ut cognoſcat ultionem eſſe divina lege prohi„ bitam, ad idque attendat cædem illam perpetrando. „ Pernicioſa illa doctrina a P. Bauny propugnata a „ pluribus Galliæ Eccleſiis damnata eſt, ut error ma„ niſeſtus, ſecundum quem nulla eſſent amplius igno„ rantiæ, & concupiſcentiæ peccata contra definitionem „ Conciliorum, & expreſſa Scripturæ Sacræ, ac Pa„ trum teſtimonia . Hanc etiam doctrinam Theolo„ gicæ Facultates Pariſienſis & Lovanienſis, ceu opinio„ nem communibus Theologiæ Chriſtianæ principiis „ contrariam, & innumera, graviſſimaque peccata ex„ cuſantem, cenſuris ſuis confixerunt . Et certe Ju„ dæi, qui perſecuti ſunt Apoſtolos, *arbitrati obſequium „ ſe præſtare Deo*, & qui Chriſtum Jeſum morti tra„ diderunt *per ignorantiam* teſte S. Petro, authorem vi„ tæ ſine peccato interfeciſſent ſecundum nova illa prin„ cipia, quamvis S. Paulus aſſerat illos peccatorum ſuo„ rum menſuram hoc crimine cumulaſſe, & iram Dei, „ qua in finem uſque oppreſſi ſunt, provocaſſe . Quæ „ non tam ut crimina execramur, quam ut monſtra, quæ „ quarumdam gentium moribus invaluerunt, & probata „ ſunt, ac integrorum populorum Religione fuere conſe„ crata . Qui majori ſapientiæ fama apud Ethnicos „ floruere, deteſtabiliorum flagitiorum licentiam, ceu præ„ mium egregiis in rempublicam meritis eſſe permit„ tenda cenſuerunt . Si peccata excuſet juris naturalis „ ignorantia, dicendum eſt, gentes illas infideles, & ea„ rum Philoſophos potuiſſe ſine peccato turpiſſima quæ„ que, & deteſtabilia perpetrare, quæ innocua, immo „ laudabilia exiſtimabant. Secundum hæc principia non „ jam timendæ eſſent ignorantia, & cæcitas, utpote „ media tutiſſima, quibus homines ab omni peccato im„ munes eſſe poſſent. Verum ſi novi illi Theologi au„ diantur, præter mali cognitionem neceſſaria etiam eſt „ actualis attentio ad malitiam actionis, ut vitio de„ tur legis tranſgreſſori . Cum itaque peccator firmo, „ & intrepido greſſu currit ad mortem, ut S. Bernar„ di verbis utar, habitus invereteratus criminis, qui ad „ officium, ad legem, ad malitiam operis ipſam actu „ attendere non ſinit, ipſum a peccato immunem præ„ ſtabit; & eorum diſpoſitio, qui *tenebris obſcuratum „ habentes intellectum, alienati a vita Dei per igno„ rantiam, quæ eſt in illis propter cæcitatem cordis „ ipſorum, deſperantes tradiderunt ſemetipſos impudici„ tiæ ad operationem immunditiæ omnis in avaritiam*; „ diſpoſitio, inquam, tam horrenda, quam S. Paulus „ velut conſummatæ iniquitatis fructum indigitat, o„ mnem iniquitatem abolebit . Peſtiferum, quod mox „ vobis expoſuimus, principium peccati philoſophici do„ ctrinam peperit, cujus ſola expoſitio horrore percel„ lit animos . Iidem ſcilicet Theologi, qui peccata „ rectæ rationi contraria non imputari cenſent, ſi qui „ illa committit, malitiam illorum ignoret, aut ad il„ lam non attendat, conſequenter ad ſua principia ra„ tiocinati pariter docuerunt, ut peccator Deum offen„ diſſe cenſeatur legem ejus ſponte violando, neceſſe eſſe „ ut noverit actionem ſuam lege divina eſſe vetitam, „ atque ad hanc prohibitionem attendens, nihilominus „ illam commiſerit . Hinc horrendum illud parado„ xum, quod nemo homo, quantumvis depravatus, ſine „ indignatione audivit: *Peccatum philoſophicum, ſeu „ morale (id eſt actus humanus diſconveniens naturæ „ rationali, & rectæ rationi), quantumvis grave, in „ illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non co„ gitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, „ neque peccatum diſſolvens amicitiam Dei, neque æter„ na pœna dignum* . Secundum execrandam illam do„ ctrinam cum impius ſuæ rationis prorſus oblitus eo „ devenit amentiæ, ut dicat in corde ſuo: *Non eſt „ Deus*; quantumvis abominandus ſit, *homicida, for„ nicator, veneficus; pars illius non erit in ſtagno ar„ denti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda*. Ut„ que de Atheiſmo impræſentiarum ſileamus, illi, de „ quibus Scriptura dicit non eſſe Deum in conſpectu eo„ rum, ejuſque judicia ab eorum facie auferri, non ſo„ lum ignem æternum pro omnibus illis criminibus in „ omnimoda Dei oblivione commiſſis non merentur, ſed „ nec eorum cum Deo fœdus frangitur, amici ejus ad„ huc permanent, & contra verbum Spiritus Sancti, „ lux, & tenebræ, Chriſtus, & Belial convenire, & „ conjungi poſſunt . Contra doctrinam tam inſanam „ ac pernicioſam Eccleſia inſurrexit univerſa, & cum „ gaudio excepit juſtam ejus damnationem ab Alexan„ dro Octavo Pontifice Maximo pronunciatam, velut „ doctrinæ *ſcandaloſæ, temerariæ, piarum aurium offen„ ſivæ, & erroneæ*. Ut errores tam enormes caveantur, huic adhærendum eſt principio: *Neceſſariam non „ eſſe attentionem ad malitiam actionis vetitæ, ut no„ bis peccatum imputetur*. Tam certum conſtanſque „ principium libelli anonymi Author inter Moralis „ plus juſto, (ut illi quidem videtur) ſeveræ propo„ ſitiones, quas ſuſcepit impugnandas, temere numeravit. „ Totum iſtud argumentum implicat, ignorantiam fa„ cti cum ignorantia peccati, juris poſitivi cum juris „ naturalis ignorantia confundens, neque aliud ex ejus „ verbis colligi poteſt, niſi illum communiores Theolo„ giæ notiones non habere, aut errores in Morali per„ niciosiſſimos renovare velle . Verum cognita, rece„ ptaque ab omnibus principia vobis repetere ſatius eſt, „ quam ut ullum circa tanti momenti dogma dubium „ ſuperſit . Omnis Theologorum cœtus ignorantiam „ facti diſtinguit ab ignorantia peccati. Inter illos con„ venit, eum, qui hominem interficit, putans ſe occi„ dere feram, homicidium libere non commiſiſſe, & „ ignorantiam illum a peccato excuſare: ſed ab errore „ longe alieni ſunt, ut ſentiant eum, qui ſciens volens „ hominem occidere, vel homicidium licitum eſſe exi„ ſtimaret, aut qui ad cædis malitiam non attenderet, „ peccati non eſſe reum . *Quia voluit, fecit* (ait S. „ Auguſtinus) *etiamſi non quia voluit, peccavit, ne„ ſciens peccatum eſſe quod fecit: ita non tale pecca„ tum ſine voluntate eſſe potuit, ſed voluntate facti, „ non voluntate peccati, quod tamen factum peccatum „ fuit . Hoc enim factum eſt, quod fieri non debuit* . „ Theologi pariter omnes conſentiunt, leges poſitivas in-

„ vin-

„ vincibiliter ignorari poſſe, earumque violationem hac „ in hypotheſi reum non facere tranſgreſſorem. Ve„ rum nemo illorum, qui ſecundum Scripturam Sacram „ & Traditionem ſentiunt, non propugnat, ut verita„ tem inconcuſſam, principia communia juris naturalis „ invincibiliter ignorari non poſſe: nec illum, qui ho„ micidium, adulterium, aut quodvis aliud iſtius gene„ ris crimen commiſerit, excuſari umquam poſſe, eo no„ mine quod hæc flagitia legi naturali contraria eſſe i„ gnoraverit, vel ad id non attenderit. Sola cordis „ depravatione, & corruptione factum eſt, ut neſcive„ rit, vel non attenderit ad veritates, quas naturæ lu„ men omnes, & ſingulos homines edocet, quales ſunt, „ quæ Decalogo continentur. Quod vobis exempli gratia „ proferimus, ut a quæſtionibus graves inter Theologos „ controverſis abſtineamus. Quod ſi damnanda prævari„ catio eſt agnitæ veritati reſiſtere, hujus cognitione pri„ vari mores tantum inquinatiſſimi, vitaque cumprimis „ flagitioſa merentur. *Omnes*, inquit S. Thomas, *te„ nentur ſcire univerſalia juris præcepta, ſinguli au„ tem ea quæ ad eorum ſtatum, vel officium perti„ nent . . . . Si ſit eorum quæ ſcire tenetur, & pot„ eſt . . . . talis ignorantia non totaliter excuſat a pec„ cato*. Sancti illius Doctoris principium, quod vobis „ proponimus, ceu unum ex fundamentis doctrinæ „ morum a Patribus traditum & ab antiquis Schola„ ſticis poſitum eſt, quorum teſtimonia, & rationes in „ reſponſis Moralibus Comitoli Societatis Jeſu Theo„ gi collectas invenietis. Et hoc unum principium ſuffi„ cit ad evertendum errores omnes, quos vobis jam ex„ poſuimus, & quicquid ad eorum renovationem in „ libello anonymo tendit. Quamvis autem perniciosis „ principiis ſcateat hic libellus, nihil tamen Morali „ Jeſu Chriſti, rectiſque regulis capitalius adverſatur eo, „ quod de ambitione ſcribit. Author ille ignorat, vel „ contemnit quicquid nos docet Eccleſia de neceſſitate „ vocationis ad beneficia, quibus animarum cura adne„ xa eſt, & omnia Sanctorum pronunciata eorum ex„ emplis confirmata de fuga dignitatum Eccleſiaſtica„ rum. Stupor illorum, qui tam formidandorum one„ rum periculis non terrentur, & aliorum præſump„ tio, qui ſe ſacris illis functionibus pares ſemper „ exiſtimant, non videntur illi diſpoſitiones, quæ indi„ gnum reddant poſtulantem. S. Pauli verbis cum ſcan„ dalo abutitur, ut ambitioſas Parochialis Curiæ, vel „ Epiſcopatus poſtulationes, & aucupia licita eſſe per„ ſuadeat. In pulpitis inſignioribus ad famam concio„ nari, ut ad Epiſcopatum perveniatur, una ipſi vide„ tur legitima ad ſummam illam dignitatem via. Sic „ Eccleſiæ munera eminentiorem poſtulantia ſanctimo„ niam, ambitioſis, & Evangelicum miniſterium pro„ fanantibus ut ad ea adſcendant debita ſunt, ſi temera„ rius libelli Scriptor audiatur. Sed & Epiſcopis injuriam facit, cum ſupponit illos ſacrarum Eccleſiæ re„ gularum adeo eſſe immemores, ut beneficia curam a„ nimarum adnexam habentia domeſticis Clericis vulgo „ conferant, qui in eorum familia, & miniſterio non „ manent niſi ut illa obtineant. Et ex ejus quidem „ verbis conſequens eſt, illum collationes hujuſmodi ſi„ moniacas approbare. Denique quicquid hoc de argu„ mento ediſſerit, proprie lectio publica eſt, qua do„ centur avaritia, & ambitio, qua omnes regulæ hu„ manitatis, & contemptus rerum temporalium, quas „ in ſchola Chriſti Jeſu didiciſtis, penitus everturtur, „ & ſpernitur quicquid ſacris Canonibus præſcriptum „ eſt de aditu Beneficiorum, quibus animarum cura ad„ nexa eſt. Vera principia falſis libelli propoſitionibus „ de petitionibus hujuſmodi Beneficiorum oppoſita Ar„ ticulis 8. 9. & 10. ſupra poſitis tenete, & iſtius Au„ thoris opiniones hac in materia rejicite, ceu errores „ ſcandaloſos, quibus & omnes Eccleſiæ regulæ, & „ Sanctorum documenta deſtruuntur.

CONCLUSIO.

„ Ex his, quæ de prava libelli doctrina retulimus, „ procul dubio judicabitis, nos ſilere hac in occaſione „ minime potuiſſe, niſi præcipuæ Paſtoralis Officii no„ ſtri parti deeſſe vellemus. Nobis quippe pretioſum „ doctrinæ depoſitum concreditum eſt, nec tolerare „ poſſumus errores, quibus Moralis Chriſtianæ ſancti„ tas ut Dogmatum puritas corrumpitur, niſi depoſiti „ fidem violemus. Quo magis errores illi doctrinæ E„ vangelicæ integritatem oppugnant, eo magis ipſis ob„ ſiſtendum eſt diſſolutis hiſce temporibus, quibus Apo„ ſtoli ad Timotheum ſuum ſcribentis verba conve„ niunt: *Erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſti„ nebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi ma„ giſtros prurientes auribus*. Vos vero doctrinæ, quam „ vobis tradidimus, firmiter adhærete, ut poſſitis ex„ hortari *in doctrina ſana, & eos qui contradicunt ar„ guere*. Cum dubia vobis occurrent, quæ jure natura„ li, vel jure divino poſitivo, ſolvi poſſunt, Sacras „ Scripturas, & SS. Patres earum Interpretes conſuli„ te: nec de illis quæſtionibus novos Caſuiſtas audia„ tis, niſi quatenus eorum opiniones Scriptura Sacra, „ & Traditione nituntur: illorum authoritatem, ac „ teſtimonia nihili facientes, cum ſua duntaxat com„ menta, viſioneſque cordis ſui proferent. Plus illis „ tribuere poteſtis, cum iis de quæſtionibus agitur, quæ „ poſitivis legibus dirimuntur, quales ſunt cenſuræ, & „ ſimilis generis argumenta. Quæ in poſtremis legibus „ Canonicis obſcura ſunt, in eorum operibus expoſita „ invenietis: ab illiſque diſcetis præſentem Eccleſiæ u„ ſum circa caſus, quos leges prævidere non potuere. „ Verum ne *doctrinis peregrinis* abducamini, ſummam „ reverentiam erga ſanctam antiquitatem ſemper con„ ſervate, illi pro viribus ſtudete, ut ex ſacris ejus „ monumentis ſtatus veſtri officia diſcatis. Cum ſacro„ ſancta Synodus Tridentina Canones antiquos de vita „ Clericorum renovaverit, id certe incitamento vobis „ eſſe debet, ut Canones illos ſpiritu Dei conditos, & „ totius Mundi reverentia conſecratos memoriæ com„ mendetis, ut eorum ſemper ſpiritum ſequamini, et„ iam cum illos ad litteram obſervare non valetis. Ad „ vitandas denique perniciosas laxitates, noviſſimis hiſ„ ce temporibus adinventas, & a novellis Theologis „ propugnatas, alte animis veſtris inſideat regula illa „ Vincentii Lirinenſis, quæ morum non minus quam „ miſteriorum Fidei doctrinam ſpectat: *Annunciare a„ liquid Chriſtianis Catholicis præter id quod accepe„ runt, numquam licuit, nuſquam licet, numquam li„ cebit, & anathematizare eos, qui annunciant ali„ quid præter id, quod ſemel acceptum eſt, numquam „ non oportuit, nuſquam non oportet, numquam non o„ portebit*.

„ *Datum Rothomagi in Palatio noſtro Archiepiſcopali* „ *die* 28. *Martii* 1697.

Jacobus Nicolaus Colbert Archiepiſcopus Rothomagenſis.

De mandato Illuſtriſſimi Domini Archiepiſcopi,

Grebauval.

Tandem aliquando rediens ad officium P. Buffier, libellum damnatum ſaniore conſilio reprobavit, ejuravit, præſcriptiſque a religioſiſſimo Archiepiſcopo propoſitionibus, ſecundum formulam ab eo traditam, cum reverentia ſubſcripſit, Præpoſitorum ſuorum mandatis obſecutus.

Eodem Anno 1697. Carolus Mauritius le Tellier Archiepiſcopus Dux Rhemenſis, Ludovicus Antonius de Noailles, Archiepiſcopus Pariſienſis, Jacobus Benignus Boſſuet, Epiſcopus Meldenſis, Guido de Seve Epiſcopus Atrebatenſis, & Henricus Feydeau de Brou Epiſcopus Ambianenſis ad Innocentium XII. Epiſtolam dederunt contra librum, cui titulus eſt *Nodus Prædeſtinationis diſſolutus authore Cæleſtino S. R. E. Presb. Cardinali Sfondrato* typis Romæ mandatum anno MDCXCVI. Digna etiam hæc nobis epiſtola viſa eſt quæ hoc loci legeretur. En itaque illam:

BEATISSIME PATER.

„ EPiſcoporum eſt ſine perſonarum acceptione dete„ gere errores, qui quo altiore loco ſe attollunt, „ eo graviore ictu conterendi. Itaque ad Apoſtolatum „ veſtrum deferre cogimur propoſitiones iſtas; *Primam*, „ *quantum ex parte Dei eſt, omnes dilecti, omnes ad „ vitam æternam, aut aliquid, quod vita æterna me„ lius ſit* (*ut de infantibus Baptiſmo non tinctis poſt„ ea dicemus*) *deſtinati*, &c. Hæc ſcripta reperimus in „ libro, cui titulus, *Nodus Prædeſtinationis diſſolutus*. „ Neque enim metuimus, Beatiſſime Pater, ne quia „ Eminentiſſimum Cæleſtinum Sfondratum, tot egre„ giis dotibus commendatum, ut ſerviret Eccleſiæ, ad „ tantam dignitatem provexiſtis, idcirco illius quoque „ ignoſcatis erratis, quæ ad Eccleſiæ fidem labefactan„ dam pertinerent: immo vero ſcimus veſtram Sancti„ tatem, ut veritati, & Eccleſiæ ſerviat, nullius nomi„ ni parciturum, ac magis peccaturos nos, ſi neceſſa„ ria taceamus. Sane faveamus licet optimi viri me„ moriæ, ingenio, & elegantiæ, tamen obſtupuimus ad „ inauditas voces. Sed cum Author ad alios nos remit„ tat locos, ubi de infantibus ſermo ſit, ad eam tan„ dem partem legendo devenimus, in qua hæc ſunt „ poſita: *Parvulos quod attinet, qui ſine Baptiſmo de„ cedunt, cæleſti quidem regno, quaſi paternæ culpæ „ reos, nec expiatos excluſit. Non excluſit tamen natu„ ralibus bonis* (beatitudine ſcilicet naturali; quod pri-

„ mum

„ mum annotamus) *& a peccato præservavit, æterno-*
„ *que supplicio, quo, si adolescerent, puniendi essent;*
„ *cum sola*, inquit, *præservatio a peccato* (quam sem-
„ per supponit in parvulis originali licet vero magno-
„ que peccato inquinatis) *pluris valeat, majorisque*
„ *pretii sit, quam regnum ipsum cœleste*. Quasi major
„ res sit tantum carere malis, quam æterna vita, Deo-
„ que ipso perfrui. Quæ tam absurda, tam vana sunt,
„ ut Christianæ aures ferre non possint. Quo magis le-
„ gendo processimus, B. P. eo pejora occurrebant, qua-
„ lia profecto hæc sunt: *In hac parvulorum causa con-*
„ *siderandum est, licet Deus ad cœlestem gloriam eos non*
„ *admiserit, alio tamen, multoque majori beneficio af-*
„ *feciſſe, quod illi ipsi longe cœlo prætulissent, & nos*
„ *quoque si electio daretur, multo magis pretii, quam*
„ *cœlum duceremus:* unde concludit, *Ergo nulla dolen-*
„ *di, nulla conquerendi, sed magis gaudendi, gratesque*
„ *agendi causa est:* ut profecto parentibus Christianis
„ parvulos suos amittentibus sine baptismi gratia non
„ luctus, ut fit, sed gratulatio indicenda sit; ipsi vero
„ parvuli, tanti licet Sacramenti exsortes, lætis ma-
„ gis vocibus, quam lacrymis prosequendi videantur.
„ Hæc quidem sufficerent ad condemnationem tam
„ inauditæ novitatis; sin autem responderi volunt au-
„ thoris ratiociniis ex parvulorum innocentia, ut vo-
„ cat, personali repetitis, de his quidem mox videri-
„ mus, si vestra Sanctitas permiserit: rogamus inte-
„ rim Te teste, Te Judice, Beatissime Pater, ecquid
„ in fidei quæstionibus ratiocinia sine Scripturis, ac
„ Traditione valeant? Cum Propheta clamet, ad le-
„ gem magis, & ad testimonium, ad Traditionem, ad
„ Patres: ne si tu, Theologe, quisquis es, aliquid
„ Evangelicæ prædicationi addideris, quacumque di-
„ gnitate fulgens, quocumque hominum præsidio fre-
„ tus, sis licet Apostolus, sis licet Angelus, ab alta
„ Petri Sede tanquam e cælo feriaris, ac sermones tui
„ anathema fiant. Et tamen illa subtilia argumento-
„ rum inventa videamus, ipsumque erroris recludamus
„ fontem: *Nempe*, inquit, actualibus *cum venialibus*
„ *tum etiam mortalibus peccatis subduci* regno est po-
„ tius, atque ut verbis clarioribus Authoris utamur,
„ *innocentiæ personalis donum, & immunitatis a pec-*
„ *cato tantum est, ut ipsi parvuli millies cœlo carere*
„ *mallent, quam vel uno peccato involvi; nullusque*
„ *Christianorum est, cujus non idem votum esse debeat*:
„ quod est vanissimum. Neque enim si vetuit Apostо-
„ lus, ne *faciamus mala, ut veniant bona;* ideo pro-
„ hibere possumus Deum, quominus ex permissis pec-
„ catis pro sua excellentissima potestate majora bona
„ eliciat, quam ea, quæ ante peccata futura erant;
„ neque propterea peccatis delectamur, absit; sed eidem
„ Apostolo dicenti credimus: ubi *abundavit delictum,*
„ *superabundasse & gratiam*. Nempe ex peccatis me-
„ minimus tantam gratiæ accessionem factam, ut et-
„ iam eorum accessione Christum habeamus: nec si Pe-
„ trus e lapsu evasit humilior ac deinde fortior, atque
„ felicior, ideo liceat nobis peccatum innocentiæ, sed
„ uberiorem post peccatum gratiam minori anteferre,
„ Deique omnia mala vertentis in bonum exsuperantis-
„ simam prædicare bonitatem. De his ergo argutiis,
„ Beatissime Pater, salva reverentia Vestræ Apostoli-
„ cæ Sanctitatis, id merito dixerimus: *Telas araneæ*
„ *texuerunt*, quibus imbecilles animæ caperentur; ne-
„ que enim quod peccatum toto animo horreamus, id-
„ eo invidere debemus aut Deo liberalitatem suam,
„ aut nobis felicitatem nostram: nec prohibere quis
„ possit, quominus cum Ecclesia concinamus lætum il-
„ lud, ac faustum, *Felix culpa*, & *O vere necessarium*
„ *Adæ peccatum*. Hæc vera, hæc pia sunt, nec ex re-
„ centibus novæ pietatis ducta commentis, sed ex ve-
„ ris fontibus Christiani, Apostolicique spiritus. Quod
„ autem toties parvulis immunitas a peccato, ipsaque
„ adeo innocentia tribuatur, intolerabile credimus,
„ vanaque erroris excusatio est, quod illa innocentia
„ novo atque ambiguo nomine *personalis* vocatur: Ne-
„ que enim parvulorum persona innocens est, ad quam
„ peccatum ipsum, quod est mors animæ, transit, ut
„ est in Arausicano II. ac postea in Tridentino Con-
„ cilio definitum: non, inquam, persona innocens est,
„ eo quod careat peccatis propria voluntate contra-
„ ctis: immo vero peccatrix, quæ sub ira Dei, atque
„ in potestate tenebrarum nascitur; quæ exorcismis ex-
„ sufflatur; quæ aqua mundatur; valetque omnino illud,
„ quod a Sancto Augustino Synodus Tridentina de-
„ prompsit, originale peccatum non utique nobis esse
„ extraneum, immo ut *origine unum*, ita *propagatio-*
„ *ne unicuique esse proprium:* nec nisi inhærente, &
„ propria sanctitate purgandum. Ejicite ergo, Beatiſſi-
„ me Pater, ex Ecclesia Dei, cui pari integritate, ac
„ potestate præsidetis, degeneres, mollesque senten-
„ tias, quæ pietatis specie vim ipsam pietatis infrin-
„ gunt. Neque enim dissolvit, sed implicat nodos, qui
„ humanis affectibus, exilibusque argutiis magis, quam
„ Ecclesiæ traditione ducitur. Nec semel dixisse con-
„ tentus, eumdem errorem inculcat magnificentioribus
„ verbis, cum dona collata parvulis sine Christi Sacra-
„ mento decedentibus *ad Christi merita ac redemptio-*
„ *nem* pertinere asserit: ut hinc quoque vel maxime
„ redempti parvuli censeantur, quod Sacramenti re-
„ demptionis expertes, nulla in Redemptoris regno,
„ & corpore parte sint: quo quid absurdius, & in
„ Redemptorem ipsum contumeliosius dici possit, nos
„ quidem non videmus. Quo loco idem Author hoc et-
„ iam addit: Non damnari parvulos: quippe qui pro-
„ pter alienum, nec personale peccatum damnari non
„ possint. At quis hæc docuit? Non certe Concilium
„ Lugdunense II. sub Gregorio X. non Florentinum
„ sub Eugenio IV. quorum hæc fides est, hæc defini-
„ tio: *Illorum animas, qui in actuali mortali pecca-*
„ *to, vel cum solo originali decedunt, mox in infer-*
„ *num descendere, pœnis tamen disparibus puniendos*.
„ En quo, en quibuscum descendant, qui natura filii
„ iræ, exosi, & invisi cum cæteris damnatis ad infer-
„ num detruduntur: quos tamen Author noster, non
„ damnari docet, quasi aliud sit damnari, quam ad In-
„ fernum descendere. Insuper si Deo placet, patriæ exi-
„ lium, favori, & gratiæ iram, denique *ipsi Cælo* in-
„ fernum anteponit: usque adeo summis ira permi-
„ scet. Quod vero damnari negat, qui a pœna sensus,
„ hoc est ab ignis æterni cruciatu passim immunes
„ habeantur; quid ad nos, qui ea de re non contendi-
„ mus? Consulant, qui voluerint, doctissimum Diony-
„ sium Petavium; consulant in primis Eminentissimum
„ Henricum Norisium a vestra Sanctitate insignis do-
„ ctrinæ merito, Christiano orbe applaudente, ad sum-
„ ma quæque provectum: nos quidem hæc prætermit-
„ timus, ac Theologis disputanda relinquimus. Quam
„ autem sit immanis error, ab inferno, ac damnatio-
„ ne absolvere parvulos sine Christi Sacramento defun-
„ ctos, Cardinalis Bellarmini verbis malumus, quam
„ nostris dicere: qui quidem ex prædictis, aliisque de-
„ cretis, hanc sententiam, ab Ambrosio licet Cathari-
„ no, aliisque defensam, non modo *falsam*, sed etiam
„ *hæreticam existimandam esse* concludit; & contra,
„ *fide Catholica tenendum, parvulos sine baptismo de-*
„ *cedentes, absolute esse damnatos: nec sola cœlesti,*
„ *sed etiam naturali beatitudine perpetuo carituros, qui*
„ *nempe sunt, eruntque semper aversi habitualiter a*
„ *Deo*: deguntque, ac semper degent in carcere infer-
„ no: ex Concilii Lugdunensis Œcumenici decretis in
„ Concilio Florentino repetitis, Ecclesia Orientali una
„ cum Romana, & Occidentali in unam fidem conci-
„ nente. Ex his igitur, aliisque decretis, teste Bellar-
„ mino, illi parvuli *sub potestate diaboli in carcere in-*
„ *ferno degunt*, loco, inquit, horrido, atque tenebri-
„ coso; quod quid est aliud, quam projici cum damna-
„ tis in horrendas illas exteriores tenebras, & ibidem
„ esse sub potestate tenebrarum, quarum id regnum
„ est? De affectibus vero illis, quos pios vocant, ju-
„ vat eumdem Bellarminum audire, hæc sancte & gra-
„ viter differentem: *Nihil prodesse parvulis jam de-*
„ *functis misericordiam nostram, & contra nihil eis-*
„ *dem obesse nostræ sententiæ severitatem: multum au-*
„ *tem nobis obesse, si ob inutilem misericordiam erga*
„ *defunctos pertinaciter aliquid contra Scripturas, aut*
„ *Ecclesiam defendamus*. Idcirco non affectum quem-
„ dam humanum, quo plerique moveri solent, sed Scri-
„ pturæ, Conciliorum, & Patrum sententiam consule-
„ re, & sequi debemus. Atque abfuisse quidem a ce-
„ leberrimo Sfondrato Cardinali hanc pertinaciam, fa-
„ cile confidimus: cæterum tacere non possumus id,
„ quod de S. Augustino scribit: *Numquam, scilicet,*
„ *Augustinum hoc modo philosophatum esse, sed in cau-*
„ *sa parvulorum*, nonnisi ad occulta Dei judicia pro-
„ vocasse. Hæc ille de S. Augustino, quem in ipso
„ libri titulo suæ solutionis authorem prædicabat. Et
„ tamen postea ejusdem doctrinæ diffisus, ac plus tan-
„ to Doctore (absit verbo injuria) sibi sapere visus,
„ hæc subdit: *Nec id ad Augustini institutum pertine-*
„ *bat, nec voluit ipse aliis adimere libertatem ea omnia*
„ *dicendi, quæ deinceps opportuna viderentur: præser-*
„ *tim*, inquit, *adversus Calvinum, atque Jansenium:*
„ quo sane prætextu ad nova, & inaudita quæque
„ prosiliunt. An enim si novi authores confutandi ve-
„ niunt, ideo nova quoque dogmata invehi necesse est
„ in Ecclesiam? Nempe hæc, quod parvuli tam lu-
„ ctuoso puniantur exilio, non ad illa tremenda judi-
„ cia, sed ad Dei gratiam potiorem referri oportere?
„ Quæ profecto si ad nodum reprobationis parvulorum
„ dissolvendum pertinerent, quo in loco explicando
„ Augustinus totus est, non ab ejus instituto abhorre-
„ rent. Sed ille huic nodo non aliam solutionem affert,

„ quam

„ quam illud Apoſtoli *Tu quis es?* & illud in cauſa parvulorum toties repetitum: *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa* originis vitiatæ, atque damnatæ, *facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Neque quidquam aliud in parvulorum, ac in tota prædeſtinationis cauſa, B. Auguſtinus aut quæſivit, aut prompſit; immo illud quærentibus id aperte ſignificat, cui non iſta ſufficiant, ut quærat doctiores, ſed caveat, ne inveniat præſumptores. Neque minus alienum eſt a B. Doctoris ſenſu, quod illud Sapientiæ: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*, transfertur ad parvulos. Illud enim de juſtis, ne ſua juſtitia recederent, eſſe prolatum & locus ipſe clamat, & B. Auguſtinus, aliique Orthodoxi omnes, uno ore conſentiunt; ad gratiam autem pertinere quod ſine Baptiſmo rapiantur infantes in infernum carcerem devolvendi, tanquam eis ſubtracto baptiſmo potior obventura ſit felicitas, & gratia, non ipſe Catharinus, non ipſi Pelagiani auſi ſunt aſſerere; qui cum iiſdem parvulis aut vitam æternam, aut naturalem aſſignent beatitudinem; non tamen eam qualemcumque aut vitam æternam, aut felicitatem regno præferendam putant. Cauſa autem errandi hæc fuit, quod tanti nodi diſſolutor nequidem naturam, ac vim peccati originalis agnovit, atque etiam ex S. Auguſtino probare nititur, parvulis in præſenti vita cruciatis eſſe aliquid *bonæ compenſationis, quod in æterna vita reſervet Deus: quoniam quamquam nihil boni fecerint, tamen non peccaverint aliquid*. Quam quidem ſententiam idem Cardinalis a B. Auguſtino in epiſtola ad Hieronymum retractatam fatetur, *non quidem ut erroneam, & falſam, ſed tamen ut minus firmam, validamque*. Hæc quidem Sfondratus Cardinalis aſſeruit: nec legere voluit in eadem Epiſtola, nullam iiſdem parvulis *compenſationem cogitandam*, quibus inſuper *damnatio præparata eſt*: eamque eſſe *robuſtiſſimam, ac fundatiſſimam Eccleſiæ fidem*. De fide ergo eſt illa damnatio parvulorum, quam illi compenſationi Auguſtinus opponit: de fide, inquam, eſt illa damnatio, quæ licet, Auguſtino teſte, omnium mitiſſima, non tamen proinde ſanctitati, ac æternæ felicitati anteferenda ſit: neque ullum præſidium in illa eſt epiſtola ad Hieronymum, quam author diſſoluti nodi tanta confidentia proferebat. Idem alibi ſcripſit: *Fatendum, quia nunquam parvulis ante baptiſmum ſublatis Deus vitam æternam voluit, iſtos ad alium finem claſſemque providentiæ pertinere*. Quo loco perſpicuum eſt, eumdem authorem totius humani generis primævæ inſtitutionis oblitum. Quis enim Chriſtianus negat univerſam Adæ ſobolem in eo ad æternam vitam fuiſſe ordinatam? Non ergo parvuli ad alium finem, aut ad aliam claſſem providentiæ revocandi ſunt; ſed plane ad communem creaturæ rationalis ordinem redigendi, ut nec ſine Sacramento Redemptoris vitam æternam, ad quam inſtituti erant, recuperare poſſint, nec ejus jactura ſine certa, & juſta damnatione mulctari. Hæc quidem ſunt, quæ attinent ad parvulorum ſtatum: pluribus ſuperſedemus, quibus quippe animus eſt ea promere, quæ magis ad exponendum, quam ad refellendum errorem neceſſaria videantur. Nunc ad alterum caput pergimus; nec veremur ne parenti optimo, atque ſanctiſſimo tædio ſimus, cui res maximas ejus Apoſtolico judicio decidendas ſumma cum animi demiſſione ſubjicimus. Altera ergo propoſitio ſic habet: *Ut demus* (Braſilienſes, alioſque) *ita ignoraſſe* (Deum, hoc eſt, invincibiliter) *id quoque magna beneficii, & gratiæ pars eſt*. Quæ quidem, Beatiſſime Pater, liceat enim nobis in optimi parentis ſinum intimos animi noſtri ſenſus deponere, non ſine maximo dolore referimus. Sed ſunt quæ magis doleant, nempe ſequentia, quibus iſta muniuntur: *Cum enim*, inquit, *peccatum ſit eſſentialiter offenſio, & injuria Dei, ſublata Dei cognitione neceſſario ſequitur, nec injuriam, nec peccatum, nec æternam pœnam eſſe*: reddique *impeccabiles*, atque ab æterna pœna prorſus impunes, etiam parricidas, hoſpitum necatores, ac portenta libidinum conſectantes, quos Deus tanta gratia, hoc eſt cæcitate mentis, ſummaque ſui ignoratione donaverit. Quod quid eſt aliud, quam peccatum ipſum philoſophicum ab Alexandro VIII. felicis recordationis anteceſſore veſtro tanta perſpicuitate damnatum? Hæc nempe ad Sinenſes ſolatia deferebant, quibus excæcatæ gentis ac de parentum ſuorum ſapientia immenſum gloriantis ſuperbiam demulcerent. Horum ergo gratia quærebatur: *An infideles præcepta naturalia tranſgredientes pœnas æternas mereantur*, & negabant aliqui, *quia ignorantia Dei & legislatoris a tam gravi pœna excuſantur*. Sic enim blandiebantur Sinenſibus. At ſacræ Con-

„ gregationis authoritate Conſultores reſcribebant, procul dubio damnari eos, idque pœnis æternis, de quibus quæſtio inſtituta erat, nec illam turpiſſimam ignorationis Dei excuſationem admittebant. Alexander vero VIII. recentiſſimo edicto die 24. Auguſti 1690. decernebat hoc, *Temerarium, piarum aurium offenſivum, atque erroneum*, ſi dicatur, *peccatum Philoſophicum quantumvis grave, in eo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſſe grave peccatum, ſed non eſſe offenſam Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum*. Quo Decreto nihil ſublevati ſumus, ſi ab ipſa Urbe a tantæ dignitatis viro portentoſa doctrina non tantum ad Sinenſes, ſed etiam ad omnes reipublicæ Chriſtianæ Provincias diffundatur. Sic enim duo invaleſcerent; primum, ut eſſent omnino impeccabiles, qui ſumme, & invicte, ſiquidem id fieri poſſet, ignorarent Deum; alterum, ut ea ignorantia ad gratiam, non autem ad peccati graviſſimam pœnam pertineret. Quæ duo ab errore defendi non poſſunt. Neque enim fieri poteſt, ut innocens coram Deo ſit, qui extincta licet cogitatione Dei, rectæ rationis, & conſcientiæ lumen a Deo exoriens ſpernit. Neque item fieri poteſt, ut non ſit contumelioſus in Deum, qui rectæ rationi, cujus Deus author, & vindex eſt, infert injuriam. De pœnarum vero per hanc ignorantiam ſublata æternitate quod ſentiunt, non advertunt, pœnarum æternitas a qua radice profluat. Nempe, ut ait S. Gregorius Magnus anteceſſor veſter: *Vellent mali ſine fine vivere, ut poſſent ſine fine peccare*: quippe qui felicitatem, ac finem ultimum in prava delectatione præfigunt. Neque vero quiſquam eſt, qui non æternum eſſe velit id, quo ſe beatum putat. Ineſt ergo cuicumque mortali peccato quædam concupiſcentiæ æternitas, atque (ut ita dicam) immenſitas, cui profecto Deum tota ſua infinitate, atque æternitate, ac ſanctitate adverſari neceſſe ſit. Ergo mortale quodcumque peccatum, contra legem etiam naturalem habet aliquid, quod æternam iram provocet. Unde quocumque peccato rectam rationem læſeris, exurgit ille ultricis conſcientiæ ſtimulus, ille *vermis* interior, qui, teſte Chriſto, *non moritur*; cujus adeo immortale virus, morſus indefeſſus; quod ſupplicii genus qui extinguendum putat, Evangelio contradicit. Vermem autem illum profecto comitatur ſempiternus ignis, a quo ſi impios illos exemeris, erit non modo parvulis, verum etiam adultis Deum neſcientibus a ſempiterno igne ſeclusus aſſignandus locus, nec in ſiniſtra erunt perditi ac ſcelerati, qui Deum neſciunt, ejuſque ignoratione multati, nec a præteritis peccatis expedire ſe poſſunt, & in nova proruunt. Non ergo impeccabiles, qui legem naturalem, quam ſciunt, non impune contemnunt, nec, ſi vel maxime ſint impeccabiles, id beneficii loco conſequentur, etſi enim gratia eſt, non poſſe peccare in bona voluntate firmatos, non proinde gratia, ſed peccati eſſet pœna graviſſima, peccare non poſſe, eo quod ignorarent Deum; quo nihil eſt miſerius, & æternæ damnationi propius. Hoc autem ſupplicamus, Beatiſſime Pater, ut perpendatis voces: *Ergo cum hac ignorantia impeccabiles redderentur alioquin certiſſime peccaturi ſi agnoſcerent, ſequitur hoc ipſum beneficium eſſe juxta illud Apoſtoli: Melius enim erat illis non agnoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato*. Hoc nempe ſupererat ad erroris cumulum, ut qua lege Dei, & gratia perverſi, & ingrati abutimur, ſubtractio legis, & gratiæ non pœnæ, quod ſemper Eccleſiæ viſum eſt, ſed gratiæ, & beneficio imputetur. Quæ mala inde proveniunt, Beatiſſime Pater, quod Scripturas divinas velut verſatiles ad arbitrium flectant: quod cæcis affectibus, & inanibus ratiunculis delectati, Patribus non auſcultent, malintque comminiſci falſa, quam tantis viris docendos ſe tradere. Quæ niſi claro, certoque judicio ab Eccleſia Dei propulſetis, omnia collabaſcant: Romam, quod Deus avertat, ſuis favere, non modo adverſarii, verum etiam pii ſaltem infirmi conclament, ac laſcivia ingeniorum magis incitata, quam compreſſa eſſe videatur. Sed hoc a veſtris temporibus procul abeſſe, & veſtri Pontificatus claritudo, & ab ore veſtro per totam Eccleſiam pervulgatæ voces docent. Itaque ſupplicamus, ut poſt illas præcipuas propoſitiones, hanc quoque Sanctitas veſtra diſpiciat: *Poſt promulgatum Evangelium, an fides explicita in Chriſtum omnino neceſſaria ſit, diſputant Theologi: Si tamen admittamus neceſſariam eſſe, dicendum eſt, &c.* quæ a Chriſtianorum ſcholis longe abigenda ſunt, ne ſub dubio relinquatur, an ſine Chriſti nomine credito, & invocato ſalvus

„ eſſe

„ esse quis possit, dicente Domino: *Qui credit in illum,* „ *non judicatur*, medio justificationis invento, *qui au-* „ *tem non credit in illum, jam judicatus est*, relictus „ ipse sibi, nulloque novo judicio propria, & præce- „ dente iniquitate mersus. Postremo Pater Sanctissime, „ quod ad universi libri pertineat scopum, illud vel ma- „ xime Apostolicæ Sedi, quam Beatus illustras, insi- „ nuandum putamus, ne vestra sinat Sanctitas defini- „ tionem Prædestinationis infringi eam, quam vester „ Augustinus tradidit, ut nempe *sit præscientia*, & „ *præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberan-* „ *tur quicumque liberantur:* Hanc enim definitionem „ prædestinationis omnibus gentibus prædicandam idem „ Augustinus iterum, iterumque commendat. Hac *præ-* „ *paratione beneficiorum Dei* fieri confitetur, ut omnes „ prædestinati singulari, & gratuita dilectione serventur, „ qui fons Christianæ humilitatis, ac pietatis est. Hujus „ prædestinationis veritatem *semper fuisse in Ecclesiæ fi-* „ *de*, ac de ea *neminem umquam nisi errando disputare* „ *potuisse*, & idem Augustinus affirmat, & Sanctis „ Pontificibus Cælestino, & Hormisda pronuntianti- „ bus, Ecclesia Romana suscepit, & nostro quoque „ sæculo Cardinalis Bellarminus, *non ad opinionem*, „ *sed ad Ecclesiæ Catholicæ fidem pertinere*, asserit; „ quam tamen catholicam veritatem nodi dissolutor „ tacet, atque hujus prædestinationis definitionem im- „ mutat: supponit aliam Sancto Augustino ignotam, „ quæ vim singularis atque gratuitæ dilectionis, ac be- „ neficiorum præparationis obscuret. Quamquam enim „ eam non semel agnoscit, sic tamen rem involvit dictis, ut nihil magis vereri videatur, quam ne „ electos majori, quam reprobos, beneficio affectos esse „ constet, quod nec Molinæ Sectatores inficiati sunt. „ Sic Ecclesiæ Romanæ de singulari, & gratuita dile- „ ctione electorum, aut omnino quatitur, aut saltem „ vacillat fides; quæ si authoris verbis affirmare niti- „ mur, huc nempe totus liber transferendus fuit. Ne- „ que plura memoramus, cum ea a Vobis perpensa, „ & annotata, vestra egregia ad vicinos Belgas Decre- „ ta demonstrent: nobis certe sufficit ad vestrum Apo- „ stolatum detulisse ea, quæ veritatem læderent, ac „ Patrum laudare sententias, quas majore gratia de „ Petri Cathedra prædicatis. Plures Episcopi subscri- „ psissent, nisi pauci sufficerent, ut ne ambitiosius, „ quam modestius agere videremur. Cæterum memini- „ mus a san. Innocentio I. non modo Synodicas, sed „ etiam quinque Episcoporum litteras, paterno animo „ esse susceptas, atque ab Innocentio XII. paria expe- „ ctari oportere, tanti Pontificis æquitas, ac paterna „ benignitas facile persuadet. Subscripsimus

Beatissime Pater

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimi, ac Devotissimi Servi ac Filii

Carolus Mauritius Arch. Dux Remensis
Ludovicus Antonius Arch. Parisiensis
J. Benignus Episc. Meldensis
Guido Episc. Atrebatensis
Henricus Episc. Ambianensis.

Parisiis VII. Kalendas Martii Anno 1697.

Et hæc erat inscriptio: Sanctissimo Domino, Domino Nostro Innocentio Papæ XII.

His Episcopis hac Brevi Epistola respondit Romanus Pontifex

INNOCENTIUS XII.

„ VEnerabiles Fratres salutem & Apostolicam Be- „ nedictionem. Litteras vestras VII. Kalend. „ Martii proxime præteriti ad nos datas, grato animo „ accepimus. Ex iis enim vigilem ac Sacerdotalem ze- „ lum, quo sacros Antistites in partem sollicitudinis „ nostræ vocatos flagrare maxime decet, in vobis vige- „ re, vosque priscam erga hanc Sanctam Sedem, cui „ Nos, licet immeriti, præsidemus, debiti obsequii „ gloriam constanter retinere deprehendimus; dum anti- „ quæ traditionis exempla servantes, & Ecclesiasticæ „ memores disciplinæ, ad locum, quem elegit Dominus, „ asce- distis, ac ea, quæ in libro posthumo bon. me- „ moriæ Cælestini S. R. E. Card. Sfondrati de divina „ Prædestinatione nuper edito, reprehensione digna vo- „ bis visa sunt, ad nostrum Apostolatum, eo ferme „ tempore, quo variæ doctorum hominum de eodem „ libro sententiæ etiam per Urbem ferebantur, detuli- „ stis, nostrum hac in re judicium, ea, qua par est, „ reverentia deposcentes. Officii itaque nostri esse du- „ ximus, librum ipsum, resque a vobis in eo adnota- „ tas, insignium Theologorum discussioni committere, „ ut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis, „ quod justum fuerit, subinde decernere valeamus: non „ alia profecto, quam crediti nobis divinitus Minis- „ rii partes, sicut oportet, implendi habita ratione: „ quod ut etiam in aliis omnibus, quæ ad onerosam „ Apostolici muneris nostri curam pertinent, salubriter „ exequi possimus, jugibus fraternitatum vestrarum apud „ Patrem luminum precationibus, infirmitatem nostram „ juvari vehementer optamus, vobisque Apostolicam „ benedictionem peramanter impertimur. Datum Ro- „ mæ apud S. M. Majorem sub Annulo Piscatoris die „ sexta Maji Pontificatus nostri anno sexto.

Signatum,

Marius Spinula.

Nulla hucusque edita est censura in Opus Sfondrati, quem nodi prædestinationis intricatorem potius, quam extricatorem docti Theologi appellarunt.

Sed anno MDCC. Galliarum Episcopi in Palatio Regio San-Germano congregati, insignem censuram atque declarationem in materia fidei & morum ediderunt, qua grande vulnus, extremumque in Gallia Casuistis fatum inlatum fuit. Censuræ præmissa hæc sunt: „ Reli- „ gionem Christianam fide & moribus constare, dogma- „ tum autem tum fidei, tum morum eundem esse fon- „ tem, ac bene vivendi regulam ad ipsum fidei caput „ pertinere, Ecclesia Catholica semper intellexit. Nec „ minus certum est, illud omnino esse depositum, quod „ a Christo & Apostolis Episcopi horum successores „ ad finem usque sæculi custodiendum susceperunt. Cum „ igitur hisce temporibus fides dogmatum, & regula „ morum vitæque christianæ variis erroribus impetatur, „ ac resecta licet mala subinde repullulent; nos Car- „ dinales, Archiepiscopi, & Episcopi, permissione Re- „ gia in Palatio San-Germano congregati, assistentibus „ aliis Ecclesiasticis viris nobiscum deputatis, loci no- „ stri memores, atque Antecessorum nostrorum in Co- „ mitiis quoque Generalibus monitis & exemplis per- „ moti, his Ecclesiæ laborantis incommodis occurrere, „ quantum Dominus ex alto concesserit, omni ope de- „ crevimus; atque unanimitatem nostram tot tantisque „ difficiis opponendam duximus, in spiritu charitatis, „ nulli personæ graves, nullis, quoad ratio temporis si- „ net, erroribus parcituri. Sane recentissime, quippe „ hoc ipso anno MDCC. prodiit huic cœtui dedicatus, „ & a censore legitimo approbatus liber, quo Tracta- „ tui, cui titulus: *Nodus prædestinationis dissolutus*, „ graves notæ inuruntur, Semipelagianismo quoque sæ- „ pius imputato. Sed cum interim in præfatione li- „ bri (nobis dedicati) quædam occurrerent, quæ Con- „ stitutionum Apostolicarum de quinque famosis propo- „ sitionibus infirmarent authoritatem, hæc & alia hu- „ jusmodi variis libellis sparsa, & ad nos delata, coer- „ cenda decrevimus; nec probatis reliquis, quæ in iis- „ dem occurrunt, neque patimur, ut spes ulla cuiquam „ supereresse possit, nostri cœtus pertrahendi in ullas ve- „ ritati contrarias partes.

„ Neque propterea tolerari volumus importunos ac „ malevolos homines, qui viris bonis doctisque & Ec- „ clesiasticæ rei studiosis, vagam & invidiosam Janse- „ nismi accusationem inferunt, eo quoque nomine quod „ morum corruptelas acriter infectentur; cum nos pro „ candore, & æquitate Episcopalis Ordinis, neminem „ pro suspecto habituri simus, nisi eum, qui aut Con- „ stitutionibus Apostolicis detrahat, aut aliquam ex da- „ mnatis propositionibus tueatur: quod etiam ab An- „ tecessoribus nostris sæpe sancitum, & Regia autho- „ ritate firmatum, & ab Optimo Maximoque Pontifi- „ ce Innocentio XII. applaudente tota Ecclesia consti- „ tutum est.

„ De Cardinali vero Cælestino Sfondrato *Nodi disso-* „ *luti* authore, quid est quod solliciti simus? Cum „ ad Sedem Apostolicam atque ad optimum vere san- „ ctissimumque Pontificem ejus causa delata sit, quam „ & Pontifex pro Apostolicæ potestatis officio judican- „ dam susceperit, & id ipse perscripserit ad quinque „ ex nostris, dato Brevi die 6. Maji sui Pontificatus „ anno sexto; quo nihil erat optatius; quare & a li- „ bro examinando nos abstinere par est; nec interim „ obliviscì doctrinæ adversus Semipelagianos a S. Au- „ gustino traditæ, quam & Ecclesia Romana suam fe- „ cit, & Ecclesiæ Gallicanæ jam inde ab initio com- „ mendavit.

„ Nunc ut ad aliud fidei caput veniamus, ad mora- „ lem scilicet Theologiam, his postremis temporibus „ prava ingeniorum licentia, ac subtilitate corruptam,

„ præ-

„ præmittenda putamus verba felicis memoriæ Alexan-
„ dri VII. quibus magno animi sui dolore testatur, *com-*
„ *plures opiniones &c.* Qua sententia non modo erro-
„ res increvisse queritur; verum etiam quod caput est,
„ adnotari voluit ipsam rei tractandæ rationem eam in-
„ troductam esse, unde videremus corruptelam morum
„ non modo secuturam, verum etiam facto velut impe-
„ tu irrupturam, quam vix cohibere possimus.

„ Neque vero satis fuit Sanctissimo Pontifici novam
„ hanc methodum ludificandæ conscientiæ, & involven-
„ dæ veritatis, hoc est ipsum mali detexisse fontem,
„ sed exitiabilis doctrinæ rivulos infectatus, complures
„ propositiones, *ut minimum tanquam scandalosas* (non
„ probatis aliis quæ occurrere possent) *sub interminatione divini judicii, atque excommunicationis pœna, a*
„ *qua nemo posset, præterquam in articulo mortis, nisi*
„ *a Romano Pontifice absolvi, damnavit & prohibuit.*
„ Quod salubre opus Innocentius XI. pro sua pietate
„ prosequutus plures alias parique doctrinæ ac dili-
„ gentiæ laude selectas (nec probatis cæteris) sub iis-
„ dem pœnis damnavit & prohibuit; dumque eas o-
„ mnes *ut minimum tanquam scandalosas, & in praxi*
„ *pernicioſas damnandas statuit & decrevit*, non tan-
„ tum a libris, ac prædicatione, sed ab omni etiam vi-
„ ta christiana procul amandandas judicavit.

„ Atque utinam Sanctissimi Pontifices Decretorum
„ formulis antiquo, ac nostro usu receptis, quæque ad
„ universas Ecclesias pertinerent, infandam doctrinam
„ proscripsissent! Sed dum expectamus, fore ut tantum
„ opus more majorum & canonico ordine perficiant;
„ nos interim Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi in
„ unum congregati, ne dirum virus serperet, has pro-
„ positiones a prædictis Pontificibus, uti memoravimus,
„ applaudente toto Orbe Christiano condemnatas, ea-
„ rum præcipue expresse adnotatis, primum, ut magis
„ in promtu essent, ad certa capita redigendas, tum
„ censorie notandas, & ad ampliorem Cleri, & chri-
„ stianæ plebis informationem suis quasque censuris con-
„ figendas esse duximus.

„ Sed enim incredibile dictu est, ex pessimis princi-
„ piis, tota licet Ecclesia reluctante, quanta malorum
„ incrementa provenerint; subtilioribus ingeniis in id u-
„ num intentis, ut eo quisque se, vel maxime Theo-
„ logum videri velit, quo plura hujusmodi inventa in
„ probabilitatis authoritatem adduxerit. Verum hæc
„ constabilire, aut per eam speciem mentes infirmorum
„ in falsam & noxiam securitatem inducere, nihil est
„ aliud, quam animas perdere, ac *doctrinas & mandata*
„ *hominum*, vanasque traditiones, exemplo Pharisæo-
„ rum, divini mandati loco obtrudere. Quare tot er-
„ rorum experientia victi, necesse habuimus ipsam ma-
„ lorum radicem exscindere, eam scilicet opinandi ra-
„ tionem, quæ ignota SS. Patribus, tanta de rebus
„ maximis dissidia peperit, ut iisdem in Parochiis, iis-
„ dem in templis passim cerneremus ab aliis teneri &
„ ligari, quæ ab aliis solverentur, ac plebem christia-
„ nam in varia atque incerta discerpi, nec scire quibus
„ credat; magno dedecore Ecclesiasticæ authoritatis,
„ magnaque aperta janua ad salutis incuriam, & in-
„ differentiam, quam vincere non Episcopi singulares,
„ sed sola Episcopalis unanimitas & authoritas possit,
„ dicente Apostolo: *Obsecro vos fratres, ut id ipsum di-*
„ *catis omnes, & non sint in vobis schismata.* Se-
„ quuntur autem damnatæ propositiones, nec probatis
„ aliis propositionibus, aut erroribus, quos præ angu-
„ stia temporis prætermisimus".

Ne actum agere videamur, consulto abstinebimus a recensendis illis laxiorum Casuistarum opinionibus, quarum damnationem jam a Summis Pontificibus promulgatam, ut patet ex recitatis eorundem decretis, denuo ediderunt Gallicani Præsules in censura hoc an. MDCC. in vulgus emissa. Hæc complectitur viginti septem supra centum propositiones, quarum duntaxat aliquas heic subjiciemus, illis omnino prætermissis, quas ex Pontificiis Decretis jam recensuimus. Itaque Cap. I. De observandis Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutionibus circa quinque ex libro Jansenii decerptas propositiones, quatuor hasce adsertiones proscripserunt.

1. *Jam tandem Ecclesiæ & Regnorum Principes ex hoc clarissimo argumento agnoscant, phantasma Janseni*ſ*mi ubique quæsitum, sed nusquam repertum, præterquam in laborante quorundam phantasia.*

II. *Constitutione Innocentii X. nihil aliud actum, quam ut renovarentur, atque exacerbarentur disputationes . . . . . In eandem viam pertractus est Alexander VII. ut homo ab hominibus facile impellendus in eas res, quæ parum ejus officio convenirent . . . . . Innocentius quoque XII. cum ex officio teneretur claram proferre sententiam, generalibus æquivocisque verbis adhibitis dat locum existimandi, se non ausum esse clarius loqui, tanquam errare metuentem . . . . . Atque illud in sensu* obvio, *ejusdem Pontificis magis adhuc generale est, & vagum, quam verba Alexandri VII.* in sensu a Jansenio intento. *Episcopi denique Gallicani libertates Ecclesiæ Gallicanæ sub earum asserendarum specie labefactarunt, super recipienda Constitutione Innocentii X. contra Jansenium.*

3. *Aliquam huic malo medicinam attulisse videbatur Innocentius XII. in Brevi suo 6. Febr. 1694. Verum mitigationem illam præsumptam non parum extenuavit Brevi 24. Novemb. 1696. ubi Pontifex diserte negat Constitutionem aut formularium Alexandri VII. Brevi suo alterata, aut reformata . . . . . in aliqua minima ejus parte . . . . . Nec placet eorum opinio, quæ ex ipso Brevi primo 6. Febr. 1694. edito, aliquid mitigationis circa factum tentavit exculpere . . . . . Sed & nihilo majorem in quæstione juris progressum factum esse, jam quoque convenit ostendere.*

4. *Circa condemnationem* Augustini *Jansenii opus esset collatione Regulari habita, vel coram judicibus a Romano Pontifice, vel a Rege datis . . . . . Nondum omnes interierunt, qui sciunt deliberationes (de Jansenia-no negotio) quas nunc Episcopi, ut regulas suarum hodiernarum deliberationum (circa novum Quietismum) sumunt, Cleri Gallicani æternum fore propudia.*

CENSURA.

„ Hæ quatuor propositiones, quibus inquieti homi-
„ nes Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutiones,
„ Innocentii quoque XII. Brevia æquissima, & ab o-
„ mnibus approbata, aperte contemnunt, Episcopos
„ Gallicanos rebus judicatis adhærentes incessunt ma-
„ ledictis, & caussam hanc de integro retractari postu-
„ lant, tanquam tot Constitutionibus Apostolicis, etiam
„ accedente Ecclesiarum consensione, causa nondum fi-
„ nita fuerit, falsæ sunt, temerariæ, scandalosæ, con-
„ tumelioſæ in Clerum Gallicanum, Summos Pontifi-
„ ces, & in universam Ecclesiam, schismaticæ & er-
„ roribus condemnatis faventes.

Cap. II. *De Gratia.* 1. *Axioma illud theologicum facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, non solum verissimum est, atque doctrinæ Scripturæ, Conciliorum & Patrum maxime consentaneum, verum etiam per illud significatur obligatio, quam Deus habet dandi gratiam facienti, quod in se est, nec solum facienti, quod est ex se viribus gratiæ, sed etiam illi, qui cum non habeat gratiam, facit quod est in se viribus naturæ.*

2. *Quia tamen opera viribus solius naturæ elicita omnino sterilia sunt, atque incapacia merendi dona intrinsece, & theologice supernaturalia; ideo dicimus obligationem, quam Deus habet, conferendi gratiam facienti, quod est in se viribus naturæ, seu viribus gratiæ pure naturalis, sive non theologice supernaturalis, non oriri ex bonitate talium operum, aut ex ullo merito sive condigno sive congruo, quod insit in illis operibus in ordine ad gratiam; sed ex pacto inter Christum fidejussorem nostrum & Patrem inito, ad gratiam hominibus conferendam propter Christi merita; respiciendo ea naturalia opera, ut purum terminum, non ut meritum ullum aut rigorosam conditionem.*

Duas hasce propositiones Semipelagianismum instaurantes hac censura notarunt Gallicani Præsules: „ Hæ
„ duæ propositiones, qua parte causam discernendi in-
„ ter justos, & non justos, in opera mere naturalia
„ referunt, Semipelagianismum instaurant, mutatis tan-
„ tum vocibus. Pactum autem, quod inter Deum &
„ Christum asseritur, commentum est temerarium, er-
„ roneum, nec solum tacente, sed etiam adversante
„ Scriptura, & SS. Patrum traditione prolatum.

Cap. III. *De Motivis credibilitatis.* 1. *Religio Christiana est evidenter credibilis; nam evidens est prudentem esse quisquis eam amplexatur: non evidenter vera; nam aut obscure docet, aut quæ docet obscura sunt. Immo qui ajunt Religionem Christianam esse evidenter veram, fateantur necesse est, falsam evidenter esse. Infer hinc evidens non esse:* 1. *Quod existat nunc in terris aliqua vera religio; unde enim habes, non omnem carnem corrupisse viam suam?* 2. *Quod omnium quæ in terris existunt, veræ simillima sit Christiana: an enim terras omnes aut peragrasti, aut peragratas ab aliis esse nosti? Tertio quod & Apostolis & dæmonibus manifesta fuerit divinitas Christi; id enim si doces, docere te oportet Christum manifeste Deum esse. Quarto quod afflante Deo fusa sint oracula Prophetarum; quid enim opponas, si vel negem illa mihi fuisse vera vaticinia, vel affirmem fuisse conjecturas? Quinto, quod vera fuerint, quæ a Christo edita fuisse commemorantur miracula; quamquam negare hæc nemo prudens potest.*

CENSURA.

„ Doctrina hac propositione contenta, impia est, „ blasphema, & inimicis Christianæ Religionis fa„ vet.

Cap. XIX. *De dispositionibus, & absolutione Pœnitentis*, hæ duæ eliminantur propositiones præter alias.

1. *Attritio ex metu gehennæ sufficit, sine ulla dilectione Dei, sive sine ullo ad Deum offensum respectu; quia talis honesta, & supernaturalis est.*

CENSURA.

„ Hæc propositio, qua a dispositionibus necessariis ad „ absolutionem excluditur quilibet ad Deum offensum „ respectus, temeraria est, scandalosa, pernicios, & „ in hæresim inducit.

2. *Concilium Tridentinum adeo expresse definivit, attritionem, quæ non vivificet animam, quæque supponatur sine amore Dei esse, sufficere ad absolutionem, ut anathema pronunciet adversus negantes.*

CENSURA.

„ Hæc propositio falsa est, temeraria, Concilio Tri„ dentino contraria, & in errorem inducit.

Cap. XXV. *De obduratis. Si peccatores consummatæ malitiæ, cum blasphemant, & flagitiis se immergunt, non habent conscientiæ stimulos, nec mali, quod agunt, notitiam, cum omnibus Theologis propugno eos hisce actionibus non peccare.*

CENSURA.

„ Hæc propositio falsa est, temeraria, pernicios, „ bonos mores corrumpit, blasphemias aliaque peccata „ excusat, & ut talis a Clero Gallicano jam damna„ ta est.

Cap. XXX. *De Regula morum & probabilitate* hæc e Guimenio sententia proscripta est: *Puto omnia esse hodie melius examinata, & hanc ob rem in omni materia, & præcipue in morali libentius juniores quam antiquiores lego & sequor . . . . . doctrina fidei a veteribus, doctrina morum magis a junioribus petenda.*

CENSURA.

„ Hæc propositio temeraria est, scandalosa, pernicio„ sa, erronea, SS. Patribus & antiquis Doctoribus con„ tumelios; spreta in moribus christianorum compo„ nendis necessaria Scripturarum, ac Traditionis au„ thoritate & interpretatione, Moralem Theologiam „ arbitrariam facit, viamque parat ad humanas tradi„ tiones & doctrinas, Christo prohibente, stabiliendas.

Plures alias Casuistarum opinationes hujusce anni 1700. Clerus Gallicanus in Generalibus Comitiis confixit: sed propositas speciminis quasi loco exhibuisse satis fuerit. Has porro aliasque censuras Declaratio consequitur *de Dilectione Dei in Pœnitentiæ Sacramento requisita*, quæ haud est prætermittenda, quemadmodum & altera *de opinionum probabilium usu*. Sic itaque Patres de duobus hisce gravissimis Christianæ Theologiæ capitibus disserunt. *Post absolutas propositionum censuras, superfunt quædam pro rei gravitate enucleatius exponenda, & ab ipsis principiis in apertam lucem deducenda. Et quidem de dilectione Dei, sicut ad Sacramentum Baptismi in adultis, ita ad Sacramentum Pœnitentiæ, quæ est laboriosus Baptismus, requisita, ne necessariam doctrinam omittamus, hæc duo in primis ex sacrosancta Tridentina Synodo monenda & docenda esse duximus. Primum ne quis putet in utroque Sacramento requiri, ut præviam, contritionem eam, qæ sit charitate perfecta, & quæ cum voto Sacramenti*, antequam actu suscipiatur, hominem Deo reconciliet. *Alterum ne quis putet in utroque Sacramento securum se esse, si præter fidei & spei actus, non* incipiat diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem. *Neque vero satis adimpleri potest utrique Sacramento necessarium vitæ novæ inchoandæ ac servandi mandata divina propositum, si pœnitens primi ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat, nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum, divina opitulante gratia, se se excitet ac provocet. Placet etiam caveri a Sacramenti Pœnitentiæ administris, ne in hoc pœnitentiæ Sacramento, aliisque* Sacramentis conferendis sequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; *neve pœnitentes ipsorum fidei animam suam committentes admonere cessent, ut in pœnitendo inchoatæ saltem dilectionis Dei ineant viam, quæ sola secura sit, graviter peccaturi in hoc salutis discrimine* vel eo solo, quod certis incerta præponant.

De usu vero opinionum probabilium sic statuunt. *Absit vero ut probemus eorum errorem, qui negant* licere sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam; *sed ad rectum usum probabilium opinionum, has regulas a jure præscriptas agnoscimus. Primum ut in dubiis de salutis negotio, ubi æqualia utrinque animo se se offerunt rationum momenta, sequamur id quod tutius, sive quod est in eo casu unice tutum. Neque id consilii, sed præcepti loco habeamus, dicente Scriptura*: Qui amat periculum, peribit in illo: *hæc prima regula. Altera, ut circa probabiles de Christiana doctrina sententias sequamur id, quod Viennense Œcumenicum Concilium circa infusas tam parvulis, quam adultis in Baptismo virtutes decrevit his verbis*: Nos *hanc* opinionem . . . . . tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum ac Doctorum Modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem . . . . . duximus eligendam. *Quod Concilii judicium eo magis ad regendos mores pertinere constat, quo magis ex ipsis fidelium sanctitas ac salus pendet. Ex hac igitur regula fit consequens; primum ut in rebus theologicis ad fidei & morum dogmata spectantibus, Theologos quidem etiam modernos audiamus, si tamen consonas Sanctis Patribus tradant sententias. Deinde, ut si ab eis recedant, harum opinionum inhibeatur cursus, nedum earum aliqua ratio habeatur, ac ulla eis tribuatur authoritas. Denique ut nemini liceat eligere eam sententiam, quam non veritati magis consonam duxerit. Quod ergo in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi ut probabiliorem eligendam judicemus, hoc novum, hoc inauditum, hoc certis ac notis Authoribus postremo demum sæculo proditum, & ab iisdem pro regula morum positum, repugnat huic effato a Patribus celebrato*: Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus; *nec habere potest Christianæ Regulæ securitatem. Hoc initium malorum esse, atque omnium antedictarum corruptelarum caput & doctrinæ consecutio, & series temporum ostendit. Hoc ab Antecessoribus nostris, viris fortibus ac religiosis, censorie notatum, hoc sæpe reprehensum, hodieque reprehendi, nullo incusante, immo bonis probantibus, diffiteri nemo potest. Nos quoque iis de causis, has novas sententias in salutis negotio periculosas, re diligenter inspecta, summa ope caveri, ac prohiberi oportere censuimus, ac censemus. Placeat autem illa prudentia, ut ante omnia custodiamus & in tuto collocemus id quod unum est necessarium* Luc. cap. X. *fiatque illud Dominicum Matth. X.* Estote prudentes sicut serpentes, *qui protecto, quod præcipuum est, capite sibi consulunt: neque quisquam in dubio salutis ad actum prosiliat, nisi ipso dubio non ad nutum voluntatis, aut ex cupiditatis instinctu, sed ex recta ratione deposito, dicente Scriptura*: Rationabile obsequium vestrum *Epist. ad Rom. c. 12. & iterum*: Sapiens timet & declinat a malo, stultus transilit & confidit *Proverb. cap. 19. Postremo audiatur Apostolicum illud*, Omnia probate, quod bonum est tenete *Epist. ad Thess. cap. 5. & iterum*, Omne quod non est ex fide, *id est ex conscientia, sive ex persuasione*, peccatum *Epist. ad Rom. cap. 14. Denique ut ait idem Apostolus Paulus*, Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, *non aliorum, sed ipsorum & sua.*

Declarationem hanc atque Censuram Epistola Encyclica sequitur, quam iidem Præsules ad Galliarum Clerum universum transmiserunt, ut hunc ad sanioris Theologiæ tutelam, tum ad Casuistarum contemtum excitarent. Ea illam: „ Fuit is pridem decor christianæ di„ sciplinæ, quem B. Paulus cap. 4. Epist. ad Philipp. „ commendaret his verbis: *De cætero Fratres quæcum„ que sancta, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, „ si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.* Hæc enim „ est illa pulchritudo justitiæ: hoc veri studium: is „ splendor sanctitatis: hæc amabilitas morum: hæc „ christiani nominis fama, quæ ad Christum omnia „ facile pertraheret: neque aliud fuit, quo scanda„ lum Crucis, quo prædicationis stultitia magis no„ bilitari posset. Quare cum ad extrema ventum „ est tempora, in quibus decor pristinus, imminu„ ta fide, refrigescente charitate, labente disciplina „ morum corruptelis, ac denique ut fit fallacium o„ pinionum illuvie deteri videbatur; id egerunt omnes „ pii, atque ipsa præsertim Ecclesia Gallicana, ut Mo„ ralis Theologiæ veritatem vindicarent. Huic igitur „ operi ut jam vel maxime salutares admoveatis ma„ nus, & nostra judicia vestra consensione firmetis, com„ munis officii ratio, & charitatis vinculum, & Colle„ gii nostri unitas & authoritas suo quodam jure po„ stulant. Et quidem doctissimæ ac celeberrimæ Theo„ logicæ Facultates, maxime vero Parisiensis cum Lova„ niensi conjuncta, etiam interrogantibus Episcopis, „ pro officio suo glisscentem novandi libidinem represse„ runt.

„ runt . Compresbyteri quoque noſtri Parochialium „ Eccleſiarum rectores, cæterique Doctores in ampliſſi- „ mis civitatibus conſtituti, ad noſtra uſque tempora „ non ceſſarunt exaltare vocem ſuam in plateis Sion , „ atque Epiſcopos in altiore ſpecula collocatos aſſiduis „ efflagitationibus incitarunt ; qui quidem eorum voci- „ bus, & ipſa rei neceſſitate commoti, pro loci ſui au- „ thoritate valentiore manu *gladium ſpiritus* aſſumſe- „ runt, *quod eſt verbum Dei* ad diſrumpenda *cervica- „ lia & pulvillos* inani arte conſutos *ſub omni cubito „ manus*, ne infelices animæ in morte obdormiſcerent, „ ac per falſæ pacis ſomnium ad æterna ſupplicia rape- „ rentur . Neque tantum fratres noſtri, Apoſtoli Ec- „ cleſiarum, gloria Chriſti in ſuis quiſque Diœceſibus „ aſcenderunt ex adverſo, ſed & plenitudo exercitus I- „ ſrael, ipſi nempe Conventus Cleri Gallicani, in Chri- „ ſti nomine rite adunati, de fide & moribus ediderunt „ præclara Conſtituta, graveſque Cenſuras, quarum haud „ exiguam partem commemorandam repetendamque cen- „ ſuimus . Nec tacere poſſumus, Religioſiſſimi Patres, „ memorabilem ſententiam, qua maximus & doctiſſi- „ mus Cœtus anno 1655. & ſequentibus, Pariſiis con- „ gregatus graviſſimo judicio ſuo damnavit perverſam , „ ac falſi nominis ſcientiam, qua inſtructi homines *non „ jam accommodarent mores ſuos ad Evangelicæ doctri- „ næ normam, ſed & ipſam potius regulam, ac ſancta „ mandata ad cupiditates ſuas inflecterent & detorque- „ rent, novaque inani philoſophia Chriſtianam diſcipli- „ nam in academicas quæſtiones, ac dubias fluctuan- „ teſque ſententias verterent* . Hæc illi; qua ſententia „ verſatilem illam ac noxiam opinionum flexibilitatem, „ hoc eſt ipſum mali caput conterebant . Illud vero „ judicium, S. Caroli Borromæi commonitionibus ad „ Miniſtros pœnitentiæ datis præfixum ad Collegas ſuos „ Eccleſiarum Gallicanarum Epiſcopos tranſmiſerunt , „ ac deplorata ſæculi cæcitate id quoque indoluerunt , „ quod in ipſo Comitiorum exitu oppreſſi negotiis, con- „ grua medicina graſſantes morbos propellere non po- „ tuerint . Quibus ſane verbis ea remedia non omiſiſ- „ ſe prorſus, ſed in opportuniora tempora diſtuliſſe , „ eamque provinciam ſecuturis Conventibus demandaſſe „ viſi ſunt . Hanc paternam velut hæreditatem Galli- „ cani Cleri Cœtus anno 1682. Pariſiis congregatus ex- „ ceperat ; ſed Conventu interrupto ne ſalutaris conſilii „ memoria intercideret, ſapientiſſimi Patres pravarum „ opinionum indiculum texuerunt antequam diſcederent, „ ac per Eccleſias mitti voluerunt, ut futuris Conven- „ tibus veluti digito indicarent , quid tum Gallicana „ pararet Eccleſia, aut quid a poſteris expectari par eſ- „ ſet . Ex his profecto liquet, Epiſcopis Gallicanis , „ ad Dei gloriam ſemper intentis, non animum unquam, „ ſed opportunitatem defuiſſe, quam nacti occulta qua- „ dam divini Numinis providentia, opus in manus re- „ ſumpſimus, hoc vel maxime tempore, quo fratres no- „ ſtros a fide catholica devios, maximo Rege præeun- „ te, revocare nitimur ad Eccleſiam, cum nihil ſit , „ quod magis optimi ac religioſiſſimi Principis ſtudia ad- „ juvare poſſimus, quam ſi demus operam, ut chriſtia- „ næ de moribus regulæ caſtitas & honeſtas, magis „ magiſque in dies, nec tantum decretis atque ſenten- „ tiis, verum etiam factis & executione eniteſcat ; quip- „ pe qua vel maxime ad Chriſtum omnia trahi, atque „ etiam infideles ab extremo orbe ad fidem converti ſo- „ lere diximus . Nec defuturam ſperamus Eccleſiæ la- „ boranti eam, quæ ſemper adfuit, regiam authoritatem . „ Extant noſtris temporibus (ſeu anno 1644.) Rege „ ipſo præſente, Regii Conſilii ſuprema judicia de coer- „ cendis erroribus, qui ad Eccleſiæ & Reipublicæ exi- „ tium publice docerentur, caſtigatis quoque ac repreſ- „ ſis eorundem authoribus . Neque quidquam eſt bo- „ ni utiliſque conſilii, quod Ludovici Magni tempori- „ bus non expectari poſſit ; aut eſt quidquam hujus Re- „ gni gloriæ ac ſplendori congruentius, quam ut Reli- „ gionis & diſciplinæ puritas ſanctitaſque floreat . Hu- „ jus ergo rei gratia nos in Spiritu Sancto, & in Chri- „ ſti nomine adunati, ejuſque ope freti, non tam no- „ vum opus aggredimur, quam ſancta Decreta , quo „ ad fieri potuit, colligimus, ordinamus, adhibitis notis „ certiſque principiis indicatis, quibus inſtructi coope- „ ratores noſtri Sacramentorum adminiſtri, errores ſub- „ inde in Eccleſia renaſcentes non modo perſpicere , „ verum etiam facile confutare poſſint. Hoc opus non „ tam noſtrum, quam veſtrum, veſtris quippe auſpiciis , „ veſtro ſpiritu geſtum , ſanctiſſimi & religioſiſſimi „ Conſacerdotes, veſtræ pietati, veſtræ fidei commenda- „ mus, hoc in tutela præſidioque veſtro ponimus ; hoc „ fidele depoſitum cum cæteris egregiis monumentis ve- „ ſtrorum Cœtuum componendum, & in communes Ec- „ cleſiarum uſus adhibendum relinquimus, ut in Chri- „ ſto Jeſu, quo uno confidimus Eccleſiæ Gallicanæ , „ imo etiam Catholicæ gloria inclareſcat . Valete in „ Domino . Datum in Palatio Regio San-Germano „ Kal. Octob. anni MDCC. “ .

Sic Gallicani Præſules omnem operam adhibuerunt ad reſtituendam morum diſciplinam, & ſerpentibus ac longe lateque ſe ſe fundentibus quorundam laxiorum Caſuiſtarum corruptelis veritatis & antiquitatis firmiſſimos aggeres objecerunt, peſtiferum venenum exitu ſalutari detexerunt , ac Decretis Apoſtolico Spiritu plenis populum fidelem monuerunt, ut flagitia doctrinarum ex virulento vagæ probabilitatis fonte manantia fugerent, peſtiferum ipſum fontem quam ſtudioſiſſime caverent, eoſque, qui ex eo hortulos ſuos irrigarent , adgrederentur , & debella- rent .

§. VII.

Animadverſiones in numerum ingentem errorum, quos Caſuiſtæ docuerunt .

INgentis numeri Sæculi XVII. & XVIII. Caſuiſta- rum, pravarumque opinionum cauſam redditurus vir doctiſſimus Petrus Tamburinius in Diſſertatione *de Gra- tia Chriſti* cap. XII. animadvertit quod: „ Quo magis „ minuitur efficacia divinæ Gratiæ, eo magis extolli „ oportet vires liberi arbitrii . Hinc nihil uſitatius eſt „ apud inimicos gratiæ Chriſti, quam creatæ libertatis „ magnificas ideas ingerere . Illud pro certo ſtatuunt, „ ad libertatem requiri perfectum virium æquilibrium „ inter bonum, & malum, atque in alterutram par- „ tem inclinationem ad voluntatem creatam, non ad „ Deum pertinere . Hæc humanæ libertatis idea com- „ munis eſt cum Pelagianis tum Molinianis . Hic ea „ notare ſufficiat, quæ Moliniani in eum finem requi- „ runt, ut actio dicatur libera . Itaque id pro prin- „ cipio ponunt, ut actio ſit libera, ac mihi imputari „ poſſit ad meritum, vel demeritum, opus eſſe, ut ego „ ſentiam libertatem meam relate ad illam actionem , „ quam facturus ſum . Hinc ea omnia, quæ ad inti- „ mum propriæ libertatis ſenſum excitandum ſunt ne- „ ceſſaria, ad libertatis naturam ſpectare volunt ; ut „ ſcilicet prius agnoſcam pleniſſime quid mihi agendum „ ſit ; actionem, & ipſius bonitatem , vel malitiam „ perſpectam habeam, ac ſub oculos poſitam , omneſ- „ que exploratas habeam concomitantes circumſtantias ; „ ut ſentiam me habere expeditam potentiam agen- „ di, vel non agendi ; ut determinatio prodeat ex in- „ tegra cognitione cauſæ, & ex perfecta animi indiffe- „ rentia . Si quid horum deſit, ſufficiens libertas non „ manet, cum integrum illud æquilibrium non ſit, quo „ libertatis creatæ naturam conſtitui comminiſcuntur . „ Ex quo intelligitis quare Moliniani pertinaciter tuean- „ tur neceſſariam eſſe gratiam, ut actio imputari poſ- „ ſit ad culpam . Nam gratia illuſtrationes in intelle- „ ctum immittit, excitatque ad bonum voluntatem ; „ quorum primo fit, ut integra cauſæ cognitio habea- „ tur ; altero autem, ut poteſtas æquilibrii ſervetur ad- „ verſus concupiſcentiæ oppoſitas vires, quorum alteru- „ trum ſi deſit, integra non manet libertas, quam ne- „ ceſſariam eſſe volunt, ut actio ad culpam impu- „ tetur .

„ Ex hac creatæ libertatis idea vix dici poteſt quan- „ ta errorum moles emerſerit in morum doctrina . Ge- „ neraliora tantum peſſimæ doctrinæ principia, quæ in- „ de confecuta ſunt, ac latiſſimum aditum aperuere ad „ totam Chriſtianam Ethicam diſſipandam , vobis ſub „ oculos ponam . Itaque primo ex illa libertatis no- „ tione deductum eſt, interiores animi affectiones, ac „ propenſiones nihili faciendas eſſe, cum judicare volu- „ mus de humanarum actionum pretio . Id quod di- „ cere coacti ſunt ob conſtitutum ad libertatem æqui- „ librium poteſtatis . Quilibet enim in ſe ipſo expe- „ ritur magis eſſe in ſua poteſtate conſentire, vel diſ- „ ſentire, quam ferri in aliquod objectum, vel non „ ferri . Nemo in ſe ipſo non ſentit ſe poſſe pro li- „ bito movere manum, vel non movere ; ſed eadem „ facilitate ſe non poſſe ſentit proprias animi inclina- „ tiones producere, vel deſtruere ; ex. c. odiſſe, quæ „ prius amaverat, vel amare quod oderat &c. Ergo „ quod pertinet ad interiores inclinationes animi , non „ haberi illud virium æquilibrium, quod poſtulant Mo- „ liniani , experientia docemur . Hoc & ipſi noverant ; „ ac ideo, ne quid detrimenti eorum de æquilibrio ſen- „ tentia pateretur, continuo pronunciarunt, interiorum „ animi affectionum nullam rationem haberi oportere, „ cum agitur de humanarum actionum pretio, quas ad „ ſolum explicitum voluntatis conſenſum debemus exi- „ gere . Ex quo intelligitis verum eſſe, quod non ſe- „ mel inculcavimus, in Moliniano Syſtemate, non re- „ manere niſi quandam ſuperficialem juſtitiam, exterio- „ rem ſcilicet, non interiorem, juſtitiam quandam ope- „ rum, non cordis. Quod quam abſurdum ſit, res eſt „ per-

„ perſpicua. Quamvis enim nobis non imputentur ad „ meritum, vel demeritum, niſi actiones aſſenſus, vel „ diſſenſus; dicere tamen interiores animi affectiones „ conſiderandas non eſſe, ut pretium humanarum ope„ rationum metiamur, graviſſimus error eſt. Certum „ eſt enim non facere bonos, vel malos mores, niſi „ bonos, vel malos amores. Hinc interiorum animi „ affectionum complexio fœcunda illa radix eſt, ex „ qua germinant fructus decoris, & honeſtatis, ſi „ rectus ſit amor animi; fructus autem mortis, ſi „ regnet prava cupiditas. *Pondera operum* (ait S. „ Gregorius Magnus) *charitatis lance penſantur*. „ Quamobrem amores animi in valorem ac pretium o„ perum influunt. Vel ipſe voluntatis conſenſus in bo„ num bonitatem ſuam trahit, eoque majorem, vel mi„ norem a majori, vel minori charitatis affectu; ſicut „ & malitiam ſuam haurit conſenſus in malum ex pra„ va animi cupiditate, eoque majorem, vel minorem „ pro majori, vel minori, quo in malum ferimur, ani„ mi impetu. Quare licet charitas, atque cupiditas, „ quatenus ſunt præciſe propenſiones in bonum, vel ma„ lum, non ſint opera, in quæ cadat meriti, vel de„ meriti ratio, ſunt tamen operum radices, & princi„ pia, quæ in fructus tranſmittunt bonitatem, vel ma„ litiam. *Nam & Dominus* (inquit Auguſtinus in lib. „ de Gratia Chriſti cap. 28.) *nec arborem bonam di„ cit poſſe facere fructus malos, nec malam bonos; & „ Apoſtolus Paulus cum dicit radicem malorum omnium „ eſſe cupiditatem, admonet utique intelligi radicem „ bonorum omnium charitatem. Unde ſi duæ arbores, „ bona & mala, duo ſunt homines, bonus & malus, „ quid eſt bonus homo, niſi voluntatis bonæ, hoc eſt ar„ bor radicis bonæ? Et quid eſt homo malus, niſi vo„ luntatis malæ, hoc eſt arbor radicis malæ? Fructus „ autem harum radicum, atque arborum facta ſunt, „ dicta ſunt, cogitata ſunt, quæ bona de bona volun„ tate procedunt, & mala de mala*. Quis ergo non „ intelligit, ſi interiorum animi affectionum ratio nul„ la habenda ſit, ut de pretio operum judicemus, cum „ virtutum, tum vitiorum radicem, atque principium „ penitus extirpari? Quid ergo mirum, quod qui falſis „ iis ideis imbuti ſunt, ſimulacra virtutum magis, quam „ veras virtutes, juſtitiæ phantaſma potius, quam ve„ ram juſtitiam venditent, peccatorum malitiam mi„ nuant, atque in Sacramento Pœnitentiæ nihil, vel „ parum de interiori morbi ſede ſolliciti exteriora tan„ tum curare ſatagant, animum vero ſanare negligant? „ Sed ex conſtituto æquilibrii principio illud etiam „ peſtiferum corollarium profluxit de ignorantia univer„ ſim excuſante a peccato, quod adeo Caſuiſtæ ampliа„ runt, ut nihil tam inhoneſtum, tam flagitioſum, „ tam turpe ſit, quod ignorantiæ privilegio non excu„ ſaverint. Et re quidem vera ſi ad libertatem ea re„ quiruntur, quæ ſupra requirere Molinianos animad„ vertimus, ſi quid eorum deſit, ſufficiens libertas non „ erit ad vitanda peccata. Hinc actio non poterit ad „ culpam imputari. Si quis ergo neſciat actionem a„ liquam eſſe prohibitam, vel per ignorantiam putet „ eam eſſe bonam, etiamſi ea fuerit juris naturalis, „ vel hic, & nunc actu non advertat ad malitiam a„ ctionis, non habet libertatem Molinianam; ergo ſi „ eam ponat, nec culpam incurret, nec pœnam mere„ bitur. Sed hujus doctrinæ impietatem vobis ſub ocu„ los ponam verbis P. Caroli Antonii Caſnedi in li„ bro, cui titulus *Criſis Theologica* &c. qui ſuam „ ſententiam ita explicat: *Omnis ignorantia*, ait ille, „ *vel error ſive juris, quodcumque illud ſit (nempe „ ſive naturalis, ſive divini, ſive poſitivi, ſive huma„ ni) ſive facti, antecedens, aut conſequens ad pec„ catum tam originale, quam actuale, cujus expellen„ dæ nulla hic & nunc advertatur obligatio, excuſat „ ſemper a peccato actionem, aut omiſſionem ad illam „ ſequentem*. Cujus rei rationem adducit, quod nem„ pe qualitas actus, ait, quoad honeſtatem, & inho„ neſtatem, quoad gravitatem, vel levitatem, pendet „ ab objecto, ut per conſcientiam propoſito, ſive ea „ conſcientia ſit ſpeculative vera, ſive falſa; & ideo „ qui putat omne mendacium eſſe mortale, peccat „ mortaliter; qui putat ne eſſe quidem veniale, nec „ venialiter peccat. At enim ſi mendacium erit in ejuſ„ modi circumſtantia? Reſpondet ille. Mendacium, „ honeſtum a creatura creditum, honeſtum eſt. Ergo „ ne etiam erit meritorium? Quid ni? Reſpondet idem „ Auctor, hanc generalem regulam præſcribendo. Quo„ ties ignorantiæ moraliter invincibili prohibitionis, & „ malitiæ jungitur error invincibilis de honeſtate obje„ cti, aut de præcepto actionis, toties opus ſub ea „ ignorantia, & errore licitum eſt, honeſtum, & me„ ritorium, ſi cætera adſint. At enim quid quæſo re„ quiritur in eum finem, ut actio prava, & per ſe „ mala meritoria fiat? Scilicet ut ea apprehendatur ut „ bona dictamine conſcientiæ reflexo. Hæc autem re„ flexa dictamina in nobis dari pro certo ponit P. „ Caſnedi. Ita enim pergit. *Quæres: an in ſuppoſitio„ ne invincibilis erroris, aut ſaltem ignorantiæ dictan„ tis, quod amor Dei ſit hic, & nunc malus, aut ſal„ tem non ſit præceptus, detur in nobis, & in Deo lex „ reflexa: nec ames nunc Deum, vel non teneris nunc „ amare Deum .... Præcepta reflexa Dei, & noſtra de „ objecto cognito ut bono, & ignorato ut malo non ha„ bent hunc enunciandi modum:* mentire, blaſphema; „ *ſed hunc:* fac, quod conſcientia dictat eſſe bonum, „ & præceptum; ſi putas mendacium, aut blaſphe„ miam ex invincibili errore eſſe a Deo præceptam, „ mentire, blaſphema: *Idem dico de prohibitionibus „ reflexis Dei, & noſtris*. At enim hujuſmodi actio„ nes ſunt ne adeo bonæ, ut ad Deum referri poſſint? „ Id concedere non reformidat præfatus Auctor, qui „ ait nullum eſſe abſurdum hujuſmodi actiones ex igno„ rantia invincibili, etſi contra legem naturalem, in „ Deum referre. Ergo ne per iſtas actiones vitam æ„ ternam merebimur; noſque in die Judicii extrema „ invitabit Chriſtus ad regnum, quia mentiti fuerimus, „ quia blaſphemaverimus, quia non amaverimus Deum „ &c.? *Nullum abſurdum eſt* (reſpondet Caſnedi) „ *quod Chriſtus Dominus dicat: Veni, benedicte, per„ cipe regnum &c. quia mentitus es invincibiliter pu„ tans me in tali caſu præcepiſſe mendacium; quæ & „ ſimilia verba addi ſemper debent, ut horror a propo„ ſitione tollatur*.

„ Quis hæc paradoxa non rideat? Immo quis tam „ flagitioſam doctrinam non execretur? Hæc tamen „ non unius Caſnedi eſt, ſed a multis traditur Caſui„ ſtis. Nec aliter ratiocinandum erat ex præconceptis „ ideis Molinianæ libertatis. Nullum enim eſt ſine li„ bertate crimen. At ſine cognitione non eſt ea liber„ tas, quam poſtulant Moliniani; nullum ergo ſine „ cognitione peccatum. Simili argumento utebantur Pe„ lagiani, qui fortaſſe omnium primi aſſeruere igno„ rantiam omnem a peccato excuſare, ut teſtantur Hie„ ronymus, Auguſtinus, aliique Patres. Sed illorum „ Hæreticorum errorem Eccleſia Chriſti merito proſcri„ pſit, cum fides Catholica doceat dari peccata igno„ rantiæ: nec enim ſine cauſa in ſacris Litteris legi„ tur: *Delicta quis intelligit?* Nec ſine cauſa clamabat „ ad Deum Regius Propheta: *Ignorantias meas ne me„ mineris Domine:* unde Eccleſia etiam ea, quæ per „ ignorantiam delinquimus, ut ait Hieronymus contra „ Pelagianos, delicta eſſe fatetur in tantum ut hoſtia „ pro errore jubeat offerri. Nec ullus ſane legem na„ turalem ſinitur impune ignorare, cum eam habeat „ digito Dei inſculptam in animo, ut docet S. Augu„ ſtinus multis in locis, cujus veſtigia premens Ange„ licus Doctor in Quodlibeto 8. art. 13. hoc princi„ pium ſtatuit: *Illud quod agitur contra legem, ſem„ per eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod eſt ſe„ cundum conſcientiam*. Sed noſtrum non eſt rem hanc „ pertractare, cum id ſolum propoſitum nobis ſit, quid „ ex Molinianis ideis de gratia, ac libero arbitrio in „ Ethicam derivetur, oſtendere.

„ Ex iiſdem Molinianæ libertatis notionibus profluxit alterum paradoxum, quod communius docent Caſuiſtæ, in eo poſitum, quod nullum detur peccatum „ abſque actuali ad malitiam actionis advertentia, adeo „ ut, cujus animum non pulſet prævia actualis cogita„ tio malitiæ, is culpa nequaquam obſtringatur. Quod „ abhorret toto cælo a perenni Eccleſiæ fide, quæ do„ cet, ut nuper dicebamus, peccare homines ignoran„ tiæ peccata: ac præterea contradicit apertiſſimæ ex„ perientiæ, qua conſtat, etiamſi aliqua cogitatio ſæpe „ culpam præcedat, ſæpius tamen, & plures reperiri „ peccatores, qui non alia de cauſa iniquitatem bibunt „ ſicut aquam, niſi quia ſtimulos piarum cogitationum „ animum pulſantium penitus extinxerunt, & in limo „ profundæ iniquitatis infixi nullam de infirmitate cu„ randa, nullam de cæleſti medico implorando, nul„ lam de contritione elicienda cogitationem habentes, „ eo denique devenerunt, ut libidinum impetum ne „ minimus quidem ſcrupulus reprimat. Prava quippe „ conſuetudine in moralem peccandi neceſſitatem con„ verſa ad illum miſeriæ cumulum perveniunt, ut pro„ priæ ſalutis, ac Dei penitus obliviſcantur, ac nullis „ ſæpe ſe turbari morſibus, nulloque vitandi peccati „ inſtinctu percelli, antequam peccent, conteſtentur; id „ quod eſt per ſe manifeſtum, quia non ſolum ſine do„ lore peccant, ſed etiam gloriantur cum male fece„ rint, & exultant in rebus peſſimis. In his ergo non „ haberi illud virium æquilibrium, quod ad libertatem „ conſtituendam Moliniani exigunt, res eſt perſpicua; „ quod enim nonnulli aſſerunt, etiam peccatores hujuſ„ modi piis cogitationibus, ac deſideriis ſemper pulſa„ ri, antequam peccent, ſed quæ ab iis minime per„

„ cipiun-

„ cipiuntur, ſatis non eſt ad Molinianam libertatem
„ tuendam, ſine qua peccatum non imputatur. Quid
„ enim prodeſt ad ſervandum æquilibrium immiſſa a
„ Deo cogitatio, oppoſitæque virtutis inſpiratio, ſi hæc
„ in animum peccatoris & conſcientiam non influit, ſi
„ torporem non excitat, ſi ſurdo canit, ſi a peccante
„ non percipitur? Itane ſufficientes vires præbentur ad
„ vitandum peccatum? Itane voluntas ad bonum agen-
„ dum, malumque vitandum ſatis inſtruitur, ſatis mu-
„ nitur, & in æquilibrio poteſtatis conſtituitur? Quid
„ ergo ſupereſt ſi verum eſt ad libertatem creatam re-
„ quiri perfectum virium æquilibrium, quod Moliniа-
„ ni comminiſcuntur, niſi ut dicamus ſine actuali ad-
„ vertentia ſuper malitiam actionis, ſine aliquo con-
„ ſcientiæ morſu, ſine oppoſitæ virtutis inſpiratione,
„ & inſtinctu interiori nullum eſſe peccatum? Si quid
„ enim eorum deſit, non manet perfectum virium æqui-
„ librium, ſine quo non manet libertas, ideoque nec
„ culpa. Principiorum connexionem noverunt plerique:
„ hinc peſſimum illud paradoxon deduxerunt, quo paſ-
„ ſim utuntur Caſuiſtæ ad quærendas excuſationes in
„ peccatis. Quid autem fiet de peccatoribus longa pec-
„ candi conſuetudine obduratis? Nihil aliud reſtat, ſi
„ Moliniana placita amplectamur, niſi ut eorum mi-
„ nuamus peccata, immo eoſdem a peccato excuſemus;
„ feliciores idcirco eos dicamus neceſſe eſt, quam ſim-
„ plices peccatores; quia illi libidinum ſuarum effræni
„ licentia, ac diuturna peccandi conſuetudine eo de-
„ mum pervenerunt, ut omnes conſcientiæ morſus ſuf-
„ focaverint; atque ideo peccati rei non amplius fiant.
„ Multorum Caſuiſtarum horum culpas minuentium
„ teſtimonia brevitatis cauſa prætereo. Ad hæc para-
„ doxa homines trahunt falſæ de gratia, ac libertate
„ notiones. Hinc & Pelagiani olim apud S. Hieronymum
„ mum in libro adverſus eoſdem I. non ſecus ac Ca-
„ ſuiſtæ nunc faciunt, ita obmurmurabant: *Rogo, quæ*
„ *eſt iſta juſtitia, ut in peccato tenear erroris, cujus*
„ *reatum non habet conſcientia? Neſcio me peccaſſe,*
„ *& ejus rei, quam neſcio, pœnas luo? Et quid plus*
„ *faciam, ſi ſponte peccavero?* At notat Auguſt. Epiſt.
„ 105. hujuſmodi querelas ex ſuperbia proficiſci: *Hu-*
„ *mana ſuperbia*, ait, *tamquam præſumens de viribus*
„ *liberi arbitrii excuſatam ſe putat, quando ignoran-*
„ *tiæ, non voluntatis eſt, quod peccat.*

„ Ex his derivatur etiam aliud erroris monſtrum,
„ ſcilicet peccatum philoſophicum a pluribus Molinia-
„ nis defenſum, ut videri poteſt ex theſibus, quas col-
„ legit P. Serry in Hiſtoria de Auxiliis, ac demum
„ ab Eccleſia ſolemni decreto damnatum. Hoc autem
„ eſt ejuſmodi: *Peccatum philoſophicum eſt actus hu-*
„ *manus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ ra-*
„ *tioni; theologicum vero, & morale eſt tranſgreſſio*
„ *libera divinæ legis; philoſophicum quantumvis grave*
„ *in illo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non*
„ *cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei,*
„ *neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei,*
„ *neque æterna pœna dignum.* Jam vero peccatum hoc
„ philoſophicum eſt neceſſarium conſectarium Moli-
„ nianæ doctrinæ de virium æquilibrio ad libertatem
„ neceſſario; ut enim culpa theologica incurratur, quæ
„ ſit offenſa Dei, ſecundum Molinianos gratia requi-
„ ritur, quæ intellectum illuſtrans, & excitans volun-
„ tatem, vires tribuat tentationi proportione reſpon-
„ dentes: qui ergo Deum ignorat, vel de Deo actu
„ non cogitat, non habet gratiam ad æquilibrium con-
„ ſtituendum neceſſariam; ille ergo culpa theologica
„ non obſtringitur. Erit quidem peccatum actus diſcon-
„ veniens naturæ rationali, ac rectæ rationi, ſed non
„ erit tranſgreſſio libera divinæ legis, cum ad liberam
„ tranſgreſſionem requiratur æquilibrium, quo deſtitui-
„ tur, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogi-
„ tat. Hac igitur facta ſuppoſitione fornicantes, adul-
„ terantes, mentientes, blaſphemantes, occidenteſque
„ niſi actu de Deo cogitent cum peccant, peccata pa-
„ trabunt philoſophica, non theologica. Hæc eſt im-
„ pia philoſophiſmi doctrina, quæ ita connexa eſt cum
„ doctrina de ignorantia, & inadvertentia, ut vix de-
„ finire valeas, quæ ſit parens, quæ filia. Illud cer-
„ tum eſt, ut vidimus, hæc omnia errorum portenta
„ in Ethicam derivata, veluti ex fonte, ex Moliniа-
„ nis de gratia, liberique arbitrii natura opinionibus
„ profluxiſſe.

„ Jam vero ex doctrina de ignorantia, & inadver-
„ tentia facilis tranſitus eſt ad vagam probabiliſmi li-
„ centiam. Porro probabiliſmus in eo ſitus eſt, quod
„ ſententia, licet falſa, æternæque legi contraria, ſi
„ probabilis judicetur, conſtituatur tuta agendi regula
„ etiam in concurſu tutioris, vel probabilioris. Hoc
„ probabilitatis commentum lepide appellat gravis qui-
„ dam Theologus *artem cavillandi cum Deo*; ac boni
„ quique ſolidique Theologi recentem probabilitatis
„ doctrinam peſſimum illum fontem eſſe conſiderant,
„ a quo profluxit fœdiſſima totius Ethicæ Chriſtianæ
„ prolapſio. Quidquid enim ſanæ morum doctrinæ con-
„ trarium in libris Caſuiſtarum reperitur, ex hoc po-
„ tiſſimum fonte maximam veneni ſui partem trahit.
„ Nam ex auctoribus ſuis habent opiniones, licet ine-
„ ptæ, licet ridiculæ, licet impiæ, quod ſint proba-
„ biles: ex communi vero probabilitatis doctrina id
„ habent, quod tutæ ſint, quod innoxiæ, quod ſecu-
„ ræ, & in praxi uſurpandæ. Omnia ſunt incerta,
„ ut ait Cicero, cum ſemel a jure diſceſſum eſt. O-
„ mnia nutantia, & mobilia ſunt, cum ſemel fidei,
„ ac veritatis frænis abjectis omnia erraticæ rationis
„ arbitrio permiſſa ſunt. Permittuntur autem omnia,
„ hoc facto principio: *falſum probabile excuſare a pec-*
„ *cato, & ad actionem honeſtandam ſufficere.* Cui non
„ ſuus error probabilis eſt, non in moribus ſolum, ſed
„ etiam in fide? Quam multæ hæreſes plus coloris ha-
„ bent, quam multæ illæ opiniones, quæ a Caſuiſtis
„ dicuntur probabiles? Si ergo omne probabile falſum
„ a peccato excuſet, poterit quiſque in ea religione,
„ quam probabilem putat, innoxie permanere. Quod
„ expreſſe aſſerere non erubuerunt Thomas Sanchez,
„ Sanctius, Diana, aliique. Devorandæ ergo erunt
„ hæreſes omnes aliquo probabilitatis colore illitæ,
„ permittendæ omnes Sectæ, nullæ reſecandæ corrupte-
„ læ, ſi corruptorum hominum judicio probabiles ap-
„ pareant. Hinc Chriſtianiſmus fiet perditiſſimus Pyr-
„ rhoniſmus. Hæc mala, ubi probabiliſmus ortus eſt,
„ verebantur ex eo Theologi graviſſimi, & oculatiſſi-
„ mi; nec inepte quidem, cum poſterioribus tempori-
„ bus, ac noſtris maxime, ea impia conſectaria in plu-
„ ribus auctorum libris, qui circumferuntur, doceri
„ viderimus.

„ Sed inſtituti noſtri non eſt probabiliſmum refelle-
„ re, vel ejus deformitatem oſtendere. Noſtrum eſt
„ demonſtrare hunc peſſimum fructum ex Moliniana
„ arbore profluxiſſe, ac nutrimentum accepiſſe. Jam
„ vero eo conſtituto principio, quod in Synodo Dio-
„ ſpolitana ejurare Pelagius coactus eſt: *oblivionem*,
„ *& ignorantiam non ſubjacere peccato, quoniam non*
„ *ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſſi-*
„ *tatem;* quo principio ex falſis ideis de Gratia, ac li-
„ bero arbitrio derivato paſſim utuntur, ut vidimus,
„ Caſuiſtæ, nihil facilius eſt, quam probabiliſmi com-
„ mentum inducere. Ex eo enim ſequitur, cum ego
„ puto actionem aliquam licitam, & honeſtam, ut in
„ ſe malam, actionem tamen, quam pono, non eſſe
„ vere peccatum ſaltem ad culpam imputandum. Jam
„ vero fieri nequit, ut mihi non perſuadeam actionem
„ aliquam eſſe licitam, & honeſtam, poſtquam re ex-
„ penſa agnoſco opinionem de honeſtate actionis, &
„ probabilibus rationibus niti, & alicujus viri docti,
„ vel plurium Theologorum auctoritate fulciri. Ea
„ igitur animi perſuaſione, qua licitam puto, & ho-
„ neſtam actionem, ea vitio mihi verti non poteſt, li-
„ cet ipſa per ſe ſit mala. Quamvis enim momenta,
„ quæ malitiam probant, vim ſuam habere cognoſcam,
„ rem tamen omnino non demonſtrant. Alioquin opi-
„ nio mea eſſet evidenter falſa. Res ergo incerta eſt:
„ utraque opinio probabilis. Poſſum ergo quam ma-
„ luero, pro libito eligere: lex enim dubia non eſt
„ lex, quæ ut obliget, eſſe debet evidenter propoſita,
„ adeo ut ego ſciam quid in actione ſit boni, vel ma-
„ li. Si quid enim ad honeſtatem, vel malitiam actio-
„ nis pertinens me lateat, ea libertate non fruar, quæ
„ neceſſaria eſt, ut actio ſit vere peccatum. Non pot-
„ eſt enim actio vitio verti, ſi voluntaria non ſit. Ut
„ autem actio ſit voluntaria, ab eo proficiſcatur neceſſe
„ eſt, qui norit omnia & ſingula ad actionem perti-
„ nentia. Ubi ergo duæ ſint opiniones æque probabi-
„ les, quam maluero, amplecti potero, & licet fal-
„ ſam amplectar, non peccabo; immo ne peccabo qui-
„ dem, etiamſi eligam minus probabilem in concurſu
„ probabilioris: quamvis enim alteram probabiliorem
„ exiſtimem, ea tamen evidenter vera non eſt: mea
„ ergo non deſinit eſſe probabilis. Aliquid ergo in a-
„ ctione me latet. Hinc ſatis liber non ſum ad eam
„ cavendam, ideoque quamlibet eligam, ſecurus ſum,
„ & innoxius. Igitur probabile quidvis, etiamſi falſum
„ ſit, a peccato excuſat. Et re quidem vera ſi igno-
„ rantia, & inadvertentia excuſat a peccato, cur pro-
„ babilitas non excuſat? Si veritas ignorata, vel non
„ ſatis perpenſa actionem etiam per ſe malam licitam
„ facit, immo & meritoriam, cur idem non efficiet
„ falſitas probabiliter ut vera apprehenſa? Inter ve-
„ rum ignoratum, vel non ſatis perpenſum, & inter
„ falſum probabiliter apprehenſum ut verum, exiguum
„ diſcrimen eſt. Quare ſi primum ad honeſtandam a-
„ ctionem ſufficit, etiam alterum ſat erit ad conſcientiæ
„ ſecuritatem. Diſtat quidem ab utroque falſo principio

„ catho-

„ catholica veritas, quæ docet actionem, quæ eſt ipſa „ per ſe mala, ſemper eſſe malam, etiamſi fuerit ſecun„ dum conſcientiam. Sed ab eo Caſuiſtarum principio: „ *actionem non eſſe malam, quando ignoratur eam malam „ eſſe*; vix ulla diſtantia eſt hujus principii: *actionem non „ eſse malam, quando probabiliter creditur, eam ma„ lam non eſſe:* in utroque caſu ſi falſum amplectar, „ id vitio mihi verti non poteſt. Hinc optime ani„ madvertit Daniel Concina ignorantiſmum, ut vocat, „ & philoſophiſmum ita inter ſe cohærere, & agglu„ tinari, ut difficile definiatur, qui ſit parens, qui fi„ lius, qui germanus, qui cognatus. Illud certiſſimum „ eſt, hæc omnia monſtra in Ethicam derivata eſſe ex „ Molinianis ideis de Gratia ac liberi arbitrii na„ tura.

„ Verum non ita de actionum humanarum natura „ judicabant Eccleſiæ Patres: *Si quis* (inquit Augu„ ſtinus epiſt. 154.) *putaverit bonum eſſe quod malum „ eſt, hoc putando utique peccat; ea ſunt omnia pec„ cata ignorantiæ, quando quiſque bene fieri putat, „ quod malum eſt*. Hinc aliud quoque Caſuiſtarum fun„ damentum S. Doctor evertit in libro contra Acade„ micos III. cap. 16. ubi refert Academicorum axio„ ma commune, quod mutuati ſunt Probabiliſtæ, *cum „ agit quiſque, quod ei probabile videtur, non peccat, „ nec errat*. Quo principio ſemel admiſſo omnia pro„ bari & honeſtari poſſe crimina reſpondet S. Doctor, „ qui propterea axioma illud ibidem refellit, & repro„ bat. Nimirum SS. Patres æternam Dei legem habe„ bant præ oculis, atque ad hanc veluti ad normam „ veritatis incommutabilem humanas quaslibet actiones „ exigebant, a qua quæcumque deficerent, actionem „ malam eſſe, & quæcumque eidem congrueret, bo„ nam eſſe dicebant. Neque ideo excuſabant homines, „ quod actionem per ſe malam licitam, & honeſtam „ eſſe per ignorantiam crederent, vel aliqua veriſimi„ litudinis ſpecie ſe decipi ſinerent; ſciebant enim in „ hominis animo incredibilem eſſe corruptionis fundum, „ a quo tenebræ plerumque attolluntur ad obſcurandum „ lumen illud divinum, quod unicuique hominum inti„ me affulget; ſciebant legem naturalem ſcriptam eſſe „ in cordibus hominum, quam, ut S. Auguſtinus ait, „ nec ulla quidem delet iniquitas. Sciebant naturalia „ præcepta eam habere cum hominis natura relatio„ nem, & ordinem, ut nullus hæc ignoret, niſi qui „ cor habeat concupiſcentia perverſum: *Impeditur enim „ ratio* (inquit Angelicus) *applicare commune princi„ pium ad particulare operabile propter concupiſcen„ tiam, vel aliquam aliam paſſionem*. Quare ſi non „ faſcinaret delectatio, ſi non dominaretur prava cupi„ ditas, ſi non deprimeret amor ſæculi, ſi non regna„ ret ſuperbia vitæ, quilibet vocem conſcientiæ ſuæ, „ ac Deum intus ſecreto loquentem audiret. Quam„ obrem ignorantia juris naturalis ſemper vitio verti„ tur, arguitque in homine neſciente perverſam animi „ diſpoſitionem. Quis enim ex. c. ut inanem, ac fri„ volam non repelleret excuſationem filii, qui parentes „ videret in extrema neceſſitate poſitos, nec tamen iis „ ſuccurreret, cum poſſet, dicens ſe neſciviſſe ſubve„ niendi parentibus obligatione filium teneri? Quis non „ regereret eo ipſo maxime reum eſſe, quod id igno„ raverit? Nonne eadem ipſa ignorantia ſummam ani„ mi perverſitatem argueret, quam ſi non haberet, „ utique nec obligationem ignoraret, quam in iis cir„ cumſtantiis ultro ſuggerit naturæ vox? Ergo ex in„ timo corruptionis animi humani fundo rationem pe„ tebant Eccleſiæ Patres, cur ignorantia juris naturæ „ vitio vertatur, cum haberi nequeat, niſi animi de„ pravati vitio, quo fit aliquando, ut quod bonum „ eſt, malum, quod malum, bonum eſſe credatur, ut „ opinio veriſimilis fallat, ut decipiat ſermo verſutus. „ Hinc etiam Sancti viri in ipſis bonis operibus poſiti „ trepidant, ne cum bona agere appetunt, actionis „ imagine fallantur, ne peſtifera labes putredinis ſub „ boni ſpecie coloris, ut inquit Gregorius Magnus, „ deliteſcat.

„ Quid ergo mirum, quod Moliniani, ignorantes „ interiorem animi corruptionem, eam ſecretam, & „ occultam cauſam ignorent, qua fit, ut ignorantia, „ vel attentionis defectus de rebus pertinentibus ad le„ gem naturæ ſemper vitio vertatur, cum ex animi „ perverſitate procedat? Jam vidimus cap. antec. n. 2. „ qua de cauſa Moliniani libertatis creatæ magnificis „ ideis inflati, ac tumidi interiorum corrupti animi „ inclinationum, in quibus certe libertatem Molinia„ nam non experimur, nullam rationem haberi velint, „ cum judicamus de actionum humanarum pretio, o„ mniaque exigant ad unum explicitum voluntatis con„ ſenſum, atque ad exteriorem operationis corticem. „ Quid ergo mirum quod per bonam operantis fidem „ omnia crimina excuſent etiam communioribus juris „ naturæ principiis contraria? Quid mirum quod il„ lum juſtum caſtumque timorem, qui etiam ſanctos „ viros ſollicitos efficit, illi tamquam inanem penitus „ evertant, cum actus per ſe illicitos boni coloris ſpe„ cie, ac falſa veriſimilitudine bonos, & honeſtos eſſe „ declarent, negentque in eo quempiam merito culpa„ ri, quod per ignorantiam, vel duce opinione proba„ bili, operatus fuerit? O infeliciſſima Patrum no„ ſtrorum tempora, quibus ignotum fuit tam facile ex„ cuſandi peccata remedium! Ipſi ſcrupulis angebantur „ atque timoribus, ne opinio veriſimilis falleret, ne „ erroris tenebræ menti offunderentur. Neſciebant mi„ ſeri felicis ignorantiæ privilegia, atque expedita pro„ babiliſmi compendia.

„ Verum huc devenerunt Moliniani, quod non Deum „ magiſtrum ſibi propoſuerint, a quo diſcerent quid ſen„ tiendum ſit de divinis judiciis, de lege Dei ſempi„ terna, animique humani corruptione, & cæcitate; „ ſed depravatæ naturæ vocem, & ſuperbæ rationis „ querelas audire ante maluerint, quam de lege Dei, „ ac rationalis naturæ obligationibus judicium ferrent. „ Quæ autem reſponſio ab his præceptoribus circa gra„ tiæ indolem, ac libertatis notionem expectari po„ terat, quam, ut actio ſit vere peccatum imputabile „ ad culpam, ab eo proficiſci oportere, qui perfecte „ noverit quid in ea actione ſit boni, vel mali, qui „ antequam deliberet, conſideret pravum eſſe, quod „ facere decernit; ſentiat ſe in æquilibrio poteſtatis „ conſtitutum eſſe; ſupernis quoque illuſtrationibus pul„ ſetur, oppoſitæque virtutis inſpiratione afficiatur, & „ nihilominus actionem facere pergat, præceptumque „ tranſiliens cupiditati ſuæ indulgeat? Hæc docet amor „ proprius unicuique ingenitus, cui peculiare, & quaſi „ gentile eſt prava opera quantum poteſt ſub ſpecie „ excuſare boni coloris. Hinc frequentes illæ formulæ „ apud filios Adam: *ignorans feci; putavi bonum eſſe „ quod feci, certiſſime non facturus, ſi clare noviſſem „ id eſſe malum*. In his ergo circumſtantiis non erit „ actio vere peccatum, ſi rem exigamus ad amoris pro„ prii, noſtræque ſuperbiæ dictamina. His obſecuti „ ſunt Moliniani, quorum ſyſtema, cum eo tendat „ potiſſimum, ut amori proprio, carnique, & ſangui„ ni blandiatur, hinc etiam eo tendit, ut ipſam Dei „ legem ad corruptæ naturæ voces accommodet, princi„ piaque ſtatuat, quibus omnia ſupremæ hominum li„ bertati, ac ſuperbæ rationis arbitrio permittantur, „ qualia ſunt principia de ignorantia, inadvertentia, „ & probabilitate. Horum enim adminiculo omnem „ Dei legem ad unam hominis conſcientiam revocant; „ atque hinc dilatatur libertas ac dominium hominis, „ qui de ipſa Dei lege ſententiam ſolus pronuntiat, „ nec ab ea ſe obligari clamat, niſi propria conſen„ tiente conſcientia, quam unam conſtituit humanarum „ actionum regulam. Hinc cum Deo judicio contendit, „ cavillatur, æternæque legi propriam conſcientiam ſub„ ſtituit. Ita Moliniſmus per omnia fovet, ac nutrit „ ſuperbiam hominis, ac poſtquam gratiam divinam li„ beri arbitrii pediſſequam, & ancillam fecerit, quid „ aliud ſupererat, quam ut ipſam Dei legem ad idem „ hominis arbitrium accommodaret, hominemque conſti„ tueret legis ſempiternæ judicem, ut eum jam conſti„ tuerat divinæ gratiæ arbitrum, ac dominum? His „ abſolutum opus eſt: his finis, ac ſcopus undequaque „ perfectus, quem ſibi propoſuit Moliniſmus. Dejicien„ dus Deus erat e throno rationis creatæ, in eoque „ collocandum liberum hominis arbitrium, quod ſibi „ Deum adjungeret famulum nutibus ſuis obſequentem. „ Dejiciendus erat præterea e throno cordis humani, „ in quo inſcripta eſt digito Dei ſempiternæ verita„ tis regula, in eoque ponenda una hominis conſcien„ tia, quæ de lege Dei pro libito judicaret, eamdem„ que pro nutu quamlibet in partem pertraheret. Er„ go ad integrum opus perficiendum ex Moliniſmo pro„ dire debuit probabiliſmus. Ita per omnia pleniſſime „ humanæ ſuperbiæ, amorique proprio ſatisfactum „ eſt. Itaque ex fructibus arborem agnoſcite, ex effe„ ctibus cauſam, ex rivis fontem, & ex abſurdiſſimis „ & falſiſſimis corollariis falſum de Gratia Chriſti ſy„ ſtema, a quo derivantur, cum quo cohærent, cui „ agglutinantur, diſcite, quam timendum, quam cau„ te fugiendum ſit, & quantum interſit veram de Gra„ tia ſententiam tueri. Scio quidem ea confectaria non „ ab omnibus doceri; ab aliquibus etiam reprobari. „ Scio nonnullos ad oram præcipitii delatos aliquando „ territos reſilire, & neſcio quas cauſationes afferre. „ Sed longe falluntur, ſi voluntariis exceptionibus, quæ „ nihil firmitatis habent, pernicioſi ſyſtematis impetum „ ſuſtineri poſſe confidant. Quid prodeſt nefaria illa „ dogmata in particulari rejicere; in ſuo autem gene„ rali principio probare? Hinc illis iterum dicam cum „ Auguſtino: *Hæc vos quidem non ſentitis, ſed hæc*

„ *ſequun-*

„ *ſequuntur illa, quæ ſentitis; mutate ergo antecedentia, ſi vultis cavere ſequentia*“. Hactenus illuſtris Theologus Tamburinius. Qui poſteaquam cap. XIV. num. 6. ſibi objeciſſet, experientia conſtare Theologorum aliquos, qui de Chriſti Gratia ſecundum placita Moliniana ſentiunt, ſanioris Ethicæ tenaciores eſſe; contra nonnullos, qui de Gratia Chriſti recte ſentiunt, benigniorem, ut vocant, Ethicam profiteri, animadvertit num. 7. quod hac in re id debemus attendere quod ut plurimum accidit, licet aliquando contrarium contingat. Quæ enim raro uſuveniunt, fidem iis non imminuunt, quæ communiori obſervatione conſtant; alioquin cum pene in re qualibet propter peculiares cauſſas, & circumſtantias exceptiones aliquæ haberi ſoleant, nihil unquam certi ab eo, quod ut plurimum fieri cernitur, deduci poſſet. Jam vero, inquit, in re noſtra conſpicimus, omnes, qui Molinianæ ſententiæ addicti ſunt, ut plurimum ſaniori Ethice ac Theologia rigidiori minime delectari. Neque enim negotium faceſſit quod id ſemper in omnibus non eveniat: hoc enim fieri poteſt peculiaribus de cauſſis. Nam primo vel ſufficientis ingenii acuminis, vel attentionis neceſſariæ defectu fieri poteſt, ut auctor Molinianus illa non videat, quæ inde certa connexione probantur exiſtere: ſiquidem veritas conſtat ſerie multorum principiorum, quæ invicem connexa ſunt, ac ſeſe ſubſequuntur, ſed quorum alia propiora, alia ſunt remotiora. Similiter error, maxime in re graviſſima, ad multa refertur, & ex multis coaleſcit, longa idearum, & judiciorum veluti catena conjunctis. Jam vero ut in qualibet veritate, ita & in quovis errore relationes omnes, ac quæ inde fluunt conſecutiones magis, minuſve remotas propicere & ſufficiens ingenii acumen, & ſeriam animi meditationem poſtulat; hinc & pro ingenii acie, & pro attentionis conatu alius alio plura, & longius intuetur. Porro hæc in multis deſiderantur, atque ideo fit, ut ad principiorum naturam, & nexum minime attendant. Quot enim ſunt etiam eorum, qui vocantur Theologi, qui inter veritates fidei, & inter veritates morum connexionem nullam univerſim agnoſcunt, nullamque affinitatem, ſed res veluti toto cælo diſparatas putant! Hinc trita apud illos diſtinctio, aliud eſſe quæſtionem theorice, ut ajunt, ſeu ſpeculative pertractari, & aliud eam ad praxim reduci, nihilque in praxim influere principia theoretica ſeu ſpeculativa. Ex qua præpoſtera opinione illud monſtrum ortum eſſe videmus, ut eorum aliqui, qui de Gratia Chriſti recte ſentiunt, laxiorem quandoque Ethicen profiteantur, non percipientes affinitatem, quam habent inter ſe fidei veritates, potiſſimum de Gratia, cum morum doctrina. Quam tamen affinitatem & Patres Eccleſiæ viderunt & ii Theologi deprehendunt, qui rerum naturam & ordinem majore animi attentione ſcrutantur. Quid ergo mirum quod Molinianorum aliqui, vel in recenſitos omnes errores non impegerint, quibus falſum de Gratia ſyſtema ſuapte natura latiſſimam viam aperit, vel etiam ſanioris Ethices aliquando tenaciores fuerint, quod nempe fluentes ex illo malas conſecutiones non viderint? Non inficiatur interim Tamburinius peculiares quoque alias cauſſas in Theologiæ Chriſtianæ depravationem influere; inter quas potiſſimum ſunt Scripturæ ſacræ & venerabilis Patrum traditionis contemtus, præpoſtera de rebus divinis philoſophandi ratio ſyllogiſmis contortis, ac ſubtili quadam diſputandi methodo, rebus fidei obſcurandis magis, quam illuſtrandis nata.

DIS-

DISSERTATIO VIII.

DE ALIQUOT CONTROVERSIIS

QUÆ

SÆCULIS XVII. ET XVIII. EXCITATÆ FUERUNT.

§. I.

De exitu controverſiarum de divinæ Gratiæ auxiliis, in eumque Animadverſiones.

QUINAM fuerit exitus controverſiarum de divinæ Gratiæ auxiliis, quæ magna contentione animorum ſub Romanis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. agitatæ fuere, ſatis, ut arbitramur, in ejuſdem Pauli V. vita indicavimus. At enim, inquiet aliquis, ſi controverſiæ agebantur ad fidei ſummam pertinentes, cur poſt cauſam illam tanta ſolemnitate tractatam decem annorum ſpatio nihil ea de re Apoſtolica Sedes definiit? Cur utrique certantium parti altum ſilentium imperavit? Nonne hoc ipſo declaratum fuit de rebus agi, quæ ſunt præter fidem, ac libere Theologorum opinioni permiſſæ? Numquid in rebus tanti ponderis, ut Dominicani, Auguſtiniani, nonnullique alii jactitabant, fidelibus ſuis Chriſti Eccleſia defuiſſet? Nonne ipſius vitio tribuendum eſt, ſi perniciosis iis erroribus Chriſtiani inficiantur, quos facile potuiſſet ac debuiſſet avertere?

Hoc ſpecioſum argumentum eſt, quod jactare non deſinunt plerique Theologorum, ut controverſias hujuſmodi inanes eſſe Scholaſticorum concertationes evincant; ſi tamen Theologi nomen merentur, qui de rerum Theologicarum natura tam perverſe dijudicant. Longe aliter viſum iis Theologis præclariſſimis, qui ea qua decet contentione atque doctrina in illas diſputationes inquiſiverunt. Quod demonſtrare haud difficile fuerit, maxime cum nobis præſto ſint nobiliſſimi Theologi Petri Tamburinii nuperrimæ Animadverſiones, quibus res eadem dilucide explicatur, nervoſeque proponitur. Cur Sedes Apoſtolica, ait Tamburinius cap. IV. Diſſertationis Florentiæ anno ſuperiori recuſæ *de ſumma Catholicæ de Gratia Chriſti doctrinæ præſtantia, utilitate, ac neceſſitate*, hactenus abſtinuerit a promulganda ſententia, noſtrum non eſt inveſtigare. Id notum Deo eſt, qui Eccleſiæ ſuæ ſemper adeſt, & attingens a fine uſque ad finem fortiter diſponit omnia ſuaviter, Eccleſiæque bonum ſapientiſſimo conſilio ita ex una parte promovet, ut ex altera non deſtruat; quique ſolus novit tempora, quibus errores evellantur maiori Eccleſiæ profectu ac ſuorum fidelium utilitate. Quare fatemur noſtrum non eſſe Eccleſiæ Catholicæ judicium prævenire, neque ideo nos poſſe Molinianos veluti hæreticos ſugillare. Id prohibent Chriſtiana charitas & modeſtia: id Romanorum Pontificum ſanctiones. Cum ſolemnem definitionem hactenus Eccleſia ſuſpenderit; hanc humiliter debent expectare Eccleſiæ puſilli, eoſque interea ſervato mutuæ charitatis & pacis vinculo tolerare, quos & ipſa tolerat. Verum ex his qui colligit controverſias illas de divinæ Gratiæ auxiliis maximi momenti non eſſe, catholicæque doctrinæ ſummam nequaquam attingere, turpiſſime fallitur, & plura invicem miſcet, quæ ſunt accurate diſtinguenda. Primo enim ii falluntur, cum ex Eccleſiæ ſilentio colligunt has controverſias cum rebus fidei nullo modo conjungi. Si Eccleſia poſitivo judicio declaraſſet Molinæ placita meras eſſe Scholarum opiniones, nullam cum fidei doctrina affinitatem habentes, eſſet illorum ratiocinatio non inepta, qui eas nihil intereſſe contendunt. Verum nunquam id Eccleſia declaravit. Imo inſigniorum Chriſtiani Orbis Academiarum, ac præſtantiſſimorum illius & ſequentis ætatis Theologorum judicia, Congregationum Acta, & Conſultorum Romanorum cenſuras, quibus Moliniana doctrina, uti Pelagiana, vel ſaltem ut accedens ad Semipelagianiſmum damnata fuit, nullo decreto hactenus Eccleſia reprobavit, nec unquam eos Theologos exorbitaſſe aſſeruit, qui cum in Congregationibus, tum poſt abſolutas Congregationes Summis Pontificibus libellos exhibuerunt de neceſſitate definiendi hujuſmodi controverſias, utpote ad fidei Catholicæ ſummam maxime pertinentes. Paulus V. promulgaturum ſe ſententiam ſuam promiſit, intereaque permiſit eas quæſtiones ſervata pace a Theologis diſputari, idemque tolerarunt poſteriores Pontifices, donec res Apoſtolico judicio finiretur. Ergo Molinæ doctrina non eſt abſoluta, ſed ſolum ſolemnis ejus cenſura atque damnatio in opportunius tempus rejecta. Hinc & Paulus V. vocatis ad ſe Cardinalibus, cum iis conſultationem iniit, non utrum abſolute expediret controverſias illas dirimere nec ne, ſed utrum expediret *illis temporibus* rem finire, vel differre judicium. Quare & Reſcriptum Pauli V. his verbis effertur: *In Cauſſa de Auxiliis Sanctiſſimus Dominus noſter diſputantibus & Conſultoribus ſignificavit poſſe illos reverti ad propria; dixitque Sanctitas ſua ſe opportuno tempore promulgaturum declarationem ſuam, atque interim ſerio injunxit, ut in hujuſce argumenti tractatione nullus partem alteram nota aliqua vel cenſura notare audeat.* Ex judicii igitur Apoſtolici ſuſpenſione ne minimus quidem gradus probabilitatis ad Moliniana dogmata acceſſit. Hinc cum ſciviſſet Paulus V. eo Reſcripto, quod dederat, Jeſuitas abuti ad canendum triumphum, quaſi Molinæ doctrina declarata fuiſſet probabilis; *non ſine ſtomacho mihi dixit* (ſcribit celebris vir Franciſcus Pegna) *verum non eſſe, quod ipſe opinionem Jeſuitarum ut probabilem approbaſſet.* Et re quidem vera qui nihil definit, nihil affirmat vel negat. Igitur ex Apoſtolici decreti ſuſpenſione Moliniana ſententia alia ab ea, quæ erat antea, non evaſit; neque fuit abſoluta, ſed deſtinata in illam a Sede Apoſtolica cenſura, & gravi Romanorum Theologorum judicio onerata ad hæc uſque tempora manſit.

At enim Eccleſia quæſtiones hujuſmodi liberæ Theologorum opinioni permiſit; quod non feciſſet, niſi utriuſque partis æque ſanam judicaſſet.

Sed vero alia eſt opinandi libertas, quæ oritur ex poſitivo Eccleſiæ judicio; alia eſt opinandi libertas, quam Eccleſia tolerat, quæque oritur ex ſolemnis judicii ſuſpenſione. Prima ſententiam ſanam & probabilem efficit, utpote quæ oritur ex judicio dogmatico, quo doctrina ſana definitur; altera vero non item; cum ea ſit ex ſuſpenſione judicii, qua cum nihil affirmetur vel negetur, nihil inde probabilitatis ad doctrinam accedit. Jam vero in re, de qua agimus, doctrinam Molinianis commentis contrariam vel ipſi Summi Pontifices ſummis laudibus commendarunt, atque ad eam tenendam Theologos non ſemel adhortati ſunt. *Magno igitur animo* (ſcribebat ad Dominicanos Benedictus XIII.) *contemnite, dilecti filii, calumnias intentatas ſententiis veſtris de gratia præſertim per ſe, & ab intrinſeco efficaci, ac de gratuita prædeſtinatione ad gloriam ſine ulla præviſione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuiſtis; & quas ab ipſis ſanctis Doctoribus Auguſtino & Thoma ſe hauſiſſe, & verbo Dei, Summorumque Pontificum & Conciliorum Decretis, & Patrum dictis conſonas eſſe, ſchola veſtra commendabili ſtudio gloriatur.* Quas laudes in Thomiſticam, & Auguſtinianam ſcholam etiam alii Pontifices contulerunt. Rurſum in Moliniana dogmata graviſſimam cenſuram emiſerat Academia Lovanienſis an. 1587., uti fecit ſequenti anno celeberrima Duacenſis. Hæ cenſuræ an. 1679. delatæ ſunt ad Innocentium XI. una cum juſtificatione earumdem a Lovanienſibus facta; quæ poſt operoſum examen ab omni erroris nota immunes ſunt declaratæ. Eoſdem Lovanienſes Theologos an. 1660. etiam Alexander VII. hortatus fuerat, ut *tutiſſima & inconcuſſa SS. Auguſtini & Thomæ dogmata ſemper & impenſe revereri ſtuderent.* Porro Lovanienſes in cenſura aperte profeſſi fuerant ſe rejicere ſcita Molinæ, ac tueri gratiam natura ſua efficacem. Ad hanc ergo tenendam Lovanienſes excitabat eo Brevi Summus Pontifex Alexander. Porro oſtendant quæſo Moliniani, quando nam Romani Pontifices aliquam Academiam ac Theologos hortati ſint *ad tenenda inconcuſſa dogmata Molinæ.* Afferant quæſo Decretum aliquod Pontificis, in quo Molinianæ ſcholæ laudes celebrentur. At nullum in

medium

medium proferent, ſed omne Decretum etiam Clementis XII. quod Moliniſmo favere putant, puræ tolerantiæ fines nequaquam excedit. Ergo pro Thomiſtica & Auguſtiniana ſchola opinandi libertas ex poſitivo Eccleſiæ judicio derivatur; contra vero opinandi libertas pro ſchola Moliniana nonniſi ex dilatione deſtinatæ in illam ſententiæ proficiſcitur. Ex quo falſum eſſe apparet quod dictitant, Molinianam ſcilicet doctrinam omnino ut ſanam dimiſſam eſſe a Sede Apoſtolica; cum id unum dici poſſit, eam adhuc ab illa tolerari.

At enim interea dum ab Eccleſia ſententia Moliniana toleratur, a Catholicis Theologis impune defendi poteſt.

Hoc quidem verum eſt ſi de hæreſeos nota loquaris; falſum autem ſi Moliniana dogmata abſque detrimento Catholicæ de gratia doctrinæ defendi poſſe contendas. Hæreſeos nota non incurritur niſi præter errorem adſit etiam pertinacia, qua ſolemni Eccleſiæ definitioni obſiſtitur. Quare cum in re noſtra ſolemnis Eccleſiæ definitio non habeatur; perſpicuum eſt non haberi in Molinæ Patronis eam animi pertinaciam, quæ hæreſim conſtituit. Hunc ergo in ſenſum duntaxat admitti poteſt quod dicitur, Moliniana placita impune & libere a Catholicis Theologis defendi poſſe. Cum autem, ut diximus, ex ſuſpenſione judicii Apoſtolici nihil probabilitatis ad Molinianam doctrinam acceſſerit, ſed ea manſerit, qualis antea fuerat, hæc exigenda eſt ad ſacrarum litterarum ſenſum, ad Pontificum & Conciliorum Decreta, ad Sanctorum denique Patrum, maxime Auguſtini, ſententiam. Hinc cum ea nec ſacris litteris conformis ſit, nec Conciliis, neque Patribus, maxime Auguſtino, cujus doctrinam hac in re Eccleſia conſecravit, hinc merito dicimus eam defendi non poſſe abſque detrimento Catholicæ de gratia doctrinæ.

Verum ſi res ita foret, inquies, Molinæ doctrinam Eccleſia damnaſſet. Sed hoc non fecit Eccleſia, non quaſi ipſa probare errorem poſſit, ſed quia prudenter poteſt ſaltem ad tempus errores aliquos tolerare. Id enim interdum fit prudentiſſime; primo cum de rebus agitur, quæ non ſunt expreſſe ab Eccleſia definitæ, vel ſi definitæ fuerunt, novis emergentibus erroribus multum ſunt obſcuratæ, adeo ut penes multos dubia ſit novæ doctrinæ falſitas, neque tam manifeſte appareat illius pugna cum Eccleſiæ doctrina, maxime vero cum numerum atque potentiam eorum, qui novas opiniones tuentur, Eccleſia conſiderans veretur, ne ſi falſa doctrina damnetur, in partes ſcindatur, & in parte præciſa remaneat inſanabile vulnus erroris: tunc a ſolemni definitione prudenter etiam diu abſtinet ſecundum Chriſtianæ charitatis regulas, ne ipſa cogatur magnam fidelium ſuorum multitudinem e ſinu ſuo excommunicatione reſcindere. His in circumſtantiis decretorium judicium Eccleſia ſuſpendit, donec vel eorum numerus imminuatur, qui novitati favent, vel deferveſcente ardore pugnantium, ac veritatis luce paulatim latius ſe ſe dilatante, vel profanæ novitates ipſæ cadant per ſe, vel res finiri poſſit concordiſſima Eccleſiæ authoritate. *Hoc facit ſanitas pacis* (inquit Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. IV.) *ut cum diutius aliqua obſcuriora quæruntur, & propter inveniendi difficultatem diverſas pariunt in fraterna diſceptatione ſententias; donec ad verum liquidum perveniatur, vinculum permaneat unitatis, ne in parte præciſa remaneat inſanabile vulnus erroris.* Hanc prudentem œconomiam Eccleſiam non ſemel adhibuiſſe in damnandis erroribus, ut alia præteream, perſpicuum facit Semipelagianorum exemplum, quorum errores damnavit Eccleſia centum poſt annos ab Auguſtini obitu: intererat enim, ut obſervat Sirmondus in adnotationibus ad II. Concilium Arauſicanum, intererat, inquam, Concilium iſtud ad hæc potius tempora differri, ideſt ad annum 530. propter multos doctrina ac pietate præſtantes viros, qui ſpatio interjecto in Gallia viſi ſunt Semipelagianis favere.

His de cauſſis factum eſt, ut etiam in cauſſa Molinæ hactenus judicium Eccleſia ſuſpenderit. Nondum omnibus fortaſſe explorata erat Molinianæ ſententiæ cum Pelagiana hæreſi plena conformitas ob ingenioſas ſubtilitates, quas ad contegendam Molinæ doctrinam invexerunt ejuſdem Patroni. Rurſum pro Molina homines ſtabant, quorum nec numerus, nec ordo, nec ingenia deſpicienda videbantur: tantus erat præterea pro cauſſa Molinæ pugnantium ardor, tantaque calliditas, ut ſperari non poſſe videretur fore, ut decretoriæ definitioni humiliter acquieſcerent. Ergo ne in parte præciſa remaneret inſanabile vulnus erroris, a ferenda ſententia Eccleſia prudenter abſtinuit, toleravitque interea in ſinu ſuo adhuc de his quæſtionibus diſputari. Verum ex hac prudenti Eccleſiæ œconomia doctrinam Molinæ malam non eſſe perperam colligunt. Mala erat Semipelagianorum ſententia, etiam antequam lis finiretur Eccleſiæ authoritate; nam Eccleſiaſtica definitio malam ex bona ſententiam non facit, ſed ſolum eam eſſe malam infallibili judicio declarat. Hinc & S. Proſper Maſſilienſium dogmata appellabat *Pelagianorum reliquias, Pelagianæ hæreſeos ſurculos* &c. eaque, & eorum authores durius, quam fortaſſe voluiſſent hi blandi facileſque Theologi, cum quibus rem agimus, infectabatur, ut patet ex præfatione libri contra Collatorem; eiſque ſatis gratificatum eſſe exiſtimat, ſi ſub operis finem Eccleſiæ communione illos potiri diceret. *Quorum tamen*, ajebat, *dum adhuc non ſunt a fraterna ſocietate diviſi, toleranda magis eſt intentio, quam deſperanda correctio; donec Dominus per Eccleſiæ principes & legitimos judiciorum ſuorum miniſtros hæc, quæ per paucorum ſuperbiam & quorumdam imperitiam ſunt turbata, componat.* Ex quibus omnibus perſpicuum eſt eos falli vehementer, qui de Molinæ ſententia ex Eccleſiæ ſilentio dijudicant, eoſque temeritatis redarguunt, qui eam ut malam prædicant, & a Catholica de Chriſti gratia doctrina difformem.

At cur permittit Eccleſia ſilentio ſuo tot Theologos in re tanti momenti a via veritatis recedere? Nonne horum vitium Eccleſiæ tribuendum eſt?

Sed nequaquam id ſequitur; ſiquidem Eccleſia Chriſti etiamſi decretorium judicium in re aliqua interdum ſuſpendat, fidelibus ſuis interea non deeſt; iis enim viam oſtendit quam tenere poſſint, ſi tutiſſime velint incedere; in quam ſententiam ipſa propendeat, non obſcure ſignificat; doctrinam veritati conſonam docere non deſinit ore & ſcripto multorum cum Eccleſiæ Præſulum tum præſtantiorum Theologorum, qui catholicæ doctrinæ tenaces ſunt, eamque valide tuentur adverſus errores: regulas etiam proponit, ad quas controverſiæ exigi & dijudicari facile poſſint; quas qui ſequitur animo docili & præjudiciis exuto, viam veritatis reperit; qui vero eas contemnunt, vel contortis interpretationibus nituntur eludere, ut novitati faveant, non Eccleſiæ vitio, ſed ſua temeritate labuntur. Eccleſiæ filiis vel ipſi nutus Matris ſuæ ſufficiunt; ejus vocem libenter audiunt, & internoſcunt etiam inter ſpiſſas errorum tenebras; neque expectant ut veluti bruta animantia virga ducantur vel terreantur fulmine; ſed Eccleſiæ nutibus humillime obſequuntur. Itaque Eccleſia Dei inter paleam multaque zizania conſtituta multa tolerat, & tamen quæ ſunt contra fidem, vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit, ut loquitur S. Auguſtinus epiſt. 55. Gemit ergo Eccleſia Chriſti, dum errores in ſinu ſuo juſtis de cauſſis tolerare quandoque cogitur; tolerat ipſa, ſed errores non approbat, nec facit, nec tacet: ſed fidelibus ſuis innuit amantiſſima Mater veritatis inveniendæ rationem ac viam. Multis id exemplis comprobari poſſet, niſi evidens res eſſet in controverſia, quam verſamus. Quot enim ſunt, quibus oculati fideles monentur de periculo Molinianæ doctrinæ? Hanc eſſe novam nemo neſcit; cum vel ipſe ejuſdem author de novitate ſententiæ ſuæ glorietur in libro Concordiæ ita ſcribens: *Hæc ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divina prædeſtinatione a nemine quem viderim hucuſque tradita eſt.* Ad hanc *ſub ea quaſi caligine* involutum non attendiſſe S. Auguſtinum ibidem aſſerit. Hanc ſi Sanctus Pater noviſſet, tot tantique fideles exacerbati non fuiſſent, neque ad Pelagiana caſtra declinaſſent. Nemo ergo non intelligit ante Molinam aliam viguiſſe in Eccleſia ſententiam, quam adverſus eumdem valide propugnarunt, ac tueri pergunt inſigniores Catholici orbis Theologi. Ex quo colligitur Eccleſiam ſemper in ſinu ſuo docuiſſe, ac docere antiquam, ac veram doctrinam de gratia, licet novos errores ſolemni decreto nondum proſcripſerit. Quibus quilibet admonetur, quam ſenteutiam, ſi tutus eſſe velit, ſe tenere oporteat; quare ſi novitatis amore ſe capi ſinit, ipſemet accuſandus eſt, non Eccleſia Chriſti; quæ dum tolerare in multis errores cogitur, in paucis, qui eos execrantur, dolet & gemit. Præterea in quam ſententiam Eccleſia propendeat, ipſa ſatis perſpicue ſignificavit. Si quidem cenſuras ab illuſtrioribus Academiis, Eccleſiæque Theologis, ac vel ipſis Romanis Conſultoribus latas in Moliniana dogmata, licet decretorio judicio ea nondum confirmaverit, nunquam tamen reprobavit; imo cenſuras, quas tulerant Lovanienſes, continere doctrinam Catholicam Innocentius XI. ſignificavit. His addendum, quod jam animadvertimus, doctrinam Molinianæ contrariam a Benedicto XIII. declaratam eſſe ab Auguſtino & Thoma hauſtam, verbo Dei conformem, ſummorum Pontificum & Conciliorum Decretis, dictiſque Patrum conſentaneam, eamque ab adverſariorum calumniis ſemper Pontifices vindicaſſe, atque ad eam docendam Academias & Theologos ſæpenumero hortatos fuiſſe; quod certe pro doctrina Molinæ ab ullo Pontifice nunquam factum eſſe deprehendimus. Porro ex his quis non videt quam ſententiam Eccleſia laudet ac probet, & quam ipſa a fi-

liis ſuis *teneri deſideret?* Ergo nutus Eccleſiæ ſequatur, ejuſque *deſideriis* obtemperet, qui in re tam gravi errare *non* vult. Nimium indocilis filius cenſeri debet, *qui* ſemitam, quam amantiſſima mater innuit, tenere *ideo* renuit, quia non terretur minis, nec timore pœnæ eam cogitur arripere. Ergo ſi labitur, malam animi ſui indolem cauſam erroris eſſe cognoſcat, non Eccleſiæ errorem tribuat, quæ licet inter paleam multaque zizania conſtituta multa toleret, errores tamen ipſa non probat, nec facit, nec tacet.

Accedit Eccleſiam præter communes eas regulas, quarum ope de controverſiis omnibus judicari poteſt, peculiarem nobis regulam propoſuiſſe, ad quam quæſtiones hujuſmodi exigerentur. Declaravit enim de hiſce rebus judicium ferri oportere ſecundum Auguſtini mentem, ex eoque diſcendum quid de gratia & libero arbitrio Catholica Romana Eccleſia teneat. Id paſſim oſtendunt Theologi quique peritiores in tractatu de prædeſtinatione Sanctorum, in quo etiam ſolent temerarias illorum querelas compeſcere, qui ajunt vel Auguſtinum a veteri ſententia hac in re receſſiſſe, vel æſtu diſputationis abreptum exceſſiſſe in diſputando juſtum veritatis modum, & in alterum extremum incidiſſe. Jam vero hæc regula præ oculis habita, qui ingenuus ſit, ac veritatis amore ducatur, facile internoſcere poteſt falſam doctrinam a vera, non ſolum ex operum S. Auguſtini lectione, ſed vel ipſa Molinianorum confeſſione, qui cum viderent Molinæ placita Auguſtinianæ doctrinæ non eſſe conformia, nihil magis in deliciis habuere, quam Sancti Patris authoritatem infringere, vel minuere. Infinitus eſſem ſi ſingula iſtorum Theologorum teſtimonia proferre vellem; aliqua tantum afferam ad comprobandum quod aſſero. Maldonatus in ſuis operibus Theologicis de tanto Doctore tanta animi irreverentia perſæpe loquitur, ut ſtomachum moveat. Is enim Tom. IV. Operum Theol. Tract. IV. diſput. 2. q. 3. cap. 10. hæc ſcribit: *Sententia S. Auguſtini (de Prædeſtinatione) ante illum inaudita fuit, & poſt illum nullus græcus Author ſecutus eam eſt.* Hinc Maldonatus hac de re ſententiam illam *ſolam* veram eſſe credit, quam eo judice *omnes veteres tenuerunt, excepto Auguſtino, & ejus diſcipulis.* Quæſt. 4. *Auguſtinus duriſſime omnium de prædeſtinatione locutus eſt.* Et infra: *Denique argumenta, quibus S. Auguſtinus in eam ſententiam adductus eſt, indigna ſunt ejus ingenio.* Vaſqueſius in ſuis Commentariis in primam partem Summæ S. Thomæ Tom. I. diſt. 97. cap. 3. poſtquam contra Auguſtini mentem auxilium ſufficiens omnibus dari probavit, ita concludit: *Temere affirmabimus illud auxilium aliquibus denegari, atque ab Auguſtino & aliis, qui id docuerunt, petere poſſumus, unde nam hujus voluntatis Dei certiores fuerint effecti?* Mariana in tractatu de morte & immortalitate loquens de negotio prædeſtinationis: *Auguſtinus*, inquit, *primus quod ſciam iuter antiquos in veteri ſpatio novam ſemitam excogitavit, nova impreſſit veſtigia.* Idem vero cap. 8. *Non omnes*, ait, *Auguſtini in eo ſententiam probant: horrida multis videtur & aſpera.* Sanctum vero Doctorem in diſputando modum exceſſiſſe, ad alterum extremum declinaſſe, cautiſſime idcirco legendum, ne hæretica dogmata ex eo hauriantur, ſollicite monent P. Martinonius, P. Adam, aliique plurimi. Sed nihil in Auguſtini authoritatem petulantius eſſe poteſt viginti duabus illis aſſertionibus, quas ſacrum Inquiſitionis Tribunal in Hiſpaniis proſcripſit; quarum una erat: *Auguſtini quædam dogmata ab Apoſtolica Sede eſſe damnata;* altera erat, *Eccleſiam a tutela & pædagogia S. Auguſtini eſſe vindicandam;* atque ita paſſim cætera ſimilia S. Auguſtini encomia complectebantur. Quid dicam de Authore illo, qui tectus Launoii nomine tam inſolenter in S. Patris authoritatem inſurrexit, ut ab Apoſtolica Sede anathematis fulmen promeruerit? Hæc ſunt & alia multa ſimilia, quæ brevitatis cauſa prætereo, encomia & laudes, quibus Moliniani S. Auguſtini authoritatem proſequuntur. Jam vero fidelis quiſque de falſitate Molinianæ doctrinæ facile judicium ferre poteſt. Habet enim ex una parte Eccleſiæ definitionem, quæ hac in re conſecravit Auguſtini doctrinam: habet ex altera Molinianorum confeſſionem, qui ſibi adverſum S. Doctorem ultro fatentur. Quid ergo adhuc animi pendet? Ergo ſi labitur in re tanti momenti, ſua temeritate labitur, non Eccleſiæ vitio. Poſteriores quidem Moliniani, cum ad S. Auguſtini mentem controverſias hujuſmodi expendere coacti ſint, nonnulla ejus teſtimonia in cauſæ ſuæ patrocinium pertrahere niſi ſunt; ſed poſt ingenuam confeſſionem, quam ediderunt & Moliniſmi Architectus & præcipui ejuſdem Patroni, parum hi profecerunt. Deinde quam contortis interpretationibus ad ſe Sanctum Doctorem pertrahant neminem latet.

Neque vero quemquam moveat eorum numerus, qui Molinianæ ſententiæ faverunt, vel favent. Nam primo tam ingens fortaſſe non eſt, quam vulgo creditur. Molinæ enim doctrina continuit ſe ſe intra domeſticos parietes, externos autem defenſores non reperit, niſi aliquos ab inſtitutis majorum degeneres; contrariam autem propugnarunt ac tuentur omnes fere Ordines Regulares, atque Theologi ætatis cujuslibet præclariſſimi; neque inter ipſos Molinæ Socios defuerunt, licet numero pauciſſimi, qui ſanioris doctrinæ vindices extiterint, ut videri poteſt apud clariſſimum Berti *de Theologicis Diſciplinis* lib. 14. cap. 10. Deinde novum non eſt in Eccleſia errores interdum ſuccreſcere, ac multorum animos occupare. Ut unum ex multis, quæ afferre poſſem, exemplum proferam, ingemuit olim catholicus Orbis, ac ſe Arianum eſſe miratus eſt, ut Hieronymi phraſim adhibeam, qua intelligitur, quam late patuerit eo tempore Arianorum hæreſis. Illud certe nemo mirabitur, cui notum ſit, quam fortiter hominum animos alliciat opinionum novitas, maxime ſi huic accedat novatorum calliditas atque potentia. Neque propterea quidpiam detrahitur promiſſionibus Chriſti, qui dixit adfuturum ſe ſemper Eccleſiæ ſuæ. Nam Chriſti pollicitationes, ut egregie obſervat Cl. Boſſuetus, nec latius extendi debent, nec anguſtius coarctari, quam illæ poſtulent. Promiſit quidem Chriſtus fore, ut non prævaleant adverſus Eccleſiam inferorum portæ: at nullibi pollicitus eſt fore, ut nunquam Catholica veritas & impugnetur & obſcuretur. Habet Eccleſia Chriſti non raro plena procellarum, ac tenebrarum tempora, quæ Deus permittit ad filiorum ſuorum probationem, & ad pleniorem veritatis triumphum. Sed interea lumen omne non deeſt Eccleſiæ filiis, quo veritatem ab errore ſecernant, niſi ſponte ſinant ſe abripi ab ingruentium errorum turbine, ut in re, de qua agimus, perſpicuum fecimus. Jam vero ex his omnibus liquet, quam inepte ratiocinentur, qui ex Eccleſiæ ſilentio quod ad Moliniſmum attinet, hujuſmodi controverſias nullius utilitatis eſſe concludunt.

Cæterum non conceſſerim abſolute & univerſim tolerari Moliniſmum ab Eccleſia. Nam in Molinæ ſyſtemate duplex errorum genus diſtinguere poſſumus; alii ſunt antiqui Pelagianorum vel Semipelagianorum errores, quos in lucem Molina revocavit; alii ſunt, quos ſuo ipſe marte antiquis addidit. Cum illorum hæreticorum doctrinam tot Conciliorum decretis Eccleſia proſcripſerit, eadem proſcripta intelligitur quotieſcumque iterum in medium producitur; nec enim alio judicio opus eſt, ut inquiebat Card. Baronius, cum jam præjudicatum ſit. Rurſus Eccleſia in his, quæ ſpectant ad gratiam & liberum arbitrium, ſe S. Auguſtinum ſequi ſæpe numero declaravit. Quidquid ergo Auguſtini doctrinæ perſpicue adverſatur, id tanquam *aperta pernicies* cenſeri, ideoque rejici debet. Neque negotium faceſſit, quod aliis terminis error pronuncietur; dummodo enim re conveniat cum erroribus olim damnatis, ille tolerari ab Eccleſia non dicitur niſi ſtultiſſime. Jam vero Molina in libro Concordiæ multa protulit, quæ e Pelagianorum fontibus hauſta eſſe res eſt manifeſta: ergo Molinæ ſyſtema in omnibus capitibus ab Eccleſia tolerari dici non poteſt. Antiquos hæreticorum errores a Molina revocatos fuiſſe omnes norunt.

Nunc unum vel alterum exemplum proferre ſufficiat. Primo „ de fide Catholica tenendum eſt (inquit Bellarminus lib. 6. de amiſſione gratiæ & ſtatu peccati „ cap. 2.) parvulos ſine baptiſmo decedentes abſolute eſſe damnatos, & non ſola cæleſti, ſed etiam naturali „ beatitudine carituros eſſe. Hinc S. Auguſtinus lib. 1. „ de origine animæ cap. 9. non baptizatis, ait, parvulis nemo promittat inter damnationem & regnum cælorum quietis, vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet quaſi medium locum; hoc enim eis hæreſis Pelagiana promiſit". Hunc errorem Pelagianorum proſcripſit Concilium Africæ univerſale num. 3. his verbis: „ Item placuit, ut ſi quis dicit, ideo dixiſſe „ Dominum: in domo Patris mei manſiones multæ ſunt, „ ut intelligatur, quia in Regno Cælorum erit aliquis „ medius, aut ullus alicubi locus, ubi beate vivunt parvuli, qui ſine baptiſmo ex hac vita migrarunt, ſine „ quo in regnum cælorum, quod eſt vita æterna, intrare non poſſunt, anathema ſit. Nam cum Dominus dicat: niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum; quis „ catholicus dubitet participem fieri diaboli eum, qui „ cohæres eſſe non meruit Chriſti? Qui enim dextera „ caret, ſiniſtram procul dubio partem incurſet." Quis ergo tolerari dixerit errorem Molinæ concedentis parvulis non baptizatis naturalem beatitudinem? Ita enim ſcribit in libro Concordiæ q. 23. art. 4. & 5. diſt. 1. memb. 9. „ Parvuli reprobati perinde ſe habebunt, ac „ ſi in ſolis naturalibus fuiſſent conſtituti; immo poſt

„ diem

„ diem judicii cum ipſorum animæ ſuis fuerint reſtitu-
„ tæ corporibus, ab omnibus moleſtiis & ærumnis,
„ quibus in hac mortali vita ſubjacemus, ſupernatura-
„ liter liberabuntur, melioremque in naturalibus vitam
„ vitio omni mentis & corporis immunem in perpe-
„ tuas æternitates ducent, quam ullus unquam mor-
„ talium duxerit “. Ineptiat profecto neceſſe eſt, qui novum Eccleſiæ judicium expectat, ut Molinæ error proſcriptus dicatur, jam olim in Pelagianis tam clare damnatus.

Alterum exemplum ſit hujuſmodi. Synodus Arauſicana II. can. 6. ita definiit: „ Si quis ſine gratia Dei
„ credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus,
„ ſtudentibus &c. miſericordiam dicit conferri divini-
„ tus . . . . . aut obedientiæ humanæ ſubjungit gratiæ
„ adjutorium . . . . . reſiſtit Apoſtolo dicenti: *Quid*
„ *habes quod non accepiſti? Gratia Dei ſum id, quod*
„ *ſum* “. Jam vero cœcus ſit oportet, qui cum hac Eccleſiæ definitione apertiſſimam pugnam non videat Molinianæ doctrinæ, qua dicitur: *Deum non denegare gratiam facienti quod in ſe eſt, non ſolum viribus gratiæ, ſed etiam illi, qui cum non habeat gratiam, facit quod in ſe eſt viribus naturæ*. Quid vero Molinam juvat aſſerere liberi arbitrii conatus non habere rationem meriti ad promerendam gratiam; cum & hoc olim dicerent Semipelagiani, qui nihilominus damnationem non potuerunt effugere; & ad rei ſummam nihil interſit, dummodo concedatur, gratiam Dei liberi arbitrii operibus præveniri, & ſecundum ea certiſſime tribui? Quid eum juvat ſomniari feſtivum, ac lepidum quoddam pactum initum inter Chriſtum & Deum Patrem, conferendi gratiam homini facienti, quod in ſe eſt, viribus naturæ? Quis bone Deus! non videat, hæc eſſe Molinæ figmenta addita ad fucum faciendum incautis, ut cum quoad rei ſubſtantiam cum Semipelagianis mirifice convenit, ſe ab iis diſcrepare ſaltem vocabulis videatur? Verum ſi ſpecioſa vocum mutatione, & inanibus quibuſdam figmentis fas eſſet eludere Conciliorum Decreta, nulla definita veritas intacta conſiſteret. In his ergo aliiſque ſimilibus capitibus, Moliniſmum ab Eccleſia tolerari nequaquam conceſſerim. *Neque enim alio judicio opus eſt* (iterum dicam cum Card. Baronio) *cum jam præjudicatum ſit*, ſemperque reprobet Eccleſia Chriſti, quod jam olim reprobavit. Hinc & Romani Conſultores multa Molinæ doctrinæ capita de viribus maxime liberi arbitrii, ceu aperte Pelagiana damnarunt. Hinc Illuſtriſſimus Rhemenſis Archiepiſcopus Mauritius Tellier in celebri illa Paſtorali inſtructione, quam edidit probantibus, & plaudentibus inſignioribus Galliarum Epiſcopis, maxime clariſſimo Boſſueto, inter cæteras Molinæ aſſertiones, quas cenſura notavit, illam de naturali beatitudine parvulis non baptizatis concedenda, ut Pelagianam proſcripſit; quod etiam fecerunt quinque Epiſcopi in Epiſtola ad Innocentium XII. adverſus Cardinalem Sfondratum. Rurſus Clerus Gallicanus in Comitiis & Cenſura anni 1700. in Molinæ aſſertiones, quas ſecundo loco in exemplum attulimus, hanc ſententiam tulit: „ Hæ propoſitiones
„ qua parte cauſam diſcernendi inter juſtos, & non
„ juſtos in opera mere naturalia referunt, Semipelagia-
„ niſmum inſtaurant mutatis tantum vocibus. Pactum
„ autem quod inter Deum & Chriſtum aſſeritur, com-
„ mentum eſt temerarium, erroneum, nec ſolum tacen-
„ te, ſed etiam adverſante Scriptura & SS. Patrum tra-
„ ditione prolatum “. Denique notiſſimum eſt vel ipſos Jeſuitas Molinianam doctrinam, præſertim quod ſpectat ad efficaciam gratiæ, emollire ſtuduiſſe, ut conſtat ex Decreto Generalis Aquavivæ. Perſpicuum igitur eſt nec laudatos Epiſcopos, & Theologos, nec Gallicanam Eccleſiam, nec ipſos quidem Jeſuitas credidiſſe Moliniſmum totum qua late patet ab Eccleſia tolerari.

Moliniſmum ergo ab Eccleſia Dei toleratur quoad aliquos errores, quos Molina antiquis adjunxit, & quos Theologi quique illi adverſantes recenſent. Hinc laudatus Archiepiſcopus Tellier in ſua Inſtructione, poſtquam aliqua Moliniani Syſtematis capita cenſura notavit, permiſit, vel ut melius loquar, aſſeruit ſe non eſſe impediturum, quin Jeſuitæ in ſua Diœceſi docere pergerent a Molina traditas rationes conciliandi liberi arbitrii cum divina Prædeſtinatione, dummodo in poſterum Molinæ ſententiam non amplius obtruderent, ut unicum orthodoxum tanti myſterii explicandi modum, neque uti liberam prædeſtinationem ponerent gratuitam ab Auguſtino ſecundum Scripturas prædicatam, & omni retro tempore ab Eccleſia ſuſceptam. His duntaxat conditionibus Jeſuitis permiſit ſcientiæ mediæ defenſionem adverſus Angelici Doctoris ſcholam, quam, ait ille, poſthabitis ſanctiſſimi Inſtitutoris Ignatii voluntate & contemtis Generalium Societatis Congregationum ſtatutis deſeruere. Apparet inde Molinianum ſyſtema non in omnibus, ſed in aliquibus ſolum capitibus tolerari. Quo poſito facile componuntur varia, ac ſibi ſpecie tenus contraria de Moliniſmo judicia, quæ vel ipſi ejuſdem hoſtes quandoque tulerunt. Nam præclariſſimus Boſſuetus, qui & in Paſtorali Inſtructione Mauritii Tellier, & in Cenſura Cleri Gallicani adverſus recenſitos Molinæ errores edita maximam partem habuerat, vel ipſe a Semipelaniſmi nota Jeſuitarum doctrinam abſolvit. Cum enim ille objeciſſet Domino Jurieu præpoſteram agendi rationem, qua Calviniſtæ communionem Lutheranis obtulerant, quos ipſe Jurieu puri Semipelagianiſmi accuſaverat atque convicerat; hic vero repoſuiſſet clariſſimo Authori etiam Romanam Eccleſiam Jeſuitarum doctrinam tolerare, quam dicebat a Semipelagianiſmo nullatenus diſcrepare, negavit Boſſuetus Romanam Eccleſiam Semipelagianiſmum tolerare, licet Jeſuitarum doctrinam non reprobet, cum hæc, ſaltem ſi exigatur ad Præpoſitorum Societatis decreta, eadem cum Semipelagianorum doctrina non ſit: quod etiam doctiſſimus Arnaldus, & alii dixerunt, ut calumniam de Semipelagianiſmi tolerantia Romanæ Eccleſiæ ab hæreticis impactam depellerent. Hi nempe viri doctiſſimi antiquos errores a novis, quos Moliniani adjecerant, ſecernebant; atque cum illos ab Eccleſia non tolerari utpote jam olim prædamnatos agnoſcerent, novos eorum errores, quos Eccleſia tolerat, idem non eſſe ac Semipelagianam hæreſim calumniantibus hæreticis reſpondebant.

At enim ſi novi Molinæ errores cum antiquis olim damnatis non congruunt, quorſum de iis ſollicitus eſſe debet Theologus? Nonne ſatis eſt quod olim de hoc argumento Eccleſia ſanxit, ſartum tectumque tueri, quin in adeo difficilibus controverſiis tractandis longam operam Theologus impendat? Sed cave, ne tua te fallat opinio. Numquid veritas antiquitus definita ab Eccleſia, novis erroribus impeti & obſcurari non poteſt? Anne quod olim fecerunt veteres gratiæ inimici, novis commentis, & hypotheſibus facere nequeunt recentiores? Nunquid una eſt veritatis labefactandæ ratio, adeo ut qui unam occluſerit, inimici hominis inſidias vereri amplius non debeat? Catholicam de gratia doctrinam omnium primus deſtruendam palam aggreſſus eſt Pelagius. Contra eandem poſtea ſteterunt Semipelagiani, qui novam hypotheſim excogitando a damnatis Pelagianorum erroribus videbantur recedere. Verum & ipſi ab Eccleſia proſcripti ſunt, quia licet novum quid addiderint, quod non admitterent Pelagiani, adhuc tamen convincebantur non plene recipere Catholicam de gratia doctrinam. Denique de gratia Chriſti non recte ſentiunt noſtris temporibus Moliniani. Hi quidem novum quid addiderunt, quod nec Pelagiani, nec Semipelagiani excogitarunt; ſed cum Molinianorum additio novus error ſit, quo non tota recipitur catholica de gratia Chriſti doctrina, hinc Moliniana ſententia huic adhuc opponitur. Quid ergo juvaret jam toties contritos veterum hæreticorum errores refellere, novos autem impune graſſari permittere? Qui catholicæ veritatis ſtudio ducitur, non minus antiquos, quam novos errores inſectatur. Detrimentum illud, quod catholicæ olim doctrinæ attulit Hæreſis Pelagiana vel Semipelagiana, illud idem vel ſaltem non multo levius nunc illi affert Molinianum de gratia ſyſtema. An ergo bene actum eſſe cenſebis, ſi in illam ſtilum acuerint Theologi, hoc autem libenti animo toleraverint? An quia nunc error perſonatus inſidiatur catholicæ veritati, frigidus eſſe debet Theologus, veritatis ſtrenuus propugnator? Immo eo dignior eſt Theologi ſtudio diſquiſitio, quo error periculoſior; eo autem periculoſior eſt error, quo occultior multiſque difficultatibus implicatior. Tunc enim facilius ſimpliciorum animos ſubit, niſi oculatiorum Theologorum cura ille detegatur & repudietur.

At incertum eſt, ais, an Moliniana ſententia ſit novus error adverſus catholicam de gratia doctrinam. Aſſentior, ſi loquaris de certitudine, quæ ex infallibili Eccleſiæ judicio derivatur, cum in re noſtra nullum hactenus habeamus ſolemne Eccleſiæ judicium. At ſi certitudinem illam ſpectemus, quam haurit Theologus ex ſacrarum Litterarum Patrumque traditionis ſtudio, inficior incertum eſſe, an Molinæ Syſtema novus error ſit circa doctrinam de gratia. Ita ne vero ad unam Eccleſiæ actu docentis definitionem omnia exigis, ut ſacras Litteras, Conciliorum ac Patrum Decreta parvipendas? Numquid aliter judicatura eſt Eccleſia Chriſti, quam ferat ſacrarum Litterarum, & Patrum traditionis authoritas? Tuum ergo eſt ad haſce Regulas controverſias exigere interea dum humiliter expectas Eccleſiæ definientis judicium. Deinde licet incertum eſſet, an Molinæ doctrina ſit novus error, certum tamen eſt hanc non eſſe doctrinam Eccleſiæ; aliam enim ſemper a ſe ſuſceptam tibi Eccleſia innuit, ut vel ex dictis etiam oſtenditur. Tandem incertum ſit, an Molinæ ſententia novus ſit error; cum tamen agatur de re tanti momenti, quo jure controverſias hujuſmodi tacite

præteris? Vel ipſa rei incertitudo, cum agitur de ſummo periculo, te ſollicitum efficere debet. Præſtantiſſimi quique cujuslibet ætatis Theologi adverſus Molinæ novitates inſurgunt: tu ne ſolus, quaſi cæteri omnes fanatiſmo ducantur, futilitatem harum controverſiarum agnoſces? Quid aliud ſibi vult Eccleſia, dum judicium ſuſpendit, & has quæſtiones utrinque a Theologis diſputari permittit, quam ut quædam fortaſſe obſcuriora & diligentius inveſtigentur, & intelligantur clarius, atque ita ab adverſario mota quæſtio diſcendi exiſtat occaſio? Ita ne vero Eccleſiæ votis annuit frigidus ille Theologus, qui has quæſtiones deſidioſo ſilentio præterit, & quod ſane feſtivum eſt, prudens ſibi eſſe videtur, dum ignorantiam & deſidiam ſuam ſpecioſo pacis nomine prætexit? At prudentiam iſtam, quæ prudentia carnis eſt, reſpuit Theologi munus; reſpuit ingenuus veritatis amor, qui cum de rebus fidei agitur, vel cum fide connexis, vel ipſum novitatis conſpectum exhorret, refugitque vel levem erroris umbram. Si antiquam Eccleſiæ doctrinam adverſus novitates tueri deſinis, eo uſque progredi opinandi licentiam conſpicies, ut nihil intactum manſurum ſit. Huc demum addo cum clariſſimo Boſſueto, duo veritatum genera diſtingui oportere, quarum aliæ ſunt expreſſe ab Eccleſia definitæ; aliæ non definitæ quidem, ſed tamen arctiſſimo nexu cum illis conjunctæ; quarum cum priores tum poſteriores Theologi ſtudium expoſtulant, qui cum veritatem amare impenſe debeat, tolerare certe nequit eam non ſolum funditus extirpari, ſed ne labefactari quidem & infirmari. Veritatis enim doctrina longiſſimo principiorum vinculo deducitur, quorum alia aliis ſe ſe propius contingunt, alia aliis remotius. Hinc ut illa detrimentum capiat, ſatis eſt, ut aliquis veluti annulus diſrumpatur, cui licet proxime non cohæreat catholicæ doctrinæ articulus, alia tamen principia connexa ſint, quæ ſi infirmentur, etiam chriſtianæ Theologiæ articulo ruinam portendant. Sic enim paulatim purioris doctrinæ nervi, ut ita loquar, inciduntur, ſuccuſque exhauritur: quo fit ut non remaneat niſi illius ſpecies ſeu ſpectrum, ac ita vigore omni deſtituta facile concidat & intereat. Illud etiam cavere debet Theologus, ne funeſtis corollariis viam apertam relinquat, anſamque præbeat humano ingenio novarum opinionum feraciſſimo pejora cudendi; plurimum enim intereſt hujus impetum coercere nihil ei ſubminiſtrando, ex quo labefactandi fidei noſtræ dogmata, novaque commenta proferendi occaſionem poſſit arripere. Ex quo enim advenit liberior de rebus Theologicis differendi methodus, efferbuitque pruritus novis Theologiæ placitis adulandi corruptæ hominum rationi, vix dici poteſt, quot quantaque mala in chriſtianam Theologiam derivata ſint.

§. II.

Hiſtoria diſſidii literarii circa ſtudia Monaſtica, quod invicem adverſos habuit R. P. Armandum Joannem Buthilierium de Rancè Abbatem Trappæ, atque D. Joannem Mabillonium e Congregatione S. Mauri Monachum Benedictinum.

NEmo eſt qui ignoret, R. P. Abbatem huic concertationi anſam primum dediſſe in ſuo de Officiis Monachorum Tractatu, quem verbo quidem ad ſuos Fratres dirigit, re autem ad omnes, qui Monaſticam vitam amplexi ſunt, ejus argumenta accommodat: ibi enim eum videre eſt certo judicio ſcientias univerſas, & omnem ferme lectionem, ſi Sacras Scripturas & quoſdam tractatus aſceticos excipias, omnibus interdicentem.

Ubi primum hoc illius judicium in lucem prodiit, non ſolum in Monaſteria gravem conſternationem intulit, ſed & externos valde commovit. Quamplurimi viri merito & pietate inter Clerum ſpectabiles, quibus ſtudia & literarii labores Monachorum Congregationis S. Mauri valde probabantur, quique ea Eccleſiæ proficua eſſe autumabant, Trappenſis Abbatis abſoluto judicio graviter offenſi, de eo palam conqueſti ſunt, & Monachis S. Benedicti hoc conſilii dederunt, ut Abbatis ſententiam refellere aggredientes ſtudiorum Monaſticorum in ſuo Ordine traditionem aſſererent, & ſcientiæ Eccleſiaſticæ cum pietate clauſtrali concordiam luculenter comprobarent.

At Patres Benedictini in hanc arenam deſcendere diu multumque renuerunt. Cum traditionem, & majorum ſuorum atque ſanctiſſimorum Ordinis virorum exempla, quibus per S. Benedicti Regulam ſe ſe componere jubentur, pro ſe facere, ſatis haberent; viam a ſe atque aliis paſſim tritam perrexerunt, religioſa ſtudia ſectantes; atque illud unum duntaxat regeſſerunt iis, a quibus ut tutelam ſtudiorum ſuſciperent, urgebantur, nimirum P. Abbati peculiares ſubeſſe rationes, cur ita ſentiret; ceterum illi jus diremptorium non eſſe niſi in propria domo, in qua ipſe dominus; neque enim offenſioni eſſe debere, quod ille ſuum gregem ad cælum evecturus, certas & inuſitatas vias ſterneret, quas ipſe tutiores arbitraretur.

In hoc ſilentio novem & ultra exacti ſunt anni. Tum vero D. Mabillonius feſſus multorum virorum litteris præſtantium, & nonnullorum etiam illuſtrium Antiſtitum efflagitatu, qui eum ad ſuſcipiendum ſtudiorum Monaſticorum patrocinium compellebant, calamum arripuit, & de hac materia conſcripſit Tractatum, cujus una & altera editio intra duorum annorum ſpatium prodiit, & primo quidem anno 1691. deinde anno 1692. adeo ille frequentes & avidos nactus eſt emptores.

In hoc Tractatu Author in primis probat innumeris luculentis teſtimoniis, & traditionis ſtudiorum uberrimis documentis, ea non modo a Monaſtica profeſſione non eſſe aliena, ſed ipſi etiam aliquo modo eſſe neceſſaria.

Deinceps vero ſtudiorum differentias notat, eaque innuit, quæ Solitariis convenire poſſunt, atque una libros, quorum uſus iiſdem ſuppetat. Non negaverim quidem, eum in hoc argumento adeo per omnes partes diſcurrere, & tam vaſtum ſtudiorum campum explicare, ut recte ſuſpicari quis poſſit, fore ut illi, qui de hoc Tractatu a ſumma & extanti facie judicium tulerint, quique ipſam Authoris ſententiam ex æquo & bono expendere neglexerint, vehementer inclament, atque eum immodice rem exegiſſe, cauſaque cecidiſſe ſtatuant.

Tertio agit de ſtudiorum ſcopo adeo pie & luculenter, & vere chriſtianos fines, quos ſibi Solitarii proponere ſtudendo debent, adeo prudenter indicat, ut vel hinc quidquid in ſecunda Tractatus Parte nimium videri poterat, ſatis modificetur.

Nihil vero magis eum ab omni iniqua cenſura ſervare debuerat, quam ingenuus & urbanus modus, quo hoc argumentum pertractaverat: nec non & illa modeſtia, quam ipſe a natura præſeferebat, & cujus ſpecimen per totum Opus, ut ita loquar, diffudit; etenim a quadam de omnibus pronunciandi temeritate & audacia ita ſe abhorrere oſtendit, ut ſæpe ipſius ſententiam conjectura aſſequi cogamur, utpote quam non aliis exponit dicendi formulis, quam his aut ſimilibus: *Videtur quidem; dici fortaſſe poteſt &c.* Adde porro ſummam humanitatem, obſequium, exiſtimationem, cultum, quibus illuſtrem Adverſarium, ejus perſonam, & dignitatem proſequutus eſt: anxiam denique curam, quam paſſim adhibuit, tum ut in hoc opere inceptum ipſius omnibus probaretur, tum ut Trappenſis Abbatis agendi ratio & ſententia ab invidia vacarent, quamvis ab illa diſcedere ſuum eſſe arbitraretur.

Quapropter ingenti plauſu Tractatus iſte exceptus fuit. Patebit ex Epiſtolis, quæ ad calcem hujus hiſtoriæ adjectæ ſunt, quam honorificis encomiis intra Gallias paſſim fuerit cumulatus. In Italia tamen cum minori cultus ſignificatione exceptus fuit. Nam cum ſecundam ejus Partem Italico ſermone exaratam P. Ceppi Auguſtinianus in lucem edere prætuliſſet, in magnas incidit difficultates, quibus Magiſter Sacri Palatii hanc editionem remoratus eſt. Mabillonii exhortatio ad legendos quoſdam libros heterodoxos minime ibi arriſit, utut eam de induſtria aliquo temperamento emolliiſſet: Uſſerii Chronologiam, hominis Acatholici opus, omnium tutiſſimam ab eo nuncupari, diſplicuit: Quæſtiones ſcholaſticas, quæ per *Quomodo* particulam concipiuntur, ab eo de medio ſublatas obmurmuratum eſt: laus Theodoreti apud illos habita fuit ceu quædam in reliquos Patres Græcos contumelia: Exemplum Tichonii Donatiſtæ, licet a S. Auguſtino depromptum, rejectum eſt, quod ad legendos libros hæreticos excitare poſſit: Prophanas hiſtorias, & Chronologiam tanquam ad Sacrarum Scripturarum intelligentiam neceſſarias exhiberi, neutiquam probabatur. Denique *impoſtoris* nomen, quo D. Mabillonius Annium Viterbienſem notaverat, ejuſdem familiæ homines plurimum irritavit, Magiſtrum Sacri Palatii tanta in hoc negotio ſubiit religio, ut aſſerere non dubitaverit, ſe connixurum, ut hic liber Sacri Officii cenſura ſugillaretur. Interea tamen æquis commonitionibus, & rerum argumentis a R. P. Maſſoliè in medium prolatis illud confectum eſt, ut P. Ceppi imprimendi facultatem denique impetraret ea lege, ut omitteret quidquid ad hæreticos libros ſpectat, quorum lectionem ejus Autographus commendabat. In Germania prodiit hic Tractatus latine verſus a R. P. Udalrico Straudigl Monacho Benedictino in oppido Camtenſi anno 1702.

Quandoquidem P. Abbas fuerat in hoc diſſidio provocator, cœperatque ipſe Solitarios de poſſeſſione velle deji-

dejicere, qua a tot retro sæculis fruebantur; sibi quisque facile persuadebat, fore ut ille, postea quam in suo de Officiis Tractatu, itemque in sua Regulæ explicatione omnia in medium attulerat, quæ opportuna illi visa sunt ad fulciendam suam opinionem, nunc demum in silentio se contineret, & publicum de hac controversia judicium tacitus expectaret. Sed arbitratus est tuta se conscientia silere non posse. Hic Pastor zelo flagrans servandi gregis, veritus est, ne *Jesus Christus ex ejus manibus sanguinem animarum suorum Fratrum exquireret*, si ipse silentium duceret; idque satis ei fuit, ut *omnino suum esse* crederet D. Mabillonii sententiam ad trutinam revocare. Alia etiam ductus ratione, quam ipse in suo Proloquio non affert, ad scribendum se contulit, nimirum impediendi, ne approbatione, qua D. du Bois D. Mabillonii librum ornaverat, suo nomini & personæ aliqua nota inureretur. In ea tamen approbatione nihil nominatim adversus P. Abbatem dictum reperitur; at ipse sibi adscripsit quæ S. Gregorius Nazianzenus in ea citatus olim disseruit adversus homines quosdam suæ ætatis, studia & scientias vituperantes. Qui cum eo faciebant, illius consilium primi cognoverunt, & de eodem quamprimum rumor passim percrebuit. Verum cum adhuc de rei exitu incerti essent, primo quidem distulerunt in vulgus, susceptum a P. Abbate laborem non nisi ad ipsius Monachos respicere. Ipsemet plures sibi notos & familiares, qui se convenerant, certos reddidit, nihil aliud sibi esse propositum; quamquam ex ejus sermone facile colligebatur, perjucundum ei fore, si de Tractatu studiorum vindice Respublica literaria idem ac ipse & ejus Fratres sentiret.

In Proloquio Responsionis.

Perfecto demum Opere, consilia mutata sunt; nam P. Abbas sibi persuadere cœpit, proprii claustra Monasterii nimis angustos fines suæ missioni statuere, atque operæ pretium fore per doctam Monasticæ insciticæ apologiam, nihil sciendi obligationem universis Monachis injicere. Suam ad Tractatum de studiis Responsionem sibi addictioribus præbuit legendam, qui eam probare non destiterunt, atque illi stimulos addiderunt, ut typis eam vulgaret, integram ei victoriam pollicentes. Neutiquam mirum est, disertum hunc Abbatem prima sui Operis lectione quædam sibi ingenia conciliasse. Suum quippe argumentum adeo ille concitate & vehementer, tanta cum elegantia & acumine pertractat, ut nisi sensibilibus affectionibus didiceris obsistere, ille te non modo ducat, sed & rapiat & trahat quocumque velit. Est in ejus oratione flumen verborum, cujus vi abreptus neutiquam liber es, ut queas ejus rationes expendere. Tum vero quibus ille modis D. Mabillonii Tractatum ad trutinam vocat? Vix audeo edicere. Ita eum examinat, ut quodammodo dissuat, & plerumque in frustra secet, quæ dissuta & lacerata, propria vi, eaque pulchritudine, qua suo in loco fulgebant, destituuntur, neque ad aliud denique inserviunt, quam ut Trappensis Abbatis indignationi pateant & censuræ. Adversus hæc exigua, ut ita dicam, monstra a se conficta, aut si mavis contra hos miseros & vita cassos adversarios omnem ipse eloquentiæ vim exerit, & tantum ignis & flammæ in illos vomit, ut si oculorum judicio (ut multi) tantummodo utaris, eos in pulverem redactos, & omnino contritos, atque in eorum pulvere sepultum Tractatus Authorem putes. Mirum itaque neutiquam est, quosdam, quibus neque argumenta rationesque perpendere, neque Responsionem cum Tractatu, quem ille oppugnat, conferre, vacabat, P. Abbati plausisse. Ejus Opus vel si in otio & quiete cubiculi legas, ægre te cohibebis, quominus prima fronte probes. Ab una ad aliam paginam fit transitus ob eam duntaxat voluptatem, qua nos primæ paginæ lectio titillavit. Ut moremur aliquantulum, in nos violenti esse debemus; multo magis ut lectionis delicias laboriosæ reflexioni immolemus.

Interea P. Abbas cum Lectores amicos ipsa evidentia convictos putaret, quos quædam mentis incitatio incautos abripuerat, & adulatorias laudes ceu quædam testimonia perhibita veritati exciperet, jam nihil aliud moliebatur, quam Operis impressionem. Quod consilium cum innotuisset, multi viri perspicaces, quique illius rationibus melius consulere noverant, eum admonuerunt, prudentius & cautius facturum, si adornatam a se Responsionem suis tantummodo Fratribus exhiberet legendam, quandoquidem ad eos solos illa dirigebatur, nempe in vulgus editam & censuras & reprehensiones excitaturam; Mabillonii librum bellum ipsi nequaquam inferre, atque eum ab omnibus laudari & probari; doctum hunc Benedictinum in nova sui Operis, quam parabat, editione, promptum esse ad ejus rationes æqui bonique faciendas, si eas ipse velit privato colloquio de hac materia habito communicare; hoc modo agendum esse propter publicam ædificationem; e contra vero dissidium inter duos religiosos viros offensioni multis omnino futurum; denique si certum illi erat de ea materia controversiam agitare, in qua num jus & ratio pro se facerent, saltem ambigebatur; valde timendum esse, ne sæculares viri, qui malignis obtutibus Monachorum facta jugiter observant, indigna suscepta Reformatione consilia illi tribuerent, & ab externa zeli facie ulterius animo progressi, in ejus agendi ratione loquendi pruritum magis quam necessitatem animadverterent, aut se animadvertere putarent. P. Abbas hujusmodi admonitiones ad se plus quam a viginti locis venire fatebatur. Guisiæ Ducissa præ ceteris hac de re ad illum literas misit; at ille rem hanc religionis habebat & conscientiæ loco; quis vero nescit, conscientiam quamdam sibi legem nonnunquam imponere nulla alia sequendi consilia, quam quæ ab ipsa probantur?

Cum omnia igitur essent editioni parata, Trappensis Abbas sui operis exemplaria Lutetiam misit; quæ deinceps in Doctorum manus delata sunt, ut opus approbaretur. D. Bolæus Decanus Senonensis, & D. Courcierius ad id primo delecti fuere; sed hisce viris certum erat nihil calculis suis approbare, nisi quod cum urbanitate, veritate, & mediocritate esset conjunctum. Actæ sunt illis gratiæ, & ad alios deventum est indulgentiores, qui omnia suspicere, nihil mutare essent parati. Impetrata approbatione, editio in obscuro penitus latuit, quin & dilatus est rumor, imprimendi consilium disturbatum esse. Interim Muguetus non cessabat ab opere, atque ita expedite rem executus est, ut post tres hebdomadas aut ad summum post unum mensem liber in lucem prodierit. Magna omnes propterea cepit admiratio, tum vero maxima, posteaquam lectum est opus, meris hallucinationibus scatens, quæ ibi ceu rerum argumenta traduntur. Adde falsas opiniones, quas Adversario passim tribuit, ut commodius oppugnetur; inductiones generales ex factis peculiaribus sumptas, vehementissimas declamationes, quæ in ipsum potius Authorem, quam in alium quempiam recidunt; præterea decem & ultra Ordinis S. Benedicti sæcula contemptui & reprehensioni exposita, atque sine ullo delectu, sine ulla ratione dilacerata: hujus Ordinis germina pietatis & doctrinæ nomine commendatissima, indignis modis excepta, & traducta; facta morigeratissimis Congregationibus contumeliosa in lucem prodita, ac fluxæ certitudinis indiciis confirmata; quædam etiam silentio pressa, quæ silere gravis injuria fuit; judicia denique manifesto incauta: hæc vero singula cum tanta sermonis constantia & authoritate proponuntur, ut vel firmissimis ingeniis, atque ab errore & illusione tutissimis fucum facere penitus valeant.

D. Mabillonius affectu pleuritico tunc temporis laborabat; sed opportuna sanguinis detractione brevi curatus, die quarta post Pascha Trappensis Abbatis lucubrationem percurrere cœpit. Multi ex ejus amicis, virique eximii haud pauci cum eum convenissent de recepta sanitate gratulaturi, jam de nulla alia re colloquia agitabant, quam de Responsione ad Tractatum nuperrime edita. Doctus interea S. Benedicti Alumnus, qui suum Ordinem eo quo par erat amore prosequebatur, quique aliunde noverat, quam avide sæculares viri excipiant quidquid ad vellicandos Monachos emittitur, immodica Censoris studiorum obtrectatione commotus videbatur, ac palam conqueri cœperat. Quod cum Trappensis Abbas statim resciviisset, de D. Mabillonio idem ac de plerisque hominum judicium ferens, has ejus perturbationes & querelas inde ortas putavit, quod se præclusa omni defensione confutatum indignaretur. Propterea Adversarii sui molestiam, si fides ejus verbis, miseratus est. Ait enim in quadam Epistola: „ Nunciatum est mihi, D. Mabillonium ex nostra Re„ sponsione mœrore affectum fuisse: id mihi, si ita „ est, valde displicet, & supra quam dici possit ejus „ dolorem egomet sentio “. Hunc miserationis sensum suis ille amicis nequaquam injecerat; nam quidam illorum (Mons. le Comte de Charmel) scribens ad Parochum Parisiensem: „ Patres Benedictini, inquit, ex „ Responsione tristitiam capiunt: habent quod prome„ riti sunt; cur enim mei Abbatis sententiæ adversen„ tur “?

Ego tamen facile crediderim P. Abbatis & amicorum ejus eundem animum fuisse, ejusque miserationem nihil aliud esse quam speciosum obtentum, quo occultum de credito triumpho gaudium ipse tegebat. Nam si revera Benedictinorum querelæ eum commovissent, saltem aliqua ex parte eum pœnituisset, quædam facta, de quorum falsitate identidem certior reddebatur, adversus illos temere vulgasse. In sua enim Responsione affirmare non dubitaverat, Benedictinos Patres Reformatos opus manuale de medio abstuliisse in studiorum gratiam, & S. Michaelis Academiam vel a primo suæ insti-

institutionis anno fuisse suppressam propter inordinationes & absurda eorum, qui ejus corpus constituebant. Hinc factum, ut P. Procurator Generalis Congregationis S. Vitoni non minus graviter quam obsequenter eum expostulaverit; cui Trappensis Abbas jejune respondit, se moleste ferre, quod ea quæ de ipsius Congregatione obiter dixerat, ipsum sollicitum habuissent, sibi vero nullatenus propositum fuisse quempiam offendere. Tantumque abfuit, ut perperam pronunciata retractaret, aut eorum aliqua oratione molliret, ut potius minitatus sit, se plura rerum argumenta & facta productorum, quæ silentio lubens presserat, si res luculentius explicandi sibi detur occasio. Non sunt hæc plane, non sunt hominis animi lenitatem præseferentis. Nec dissimili ille oratione usus est scribens ad Guisiæ Ducissam: „ sibi videlicet numquam in mentem venisse Reforma„ tis Congregationibus aliquam afferre molestiam, aut „ eas vel minimum lædere: quædam asperiora dicta, „ quæ adhibere coactus fuerat aliquando, ab infenso a„ nimo neutiquam processisse, & ne unum quidem ver„ bum a se effluxisse, quod nimiam exhiberet acerbi„ tatem, prout familiare est illis, qui rixandi & con„ tradicendi cupiditate ad scribendum se conferunt: ti„ mere se tamen, ne si ad ea, quæ vulgaverat, re„ sponderetur, quidam insurgerent ipsius sententias con„ firmaturi, qui modum, quem ipse servaverat, ne„ quaquam sibi præscriberent; denique quidlibet agere „ se paratum esse, ut illis satisfiat, qui aliquas expo„ stulationis causas proferebant. Nisi demissum in hunc magnum virum obsequium vetaret, libenter ab eo quæreremus, quomodo hæc cum illis consentiant, quæ ad Dominum de la Chambre Parochum S. Bartholomæi tunc temporis scriptitabat, *se commissurum posthac, ut S. Mauri Congregatio dedecore & infamia oneraretur, si ad suam lucubrationem quispiam responderit.*

Hisce minis nequaquam perterritus D. Mabillonius ad respondendum serio se comparabat. Cujus rei fama ut ad aures Ducissæ Guisiæ delata est, statim nobilissima matrona nonnullos ex Superioribus, atque ipsum D. Mabillonium accivit, atque omnem movit lapidem, quatenus subortam controversiam pacifice inter illos dirimeret, eosque ad silentium hac super Responsione Trappensis Abbatis induceret. Ipsa, adversarii eorum nomine, in se recepit, fore ut si D. Mabillonius eum amice convenire voluerit, benigne & honorifice apud Trappam exciperetur, & a P. Abbate eximiis humanitatis & cultus officiis cumularetur, qui ipsum quoque certiorem redderet de sincera erga S. Mauri Congregationem existimatione. At Patres Benedictini humiliter testati sunt, pacificæ diremptionis consilium nequaquam se rejecturos, si integra adhuc res esset, atque in eo statu quo fuerat ante editam studiorum Monasticorum censuram: eo magis quod ab eodem consilio neutiquam discesserant in Tractatu de Studiis, in quo propria sententia defendebatur sine ulla significatione belli adversus eadem Studia a Trappensi Abbate prius intentati; postquam vero hic Author Ordinem S. Benedicti publico læsisset scripto, & a se perperam dicta publice damnare recusaret: id nullam habere offensionem, quod PP. Benedictini nequaquam sinerent condemnatorium calculum in se jactari, quin suæ causæ æquitatem omnibus testificarentur: cæterum Tractatus Apologiam ita prudenter, moderate & sapienter institutum iri, ut ne minimum quidem existimationi pietatis & dignitatis ipsius Adversarii esset detractura. Cum hæc admodum officiosis & humilibus verbis exposuissent Patres, susceptum ab illis respondendi consilium haud ita ratum & constans fore putavit Ducissa, ut omnis sibi spes abjicienda esset eos a proposito revocandi, & D. Mabillonio persuadendi, ut Trappam proficisceretur. Talia cogitans eos interea dimisit, & Alenconium discessit.

Magnus Abbatum numerus, nec non & clarorum virorum turba in eandem cum Guisiæ Ducissa cogitationem venerunt, eandemque operam contulerunt apud Superiores Congregationis, & Dom. Mabillonium. Necesse fuit igitur quamdam, ut ita dicam, sollicitationum obruentem multitudinem sustinere, & vulgi opinionem contemnere Trappensi Abbati faventem, quam reconciliationis & humanorum officiorum oblatio passim ingesserat.

D. vero Mabillonius ab omnibus, quicumque doctrina, eruditione ac pietate in suo Ordine excellebant, religiosis viris fovebatur & excitabatur; ii enim acerbe ac indigne ferebant, Abbatem tam magna alioquin pietate & existimatione clarum, adversus studiorum praxin Sanctorum exemplo constitutam, ab Ecclesia inculcatam, immemorabili usu confirmatam, sedulo jugiterque servatam, & utilitate, quæ in Ecclesiam omni tempore ex ea redundaverat, comprobatam, arma sumpsisse. Externi etiam haud pauci viri merito & fama conspicui, Mabillonii partibus sese favere palam professi sunt. Sed in his fuit præcipuus D. Pussorius a publicis Conciliis, qui tota præsente regia familia & coram Cancellario Regi quadam die dixit, se æquo animo ferre non posse P. Abbatis acerbitatem, qui lapides in D. Mabillonium conjecerat, a quo ipse rosis conspersus fuerat; qua data occasione Rex D. Mabillonium omnium Monachorum in suo Regno doctissimum, atque animi maxime demissi videri sibi pronunciavit.

Haud ita multo post D. Mabillonius convenit Parochum S. Jacobi du Haut-Pas, qui erat P. Abbati amicissimus, quique omnium maxime conatus fuerat Benedictinis silentium indicere. Horum mutuo colloquio interfuit quoque Comes de Charmel ab eodem Parocho opportune accersitus, qui iisdem ferme verbis, quibus usa fuerat Guisiæ Ducissa, D. Mabillonium a conscribenda Tractatus studiorum Apologia abducere, eique persuadere contendit, ut Trappam proficisceretur. Duos illi præterea versus cujusdam Epistolæ P. Abbatis ostendit, verbis satis honorificis exaratos; & singularis humanitatis obsequiique officia commemorans, quibus Trappæ excipiendus erat, si illuc proficisci voluerit, id satis esse arbitratus est, ut D. Mabillonius tot flagitationibus cederet, & calamum de manu abjiceret. Sed vicissim ubi rationes ipsius & argumenta cognovit, tum demum maximis difficultatibus se implicitum sensit. Nisus est ergo P. Abbatis agendi rationem eidem probare, bono illum animo suam explicasse sententiam affirmans, atque ad vulgandum quæ scripserat multorum Monachorum Epistolis fuisse compulsum. At D. Mabillonius modeste respondit, sibi pronum & facile fore P. Abbati par pari reddere, modo rumusculis ad se de rebus Trappæ delatis aures præbere, aut commentarios a quodam illius Cœnobii Monacho sibi oblatos accipere vellet: sed ita se comparatum esse, ut malit rumores & querelas talium virorum ab auribus & corde penitus removere. Erit ergo, excepit tunc subiratus Comes, nescio quis scelestus homo Trappæ delitescens: nam eo in loco cuncta redolent sanctitatem, quod oculatus testis affirmo, nec est cur mihi denegetur fides. Quidni vero, Domine, subdidit Mabillonius, quoniam & apud nos non nemo hujus farinæ reperitur, & in cœtu quoque Apostolorum repertus est? Comes quid responderet incertus, detulit ei tandem in componenda hac controversia Episcopi Meldensis operam; nempe ut in aliqua sua Lucubratione Illustrissimus Præsul apto ad utrique parti satisfaciendum modo suam circa studia Monastica sententiam aperiret. At Mabillonius secus habitis quæ oggerere poterat de magni illius Præsulis cum P. Abbate quadam, ut ita dicam, confœderatione, respondit, suo qualicumque scripto Meldensem Episcopum id tantummodo consequuturum, ut novam contra ipsum molirentur exceptionem ipsius Adversarii, qui & Ecclesiæ hostes sunt; nullum propterea emolumentum P. Abbati, & Benedictinis ipsis inde proclaturum; de cætero autem id neutiquam obstiturum, quominus alii, se tacente, Monachi S. Vitoni aut S. Mauri P. Abbatem refutare aggrediantur, minus fortasse benigne, quam ipse scripturus erat. Itaque ne hoc quidem consilium esse admittendum fassus est tandem Comes, adjecitque P. Abbatem, siquidem molestos effectus, qui ex ipsius lucubratione proveniunt, & argumenta, quæ inde adversus Patres Benedictinos aliqui desumunt, animo prospexisset, nunquam eam in publicum editurum fuisse; interim eidem se nunciaturum, & recepturum, fore ut Responsio quæ parabatur, modum omnino servaret, nihilque proferret illius dignitati, aut Trappensis Cœnobii nomini injuriosum.

Interea Guisiæ Ducissa statim ac devenit Alenconium, plures scripsit Epistolas ad Superiores, ad D. Franciscum Lamy, virum philosophicis scriptis apprime notum, atque ad ipsum Dom. Mabillonium: Cui speciatim significavit, mirari se, quod eorum quæ spoponderat oblitus fuerit, putaretque se illi aliquid suadere potuisse, quod ipsi utile non esset. „ Haud sum nescia „ (pergit deinceps) familiares tuos viros doctos a Trap„ pæ itinere te dehortaturos, & eorum quosdam exul„ taturos eo quod adversum eximiæ dignitatis, virtutis „ & sapientiæ virum scribere statuas, idque facere de„ trectes, quod ipse, si tuo esset loco, sine ulla tergi„ versatione faceret. Cupio quam maxime inter utrum„ que vestrum pacem conciliare, mutuo autem collo„ quio id omnino perfici potest. In nullum propterea „ rerum tuarum discrimen venis; optimum vero proxi„ mis exemplum, si id agis, præbiturus es. Rogo, „ Pater, ut me convenias. S. Patris tui Benedicti „ spiritum mitem & humilem in hoc imitare. Hi quo„ que sunt mores tui. Tene Patris vestigia, & ejus, „ quæ tibi ex animo amica est, consilium quæso ne re„ cuses “. D. Mabillonius cum gratias illi egisset pro „ singulari benevolentia & sollicitudine, qua Benedicti„ norum rebus consulere dignabatur, a Trappensi iti„ nere

nere iisdem fere rationibus, quibus antea Lutetiæ usus fuerat, sese excusavit. Subjecit præterea, nullum sibi dubium esse, quin rectissima fuerit P. Abbatis voluntas; sed tamen effectus neutiquam ex sententia successisse; si ipse Trappam proficisceretur, periculum esse, ne ejusdem Regiæ Celsitudini displiceret, nihil cum P. Abbate de ipsorum controversia statuendo, & re infecta discedendo; cum nullam recepisset facultatem, ex qua de rebus sui Ordinis (quatenus huc spectat) libere agere posset; ancipitem & periculosum fore hujus itineris apud vulgus eventum, eo quod felicem exitum inde quisque expectaret; cæterum adeo se in respondendo lenem, adeo a quolibet dicto, quod P. Abbatis existimationem vel minimum lædat, temperaturum, ut suam agendi rationem vel ipsa demum sit probatura.

D. Lamy cum ab eodem itinere pluries se excusasset, se tali cura solutum denique putabat; sed cum in loco Fontisridentis versaretur, adeo enixe illum rogavit Ducissa, ut diutius obsistere e sua dignitate minime esse crediderit. Trappam igitur petens ad eam venit. Porro ipsa de illius profectione certior facta, omnia ad illum belle excipiendum ut parata essent, studuerat, & P. Abbatem opportune admonuerat; profecto enim constat P. Abbatem duosque ex ejus Fratribus omnem curam, honorem, & studium venienti detulisse. Post prima mutuæ humanitatis officia, regia matrona sedere eos jussit; hunc quidem, facere inquiens, ischiadici doloris, illum vero nephritici affectus gratia; ac deinceps compulit ad instituendum de magna studiorum controversia mutuum sermonem. Tunc P. Abbas suæ voluntatis rectitudinem in omnibus quæ scripserat, protestari cœpit, numquam sibi in animo fuisse asseverans, quempiam lædere, multoque minus S. Mauri Congregationem, quæ apud se in maxima erat existimatione non modo quod ad eam generatim pertinet, sed etiam relate ad ejus Superiores Generales, & nominatim D. Mabillonium. Respondit D. Lamy, id sibi curæ datum fuisse, ut eorumdem nomine de cultu & obsequio erga illum testificaretur; quin & nihil eorum quæ scripserat charitati labem intulisse, licet nemo inficias iverit, aliqua Responsionis ad Tractatum loca nimis esse & toti Monachorum generi, & ipsi S. Mauri Congregationi injuriosa. Cum P. Abbas hujusmodi aliquot loca sibi indicari postulasset, D. Lamy eorum haud exiguum numerum protulit, quæ P. Abbas nulla alia exceptione defendit, quam iteratis recti animi testificationibus. At Benedictinus rectum illius animum in obscuro esse respondit, hæc vero injuriosa loca tantummodo patere, adeoque pernicioſos inde effectus consequi, eousque ut quidam Magistratus dixerit, se malle, ubi res eo modo agantur in Congregatione S. Mauri quo Trappensis Abbas affirmat, sub legione prætoria stipendia mereri, quam in eo corpore numerari. Erubuit his auditis P. Abbas, & in laudes Congregationis S. Mauri sermonem deduxit; ad ultimum de quibusdam regularibus observantiis facta mentione, quas P. Lamy aliter se habere demonstravit, quam ipse descripserat, de ipsius operis adjunctis cum loqui desiissent, rem ipsam de qua agebatur expenderunt. Duarum horarum spatio prolixa inter illos commissa est digladiatio. Non est hic locus eundi per singula. Id supereſt dicere, quod si P. Abbas haud validius suas partes tutatus fuisset scripto, quam in hoc colloquio tutabatur, profecto haud valde formidandus hostis fuisset. Sive id modestiæ dandum sit & reverentiæ erga Ducissam, seu causæ infirmitas ita ferret; sane constat eum ferme quoad omnia inclinasse, nec ulli sententiæ firmiter adhæsisse; sed a proposito sæpius deflexisse, ac demum eo compulsum ut diceret, numquam se, modo studia D. Mabillonius usque ad S. Pachomii ævum non extendisset, responsurum fuisse. Ut brevi expediam, adeo ille in multis consensit, ut eum admirata Regia matrona, & Dominum Lamy seorsim affata, Ecquid? dixerit, annon tibi prædixeram, Dominum Abbatem accipiendis quibuscumque conditionibus fore paratissimum, & parum discriminis quoad rem ipsam intercedere inter illius & vestram sententiam? Respondit D. Lamy, mirum profecto sibi videri, quod ille adeo in multis manus dedisset; sed valde suspicari, eum nequaquam ita esse comparatum, ut hæc temperamenta suæ opinionis publico scripto committere voluerit. Et ne id quidem facere renuisset, excepit Ducissa, si veniſſet Mabillonius, & responsionem inhibuisset. At D. Lamy nihil incommodi ex hac Responsione sequuturum affirmavit: subdiditque coram P. Abbate, solum controversiæ caput in ea discussum iri, sepoſito recriminandi aut respondendi studio ad asperiores quascumque verborum contumelias. Et revera quid vetat, ait, quominus tractetur hæc quæstio speculabiliter tantum, moribus & consuetudinibus utrarumque partium prætermissis, atque ita propemodum ac si nihil ea nostrum interesset? Id fieri posse affirmavit P. Abbas; quin & hanc agendi rationem sibi probari fassus est. Tum vero absolutum est colloquium mutuis humanitatis officiis, quæ initio fuerant adhibita, in discessu ultro citroque collatis.

Sub hoc tempus ignota manus P. Abbatem ictu gravissimo perculit, atque intimum ejus sensum acerrime commovit. Digitum intendo ad quatuor illas Anonymi Epistolas, Coloniæ, ut præfert titulus, impressas anno 1692. in quibus Author ingeniosus, acutus & elegans, itemque doctus ac studiorum Benedictinorum strenuus assertor, quidquid humanæ & infirmæ rationis in illustri Reformatore deprehendere visus est, passim carpit, & salsissime exagitat. Parvus hic liber ceu quoddam fulmen universos oppressit, quotquot P. Abbatis partes sequebantur. Nullum itaque non movere lapidem, ut ejusdem Authorem detegerent. Gravis suspicio in D. Dionysium Sammarthanum potissimum cecidit, cui ex publica fama summopere infensam propterea se exhibuit Guisiæ Ducissa, totis viribus connitens, ut injuriam amicissimo sibi capiti inflictam ulcisceretur. Adeo illa Superiores sollicitavit, ut eum Turonis, ubi Cœnobii S. Juliani Prior erat, abducere fuerint coacti, & ad S. Germanum a Pratis transferre; quæ pœna visa est Ducissæ levior, & suavior, cum exploratum sit haud paucos Priores de suo gradu libenter decedere paratos esse, ut privati Monachi locum in hoc Cœnobio teneant. Quod præcipue verum erat de D. Dionysio, qui studiis deditus, & a Prioratus curis plurimum alienus nullibi versari poterat jucundius, quam in eo loco, in quo studendi omnes suppetunt commoditates. Quod si certum & exploratum erat, harum Epistolarum authorem eum non fuisse, laudes nihilominus, quæ ex publico rumore in eum propterea convertebantur (nam tunc illæ Epistolæ cum Epistolis Provincialibus de elegantia contendebant) nec non & locus, quem earum occasione obtinuerat, tolerabilem ei calumniam reddidere. Quilibet alius in eadem navi constitutus, qui non æque ac ille moderati animi fuisset, valde vereri poterat, ne sui ipsius amor humilis resignationis laudem sibi quadantenus præriperet.

Interea vero D. Mabillonii Responsio procedebat; cujus ut editio interverteretur, familiares P. Abbatis suggesserunt Cancellario, propositum esse huic S. Benedicti Monacho, nulla obtenta nova approbatione, ad Tractatum de studiis quem rursus edebat hanc Responsionem subnectere. Quamvis autem sciret hic Magistratus, primum Responsionis folium sibi jam fuisse exhibitum, ut D. Pirotio Doctori & librorum Censori ostenderetur; accersivit nihilominus ad se D. Mabillonium; accedentem vero benignissime excepit: ac postquam de ejus libro notitiam ab ipsomet sumpsisset, approbationem ei pollicitus est; adjecitque se per literas P. Abbati indicaturum, ne quam ulterius moram huic negotio injiceret.

Hujus Responsionis, statim ac fuit absoluta, quinque exemplaria transcripta sunt, quæ Dom. Cancellario & examinatoribus distribuerentur. Quamprimum vero in Cœnobio Trappæ vulgatum est de absolutione operis, quisque esset in illud Cancellarii animus. Ideo validius urgeri cœpit apud Parisiensem Archiepiscopum ejus suppressio. Et quidem præstantissimus Antistes rogaverat Cancellarium, ut approbationem inhiberet, aut saltem protraheret. Petiit quoque ut ad se veniret Mabillonius, qui statim una cum Cœnobii Priore accessit. Continuo Præsul, cupere se ait S. Augustinum imitari, qui S. Hieronymum & Rufinum inter se conciliare summa ope studuerat (secluſa tamen comparatione, inquit.) Trappensem Abbatem prope 50. annorum amicitia sibi esse conjunctum: eum sane acrem nimis esse & acutum, sed recti bonique animi virum, & honoris, quo ipsum D. Mabillonium & Congregationem prosequebatur, testificationem exhibere paratissimum; denique in offensionem vulgi facile incurrere, quod inter adeo pias Sodalitates dissidia foveantur. Ad hæc respondit Mabillonius eodem prorsus modo, quo alias responderat, quandocumque cedere cogebatur: testatus est pro nihilo sibi esse quod ad se privatim pertinere videbatur: sed injurias statui Monastico, sui Ordinis viris sanctitate conspicuis, & suis Fratribus palam inflictas, æquo animo ferre se non posse; pernicioſos effectus ex abolitione studiorum intra Claustra consequuturos, atque ipsum D. Archiepiscopum, si quis alius, teneri maxime studia fovere, utpote qui eorum fuerit pro sua benignitate auspicatissimus promotor: ita ut PP. Benedictini quidquid Ecclesiæ utile hactenus prompserant, ex quo Patrum editiones in Congregatione S. Mauri adornari cœptum est, totum ei deberent. Hujusmodi rationes & momenta Præsulis animum moverunt, adeo ut facile manus dederit, & se Cancellario mandaturum promiserit, nihil esse quod approbationis concessionem morari jam possit.

Ita-

Itaque *poſt alia* multa eorum, qui Trappenſis Abbatis partes tuebantur, molimina & occulta conſilia, quæ ſingillatim referre ſupersedeo, ne tædio Lectores afficiam, D. Mabillonii opus tandem excuſum in lucem prodiit. Unum ejus exemplare ab Authore ſtatim miſſum eſt ad Guiſiæ Duciſſam, quæ decem & octo diebus elapſis per literas eum admonuit, operis hujus Proloquium nimis acre & ad vellicandum Adverſarium unice factum viſum ſibi fuiſſe, adeo ut putaret non ab ipſo compoſitum, ſed ab iis, quibus P. Abbatis liber offenſioni immerito fuerat; P. Abbatem ſtudiis prophanis tantummodo bellum indixiſſe; nec in alium quemquam, præter diſciplinæ Patrum Benedictinorum deſertores, exarſiſſe: mutuo colloquio conciliandas utriuſque ſententias, & poſtremi hujus operis acrimoniam cohibendam fuiſſe. Quod attinet ad ipſum Trappæ Abbatem, quamvis poſtea D. Mabillonium ad ſe venientem humaniſſime recepiſſet, uſque ad exitum tamen perſonam egit cenſoris & Adverſarii ſtudiorum, nec unquam ei perſuaderi potuit ut illa ſe exueret. Quid quod identidem neceſſarios ſuos per litteras admonebat, fore ut Mabillonii Animadverſiones κατὰ πόδα ſectando refelleret, ſi forte reſpondendi animum ſibi Deus injiceret: id autem a ſe confectum iri æque felici ac plano modo, quo ſuam Reſponſionem ad Tractatum de ſtudiis antea adornaverat. Haud ſcio an hunc illi animum Deus umquam injecerit: alicubi tamen nunciatum reperii quoddam illius opus ſub hoc titulo: *L'Examen des Réflexions du P. Mabil. ſur la Réponſe au Traité des Etudes Monaſtiques*, quod aliquando fuiſſe typis vulgatum non puto.

Porro haud novi quemquam, ſi unum P. Abbatem excipias, cui illius ſententia non viſa fuerit animadverſionibus Mabillonii penitus everſa & profligata. Cuidam Monacho Cæleſtino cupido inceſſit cognoſcendi, quid de Monaſticis ſtudiis ſentiret Arnaldus. Curavit ergo, ut illi proponerentur ſequentes quæſtiones.

Primo, An liceat Solitariis divinarum Scripturarum profunditatem ſcrutari. Secundo, An ſit de eſſentia ſtatus Monaſtici & Regulæ S. Benedicti, ut qui ea profitentur, docti non ſint. Tertio, An ſtudioſa lectio Operum Dogmaticorum, quæ conſcripſerunt SS. Patres, profeſſioni Monaſticæ adverſetur. Quarto, An regulæ a S. Hieronymo ad Lætam miſſæ pro inſtituenda ejus filia, ad Monachos extendantur; & utrum liceat Monachis ea volumina perlegere, quæ hic S. Doctor Virginibus legi permittit.

Cum Dom. Arnaldus hujus Conſultationis ſcopum probe intellexiſſet, ſecluſo cujuslibet propoſitionis ſingulari examine, reſpondit, quandoquidem expetebatur ſua de diſſidio literario inter Trappenſem Abbatem & Mabillonium opinio, ſibi videri, in nullius offenſionem incurrere debere P. Abbatem, propterea quod in ſuo Cœnobio peculiaria quædam ſtatuat: „ at ſi quis velit illius agendi rationem (pergit Arnaldus) ceu quandam normam proponere reliquis Solitariis, ita ut iſti „ ſtatutis illius obtemperare teneantur, perinde ac ſi „ ſtatui Monaſtico, & Regulæ S. Benedicti omnino repugnaret Monachos doctos eſſe, id vero puto ab æquitate diſſentaneum. Haudquaquam decet Monachos in inſcitia marceſcere. Lectum mihi eſt, ni fallor, apud Severum Sulpicium, librorum tranſcriptionem, quæ quoddam ſtudii genus eſt, laboris loco fuiſſe Monachis Cœnobii S. Martini. Equidem Monachorum lectiones prudenter & caute inſtituendæ. „ Ego in eam ſententiam propendeo, ut lectiones illis „ ſubtrahantur, quæ cum eorum inſtituto minime conſentiunt. Intereſt tamen doctos adeſſe Monachos, „ qui Eccleſiæ partes tueri valeant adverſus laxas opiniones, & quandocumque eorum opera eidem Eccleſiæ neceſſaria fuerit. Haud vidi quidquam eorum quæ „ de hac materia Trappenſis Abbas & Mabillonius „ ſcripſerunt; audio tamen, Mabillonii libros in magna eſſe exiſtimatione. Itaque neminem hic ad ſcribendum de eadem controverſia excitarem.

D. Nicolius legerat omnia quæ ab utroque conſcripta ſunt: pervulgatum eſt autem, quam circumſpectum de qualibet re judicium magnus hic Auctor ferre ſolitus fuerit. Fragmentum illius a me inventum in Chartophorio D. Mabillonii, nimis longum fortaſſe videbitur, ut huic compendioſæ narrationi inſeratur: quandoquidem vero numquam impreſſum hactenus fuit, legique ab omnibus meretur, Lectori haud grave futurum ſpero, quod illud afferam hoc loco. En tibi ejuſdem Commentarius, illius nomine neutiquam conſignatus: ſed ipſa ſcriptionis evidentia & æquabilitas ſatis tibi ſine proprii nominis appoſitione ipſum Auctorem compertum reddent.

„ Cenſura in poſtremo Trappenſis Abbatis libro contenta adverſus Monachos Benedictinos, conſiderari „ poteſt relate ad triplicem temporum differentiam.

„ Primum intervallum S. Benedicti vitam & annos „ triginta aut quadraginta poſt ejus mortem, quæ contigit anno 547. complectitur.

„ Secundum inde uſque ad Viennenſe Concilium decurrit, quo ſeptingenti amplius anni continentur.

„ Tertium a Concilio Viennenſi uſque ad noſtram „ tempeſtatem protenditur.

„ Quoad primum Trappenſis Abbas propugnat, S. „ Benedictum ut Monachi ſtudio operam darent noluiſſe; idque duobus argumentis patere; primo quod in „ ſua Regula ſtudiorum non meminit: deinde quod lectioni binas tantum horas aſſignavit, quæ ſcientificis „ ſtudiis (ait) inſtituendis nequaquam ſufficiunt.

„ Quoad ſecundum temporis intervallum tuetur, cœptum fuiſſe ſtudiis vacare paulo poſt S. Benedicti obitum, ſed id ut plurimum factum fuiſſe rejecto S. Patris ſpiritu, & ſecus habita ejuſdem voluntate.

„ Quoad tertium denique eadem pergit defendere, & „ præterea aſſerit, Monachos tædio manualis laboris „ ſtudiis incubuiſſe: quibus intentos a Dei ordine deſciviſſe, & ſine peculiari vocatione ſtudentes minime potuiſſe eam ſpem fovere, Deum ipſis non imputaturum „ mentis evagationes & reliqua mala, quæ ineluctabiliter a ſtudiis proveniunt.

„ Quæ de hiſce tribus quæſtionibus ſtatui poſſe videntur, hæc ſunt: Nullo legitimo argumento umquam probabitur hæc aſſertio, Monachos ævo Sancti Benedicti nequaquam ſtuduiſſe. Ex Regulæ ſilentio nihil evincitur: Siquidem ne de Miſſa quidem „ Dominicis & Feſtis diebus celebranda meminit Regula, nec de mentali oratione, quæ poſt Pſalmodiam „ fiebat, ut aperte innuit S. Gregorius Dialog. lib. 2. „ cap. 4. nec de puerorum inſtitutione, quæ ex diſciplina illorum temporum in piis & claris Monaſteriis, „ puta in Lerinenſi conſtituta colligitur. Humanæ literæ ibi abſolute tradebantur a doctiſſimis Præceptoribus. Numquid in Monte Caſino hæc puerorum inſtitutio ſecus procedebat? nam ibi nobiliſſimarum Romæ familiarum filii educabantur.

„ S. Thomas & S. Bonaventura hoc argumentum, „ quod a Regularum ſilentio petitur, diluerunt, & „ contra ſtatuerunt, cum ſtudia ab his Regulis nequaquam expreſſe fuerint interdicta, cenſeri debere permiſſa: quæ illatio Pontificum & Conciliorum authoritate & judicio fuit comprobata.

„ Falſo ſupponitur, temporis anguſtias ſtudiis obſtiteriſſe, nam ſi recte calculum ineas, aliter definies. „ Ad binas lectionis horas quæ æſtivo tempore dabantur, adjiciendæ ſunt quæ ſequuntur. Una amplius „ hora tempore Quadrageſimæ. Secundo, Operis manualis, quod Dominicis & feſtis diebus ceſſabat, intervallum, quinque ſcilicet adauctæ propterea horæ „ ſpatio plus quam duorum menſium. Tertio, Tempus, quod inter Matutinum & Laudes fluebat, tunc „ cum dividebantur, quod tota hyeme obtinebat. Quarto, Tempus Nonam inter & Veſperas a Feſto Sanctæ Crucis uſque ad Paſcha. Quinto, Hora meridiana, quam vel per ipſam Regulam ſtudio tranſigere licebat. Ut dici poſſit, ultra quatuor in diem „ horas Monacho ad ſtudendum fuiſſe.

„ Denique duo hæc, Silentii Regularum, & anguſtiæ „ temporis, argumenta nullam vim habent adverſus Ordinis Traditionem, ex qua aperte colligimus, Monachos ſtudiis operam dediſſe triginta poſt S. Benedicti obitum annis, quamquam a nullo indicatum fuerit, eam eſſe de novo introductam conſuetudinem, „ nec ullus de rejecto per ſtudia S. Benedicti ſpiritu, „ & ejuſdem inſtitutionibus violatis conqueſtus ſit.

„ Statuendum igitur eſt, opinionem ſtudiis contrariam relate ad hoc tempus leviſſimis inniti rationibus.

„ Id autem verius eſt, ſi ad ſecundum temporis intervallum animum intendas. Pronunciari enim libere poteſt, eam plane commentitio rationis figmento, & meris adverſus hiſtoricam veritatem aſſertis ſuſtineri.

„ Commentitium rationis figmentum in hoc ſitum „ eſt, quod illis temporibus duo quaſi genera Monachorum fuiſſe credantur: partim qui ad ſtudium peculiari vocatione, adeoque extra ordinem ferebantur: „ partim qui tali vocatione deſtituti ſtudiis vacare non „ poterant ſine culpa, & niſi a Dei ordine deſciſcerent. Nemo id ante Authorem Reſponſionis ad Tractatum de ſtudiis umquam alias excogitavit. Facile vero diluitur, ſi ab eo quæramus, an hæc extraordinaria vocatio Monachis ipſis, qui ſic ad ſtudia „ ferebantur, innotuerit, nec ne. Si eam non innotuiſſe dixerit, quid vetat quominus hos Monachos ut „ teſtes afferamus ad confirmanda omnium Monachorum ſtudia, cum æque illi ac reliqui uno inſtinctu „ ac ſine ulla talis vocationis extraordinariæ notitia „ ſtudia coluerint?

„ Quod

„ Quod ſi hæc vocatio illis innotuit, in alias delabimur difficultatum tricas. Si enim intellexerunt non licere in ſtudiis verſari niſi ex vocatione extraordinaria; cur plures eorum erudiendis ceteris præfecti non admonuerunt ſuos auditores de hujus ſtudii periculo, in quod ſine ulla peculiari vocatione incumbebant, viam perditionis propterea ineuntes? Quod ſi privatorum Monachorum conditionem non egrediebantur, eos imitari neutiquam licebat; non enim ut tales olim ſtuduerunt, ſed ut Monachi extraordinaria vocatione cenſiti.

„ Aſſertum, quod cum hiſtorica veritate pugnat, hoc eſt: quod ſupponit Reſponſionis Author, ſtudia fuiſſe excuſa ad evitandum opus manuale, ac duo hæc, ſtudia nimirum & opus manuale eſſe incompatibilia. Id vero adeo falſum eſt, ut qui ſtudia impenſius conſtituerunt, iidem opus manuale injunxerint, commendaverint, & diligentius aliis tractaverint; quod a Bedæ, Benedicti Anianenſis, Corbejenſi, Beccenſi, Fuldenſi, & aliis Monaſteriis tum ab ipſo Benedicto Anianenſi, tum a S. Bonifacio in Germania fundatis elucet, in quibus labore manuum numquam intermiſſo ſtudia pariter viguerunt.

„ Verum enim vero Trappenſis Abbatis ſententia multo minus defendi poteſt relate ad tertium intervallum, nempe poſt Concilium Viennenſe ad noſtra tempora. Porro hic Author haud alia ex cauſa ſtudia damnat, niſi quod comparata ſint Monachos a Dei ordine divellere, quodque illis ſine ulla peculiari vocatione operam navent.

„ Sed quæſo poterit-ne ille affirmare, Œcumenico Viennenſi Concilio, Pontifici Benedicto XII. viginti Conciliis Provincialibus, id juris non eſſe, ut Monachos ſtudiis admoveant, atque eos ſtudere jubeant? Porro id ab illis factum fuiſſe conſtat, & Superioribus Monaſteriorum inculcatum, ut in ſuis Monaſteriis ſtudia Rhetoricæ, Philoſophiæ, Theologiæ, Juris Canonici & Sacræ Scripturæ regulariter vigere faciant. Quod expreſſe ſtatutum eſt etiam in Concilio Tridentino *Seſſ.* 5. *cap.* 1. *cap.* 4. *de Ref.*

„ Itaque Reſponſionis Author quid ſequenti argumentationi, cujus propoſitiones vel ab ipſius ſcriptis ducuntur, reſpondere poſſit, plane non video.

„ Si Eccleſia forte Monachis ſtudia præciperet, ejus judicio nos ſubmittere ſine ulla renitentia oporteret, neque enim quod illa jubet damnandum eſt; ſed potius ſpes illa fovenda, Deum auxilio gratiæ ſuæ nos a ſtudiorum periculo ſervaturum. Hæc propoſitio eſt ejuſdem Authoris in libro, cui titulus *Eclairciſſemens*.

„ Porro Eccleſia in Concilio Viennenſi, atque aliis permultis Monachos ſtudere juſſit. Altera hæc propoſitio in ultimo ejus libro reperitur.

„ Ergo ſtudia Monaſtica damnari non licet, ipſe autem ea damnando quod ſibi non licebat fecit.

„ Nihil ſolidi habet ejus ſolutio, quod nempe Eccleſia hanc conſtitutionem juſſerit *ad duritiam cordis*; imo Conciliorum ipſorum verbis & manifeſtiſſimæ rationi adverſatur. Deus enim poteſt quidem aliqua „ mala *ad duritiam cordis* permittere, ut olim Judæis libellum repudii: ſed ea imperare non poteſt, niſi rationem culpæ ab iis penitus auferat.

„ Atqui de præcepto hic agitur, non de permiſſione quadam. Studia etenim ab Eccleſia non modo „ permittuntur, ſed & imperantur, ut Author ipſe fatetur.

Aliud hic momentum adverſus Abbatis ſententiam proponamus, quod mihi videtur non ſatis hactenus inculcatum. De experientia loquor, quam in rebus facti, ſeu practicis omnes debent maxime conſulere. Quidquid illi opponitur, falſum eſt, & periculi plenum, utcumque ſolidis in ſpeciem argumentis confirmetur. Congregationem S. Mauri in exemplum ſumamus. Quod de illa dicam, ceteris applicari poteſt; de illa vero ſingillatim loquor, quod magis ceteris ſit mihi cognita.

Hæc Congregatio ex ducentis circiter Monaſteriis conflata eſt, quorum unicuique Superior neceſſario præeſt. Jam ergo ducentos viros habes, qui juxta Regulam, quam profitentur, ſeligi debent præ aliis vitæ merito & ſapientiæ nomine conſpicui, quique in lege Dei eruditi probentur, ut opportune de proprio theſauro nova & vetera proferre ſciant. Quid quod ne iſta quidem profunda ſapientia, & eximia divinarum legum notitia ſufficiunt, niſi iis appoſite uti noverint? Superior debet docere, exhortari, arguere, conſolari, fovere & fulcire animas ſibi commendatas, quæ ſingula exequi non niſi ſermone poteſt. Porro ſermonem, quem fructus ſequatur, anteire debet rerum copia, comitari principiorum poſitio, & illationum adæquata deductio; materiæ quoque, de quibus eſt ſermo, quodam ordine ſunt diſponendæ. Numquid iſta ſine ſtudiorum ſubſidio quiſpiam fecerit?

Plerique eorum, qui ad Novitiatum admittuntur, juvenes ſunt 18. plures minuſve annos nati, qui ex ſecunda Grammaticæ claſſe, aut ex Rhetorica Palæſtra, ut plurimum paulo progreſſi, exeunt: adhæc notitia rerum, quæ ad religionem ſpectant, deſtituti; nullius ſcientiæ principia, nihil exquiſiti judicii ſecum afferentes. Si nullos alios libros præter illos, quos Trappenſis Abbas permittit, in manus horum tradas, quem amabo fructum inde percipient? In primis ſiquidem cum nullus alius latinæ linguæ uſus illis ſuppetat, quam quem e claſſibus ſibi comparavere, innumera Scripturæ Sacræ aut Sanctorum Patrum loca minime intelligent, aut perperam interpretabuntur. Deinde qualicumque uſu exercitati credantur, adhuc hærebunt in multis locis, quæ ſine prævia notitia myſteriorum Fidei & Moralis diſciplinæ, quam ipſi aut confuſe aut nullo prorſus modo arripuerunt, percipi recte non poſſunt. Tertio fructum ex lectione non capient; ad hoc ſiquidem oporteret quædam collectanea adornare, ad certa capita res quaſque vocando, principia alia ab aliis ſeligendo, literalem Scripturæ ſenſum ab allegorico, ponderis & authoritatis plena apud Patres a levibus & dubiis ſecernendo, veritatis & falſitatis notas in Eccleſiaſticis hiſtoriis evolvendis caute adhibendo. Quarto cum hæc collectanea, ſi ea his ſubſidiis deſtituti ſibi comparare aggrediantur, male digeſta omnino fore putandum ſit, quomodo illis appoſite uti poterunt, quotieſcumque exhortationes aut ſermones ab illis inſtitui officium ipſorum poſtulet? Numquid in eorum oratione veritas, æquabilitas, connexio & affectuum motio facile reperientur? Quinto ſi forte contingat, ut aliquis ex eorum Fratribus circa aliquod Myſterium in difficultatum tricas ſeſe conjiciat, ſuaque commenta aliquibus Scripturæ aut Patrum locis confirmare ſe putet; nihil jam illorum opera ad difficultates tollendas profutura eſt, quippe qui eamdem legendi methodum, atque eoſdem libros uſurpaverint, atque ideo Fratribus ſuis minimum ſint doctiores. Inſtar cæcorum erunt cæcos ducentium. Neque vero mihi objiciantur quidam Sancti Abbates, qui omni ſcientia deſtituti animas ipſorum regimini commendatas optime quondam moderati ſunt: quamquam virorum hujuſmodi haud ita magnus numerus allegari poſſet. Sed utcumque eorum viginti aut amplius in medium proferantur, quid inde erit emolumenti? Ducentis opus habeo, & fortaſſe pluribus, ut in decedentium locum ſubſtituantur, aut perperam electis ſurrogentur. Numquid hujuſmodi viros extraordinariæ virtutis ſubſidio munitos valde obvium eſt invenire? An expectanda ſunt quotidie inuſitata ſupernæ diſpoſitionis miracula?

Quin & ducenti Superiores nequaquam ſufficiunt; nam in ſingulis Communitatibus adeſſe debet *infra illos* Monachus, qui ipſis longe agentibus, aut ægrotantibus Superiorum munera exequatur. Cæterum ſi ea, quæ dixi, ſatis probant (quod reor) idoneos Superiores conſtitui non poſſe ſine ſtudii ſubſidio; jam nova rationum momenta haud neceſſe eſt afferre, ut ſtatuamus idem dicendum eſſe de Subprioribus.

Nunc ad privatos Monachos veniamus, quorum numerus in Congregatione duobus circiter millibus concluditur. In hac porro multitudine virorum vix quatuor fortaſſe reperies, qui eandem ingenii aptitudinem, eaſdem propenſiones, eumdem ſcientiarum guſtum ſortiti ſint. Interea omnes, ſi Trappenſi Abbati obtemperandum fuerit, nihil aliud librorum habebunt, præter Sacra Biblia, & quoſdam Tractatus morales Sanctorum, Auguſtini, Gregorii, Bernardi, Ephræmi, aliave nonnulla ſcripta aſcetica. Ego vero contenderim, haſce lectiones minime ſufficere, ut omnes & ſinguli in illis apte occupentur. Plerique ea, quæ ex iis operibus latina lingua ſcripta ſunt, vix capient, cum poſt ſuum in Clauſtra ingreſſum nulla ad hujus linguæ cultum aut exercitium adminicula in promptu habuerint.

Præterea hujuſmodi lectiones in fructum non cedunt, neque alunt ingenia, niſi accedat meditatio, & apta mentis reflexio, ita ut quod legitur legenti adplicetur; numquid vero hujuſmodi ingenia, quæ reflexioni ſtudeant legendo, plura facile invenientur?

Adde quod cum eædem paſſim materiæ in his libris inculcentur, ac omnis denique tractatus in humilitate, mortificatione, mundi atque ejus vanitatum abdicatione, ſubmiſſione, abalienatione verſetur: plurimi licet boni ceteroquin Monachi harum repetitionum tædio facile afficientur.

Quidquid librorum a Trappenſi Abbate permittitur, biennio ac citius legi poteſt. Quotuſquiſque vero reperietur, qui S. Ephræmi lectionem vicies iterare libenti animo valeat intra annos quadraginta?

Juxta præſentem diſciplinam omnes fere Monachi ad Presbyteratus Ordinem evehuntur: An Epiſcopi Presbyteros paſſim conſtituent eos, qui omni Myſteriorum & Traditionis Eccleſiaſticæ cognitione ſpoliati, nullam

aliam ad Ordines diſpoſitionem contulerint præter Monaſticam ſpiritualitatem?

Quod ſi qui e ſæculo ad Philoſophiæ, Theologiæ, aut Mathematicæ ſcientiæ, Hiſtoriæ etiam, & Criticæ Artis ſtudia propenſi & aliquatenus diſpoſiti veniant, quod ſæpe fit: an hujuſmodi ad ſolas materias aſceticas ſe demitti facile patientur?

Ex quo aliquis Monachatum amplexus eſt, inquies, omnes has propenſiones, quæ recta ad Deum nequaquam diriguntur, abdicare debet, ac deinceps nihil aliud meditari niſi Crucem, Mortem, extremum Animarum judicium, ſupplicia & præmia æterna. Id vero quis neget? Sed ut nihil præter iſta cogitent ac meditentur, neceſſe eſt omnes Monachos recollectionis & orationis ſpiritu præditos eſſe, quo pauci cæteroquin ſuperna diſpoſitione donantur.

Error Trappenſis Abbatis inde ortum habuiſſe mihi videtur, quod Monachos inſtituere volens juxta ideam perfecti Solitarii, quam ſibi animo affinxerat, in ſpeculatione ſola defixus, ad praxin deſcendere neutiquam dignatus ſit. Qua in re (quod mihi fas ſit loqui inviolata tanti viri memoria & reverentia) affirmare auſim, ea virtute, quam aliarum genitricem S. Bernardus & S. Benedictus appellant, quaque ſepoſita quo majori zelo Superiores accenduntur, in pluribus offendunt, ipſum deſtitutum fuiſſe. Ea vero eſt diſcretio, ſive prudens benignitas, quæ nihil jubet extremum, nihil ordinarias humanæ naturæ vires excedens; quæ apte & in tempore nonnulla permittit; quædam viciſſim æquo jure denegat, & nihil agit ex naturali affectu, aut ex quadam imaginationis vi, animique levitate & inconſtantia; quæ rationabiles neceſſitates ultro prævenit, ſubditorum infirmitatibus ſe accommodans, quas ad Dei amorem novit etiam dirigere; quæ ſine faſtu reverentiam, ſine abjecta ac nimia indulgentia amorem ſibi conciliat; quæ denique, ut uno verbo cuncta complectar, ita res omnes moderate regit, ut fortes majora in dies facere contendant, & imbecilles animum numquam deſpondeant.

Haud alius Regulæ S. Benedicti ſcopus eſt: propterea ait S. Gregorius illam omnibus Regulis antecellere virtute diſcretionis. Negari non poteſt, majores noſtros, cum ſtudia Monachis permiſerunt, propius ad hunc ſcopum acceſſiſſe, quam Trappenſem Abbatem. Cum perſuaſum illis fuiſſet, omne ſtudium, quod ad Deum referri nihil vetat, atque eſt Reip. utile, a Monachis quoque tractari poſſe; liberam iis facultatem conceſſere, ut quodcumque arrideret magis excolerent; atque omnia illis ſubſidia ad apicem ſcientiæ neceſſaria ſuppetere voluerunt. Excluſerunt tantummodo Chemiæ Artem, Aſtrologiam Judiciariam, atque alias ſcientias pernicioſas aut inanis curioſitatis plenas.

Faxit Deus, ut ardens hic ſtudiorum amor perpetuo duret in eorum ſucceſſoribus, a quibus ſtudiorum moderamen maxime pendet. Dum Superiores ipſi ſtudia amabunt; dum ipſi reliquis erunt exemplo; dum delicias ſibi eſſe duxerint ſolitudinem; dum libros in pretioſiſſimæ ſupellectilis loco, ac tamquam maxime neceſſarium ſuarum domorum ornamentum habebunt; dum ſuorum Monachorum talenta dignoſcere ſtudebunt, atque ea apte exercere magni ſua intereſſe putabunt, ſtudiorum ſcopum alium aliis proponentes juxta ſingulorum propenſiones & capacitatem; dum regiminis moderatione lenibunt quidquid aſperitatis & faſtidii ſolitudo & laborioſa mentis exercitatio in ſe continent; dum perinde agent ac ſi rationem ſe reddituros putent malorum omnium, quæ otioſus Monachus lingua, cogitatione, & manu perpetrare poteſt; dum ipſorum animis jugiter obverſabitur, otium, ac mentem inexercitam duo eſſe funeſtiſſima diſſolutionis Monaſteriorum principia: in magna jam ſpe eſſe debemus, fore ut ſtudia in Benedictinis Congregationibus vigere pergant, ac Reſpublica de literariis earum laboribus, & de pietatis muneribus pariter locupletetur. Nulla ferme Sodalitas deſiderabit viros, qui opera a ſe compoſita in vulgus edere, aut aliis ſua emittentibus collaborare poſſint. Omnia hic ſita ſunt, nimirum ut ſingulorum propenſiones & captus diſcernantur, & ex hac diſcretione quilibet convenientius exerceatur.

EPISTOLÆ LATINÆ, ET GALLICÆ

Circa Studia Monaſtica.

HILARIUS ROUVILLE'

DOMNO J. MABILLON S. P. D.

Librum tuum de Studiis Monaſticis perlegi, Vir religioſiſſime, atque uno quaſi hauſtu ebibi, omiſſis interea nonnullis earum quæ mihi incumbunt curis. Unde fit ut ſit unum quod te moneam; ſcilicet non conſtas tibi ipſe dum negotiis lectionem poſthabendam cenſes, tuumque illud præceptum ea ſermonis ſerie tradis, quam nemo qui ſapit intercidere lubens patiatur. De opere ipſo quid dicam? Certe quam nactus es ſpartam ornaſti hactenus, jam & tueris, ignorantiæ Monaſticæ patronum non modo non perſtringis, ne quidem fugillas oblique, ſed præpoſteram ejus abſtinentiam oppoſita teſtium omni exceptione majorum nube paſcere quam exprobrare ſatius duxiſti. Perge, Vir eruditiſſime, nec ſatis tibi ſit tot oblitterata monumenta eruderare. Redditio priſtinæ virtuti ſodales tuos, quos ſi erudire lucubrationibus tuis, fovere alloquiis volueris, intermortuam Societatis veſtræ gloriam ſummo Eccleſiæ decori reique litterariæ augmento plane reſtitueris. Vale, & me tui obſervantiſſimum ama.

29. Julii 1691.

MONS. HUET

A D. MABILLON.

M. R. Pere.

Je vous remercie très-humblement par avance du préſent que vous m' annoncez. Le tems de mon retour à Paris étant incertain, je vous ſupplie d' envoier l' exemplaire de votre Ouvrage que vous me deſtinez, à M. du Four Profeſſeur de Rhétorique à Harcourt rue de la Harpe, en lui faiſant ſavoir que c' eſt pour moi. Je ſuis ravi que vous ayez entrepris de déſabuſer ceux à qui on a voulu perſuader depuis quelques années, que l' ignorance eſt une qualité néceſſaire à un bon Religieux. Je ſuis dans un lieu où j' ai vu ſoutenir cette maxime, ſi favorable à la fainéantiſes des Cloitres, qui eſt la mere du relachement. J' ai eu beau alléguer votre exemple & celui de tant d' illuſtres Confreres que vous avez, ſi dignes de l' habit & du titre qu' ils portent. Votre ouvrage les pourra déſabuſer, ſi je puis obtenir qu' ils le veuillent lire: mais quand on aime ſon mal on en fuit les remedes. On vous préſentera bientôt de ma part un petit traité que j' eſpère que vous lirez avec indulgence, puiſqu' il vient d' une perſonne qui honore votre mérite, & qui fait profeſſion d' être &c.

A l' Abbaye d' Aunay le 13. *Aout* 1691.

R. P. HENR. NORIS AUGUSTINIANUS

AD D. J. MABILLONIUM.

R. P.

Singulari ac eximiæ veſtræ Paternitatis Reverendiſſimæ erga me benevolentiæ debeo, quod delatum mihi a Summo Pontifice munus gratulatus es, & quamvis tam amica ac ſplendida gratulatio nullum apud me locum invenit, quippe qui privatæ cellulæ quiete unice delectatus, animum inducere non potui, ut ſacræ meo capiti inſulæ imponerentur, eam tamen dignitatem mihi deſignatam eo ſaltem lætatus ſum, quod ejuſdem occaſione tuis me litteris poſt diuturnius ſilentium beaſti; quas quidem, non dicam, pluris facio quam Pontificium munus, ſed quæ plane tantum mihi lætitiæ ingeſſerunt, quantum mœroris ſubiiſſem, ſi iterato præcepto coactus fuiſſem oblatum honorem admittere. Porro tuas litteras tuum pariter munus ſubinde conſecutum eſt, videlicet doctiſſimus liber, quem nuper de Studiis Monaſticis evulgaſti. Hoc munus expanſo ſinu atque oſculis excepi, qui paulo ante Pontificium munus recipere recuſaveram; quo quidem illuſtriſſimus evaſiſſem, cum tuo hocce litterario munere eruditior fiam. Hoc in opere eruditiſſimo temet litteratiſſimum oſtendis adverſus hominem, qui te cæteroſque Monachos malebat illiteratos,

quo-

quorum illum ſane numerum auxiſſe tot rationum pondere ac tot veterum Patrum teſtimoniis demonſtras. Imo non uno tuo tantum volumine, ſed numeriosiori Bibliotheca adverſarium oppreſſiſti, dum ejuſdem inſtruendæ exactum indicem publicaſti, in quo tamen concinnando id tantum erroris admiſiſti, qui editos a me libellos eidem inſerueris, cum viliſſimæ paginæ in nobiliſſimorum voluminum cenſum venire non poſſint, ſed nec eodem cum iſtis die nominari, quæ, ut cum poeta loquar, nigram in culinam raptæ, cordyllas tegent, vel thuris, piperiſque fient cuculli. Itaque ea meorum librorum nomenclatura tuæ quidem erga me benevolentiæ, ſed tuo tamen minus nomini conſuluiſti. Utinam peccati hujus veniam facile quemadmodum a me, a ceteris quoque impetres. Imo ipſe ego nullam tibi veniam, ſed maximas tantum gratias debeo, qui me in litterario theatro in arena cum plebeiis ſtantem, beneficâ abs te manu prehenſum, in quatuordecim ſeſſum deduxeris. Verumtamen tibi perſuadeas velim, malle me abs te amari, quam honore quolibet decorari, qui unice tibi maximus & debetur, & ab eruditis quibuſque tribuitur. Vale Vir doctiſſime, mihique mitiſſimum ac candidiſſimum genium tuum propitium ſerva.

Florentiæ 5. Idus Novemb. 1691.

MONS. LE CARD. LE CAMUS

A D. J. MABILLON.

C'Auroit été pour moi, mon Reverend Pere, une très-grande conſolation de vous pouvoir entretenir & de pouvoir admirer de près le fond de ſcience & d'érudition qui éclate dans tous vos ouvrages, & qui vous font autant eſtimer à Rome qu'en France. Je vous rends mille graces du beau Livre que vous voulez bien m'envoier, & bien que vous ne ſoiez pas du ſentiment de M. l'Abbé de la Trappe, pour qui j'ai tant d'eſtime & de vénération; je ne laiſſerai pas de le lire ſans prévention & ſans partialité: le combat des perſonnes de votre ſçavoir & de votre piété n'eſt pas dangereux, & il n'y a pas à craindre qu'on y bleſſe la charité: ainſi on ſe peut trouver à la mêlée & même être parrain comme on étoit autrefois ſans courir aucun riſque. Ito pares animis ambo & virtutibus ambo, & certare pares & reſpondere parati.

On ne peut avoir plus d'eſtime & plus de vénération que j'en ai pour votre perſonne & pour votre grande érudition, trop heureux ſi j'avois un peu de part en votre amitié & en vos prieres. Je ſuis mon R. P. abſolument à vous avec toute l'eſtime & la diſtinction poſſible.

De Grenoble le 10. Novemb. 1691.

D. MATHIEU PETIT-DIDIER

A DOM MABILLON.

M. R. Pere.

SI j'ai tardé juſques à préſent à faire réponſe à la Lettre obligeante que votre Révérence a eu la bonté de m'écrire en datte du 20. Aout, ce n'a pas été que je n'aie reſſenti d'abord, comme je devois, les honnêtetez qu'elle m'y fait, & que je n'aie eu toute reconnoiſſance poſſible pour la bonté qu'elle a eu de me faire préſent de ſon traité des Etudes. Mais c'eſt que j'avois de la honte de vous écrire, mon très-Révérend Pere, ſans pouvoir vous marquer que j'avois reçu ce Traité, & que j'ai cru pour cela devoir attendre que j'euſſe eu le plaiſir d'en faire la lecture. Un voyage que j'ai fait au mois de Septembre dernier aux eaux de Plombieres, joint à un autre que notre P. Procureur General a fait à Fontainebleau, pendant le mois d'Octobre, ont été cauſe que je n'ai reçu votre Livre que depuis environ quinze jours. Je l'ai lu avec toute l'avidité poſſible, & j'en ai eu toute la ſatisfaction que j'en eſpérois. Et comme nos Confrères, n'avoient pas moins d'empreſſement pour le lire, j'ai été obligé pour contenter tout le monde de le faire lire dans notre Réfectoire, afin que chacun put jouir en même tems du plaiſir de cette lecture. Vous ne ſauriez croire, mon très-Reverend Pere, combien ce Livre reveille dans notre Congrégation l'ardeur des jeunes gens pour l'étude, & le zèle des Supérieurs pour leur en procurer les moyens. La Méthode que vous propoſez dans votre Traité eſt ſi belle & ſi complette, qu'en la ſuivant on ne ſauroit qu'on ne devienne ſavant, & la fin que vous inſpirez à tous les étudians eſt ſi Chrétienne & ſi ſainte, que l'Etude ne ſera jamais que très-utile à ceux qui auront ſoin de profiter de ces avis & de joindre la troiſième partie de votre Traité avec la ſeconde. On m'écrit de Paris que M. de la Trappe a fait une Réponſe à la prémière Partie. En vérité c'eſt une choſe un peu ſurprenante, qu'un homme qui fait profeſſion d'être auſſi éloigné de toute contention & de toute diſpute, ne puiſſe ſouffrir ſans peine que l'on ne ſoit pas de ſon ſentiment. Il devoit ce me ſemble ſe tenir bien content de la manière obligeante dont vous parlez de ſon mérite & de ſa vertu, & cela même devoit le porter à demeurer dans le ſilence ſur le fond de la queſtion, d'autant plus qu'il ne ſauroit jamais donner atteinte à ce que vous avez établi dans cette prémière partie. On nous fait eſpérer que vous ne laiſſerez pas ſa Réponſe ſans replique. Je ne doute pas que vous ne triomphiez aiſément de cet adverſaire, quelque illuſtre qu'il ſoit. La cauſe que vous défendez eſt trop bonne pour craindre que vous puiſſiez la perdre; & le public eſt trop perſuadé de votre habileté pour ſouhaiter un meilleur Avocat. Un homme qui a paſſé ici depuis peu, qui s'appelle M. Peletre & qui dit avoir l'honneur d'être connu de vous, m'a dit qu'il a vu M. de la Trappe depuis que votre traité paroît, & que pendant le ſéjour qu'il fit dans ſon Abbaye, ce fameux Abbé le fit ſonder pour l'engager à reſter deux ou trois mois chez lui pour répondre à votre Traité, quoique M. l'Abbé lui eut dit auparavant qu'il ne vouloit faire aucune Réponſe à votre Livre. Il m'a même dit qu'il avoit remarqué étant à la Bibliotheque de cette Abbaye que la Bible de Caſtalion que vous avez miſe dans votre Catalogue, étoit auſſi dans cette Bibliotheque. Au reſte outre le préſent que vous m'avez fait de votre Livre, je me ſens obligé de vous remercier particuliérement d'avoir bien voulu y faire mention de notre étude & de nos remarques. C'eſt un effet de votre bonté à mon égard & de l'affection que vous avez pour notre Congrégation. J'ai reçu avec votre Livre & quelques autres que je faiſois venir, le dernier Tome de M. Dupin à la fin duquel j'ai trouvé la réponſe qu'il fait à nos remarques. On m'écrit de Paris qu'elle ne nuit pas beaucoup à mon Libraire, cela me fait croire que le public ne la trouve pas ſi convaincante ni ſi avantageuſe à M. Dupin, que ce Docteur paroît en être perſuadé. J'attendrai l'impreſſion du ſecond volume pour y faire une petite réplique dans la Préface. Ce ſera Dieu aidant pour l'Eté prochain. Je me fais déja par avance une joie de vous aller rendre mes devoirs & vous aller témoigner plus particuliérement la reconnoiſſance que j'ai pour vos bontez & le profond reſpect avec lequel je ſuis,

De Saint Miel le 26. Novembre 1691.

M. L'ARCHEVEQUE D'ALBY

A D. J. MABILLON.

M. R. Pere.

AMon retour de nos Etats de Montpellier, j'ai trouvé il y a ſix jours la Lettre que vous avez pris la peine de m'écrire. Je la conſerverai cherement comme un heureux commencement du commerce que j'eſpère d'entretenir avec vous à l'avenir; où, ſans abuſer de votre loiſir & de votre complaiſance, je profiterai de tems à autre, dans les occaſions, des lumières dont vous voudrez bien me faire part. Cependant je m'enrichis de la communication des tréſors que vous avez donnez au public dans votre livre des Etudes Monaſtiques. C'eſt le premier auquel je me ſuis attaché depuis que j'ai eu quelque tems pour m'entretenir avec mes livres, & je ſuis perſuadé qu'en ſuivant un ſi bon guide, il n'y a perſonne de ceux qui mettront ces avis en pratique, qui ne s'aperçoive de la facilité du chemin & du progrès que vous avez facilité à tout le monde dans toute ſorte de ſciences. Je ſuis ſi plein & ſi content de cet ouvrage, que je n'ai pu m'empêcher de vous en parler, avant ce qui fait le premier ſujet de ma Lettre &c.

D'Alby le 29. Decembre 1691.

D. CARD. DE AGUIRRE

AD D. J. MABILLON.

NIhil mihi gratius accidit, quam ubi litteras tuas accipio aut libros lego, præſertim hunc noviſſimum de ratione Studiorum Monachalium, adverſus piiſſimum illum Abbatem de Trappa. Nondum fuit mihi tempus percurrendi totum illum, ſed adhuc reſtat ma-

jor ipsius pars evolvenda. Cum vero scriptus sit lingua Gallica, mihi peregrina, & in qua hactenus exiguos progressus feci, solum dicere possum cum veteri illo Philosopho: Quæ intellexi, bona sunt: credo & quæ non intellexi. *Idem mihi passim accidit in libris aliis Gallicis, etiam prædicti Abbatis, quos ingenti numero apud me habeo, & interdum lego, aut coram me legere facio. Certe in hac parte sive defensione studiorum Ordinis Monastici, rationes tuæ, probationes & documenta ex tota fere Antiquitate Christiana desumpta, videntur plane rem extra controversiam ponere. Si nulla utilitas, nullum meritum, nihil denique laudabile est in studiis & exercitiis litterariis Monachorum, væ majoribus nostris, qui tot sæculis a tempore Benedicti Patriarchæ in iis laborarunt. Væ tibi, ac tui similibus in Congregatione Sancti Mauri. Væ & mihi aliisque meorum Fratrum in Hispania, & alibi fere. Profecto miserabiliores erimus aliis hominibus, si tota nocte laborantes nihil cepimus. Atqui loquendo de iis, qui pietatem imprimis colunt, ac subinde studia literaria debito modo, methodo, ac tempore in eum scopum dirigunt, immane paradoxon & minime tolerandum erit, si ab illo scriptore aut quopiam alio damnentur. Melius certe ac rationabilius invehi potuisset adversus quoslibet, præsertim Monachos, præpostero fine, modo, ac via studentes, aut plus sapere appetentes, quam oportet sapere. Nimirum ex his capitibus peccatur frequentissime, ab iis etiam, qui Monasticam vitam professi, plus justo atque incongruo modo exercitationibus litterariis se dedunt: non tam in Dei obsequium, utilitatem publicam & privatam salutis propriæ laborantes, quam ob curiositatem, ambitionem, aut illiberalem quæstum. Quin & sæpe, non solum in scholis publicis, sed etiam peculiaribus Monasteriorum, magna temporis pars insumitur, jactura irreparabili, in quæstionibus prorsus inutilibus, & similibus aranearum telis, in quibus nihil præter subtilitatem est. Id mihi etiam contigisse pro more sæculi, qui etiam in Religiosos viros, & claustra Monastica irrepsit, fateor non absque dolore cordis mei. Multa dictavi, scripsi, & typis expressi, parum utilia, quamvis resecaverim plurima alia ejusdem generis. Quæcumque de cætero edere contigerit, absque ea labe prodibunt. Quin & jam ante edita, si recudenda sint, ab ejusmodi quisquiliis libera erunt, quantum mihi licuerit. Neque enim omnia illa, quæ primo aspectu talia videntur, resecari penitus debent, cum deserviant ad exercitationem congruam ingeniorum, & viam aperiant, mentemque exacuant ad graviores alias quæstiones penitius intelligendas & explanandas. Laudandus itaque esset scriptor ille, si duntaxat adversus hoc studendi ac scribendi cacoethes, præsertim in Monachis, calamum strinxisset; atque ea in re me consentientem ac laudatorem inveniret. Deservient tamen illius scripta & observationes circa eam rem, ut Monachi omnes Sancti Benedicti, memores Instituti nostri, potiores curas, ac majorem temporis partem impendamus in exercitiis spiritualibus & sacris, in Regula præscriptis: studiis vero litterarum duntaxat, quantum & quatenus conferunt aut conferre possunt ad pietatem, perfectionem Christianam, Religiosam, Monachalem, & tandem ad perfectam charitatem erga Deum ac proximos. Sed quid ego immorer iis explicandis, quæ uberius a te insigni eruditione in hoc libro explanata sunt? quin & a Congregatione tua, observantissima pariter & doctissima, usu ipso ac vivido exemplo demonstrantur? Perge igitur Vir eximie, & prosequere, uti hactenus, simul cum aliis sociis, quot quot incumbunt similibus studiis, & præsertim correctissimis editionibus Operum Sanctorum Patrum, quales profecto sunt imprimis novissimæ Sancti Ambrosii & Augustini, quorum postremos tomos accepi cum ingenti animi voluptate, & non minori erga vos gratitudine. Ne prætermittas, quæso, grates meo nomine reddere quam primum Reverendiss. Patri Generali, & salutem multam impertiri eruditissimis Michaeli Germain, Theoderico Ruinart, aliisque similibus. Vale, & tuis ac tuorum sacrificiis & precibus, me nimium egentem Deo commenda.*

Romæ 22. Januarii 1692.

M. L' ABBE' DE LA TRAPPE

A M. LE CURE' DE S. JACQUES.

Du Haut-pas.

JE vous assure, mon très-cher Monsieur, que quoique le monde puisse dire, j'ai toujours considéré & estimé le P. Mabillon, comme je le fais encore, pour sa vertu, pour sa piété, comme pour son érudition. Deux choses m' ont fait écrire, l'une est que j'ai été persuadé que son Livre combat & renverse le principal principe sur lequel tout l' Ordre Monastique a été fondé, je veux dire la sainteté & la simplicité, & qu' étant pénétré comme je l'étois de ce sentiment, ma conscience m' empêchoit de l'étouffer & de le supprimer, & que la volonté de Dieu n' étoit pas que je gardasse le silence sur une matière de cette nature & de cette importance, d' autant plus qu' il n' y avoit point d' apparence que personne se mit en peine de défendre une vérité attaquée ou plutôt détruite, parce qu' on publioit par tout & qu' il passoit pour constant que son Livre étoit sans replique. L' autre raison est que j' ai cru que ma conscience & l' édification publique vouloient que je fisse connoître que je n' avois rien écrit qui ne fut conforme à la conduite de toute l' antiquité & selon les instructions que les SS. Peres nous ont laissées ou par leurs exemples ou par leurs écrits, & d' empêcher par là que ma personne & ma mémoire ne fussent flétries par un des Docteurs qui ont approuvé le Livre du P. Mabillon, en me qualifiant de novateur, d' extravagant, d' ignorant & d' homme qui enseigne des opinions erronées, que quatre des plus fameux Prélats de ce siècle ont approuvées. Les Saints qui en matière de foi & de créance ont été jaloux de leur réputation, n' ont pu se taire lorsqu' on les a soupçonnez, & qu' on a donné la moindre atteinte à l' une ou à l' autre, & je ne pouvois pas mieux faire connoître avec quelle injustice on m' imputoit un déreglement, dont je ne suis point capable, qu' en faisant voir que l' opinion contraire aux sentimens que j' avois avancez n' a rien de véritable ni de solide. Il est vrai que d' abord je ne m' étois proposé que de parler à nos Religieux; mais enfin je crus que cela ne suffisoit pas & qu' il falloit rendre ma justification publique: je fus sollicité à cela & poussé par des personnes de piété qui entrerent dans toutes mes vues & m' en firent voir les conséquences. J' honore le P. Mabillon, je vous le répète encore, & je suis assuré qu' il ne se seroit pas avisé par lui même d' écrire comme il a fait sur la nécessité des Etudes par rapport aux Moines & aux Solitaires de profession. On m' a mandé que notre Réponse l' avoit affligé, cela me donne beaucoup de déplaisir si cela est, & je ressens sa peine plus que je ne puis dire. Au reste je suis tout à fait fâché de ce que vous n' avez pas eu un livre que vous deviez avoir des premiers, & qu' on ne vous en ait point porté deux Exemplaires pour les personnes que vous me nommez. Enfin, mon très-cher Monsieur, j' apprends à l' heure qu' il est que vous avez reçu notre Livre, & en même tems que l' on a envie d' y répondre. J' en serai très-fâché dans la crainte d' être obligé à une replique. Cependant à moins que ma conscience ne m' oblige de parler, je demeurerai dans le silence, & je me contenterai de ce que j' ai dit. Pour ce qui est de l' Approbation du Docteur, celui qui l' a faite mérite une réprehension publique. Les sentimens contre lesquels il s' élève avec tant de témérité, sont précisément ceux qui ont été approuvez comme je viens de vous le dire, par gens qui valent mieux que lui, & à qui il doit respect. Je vous avoue que si quelqu' un m' avoit dit que le Pere Mabillon enseigne des erreurs, je n' aurois pas voulu l' écouter, & pour rien du monde je n' aurois pas voulu recevoir une approbation qui l' auroit traité comme je l' ai été. S' il ne pouvoit obliger ce Docteur à rabattre de son chagrin & de son aigreur, pour ne pas dire quelque chose de pis, il devoit laisser son approbation, il en avoit assez d' autres. Tout ce qu' il y a de gens d' honneur & de piété en sont scandalisez. Dans le fond j' ai fait mon devoir de soutenir la gloire de l' état où il a plu à Dieu de m' engager, ou plutôt la gloire de Dieu même qui est attaquée par la flétrissure qu' on a voulu faire à la Profession Monastique, en faisant passer les Moines pour des gens qui travailloient à devenir doctes, au lieu que toute leur ambition a été de devenir saints. Adieu mon très-cher Monsieur, vous aurez bien-tôt M. du Charmel qui vous dira de nos nouvelles.

Le 7. Avril 1692.

M. DE LA TRAPPE

A MADAME LA PRINC.

De Guise.

J' Admire, MADAME, la bonté de V. A. R. de vouloir bien donner quelques momens de son attention à l' affaire dont elle me fait l' honneur de m' écrire. Je n' ai jamais eu la pensée ni de blesser, ni de faire la moindre peine aux Religieux de la Congré-

gation

gation de Saint Maur & de S. Vannes ; j' ai ſeulement dit les choſes que j' ai cru propres pour appuyer une vérité qui eſt plus importante qu' on ne ſe l' imagine ; & comme il paſſoit pour conſtant que le Livre du P. Mabillon, étoit ſans replique, j' ai été perſuadé que je ne pouvois me ſervir de trop de raiſons pour faire voir que ſon ſentiment n' étoit pas ſi inconteſtable qu' on le penſoit ; cela n' empêche pas, Madame, que je n' aie pour lui toute l' eſtime qu' il mérite, & que je ne conſidère toute ſa Congrégation au point que je le dois. Ce qui eſt de fâcheux, c' eſt que dans ces ſortes de diſcuſſions, on ne ſauroit convaincre qu' en ſe ſervant d' expreſſions fortes, qu' on attribue ſouvent à l' humeur qui n' y a point de part. Si je voyois, Madame, le Pere Mabillon, je ſuis aſſuré qu' il ſeroit content des diſpoſitions où il me trouveroit à ſon égard, qui aſſurément ſont telles qu' on les peut ſouhaiter, & ſelon Dieu, & ſelon les hommes.

Il eſt vrai, Madame, que les conteſtations ſont à éviter entre les perſonnes qui ſont une profeſſion particulière d' être à Dieu, cependant il y a quelques fois des queſtions qu' il faut éclaircir, d' où il peut revenir des biens conſidérables, celle-ci en eſt une, & peut-être des principales, à cauſe de ſes ſuites & de ſes conſéquences ; les hommes en jugeront ce qui leur plaira : mais je puis dire qu' il ne m' eſt pas échapé une parole qui ſe reſſente de l' aigreur qui ſe rencontre dans ceux qui parlent ſeulement pour diſputer & contredire. Il eſt certain, Madame, que ce ſeroit un bien ſi tout cela demeuroit aſſoupi & qu' on n' en parlât pas davantage, car ma crainte eſt que ſi on répond à ce que j' ai dit, il n' y ait des gens qui écrivent pour le ſoutenir qui n' obſerveront pas les meſures que j' ai gardées, & cela arrivera d' autant plus, qu' à la réſerve de quelques perſonnes prévenues, le grand nombre eſt perſuadé que j' ai raiſon & que la vérité eſt de mon côté.

Pour le Livre du P. Mabillon, je l' ai entendu comme tout le monde l' entend, & il n' y a preſque qui que ce ſoit qui n' y ait vu qu' il engageoit les Religieux à des études trop vaſtes & trop étendues ; enfin, Madame, il n' y a rien que je ne ſois prêt de faire, ſans bleſſer la vérité, pour contenter ceux qui croient avoir ſujet de ſe plaindre de moi, & je puis dire à V. A. Royale, que j' ai en cela comme en toute autre choſe une entière déference pour tout ce qu' elle voudroit m' ordonner & me préſcrire. Je la ſupplie très-humblement de croire que nous ne ceſſons point de prier Dieu pour ſa conſervation.

Ce 21. *Avril* 1692.

D. JEAN MABILLON

A MADAME LA PRINC.

De Guiſe.

MADAME.

IL faut être autant perſuadé que je le ſuis de votre bonté, pour oſer préſenter à Votre Alteſſe Royale un Livre qui eſt écrit contre le ſentiment de M. l' Abbé de la Trappe. La conſidération qu' Elle a pour ſon mérite, ſans parler de la vénération particulière que j' ai pour lui, m' auroit ſans doute empêché de rien dire contre ſon dernier Livre, ſi une juſte néceſſité de m' expliquer, & de juſtifier notre Ordre ne m' y avoit engagé. Si V. A. R. prend la peine de jetter les yeux ſur ces Réflexions, j' eſpère qu' Elle verra bien que ce n' a été que comme malgré moi que j' ai été obligé d' écrire, & que j' ai taché de garder toute la modération qui m' a été poſſible. Je m' eſtimerai bien-heureux, Madame, ſi V. A. R. étant perſuadée de la diſpoſition où je ſuis pour cet illuſtre Abbé, Elle ne diminue en rien de ſes bontez ordinaires pour notre Congrégation, qui a reſſenti en tant de rencontres les effets de ſa protection. C' eſt la grace que je lui demande avec toute la ſoumiſſion dont je ſuis capable, en la priant de trouver bon que je me diſe avec toute ſorte de reſpect.

A Paris le 1. *Septembre* 1692.

M. L'ABBE' DE LA TRAPPE

A M. LE CURE' DE S. JACQUES

Du Haut-pas.

J' AI reçu pluſieurs lettres ſur le ſujet du Livre de la Réplique du P. Mabillon. Un homme d' un grand diſcernement & parfaitement inſtruit des choſes Monaſtiques trouve qu' il bat la campagne ; mais qu' il ne détruit point les véritez que j' ai établies, & qu' elles ſubſiſtent malgré tout ce que lui & ceux qui l' ont aidé ont pu écrire, (car ce n' eſt pas l' ouvrage d' un ſeul homme, ſoit pour le ſtile, ſoit pour les raiſons). Je ne l' ai point encore lu, & je n' ai point envie de le lire, parce que je tiens la cauſe que j' ai défendue indubitable : mais ſi ſa Réplique n' eſt rien que ce que l' on m' a dit en détail, qu' elle étoit, je la ſuivrois pié à pié, ſi Dieu me mettoit au cœur d' y répondre : & je le ferois avec autant de facilité & de ſuccès que dans la Réponſe. On diſoit la même choſe de ſon Traité des Etudes. Vous m' avez mandé vous-même que M. du Bois l' avoit diſſuadé d' écrire, & qu' il n' étoit pas content de ſon ouvrage. Comme M. Nicole l' a vu & corrigé avec beaucoup de ſoin & d' application, il ne ſe peut qu' il ne le trouve à ſon goût. Ce qui eſt de vrai, c' eſt que ſous ce prétexte que j' ai fait dire au P. Mabillon plus qu' il ne diſoit, & que j' ai porté ſes penſées plus loin, il ſe ſera prudemment retracté en ſe réduiſant à des opinions plus ſupportables. Je ne ſuis convenu de rien avec le Pere Lami, mais je n' ai point voulu diſputer avec lui ſur rien, car je ne veux diſputer contre perſonne. Je lui ai ſeulement témoigné que j' honorois ſa Congrégation & que j' avois pour elle toute la conſidération qu' elle méritoit, & c' eſt la vérité. Des gens ont dit & diſent encore qu' il y a des choſes trop vives dans ma Réponſe : d' autres diſent qu' elle eſt pleine de modération. Vous ſavez ce que vous en a mandé M. le Cardinal le Camus, la vérité eſt que quantité de perſonnes m' ont écrit & m' ont loué de ce que j' avois pu m' exprimer avec tant de force & de ménagement tout enſemble. Pour le Manuſcrit du P. Mabillon, je ne l' ai point vu. C' eſt un mauvais avis qu' on lui a donné. Les Approbateurs lui ont gardé plus de fidélité qu' il ne penſe.

Ce 8. *Septembre* 1692.

MADAME DE GUISE

A D. J. MABILLON.

J' ACHEVAI hier votre Livre, mon Pere. Je voudrois pour beaucoup que vous euſſiez fait le voyage de la Trappe devant. Je ſuis ſure que vous ſeriez convenu & que vous n' euſſiez point mis l' Avant-propos qui eſt très-aigre, & qui paroît l' être pour picquer ſimplement. Il y a auſſi un trait dans le Livre même que je croirois bien qu' il n' eſt pas de vous, mais que vous avez été pouſſé de mettre par ceux qui vous ont fait faire la Réponſe, qui ſe ſont trouvez choquez ſans ſujet par les raiſons fortes du P. Abbé de la Trappe. Il n' attaquoit que les Etudes profanes, & étoit plein d' un eſprit de charité comme S. Paul pour ſes frères, & point autre choſe. Ce n' eſt pas par prévention que j' en parle, mais c' eſt que c' eſt la vérité. Mais votre Avant-propos eſt d' un eſprit qui ſe veut vanger, qui eſt contre votre caractère : c' eſt pourquoi je ne le crois pas de vous. Je crois tout ce qui eſt d' antiquité que vous citez de vous. J' entrevois même que vous voudriez convenir, & votre fin eſt d' une humilité telle que je vous la connois. Si je ne vous eſtimois autant que je fais, je ne vous aurois rien écrit de ce que j' ai trouvé, & d' autres que moi qui ne connoiſſent point le P. Abbé de la Trappe & qui auroient même plus panché pour vous : mais je vous eſtime trop pour vous celer ce qu' on y trouve à redire, & pourra même ſcandaliſer & faire plus de tort à votre Congrégation que ce que vous avez cru que le P. Abbé de la Trappe avoit dit, qui dans les eſprits pleins de raiſon ne font tort qu' à ceux qui ne vivent pas comme vous autres. Une viſite vous auroit unis de ſentiment, & auroit empêché l' aigreur du Livre. Souvenez vous de moi en vos ſaintes prières.

D' Alençon le 18. *Sept.* 1692.

MONS. LE CARD. LE CAMUS
A D. J. MABILLON.

IL ſeroit à ſouhaiter, mon R. Pere, que la guerre que nous avons en Dauphiné ne fut pas plus fâcheuſe que celle qui eſt entre vous & M. l'Abbé de la Trappe, où la charité ſera toujours conſervée & où il n'y aura ni fiel, ni aigreur, ni amertume. Cependant bien qu'il y ait un très-grand plaiſir à voir vos ouvrages de part & d'autre, & qu'on puiſſe beaucoup profiter de vos conteſtations, il eſt tems qu'elles finiſſent pour l'édification du public, & peut-être auroit-il été à ſouhaiter qu'elles n'euſſent jamais commencé. J'en ai écrit dans ce ſens à M. l'Abbé de la Trappe. Il m'a promis qu'il n'écriroit plus, à moins qu'il n'y eut des raiſons de conſcience qui l'y engageaſſent, ce que je ne puis croire. J'attends avec impatience le Livre que vous m'avez envoyé, je le lirai avec plaiſir, & je vous conjure de croire que rien ne peut diminuer l'eſtime & la conſidération que j'ai pour votre perſonne & pour votre rare mérite, & qu'on ne peut être à vous, mon R. P. avec plus de ſincerité & de diſtinction que je le ſuis.

De Grenoble le 14. Sept. 1692.

D. PAUL PEZRON
A D. J. MABILLON.

Mon Rev. Pere.

L'ON ne m'a rendu que depuis trois ou quatre jours, la Réponſe que vous avez faite au Livre de M. de la Trappe, & que vous avez bien voulu m'envoyer. Je vous en rends des actions de graces très-humbles, & je le fais avec d'autant plus de plaiſir, que j'en ai eu un très-ſenſible dans la lecture de cet excellent ouvrage. C'eſt une Apologie parfaite & accomplie de l'étude des Moines, à laquelle bien loin de pouvoir répondre, on ne donnera jamais la moindre atteinte, qu'on faſſe & qu'on écrive tout ce que l'on voudra. La vérité eſt maintenant connue; les preuves, les faits & les raiſons que vous rapportez pour la ſoutenir, ſont comme autant de rayons qui la mettent au jour. Après cela comment pourra-t-on la cacher; comment pourra-t-on l'affoiblir? L'on ſait maintenant ce que l'on doit croire de l'étude de ceux qui ſont engagez dans cette profeſſion ſainte, l'on ſait même ce que l'on peut faire en ſe conformant à cette foule de Saints & de grands hommes qui ont allié la ſcience avec la pieté dans les Monaſtères, & qui par l'une & par l'autre ont été ſi utiles à l'Egliſe. L'Ordre Monaſtique vous aura donc des obligations immortelles, auſſi-bien qu'au grand S. Thomas, pour avoir après lui ſoutenu avec tant de force une pratique, qui lui a toujours été ſi avantageuſe. Pour moi, mon R. P. j'en ai été perſuadé par bien des raiſons, mais j'en ſuis maintenant convaincu. Cela ſera cauſe que j'étudierai déſormais avec plus de tranquillité & plus d'aſſurance que je n'aurois fait, bien que j'aie été deſtiné à cela par mes Superieurs. Ils m'ont même élevé au Doctorat, après l'avoir refuſé avec une eſpèce d'opiniatreté, durant l'eſpace de ſix ou ſept ans. Je dis cela pour vous montrer que ſi je fais des études extraordinaires, je ne le fais qu'en ſuivant les règles que vous preſcrivez. J'eſpère qu'elles ne ſeront point un obſtacle à ma ſanctification, & qu'elles ne ſeront point tout à fait inutiles; ce qui me conſole & même qui m'encourage eſt que je ſens qu'elles me font plus de bien que de mal; elles me donnent une grande idée de la Religion des Chrétiens & un reſpect ſouverain pour les choſes ſaintes. Ainſi j'éprouve par ma propre expérience une partie des vérités que vous avez établies. Je crois, mon R. Pere, que vous ſerez bien aiſe de ſavoir que je vais donner bien-tôt un Commentaire littéral & hiſtorique ſur les premiers Prophètes. L'on verra ſenſiblement par cet eſſai, que ſans le ſecours de l'ancienne Hiſtoire, il n'eſt pas poſſible d'entendre les plus belles & les plus importantes prédictions de ces hommes divins, qui regardent la réprobation de la Synagogue, & le renverſement de l'Etat des Juifs. Je ferai voir dans cet Ouvrage les coups que Dieu a donné au Royaume d'Iſrael ou des dix Tribus pour le détruire abſolument après qu'il a répudié ce peuple, & vous connoîtrez que ces coups funeſtes pour Iſrael ont été donnez par des peuples barbares, & par des Rois de Ninive & de Babylone, qu'on ne peut ſavoir que par l'ancienne Hiſtoire. Je ſuis donc perſuadé que la connoiſſance en eſt très-utile, & il ne faut qu'envíſager ce que dit là-deſſus le grand S. Jérome dans ſon Commentaire ſur le Prophète Daniel. Vous voyez par tout cecy que je ſuis un peu de votre ſentiment, car vous me forcez de l'être par tant de belles choſes que vous avez dites. Mais votre piété & votre mérite ſingulier font que je ſerai toute ma vie avec bien du reſpect & de l'attachement &c.

De Maubuiſſon ce 2. Octobre 1692.

M. L'ABBE' DE LA TRAPPE
A D. J. MABILLON.

M. R. Pere.

ON ne peut pas être plus touché que je l'ai été, de toutes les marques que vous m'avez données de votre amitié, dans le voyage que vous avez fait à la Trappe; quelque ſentiment que vous puiſſiez avoir de ma reconnoiſſance, vous voulez bien que je vous diſe qu'il ſeroit beaucoup au deſſus de ce que vous l'avez, ſi vous aviez pu pénétrer dans les diſpoſitions de mon cœur; au reſte je regarde tout ce que vous me dites de notre Maiſon comme un pur effet de votre charité, & j'en aurois meilleure opinion que je ne l'ai eüe juſqu'à préſent, ſi je la croiois digne de celle que vous mandez que vous en avez. Je ſouhaite, mon R. Pere, que rien ne vous empêche d'exécuter le deſſein où vous êtes de nous venir voir avec plus de temps & plus de loiſir. C'eſt une grace que j'attendrai avec beaucoup d'impatience, & comme un moyen de vous témoigner avec plus d'étendue que je n'ai pas fait, qu'on ne ſçauroit vous honorer plus que je fais ni être avec une eſtime plus cordiale & plus ſincère que je ſuis &c.

Le 7. Juin 1693.

D. J. MABILLON
A D. CLAUDE ESTIENNOT.

IL me ſemble qu'il y a un ſiècle que je n'ai eu l'honneur de vous écrire, mon R. Pere, & de vous remercier de la continuation de votre ſouvenir & des Mémoires que vous avez eu la bonté de m'envoyer, ſur tout des derniers que Mgr. de Reims m'a fait mettre entre les mains. Vous avez ſu, que j'ai été au Chap. Général comme paſſevolant, & qu'au retour j'ai paſſé par la Trappe, où j'ai ſejourné le jour du S. Sacrement avec le R. P. Prieur de Compiegne. Nous y avons reçu toutes les marques poſſibles de cordialité & d'amitié du R. P. Abbé & de ſa Communauté, que l'on ne peut voir ſans en être édifié. Nous aſſiſtames à Matines, qui durerent quatre heures & à tout l'Office du jour. Les Complies durerent une heure. Les pauſes de cet Office durent pendant un Ave, *& un* Sancta *entier: aux autres heures de l'Office les pauſes ſont moins longues que les notres, & le chant aſſez rond, à la réſerve du* Salve Regina *de Complie, qui dure un quart d'heure. On ne peut rien entendre de mieux chanté. Il y a de très-bonnes voix entre les quatre vingt Religieux de Chœur qui compoſent cette Communauté, dont il y en a douze Novices, Auguſtins, Cordeliers, Peres de l'Oratoire, Curez, enfin de pluſieurs Ordres, & ils gardent avec l'habit de Novice la Tonſure qu'ils portoient dans leur premier état. Je parlai quatre fois à Monſ. l'Abbé, la première ſans dire un ſeul mot de notre conteſtation. A la ſeconde M. l'Abbé commença par dire qu'il ne ſavoit pas ſi nous n'aurions pas été fâchez de ce qu'il avoit écrit contre moi. A ces mots je l'embraſſai & lui moi, tous deux à genoux, & je répondis que ſon Ecrit n'avoit donné aucune atteinte au reſpect & à la vénération que j'avois eue pour lui. Il m'ajouta que lorſqu'on étoit pénetré d'une certaine vérité, on diſoit quelquefois les choſes d'une manière un peu vive, mais qu'il me prioit d'être perſuadé qu'il avoit pour notre Congrégation & pour moi en particulier tous les ſentimens d'eſtime & de cordialité qu'on pouvoit avoir, & qu'il étoit bien-aiſe de faire cette déclaration en préſence du Pere avec qui j'étois. Comme je lui répliquois, on nous vint interrompre, & il ne fut plus parlé de cela dans les deux autres entrétiens que nous eumes avec lui. Nous en dimes davantage avec un des trois Religieux à qui nous parlames: & le tout ſe paſſa avec toute la modération & la cordialité poſſible. Ce Religieux me dit que j'avois fait un plaiſir indicible à leur Communauté d'avoir fait cette démarche &c.*

Madame de Guiſe ſe trouva à la Trappe le même jour, mais je n'eus pas le temps d'avoir un long entretien

tretien avec elle. Elle s' attendoit ſans doute que je devois reſter le lendemain qu' elle y devoit revenir avec Monſ. l' Evêque de Chartres pour y paſſer trois jours : mais nous en partimes le vendredi matin quelque inſtance qu' on nous fit d' y demeurer. Voilà en deux mots ce qui s' eſt paſſé dans cette entrevue dont Monſ. l' Abbé a témoigné être extrémement ſatisfait, comme on l' a ſu non ſeulement par la lettre qu' il m' a fait l' honneur de m' écrire, mais auſſi par quelque autre.

Le 15. Juin 1693.

DE MONASTICORUM STUDIORUM RATIONE

Ad juniores ſtudioſoſque Congregationis

SANCTI MAURI MONACHOS

D. J. MABILLONIUS.

CUM animos veſtros rerum ſacrarum Studiis flagrare video, Fratres amantiſſimi, quin tam piæ cogitationi congratuler, & pro facultatis meæ modulo opem feram, temperare non poſſum. Scio quippe rem iſtam magni eſſe momenti, ſed non parum delicatam, quæ molliter tractari, & caute provideri debeat. Nam ſi tantiſper, fervente adhuc ætate, langueſcere ſinatur hæc mentis agitatio, in ſocordiam & omnium rerum incuriam facile reſolvitur : ſi luxurianti animo & curioſitate laſcivienti frena laxentur, verendum eſt ne religio & pietas, qui præcipuus ſtudiorum ſcopus eſſe debuerat, ejuſdem improbitate obruatur & præfocetur. Quapropter magnopere intereſt ſcire qua ratione hi duo ſcopuli vitari queant, ut ne tam præclarum exercitium in veſtram perniciem cedat, quod ad ſalutem animæ a Patribus noſtris eſt inſtitutum.

Atque ut id paucis exſequar, ſi quid hac in re video, ſi me ipſa experientia non fallit, tria potiſſimum conſideranda ſunt in ratione ſtudiorum. Primum eſt, cujus rei gratia ſtudendum ſit. Deinde quatenus ſtudiorum intentio promovenda. Tertio quodnam ſtudiorum genus religioſis viris maxime perſequendum.

Cum finis in unaquaque diſciplina principem locum teneat, prima ſtudioſorum cura eſſe debet, ut ſtudiorum ſuorum genuinum finem & ſcopum agnoſcant, atque perſpectum habeant, ne ea vel levitate animi ſuſcipere, vel pravo exitu perficere contingat. Et quoniam non ſæculares Philoſophos, non turpis quæſtus, aut inanis gloriolæ cupidos, ſed religioſos juvenes informare aggredimur, triplicem eis ſtudiorum ſuorum finem proponimus, ſine quo inanes prorſus, immo exitioſi futuri ſunt eorum conatus. Si vis fructuoſe & religioſe ſtudiis dare operam, ſtude ad pietatem, ad actionem, ad temporis rationes. Hi ſint tibi in animo deſcripti fines, nunquam ex mentis tuæ oculis excidant, alioquin deficis, cum te profeciſſe exiſtimas.

Prima nobis ſæculo nuntium remittentibus & Religionem profeſſis cogitatio fuit, aut certe eſſe debuit, ut Deo nos totos manciparemus, ut non ſolum præcipuas actiones noſtras ipſi conſecraremus, ſed ut cogitatus & deſideria noſtra penitus a rebus ſæcularibus avocarentur, & ad Deum unum converterentur. Propterea facultates noſtras earumque vel maxime deſideria abdicavimus, ut rebus omnibus nudati, de Deo ſolo cogitare, Deum ſolum quærere ac ſpectare in nobis in omnibus liceret. Uno verbo propter pietatem, id eſt ut Deo prorſus adhæreremus, reliquimus ſæculum. Pietas vero in duobus maxime conſiſtit, nempe in cogitationibus & affectibus de Deo piis, & in moribus ſanctis. Quod ſi pias illas mentis agitationes & actiones ſacras abſque ſtudiorum ſubſidio fovere & accendere poſſemus : non dubium, quin ex directo profeſſionis noſtræ ſcopo, totos nos illis dedere, neglectis ſtudiis, oporteret. At quoniam ea eſt mentis noſtræ inconſtantia, ut quod ſuſcepit facile prima quaque difficultatis occaſione deſerat ; ea infirmitas, ut primos impetus & conatus pios diu ſervare non poſſit ; fit ut ad ſiſtendam hanc levitatem, ad iſtam infirmitatem confirmandam ratio identidem juvanda ſit conſiderationibus piis, & voluntas boni contemplatione denuo excitanda, & quibuſdam ſignis ſacri propoſiti refricanda & reſtituenda memoria.

Ad hoc vero maxime juvant ſacræ lectiones, ex quibus intellectus illuſtratur, movetur voluntas, memoria reparatur. Sic itaque libris utendum eſt, ut eorum ſubſidio pietas foveatur, ut rebus ſeriis, non inanibus occupetur animus, atque ut ad actionem magis idoneus reddatur.

Si corpori cibum & alimenta ſubtrahimus, cito deficiet, & ad omne opus ineptum & invalidum fiet. Cibus animæ lectio eſt, quam ſi non ſubinde ipſi ſuppedites, jejuna & languens ad omnia erit. Non experientia quævis, non labor qui corpore exercetur, non ipſa divina officia ſapient, ſi animus piarum lectionum uſu non fuerit recreatus. Inde cor ſiccum & aridum erit, pigra erunt rerum ſpiritalium deſideria, quæ flammæ inſtar, ſublato lectionis oleo & alimento, reſtinguentur. Contra ſi quis mentem rerum ſeriarum lectione & conſideratione paſcere curabit, pios affectus inde enaſcentes aſſidue experietur, quæ ipſi omnis laboris ſenſum vel minuent, vel etiam penitus auferent.

Sed etſi hæc commoda ex piis ſtudiis non redundarent, vel hoc unum ad ea nos animare debet, quod Deo temporis conceſſi rationes reddere nobis oporteat. Nam ſi hæc conſideratio pro ſua dignitate cogitationem noſtram occuparet, ne momentum quidem temporis a bono ejus uſu vacare ſineremus, ne conceſſi beneficii apud Deum reos (quod utinam rarius contingat) nos eſſe conſequeretur. Quod ſi verbum otioſum, hoc eſt ſine ullo Dei vel proximi reſpectu ex ore elapſum, nos Deo obnoxios facit : quid fiet de illis, qui tempus pro nihilo ducunt, idque interire non ſolum patiuntur, ſed etiam quaſi dedita opera, ſi quid agunt, interimere ſe tempus, pernicioſo verbo & exemplo, profitentur. Itane tempus, rem omnium pretioſiſſimam, quod redimendis peccatis, quod comparandæ ſanctitati & æternitati, quod denique demerendo Supremo Numini cœlitus nobis conceſſum eſt, ad inanem operam, ad interitum dari, ad interitum inquam non tantum ipſius temporis, ſed etiam ejus qui tam facile ipſo abutitur? Quippe ſecuris maledicti & damnationis poſita eſt ad radicem arboris infructuoſæ, id eſt ejus, quæ nullos Deo dignos fructus producit, excidenda utique ſecundum Salvatoris oraculum, & in ignem projicienda.

At videas juniores nonnullos, qui ut hanc ſoveam declinent, in aliam paullo minus periculoſam delabuntur. Nempe ut ſe ab inerti otio & temporis incuria tutos præſtare videantur ; in aliorum ſalutem ſtudia ſua dirigunt, qui vix prima vitæ ſpiritalis elementa deguſtarunt. Videas illos totos ſe dedere ad componendas conciones, huc omnia ſua ſtudia, commentationes omnes torquere ; & quaſi de ſua perfectione jam ſecuros, totos eſſe in procuranda ſalute aliena. Videas illos cathedram ſibi erigere in theatro cordis ſui, ubi declamationes umbraticas edunt, ſibi jam ipſis de futuro plauſu congratulantes. Non nova eſt hæc Dæmonis aſtutia, quam Bernardus jam dudum in tironibus reprehendit. Verum quo pacto quis utilem alienæ ſaluti curandæ navare poteſt operam, qui necdum caritatem apprehendit, utpote vitiis adhuc ferveſcentibus plenus, & vanitate, quæ caritatis capitalis hoſtis eſt? Hoc vero ſit omnibus incipientibus perſuaſum, totum eorum negotium ac ſtudium eſſe debere de extirpanda cupiditate, & de caritate acquirenda : quam cum ſemel quis apprehenderit, jam non ſponte ſua ad tam ſanctum miniſterium ſe ingeret, ſed etiam a Superioribus ſuis & Eccleſiæ miniſtris applicatus vix acquieſcet, ut qui nempe vocationis ſuæ præcipuum finem animo defixum habebit, ſimul & ſuſpecta eorum pericula, qui in aliorum ſalutem labores ſuos conferunt, nec non operis ipſius difficultatem, cui nemo niſi vocatus & cum grandi timore ſe dare debet. Felices vero terque felices, qui ſua ſorte, id eſt, privata vita contenti, ad ejuſmodi exercitia non adſpirant, nec iis implicari ſe patiuntur, niſi charitas & Eccleſiæ neceſſitas exigat, quod certe Monachi vocabulum & officium exigit.

Ex his facile quiſque colligere poteſt, ut quis finem ſtudiis præfixum aſſequatur, tria eſſe maxime neceſſaria, nempe intentionem ſoli Deo placendi & adhærendi : amorem ſummum veritatis, ita ut ne minima quidem veritas negligatur : ac demum orationem frequentem, tum ut ſtudiorum obſcura percipiat, tum ut ſtudiorum exitus ac ſucceſſus Deo, qui ſcientiarum dominus eſt, commendentur. Quo uno exercitio plus profeciſſe ſe, quam propria induſtria profeſſus eſt Thomas Aquinas, qui nunquam ſe lectioni, niſi præmiſſa oratione, dedit.

Expleta prima parte, nempe cujus rei gratia ſtudendum ſit, nunc quatenus ſtudiorum intentio promovenda, id eſt quouſque primus ille ſtudioſorum ardor ferri poſſit, conſiderandum eſt, ne ſcilicet in ſtudioſitatis vitium incurratur. Tria vero hac in re maxime obſervanda ſunt, ſcilicet ut pro ſua quiſque facultate, ſeu pro indito talento iis ſtudiis, ad quæ natus eſt, præcipue applicetur. Nam nihil invita minerva recte fit, & fruſtra ſupra vel contra naturam niti, conatus eſt hominis tempore & otio abutentis. Qui ad ſtudia ineptus eſt, in manuali aliqua arte ſeu in labore ſe exerceat : qui ad ſtudia natus, eas diſciplinas præferat, quæ genio ſuo magis reſpondent. Quia vero paſſim in rebus noſtris cæcutimus, operæ pretium eſt, ut quis ingenii ſui

mo-

modum ex viri periti judicio metiatur. Hoc loco (quod alterum conſiderandum venit) vitandum, ne inutiles & infructuoſæ artes a religioſo tirone præferantur, qui nonniſi utilibus occupari debet. Utilia voco, quæ ad propriam ſalutem vel ad perfectionem conducunt, aut ſaltem ab ea non retardant. Et primo quidem ſcientiam illam, quæ in ſolis ſermonibus verſatur, fugiat veritatis amator, nec cupedias verborum, id eſt umbram pro re ipſa ſectetur. Deinde eas artes declinet, quæ totum animum rapiunt, nec eum ad res ſpiritales aptum efficiunt, quales ſunt mathematicæ, quarum elementa quidem ſtudioſis proſunt, ſed ſi ſemel his immerſus fuerit animus, vix unquam ad ſpiritalia aſſurgere valebit. Tertio denique tantum temporis ſtudiis tribuendum eſt, quantum propoſiti & ordinis ſui exercitia ſinunt, & ſtudioſus operam ſuam male collocatam reputare debet, cum ſtudia ſua ipſum a propriis vitæ religioſæ officiis avocant. Semper in animo defixam habeat hanc Ambroſii Autperti Abbatis piiſſimi ſententiam, ita Deum precari ſoliti: „ Qui tribuiſti ſcientiæ donum, „ quæſo ut tribuas etiam voluntatem, ſtudium atque „ virtutem quærendi bonum. Quod ſi voluntas, ſtudium, virtuſque operandi bonum non proſequitur „ ſcientiæ donum, ſatius eſt mihi, Domine, ſtultum „ hebetemque eſſe. Neque enim ideo patriam parenteſque reliqui, ut mihi ſcientiæ dona largireris, ſed ut „ perfectione virtutum ad vitam æternam perduceres. „ Nolo certe hanc commutationem. Quod ſi utraque non „ mereor, doctrinam ſcilicet atque operationem: auſer „ quæſo doctrinam, tantum ut tribuas operationem virtutum". Ita ille in fine libri decimi expoſitionis in Apocalypſim, quod utinam in omnium ſtudioſorum mentibus inſculptum eſſet in æternum pietatis monumentum: ut ſine diſpendio actionis ſtudiis incumberent.

Reſtat pars tertia, quam initio propoſuimus, nempe quodnam ſtudiorum genus Monachis ſit maxime perſequendum. Cum vero triplicem perſonam, nempe Chriſtiani, Monachi, & Eccleſiaſtici viri noſter candidatus ſuſtineat, triplici etiam ſcientia ornatus eſſe debet, Chriſtiana, Monaſtica, & Eccleſiaſtica.

Sed quoniam vita chriſtiana cæterarum fundamentum eſt, in id potiſſimum incumbat, quod homini Chriſtiano informando conveniat. Alioquin ſuper inane pingit, ſi non præmiſſo chriſtianæ pietatis fundamento Monaſticas virtutes conſectetur. Atqui tota chriſtiana ſcientia in duobus verſatur, in doctrina & in moribus, quod utrumque in ſacris litteris continetur. Prima igitur religioſi tironis cura ſit, Fidei myſteria probe cognita habere. Deinde ad morum conſiderationem tranſeat, in qua major debet eſſe ejus ſedulitas, cum Chriſtiana religio maxime ad mores ſpectet. Quapropter ei connitendum eſt, ut totum Chriſti Domini ſermonem, qui in monte habitus eſt, ſæpius meditetur, in quo tota vitæ chriſtianæ perfectio continetur: & cum in ſtudiis ſacris gradum aliquem fecerit, legat eas Patrum expoſitiones, quæ ad hunc ſermonem pertinent, præcipue Auguſtinum. Sic enim fiet ut intelligat, qua in re ſita ſit vera Chriſtianorum beatitudo; quouſque refrænanda cupiditas, qua ratione caritas inſtruenda: tum leges veræ, non umbraticæ humilitatis agnoſcet, & correctionis fraternæ, atque adeo fraternæ charitatis, in quam tam ſæpe in ſocietatibus religioſis eruditionis defectu peccatur. Deinde quo pacto moderandum ſit paſſionibus quatuor præcipuis, amori, gaudio, triſtitiæ & timori. Inter hæc linguarum ſubſidium, ſi ad hoc natus eſt, parare non negliget, ut earum ope ſacram Scripturam facilius intelligat, rimetur, & penetret. Tunc enim demum ad veræ ſapientiæ gradum ſe perveniſſe ſciat, cum uno divinarum Scripturarum guſtu fuerit recreatus. Huc maxime tendant, huc colliment omnia ſtudia religioſorum: quibus præcipua eſſe debet cura de intellectu Pſalmorum, quos paſſim recitant, de Evangelii lectione ac meditatione, necnon Pauli Epiſtolarum, quæ ſummum Chriſtianæ doctrinæ apicem comprehendunt.

Poſt eruditionem Chriſtianam ſequi debet rerum Monaſticarum cognitio, ad quas peculiari voto adſtringimur. Et primo ſua cuique Regula attente conſideranda, & cum brevibus Commentariis comparanda. Deinde votorum obligatio perveſtiganda, ſimulque obſervationum regularium, quarum pretium & neceſſitatem non ſatis attendunt paſſim Religioſi, ob idque nunquam inſtituti ſui perfectionem aſſequuntur, ad quam non niſi hac via gradus eſt. Deinde Ordinis ſui hiſtoria conſideranda, ut ex bonis exemplis religioſus tiro proficiat, & mala deteſtetur. Neque etiam negligenda veterum Monachorum præſertim Orientalium facta, ad quorum imitationem Regulæ noſtræ authoritate inducimur.

Denique cum Monachi inter miniſtros ſacros adſcripti ſint, etiam Eccleſiaſticæ doctrinæ operam navare debent, ut Eccleſiæ diſciplinam & regimen ſaltem aliquo modo calleant, id eſt Eccleſiaſticam hiſtoriam, Concilia nimirum generalia & nationalia gentis in qua degunt, atque Juris Canonici aliqua rudimenta. Et primo quidem religioſus tiro diſcat Compendium hiſtoriæ ſacræ, cui Romanæ etiam aliquam notitiam præmittere juvat. Hiſtoria ſacra duobus teſtamentis continetur, quorum eximium Breviarium condidit Sulpicius Severus, hoc ipſum ſcilicet quod in candidatorum noſtrorum gratiam hic recudi fecimus. Quo in authore neſcio quid amplius mirer, ſermonis elegantiam, quæ cum Veterum eloquentia comparari poteſt, an rerum tam multarum delectum, quem in contexenda hiſtoria ſua adhibuit, an denique claritatem & facilitatem, ita ut oratio nec brevitate obſcuretur, nec rerum multitudine obruatur.

§. III.

De Controverſia circa Jejunium in Gallia primum, tum in Italia excitata.

INter temporum controverſias, quorum hiſtoriam hiſce in Diſſertationibus exhibemus, non poſtremum obtinet locum ea, quæ ſæculo XVII. in Gallia excitata, hoc noſtro demum revixit, magnaque contentione animorum agitata eſt. Diſſidio locum præbuit obſidio urbis Pariſienſis, quæ an. MDCXLIX. contigit; nam cum hac obſidione perdurante, ob extremam quadrageſimalium eduliorum penuriam, quæ in civitatem Pariſienſem importari omnino non poterant, hujus Antiſtes, carnium eſum tempore Quadrageſimæ per Dominicos, lunæ, martis, & jovis dies tam gravi urgente neceſſitate indulſiſſet; quæſitum eſt a quibuſdam Theologis, an Archiepiſcopus in jejunio quadrageſimali, cujus abſtinentia a carnibus pars quædam eſt, præſumeretur diſpenſaſſe, non minus quam in abſtinentia carnis diſpenſaverat. Varie hinc in utramque partem pro vario cujuſque ingenio & ratiocinio diſceptatum fuit. Anno MDCCXXXVI. hæc controverſia in Italia quoque recruduit. Fidentinus Epiſcopus vulgo *di Borgo S. Donnino* lato Edicto caverat, ne ii, qui ob ciborum quadrageſimalium faſtidium carnibus veſcebantur, a jejunii legibus, quæ unicam præſcribunt comeſtionem, ſe haud obſtringi putarent. Dura, ac non ferenda viſa eſt nonnullis optimi Antiſtitis juſſio. Initio in plurimorum aures muſſitatum; inde juſtum mandatum palam irrideri cœptum, improbari atque contemni. Has voces ſententiaſque fovebant non pauci Confeſſarii, qui Chriſtifideles ad ſe accedentes, liberalitate ſumma & damnanda indulgentia a jejunio eximebant. Alexander Mantegatius Presbyter Placentinus, elegantiſſima Diſſertatione *de Jejunio cum eſu carnium conjungendo*, vulgata Placentiæ an. 1736. Edicti Antiſtitis Fidentini ſatis opportune æquitatem oſtendit, & vindicias ſcripſit. Mantegatii Diſſertationi Italicam Diatriben oppoſuit Petrus Copellotus Presbyter pariter Placentinus, eamque ſuffragio ſuo communivit Archipresbyter Bartholomæus Caſalius. Mantegatius comparata ſibi ex ſcripto Ludovici Antonii Muratorii ſententia, adverſus Copellottum quam citiſſime Reſponſum adornavit, ediditque Placentiæ 1739. Aliis deinde ſeſe controverſiæ immiſcentibus multæ ſcriptiones vulgatæ ſunt, præcipue ab Antonio Carbonara, & P. Benedicto Maria Brignole S. J. quorum ille Mantegatii, hic Copellotti opinionem tuebatur: quas omnes ſcriptiones cum editas tum manu exaratas percenſere ut longum ſit, ita minime neceſſarium. Copellottus interea, in conſortium vocato Bartholomæo Caſalio, poſt annos duos adverſus Mantegatium edita Diſſertatione Theologico-Morali pugnavit; quamvis nonnulli putaverint hanc non abſque Theſeo elaboratam fuiſſe; ſed hoſce presbyteros nomen, Herculem vero Montium Jeſuitam operam locaviſſe. Quiſquis tamen hujus Diſſertationis auctor habendus ſit, parum profuerit ulterius inveſtigare. Id certo conſtat an. 1739. Venetias miſſam fuiſſe, ut in officina Recurtii prælo committeretur. In autographum cum incidiſſet P. Daniel Concina Ord. Præd., illudque curioſe cœpiſſet evolvere, Typographum primo dehortatus eſt, ne illum ex officina ſua in vulgus prodire ſineret librum, in quo opinio ſacris jejunii legibus, ut ſui quidem ferebat ſententia, adverſa tradebatur. Sed fruſtra. Quoniam igitur Typographum ab eo conſilio avocare non potuerat, ab eodem facultatem eſt aſſecutus teſtimonia graviorum Theologorum exſcribendi, quorum numerum ingentem Diſſertationis Auctores conſarcinaverant. Ita prodituræ *Theologico-Moralis Diſſertationis* fundamentorum adprime conſcius, dierum circiter XXV. intervallo, celeritate ſcilicet ſumma, opus abſolvit, quod non ita multo poſt editam modo commemoratam Diſſertationem lucem vidit cum hoc titulo: *La Quareſima Appellante dal foro contenzioſo di alcuni recenti Caſiſti al Tribunale del buon ſenſo, e della buona*

buona fede del popolo Criſtiano ſopra quel ſuo Precetto del Digiuno da accoppiarſi coll' uſo delle carni, permeſſo pel ſolo nocumento del cibo quareſimale. In Venezia 1739. Hoc in opere ſacræ inediæ triſtitiæque leges fortiſſime vindicavit Concina, & quadrageſimalium ciborum uſu jejunii tempore exemtos ad illius nihiloſecius cuſtodiam obſervationemque obſtringi comprobavit. Verum opus, quod ſolus Eccleſiaſticarum legum amor pepererat, multos ipſi adverſarios, eoſque rabidiſſimos comparavit, qui eum quieſcere non ſiverunt etiam poſt fata, quando livor extingui dicitur. Cum primum prodiit Concinianus liber, ut multis laudibus a ſanioris doctrinæ adſeclis exceptus eſt; ſic fuit ſuſurrationibus ac querelis primum ab iis improbatus, qui ea, quæ carni & ſanguini placent, confovebant. Facinus indignum admiſiſſe Concinam ajebant, ceu qui tot ſapientiſſimos Doctores (ita Caſuiſtas appellabant) ludibrio habuiſſet. Quæ vox atque querela cæteris quidem ad inſignem Concinæ invidiam conflandam aptior videbatur; nam ex hoc mendacio falſas ac ridiculas plures conſecutiones deducebant, quas pudet referre. Neque vel ipſi operis inſcriptioni pepercerunt; quaſi Auctor theologicam quæſtionem, alioquin perviam, ad Chriſtianorum ſenſum judiciumque deferendo, eorum in Italia confirmare opinionem, atque augere numerum voluiſſet, qui a Pontificia Conſtitutione Clementis XI. quæ incipit *Unigenitus* ad futurum Concilium appellarunt, atque tumultus motuſque civerunt. Quamquam vero hæc aliaque ſatis multa magno verborum apparatu homines jactarent præceptis eruditi ex ara Epicuri depromtis hauſtiſque, ac propterea brevi in nihilum abitura liceret conjicere, e re tamen ſua eſſe duxit Concina tantis clamoribus occurrere, eoſque diſſipare in ſecunda Operis editione, quæ eodem anno curata eſt. Dum hac ratione jurgiis ſe obviam iviſſe Concina crediderat, ferociſſima ſcriptio in vulgus edita eſt, qua ea recruduerunt, quæ ſopita non immerito Concina arbitrabatur. Nempe an. 1740. P. Hercules Montius Mutinenſis in Parmenſibus Jeſuitarum ſcholis Theologiæ Profeſſor præferocis ingenii *Quadrageſimæ Appellantis* impugnationem aggreſſus eſt, Copellotti & Caſalii edita Apologia, in qua iræ atque furori laxatis habenis omnia genera conviciorum in adverſarium evomuit. Dum hæc & alia Concinianæ ſententiæ oppugnatores præſtarent, librique ex parte utraque prodirent, controverſia tandem ad Benedicti XIV. aures pervenit, qui ſanioris doctrinæ vindex acerrimus cuſtoſque eximius ſtatuit ipſe illam accurate verſare. Poſt diligens hinc peractum examen adhibitoſque in eandem rem viros doctiſſimos, ſententiam a Concina adſertam probandam eſſe ſtatuit, illique contrariam litteris Apoſtolicis profligare. Quare die XXX. Maji an. 1741. Encyclicam dedit ad Eccleſiarum Antiſtites, in qua ab exemtis uſu quadrageſimalium ciborum ob nauſeam atque faſtidium *unicam comeſtionem ſervandam eſſe* definivit; aliiſque inde Apoſtolicis litteris confirmavit, quas legas Tom. I. ejuſdem Bullarii, tum in Concinæ Commentario, quo illas illuſtravit. Et hæc quidem conſentanee omnino ad ea, quæ jam Romæ alii Pontifices conſtituerant. Nam Alexander VII. ut refert Graveſonius an. MDCLVII. Romæ promulgavit edictum, quo, propter peſtem, quæ anno præcedenti in Urbe ſævierat, diſpenſavit tempore Quadrageſimæ cum civibus Romanis a præcepto de abſtinentia carnis in diebus Dominicis, lunæ, martis & jovis, expreſſe tamen declarans, eos jejunium ſervare debere, excepta die Dominica, in aliis diebus, in quibus libere poſſent carnibus veſci. Similem diſpenſationem a præcepto de abſtinentia carnis tempore Quadrageſimæ an. MDCLVIII. totius Ducatus Mediolanenſis fidelibus indulſit idem Pontifex, ea appoſita clauſula *citra tamen exemptionem a jejunio*. Denique in Edicto, quod Romæ pro obſervatione Quadrageſimæ ſub Pontificatu Clementis XI. an. MDCCIII. publicatum fuit, clauſula inſerta fuit, ut jejunii lex ſervaretur ab iis quibus juſta de cauſſa concedebatur ut Quadrageſimæ tempore carnibus ſalubribus veſcerentur. Sed cum hæc inſerta clauſula quibuſdam non adriſiſſet, diligentius hujuſce rei examen commiſit Clemens XI. atque poſt expenſa illorum ſuffragia tandem ad marginem Edicti, quod Romæ pro Quadrageſimæ obſervatione an. 1704. vulgandum erat, hanc clauſulam propria manu ſcriptam edictoque inſerendam ipſemet Pontifex appoſuit: *E oſſervare il digiuno, alle di cui leggi ſiano tenuti anche quelli che ſi cibano di carni ſalubri col motivo di eſſere loro nocivo il vitto quareſimale.*

§. IV.

De controverſia in Italia excitata, an Sacerdotes Miſſam celebrantes teneantur miniſtrare Euchariſtiam fidelibus, qui paratos ad ipſam recipiendam ſe exhibent, ac petunt Sacrificii, cui adſtant, fieri participes.

HANC controverſiam diremit auctoritate ſapientiaque ſua Benedictus XIV. datiſque ad Italiæ Antiſtites litteris Apoſtolicis an. 1742. die 13. Novembris ſtatuit, Miſſam celebrantes non teneri ſacram Euchariſtiam omnibus petentibus infra ipſam actionem miniſtrare. „ Certiores effecti, inquit, pullulare in nonnul-
„ lis Italiæ Diœceſibus controverſiam de obligatione,
„ qua Sacerdotes Miſſas celebrantes adſtringantur Eu-
„ chariſtiam miniſtrare intra eaſdem fidelibus iis, qui
„ ad ipſam accipiendam paratos ſe ſe exhibent, ac petunt ſacrificii, cui adſtant, participes fieri; noſtro
„ proinde animo reputavimus, gliſcenti malo Apoſtolicæ hujus paginæ documento obviam ire, ne ulterius,
„ haud abſque fidelium eorumdem ſcandalo, progrediatur. Itaque, Venerabiles fratres, ſermonem noſtrum
„ ad vos convertimus, ut ipſi quoque paſtoralis hac in
„ re officii partes minime negligatis. §. 1. Ac primo
„ quidem dicendum nobis occurrit, nemini ex fidelibus
„ in mentem venire poſſe, Miſſas privatas, in quibus
„ Sacerdos ſolus ſacram ſumit Euchariſtiam, propterea
„ veri, perfecti, & integri ſacrificii incruenti a Chriſto Domino inſtituti rationem amittere, ideoque illicitas eſſe exiſtimandas. Nec enim ignorant fideles,
„ aut ſaltem facile edoceri poſſunt, ſacroſanctum Tridentinum Concilium innixum doctrinæ, quam perpetua Eccleſiæ Traditio ſervavit, huic adverſantem novam falſamque Lutheri ſententiam damnaſſe *ſeſſ. 22. cap. 6. can. 8. Si quis dixerit Miſſas, in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat, illicitas eſſe, ideoque abrogandas: anathema ſit.* §. 2. Nihilominus quandoquidem vetus Eccleſiæ praxis & diſciplina, juxta quam fideles Miſſis adſtantes participare paſſim atque in publicis conventibus ſolebant ſacroſanctum ſacrificium, inſtitutioni, & exemplo Chriſti Domini omnimode convenit, verba ejuſdem Concilii eo ipſo ſpiritu, quo ab eodem prolata ſunt, iteramus: *Optaret quidem ſacroſancta Synodus, ut in ſingulis miſſis fideles adſtantes, non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quo ad eos ſanctiſſimi hujus ſacrificii fructus uberior perveniret.* Utinam autem eo ipſo pietatis fervore, quo primorum ſæculorum fideles exardebant, noſtrorum quoque temporum homines inflammati, avide ad publicam ſacram menſam advolare, ſanctorumque myſteriorum ſolemnitati non adeſſe tantum, ſed religioſe eorumdem participationem exoptare conſpicerentur. Nulla certe res eſt, qua utilius Epiſcopi, Parochi, Confeſſarii ſtudium ſuum omne impendere valeant, quam in excitandis fidelibus ad eam mentis puritatem ſectandam, unde digni reddantur frequenti ad ſacram menſam acceſſu, & non ſpirituali tantum, ſed ſacramentali etiam participatione illa ſacrificii, quod a Sacerdote, tanquam publico Eccleſiæ Miniſtro, non pro ſe tantum, ſed pro ipſis & ipſorum nomine offertur. §. 3. Et quamvis de eodem ſacrificio participent, præter eos, quibus a Sacerdote celebrante tribuitur in ipſa Miſſa portio victimæ a ſe oblata, ii etiam, quibus Sacerdos Euchariſtiam reſervari ſolitam miniſtrat; non tamen iccirco aut vetuit unquam Eccleſia, aut modo vetat, ſatisfieri ab ipſo Sacerdote pietati, & juſtæ eorum petitioni, qui Miſſæ adſtantes, ad conſortium admitti poſtulant ejuſdem ſacrificii, quod & ipſi pariter offerunt ea ratione, quæ ipſos decere poteſt; imo probat atque cupit, ne id omittatur, eoſque Sacerdotes increparet, quarum culpa & negligentia fidelibus participatio illa denegaretur. §. 4. At quoniam in Eccleſia Chriſtiana opus eſt cuncta ordinare, & congruenter diſponi; Paſtores vigilantiam, & curas ſuas conferent, ut ex una parte fidelium pietas minime fraudetur eo acceſſu eaque participatione; ex alia vero ita utrumque ſortiatur, quin ulla in laudabilibus aliis inſtitutis oriatur perturbatio, unde facile confuſio etiam & ſcandalum oriretur. Quare Paſtores monere debent eoſdem fideles, ut participes eſſe cupientes ſacræ menſæ (quod maximopere probandum diximus) ſtudeant tempus, locum, & circumſtantias nanciſci, quibus & ipſi juſtorum votorum ſuorum compotes evadant, nec inſtituta illa pietatis impediant. Hiſque Paſtorum ſuorum monitis fideles ſe ſe dociles præbentes, cavebunt
„ ne ſibi injuriam factam querantur, ſi quandoque pro

„ tempore, loco & perſonis, Epiſcopus minime oppor-
„ tunum cenſuerit, a Sacerdote celebrante, Euchari-
„ ſtiam diſtribui iis, qui adſtant; quibus ſcilicet eo
„ ipſo tempore facilis, & obvia ſuppetit ratio ad ean-
„ dem menſam accedendi, pluribus aliis locis cuivis in-
„ ſtructam. §. 5. Haud ægre Epiſcopi, & Parochi id
„ fidelibus perſuadebunt, quoties ipſis ſignificent, ex
„ Eccleſiæ diſciplina, quæ modo viget, non quidem
„ difficiliorem, ſed faciliorem evaſiſſe iiſdem partici-
„ pationem, quam optant. Siquidem veteri more in ſin-
„ gulis Eccleſiis paſſim unica Miſſa celebrabatur, cui
„ fideles adſtabant, indeque participabant: quin a ſolis
„ propriis Paſtoribus, quemadmodum reliqua Sacra-
„ menta, ita etiam Euchariſtiam licite accipere vale-
„ bant; hiſce vero temporibus, ex Sacerdotum cele-
„ brantium, ex locorum altariumque, quibus ea cele-
„ bratio publice peragitur, multiplicitate, patet cuili-
„ bet facile parabilis ſacra menſa, & ad ſacrum con-
„ vivium admiſſio. Sin autem iidem fideles ita moni-
„ ti, importune inſiſterent pro recipienda Euchariſtia
„ in iis temporis, loci, & perſonarum circumſtantiis,
„ quas excipiendas cenſuiſſet Epiſcopus, Ritualis Ro-
„ mani auctoritate etiam fretus; hæc illorum petitio,
„ utpote nec juſta nec rationabilis, contumacem, ac
„ refractarium animum demonſtraret, cupidumque per-
„ turbationis, ac proinde minime compoſitum Eucha-
„ riſtiæ, qua par eſt, pietate recipiendæ. §. 6. Dum
„ Paſtores erga fideles ita ſe gerent, dumque fideles
„ Paſtorum dictis pronas ita aures accommodabunt,
„ orietur abſque ulla dubietate pax illa perfecta, at-
„ que concordia, qua capita invicem & membra ma-
„ gnopere colligari decet; deſinentque importunæ illæ
„ controverſiæ, quæ eo tandem tendunt, ut turbas gi-
„ gnant, ac ſcandalum, verique animarum fructus,
„ quo nihil Paſtori carius eſſe debet, perniciem &c.“.

Ex his litteris Apoſtolicis Benedicti XIV. tria apertiſſime conſequuntur, ut Bertius notat lib. XXXIII. *de Theolog. Diſciplinis* cap. XXI. primum communionem adſtantium nequaquam eſſe neceſſariam ad ſacrificii eſſentiam ac perfectionem; Parochos vero, qui miniſtrare Sacramenta legitime petentibus tenentur ex officio, poſſe pro variis circumſtantiis ad nutum Epiſcopi in Miſſa, & extra Miſſam Euchariſtiam diſtribuere, ipſorumque Epiſcoporum monita ab aliis quoque Sacerdotibus eſſe obſervanda. Alterum, rem eſſe magnopere congruam, ſi in ſingulis Miſſis aliquis adſtantium communicet ſacramentaliter. Tertium denique, in his ceteriſque rebus ad diſciplinam ſpectantibus ſedulo dandam eſſe operam, ne fraudetur pietas, ne oriantur ſcandala, & ne ſub devotionis prætextu pravum aliquod ac pernicioſum dogma ſubrepat. Nulla profecto argumenta pro adſtruenda obligatione miniſtrandi Euchariſtiam in ſingulis Miſſis poſſunt, me judice, afferri, niſi petita ex Liturgiis, ex praxi & diſciplina veteris Eccleſiæ, ex collectis precibuſque Miſſarum, atque ex Cœnæ Dominicæ inſtitutione. Verum hæc argumenta congruitatem inferunt, non præceptum, & a ſacrificii ratione ad participationem Sacramenti fallaciter tranſeunt: denique ſunt illa eadem, quæ urgent hæretici, ut demonſtrent *privatas* Miſſas eſſe illicitas, & abrogandas: quæ argumenta adeo obtrita atque convulſa ſunt a Theologis, ut ea denuo regeri mirum plane videatur.

§. V.

De cultu Cordis Jeſu, & concertatione inde excitata.

MAgnam puritati Religionis labem inuſſit, majoremque minatur in dies, quæ ſuperiore vertente ſæculo, & eo, quod nunc labitur, ad ſenium properante plurimorum occupavit animos novitas, cultus nimirum carnei Cordis Jeſu. Originem ejus vulgo repetunt ab mentita revelatione, quam a Domino factam ajunt in Galliis piæ feminæ, admodum tamen illuſæ Margaritæ Mariæ Alacoque. Neque vero dubium eſt revelationem id genus manifeſtum præſeferre deceptæ mentis characterem. Seligit enim ad colendum in Chriſto Domino particulam Cordis ejus, quod revelationi veræ repugnat apertiſſime. Niſi enim ultro cæcutire velimus, & ſaluberrimum præterire monitum 1. Joan. 4. v. 1. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint*, non poterimus in Alacoquiana revelatione, qua non Chriſtus totus & totum, ſed particulatim, hoc eſt ſecundum ſingularem ejus divini corporis partem adorandus proponitur, nativum non agnoſcere ſpiritum erroris. Nam eodem loco divinum teſtatur oraculum v. 3. *Omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt*. Non fuit igitur, nec eſſe potuit a Domino Alacoquianum cardialatriæ figmentum, ſed id ipſi Alacoquiæ & Moderatoribus ejus acceptum ferri debet, in primis vero celebri P. Columberio olim extinctæ Societatis Jeſu alumno; ei, inquam, qui redux ex Anglia morbidam hanc mercem a Thoma *Goodwino* Calviniano, ſeu verius Sociniano hæretico longe lateque diffuſam tranſvexit, uti rerum & temporum ordo demonſtrat, in Galliam, & Philotheæ ſuæ ſuperna quaſi delegatione ab impura defæcatam originis nota venditandam commiſit ex integro. Qua quidem in re tanti viri pace dixerim, non humani modo aliquid paſſus, ſed cardialatriæ præjudiciis occupatus, & abreptus fuiſſe non injuria videtur. Poſt id temporis mirum eſt, quanta illuſionum copia, quantoque virium & fallaciarum conatu Columberianam novitatem per Alacoquiæ vehiculum inductam ex-Jeſuitæ Symmiſtæ propagare ſuſceperint. Ad id obtinendum innumera ſunt omnis generis commenta, quæ identidem excogitarunt. Miracula ipſa & viſa de cælo eminus edita ridicule oſtentarunt. Præter cætera factum illud ſolemne eſt, quod Deus in eorum dedecus & confuſionem accidere non ita diu ante permiſit. Cum enim pro ea qua pollebant auctoritate & gratia ſuperioribus annis effeciſſent, ut Romæ vulgaretur, totumque inde pervaderet orbem prodigio conſignatum effatum S. Aloyſii Gonzagæ, quod beatus nuntius de cælo in cubiculum tyrunculi Lojolitæ *Cæleſtini* delatus, eique in viſione apparens tanquam ex Dei ipſius ore revelavit cardialatriam eſſe univerſæ cæleſti Curiæ gratiſſimam: ecce ille idem Nicolaus *Cæleſtinus*, qui ad eam propagandam ſanitati a S. Aloyſio reſtitutus eſſe dicebatur, propediem Tuſculi naturæ conceſſit. Sicque ſomnium fuiſſe deprehenſum eſt, quod ut ingens miraculum jactabatur. Atque ex hoc tam inani oſtentatæ revelationis exemplo diſcere licet cum cæteras omnes recentes Cordicolarum revelationes, tum vero maxime Alacoquianam revelationem non fuiſſe divinitus immiſſam, ſed humanitus cuſam intenſo ac vivido lenocinantis imaginationis æſtu. Teſte enim S. Thoma 2. 2. *q.* 60. *art.* 3. *in corp. Unuſquiſque faciliter credit quod appetit*. Quamlibet tamen bonam fidem exulare fecit, malamque ſuccedere, quod in Cœleſtinio res ſecus evenit, atque de illo prophetatum fuiſſe percrebuerat. Hinc utrique revelationi tam Alacoquiæ Chriſtum aſpectantis, quam Cæleſtinii S. Aloyſium videntis de cardialatria ſecum agentes æque nota congruit, quam utrique Sapiens appingit *Eccleſ.* 34. *Cor tuum phantaſias patitur: niſi ab Altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio, ne dederis in illis cor tuum*. Ab Altiſſimo autem neutram fuiſſe tam certum eſt, quam quod certiſſimum ex Deo non eſſe, quod *ſolvit Jeſum*, ut de prima prænotatum eſt, & prophetiam prædeſtinationis, & approbationis vacuam eſſe non poſſe, quod in alteram nuncupatim cadit, & in primam implicite recidit juxta illud *Deuter.* 18. *Quod ſi tacita cogitatione reſponderis: Quomodo poſſum intelligere verbum, quod Dominus non eſt locutus. Hoc habebis ſignum. Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non eſt loquutus.*

Hæc tamen apud ſuos plane diſſimulant Cordicolarum duces, quos quum cæca fide magiſterio ſuo addictos norint, perſuaſum iis eſſe jubent, carnei Cordis cultum revelatione niti Chriſti Domini, & inſigni confirmatum eſſe oſtento de cælo. Sed quum incidunt in eos, qui non ſibi parent ad nutum, & hæc falſiloquia proſpectant, nihil intereſſe volunt, vera ne, an falſa fuerit Alacoquiana revelatio, Aloyſianaque prædictio, ſed rem tranſigi malunt famigerato Decreto an. 1765. Verum ſic agentes obliti jam videntur quibuſcum loquantur. Quaſi vero non hi videant, ſicut eorum cæci pediſſequi, tanti intereſſe rata probari quæ miſſa fieri, & improbari ſinunt, quanti quod in ſpiritu, & veritate oportet adorare. Conditioni tamen ſtare lubet. Nam ſi diverſione iſta quæſtionem fugiunt de vitiata Cardialatriæ origine, graviori ſeſe implicant noxa, fœdiſſimo nempe falſi crimine. Neque enim Decreto illo Sac. Rituum Congregatio cultum probavit, nec probare poterat, carnei Cordis Jeſu, ſed Feſtum tantum agi paſſa fuit, hoc eſt Officium, & Miſſam celebrari de *Corde Symbolico*, quod caritatem Chriſti ſignat, & permiſſioni cauſam præbuit. Idque adeo verum eſt, ut in Apologetico ſuo *lib.* 2. *cap.* 28. *pag.* 132. ne ipſe quidem Tetamus auſus fuerit rem hanc exploratiſſimam in quæſtionem adducere, ſed imo contra locuples ei teſtimonium reddiderit in *nota*, quæ dicto loco ſic habet *lit. A. Effuſos lætitiæ modos, quibus cl. me. Cardinales Ferronius, & Gallius teſtabantur, Deum illis inſpiraſſe mentem inſtituendi Feſtum de Corde Symbolico, aptius explicuiſſe certi ſumus quam faciat Blaſius Proluſ. num.* 5. Niſi ergo Cordi Symbolico ſubſtruatur Cor ipſum Chriſti carneum, uti Tetamus, & Cordicolæ certant (quod laudatos EE. PP. gloriatos fuiſſe monſtraret non jam de inſpiratione ſuperna, ſed de contradi-

ctione

ctione manifeſta, deque inſtantanea correctione, quod iis injuriam appingeret quam turpiſſimam) res plana eſt, eos omnes falſi crimen admittere, qui Decreto S. Congregationis tueri, ac protegere, auctoritateque donare moliuntur infenſum illi cultum Cordis carnei, quod ad rem apte ponderat S. Thomas 2. 2. *qu.* 93. *art.* 1. *corp. Poteſt*, inquit, *contingere falſitas in exteriori cultu ex parte colentis; & hoc præcipue in cultu communi, qui per Miniſtros exhibetur in perſona totius Eccleſiæ. Sicut enim falſarius eſſet, qui aliqua proponeret ex parte alicujus, quæ non eſſent ei commiſſa, ita vitium falſitatis incurrit, qui ex parte Eccleſiæ cultum exhibet Deo contra modum divina auctoritate ab Eccleſia conſtitutum.* Reque vera ſub eundem annum 1765. indigno plane auſu cardialatria vulgari cœpta fuit uſurpato nomine Eccleſiæ Romanæ. Quod plane Cordicolis juxta vota ceſſurum fuiſſet, niſi Deus, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, exiſtere feciſſet in Urbe Roma puſillum hominum gregem, qui cardiaco cultui ab Eccleſia proſcripto, & ei nihilominus obrepere geſtienti reclamatione legitima viritim obſiſteret. Et obſtitit ſane tam felici ſucceſſu, ut larvato nomine, & auctoritate Eccleſiæ Romanæ cardialatriam penitus exuerit, eamque magno impetu ubique gentium irruentem, ubique gentium in controverſiam ſummam adduxerit.

Ad primum namque quod attinet, ſupervacaneum eſſet id ultra proſequi, quod & ipſi Cordicolæ certius ſibi eſſe faſſi ſunt, quam eorum conſtare dixerint Adverſariis, niſi quod copulantes arbitratu ſuo Cor Jeſu proprium cum Corde Symbolico, Cor Jeſu proprium propinare non deſinunt quaſi probatum ab Eccleſia Romana ſub Corde Symbolico. Paucis itaque evinci debet, cur nihilominus in hac facti quæſtione punctum omne tuliſſe dixerimus Anticardiacos. Quamvis enim id ipſi plane noſſent, & publicis etiam typis auctoritate legitima Romæ vulgaſſent ipſo an. 1765. quin ullus Cordicolarum auſus eſſet rem omnibus notam, & recens actam contradictione ſua in alium ſenſum traducere; conſulendos nihilominus duxerunt hac ipſa de re EE. PP. qui Feſtum agi paſſi fuerant de corde Symbolico, ab eiſque acceperunt, nullum ſe pati voluiſſe conſortium proprii Cordis cum Symbolico; ſeque in id nominatim compellari veniam etiam præbuere petentibus, & ſignanter ſ. m. Clemens XIV. qui rei geſtæ quam penitus introſpexerat, ea ſignificatione animi teſtimonium ſuum contextim adhibuit. Hæc eſt veritas. *Queſta è la verità*. O præclaram vocem, & Romano dignam Pontifice Veritatis incarnatæ gerente vicem in terris! Qua vel una faceſſant oportet argutiunculæ omnes, quibus in Decreto Sac. Congregationis admiſcere nituntur Cordicolæ Cor Jeſu proprium cum Corde Symbolico. Cor autem ad hanc normam ſymbolice ſumptum, & novo Feſto cauſam præbens; innuit enim caritatem Chriſti, cujus ergo celebrari permiſſum fuit; perinde ſegregat ab objecto cultus Cor Jeſu carneum ſolitarie acceptum, atque conſtat Cor ipſum Jeſu carneum ſic uſurpatum in atomo, certo certius amandatum fuiſſe in anteactis propoſitionibus Cauſæ, & præſertim in tertia an. 1729. Nec ad rem pertinet, quod in recenti Decreto a Cordicolis tranſverſum acto indicetur receſſus a deciſis, & quod Sac. Congregatio annuendum precibus cenſuit. Prima ſiquidem formula præcedentem negationem concernit, & altera conceſſionem ſucceſſivam Officii, & Miſſæ. Unde ſicut hæc limitate concepta fuit pro Officio, & Miſſa de Corde Symbolico, ſic & ex illa nullum duci poteſt argumentum, quod ſimul admiſſum fuerit, quod fuerat antea negatum, Officium, & Miſſa de Corde carnali. At enim vero neque his egent adminiculis Anticardiaci, quum quæſtionem omnem, quæ nudi facti eſt, de præciſa intelligentia Decreti fortunata illa declaratione Cardinalium, ipſiuſque Summi Pontificis Cor carneum excludentium ab objecto cultus, & ſymbolicum adoptantium, hoc eſt caritatem Chriſti pro motivo colendi ipſum totum, non unum Cor ejus in novo Feſto nuper admiſſo, vel permiſſo ſub typico nomine Cordis Jeſu, reſecuerint ad vivum.

Quod vero ſpectat alterum, cardialatriam ſcilicet ubique dominari geſtientem in controverſiam ſummam revocatam ubique fuiſſe paucorum Anticardiacorum opera, quos Romæ ſuſcitavit Deus, ne indigna, abſurda, & portentoſa novitas graſſaretur in Eccleſia, locupletiſſime teſtificati ſunt Cordicolæ ipſi. Quamvis enim cardialatriam ſuam in eum finem collimare prædicent, ut caritas Dei diffundatur in cordibus hominum, & multitudinis credentium, ſicut ab initio, cor unum ſit, & anima una, quî quæſo fieri potuit, ut omni perrupto chriſtianæ modeſtiæ fræno, ſuæque profeſſionis obliti diriſſime debaccharentur in eos, qui puro Religionis zelo ſuperſtitioni bellum indixerunt, ab eaque nuperum Feſtum Cordis Jeſu purgare ſategerunt, niſi ſi compertum habuiſſent (quod Chriſtianæ Reipublicæ bono ceſſit) ſaniorem hominum vim a ſuis caſtris defeciſſe? Quod argumenti genus tam ſplendidum eſt, ut illuſtrius fieri non poſſit; nec ullus dubito ne in mentem quidem venturum fuiſſe Cordicolarum ſtatoribus, ut a Sac. Rituum Congregatione Feſtum extorquere curarent Cordis Jeſu, ſi prævidere potuiſſent extituros Romæ aliquos, qui quærentes non quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti, & viros ſummos imitantes Benedictum XIV., & Juſtum Fontaninum, non laturi, neque paſſuri profecto eſſent permiſſionem Feſti divino plane conſilio *limitate* tributam pro *Corde Symbolico*, deteſtabili auſu in aliam verti formam Eccleſiæ ſemper inviſam, eaque vel invita nomine tamen, & auctoritate ſua ſubdole produci ad *Cor-carneo-ſymbolum*. Sed jacta jam eſt alea. Prodierunt enim, & ſunt in manibus Obſervationes editæ in dictum Feſtum ipſo decretali an. 1765. Diſſertatio commonitoria, quæ ſucceſſit an. 1771. Antirrheticus opus plane præclariſſimum, eique adjectus Italicarum Epiſtolarum numerus an. 1772., & alia commonitoriæ vindex Diſſertatio an. 1773. Quorum laborum metiri licet fructum tum ex conſonis aliorum ſcriptis Romæ, Januæ, Neapoli, Florentiæ, & alibi extra Italiæ fines interea temporis in medium proditis, tum etiam, & multo magis ex immenſo propemodum injuriarum cumulo, quibus Apologiſtæ cardiaci adverſarios ſuos affecerunt, & virus evomuerunt in eos acerbitatis ſuæ, nec minas etiam deſtiterunt intendere. De ſe namque Venetis typis ad eos deterrendos ita ſcripſerunt an. 1775. *Pavidi lepores in leones convertentur, & conſurgent rugientes, ut dilacerent audaces.* Quæ quidem verba tam ſi tempus attendas, quo prolata ſunt, quam quæ conſecuta Cordicolarum molimina non obſcuris argumentis deprehenſa, eoque directa, ut nigro theta Anticardiacorum libri conlignarentur, poſſis nec injuria inter cæteras recenſere Prophetias comminationis ætate noſtra frequentiſſimas, quas non Dei ſpiritus ingerit, ſed præparatione ſua malitia hominum conflat. Aſt religio, ſapientia, & cautio Pii VI. qui per id tempus inauguratus fuerat in Summum Pontificem, mentiri fecit iniquitatem ſibi. Permittens enim cum Clemente XIII. Officium, & Miſſam de Corde ſymbolico, quod unum permiſſum fuiſſe contendunt Anticardiaci, execrans autem cum Innocentio XII., cum Benedicto XIII., cum Benedicto XIV., & cum Clemente XIV. affectatum cultum Cordis materialis, quem pro viribus impugnandum caſte, ſanéteque Anticardiaci ipſi ſuſceperunt, nullam ſubeſſe cauſam vidit, præter amarum delatorum zelum cardialatriæ exacerbatum cladibus, & in vindictam facile pronum, cur interdicto ſubjicerentur libri doctrina ſana referti, eoque nomine abriperentur e manibus Fidelium, quo commonent eos, ne Religionem ſuam erga Filium Dei impura ſuperſtitione commaculent.

Et vero quid impurius eſſe queat eo Religionis officio, quod triplici deturpetur infami nota cultus *Goodwiniani*, cultus *Berruyeriani*, cultus *Neſtoriani*, quæ ſingula ab Anticardiacis deprehenſa ſunt in cardialatria, brevique excurſione commonſtrari facile poſſunt? Et a priori quidem infamia, quæ dudum latuit, & nuper in lucem venit ob recens fortunatum inventum, quod auctorem habuit, & præcurſorem *Thomam Goodwinum* hæreticum Anglicanum, qui cardialatriam invexit, & excoluit inter heterodoxos paucos annos antequam Alacoquia eam auſpicari diſceret in Galliis; ab hac, inquam, infamia, quæ vitiatæ originis notam infert, purgari certe nuſquam poterit. Sicut enim cultus id genus non toti adjicitur, ſed parti corporis Chriſti, neceſſaria connexione ſecum defert, quod ſpeciem ingerat ſignificative miſſam fieri integritatem Dominici Corporis. Licet autem Cordicolæ non id affectare ſe dicant, facto tamen ſibi ipſis obloquuntur, eoque vel inviti præbent etiam hæreticis anſam labefactandi unitatem Eccleſiaſticam, quam Chriſtus Dominus adumbrare, & commendare voluit in integritate Corporis ſui, ut vigilanter advertit S. Athanaſius Orat. contra Gentil. num. 24. *Hinc neque Joannis mortem capitis amputatione paſſus eſt, neque ſicuti Iſaias ſectus eſt, ut & in morte corpus ſine diviſione integrum ſervaret, & nulla cauſa iis ſuppeteret, qui vellent dividere Eccleſiam.* Quod notat etiam S. Thomas 3. *p. q.* 46. *art.* 4. *ad* 1. *Specialiter tamen*, ait, *non caput ei amputatur, ut Joanni, neque ſectus eſt ut Iſaias, ut corpus integrum, & indiviſibile morti ſervet, & non fiat occaſio volentibus Eccleſiam dividere.* Quare ſi cardialatria tam arcto nexu juncta eſt cum Chriſtotomia, ut nullo pacto diſſociari poſſe videantur, fieri profecto nequit, ut Alacoquiana legitimatione quaſi reſtituta natalibus originis vitium exuiſſe putanda ſit, quod in Goodwino contraxerat. Illud enim ſibi inditum gerit, quaſique inv-

ſceratum erronea ipſa ſignificatione ſecti cordis a corpore, propter quam indivulſe fœderata eſt cum hæreticis contra geminam unitatem naturalem, & myſticam corporis Chriſti. Nec refert Alacoquianos earum neutram intendere; ſatis enim eſt, quod utramque cultu ſuo cum Goodwinianis portendant, ut poſt S. Auguſtinum obſervat S. Thomas 2. 2. *qu. 93. art. 1. corp. Mendacium maxime pernicioſum eſt, quod fit in his, quæ ad Chriſtianam Religionem pertinent. Eſt autem mendacium, cum aliquis exterius ſignificat contrarium veritati. Sicut autem ſignificatur aliquid verbo, ita etiam ſignificatur aliquid facto; & in tali ſignificatione facti conſiſtit exterior Religionis cultus, ut ex ſupra dictis patet. Et ideo ſi per cultum exteriorem aliquid falſum ſignificetur, erit cultus pernicioſus.* Et rurſus infra *q. 94. art. 2. corp. Cum exterior cultus ſit ſignum interioris cultus; ſicut eſt pernicioſum mendacium ſi quis verbis aſſerat contrarium ejus, quod per veram fidem tenet in corde, ita eſt pernicioſa falſitas, ſi quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id, quod ſentit in mente.*

Quod autem cardialatria alteram ſubeat notam cultus Berruyeriani, tam eſt probatu facile, quam perſpicuum, Berruyeriſmum in eo præcipue verſari, quod humanitas Chriſti in ſe *directe*, & *in recto* ſpectanda ſit, ita ut agere, & pati proprium ſit ejus, nec a Verbo recipiat, niſi ſubſiſtentiæ complementum. His vero conſequens eſt, ut ad modum Filii temporalis a tota Trinitate producti, & ab increato diſtincti, quem ſola genuit perſona Patris in æternitate, divinos etiam in ſe ſuſcipiat, & terminative ad ſe rapiat honores, ut liquet ex VIII. Propoſitione, quam in auctore damnato confixit Facultas Pariſienſis. *Sic recte intelligitur quomodo dicatur in ſe & directe adoranda ſanctiſſima Jeſu Chriſti humanitas non ut eſt humanitas nuda, ſed quia eſt humanitas Dei in perſona una ſubſiſtentis.* Et iterum ex IX. *Sic conſiderata Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſanctiſſima humanitas (nempe humanitas completa in genere ſubſiſtendi per ſubſiſtentiam Perſonæ unius Divinæ) eſt in ſe directe, & in recto adoranda, & cultu latriæ proſequenda.* Quid autem eſt Cor carneum, niſi particula quædam humanitatis Chriſti hypoſtatice unita perſonæ Verbi? Unde ſi fiat objectum cultus, quod illud ſpectari facit *in ſe directe, & in recto*, non video quid interſit inter latreuticum Cordis cultum, & totius humanitatis Chriſti. Nam το *directe*, & *in recto*, quod in utroque peræque dominatur; in cultu humanitatis Berruyeriani Dogmatis inventione; in cultu Cordis carnei ejuſdem Dogmatis imitatione quippe quam patenter evincit, & neceſſariam facit ipſamet objecti ratio; nullum eſſe dubium ſinit, quin cardialatria eſſentiale fœdus contraxerit cum Berruyeriſmo. Idque vel ex eo perſpectiſſimum fit, quod uti ſecundum Berruyerii ſyſtema ſoli addicuntur humanitati Chriſti in temporalem Dei filium erectæ cuncta Scripturarum teſtimonia, quæ liberationem concernunt humani generis per ineffabile Divinæ Incarnationis myſterium, ſic, & deterius etiam, univerſa Scripturarum facies, tum figuris adumbrans, tum expreſſe perſonans Filium Dei hominem factum, intolerabili plane Cordicolarum licentia contorquetur, cogitur, convertitur ad Cor carneum. Hinc in illorum idiotiſmo acatholica plane dialecto ab Alacoquia conceptis verbis invecta, paſſim uſurpari *Cor incarnatum; Cor immolatum; Cor ſacrificatum.* Hinc etiam fingi, & coloribus exprimi Cor e cælo delapſum, reclinatum in Præſepe, confixum in Cruce, in Sacramento relictum. In tanta autem ſacrorum eloquiorum depravatione quibus demum armis, quæ vel infirma faciunt in manibus Patrum, conficere poſſent hi novi Pugiles heterodoxorum hominum vim, ſi qui rurſus exiſterent, qui conſertis manibus perfecti Dei, & perfecti hominis veritatem impugnarent in Chriſto? Res plane ab ſe loquitur, & peſſimi etiam exempli eſt. Hoſtes enim fidei, qui Cordicolarum deliramenta proſpectant, & irrident, non ea pro ſua re privata vellent, ſed communia facerent etiam iis, qui nec Berruyeriani puri ſunt, nec Berruyeriani Cordicolæ, & in utriſque deteſtantur tam perverſam, ac noxiam Scripturarum Sanctarum abuſionem, ut apte perpendit S. Auguſtinus lib. de Geneſ. ad Litteram cap. 19. *Turpe autem nimis, & pernicioſum ac maxime cavendum, ut Chriſtianum de his rebus quaſi ſecundum Chriſtianas Litteras loquentem, ita delirare quilibet Infidelis audiat, ut quemadmodum dicitur toto cælo errare conſpiciens riſum tenere vix poſſit. Et non tam moleſtum eſt, quod errans homo deridetur, ſed quod Auctores noſtri ab eis, qui foris ſunt, talia ſenſiſſe credantur.*

De tertia tandem, & deteriori nota cultus Neſtoriani, quanta nempe, quamque juſta illius ſuſpicione Cardialatria oneretur, brevi dilemmate, ut mihi quidem videtur, ſatis, ſuperque liquere poteſt. Aut enim lateutricus cultus, qui carneo Cordi exhibetur, impenditur ei *propter* unionem hypoſtaticam; aut illo Cor carneum afficitur *præter* hypoſtaticam unionem. Si primum dicatur, ſubens admiſerim procul abeſſe, abſolute, & abſtractive loquendo, noxam omnem cultus Neſtoriani. Sed id tamen, ad hypotheſim quod attinet, procul etiam abeſſe facit a carneo Chriſti Corde latreutici cultus uſum omnem, & officium. Cultus enim humanitati Chriſti adhibitus propter unionem hypoſtaticam toti ſimul adjicitur, nec partes ejus attingit in particulari, niſi forte phyſice ſeparatas inveniat, ſicut accidit in triduo mortis de anima, corpore, & ſanguine Chriſti. Unde quum Cor ejus neque tunc, neque uſquam ſegregatum fuerit a corpore, neque tunc, neque uſquam cardialatriæ locum dare potuit, hoc eſt latreutico cultui ratione unionis hypoſtaticæ proprie, diſtincte, & peculiariter ad ſe terminato. Secus enim quum plures ſint tam intimæ, quam extimæ corporis partes, earum ſingulis propter unionem hypoſtaticam divini deputari poſſent honores, quod in quibuſdam idololatrarum deprehendit, & reprehendit Magnus Athanaſius laudata *Orat. contra Gentil. num. 9. Alii vero partes corporum, ut caput, humerum, manum, pedem ſeorſim dividentes ſingulas inter Deos collocavere, & divinis honoribus ſunt proſequuti, quaſi non contenti Religione erga totum, & integrum corpus adhibita.* Si vero dicatur ſecundum, Cordi nempe carneo latreuticum cultum impendi *præter* hypoſtaticam unionem, plana res eſt, Cardialatriam in vitium prolabi cultus Neſtoriani. Ita namque non reſpicitur, ut Cor Verbi Dei propter nos hominis facti, quod eſſet illud colere propter unionem hypoſtaticam, ſed ut Cor hominis in propria perſonalitate ſubſiſtentis, & Deivirili dignitate locupletati, quod aperte Neſtorianum eſt. Nec excuſatio valet, quod Cardialatria ſit mere *præciſiva*, non autem *diviſiva*, ſicut adoratio Neſtoriana. Eſto namque, quod diviſiva non ſit ſecundum intentionem colentium, æque tamen diviſiva ſit oportet ſecundum ſignificationem cultus. Neque enim fieri poteſt, ut Cor carneum adoretur præter unionem hypoſtaticam, quin adorari ſignificetur ut quid ſubſiſtens in alio quam in perſona Verbi, quod aliud eſſe nequit niſi ſuppoſitum creatum Neſtoriano more ſubactum, & ad nomen elevatum, & honorem Filii Dei. Reque ipſa quod nihil interſit ad rem præſentem inter adorationem diviſivam, & mere præciſivam teſtis eſt quam qui maxime locuples utpote Cordiculis haudquaquam ſuſpectus, Franciſcus Suareſius in 3. *p. qu. 25. art. 2. diſput. 53. ſect. 3.*, ubi de anima humanitatem Chriſti reſpectante cum præciſione ab ejus divinitate ſic habet: *Dum abſtracte, & præciſe conſiderat humanitatem Chriſti, & dignitatem ejus, durante hac ſola cogitatione non poteſt Perſonam ipſam in ſe, & per ſe adorare; quia non poteſt adoratio referri in objectum non cognitum; refertur enim per affectum, & affectus non tendit in incognitum.* Et aptius etiam ad intentum noſtrum Cl. Thomaſin. *de Incarnat. lib. II. cap. 3. num. 14. Non me fallit, Damaſcenum dixiſſe, carnem inadorabilem eſſe, ſi ſubtilibus cogitationibus diſpeſcatur a Divinitate. Sed hanc cogitationum audaciam haudquaquam ille approbavit, quinimmo ut a Neſtorianis invectam, ut hæreticis uſitatam deteſtatus eſt. Inadorabilem fore dixit, ſi præſecaretur a Verbo; ideoque ne inadorabilis ſit, præſecari vel cogitando vetuit.* 010

Patet igitur adorationis præciſivæ colorem nullius opis eſſe Cordicolis ad eluendam Neſtoriani cultus notam, ſi Cor Jeſu carneum juxta alterum præjacti dilemmatis membrum adorandum eſſe prætendant præter unionem hypoſtaticam. Quod ſi vero pedem referant, & cautius agendo latreutico cultu ſeſe proſequi obteſtentur Cor Chriſti carneum propter hypoſtaticam unionem, ſicut adoratur Corpus Chriſti tam in propria ſpecie, quam ſub ſpecie Sacramenti; Cardialatriæ ſuæ nuncium remittant oportet, ut ſuperiori dilemmatis membro effectum eſt. Nam quod ajunt de corpore Chriſti tam diſpar eſt, quam planum *quod partes animalis, ut oculus, manus, caro, & os, & hujuſmodi non ſunt in ſpecie, ſed totum*, ſicut ait S. Thomas 1. *p. qu. 76. art. 5. ad 3.* Unde fit, ut ni ſectæ ſupponantur a toto, ne ratione quidem unionis hypoſtaticæ partes corporis capaces ſint illius adorationis ad ſe terminatæ, ſecundario tamen, & indirecte, quam ita ad ſe terminat humanitas aſſumpta, hoc eſt corpus, & anima Chriſti, ut obſervat Sanctus Doctor *3. p. q. 25. art. 1. corp. Proprie autem honor exhibetur toti rei ſubſiſtenti; non enim dicimus, quod manus hominis honoretur, ſed quod homo honoretur.* Et iterum *art. 2. pariter in corp. Honor adorationis proprie debetur hypoſtaſi ſubſiſtenti ..... Adoratio igitur humanitatis Chriſti dupliciter poteſt intelligi. Uno modo, ut ſit ejus, ſicut*

rei

rei adoratæ, & ſic adorare carnem Chriſti, nihil eſt aliud, quam adorare Verbum Dei incarnatum. Cum ſit ergo Chriſti corpus indiviſum, tanti eſt partem ejus aliquem ſingillatim adorare, quanti veritatem orthodoxam præterire adorationis unicæ. Ita namque perſpicue ſignificatur partem corporis ad adorandum delibatam, ſic adorari, ut interim miſſa fiat, vel oblique tantum connotetur Perſona Verbi; quippe cui non ſeorſim per ſe ſe, ſicut olim corpus iſtum, eſt hypoſtatice unita, ſed cum toto & per totum, a quo nuſquam pars illa diſſecta fuit. Atque hinc ceſſat etiam præſidium, quod Cardialatriæ vulgo parant ex cultu V. Vulnerum. Non is enim cadit in fixuram, aut in loca clavorum, hoc eſt in Chriſti manus, pedes, & latus, ſed in ipſum Chriſtum vulneribus affectum, crucique ſuffixum. Manus autem, pedes, & latus nullo modo cultum ad ſe terminant, ſed ejus tantum ſigna ſuſcipiunt, quæ cultum innuunt, & ad cultum excitant Chriſti Domini, ſecundum illud, quod de piis mulieribus habetur *Matth.* 28. *Tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.* Et propius ad rem *Joan.* 20. ubi Thomas tractare juſſus Chriſti vulnera, non hæc, ſed Chriſtum ipſum adoratione ſua proſecutus legitur in ea verba prorumpens: *Dominus meus, & Deus meus.* Nec ſatis mirari poſſum Cordicolarum audaciam, qui loco Feſti Cordis, quod petebant, nacti olim Feſtum iſthoc V. Vulnerum, quod in eo myſterii erat in carnalem ſenſum detorquentes, ſanam mentem S. Congregationis ita ſus deque verterunt, ut quæ ſignificativæ diviſionis metu Feſto Cordis annuere noluerat, inſaniſſime ſponte ſua permiſiſſe Feſtum videretur, quod adorationem Chriſti proſcinderet, & lanienam faceret, eamque turpiſſimam Dominici Corporis, quam linteis etiam, tabuliſque pictis horrificum in modum aſpectabilem fecerunt.

Atque heic locus incidit, ut aliquid addamus de cardiacis Imaginibus; quas utique ſi Goodwinianas dixerimus, ſi Berruyerianas, ſi Neſtorianas, nihil alienum a veritate dixerimus. Speciem quippe præſeferunt, & ad exercitium incitant cultus talis, qualem Goodwinus pinxit, Berruyerius delineavit, Neſtorius invenit. Has autem quum video, & ſtatas etiam in Templis video, *Abominationem* videre mihi videor *ſtantem in loco Sancto*, de qua Dominus queritur *Matth.* 24. A page vero, ut hoc nefario ſenſu permiſſionem mentiri queant Eccleſiæ Romanæ. Non aliter enim ab ea permiſſæ, ſeu toleratæ dici valent, quam uti permittit aut tolerat Feſtum agi Cordis Jeſu; in purum nempe Symboli modum caritatem Chriſti denotantis, quæ motivum Feſto præbuit, eique præſtituit pro objecto cultus Chriſtum Dominum perfectum Deum, & perfectum hominem tanquam amatorem noſtrum. Ratum hunc cum novi Feſti, tum imaginum uſum a Cordicolarum depravatione cuſtodire niſi ſunt Anticardiaci. Sed quoniam vix fieri poſſe videbant, quin ſenſim relabatur in Cor carneum, & in imagines Cordis carnei, optandum etiam, & Religionis bono optandum eſſe duxerunt, ut e medio tollatur Feſtum ipſum de Corde Symbolico, & ab oculis Fidelium ſymbolicæ ipſæ arceantur imagines Cordis. Quod etſi ſummam concitaverit in eos Cordicolarum rabiem, (quorum Anteſignani jam in corde Jeſu, ſicut olim in nomine, ſenſibile ſignum Religionis affectaſſe videntur, quod præſto eſſet Societati ſuæ tunc labanti ne caderet, nunc lapſæ ut reſurgat,) nihil tamen in optato illo adverſariorum ſuorum, ſi ſapere velint aliquando, deprehendere jure quiverint, unde per fœdam impoſturam traducant eos, ut irreligioſos, ut Calvinianos, ut Vicleſiſtas, ut Iconomachos. Anticardiaci ſiquidem, qui ſub ſymbolo Cordis obrepere norunt, & impune uſurpari Cardialatriæ cultum Goodwiniana, Berruyeriana, & Neſtoriana lue fœdatum, tam ſibi fas eſſe rati ſunt in votis habere, votaque ſua fidenter exponere, quod Feſtum, & Imagines Cordis Jeſu ſupprimantur omnino, quam religioſe ac ſancte, ne ſuperſtitio, quæ ſucceſſerat, increſceret, non humanitus inventum, ſed divinitus inſtitutum Chriſti Domini ſymbolum in æneo ſerpente, S. Rex Ezechias ſublatum penitus, everſumque voluerit, ut ſcriptum eſt 4. *Reg.* 18. *v.* 4. Par enim utrinque viget & religionis, & caritatis ratio ſecundum illud ad rem aptum natum, & Anticardiacorum vota rata faciens oraculum Domini *Iſai.* 57. *v.* 14. *Auferte offendicula de via populi mei;* Cordicolæ vero, qui hæc parare non deſinunt, auſuque ſuo ſub Symbolo Cordis Feſtum agunt pollutum, & impurum Cordis carnei, quod Goodwiniana, Berruyeriana, & Neſtoriana proluvie conſpurcatum eſt, de ſe dictum vereantur, & in ſe cadere metuant horrificum illud indignantis Domini effatum *Malach.* 2. *Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum.* Itaque ſperare licet, & juſte, ac religioſe ſperare, ſuppreſſionem Feſti hujus, quod abuſione Cordicolarum factum eſt in lapidem offenſionis, & in petram ſcandali, habituram quandoque & ipſam locum ſuum, eumque honorificentiſſimum in Eccleſiaſtica hiſtoria.

DIS-

DISSERTATIO IX.

DE

SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS

SÆCULI XVII. ET XVIII.

§. I.

De Cæsare Card. Baronio.

SCRIPTORUM Eccleſiaſticorum, quorum notitiam exhibere paucis hac in Diſſertatione mens eſt, agmen ducet Eccleſiæ Annalium parens & conditor immortalis memoriæ Cæſar Cardinalis Baronius. Qui Soræ in Campania Regni Neapolitani Provincia natus an. 1538., invitus & reluctans primum Prothonotarius Apoſtolicus, inde Bibliothecarius ac tandem Cardinalis a Clemente VIII. creatus eſt. S. Philippi Nerii, cujus fuerat Congregationi Oratorii adſcriptus, conſilio *Annales Eccleſiaſticos* adverſus Magdeburgenſium Centurias ſcribendos ſuſcepit, perduxitque ad annum uſque 1198. Vitam clauſit Baronius pridie Kalend. Julii an. 1607. Ejuſdem Annales ad aliquot annos continuavit non ſine Eruditorum adprobatione Odoricus Raynaldus, poſtea vero, ſed infeliciter Jacobus de Laderchio. Horum Eccleſiaſticorum Annalium Baronii Editionibus utilior cenſetur Lucenſis an. 1740., nam in hac habentur viri doctiſſimi Antonii Pagii Critica & Raynaldi Continuatio; tum in utrumque Scriptorem Dominici Georgii, & Joannis Dominici Manſii, hominum eruditiſſimorum, Notæ.

§. II.

De Leonardo Coquæo.

LEonardus Coquæus, natus non procul Aureliis nobili Galliæ urbe, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, & ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, omni doctrinarum genere inſtructus fuit, & linguarum Græcæ & Hebraicæ ſcientiſſimus. Poſt traditas in ſuo Ordine theologicas diſciplinas, Florentiam accitus eſt a Chriſtiana Lotharinga, Ferdinandi Etruriæ Ducis conjuge, ut ſibi a ſacris confeſſionibus eſſet. Inter varia ejus ſcripta typis prodierunt luculenti *Commentarii in libros S. Auguſtini de Civitate Dei; Commentarii in Eſdram; Quæſtiones de Divinæ Gratiæ auxiliis*. Fidei Catholicæ egregium, ac fortiſſimum ſe defenſorem exhibuit, ac duobus Tomis Philippum Mornæum, Sectæ Calviniſticæ in Gallia anteſignanum, compeſcuit. Stylum etiam acuit in Jacobum I. Magnæ Britanniæ & Hiberniæ Regem, edito *examine Præfationis Monitoriæ*, quam idem Rex præmiſerat *Apologiæ* ſuæ pro juramento fidelitatis. Obiit Florentiæ an. 1615. ut Miræus habet in Scriptoribus *Sæculi XVII.*

§. III.

De Davide Card. Perronio.

DAvid Perronius e parentibus nobilitate quidem claris, ſed Calvinianæ Sectæ addictis in Normannia inferiori ortus eſt. Adoleſcens, cognitis atque ejuratis divina adfulgente gratia erroribus quos cum lacte ſuxerat, & clericalem ſtatum complexus egregius evaſit Catholicæ fidei propugnator. Ebroicenſis primum Epiſcopus, deinde Archiepiſcopus Senonenſis, tandem S. R. E. Cardinalis, magnuſque Franciæ Eleemoſynarius fuit. E vivis exceſſit Nonis Septembris an. 1618. ætatis 63. Acutum habuit ingenium, eruditionem ſolidam, memoriam tenaciſſimam: in eccleſiaſtica & profana antiquitate verſatiſſimus fuit. Doctiſſima in hæreticos Opera ſcripſit, quæ Pariſiis collecta tribus Tomis in fol. prodierunt annis 1620. & 1622.

§. IV.

De Petro Arcudio.

PEtrus Arcudius Corcyrenſis, Romæ in Collegio Græcorum Philoſophiæ & Theologiæ operam dedit. Eccleſiæ Latinæ doctrinæ ac ritibus addictiſſimus perdocta Opera in vulgus edidit, ut ejuſdem dogmata tueretur, præſertim duos Tractatus *de Purgatorio adverſus Barlaam*, videlicet *utrum detur Purgatorium, & an illud ſit per ignem?* Inſuper *Opuſcula aureæ theologica circa proceſſionem Spiritus Sancti:* Latinam Interpretationem *Menologii Græcorum;* & utiliſſimum librum, cui titulum indidit *Concordia Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis*. In hoc probat ſummam eſſe utriuſque Eccleſiæ Latinæ & Græcæ in ſeptem Sacramentorum adminiſtratione conſenſionem. Obiit Arcudius Romæ an. 1621. „ Vir pius, inquit Allatius lib. 3. de „ Conſenſu cap. 7., integer, veritatis amans, Secta„ riorum hoſtis, quorum & nomina abhorruit, plus „ tamen æquo ardentius; & cum poſſet ſæpe numero „ rationibus, injuriis maluit tutari ſententiam. Sic, „ dum omnia quæcumque excerpſerat in quocumque „ argumento dicere ſtudet, plerumque a propoſito di„ greſſionibus iiſque longiſſimis, rem & orationem per„ turbat: Stylo græco, quo ſibi nimium plaudebat, in„ felicior, quidquid dixerit Balthaſſar Anſideus “.

§. V.

De Roberto Card. Bellarmino.

RObertus Bellarminus, in Monte Politiano, Etruriæ urbe, ex Marcelli II. P. M. ſorore natus, quum Societati Jeſu nomen dediſſet, in Belgium poſtea miſſus annos aliquot Lovanii, magna eruditionis fama, Theologiam explicavit, & latine concionando, qua erat eloquentia, magnum ſibi nomen peperit. In Italiam reverſus *Libros Controverſiarum* adverſus ævi noſtri Sectarios incredibili Chriſtianorum omnium applauſu, ac fructu publicavit. Hominem de Eccleſia, ac Republica Chriſtiana optime meritum, quamvis invitum ac renuentem, ut erat modeſtia præditus ſingulari, Clemens octavus an. 1598. Cardinalem *S. Mariæ* renunciavit. Exinde Capuanus ab eodem Archiepiſcopus creatus, cum aliquandiu in ea urbe conſediſſet, ſuiſque ovibus verbo & exemplo præiviſſet, tandem onus illud depoſuit, Romamque ſe contulit, ubi mortuus eſt an. 1621. ætatis 79. Præter commemoratum inſigne Opus ſcripſit etiam Bellarminus Tractatum, *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, & alia, quorum indicem Alegambius aliique exhibent.

§. VI.

De Frontone Ducæo.

FRonto Ducæus, Jeſuita Burdigalenſis, a magno Baronio in Annalibus etiam laudatus, quam egregie Græcas litteras ſciverit, quantaque Critices, ſolidioris Theologiæ, & Eccleſiaſticæ antiquitatis notitia excelluerit, ſatis oſtendunt quæ ille veterum Græcorum Patrum Opera latine convertit, & illuſtravit; *Gregorii* nimirum *Nazianzeni*, *Gregorii Nyſſeni*, *Baſilii*, *Joannis Chryſoſtomi*, *Nicephori Calliſti Hiſtoria*, & *Bibliotheca Græcorum Patrum*. His adde Notas ad S. Paulinum Nolanum, adverſus Philippum Mornæum Diſputationes, & alia, quæ ab Alegambio, & Dupinio recitantur. Obiit Pariſiis die 25. Septembris ann. 1623.

§. VII.

§. VII.

De Jacobo Gretzero.

JAcobus Gretzerus, inquit Aubertus Miræus, Germanus S. J. fortiſſimus athleta, ac vigilantiſſimus veritatis defenſor, magnus Lutheranorum domitor ac malleus, hæreticorumque omnium terror, poſtquam totas Bibliothecas legendo exhauſit, & totas fere ſcribendo replevit, vitæ ſatur cum 26. annis Ingolſtadii docuiſſet, uno linguam Græcam, tribus Philoſophiam, reliquis Theologiam, & 48. in Societate vixiſſet, pie deceſſit Ingolſtadii 28. Januarii ann. 1625. ætatis 63. Ad ſtuporem uſque protenditur ſeries ab illo ſcriptorum voluminum, quam videre eſt apud Alegambe. Hæc Miræus. Quibus addimus libros *de Cruce* magnam Gretzero exiſtimationem apud eruditos viros peperiſſe.

§. VIII.

De Thoma Malvenda.

THomas Malvendas Hiſpanus nobilis ex Ordine Prædicatorum Theologus edidit præter alia accuratiſſime recenſita a Jacobo Echardo Tom. II. Operis *Scriptores Ord. Præd.* pag. 454. & ſeqq. *Libros XI. de Antichriſto*, qui eruditis omnibus toto Orbe probati laudatique fuerunt. Obiit ann. 1628. die 7. Maji ætatis 63.

§. IX.

De Thoma de Lemos.

THomas de Lemos Hiſpanus Gallæcus Ripadaviæ natus ex Ordine Prædicatorum, laudatiſſimus Theologus doctrinam SS. Auguſtini & Thomæ adeo tenuit, & omnino decoctam habuit, ut in XLVII. publicis diſputationibus *de auxiliis divinæ gratiæ* Romæ ſub Summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. habitis, unus ipſe cum quinque ex tota Hiſpania ſelectis ſibique invicem ſuccedentibus Societatis Patribus Gregorio de Valentia, Petro Arrubal, Ferdinando de Baſtida, Joanne de Salas, Bartholomæo Perez congreſſus fuerit, & arbitrio cenſorum omni exceptione majorum victoriam reportarit. Obiit Romæ cum magna opinione virtutum die 23. Auguſti ann. 1629. ætatis ſeptuageſimo, ſolidiſſimis editis lucubrationibus de rebus iis in Congregationibus pertractatis, quarum catalogum legas apud Echardum Tom. II. Operis *Scriptores Ordinis Prædicatorum* pag. 462. & ſeqq.

§. X.

De Heriberto Roſweido.

HEribertus Roſweidus Ultrajectinus S. J. Theologus non ſolum fidei catholicæ veritatem adverſus celebriores ſui temporis Sectarios, Caſaubonum, Plancium, Capellum & alios propugnavit, ſed etiam pleraque Veterum monumenta in lucem edidit & illuſtravit; nimirum *Vetus Martyrologium* quod Romanum arbitrabatur, alterumque *Adonis Viennenſis Epiſcopi; Vitas Patrum* collatas cum variis MSS., nec non SS. Patrum Opuſcula quædam. Belgice quoque reddendas imprimendaſque curavit Sanctorum vitas, pridem a Ribadaneira Hiſpanice compilatas non ſine illuſtri auctario ſuo: concinnavit etiam eodem idiomate hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tomos inſignes, eique propriam Eccleſiarum Belgicarum hiſtoriam in Annales apte diſtributam ſubtexuit. Obiit Antuerpiæ nonis Octobris ann. 1629. Plura de eo leguntur in vita Joannis Bollandi; nam Roſweidus omnium primus conſilium iniit vulgandorum Actorum Eccleſiæ Sanctorum; quod poſtea Bollandus ejuſque Socii adeo feliciter utiliterque perfecerunt.

§. XI.

De Gabriele Albaſpinæo.

GAbriel Albaſpinæus, Gallice *de l' Aubeſpine*, Epiſcopus Aurelianenſis totius Eccleſiaſticæ antiquitatis ſcientiſſimus fuit, ut libri ab eo in lucem editi teſtantur; nimirum *de Veteribus Eccleſiæ Ritibus; Obſervationes ad Tertulliani & Optati Milevitani Opera; Tractatus de Euchariſtia;* in quibus antiquæ diſciplinæ monumenta ſtudioſiſſime expoſuit & illuſtravit. Obiit Gratianopoli die 15. menſis Auguſti anni 1629. poſtquam Epiſcopum egiſſet annos XXXIV.

§. XII.

De Henrico Spondano.

HEnricus Spondanus in Regno Navarræ natus & in Calviniana hæreſi educatus, divina adſpirante gratia ex jugi Cardinalium Perronii & Bellarmini Operum lectione ex errorum tenebris emerſit, & fidem catholicam amplexus eſt. Ob eximiam eruditionem & ſingularem pietatem creatus Epiſcopus Apamienſis, populum ſibi commiſſum verbis & ſcriptis ad ſanctitatem informare ſtuduit. Edidit Gallice librum *de Cœmeteriis ſacris* latino inde idiomate donatum; *Annalium Eccleſiaſticorum Card. Baronii epitome; Annales ſacros a Mundi creatione ad ejuſdem reparationem; Continuationem Annalium Eccleſiaſticorum* ab anno 1198. quo Card. Baronius deſiit uſque ad finem anni 1640. Diem obiit ſupremum Toloſæ ann. 1643. ætatis 75.

§. XIII.

De Nicolao Hugone Menardo.

NIcolaus Hugo Menardus, Bleſis oriundus, at Pariſiis ann. 1585. honeſto loco natus, monaſticam vitam iniit in regali S. Dionyſii prope Pariſios Cœnobio Ordinis S. Benedicti, indeque ſeveriori ſe obſervantiæ addixit in Virdunenſi S. Vitoni Monaſterio. In altero S. Germani a Pratis vitam fere omnem exegit, primuſque fuiſſe fertur, qui ſtudia litterarum in Congregatione S. Mauri extulerit, eaque cum ſanctioris vitæ cultu eſſe conjungenda & ſermone & exemplo docuerit. Memoria valuit ad miraculum uſque: Latine, Græce, ac Hebraice doctus fuit: Eccleſiaſticam antiquitatem totam tenuit, Critici ſolertiſſimi etiam nomen merito indeptus. Obiit decimo tertio Kalendas Februarii ann. 1644. *Martyrologium Sanctorum Ordinis S. Benedicti* a ſe notis illuſtratum Pariſiis edidit ann. 1629. *Concordiam Regularum, authore S. Benedicto Anianæ Abbate* primus vulgavit ex Bibliotheca Floriacenſis Monaſterii, notiſque & obſervationibus illuſtravit. *S. Gregorii Papæ* I. *Librum Sacramentorum* cum notis item & obſervationibus in vulgus protulit, quæ in nova Operum S. Gregorii editione Pariſienſi anni 1705. Tomo III. recuſæ ſunt. Denique diatribe *de unico Dionyſio Areopagita Athenarum & Pariſiorum Epiſcopo* pugnavit adverſus Joannem Launojum. Notæ, quas in Epiſtolam S. Barnabæ Apoſtoli elucubraverat, poſt ejus mortem typis commiſſæ ſunt, ſæpiuſque inde fuerunt editæ inter Opera SS. Patrum, qui temporibus Apoſtolicis floruerunt. Atque hæc ex *Bibliotheca Benedictino-Mauriana* depromſimus, edita a Bernardo Pez, cujus laboribus utemur in Benedictinis Scriptoribus referendis, qui e celeberrima Congregatione S. Mauri in Gallia prodierunt, quod ſemel monuiſſe ſufficiat.

§. XIV.

De Balthaſſare Corderio.

BAlthaſſar Corderius Antuerpienſis e Societate Jeſu græcis litteris adprime perpolitus, inſtructuſque haud vulgariter Theologicis Diſciplinis, quas Vindobonæ multorum annorum ſpatio docuit, non pauca Patrum Græcorum Opera latina fecit, notiſque ditavit; nimirum illa, quæ ſub *Dionyſii Areopagitæ* nomine feruntur, tum cætera, quæ in *Catena LXV. Græcorum Patrum in S. Lucam*, & altera *in Joannem* continentur. Edidit etiam *Joannis Philiponi in C.* 1. *Geneſeos de Mundi creatione libros ſex; Expoſitiones Patrum Græcorum in Pſalmos; S. Dorothei doctrinas ſpirituales*, & alia, quæ videas apud Alegambium, & Bibliothecæ Belgicæ authorem. Obiit Corderius Romæ die 24. Junii ann. 1650. ætatis quinquageſimo octavo.

§. XV.

De Jacobo Sirmondo.

JAcobus Sirmondus S. J. Presbyter Ricomagi in Arvernia natus ann. 1559. die 12. Octobris ſingulare ævi ſui & Reipublicæ litterariæ ornamentum fuit. A mitioribus litteris ad ſeveriores progreſſus eximiam rerum Theologicarum totiuſque Eccleſiaſticæ antiquitatis notitiam græcos latinoſque Patres diurna nocturnaque manu verſando ſibi comparavit; ut argumento ſunt cum accurata, atque ad leges exacta in tractandis, ubi res exigit, controverſiis Theologicis ratio & ſubtilitas, tum quæcumque ab eo edita ad illuſtrandam Eccleſiæ Hiſtoriam, & diſciplinam. Romæ prope annos 18. commora-

moratus est, respiranteque Gallia a civilibus bellis Parisios reversus senex ibi mortuus est die 7. Octob. ann. 1651. Oratione laudatus a praestantissimo Philologo Henrico Walesio. En illius Operum catalogus: *Godefridi Abbatis Vindocinensis Epistolæ, Opuscula & Sermones cum notis in Epistolas; Magni Felicis Ennodii Episcopi Ticinensis Opera* in ordinem digesta, multisque locis aucta, emendata, ac Notis illustrata; *Flodoardi Presbyteri Ecclesiæ Rhemensis Canonici Historiæ Ecclesiæ Rhemensis Libri IV.* latine primum, ac multo quam Gallica versio exhibebat auctiores cum Appendice Anonymi, & aliis Opusculis ad eandem Ecclesiam spectantibus a Sirmondo editi; *Jacobi Cosmæ Fabricii Notæ stigmaticæ ad Magistratum triginta paginarum; S. Fulgentii de veritate prædestinationis & Gratiæ libri tres; Valeriani Episcopi Cemelienſis homiliæ* 20. *&c. Petri Cellensis Abbatis Epistolarum libri novem cum Alexandri III. Papæ epistolis* 56. *ad Petrum Cellensem* & ad alios cum notis; *C. Sidonii Apollinaris Arvernorum Episcopi Opera* primum recognita & notis illustrata; *Vita S. Leonis Papæ IX.* Leucorum antea Episcopi, Wiberto Archidiacono coætaneo authore; *Vita S. Caroli Comitis Flandriæ Martyris; S. Paschasii Radberti, Abbatis Corbejensis* Opera omnia recensita & edita; *Censura conjecturæ Authoris de suburbicariis Regionibus & Ecclesiis; B. Eugenii Episcopi Toletani Opuscula* adjectis aliorum opusculis & libellis; *Idatii Episcopi Chronicon a Theodosio Augusto ad Leonem anno Christi 467. & Fasti consulares; Marcellini V. C. Comitis Illyriciani Chronicon a Theodosio Augusto ad Justinianum anno Christi* 534. *Adventoria Causidico Divionensi adversus amici ad amicum epistolam de suburbicariis Regionibus & Ecclesiis &c. Anastasii Bibliothecarii Sedis Apostolicæ Collectanea; Propempticon Clarissimo Salmasio adversus ejus Eucharisticon; Caroli Calvi & Successorum aliquot Franciæ Regum Capitula* cum Notis; *Concilia antiqua Galliæ &c. Facundi Episcopi Hermianensis Libri XII. pro defensione trium Capitulorum Concilii Chalcedonensis* cum Notis; *Opuscula dogmatica veterum quinque Scriptorum, qui ante annos* 1200. *claruerunt &c. Appendix Codicis Theodosiani, novis Constitutionibus cumulatior &c. S. Augustini Sermones novi quadraginta* cum Notis; *Antirrheticus* 1. *de Canone Arausicano adversus Petrum Aurelium*; *Antirrheticus* 2. *de Canone Arausicano adversus Petri Aurelii Anæreticum; Dissertatio, in qua Dionysii Parisiensis & Dionysii Areopagitæ discrimen ostenditur; Theodoreti Opera omnia græce & latine &c. Quæstio triplex de lege* Celebrandis, *de paragrapho* Duorum Fratrum; *de Codice* Alarici Regis; *S. Aviti Archiepiscopi Viennensis Opera* cum Notis; *Eusebii Pamphilii Opuscula quatuordecim primum in lucem edita; S. Fulgentii, Ruspensis Episcopi excerpta ex libris contra Fabianum; Prædestinatus &c.* Hincmari *Rhemensis Archiepiscopi Opera; Theodulphi Aurelianensis Episcopi Opera* cum Notis; *Rabani Archiepiscopi Moguntini Epistolæ tres de prædestinatione Dei adversus Gothescalcum; Historia Prædestinatiana duodecim capitibus comprehensa &c. Amolonis Archiepiscopi Lugdunensis Epistola ad Gothescalcum &c. accesserunt Opuscula duo &c. S. Augustini sententiæ de prædestinatione & Gratia Dei, & de libero hominis arbitrio ante annos* 1300. *ex ejus libris collectæ; Servati Lupi Presbyteri de tribus Quæstionibus liber cum ejusdem Collectaneo & duabus Epistolis adnexis, ac quibusdam PP. Græcorum testimoniis; Rufini Presbyteri, Provinciæ Palæstinæ liber de Fide primum editus & illustratus; Marcellini & Faustini Presbyterorum Libellus precum ad Imperatores primum editus; triplex nummus antiquus Christi Domini Perperenæ Civitatis Hannibaliani Regis; Anti-Tristanus, sive ad Joannis Tristani S. Amantii de triplici nummo antiquo Epistolam Responsio; Anti-Tristanus secundus &c. Historia Pœnitentiæ publicæ duodecim distincta capitibus &c. cum disquisitione de azymo; Vetustissima inscriptio L. Cornel. Scipionis Romæ reperta* cum Notis; *De anno Synodi Sirmiensis & fidei Formulis in ea editis; De Photino ejusque damnatione; S. Gregorii Neocæsariensis in Origenem Oratio; S. Gregorii Nazianzeni Testamentum G. L.* Sirmondo interprete; *Præfatio ad Editionem Romanam Conciliorum anno* 1608. *Vita S. Philippi Presbyteri Argyriensis* ex Græco Codice edita, & latine facta; *Acta SS. Alphii, Philadelphi & Cyrini MM.* latine reddita. Hæc atque alia Sirmondi Opera varia cum Notis posthumis, Epistolis & Opusculis aliquibus auctiora, & *S. Theodori Studitæ* Epistolis aliisque Scriptis dogmaticis nunquam antea Græce plerisque vulgatis quinque voluminibus in fol. prodierunt.

§. XVI.

De Dionysio Petavio.

Dionysius Petavius Aurelianensis singulare ævi sui, atque Societatis Jesu ornamentum, eximius Theologus, Historicus præclarus, Orator eloquentissimus, rectissimi denique judicii Criticus, ac bonus Poeta merito habitus est. Opera *Synesii*, Orationes XVI. *Themistii Juliani Imperat. Breviarium Historicum Nicephori* Patriarchæ CP. & *Epiphanii* græce latineque vulgavit cum animadversionibus notisque tanto ingenio dignis. Cætera ejusdem Opera sunt hæc: *Miscellaneæ exercitationes* adversus Claudium Salmasium; *Opus de Doctrina temporum; Uranologium; Rationarium temporum; Paraphrasis Psalmorum omnium & Canticorum, quæ in Bibliis sparsim occurrunt, Græcis versibus expressa cum latina interpretatione; Paraphrasis in Ecclesiasten; De Theologicis dogmatibus; Diatriba de potestate consecrandi; Orationes & Opera poetica, latina, græca, hebraica; Tria poemata latina de tribus festis B. Virginis &c.* Obiit Parisiis in Claromontano Societatis Collegio ann. 1652. ætatis 69. laudatus in funere ab Henrico Valesio. Ejus Opera pluries cum alibi, tum Venetiis recusa sunt, novissime vero typis Remondinianis cum notis eruditissimi doctissimique Viri Francisci Antonii Zaccheriæ. In Lib. IV. de Trinitate Petavius Socinianos Crelliumque imprimis confutaturus rectam integramque Patrum Nicænorum & qui deinceps floruere, de individua Dei Trinitate sententiam fuisse demonstrat, unitatemque numeralem eidem convenire, trium personarum distinctioni minime obsistentem, ex eorum dictis perspicue luculenterque comprobat. Sed ut erat (sive id ei ex Hugonis Grotii Crellio addictissimi familiaritate provenerit, ut quidam perhibent, sive alia ex caussa) præjudiciis adversus trium primorum sæculorum Patres occupatus, eorumque fidem in eo, quod Trinitatem adtinet, falsam erraticamque crediderat, ei cordi non fuit illam a calumniis, in quibus vel prævaricator, vel etiam artifex ipse & structor extiterat, pro virili portione vindicare. Idem quoque indigne habuit excepitque Arnaldum, dum hujus librum *de frequenti communione* tot insignium virorum suffragiis communitum exagitandum suscepisset. Denique quum Augustinum gratuitæ prædestinationi suffragatum fuisse multis evicisset, Sociorum postea minis deterritus palinodiam cecinit, & Apostolum minus recte ab Hipponensi Episcopo intellectum fuisse ostendere adnisus est.

§. XVII.

De Jacobo Goar.

Jacobus Goar Parisiensis Theologus ex Ordine Prædicatorum cum Græcam linguam apprime excoluisset, monumentaque græca plura ardentius evolvisset aliquando edenda, ut horum omnium pleniorem sibi compararet notitiam, simul ut in rem Ecclesiæ Romanæ fructum reportaret aliquem, in Orientem a sui Ordinis Magistro ann. 1631. missus est, ubi annis octo solidis stetit, & amplius, Græcorum Ecclesias frequentans, illorumque ritus accuratissime investigans, ipsis etiam Schismaticis ob morum suavitatem ac exactam eruditionem acceptissimus. Romam circa annum 1640. appulsus cum rerum rituumque Orientalium doctioribus Leone Allatio, Basilio Falasca Monacho S. Basilii, Georgio Coresio, Pantaleone Ligaridio, aliisque primi subsellii viris eruditissimis familiaritatem, & amicitiam inivit, quam deinceps quum Parisios concessisset, litteris ultro citroque scriptis fovit, quo ex suavissimo utilissimoque commercio non potuit quin sapientiæ disciplinæque græcæ peritissimus evaderet. Princeps ab eo vulgatum opus fuit ΕΥΧΟΛΟΓΙΟΝ sive *Rituale Græcorum* in fol. Parisiis 1647. in quo adeo diligenter doctèque versatus est, ut non solum omnes qui aliquid hac in parte antea tentaverant longo intervallo superarit, sed etiam postea nemo quidquam illius laboribus addiderit: omnes ex illis se profecisse agnoverint. Cætera a Goario græce latineque vulgata patent in collectione Scriptorum rerum Byzantinarum; quæ vero affecta reliquit, ab aliis postea edita recenset Echardus Tomi II. Operis inscripti *Scriptores Ord. Præd.* pag. 575. Obiit Goarius Parisiis ann. 1653. ineunte Augusto ætatis 53.

§. XVIII.

De Joanne Morino.

JOannes Morinus, Bleſæ parentibus hæreticis ortus, Card. Perronii ſtudio ad veram Chriſti Eccleſiam acceſſit; utque ſaluti ſuæ melius conſuleret, Collegio Berulliano Pariſiis nomen dedit; eique magnum & ingens adtulit decus doctiſſimis Operibus in lucem editis. Sunt hæc inter alia: *Exercitationes Biblicæ; Exercitationes Eccleſiaſticæ; de Sacris Ordinationibus; Diatribe de ſinceritate Hebræi Græcique textus dignoſcenda &c.* Aliquot Morini Epiſtolas exhibuit Richardus Simonius in libro, cui titulum indidit *Antiquitates Eccleſiæ Orientalis*. Præter ceteras Orientales linguas Samaritanam, quæ plurimis annis intermortua delituerat, ſine duce ac præceptore tam calluit quam qui maxime omnium, & poſteris reſtituit, ejuſque laboribus Bibliis Polyglottis Pariſienſibus Pentateuchus Samaritanus acceſſit. Obiit die 28. Februarii ann. 1659. ætatis 68.

§. XIX.

De Luca Holſtenio.

LUcas Holſtenius Amburgenſis, Baſilicæ S. Petri primo in Urbe Canonicus, exin Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus quamquam magnæ molis libros haud vulgaverit, notas tamen quamplurimas in Veterum monumenta conſcripſit, quæ facile ſuadeant exquiſitiſſimi judicii hominem fuiſſe, criticæ artis valde peritum, & totius Eccleſiaſticæ antiquitatis ſcientiſſimum. Hæc norunt, qui Geographiam Caroli a S. Paullo Cluverii & Hortelii, Allatii Symmicta, Acta MM. a Ruinartio collecta, Theodoreti Cyrenſis Epiſcopi Hiſtoriam ex verſione Henrici Valeſii, Joannis Morini Opera poſthuma, Labbæi Collectionis Conciliorum volumen XIII. tum Syllogen Epiſtolarum Richardi Simonii, aliaque Eruditorum monumenta perluſtraverint. Holſtenii item curæ debetur *Codex Regularum* Veterum Monachorum tribus Tomis in 4. Romæ publici juris factus, typiſque denuo in Germania recuſus cum plurimis additamentis. Mortuus eſt Romæ Holſtenius die 12. Februarii ann. 1661. ætatis 65. marmoreo Monumento a Cardinali Barberinio decoratus, quem librorum ſuorum hæredem ſcripſerat.

§. XX.

De Joanne Frontone.

JOannes Fronto Andegavenſis Canonicus Regularis S. Genovefæ & Univerſitatis Pariſienſis Cancellarius, linguarum Orientalium peritia æque ac ſacra profanaque eruditione conſpicuus fuit. *Ivonis Carnotenſis Epiſtolas*, hujuſque vitam vulgavit ann. 1647. Quæ vero ipſe *de vita ac moribus primorum Chriſtianorum*, deque *Philotheſiis Veterum*, atque aliis ſingularis argumenti rebus conſcripſit, ea ſimul collecta denuo in lucem protulit Veronæ Vallarſius. Cætera Frontonis ſcripta qui noſſe deſiderat, adeat librum inſcriptum *Frontonis Memoria* qui e Typographia Cramoſiana prodiit, teſte Paullo Colomeſio in *Gallia Orientali*. Obiit Lutetiæ anno 1662.

§. XXI.

De Claudio Chantelou.

CLaudius Chantelovius ſeu Cantelovius ex oppido Vyonenſi, Diœceſis Andegavenſis oriundus, & Monachus e Congregatione S. Mauri, egregium ſortitus ingenium eruendis Veterum monimentis impenſe delectabatur; jamque egregia plura partim luci dederat, partim danda paraverat, cum illum in Monaſterio S. Germani a Pratis ann. 1664. quarto Kalend. Decembris mors ſuſtulit. Edidit *Bibliothecam Aſceticam Patrum* quinque voluminibus in quarto Pariſiis 1662. & 1663. Tum S. Bernardi *Sermones de tempore ac de Sanctis*, uti & *vitam S. Malachiæ Epiſcopi Couverth.* reliqua Melliflui Doctoris Opera editurus, ſi diuturnior ipſi lucis uſura contigiſſet. Lucæ Acherio in adornando *Spicilegio* ſedulus adjutor fuit.

§. XXII.

De Joanne Bollando.

JOannes Bollandus Belga, vir e S. J. doctiſſimus, anno 1596. die 13. Auguſti natus eſt in pago Ducatus Limburgenſis, qui Julii-mons appellatur. Opus a Roſweido incœptum, colligendi nimirum *Acta Sanctorum*, aggreſſus, publici juris fecit Antuerpiæ ann. 1643. duo volumina in fol. in quibus eorum Sanctorum acta complexus eſt, quorum memoria menſe Januario recolitur. His acta Sanctorum ſucceſſere menſis Februarii tribus Tomis comprehenſa; dumque, Godefrido Henſchenio, jam antea in ſocium adſcito, menſem Martium exorſus eſſet, pio Eccleſiæque quam maxime perutili labori immortuus eſt die 12. Septembris ann. 1665. Continuarunt Opus inſigne ex eadem Societate Viri Clariſſimi Henſchenius modo commemoratus, Daniel Papebrochius, Cardonius, Franciſcus Baertius, Conradus, Janningus, Joannes Baptiſta Sollerius, Pinius, Cuperus, Bolchius & alii, quorum ſtudio *Acta Sanctorum* uſque ad Novembris menſem jam perducta ſunt litteriſque commendata.

§. XXIII.

De Jacobo Uſſerio.

JAcobus Uſſerius Dublinenſis, Armachanus Archiepiſcopus, vir ævi ſui doctiſſimus, multis editis Operibus, præcipue *Annalibus Veteris & N. Teſtamenti*, ſive *Chronologia Sacra*, inclaruit. Scripſit etiam *Hiſtoriam Gotheſcalchi* Monachi Corbejenſis, quod primum fuit latinum opus in Hibernia impreſſum ann. 1631. *Antiquitates Eccleſiarum Britannicarum*; *Syntagma de editione ſeptuaginta Interpretum*; Notas in *Epiſtolas SS. Ignatii, Barnabæ & Polycarpi*; *Appendicem Ignatianam*; *de Romanæ Eccleſiæ Symbolo Apoſtolico vetere &c. De Macedonum & Aſianorum anno ſolari* diſſertationem; Epiſtolam *ad Ludovicum Capellum de textus Hebraici variantibus lectionibus*; Hiſtoriam dogmaticam *controverſiæ inter orthodoxos & Pontificios de Scripturis & ſacris vernaculis* cum Diſſertationibus duabus *De Pſeudo-Dionyſii Scriptis & de Epiſtola ad Laodicenos*. Cetera apud Richardum Parr ejus vitæ Scriptorem, Niceronium & alios videantur. Obiit ann. 1665.

§. XXIV.

De Joanne Card. Bona.

JOannes Bona Subalpinus, Monte Regali natus, Monachorum Ciſtercienſium, qui *Fulienſes* vulgo dicuntur, Abbas Generalis in Italia fuit. Ob doctrinam & inſignem pietatem a Clemente VIII. Romana purpura inſignitus deceſſit Romæ die 27. Octob. ann. 1669. En ejus Opera: *De divina Pſalmodia*; *Manuductio ad cœlum*; *Viæ compendii ad Deum*; *De Rebus Liturgicis*; *De Diſcretione ſpirituum*; *Principia & documenta Vitæ Chriſtianæ*; *Tractatus Aſceticus de Sacrificio Miſſæ &c.* Hæc & alia piiſſimi Cardinalis Opuſcula ad mores probe informandos, vitiaque corrigenda peridonea ſunt; at præ omnibus maxime inſignis eſt habitus rerum Liturgicarum Tractatus, quem ſummis laudibus effert harum rerum judex æquiſſimus Euſebius Renaudotius in præfatione ad Collectionem Liturgiarum Orientalium. Omnia Bonæ Opera cum Epiſtolis hactenus ineditis illuſtravit, ediditque Auguſtæ Taurinorum Robertus Sala, eruditus Aſceta Ciſtercienſis.

§. XXV.

De Leone Allatio.

LEO Allatius Chienſis multiplicis eruditionis Scriptor, Romæ diu vixit, Bibliothecæ primum Barberinæ, dein, fatis functo Luca Holſtenio, Vaticanæ Cuſtos. In Græcorum præſertim recentium ſcriptis adprime verſatus extitit, multumque operæ poſuit, ut eos a ſchiſmate revocaret. En aliquot ejuſdem Operum tituli, aliorumque, quorum fœtus eruit latineque fecit: *Catena SS. PP. in Jeremiam*; *Euſtathius Antiochenus in Hexameron & de Engaſtrimitho*, *Confutatio Fabulæ de Joanna Papiſſa*; *Libanii Orationes*; *de Pſellis*; *de Georgiis*; *de Simeonibus*; *de Libris Eccleſiaſticis Græcorum*; *de Menſura temporum antiquorum*; *de Eccleſiæ Occidentalis atque Orientalis perpetua conſenſione*; *Græciæ Orthodoxæ Scriptorum*; *Vindiciæ Synodi Epheſinæ*; *Nili Opera*; *Appendix ad Opera S. Anſelmi*; *Concordia Nationum Chriſtianarum Aſiæ, Africæ & Europæ in Fide Catho-*

tholica ; de Octava Synodo Photiana ; de interſtitiis Græcorum ad Ordines ; de Templis Græcorum &c. S. Methodii Convivium decem Virginum cum Diatribe *de ſcriptis Methodiorum & Notis*. Obiit Romæ ann. 1669. ætatis octuageſimo tertio.

§. XXVI.

De Ferdinando Ughellio.

FErdinandus Ughellius Florentinus, Ordinis Ciſtercienſis, & Abbas SS. Vincentii & Anaſtaſii ad Aquas Salvias infinitæ propemodum lectionis opus emiſit Romæ ab anno 1644. ad 1662. inſcriptum, *Italia Sacra, ſive de Epiſcopis Italiæ & Inſularum adjacentium, rebuſque ab iis præclare geſtis, deducta ſerie ad noſtram uſque ætatem. Opus ſingulare, Provinciis XX. diſtinctum, in quo Eccleſiarum origines, Urbium conditiones, Principum donationes, recondita monumenta in lucem proferuntur*. Obiit Romæ die 19. Maji ann. 1670. ætatis 73. *Italia Sacra* Venetiis ann. 1717. recudi cœpta eſt decem Tomis in fol. cum additionibus & caſtigationibus Nicolai Coleti. Ughellii interim labore Itali excitati non pauci ſingularium quarumdam Italiæ Sedium Epiſcopalium hiſtoriam conſcripſerunt; quos inter commemorandus laudandusque cum primis eſt P. Antonius Felix Matthejus Ordinis Min. Conventualium, ſacrorum dogmatum in Piſano Athenæo Profeſſor clariſſimus, qui poſt editam *Sardiniam Sacram* vulgavit nuperrime duobus Tom. in 4. *Eccleſiæ Piſanæ Hiſtoriam* cum Appendice optimæ frugis monumentorum.

§. XXVII.

De Joanne Roberto Quatremaires.

JOannes Robertus Quatremarius in vico *de Courſeraux*, Diœceſis Sangienſis natus, in religioſam D. Benedicti familiam ſe recepit, eique ſe ſolemniter conſecravit in Vindocinenſi SS. Trinitatis Monaſterio ſeptimo idus Aprilis ann. 1631. ætatis decimo nono. Vir fuit ingenio haudquaquam vulgari præditus, ardens & intrepidus, maxime ubi avita ſui Ordinis decora & ornamenta in diſcrimen adduci animadverteret. Hinc pro vindicandis Joanni Gerſen, Abbati Benedictino libellis quatuor *de Imitatione* Chriſti, qui ſub nomine Thomæ a Kempis leguntur, atrox adverſus Gabrielem Naudæum, & Joannem Frontonem, Canonicum Regularem S. Auguſtini, bellum geſſit; Joannemque Launojum vetera Monaſterii S. Germani Pratenſis jura tentantem ſemel atque iterum ſtrenue confutavit. Migravit e vita nonis Julii ann. 1671. in Ferrarienſi S. Petri Monaſterio. Titulos horumce librorum Apologeticorum exhibet laudatus Bernardus Pez lib. 1. *Bibliothecæ &c.* Cap. V. pag. 15.

§. XXVIII.

De Antonio Godeau.

ANtonius Godeavius Gallus Epiſcopus Vencienſis plura conſcripſit, quæ a ſtyli elegantia, rerum delectu, & doctrinæ caſtitate maxime commendantur; nimirum vulgavit patrio ſermone *Paraphraſes in omnes S. Pauli Epiſtolas, ſeptem Canonicas & Pſalmos Davidis; Hiſtoriam Eccleſiaſticam* aliquot ſæculorum; *Orationes funebres, duos libros Chriſtianæ poeſeos: Inſtitutionem principis pro Rege Chriſtianiſſimo Ludovico XIV. Vitas Sanctorum Pauli, Auguſtini, Caroli Borromæi; Elogia Epiſcoporum, qui in omnibus Eccleſiæ ſæculis doctrina & vitæ ſanctimonia floruerunt; Conſtitutiones Synodales*, & alia plura opuſcula. Interfuit Comitiis Generalibus Cleri Gallicani habitis ann. 1645. & 1655. in quibus Epiſcopalis authoritatis jura, & purioris doctrinæ morum præcepta a Caſuiſtarum corruptelis nefandis vindicata ſunt. Obiit die 25. menſis Maji ann. 1672.

§. XXIX.

De Petro de Marca.

PEtrus de Marca ex clariſſima Familia in Aquitania prognatus, primum Conſeranenſis Epiſcopus, deinde Archiepiſcopus Toloſanus, ac demum Archipræſul Pariſienſis fuit. Multa ſcripſit, ex quibus quam probe Eccleſiaſticam antiquitatem teneret licet agnoſcere. Celebratur maxime a nonnullis opus *de concordia Sacerdotii & Imperii*, tum *Catalaunia illuſtrata*, ſeu *Marca Hiſpanica*. Vulgavit etiam Commentarium litteralem in Pſalmos & Diſſertationem *de Primatu Lugdunenſi, & de cæteris Primatibus* cum notis ad Concilium Claromontanum. Opuſcula ejuſdem poſthuma Baluzius publicavit. Obiit ann. 1672.

§. XXX.

De Joſepho Maria Suareſio.

JOſephus Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis Franciſci Genetti illuſtris Prædeceſſor, & Patria item Avenionenſis, græce ac latine doctus, totiuſque antiquitatis ſacræ & profanæ ſtudioſiſſimus *Nili* Abbatis Opera e græco latine verſa typis Barberinis Romæ vulgavit, pluraque alia in lucem edidit opuſcula ab Allatio commemorata in *Apibus Urbanis*, ſeu in libro de Viris illuſtribus, qui ſub Urbano VIII. floruerunt. Obiit Suareſius ann. 1673.

§. XXXI.

De Vincentio Contenſonio.

VIncentius Contenſonius Aquitanus fuit Condomienſis Diœceſis, Altivillari natus an. 1641. In Ordinem Prædicatorum ingreſſus, ea emicuit inter æquales ſubtilitate ſtudiis theologicis addictus, ut non tam diſcipulus quam profeſſor emeritus arguendo vel exponendo videretur. Theologiam in quibuſdam Epiſcoporum Galliæ Seminariis magna nominis celebritate, & diſcipulorum profectu docuit: qua occaſione novam tractandæ Theologiæ methodum aggreſſus eſt, qua non uni lumen afferret ingenio, ſed amorem & affectum etiam una in cordibus excitaret. Obiit Bellovaci die XXVI. Decembris an. 1674. ætatis XXXIII. Inconcuſſas Thomiſtarum doctrinas nervoſe propoſuit, atque propugnavit in Opere cui titulus, *Theologia mentis & cordis*, quod Lugduni prodiit ab anno 1673. ad 1675. tomis novem in 12. Tomus nonus prodiit quidem poſthumus 1676. ſed ab Authore elaboratus ad pag. 280. cætera vero ad pag. 410. eximius Theologus partim ex Authoris ſchedis, partim ex ſuo, ſed ad Authoris mentem proſequendam attendendo ſupplevit, ut refert Echard Tom. II. citati Operis pag. 657. Conſtat autem ex eodem Scriptore pag. 770. quæ de Sacramentis Extrema unctione, Ordine, & Matrimonio leguntur a Maſſouliæo ſuppleta fuiſſe.

§. XXXII.

De Franciſco Delfau.

FRanciſcus Delfavius Monteti, qui Claromontenſis Diœceſis vicus eſt, lucem adſpexit an. 1637. & an. 1654. ad religioſa Benedictinorum caſtra tranſiit. Ad perpurganda emendateque recudenda S. Auguſtini Opera animum adjecit, quam in rem mox ei Robertus Guerardus, & Joannes Durandus, ac denique Thomas Blampinus, ejuſdem Inſtituti Sodales operam contulerunt. Sed non diu tanto in Opere inſudare potuit Delfavius, utpote quem quadriennio poſt atrox, & ob vulgatum Gallice librum ſub nomine Domini *de Boisfranc* inſcriptum *L'Abbé Commendataire*, in quo probabat Commendas, ut vocant, Abbatiarum, & aliorum Beneficiorum lege divina, decretis Pontificum, Pragmaticis ſanctionibus, & Concordatis Regum Franciæ eſſe illicitas & damnatas, excitata tempeſtas in Landvenecenſe inferioris Britanniæ Monaſterium, diſſipatis quaquaverſum eruditis Sociis, ejecerit, & exulem eſſe juſſerit uſque ad an. 1676. quo cum tertio idus Octobris Landveneco Breſtum trajiceret, apud PP. Carmelitas D. Thereſiam oratione laudaturus repentinam ob procellam navi ſubmerſa interiit. Librum commemoratum non uno ſcripto Delfavius defendit.

§. XXXIII.

De Henrico Valeſio.

HEnricus Valeſius natus eſt Lutetiæ Pariſiorum A. C. 1603. In Scholis Claromontanis Jeſuitarum audivit Petavium Rhetoricem docentem; Sirmondum quoque ſæpe convenit; quos ambos poſtea conſtanter ſimul coluit & amavit. Græcis latiniſque litteris adprime excultus tum etiam philoſophicis diſciplinis e ludo Claromontano egreſſus Valeſius anno 1622. Jus civile Avarici Biturigum biennio didicit, ac poſt reditum in ſumma Curia Pariſienſi numero Advocatorum adſcriptus eſt. Forum per annos amplius ſeptem togatus frequentavit, magis ut Patri, quam ut ſibi ſatisfaceret. Inclaruit inde in græcis qua ſacris qua profanis latine reddendis Scriptoribus, ſelectiſſimiſque notis

& ani-

& animadverſionibus illuſtrandis, ut fidem faciunt præclara *Excerpta* ex Polybio, Diodoro Siculo, aliiſque, quæ anno 1634. edidit, & viro docto fautorique doctorum Fabricio Peireſcio dicavit. Anno 1659. *Euſebii Cæſarienſis Epiſcopi Eccleſiaſticam Hiſtoriam*, ejuſdemque de Vita Conſtantini libros IV. ac Panegyricum atque Orationem Conſtantini ad Sanctos in vulgus emiſit ſub auſpiciis Epiſcoporum Galliarum, qui Valeſio hanc curam atque onus delegaverant; adſignatis ei in annos ſingulos libris ſexcentis; cui ſummæ ducentas libras anno 1670. addidere. Anno 1660. una cum Fratre Hadriano a Rege in numerum Hiſtoriographorum ſuorum relatus eſt. Latinitate poſtmodum etiam donavit *Socratem* & *Hermiam Sozomenum*, tum *Theodoretum* Epiſcopum Cyri & *Evagrium Scholaſticum*, ut totum veteris Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ corpus uſque ad annum Natalis Domini 594. Mauricii Tiberii Principatus duodecimum, uno ſtilo, pari fide, elegantiaque converſum haberemus. Sacræ Hiſtoriæ Græcis Authoribus, Sulpicium Severum, Turanium Rufinum, Caſſidorii Senatoris Hiſtoriam Tripartitam, Liberatum Diaconum, nonnulloſque alios cum priſcis membranis collatos, & opera ſua emendatos commentariiſque expoſitos adjungere conſtituerat, ſi ei diutius vivere contigiſſet; nam non multo poſt editos Theodoretum & Evagrium nonis Maji A. C. 1676. Pariſiis deceſſit. De cæteris Henrici Valeſii elucubrationibus cum jam editis, ut *Ammiani Marcellini Hiſtoria*, Carminibus & Orationibus, cum nondum evulgatis conſuli præter alios poterit Hadrianus Valeſius in libro de Vita Fratris ſui.

§. XXXIV.

De Matthæo Polo.

MAtthæus Polus Miniſter primum Eccleſiæ Londinenſis fuit, illorum partibus addictus, qui Epiſcoporum in Anglia regimen improbant, nec Eccleſiæ Anglicanæ ritus admittere per omnia volunt, *non Conformiſtarum* nomen propterea indepti. Religionis cauſſa poſtea patrium ſolum vertere, atque ex Inſula excedere coactus, Amſtelodamum elegit, qua in urbe demum veneno ſublatus eſt, ut aliqui ſcribunt, anno 1679. *Synopſim Criticorum aliorumque Scripturæ Sacræ Interpretum & Commentatorum* confecit vulgatiſſimam, quæ Francofurti quinque voluminibus in fol. anno 1712. recuſa eſt. Libros alios pleroſque lingua vernacula compoſuit, quos Joannes Georgius Pritius recenſet in præf. ad volumen I. *Criticorum* edit. modo commemoratæ Francofurtenſis. Hos inter ille cenſetur, qui inſcribitur *Blaſphemus gladio Spiritus confectus*, quo Spiritus Sancti divinitatem adverſus Bidlejum aſſeruit & vindicavit.

§. XXXV.

De Franciſco Combefis.

FRanciſcus Combefis vir apud eruditos ævi ſui poſteroſque clariſſimus gente Aquitanus fuit, patria Marmandenſis ad Garumnam Agennenſis Diœceſis Nitiobrigum, Inſtituto Dominicanus. Sanctorum Patrum Græcorum Operibus qua vertendis qua emendandis, tum hiſtoriæ Orientali illuſtrandæ tam feliciter vacavit, ut eum habere voluerit hominem Clerus Gallicanus, quodque nulli Regularium antea conceſſum, honorarium ei conſtituerit quingentarum librarum Turonenſium primo anno MDCLVI. auctum poſtea ad octingentas ac demum mille annuatim ſolvendarum, quo ſumtus in colligendis ex variis Europæ partibus veterum Codd. MSS. Græcorum exemplis iiſque exſcribendis ac prælo dandis neceſſarios ferre poſſet. Tam munificorum Patronorum ſpem non fefelliſſe probant non ea ſolum, quæ luci dedit a ſe recenſita, emendata, aucta, illuſtrata, ſed & longe plura quæ typis paraverat proditura, ni mors conſilium abrupiſſet. Edidit *SS. Patrum Amphilochii Iconienſis, Methodii Patarenſis & Andreæ Cretenſis Opera omnia* Pariſiis 1644. duobus Tom. in fol. *Græco-Latinæ Patrum Bibliothecæ novum Auctarium* fol. ibid. 1648. *Hiſtoriam hæreſis Monothelitarum ſanctæque in eam ſextæ Synodi Actorum Vindicias. Diverſorum item antiqua ac medii ævi tum hiſtoriæ Sacræ tum dogmaticæ Græca Opuſcula* ibid. in fol. 1648. *Bibliothecam Patrum Concionatoriam* octo voluminibus comprehenſam 1662. in fol. Ad Bibliothecam Græcorum Patrum *Auctarium noviſſimum* an. 1672. in fol. ibid. Tomis duobus: *S. Maximi Confeſſoris Græcorum eximii Theologi Opera* Galliæ Cleri juſſu & ordine Pariſiis 1675. 2. tom. in fol. Cætera a Combefiſio vel edita Opera, vel adhuc manu ſcripta diſces ab Echardo in Tom. II. Operis *Scriptores Ordinis Prædicatorum* pag. 684. & ſeqq. Obiit Combefiſius die 23. Martii an. 1679. ætatis 74.

§. XXXVI.

De Joanne Garnerio.

JOannes Garnerius Pariſienſis vir fuit antiquo morum candore, pietate atque eruditione vix eorum ulli, qui præcipua fuerunt in Societate Jeſu fama, ſecundus, ut Veterum ab eo edita & illuſtrata Opera declarant; *Marii* nimirum *Mercatoris*; *Liberati Diaconi Breviarium*, Joannis *Eclanenſis Epiſcopi libellus miſſus ad Sedem Apoſtolicam*; ac denique *Liber Diurnus Romanorum Pontificum*, & *Auctarium* ad Opera Theodoreti Epiſcopi Cyri, quod poſt ejus mortem vulgavit Joannes Harduinus; nam Garnerius a convocatis Provinciæ Patribus delectus, ut Romam pro negotiis Societatis ſe conferret, ipſo in itinere poſt quindenos circiter ægritudinis dies Bononiæ deceſſit die XXVI. Octob. Anni MDCLXXXI. quum jam annum ætatis ſuæ ſeptuageſimum attigiſſet.

§. XXXVII.

De Renato Ambroſio Janvier.

REnatus Ambroſius Janvier, ortus in vico S. Oſmannæ nuncupato Diœceſis Cenomanenſis, in Vindocinenſi SS. Trinitatis Monaſterio Congregationi S. Mauri ſe addixit an. 1637. ætatis circiter vigeſimo quinto. Linguæ Hebraicæ peritiſſimus fuit, Rabbinorumque etiam excuſſit Commentarios cum judicio ac fructu; quam Corinthum adire non omnibus conceſſum eſt. *R. Davidis Kimchi* Commentarios in Pſalmos ex hebræo latine reddidit, & vulgavit Pariſiis in 4. 1666. Tum *Petri Abbatis Cellenſis primum, deinde S. Remigii apud Remos ac demum Epiſcopi Carnotenſis Opera omnia* collecta ex libris cum editis tum MSS. in 4. ibidem publici juris fecit an. 1671. Mortem obiit in S. Germani Pratenſis Monaſterio ſeptimo Kalend. Maji an. 1682.

§. XXXVIII.

De Bono Merbeſio.

BOnus Merbeſius, Gallicanæ Oratorii Congregationis Presbyter, juſſu & auſpiciis præclariſſimi Præſulis Tellierii Rhemenſis Archiepiſcopi an. 1683. duobus voluminibus in fol. *Theologiæ Moralis Summam* vulgavit, quæ ſapientum & bonorum omnium ſuffragia meruit. Obiit Pariſiis an. 1684. ætatis 86. Ejus *Summa* Auguſtæ Taurinorum nuper recuſa eſt.

§. XXXIX.

De Joanne Luca D'Achery.

JOannes Lucas Acherius magnum S. Quintini patriæ in Picardia urbis, & Congregationis S. Mauri ornamentum fuit. *B. Lanfranci Cantuarienſis Archiepiſcopi & Angliæ primatis Opera omnia* cum notis & obſervationibus evulgavit addita Appendice, in qua Anecdota hactenus Opuſcula atque Tractatus exhibentur. *Catalogum librorum Aſceticorum* confecit; tum *Venerabilis Guiberti Abbatis B. Mariæ de Novigento Opera omnia* primus in lucem extulit, vetuſtis monumentis, notis atque ſelectiſſimis animadverſionibus referta. At princeps Acherii Opus fuit inſignis, ac laudatiſſima illa veterum Monumentorum collectio, quam inſcripſit *Spicilegium*, tredecim voluminibus in quarto Pariſiis editam. Actis quoque Sanctorum Ordinis S. Benedicti colligendis operam navavit. Deceſſit Pariſiis in Monaſterio S. Germani a Pratis tertio Kalend. Maji an. 1685.

§. XL.

De Joanne Baptiſta Cotelerio.

JOannes Baptiſta Cotelerius Nemauſenſis, linguæ Græcæ in Academia Pariſienſi Profeſſor eruendis Eccleſiæ Græcæ Monumentis aſſiduam operam navavit. Sanctorum Patrum in primis, qui Apoſtolorum partim comites extitere, partim diſcipuli, ideſt *Barnabæ*, *Hermæ*, *Clementis*, *Ignatii*, atque *Polycarpi* ſcriptorum editionem aggreſſus, hæc omnia in unum corpus collegit, emendavit ad antiquos Codices, latine vertit, Notis eruditiſſimis illuſtravit, & tandem emiſit an. MDC-

LXXII. In antiquis Bibliothecæ Regiæ libris & in Colbertinis invenit multa egregia Eccleſiæ Græcæ monumenta, nunquam antehac edita, quorum partem edidit in tribus Tomis, quos inſcripſit *Monumenta Eccleſiæ Græcæ*. Dum quartum pararet, exceſſit e vivis IV. idus Auguſti an. MDCLXXXVI. ætatis quinquageſimo nono. De Corelerii vita ſcriptiſque extat Epiſtola Stephani Baluzii ad Emericum Bigotium edita Tom. I. Patrum Apoſtolicorum editionis Amſtelodami 1724. curante Joanne Clerico.

§. XLI.

De Joanne Pearſonio.

JOannes Pearſonius Epiſcopus Ceſtrienſis in Anglia, totius antiquitatis Eccleſiaſticæ conſultiſſimus fuit, ut ſcripta ab eo Opera teſtantur; nimirum *Vindiciæ Epiſtolarum S. Ignatii*, quarum ἀυθεντίαν adverſus Calviniſtas fortiſſime defendit; *Annales Cyprianici*, qui in editione Operum S. Cypriani, quam curavit Joannes Fellus, Oxonienſis Epiſcopus, leguntur; *Commentarius in Symbolum Apoſtolorum*, qui Anglice primum ab authore vulgatus, latine quoque in Germania prodiit; ac denique *Annales Vitæ S. Paulli*, & *Lectiones in Acta Apoſtolorum* cum Diſſertationibus Chronologicis *de ſucceſſione primorum Romæ Epiſcoporum*; quod poſtremum opus affectum a Pearſonio relictum abſolvit, & auxit ejus Amicus Henricus Dodwellus. Obiit an. 1686. habituſque a ſuis eſt omnium ætatis ſuæ Theologorum doctiſſimus, & factionis Epiſcopalium in Anglia robuſtiſſimus propugnator, & vindex. Satis certe eſt, ut quis Vindicias a Pearſonio confectas conſulat unde noſcat nullum Opus γνησιώτερον Ignatii ſeptem Epiſtolis eſſe. Neque enim quemquam φιλαλήθη qui in hoc genere litterarum vel mediocriter verſatus ſit, de epiſtolis illis tantillum dubitare facient ſophiſticæ obſervationes, quas in Pearſonium Larroquanus edidit. Fruſtra omnino vir iſte diſperſos, & profligatos Dallæi ſui ordines reſtituere atque inſtaurare niſus eſt, uti doctiſſimi quique judicarunt.

§. XLII.

De Joanne Fello.

JOannes Fellus Anglus e ſecta Epiſcopalium, an. 1675. Exonienſem Epiſcopatum indeptus litteras litterarumque cultores maxime promovit, ac juvit, inſignis ipſe Philologus ſuorum judicio habitus. *Opera S. Cypriani* recognovit ac edidit, ac librum ejuſdem Carthaginienſis Epiſcopi *de Unitate Eccleſiæ* Anglice vertit. Vitæ inſuper Henrici Hammondi aliorumque Opuſculorum author fuit, & partim authoritate, partim propriis ſumtibus, ac litterariis laboribus effecit, ut præclara non pauca veterum monumenta e Theatro Sheldoniano prodierint. Obiit anno 1686. cum anno ejuſdem ſæculi vigeſimo quinto in lucem editus fuiſſet.

§. XLIII.

De Joanne Franciſco Pommeraye.

JOannes Franciſcus Pommerayus Rothomagenſis Congregationis S. Mauri Alumnus de ſacris Patriæ ſuæ antiquitatibus benemeritus fuit, editis libris omni eruditione refertis. Primo enim *Hiſtoriam Monaſteriorum S. Audoëni & S. Amandi Rothomagenſium* in fol. vulgavit; inde *Hiſtoriam Archiepiſcoporum* ejuſdem Urbis; poſtmodum *Concilia*, ac denique *Hiſtoriam Eccleſiæ Cathedralis*. Hæc omnia Gallice prodierunt. Obiit in S. Audoeni Rothomagenſi Monaſterio octavo idus Octobris anni 1687. cum anno 1617. lucem vidiſſet.

§. XLIV.

De Godefrido Hermant.

GOdefridus Hermantius Doctor Sorbonicus nominis immortalitatem pluribus ingenii ſui monumentis editis, quorum catalogum Dupinius, Petrus Bayle, Niceronus aliique dedere, adeptus eſt. Vulgavit enim, ut ad pauca hoc elogium contrahamus, gallice *Vitas SS. Athanaſii, Baſilii, Gregorii Nazianzeni, Joannis Chryſoſtomi, & Ambroſii*, in quibus non ſolum res a tantis viris geſtas præclare deſcripſit, ſed univerſam temporum, quibus ii in Eccleſia floruerunt, hiſtoriam complexus eſt. Obiit Pariſiis an. 1690. ætatis 64.

§. XLV.

De Emmanuele Scheleſtratio.

EMmanuel Scheleſtratius natione Belga, patria Antuerpienſis, & Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtos plura Opera edidit, inter quæ hæc præſertim celebrata: *Antiquitas Eccleſiæ illuſtrata Diſſertationibus, Monumentis & Notis; Acta Conſtantienſis Concilii cum Diſſertatione; Tractatus de ſenſu & authoritate Decretorum Seſſ. IV. & V. Concilii Conſtantienſis circa poteſtatem Eccleſiaſticam; Liber de diſciplina Arcani; Tractatus de authoritate Patriarchali & Metropolitana; Eccleſia Africana ſub Primate Carthaginenſi; Sacrum Antiochenum Concilium cum Commentario*. Obiit Scheleſtratius Romæ nonis Aprilis an. 1690. ætatis 46. Adverſus Scheleſtratii Tractatum *de ſenſu* &c. ſcripſit Antonius Arnaldus librum inſcriptum *Eclairciſſemens ſur l'autorité des Conciles généraux & des Papes*.

§. XLVI.

De Laurentio Card. Brancatio.

LAurentius Brancati Ordinis Minorum Conventualium, Cardinalis etiam a patria Lauria nuncupatus, quæ pagus eſt Provinciæ Baſilicatæ Epiſcopo Policaſtrenſi in ſpiritualibus ſubjectus, poſteaquam perdoctis editis lucubrationibus ſibi haud vulgare nomen feciſſet, probaſſetque ſui operam Alexandro VII. Clementi IX. & X. in magni momenti rebus, tandem quum annum ageret ſeptuageſimum ab Innocentio XI. Kalendis Septembris an. 1681. Cardinalis Presbyter titulo S. Auguſtini pronunciatus eſt, & S. Sedis Bibliothecarius declaratus. Obiit die 30. Novembris 1693. Libros ab eo editos poſt ejus elogium commemorat Marius Guarnaccius; nempe *Epitome omnium Canonum uſque ad Alexandrum VII. De Operationibus Dei in prædeſtinatione, Reprobatione & Gratia actuali; De Oratione Chriſtiana* contra Quietiſtas, & Michaelis Molinoſii errores; *Concordiam Evangeliorum; Commentaria* in doctrinam Scoticam; *in libros Sententiarum* &c. Poſt ejus obitum prodiit Romæ 1694. *Index Alphabeticus rerum & locorum omnium ad Annales Card. Baronii*.

§. XLVII.

De Jacobo Lopin.

JAcobus Lopinus Pariſienſis, atque Aſceta San-mauræus latine ac græce doctiſſimus Græcorum Monumenta pleraque latine facta in lucem protulit, una cum Sociis Antonio Pugeto & Bernardo Montfauconio. In Collectione inſcripta *Analecta Græca* edita Pariſiis 1688. Lopino nominatim tribuuntur *Vita S. Euthemii a Cyrillo Scithopolitano* ſæculi VI. Authore perſcripta, & *Stephani Junioris Acta* a Stephano alio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diacono litteris conſignata. Multa quoque *Athanaſii* latina reddidit Lopinus, quæ legas in nova Operum Athanaſianorum editione a Montfauconio confecta. Obiit Lopinus in Monaſterio S. Germani a Pratis quarto Kal. Jan. 1693.

§. XLVIII.

De Jacobo du Friſche.

JAcobus du Friſche Sagii natus an. 1641. Congregationi S. Mauri in Gemmeticenſi Monaſterio dato nomine, præter ſtudia pietatis in Sanctorum Patrum tam Græcorum quam Latinorum libros ſe penitus abdidit. Deinde cum animadverteret, vix quemquam in toto SS. Patrum choro reperiri, qui in Operum ſuorum editionibus infeliciorem ſortem expertus eſſet, quam *D. Ambroſium*, qua de re viri eruditi dudum conqueſti fuerant, operæ pretium ſe facturum exiſtimavit, ſi ſociatis cum Nicolao Nourrio laboribus, novam Operum Ambroſianorum editionem ſumma cura adornandam in ſe ſuſciperet. Quod & præclare præſtitit duobus voluminibus, quorum primum Pariſiis prodiit an. 1686. alterum 1690. Editionem, Editorumque doctrinam laudante vel ipſo Gulielmo Cavæo. Obiit in Monaſterio ſæpius laudato S. Germani a Pratis idibus Maii an. 1693.

§. XLIX.

De Antonio Arnaldo.

ANtonius Arnaldus Parisiis natus an. 1612. & celeberrimus Sorbonæ Doctor, an. 1643. edito libro *De frequenti communione* in magna apud omnes admiratione esse cœpit, ob infinitas præcipue querelas, quas in illum excitarunt Patres Societatis Jesu. Pace autem Gallicanæ Ecclesiæ reddita a Clemente IX. vulgavit Opus nunquam satis celebratum *de la Perpetuité de la foi de l'Eglise Catholique touchant l' Eucharistie*, quod cum Petro Nicolio composuerat, quodque a Claudii Charentonienſis Calvinistarum Ministri cavillationibus fortissime inde vindicavit. Cæterorum ab Arnaldo conscriptorum Operum, quæ modo simul collecta Lausannæ prodire cœperunt, catalogum apud Morerium reperies satis accuratum. Obiit Bruxellis an. 1694. ejusque cor ad Monasterium Portus Regii, sepulturæ mandandum, transmissum fuit. Quam ob rem hoc prodiit Epitaphium:

Ad Sanctas rediit sedes, ejectus & exul
Hoste triumphato, tot tempestatibus actus
Arnaldus, veri defensor & arbiter æqui:
Ilicet ossa memor sibi vindicet extera tellus,
Huc cœlestis amor, rapidis cor transtulit alis,
Cor nunquam avulsum, nec amatis sedibus absens.

Acerbissimas diuturnasque habuit Arnaldus cum Jesuitis concertationes, in quibus vel ipsi adversarii summam ejus ingenii vim, doctrinam, atque in scribendo elegantiam suspexere. Idem de aliis Portus Regii Incolis judicium ferri potest; mirum enim quantam ad solidiorum scientiarum, etiam litterarum humaniorum cognitionem adjunxerint.

§. L.

De Michaele Germain.

MIchael Germanus, Perona in Diœcesi Novisiomensi genitus, Antiquitatum Ecclesiasticarum, præcipue Francicarum indagator fuit sagacissimus, tum carissimus Mabillonio, cum quo iter Germanicum primo, tum Italicum confecit, non sine fructu, ut cernere est in *Analectorum* Tomis, Musæo Italico, aliisque, in quibus elaborandis Germanus Mabillonio diligentissimus adjutor fuit. Historiam *Regii Parthenonis S. Mariæ apud Augustam Suessionum* Parisiis Gallice vulgavit an. 1677. tum rogatus a Mabillonio composuit etiam librum quartum Operis *de re Diplomatica*, qui est de Palatiis veterum Regum Francorum villisque Regiis, in quibus Diplomata data reperiuntur. Vitam clausit in S. Germani Monasterio Pratensi decimo Kal. Februarii an. 1694.

§. LI.

De Joanne Garetio.

JOannes Garetius Rothomagensis, inito severioris vitæ consilio in Congregationem Benedictinorum S. Mauri anno ætatis vigesimo se recepit. In veterum Authorum, præsertim Ecclesiasticorum pervolutandis Commentariis assiduus fuit, singulareque judicium sui in constituenda Codicum MSS. ætate omnibus peritis probavit. Præclaram *Magni Aurelii Cassiodorii viri Patritii, Consularis, & Vivarienſis Abbatis* Operum omnium editionem in fol. Rothomagi dedit an. 1679. adjecta Dissertatione de Cassiodorii vita Monastico-Benedictina contra Cardinalem Baronium. Obiit in Monasterio Gemmeticensi octavo Kal. Octobris an. 1694.

§. LII.

De Petro Nicolio.

PEtrus Nicolius Gallus, Carnuti natus die 13. Octobris anni 1625. inter famosiores, doctioresve sæculi XVII. Theologos recensendus est; vix quisquam enim eo solidius ac nervosius scriptis oppugnavit Calvinistas, novos Mysticos, sive Quietistas, probabilitatis acutos, si superis placet, vindices, aliosque hujusce generis Authores. Obiit Parisiis die 16. Novembris an. 1695. Ejus vitæ Operumque historia edita est an. 1733. in 12. Quæ de Nicolio, Blasio Paschali, Antonio Arnaldo, aliisque doctissimis viris Portus Regii, ut vocant, Jesuitæ scriptitarunt, aut falsa sunt, aut suspecta; nullos enim adversarios iis terribiliores sunt Jesuitæ experti. Qua tamen laude nobis haud mens est probare quæcumque ii in Jansenii causa, aliisque capitibus, a Sede Apostolica rejectis, litteris mandarunt; optandum enim fuisset, ut tanta ingenia quam longissime ab illis disputationibus ac litibus abfuissent.

§. LIII.

De Sebastiano Nano Tillemontio.

SEbastianus Nanus Tillemontius, Parisiensis Presbyter, Criticus & Historicus longe sapientissimus cœpit in vulgus emittere anno 1693. Opus inscriptum *Memoires pour servir à l' Histoire Ecclésiastique de six premiers siecles*. Constat sexdecim Tomis in 4. quorum nonnulli post obitum Authoris vulgati sunt, uti & sex alii, in quibus sex priorum Ecclesiæ sæculorum Imperatorum vitas complexus est. Tanta autem diligentia, doctrina, ac fide, tum novarum animadversionum copia, & multiplicium difficultatum felicissima enodatione hoc in Opere versatus est Tillemontius, ut verba vix reperiri possint, quibus illius dignitas ac præstantia pro meritis commendetur. Qui Sanctorum Patrum vitas percurrerit novis illorum Operum editionibus præmissas, quæ in Galliis præsertim & alibi post id temporis curatæ sunt, is facile agnoscet, quam facem illarum Scriptoribus Tillemontius prætulerit. Obiit vir insignis, atque a singulari eximiaque doctrina & eruditione non minus, quam probitate ac modestia commendatus die 10. Januarii an. 1698. ætatis sexagesimo primo. Floruit Nicolii, Hermantii, Lancellotti, aliorumque insignium virorum Portus Regii amicitia.

§. LIV.

De Josepho Sanzio Card. de Aguirra.

JOsephus Sanzius Hispanus, patria Lucronensis natus an. 1629. Cardinalis de Aguirra nuncupatus, Ordinis S. Benedicti, Theologicis disciplinis luculenter instructus fuit, ac præclaris etiam scriptionibus de Ecclesia optime meritus, & per Hispaniam egregium nomen adeptus. Ab Innocentio XI. inter sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales relatus, decessit Romæ apoplexiæ ictu die 19. Augusti an. 1699. non Neapoli, ut scribit Huetius lib. VI. cap. VI. *Commentarii de Rebus suis*. Plura scripsit, inter quæ eminent quatuor volumina, quibus *notitiam Conciliorum Hispaniæ & Novi Orbis* complexus est; tum tria *alia de Theologia Scholastica juxta mentem S. Anselmi*. In libro edito Romæ 1683. *de Cathedra Divi Petri*, sacræ Scripturæ & Conciliorum testimoniis propositiones illas refellere studuit, quas anno 1682. Clerus Gallicanus ediderat, ceu quibus Sedis Apostolicæ authoritas & infallibile Papæ judicium in Fidei rebus impetebantur.

§. LV.

De Francisco Genetto.

FRanciscus Genettus patria Avenionensis, a Card. Hieronymo Grimaldo Aquisextiarum Archiepiscopo ad instituendos in Morali doctrina Seminarii sui juvenes accitus, ibi per quinquennium id muneris sancte exercuit; deinde ab Innocentio XI. P. M. Vasionensis creatus Episcopus, omnia munia officii sui zelo incredibili obivit. Doctrinam morum ad normam Scripturæ sacræ, sacrorum Canonum, & Ecclesiæ Doctorum, præsertim S. Thomæ, idiomate Gallico composuit, eamque promovente doctrina & pietate celebri Cardinali Le Camus Episcopo Gratianopolitano, typis commisit. Sic porro omnibus probata est sanæ doctrinæ percupidis, ut multis repetitis editionibus pervulgata sit cum Parisiis, tum Venetiis, ubi in latinam linguam conversa prodiit. Obiit Genettus die 17. Octob. an. 1702. aquis suffocatus, dum torrentem lectica vectus trajiceret; vix ætatis annum sexagesimum tertium ingressus.

§. LVI.

De Natali Argonensi.

NAtalis Argonensis Lutetiæ ortus, causidicum egit ad annum usque ætatis octavum & vigesimum; Carthusianum deinde Institutum amplexus ab emissa professione Bonaventuræ sibi nomen adscivit. Electus autem Carthusiæ S. Juliani Rothomagensis Vicarius Tractatum pro legendis utiliter Ecclesiæ Patribus insignem atque doctissimum edidit anno 1688. Vita functus est in Carthusia Gallionensi 1704. annos natus novem & sexaginta. Hic Tractatus sive Opusculum cum duabus primum partibus, secunda nimirum & tertia constaret;

anno

anno 1697. dimidio auctum fuit, addita prima & quarta parte, atque iterato gallice editum opera & ſtudio Petri Belheſtri, qui Franciſcanorum Pariſienſium Bibliothecæ præerat, licet nullo religioſi Inſtituti vinculo adſtrictus. Idem Opus ſecundo editum, latinitate donatum & nonnullis Annotationibus illuſtratum in lucem protulit anno 1742. Auguſtæ Taurinorum Joannes Franciſcus Raynerius cum hoc titulo *De Optima legendorum Eccleſiæ Patrum Methodo*, ex Typographia Regia in 8.

§. LVII.

De Jacobo Benigno Boſſueto.

JAcobus Benignus Boſſuetus, Meldenſis Epiſcopus, Divione in Burgundia claris parentibus ortus, Pariſienſis Facultatis Doctor eximius, Galliarum Delphini Ludovici XIV. Regis filii præceptor eruditione nulli ſecundus, primas in refellendis hæreticorum ſæculi XVII. erroribus tenuit. Varia enim Opuſcula ſolidiſſima Gallice edidit, inter quæ præſertim admirabilem *Fidei Catholicæ expoſitionem*, quæ ubique gentium alienas in linguas translata, collaudata eſt. Huic adde *Hiſtoriam variationum Eccleſiarum Proteſtantium*, & plura alia, maxime adverſus Pſeudo-Myſticos, ut in Diſſertatione de erroribus ſæculi XVII. & XVIII. jam annotatum eſt. Vivendi finem fecit die XII. menſis Aprilis an. 1704.

§. LVIII.

De Henrico Card. Noriſio.

HEnricus Cardinalis Noriſius Veronenſis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini ſuperioris ſæculi lumen, & ornamentum fuit; nam auro cedroque dignis editis elucubrationibus, quantopere in Chronologicis & Hiſtoricis vel impeditiſſimis rebus, tum in Theologia, ac præcipue in Magni Auguſtini doctrina excelleret, ad miraculum oſtendit. Coſmi tertii magni Etruriæ Ducis Theologus, ejuſque filii Joannis Gaſtonis præceptor primum fuit; tum Piſani Archigymnaſii Profeſſor renunciatus Eccleſiaſticam in eo hiſtoriam docuit. Ab Innocentio XII. Romam evocatus Emmanueli Scheleſtratio Vaticanæ Bibliothecæ primo Cuſtodi e vivis erepto ſucceſſor datus eſt, tum anno 1695. fruſtra obſtrepentibus Jeſuitis ad purpuram evectus. Poſt mortem Cardinalis Caſanatæ ejuſdem Vaticanæ Bibliothecæ præfecturam geſſit. Hydrope obiit die 22. Februarii an. 1704. ætatis 73. Auguſtinianorum Veronenſium Familia ſtatuam illi ex marmore poſuit, ut Noriſius ipſe vivens Panvinio fecerat. Ejus Opera ſæpius recuſa fratres Petrus & Hieronymus Ballerinii Veronenſes quatuor in volumina diſtributa, & additamentis aucta denuo ediderunt.

§. LIX.

De Claudio Hugone Mathoud.

CLaudius Hugo Mathoud, ſive Mathudius, gente Burgundus Matiſcone natus an. 1622. ad inſtauratam Benedictini Inſtituti in Galliis diſciplinam ſe conferens, atque in ſtudia totus incumbens de vetuſtiſſimorum Scholaſticorum libris, & Eccleſiaſtica Senonenſi Hiſtoria benemeritus evaſit. Nam *Roberti Pulli ſententiarum libros VIII.* itemque *Petri Pictavienſis* libros quinque notis atque obſervationibus perdoctis illuſtratos Pariſiis edidit an. 1655. *De Vera Senonum Origine Chriſtiana* adverſus Joannis Launoii criticas Obſervationes diſſeruit, ac denique *Catalogum Archiepiſcoporum Senonenſium* ad fontes Hiſtoriæ accurate contexuit. Obiit in Cabilonenſi S. Petri Monaſterio tertio Kal. Maji an. 1705.

§. LX.

De Antonino Maſſoulié.

ANtoninus Maſſoulié gente Gallus, patria Toloſanus, atque perinſignis Ordinis Prædicatorum Theologus præter plura adverſus Pſeudo-Myſticos evulgata edidit etiam præclarum Opus inſcriptum *Divus Thomas ſui interpres de divina motione & libertate creata*. Obiit Romæ an. 1706. ætatis 74. Magna Romæ apud omnes exiſtimatione, imprimiſque Romanos Pontifices vixit; ſemper enim hi voluere ut is ſuffragium ferret in Congregationibus, in quibus de quæſtionibus graviſſimis & ad fidem ſpectantibus, nempe de Quietiſtarum hæreſi, de peccato philoſophico & præcepto amoris Dei, de cultu Sinenſium ſuperſtitioſo actum fuit.

§. LXI.

De Joanne Mabillonio.

JOannes Mabillonius Remenſis Congregationis Benedictinæ S. Mauri immortalis memoriæ alumnus, & Reipublicæ litterarum univerſæ fulgentiſſimum lumen eximiis adeo virtutibus inclaruit, libroſque edidit ita numeris omnibus abſolutos, ut vel ab ipſis heterodoxis laudes extorſerit. Lucæ in primis Acherio in edendis ſeptem poſterioribus *Spicilegii* Tomis ſuppetias tulit: *S. Bernardi* Operum omnium editionem an. 1667. præclariſſimam exhibuit, quam an. 1690. ſecundis curis auctam iterum in vulgus protulit, libris de *Conſideratione* ſeparatim editis an. 1701. *Acta* deinde SS. *Ordinis S. Benedicti* novem tomis digeſſit; quatuorque alios edidit *Veterum Analectorum*. De *re Diplomatica* libris ſex ad miraculum diſſeruit, quemadmodum & de *Liturgia Gallicana*, quam tribus libris expoſuit. Iter Italicum ab ſe factum duobus tomis excepit, quos inſcripſit *Muſeum Italicum*. *De ſtudiis Monaſticis* eximium vulgatiſſimumque tractatum Gallice ſcripſit, latine inde factum plurieſque editum. Sæpius quoque recuſa eſt *Diſſertatio de pane Euchariſtico, azymo & fermentato;* quemadmodum & epiſtola *de cultu Sanctorum ignotorum* ſub Euſebii Romani nomine primum in vulgus emiſſa. Denique ut alia prætermittamus Mabillonii pietatis & doctrinæ monumenta patria lingua ab Authore vulgata, in ſcribendis *Annalibus Ordinis S. Benedicti* plurimum inſudavit, eoſque ab Ortu S. Benedicti uſque ad an. MCXVI. proſecutus eſt. Ex his Tomus V. a Maſſueto editus eſt, addita præfatione, & Mabillonianæ vitæ Synopſi Pariſiis an. 1713. nam Author annum agens LXXVI. VI. Kal. Januarii an. 1708. occubuerat.

§. LXII.

De Antonio Beaugendre.

ANtonius Beaugendre Pariſienſis Congregationis S. Mauri Monachus eruditionis ſtudium cultumque, cui juvenis impenſe vacaverat, ne ſenex quidem deſeruit, editis Pariſiis in fol. an. 1708. *Venerabilis Hildeberti primo Cenomanenſis Epiſcopi, deinde Turonenſis Archiepiſcopi*, Operibus, tum *Marbodi Redonenſis Epiſcopi* ipſius Hildeberti ſupparis Opuſculis. Ediderat jam antea Pariſiis gallice an. 1700. Vitam Domini Benigni Jolii Presbyteri. Obiit Pariſiis in S. Germani Monaſterio anno 1708. decimo ſeptimo Kalendas Septembris.

§. LXIII.

De Theodorico Ruinartio.

THeodoricus Ruinart Rhemenſis, Congregationis S. Mauri Ordinis S. Benedicti alumnus, a Mabillonio in ſtudiorum ſocietatem adſcitus, quam magnos ſub tanto præceptore ac duce progreſſus fecerit, libris præclariſſimis editis commonſtravit. Anno 1690. *Acta SS. Martyrum ſincera & ſelecta* vulgavit, Operi præmiſſa doctiſſima præfatione, in qua præter alia luculentiſſime evincit infinitos propemodum Martyras extitiſſe, quorum vel Acta perierunt, vel non fuere mandata litteris, idque adverſus Henricum Dodwellum. Huic Operi ſatis affinis eſt *Hiſtoria perſecutionis Vandalicæ*, quam an. 1694. publici juris fecit. Ruinartius inde novam *Gregorii Turonenſis* Operum editionem paravit, emiſitque in lucem an. 1699. Mabillonio in ſexto ſæculo *Actorum Sanctorum Ordinis S. Benedicti* conficiundo præſto fuit, uti Operis inſcriptio declarat. Apologiam pro miſſione S. Mauri in Gallias in vulgus edidit, & in libro inſcripto *Eccleſia Pariſienſis vindicata* Mabillonii *de re Diplomatica* libros ab importuna quorumdam critice defendit; tum novæ præclariſſimi Operis editioni præfationem adjunxit, in qua Georgii Hickeſii præcipitem fuiſſe in Mabillonium cenſuram manifeſtat. Denique Mabillonii Vitæ Synopſim vernaculo ſermone digeſſit, dumque ſe totum ad Annales Benedictinos continuandos convertiſſet, jamque pluribus perluſtratis Eccleſiarum Archivis Pariſios reverteretur, in Altivillarenſi S. Petri Abbatia, Congregationis S. Vitoni, Agri Remenſis, die 27. Septembris an. 1709. mortuus eſt annum ætatis agens quinquageſimum tertium. Vitam Urbani II. cum itinere in Alſatiam & Lotharingiam, nec non Diſſertatione de Pallio Archiepiſcopali ejuſdem Authoris habes inter Opera poſthuma Joannis Mabillonii,

lonii, & Theodorici Ruinart edita a Vincentio Thuillier Tom. II. & III. Ruinartii vero ipsius Vitam scripsit Renatus Massuetus, præfixitque T. V. Annalium O. S. B. ex quo excepta rursus edita Venetiis est in fronte novæ editionis an. 1732. *Historiæ Persecutionis Vandalicæ* typis Josephi Bettinelli.

§. LXIV.

De Thoma Blampinio.

THomæ Blampinio locus natalis fuit Noviodunum, oppidum ad Esiæ fluminis ripam in Picardia situm. In Congregationem S. Mauri admissus an. 1658. ætatis 17. omnigenarum litterarum, præcipue veteris Theologiæ, quam Patres posteris reliquerunt, studium & scientiam sic excoluit, ut ad summum hoc in genere fastigium perveniisse eruditi judicarint. Debetur ipsi splendidissima, atque emendatissima *Operum S. Augustini* editio, quam suis nemo meritis æstimaverit, quin affirmet, eo labore effectum esse, ut tantum Blampinio debeat Augustinus, quantum Augustino Ecclesia. Opus hoc viginti annorum, & plurium ex eadem Congregatione S. Mauri Sodalium sudor laborque fuit, quem tamen maximum Blampinius, ejus chori ab ipsa susceptа sparta usque ad felicissimum finem princeps, exantlavit. Primus hujusce editionis Tomus, nam undecim absolvitur, vulgatus est Parisiis an. 1679. postremus 1696. Editio hæc in Belgio typis repetita fuit Antuerpiæ an. 1703. Tomis duodecim, quorum ultimus inscribitur *Appendix Augustiniana* ex variis Authorum elucubrationibus conflata. Obiit Blampinius in Floriacensi Monasterio idibus Februarii an. 1710.

§. LXV.

De Joanne Ernesto Grabe.

JOannes Ernestus Grabius Regiomontanus plures annos in Anglia vixit harum gentium erroribus implicitus, & veterum Patrum, quorum in lectione erat valde exercitatus, colligendis Operibus intentus. Obiit Londini an. 1711. En illius Opera: *Spicilegium Patrum & Hæreticorum primi, secundi & tertii a Christo nato sæculi; Justini Martyris Apologia prima cum notis variorum; Irenæi libri adversus hæreses cum notis; Georgii Bulli Opera cum notis; Caroli Daubuz defensio testimonii Josephi de Christo cum præfatione; Epistola ad Joannem Millium de Codice Alexandrino LXX. Interpretum; Dissertatio de variis vitiis LXX. Interpretum Versioni ante Origenis ævum illatis*, &c.; *Septuaginta Interpretes ex vetustissimo Codice Alexandrino*; cujus Operis Tom. II. & III. post Grabii mortem vulgati sunt. Nonnulla alia ab eodem edita recitat Morerius in *Dictionario*, quo nos in percensendis plerisque Scriptorum Ecclesiasticorum libris usos esse ingenue fatemur. Grabium argumento, quod ex traditione Theologi deducunt, nimium tribuisse Protestantes dolent; cæteri vero animadvertunt eum narim non satis emunctam in genuinis a spuriis Veterum libris secernendis ostendisse.

§. LXVI.

De Gabriele Gerberon.

GAbriel Gerberonius apud Sancti Carilephi oppidum in Diœcesi Cenomanensi natus, Monasticam vitam in Congregatione S. Mauri an. 1649. iniit. Quum Galliæ universæ cito cœpisset innotescere, atque eximia profundæ eruditionis, Theologicæ præsertim ac Historicæ specimina edidisset, a male feriatis hominibus ceu Jansenista apud Regem incusatus est. A cujus ira ut se subduceret in Bataviam concessit. Sed tandem Bruxellis jussu Mechlinienſis Archiepiscopi Humberti Guilielmi a Precipiano, sibi dudum infensi, captus in tetrum carcerem conjectus est an. 1703. A quo carcere ad alios subinde traductus, nonnisi an. 1710. suis Sodalibus redditus in Dionysianum prope Parisios Monasterium senio & morbo confectus, ac paralyticus se recepit. Obiit vir ingenio & calamitate magnus quarto Kal. Aprilis an. 1711. Vulgavit *Apologiam pro Ruperto Tuitiensi; Marii Mercatoris Acta* cum Notis sub nomine Germani Righerii; *S. Anselmi Cantuariensis Episcopi Opera omnia*, nec non *Eadmeri Monachi Historiam novorum, & alia Opuscula* Parisiis 1675. Alia nonnulla Gallice ab eodem edita memorat laudatus Bernardus Pez; tum vero multo plura recensentur in Processu Officii Fiscalis Curiæ Ecclesiasticæ Mechlinienſis contra ipsum an. 1705. confecto, editoque Bruxellis. Inter hæc *Historia Jansenismi* tribus tomis in 8. comprehensa.

§. LXVII.

De Josepho Maria Card. Thomasio.

JOsephus Maria Thomasius Panormitanus die 12. Sept. an. 1649. natus, adolescens Ordini Clericorum Regularium, quos *Theatinos* vocant, nomen dedit. In res Theologicas inde sacramque eruditionem impense incubuit, Græcasque & Hebraicas litteras adprime didicit. His præsidiis instructus egregios libros edidit, quibus rem liturgicam, præsertim Ecclesiæ Occidentalis mirifice illustravit. Nec minus sanctitatem, quam sapientiam ejus palam faciunt, quas Romæ edidit *Institutiones Theologicæ Antiquorum Patrum, quæ aperto sermone exponunt breviter Theologiam sive theoreticam, sive practicam*. A Clemente XI. die 18. Maji an. 1712. sacro Cardinalium Collegio invitus adjunctus est: at insequenti mortem oppetiit; publico jam modo Ecclesiæ judicio inter Venerabiles Dei Servos relatus. Ejus vitam præter alios scripsit P. Vezzosius ejusdem Ordinis Theatinorum, & Thomasii Operibus in unum corpus collectis adjecit.

§. LXVIII.

De Guillelmo Cave.

GUillelmi Cavæi Angli Theologi, & Canonici Windesorienſis hæc sunt satis nota Opera latine edita: *Tabula Scriptorum Ecclesiasticorum; Chartophylax Ecclesiasticus; Historia litteraria Scriptorum Ecclesiasticorum a Christo nato usque ad sæculum XIV.* Anglice autem scripsit *de Christianismo primitivo, de Antiquitatibus Apostolicis, Ecclesiasticis, & Patrum Primitivorum*. Obiit an. 1713. *Historiæ litterariæ* absolutissima editio censetur quæ prodiit Basileæ an. 1741. duobus Tomis in fol. Cavæum alioſque, qui idem argumentum tractavere, emendare, ac supplere aggressus est Casimirus Oudinus ex Ordine Præmonstratensium, postea Apostata, & Bibliothecarius Leydenſis in Opere vulgato Francofurti ad Mœnum tribus Tomis in fol. 1722. cum hac epigraphe: *Commentarius de Scriptoribus Ecclesiæ antiquis, horumque scriptis tum impressis quam MSS. adhuc extantibus in celebrioribus Europæ Bibliothecis a Bellarmino, Possevino, Philippo Labbeo, Guillelmo Caveo, Ludovico Ellia Dupin & aliis omissis ad annum MCCCCLX. vel ad artem Typographicam inventam cum multis Dissertationibus, in quibus Ecclesiæ insigniorum Authorum Opuscula atque alia argumenta notabiliora accurate & prolixe examinantur*. At Oudino vires doctrinamque, tum præsertim necessariam Græcæ Latinæque linguæ cognitionem defuisse, qua tantum opus moliretur, Joanni Clerico, aliisque Criticis visum est.

§. LXIX.

De Laurentio Alexandro Zaccagnio.

LAurentius Alexander Zaccagnius Florentinus Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus doctissimus edidit uno volumine in 4. *Collectanea Monumentorum Veterum Ecclesiæ Græcæ ac Latinæ;* in quo Opuscula quædam Notis a se illustrata *Archelai, Ephræmi Syri, Gregorii Nyssæni & Euthalii complexus est;* ostenditque quanta Græcæ linguæ peritia, judicioque præstaret. Ineunte hoc sæculo XVIII. rebus humanis exemptus est. De eo quædam habet Lamius in vita Philippi Bonarottii, quæ castigavit Fabronius in ejusdem Bonarottii doctiori accuratiorique Vita, quæ legitur in Decade V. *Vitarum illustrium Italorum* &c.

§. LXX.

De Renato Massuet.

REnatus Massuetus ex vico S. Audoeni de Mancellis, Diœcesis Ebroicensis, ad Ordinem S. Benedicti accessit admodum adolescens. A primordio ætatis honestissimis utilissimisque studiis deditus, præsertim Theologicis, sententiarum libros suis Sodalibus e suggestu magna cum laude interpretatus est. Hoc munere expleto ad illustrandum vindicandumque S. Irenæum animum adplicuit; hujusce enim Lugdunensium Episcopi & M. Opera splendide quidem, an. 1702. Oxonii ediderat Joannes Ernestus Grabe, sed Gallasium imitatus S. Episcopum invitum & reluctantem Anglicanæ Sectæ erroribus & placitis favisse demonstrare tentaverat. His aliisque Oxonienſis Editionis maculis, & erroribus Massuetus offensus doctissimam absolutissimamque S. *Irenæi*

Episco-

Episcopi Lugdunensis & Martyris librorum adversus hæreses editionem adornavit, quæ Parisiis an. 1710. emissa est. Consodalium S. Augustini Operum editionem adversus Lallemantium Jesuitam tutatus est. Iis, qui *Hexapla* confecerunt, de rebus ac propositionibus in Constitutione, quæ incipit *Unigenitus*, proscriptis proficua inprimis ac opportuna doctrina Massueti fuit. Librum hactenus latentem scripsit cum titulo *Augustinus Græcus*, in quo S. Joannis Chrysostomi doctrinis Magni Augustini de Gratia themata mirifice inter se convenire demonstrat. Dum novam pararet S. Bernardi Operum editionem, in quam multa ingerenda Mabillonius reliquerat, dumque Annalium Ord. S. Benedicti prosecutionem urgeret, paralysi correptus diem obiit supremum an. 1716. Januarii decimanona die.

§. LXXI.

De Claudio Gueniè.

CLaudium Gueniè, virum singulari judicio & laborum tolerantia præditum Divio, seu Divionum, princeps Burgundiæ oppidum an. 1647. protulit; eum vero annos natum duos supra viginti S. Benedicti Congregatio toties laudata excepit. Hic Thomam Blampinium, Augustinianæ editionis antesignanum sedulo adjuvit, effecitque incredibili patientia & industria, ut magni hujus Ecclesiæ Doctoris Opera non solum emendata, sed etiam omnium usibus exposita, promta & expedita deinceps essent. Nam hujus Opus sunt *Indices tam particulares uniuscujusque Tomi, tum omnium generalis Operum S. Augustini novæ editionis*, quos ille summo judicio ac methodo omnium judicio contexuit. Vivebat adhuc an. 1716.

§. LXXII.

De Guillelmo Bessin.

GUillelmus Bessin an. 1655. in oppido *de Glos* Diœcesis Ebroicensis natus, eruditis laboribus Congregationem S. Mauri, cui se solemniter obstrinxit septimo Idus Januarii an. 1674. plurimum illustravit. Eum Dionysius San-Marthanus, cum novam Operum S. Gregorii Magni editionem adornare decrevisset, in operis consortium adscivit. Hinc *Epistolas magni* hujusce Pontificis in ordinem digessit, eruditisque notis locupletavit. Animadversiones etiam scripsit in novum systema a Bernardo Lamio Oratorii Presbytero excogitatum circa ultimum Paschа a J. C. Servatore celebratum. Vivebat adhuc anno hujusce sæculi decimo sexto, quo famam exiisse scribit Bernardus Pez, Bessinum omnia Concilia in Nortmannia habita typis jam habuisse parata.

§. LXXIII.

De Marco Battaglino.

MArcus Battaglinus Ariminensis, Nuceriæ primum, Cæsenæ deinde Episcopus, quum plures annos Interamnæ Prætor extitisset, amicitiam ibi cum Sperello Sperellio iniit, doctissimo homine, qui tunc Episcopus erat illius civitatis, quique postea Cardinalis fuit. Consuetudine tanti viri, qui in Ecclesiastica Historia adprime erat versatus, Battaglinus quoque huic studio operam navare cœpit, & libros hujus argumenti inde edidit, quæ Eruditorum plausum æstimationemque meruere. Anno MDCLXXXV. Venetiis apud Poletum magnum edidit volumen lingua vernacula *Conciliorum Historiam Generalem* complectens, quod auctum quadringentis & tribus Conciliis & argumentis variis adversus Maimburgum, iterum ibi recudit anno MDCLXXXVIII. & Innocentio XI. P. M. dedicavit. Scripsit etiam eadem lingua *Annales Sacerdotii & Imperii* sæculi mox exacti suasu sanctissimi doctissimique Patavinorum Antistitis Cardinalis Gregorii Barbadici, vulgavitque Venetiis quatuor voluminibus in fol. typis iisdem Poletti. Primum Volumen editum est an. MDCCI. II. an. MDCCIIII. III. an. MDCCVIII. & quartum denique an. MDCCXI. Cetera pia alteriusve argumenti Battaglini scripta recenset in ejus Vita Janus Plancus Ariminensis, in qua etiam adversus Trevoltienses Ephemeridographos oblatrat, qui Battaglinum reprehenderant eo quod ex Scriptoribus admodum vulgaribus notitias suas historicas in conficiundis Annalibus Sacerdotii & Imperii desumsisset. Obiit Battaglinus XIII. Kal. Octob. an. MDCCXVII. postquam septuaginta duos circiter annos vixisset.

§. LXXIV.

De Joanne Martianay.

JOannes Martianæus vir Græce ac Hebraice longe doctissimus e Congregatione S. Mauri patriam habuit S. Severi oppidum in Vasconia in Diœcesi Adurensi, ubi lucem vidit an. 1647. Cum prope innumeras Aquitaniæ, Occitaniæ, Nortmaniæ, universæque Galliæ Bibliothecas annorum triginta spatio perlustrasset, antiquitatum Ecclesiasticarum, Scriptorum, Codicumque veterum peritissimus evasit, divinasque litteras non sine plausu apud suos exterosque publice docuit. Ita instructus maximæ molis rem, novam scilicet *S. Hieronymi Operum* editionem aggressus est perfecitque Tomis quinque in fol. quorum prior prodiit Parisiis an. 1699. Adversarios habuit præter alios Richardum Simonium & Joannem Clericum, adversus quos scripsit Martianæus eruentas Apologias, ut Editionem ab se factam tueretur, & illorum libros carperet. Ediderat antea Gallice *Vindicias Textus Hebraici ac Sacræ Chronologiæ secundum Vulgatam* adversus Pezronium & Isaacum Vossium. Post Hieronymi vero Operum Editionem plerosque alios tractatus Gallice pariter sacras ad litteras plerumque pertinentes vulgavit, de quibus Dupinius, aliique videantur. Obiit Parisiis an. 1717. ætatis 70.

§. LXXV.

De Stephano Baluzio.

STephanus Baluzius an. 1631. in lucem egressus Tutelæ, quæ urbs est in Provincia Lemovicensi, vir fuit eruendis illustrandisque MSS. Codd. natus: qua in re magnopere ejusdem studium utile Ecclesiæ litterarumque Reipublicæ fuit; multaque ejus beneficio habemus, quibus cum Ecclesiastica & profana Historia, tum plurima veteris disciplinæ capita illustrantur. Octogenarius licet nunquam tamen litterarum cultum intermisit, mortemque oppetiit Parisiis die 28. Julii an. 1718., quo tempore impressio Operum *S. Cypriani*, quam ornaverat, urgebatur, quamque propterea absolvit unus ex Monachis Congregationis S. Mauri, vulgavitque Parisiis an. 1726. in fol. Plura sunt Veterum Scriptorum Opera quæ illustravit Baluzius, atque inter hæc *Salviani Massilienses* & *Vincentii Lirinenses*, *Servati Lupi* Presbyteri & Abbatis Ferrarienses, *S. Agobardi* Archiepiscopi Lugdunensis &c. *S. Cæsarii* Arelatensis Episcopi, *Marii Mercatoris*, *Lucii Cæcilii Firmiani Lactantii de Mortibus Persecutorum*, *Reginonis Abbatis Prumienses*. Edidit præterea *Concilia Galliæ Narbonenses*; *Miscellanea veterum Monumentorum*; *Capitularia Regum Francorum*; *Innocentii III. Epistolas*; *Vitas Paparum Avenionenses*; novam *Collectionem Conciliorum*, ac *de Historia Tutelensi* libros tres. Denique duo Petri de Marca Opera auctiora & emendatiora in vulgus protulit; librum nimirum *de Concordia Sacerdotii & Imperii*; alterumque inscriptum *Marca Hispanica*. Posthumorum etiam ejusdem Petri de Marca Opusculorum editio Baluzio debetur; semper enim is hujusce Antistitis beneficia grata recordatione est prosequutus.

§. LXXVI.

De Ludovico Elia Dupinio.

LUdovicus Elias Dupinius Parisiensis sacræ Facultatis Doctor eruditissimus ob multiplicis doctrinæ & argumenti libros in vulgus emissos plurimum sibi litterarum Rempublicam devinxit; nam hæc præter alia, partim Gallice partim Latine ab eo vulgata sunt; *Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum*; *de Antiqua Ecclesiæ Disciplina Dissertationes* septem; *Liber Psalterii cum nova Versione* & scholiis; *Apologia Notarum in* Psalterium; *Optati Milevitani* Opera, præfixa Historia Donatistarum & Geographia Africæ sacra; *De Doctrina Christiana*; *Opera Gersonis*; *Tractatus de Potestate Ecclesiastica & Civili*; *Defensio Monarchiæ Siculæ*; *Methodus studii Theologici*; *Prolegomena Biblica*; *Historia profana* &c. *Historia Auctorum ab Ecclesia Romana separatorum*. Obiit sexta Maji an. 1719. ætatis 62. Dupinii vitam more suo scripsit Joannes Frickius Lutheranus Theologus, præfixitque latinæ Versioni Operis *de Methodo studii Theologici* a M. Jo. Martino Christell adornatæ, & Augustæ Vindelicorum editæ 1722.

§. LXXVII.

De Franciſco Maria Card. Caſinio.

FRanciſcus Maria Caſinius Aretii in Etruria natus, ex Ordine Minorum S. Franciſci Cappucinorum cum eximiis naturæ bonis artem quandam adtuliſſet, adjunxiſſetque non levem divinorum librorum rerumque omnium ſacrarum notitiam, inſignis Orator merito habitus eſt. Ab Innocentio XII. factus eſt Pontificius Orator, a Clemente vero XI. ejus ſucceſſore XV. Kal. Junias an. 1712. S. R. E. Cardinalis. Qua in dignitate ita ſe geſſit, ut nihil præter Chriſtianæ Reipublicæ commodum, atque Sedis Apoſtolicæ dignitatem propoſitum unquam habuerit. Conciones, quas Evangelica libertate habuit in Palatio Apoſtolico, tribus voluminibus in fol. Romæ vulgavit an. 1713. Cætera ejuſdem Opuſcula, ut illud quod inſcribitur *Conſilia ſapientiæ*, Venetiis prodierunt. Obiit die 14. Februarii an. 1719. ætatis ſuæ ſeptuageſimo, hac ſepulcro inſcriptione appoſita:

F. F. M.
Cardinalis S. Priſcæ Cappuccinus
Orate pro eo.

Ab hujus vitæ enarratione ſuas præclariſſimas Decades exorſus eſt Angelus Fabronius Piſanæ Academiæ curator.

§. LXXVIII.

De Euſebio Renaudotio.

EUſebius Renaudotius Pariſienſis in Eccleſiaſticæ Orientalium Hiſtoriæ, eorumque dogmatum cognitione parem vix habuit quemquam. Quæ de hiſce rebus conſcripſit, ut Orientalium orthodoxiam in magni momenti rebus tueretur, merito plurimi a doctis fiunt, ſolis Proteſtantibus obſtrepentibus, quorum paradoxa atque calumniæ iis diſſipantur. En aliquot ejuſdem Operum tituli: *Défenſe de la perpetuité de la foi contre les calomnies & les fauſſetez du livre intitulé* Monumens Authentiques de la Religion des Grecs; *Gennadii Patriarchæ CP. Homiliæ de Sacramento Euchariſtiæ; Meletii Alexandrini, Nectarii Hieroſolymitani, Meletii Syrigi & aliorum de eodem argumento Opuſcula Græce & Latine, ſeu Appendix ad Acta, quæ circa Græcorum de tranſubſtantiatione fidem relata ſunt in Opere de Perpetuitate fidei* &c.; *La perpetuité de la foi de l'Egliſe Catholique touchant l'Euchariſtie* &c. Tomus IV. & V.; *Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum a Divo Marco uſque ad finem ſæculi XIII.* &c.; *Liturgiarum Orientalium Collectio* &c. Obiit Kalendis Septembris an. 1720. ætatis 73. ſcriptis hæredibus Monachis Monaſterii Pariſienſis S. Germani a Pratis ingentis copiæ librorum ac MSS. maxime Orientalium.

§. LXXIX.

De Nicolao le Nourry.

NIcolaum Nourrium Aſcetam Benedictinum in S. Mauri Congregatione eruditiores quique tanquam virum Eccleſiaſticæ eruditionis laude maxime clarum ſuſpexere. Præter operam, quam navavit in Garetii Caſſiodoro, & Jacobo du Friſche in exornanda Operum S. Ambroſii nova Editione, *Apparatum ad Bibliothecam Maximam veterum Patrum & antiquorum Scriptorum Lugduni editam* compoſuit, duobuſque Tomis Pariſiis evulgavit primum an. 1694. & 1697. Librum etiam *Lucii Cæcilii ad Donatum Confeſſorem de Mortibus Perſecutorum hactenus Lactantio adſcriptum ad Colbertinum Codicem* emendavit an. 1710. adjecta Diſſertatione, in qua de libri Auctore diſputat, & omnia illius loca dubia illuſtrat.

§. LXXX.

De Antonio Auguſtino Touttée.

ANtonius Auguſtinus Touttæus, Riomi in Diœceſi Claromontenſi hanc mortalem vitam ingreſſus ab ineunte ætate litteris vacavit uſque ad an. ætatis vigeſimum, quo Benedictinæ Congregationi nomen dedit. Acrius heic in litteras incubuit, cum domeſticis virtutum doctrinarumque exemplis abundaret. Edidit *Opera omnia S. Cyrilli Hieroſolymitani* nullo non eruditionis genere illuſtrata Pariſiis an. 1720.

§. LXXXI.

De Petro Couſtant.

PEtrus Couſtantius Compendii apud Valeſios natus, Ordinem S. Benedicti in Remenſi S. Remigii Monaſterio ingreſſus eſt an. 1672. ætatis 18. Scholæ ſtudiis cum laude defunctus ſe totum veterum Patrum atque Scriptorum lectioni addixit, uberrimoſque ex ea perceptos fructus viris Eccleſiæ perſtudioſis communicavit. Nam *S. Hilarii Pictavorum Epiſcopi* Operum, omnium Sapientum ore celebratam Editionem Pariſiis an. 1693. dedit: quæ Bartholomæus Germonius contra Codicum fidem molitus fuerat, duplici ſcripto confutavit; quorum prius *Vindiciæ Manuſcriptorum Codicum*, alterum *Vindiciæ Veterum Codicum confirmatæ* inſcriptum eſt. Denique Romanorum Pontificum Epiſtolas, quæ uſque ad Innocentium III. pertingunt, collegit, harumque primum volumen tantum publici juris fecit. Obiit an. 1721.

§. LXXXII.

De Petro Daniele Huetio.

PEtrus Daniel Huetius Cadomenſis, Epiſcopus Abrincenſis præclara multa edidit, quæ ipſe quoque recenſet in Commentario de rebus ad ſe pertinentibus, quæque non ſolum illius nomen illuſtre apud eos, qui humaniores litteras excolunt, effecerunt, ſed ſingularem quoque illi exiſtimationem eorum conciliarunt, qui ſacræ & profanæ Antiquitatis, ac Religionis præcipue ſtudia perſequuntur. *Origenis Commentaria* in ſacram Scripturam an. 1668. Rothomagi vulgavit latine a ſe facta cum notis & obſervationibus; quæ deinde Coloniæ Agrippinæ recuſa ſunt. *Demonſtrationem Evangelicam* Pariſiis edidit in fol. an. 1679. Alnetanas vero Quæſtiones *de Concordia rationis & fidei* Cadomi 1690. De *ſitu Paradiſi terreſtris* deque *Navigationibus Salomonis* multa quoque præclara commentatus eſt, & Johannis Tolandi, qui barbaro vocabulo librum *Adeiſidæmon* inſcriptum ediderat repreſſit audaciam. In Synodo, quam habuit an. 1693., egregia ſtatuta & ſanctiones protulit. Obiit die 29. Januarii an. 1721. ætatis annorum 91. in Pariſienſi Domo Profeſſorum Societatis Jeſu, in quam, abdicato Epiſcopatu, ſe receperat. Joannes Maria Marius Tilladetus Huetii Diſſertationes aliquot ſuper rebus varii argumenti partim ad Religionem, partim ad Philologiam pertinentes recognovit, eaſque in vulgus ſparſas paſſimque disjectas collegit, & ab interitu vindicavit. Cujus rei non ſine pergrati animi ſenſu Huetius idem meminit lib. 6. Commentarii *de rebus ſuis* pag. 173. Edit. Lipſienſis 1719.

§. LXXXIII.

De Benedicto Bacchinio.

BEnedictus Bacchinius pridie Kal. Septemb. an. 1651. in urbe, quæ Burgum S. Domnini dicitur, in Ducis Parmenſis ditione natus, anno vero ætatis decimo ſeptimo Congregationi Caſſinenſi Ordinis S. Benedicti adſcriptus, veteris Eccleſiaſticæ eruditionis & ſacræ Philologiæ ſtudiis præclara ſpecimina & monumenta identidem exhibuit, quæ magnam ipſi cum famam, tum inluſtrium ac principum etiam Virorum benevolentiam peperere. Sacras litteras aliquando in publico Athenæo Bononiæ profeſſus eſt, ubi in S. Proculi Cœnobio obiit Kal. Septemb. an. 1721. Animo fuit æquo, Monaſticæ diſciplinæ tenax, moribus paulo auſterioribus, ab ambitione alienus, Ordinis ſui jurium & Catholicæ Eccleſiæ dogmatum adſertor acerrimus. *De Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Originibus* Diſſertationem vulgavit; tum *Agnelli Ravennatis Pontificale*, ſeu vitas Pontificum Ravennatum illuſtravit. Cætera ejuſdem Opera cum edita, tum nondum typis vulgata accurate percenſet Joannes Lamius in Bacchinii Vita edita Tom. I. Operis inſcripti *Memorabilia Italorum* &c. pag. 226. Ex ineditis poſt obitum Authoris prodierunt italice *Epiſtolæ Polemicæ quinque adverſus Jacobum Piceninum* cum obſervationibus ſeu reſponſis duobus ad Romanas Epiſtolarum Polemicarum cenſuras.

§. LXXXIV.

De Dionyſio de Sainte-Marthe.

DIonyſius San-Marthanus Pariſienſis ſolemnibus votis in Ordine S. Benedicti Deo nuncupatis ann. 1668. eximio ſemper deſiderio flagravit Calviniſtas in Eccleſiæ ſinum reducendi, eoque conſilio vulgavit ſcripta plura, quæ virum non minus in Auctorum a fide Catholica alienorum, quam veterum Patrum ac Conciliorum monumentis adprime verſatum eſſe demonſtrant. *S. Gregorii Magni Opera*, adhibitis plurimis e ſua præſertim Congregatione Sociis, ad innumeros pene optimæ fidei Codices manu exaratos contulit, & ſcitiſſimis notis Præfationibuſque illuſtrata typis commendavit. Denique magni Operis, quod titulum habet *Gallia Chriſtiana*, princeps Auctor extitit. Obiit Pariſiis an. 1725. ætatis 75.

§. LXXXV.

De Juliano Garnier.

JUlianus Garnierius natus eſt in oppido de Conneray Diœceſis Cenomanenſis an. 1670. ſuſceptoque S. Benedicti habitu & inſtituto litterarum, maxime Græcarum, ſtudia diligenter excoluit, ut apparet ex *S. Baſilii Magni* Operum editione Græco-latina quæ Pariſiis tribus voluminibus in fol. lucem adſpexit annis 1721. & 1722. tertii Tomi Editore Prudentio Marano an. 1730. Obiit Garnierius Pariſiis die tertia Junii 1725.

§. LXXXVI.

De Franciſco Blanchinio.

FRanciſcus Blanchinius Veronenſis eximiis editis libris de re antiquaria, Hiſtoria, Chronologia & Mathematicis Diſciplinis magnam nominis famam apud Italos, exteroſque adeptus eſt. Ut ex his Scriptis ea ſolum commemoremus, quæ ad noſtrum inſtitutum pertinent, quæque inter Scriptores Eccleſiaſticos ampliſſimum illi locum faciunt, anno 1703. binas Diſſertationes publici juris fecit, alteram *de Kalendario & Cyclo*; alteram *de Paſchali Canone S. Hippolyti Martyris*; nam a Clemente XI. cui inſcriptæ ſunt, mandata habuerat de emendando Romano Kalendario cum aliis perdoctis viris, quos inter Noriſius erat. Anaſtaſii quoque Bibliothecarii *de Vitis Romanorum Pontificum* Opus ad Gregorium uſque magnum tribus voluminibus in fol. edidit cum Prolegomenis & Notis, quas tanquam ſacræ eruditionis & Chronologiæ Theſaurum Eruditi ſuſpexere. Reliqua cum haud conficere potuiſſet vita privatus, curam abſolvendi ſuſceperunt Joſephus Blanchinius illius fratris filius & Cajetanus Cennius, viri profecto litteris inſtructiſſimi. Dies ſuos Romæ fere tranſegit Blanchinius, ubi utriuſque Signaturæ Referendarius, & Prælatus Domeſticus Romani Pontificis fuit. Obiit IV. nonas Martias ann. MDCCXXIX. ætatis ſuæ LXVII. Habes præclariſſimum numeriſque omnibus abſolutum de ejus vita ſtudiiſque Commentarium ab Angelo Fabronio editum in Decade III. Operis, cui titulus *Vitæ Italorum doctrina excellentium, qui ſæculo XVIII. floruerunt.*

§. LXXXVII.

De Laurentio Card. Cozza.

LAurentius Cozza in oppido natus S. Laurentii prope Volſinienſem lacum in Diœceſi Montis Faliſci die 31. Martii ann. 1654. quum decimum quintum ætatis annum ageret, in cœtum Minorum Obſervantium S. Franciſci admiſſus eſt. In quo per omnes honorum gradus probatus plurimis magiſtratibus, ac Hieroſolymitana Præfectura magna cum laude functus, tum ſupremus totius Franciſcani Ordinis moderator renunciatus, demum a Benedicto XIII. purpura ornatus fuit. Diem clauſit ann. 1729. annos natus 75. Edidit *Vindicias Areopagiticas*, in quibus Opera Dionyſio Areopagitæ inſcripta genuinum eſſe ejuſdem fœtum propugnat. Ad librum *de Hæreſibus* S. Auguſtini Commentaria Hiſtorico-Dogmatica ſcripſit; tum *Dubia ſelecta de Confeſſario ſollicitante* edidit, ut *Hiſtoriam Polemicam Schiſmatis Græcorum*; ac demum Tractatum Dogmatico-Moralem *de Jejunio*.

§. LXXXVIII.

De Michaele le Quien.

MIchael le Quien Boloniæ natus in Littore Maris Britannici VIII. Idus Octob. ann. 1661. poſt emenſa ſtudia litterarum & Philoſophiæ Pariſiis, Dominicanorum Inſtituto ſe obligavit an. 1682. Multa inde ille ac varia eruditione ſubactus, in quocumque diſciplinæ genere ſe ſe acerrime utiliterque exercuit. Litteras humaniores, Philoſophiam, Theologiam, Criticem, Artem diplomaticam, impervias pene Græcorum, Hebræorum, aliorumque remotioris ætatis populorum linguas non curſim delibavit tantum, ſed plane hauſit. Nondum attigerat trigeſimum ætatis annum quum ſcripſit patria lingua *de Antiquitate temporum*, ut ſacros Codices hebraice ſcriptos vindicaret. Acceſſit deinde nova Operum *S. Joannis Damaſceni* editio, quæ duobus Tomis in fol. Pariſiis vulgata eſt, exquiſitiſſimis Diſſertationibus exornata, tum *Panoplia* contra Schiſma Græcorum; quod Opus doctiſſimum ſub nomine *Stephani de Altimura Ponticenſis* edidit, ut criminationes convelleret, quas nuperus Patriarcha Hieroſolymitanus Nectarius congeſſerat in libro Περὶ ἀρχῆς τῦ Πάπα. Poſtea Tractatus aliquot ſcripſit adverſus Petrum Corrajerum *de irrito Anglorum Sacerdotio*; ac denique Opera duo, quibus extremam haud impoſuiſſe manum eruditi doluerunt; *Hiſtoria* nimirum Civitatis Bolonienſis; & *Oriens Chriſtianus*; cujus dimidiam nondum partem prælo ſubjecerat Lequienius quando rebus humanis exemtus eſt IV. id. Martii ann. 1733. Pariſiis. Opus hoc poſthumum tribus vol. in fol. prodiit ex Typographia Regia ann. 1740. aliena manu utcumque ſuppletum, ſed Africanarum Eccleſiarum & Epiſcoporum hiſtoria deſtitutum; quod ſe præſtiturum in Operis programmate promiſerat doctiſſimus vir.

§. LXXXIX.

De Joanne Alberto Fabricio.

JOannes Albertus Fabricius Lipſienſis, inter doctiores eruditioreſque ævi ſui viros numerandus eloquentiam multorum annorum ſpatio Hamburgi poſt Vincentium Placcium profeſſus eſt: quo tempore plurimis editis libris litterarum Rempublicam vere ditavit. Sunt hi, ut paucos tantum ad noſtrum inſtitutum pertinentes referamus, *Codex Apocryphus N. T. Codex Pſeudoepigraphus V. T. Salutaris lux Evangelii; Delectus argumentorum* pro Religione chriſtiana; editio Operum *S. Hippolyti* & *S. Philaſtrii*. Plurima quoque Veterum Græcorum Patrum loca, eorumque ſcripta & res geſtas illuſtravit in *Bibliotheca Græca*. Obiit Hamburgi ann. 1736. ætatis 68. Fabricii curæ debetur *Bibliotheca Eccleſiaſtica*, in qua Tractatus S. Hieronymi, Gennadii Maſſilienſis, Iſidori Hiſpalenſis, Ildefonſi Toletani, Honorii Auguſtodunenſis aliorumque *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cum notis variorum continentur. Vulgata eſt Hamburgi ann. 1718. & non multo poſt ab eodem Authore recuſa.

§. XC.

De Antonio Maria Lupio.

ANtonius Maria Lupius Florentinus ingens Societatis Jeſu decus & ornamentum fuit. Nam præter alias ſcientias, Hiſtoriam Eccleſiaſticam & profanam egregie calluit: Philologiam etiam, Orator diſertus & elegans Poeta mirabiliter coluit, diverſarum etiam linguarum, uti hebraicæ & græcæ gnarus. Hiſce præſidiis inſtructus totius antiquitatis conſultiſſimus evaſit, & interiora rei antiquariæ adyta feliciter ſubiit; quemadmodum argumento eſſe poſſunt inter alia: *Diſſertatio & animadverſiones ad nuper inventum Severæ Martyris Epitaphium*; quod opus Panormi anno 1734. lucem vidit: tum Libellus ibidem ann. 1737. editus, in quo ſancti Innocentii Martyris hiſtoriam & ejus reliquiarum inventionem complexus eſt. Obiit Panormi III. non. Novemb. ann. MDCCXXXVII. vir quidem longiore vitæ uſu digniſſimus; nam natus fuerat anno MDCXCV. prid. id. quintiles; & quem raptum propterea univerſi hominum Ordines vehementer doluerunt & lacrymis decorarunt, uti narrat Joannes Lamius in ejus vita, edita Tom. II. P. I. commemorati non ſemel Operis *Memorabilia Italorum &c.*

§. XCI.

De Vincentio Card. Petra.

VIncentius Petra Neapolitanus anno 1662. die 13. Novembris opibus jam pridem præſtanti nobilique familia natus, ſtudio ſacrorum Canonum maxime inclaruit, ut fidem faciunt *Commentaria*, quæ evulgavit, *ad Conſtitutiones Apoſtolicas* quinque voluminibus in fol. comprehenſa, tum Tractatus *de ſacra Pœnitentiaria Apoſtolica*. Ampliſſimis magiſtratibus in Romana Aula defunctus, tandem anno 1724. a Benedicto XIII. inter purpuratos Patres relatus eſt, ſuamque operam probavit Pontifici in Romano Concilio una cum doctiſſimo tunc Præſule Proſpero Lambertinio, qui poſtea in Romana Cathedra ſub nomine Benedicti XIV. Pontifex ſedit. Laboribus atque ætate confectus obiit Petra die 21. Martii ann. 1737. ut habet inſcriptio ejuſdem ſepulchro appoſita, atque Romæ extans in Eccleſia S. Spiritus Neapolitanæ Nationis.

§. XCII.

De Gerardo Capaſſio.

POST Paullum Sarpium neminem in Ordine Servorum B. M. V. Gerardo Capaſſio Florentino doctiorem floruiſſe ſunt qui putent; quamvis tanta hujuſce viri monumenta deſint, ex quibus id nimis confidenter non prædicari demonſtretur. Perdoctum tamen Theologum fuiſſe, iiſque omnibus ſcientiarum præſidiis inſtructum, quibus res divinæ ſolum digne pertractari poſſunt, ſatis ipſe demonſtravit Capaſſius dum in Academia Piſana Sacra dogmata profeſſus eſt, ut vices gereret collegæ ſui Petri Antonii Roſſii, & dum Theſes etiam pleraſque ſuas Theologicas ad Eccleſiaſtica Tribunalia delatas tanquam infectas defendit. Edidit etiam libellum, ob quem magnus cum Florentiæ tum Romæ excitatus eſt rumor, inſcriptum *Nugæ Laderchianæ*, in quibus *Nugis* adverſus Jacobum Laderchium Congregationis Oratorii Urbis presbyterum demonſtrandum ſuſcepit Acta Paſſionis SS. Creſcii & Sociorum MM. quæ Laderchius ex MSS. Codicibus primum ediderat, non levia falſitatis argumenta præ ſe ferre. Apoplexis vita privavit Capaſſium ann. MDCCXXXVII. X. Kal. Decembris anno ætatis octuageſimo quinto.

§. XCIII.

De Joſepho Binghamo.

JOſephus Binghamus Rhetor fuit Eccleſiæ Havantinæ in Agro Antonienſi Angliæ, illorum ſectæ addictus, qui *Epiſcopales* inter ſuos nominantur. Edidit Anglice *Origines ſive Antiquitates Eccleſiaſticas*, quas ex lingua Anglicana in latinam vertit Joannes Henricus Griſchovius, & decem voluminibus in quarto vulgavit Halæ ann. 1724. Ibi etiam prodierunt ejuſdem Binghami *Diſſertationes* quatuor anno 1738. eodem interprete Griſchovio.

§. XCIV.

De Virginio Valſecchio.

VIrginius Valſecchius Brixienſis, Ordinis S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis Monachus plures annos in Piſano Athenæo non vulgari ſui nominis fama ſacras litteras profeſſus eſt. Edidit Diſſertationem *de M. Aurelii Antonini Elagabali Tribunitia poteſtate V.* eamque ab objectis Joannis Vignolii & Philippi a Turre doctiſſimorum virorum defendit. Joannem Gerſen ex S. Benedicti Ordine authorem eſſe librorum *de Imitatione Chriſti*, qui Thomæ a Kempis plerumque tribuuntur, opuſculo Florentiæ edito, ann. 1724. tutatus eſt; ac denique vernaculo ſermone librum optimæ frugis *de Indulgentiis* deque diſpoſitionibus ad eas conſequendas neceſſariis Liburnenſi Civitati conſecratum in vulgus emiſit. Aqua intercute conſumtus fuit non. ſext. ann. MDCCXXXIX. ætatis ſuæ ann. LIX. nondum expleto. Vir fuit exquiſitæ eruditionis, acris judicii & ſingularis in latine ſcribendo elegantiæ.

§. XCV.

De Edmundo Martene.

EDmundus Martene Patria Laudunenſis, Inſtituto Benedictinus, omnium temporum ſacrarum Eccleſiæ conſuetudinum & rituum aſſiduus ac præclarus inveſtigator fuit; quumque plurimas Bibliothecas luſtraſſet, tantam ineditorum ſcriptorum ſegetem in lucem protraxit, ut ejus laboribus cum Monaſtica, tum Eccleſiaſtica omnis, ac profana Hiſtoria plurimum illuſtrata ſit. *De Antiquis Monachorum Ritibus* libros quinque elucubravit: *Commentarium in Regulam S. P. Benedicti* litteralem, moralem & Hiſtoricum edidit: *Veterum ſcriptorum & Monumentorum* Collectionem novam adornavit, ac demum poſt emiſſum *De Antiquis Eccleſiæ Ritibus* ampliſſimum eruditiſſimumque opus, *Theſaurus Anecdotorum* quinque voluminibus in fol. ejus opera vulgatus eſt; tum Collectio altera ejuſdem argumenti, adjutore uſus Urſino Durando conſodali. Ad novam *Spicilegii Acheriani*, & *Galliæ Chriſtianæ* Editionem plura contuliſſe vulgata res eſt. Obiit Pariſiis ann. 1739. ætatis 85.

§. XCVI.

De Bernardo de Montfaucon.

BErnardus de Montfaucon in Caſtro Rupis Sciſſæ Gallis *Roquetaillade*, Diœceſis Electenſis vitam inchoavit. In Monaſterio B. Mariæ Deauratæ apud Toloſates annum agens unum ſupra viginti ſe Benedictino Inſtituto conſecravit idibus Maji ann. 1676. Quum Græcis litteris perdiſcendis animum appuliſſet, hiſque hebraicæ etiam linguæ cognitionem, antiquitatum Romanarum Græcarumque tam Eccleſiaſticarum quam profanarum ſtudium adjeciſſet, in omni poſtea eruditionis genere eminere & quodammodo regnare viſus eſt; ut ex his editis ab eo Operibus apparet: *Analecta Græca*, quæ vulgavit ann. 1688. una cum Jacobo Lopino, & Antonio Pugeto: *Veritas Hiſtoriæ Judith adſtructa*, Gallice Pariſiis 1690. *Sancti Athanaſii Opera omnia* fol. Tom. III. Pariſiis 1698. *Vindiciæ Editionis Auguſtini a Benedictinis adornatæ* 12. Romæ 1699. *Diarium Italicum* 4. Pariſiis 1702. *Collectio nova Patrum & Scriptorum Græcorum Euſebii Cæſarienſis, Athanaſii & Coſmæ Ægyptii* fol. Tom. II. ibid. 1707. *Palæographia Græca* fol. ibid. 1708. *Liber Philonis de Vita contemplativa* Gallice Pariſiis 1709. *An vera narratio Rufini de pueris ab Athanaſio puero baptizatis? Item de tempore mortis Alexandri Epiſcopi Alexandrini, ac de anno obitus Athanaſii Magni* fol. & in 8. Pariſiis 1710. *Hexaplorum Origenis, quæ ſuperſunt, multis partibus auctiora quam a Flaminio Nobilio & Joanne Druſio edita fuerint* fol. Tomi II. Pariſiis 1713. *Bibliotheca Coisliniana &c.* fol. Pariſiis 1715. Quæ ut profanas antiquitates illuſtraret Montfauconius præſtitit notiora ſunt, quam ut heic commemorari debeant: admonuiſſe ſat fuerit *S. Joannis Chryſoſtomi Operum omnium* undecim Tomis in fol. tanti viri ſtudio adornatam fuiſſe Editionem. Mortuus eſt ann. 1741. ætatis 87.

§. XCVII.

De Melchiore Card. de Polignac.

MElchior de Polignac Gallus, ex vetuſtiſſima apud Arvernos familia natus, quum pro evehendo ad Sarmatarum Regni faſtigium Principe Franciſco Ludovico *de Conty* infelici exitu operam ſuam ſtudiumque contuliſſet, a Ludovico XIV. quaſi rem male procuraſſet, anno 1698. ad ſuam *Boni Portus* Abbatiam abire juſſus eſt. Quo in otio manum Operi admovere cœpit, quod poſt ejus obitum ſub hoc titulo divulgatum *Anti-Lucretius ſive de Deo & Natura libri novem ad Quintium* nominis illi peperit immortalitatem. Rege ſibi poſtea conciliato, variiſque muneribus & legationibus defunctus a Clemente XI. die 18. Maji ann. 1712. Cardinalis creatus obiit Lutetiæ Pariſiorum die 20. Novembris ann. 1741. octuaginta annorum ſenex. Laudati Operis metaphraſin Italicam carminibus hendecaſyllabis, iiſque ſolutis, uti vocant, confecit Franciſcus Maria Riccius Romanus Congregationis Caſſinenſis S. Benedicti Alumnus, ediditque Veronæ ann. 1751. duobus voluminibus in octavo.

§. XCVIII.

De Petro Ambarachio ſive Benedicto.

PEtrus cognomento Ambarachius, quod Syriacum nomen ipſe latine interpretatus *Benedictus* dici voluit, Guſtæ in Phœnicia natus eſt anno 1663. menſe Junio. Poſt exactos annos fere tredecim Romæ in Collegio Maronitarum, in Orientem anno 1685. exeunte reverſus eſt. Haud multo poſt Antiochenæ Eccleſiæ de graviſſimis rebus ad Apoſtolicam Sedem Legatus Romam reviſit magnaſque lites biennio magna prudentia & agendi dexteritate compoſuit. Poſtmodum in Syriam redux Florentiæ ſubſtitit, qua in urbe demandatam ſibi a Coſmo III. Medice provinciam ſuſcepit characterum Orientalium æneas formas, quas Ferdinandus Medices ſumtu centuſſium 40000. excudendas curaverat, ſed tamen ad ea tempora enormiter confuſæ jacuerant, digerendi. Poſtquam Benedictus Coſmi votis omnium judicio ſatisfeciſſet, ab eodem magno Duce ſacrarum litterarum in Piſano Athenæo Profeſſor electus eſt. Quo in munere ita ſe geſſit, ut omnes ejus doctrinam admirarentur. Anno 1707. Societati Jeſu nomen dedit, dieſque inde ſuos Romæ tranſegit tum corrigendis ſacris Græcorum libris, tum aliis litterariis, & piis exercitationibus intentus. Quum Opera S. Ephræmi in latinum ſermonem vertenda ſuſcepiſſet, primum & alterum volumen duodecimo, poſtquam operi manum admoverat, anno in lucem edidit; cumque mediam fere tertii partem abſolviſſet, in gravem morbum incidit, quo non ſine magno bonorum mœrore abſumptus eſt, quamvis octogenario major in domo Profeſſorum Urbis VIII. Kal. Septemb. ann. 1742. Præter hanc Ephræmi Operum interpretationem, ex arabico in latinum ſermonem vertit Benedictus Stephani Aldoenſis Patriarchæ Antiocheni ſcripta *de ſacra Liturgia, ac de origine Gentis Maronitica*. Partem etiam Menologii Græcorum latinam fecit. De ſuo autem edidit *Antirrheticon ſeu confutationem Annotationum Joannis Kolii ad geminos S. Ephræmi Sermones de ſacra Cœna*; nec non aliud *Antirrheticon* de Sacramento eodem Euchariſtiæ contra R. P. Le-Brunum, & Euſebium Renaudotium.

§. XCIX.

De Vincentio Ludovico Card. Gottio.

VIncentius Ludovicus Gottius Bononienſis Ord. Prædicatorum Mediolani primum fidei Quæſitor fuit, tum in patria Academia Polemicæ Theologiæ Profeſſor poſt Benedictum Bacchinium, cujus paullo ante mentio eſt habita. A Benedicto XIII. ſacro Cardinalium cœtui adjunctus eſt Kalend. Maji anno 1728. Qua in dignitate conſtitutus quam apud omnes excitaverat eximiæ probitatis ac doctrinæ exſpectationem cumulatiſſime æquavit. Mortalitatem explevit XIV. Kal. Octobris MDCCXLII. annos natus LXXVIII. dies XIII. Jacobi Picenini apud Rhætos Calviniani Miniſtri *Apologiam pro Eccleſiis Reformatis*, tum ejuſdem vani nominis *Triumphum* adverſus Andream Semery, & Hyacintum Tonti editum, nervoſe, acute, atque eruditiſſime confutavit Gottius, tribus amplis Romæ editis voluminibus anno 1719. *de vera Chriſti Eccleſia*. Alteram inde Picenini lucubrationem typis Tigurinis impreſſam anno 1709. de Concordia matrimonium inter & miniſterium, ſibi refutandam propoſuit, juſtæ molis edito volumine Bononiæ anno 1727. ex Typographia S. Thomæ Aquinatis, in quo adverſarium in omnem partem urgens, ac premens, non ſolum cœlibatus defenſionem, ſed univerſi fere catholici dogmatis eruditas vindicias inſtituit. In uſum Thomiſticæ ſcholæ candidatorum abſolutiſſimum Scholaſticæ dogmaticæque Theologiæ curſum nova methodo, ſuoque prorſus ſtilo, acuto nimirum, perſpicuo atque erudito conſcripſit vulgavitque Bononiæ voluminibus omnino ſexdecim comprehenſum. Anno 1734. in libro Romæ edito *De eligenda inter diſſidentes Chriſtianos ſententia* luculenter diſputavit adverſus Joannem Clericum e ſecta Remonſtrantium, qui Operi Hugonis Grotii de veritate Religionis Chriſtianæ adjecto ſpecioſi tituli commentario Catholicæ Religionis principia labefactare tentaverat. Majus deinde Opus Gottius par ejus ingenio, eruditioni, ac pietati molitus eſt, quo veritatem Religionis Chriſtianæ adverſus Atheos, Polytheos, Idololatras Mahumedanos, & Judæos aſſereret ac vindicaret. Prodiit Romæ ex Typographia Rocchi Bernabò anno MDCCXXXV. primum volumen; cætera vero annis inſequentibus uſque ad duodecimum, quod anno MDCCXL. ex eodem prælo vulgatum eſt. Commentarios ejuſdem longe doctos & luculentos in Geneſim ad caput uſque vigeſimum quintum ſervat Bibliotheca Bononienſis Ord. Prædicatorum; eos vero laudat Thomas Auguſtinus Richinius in præclaro, quem de hujuſce viri vita ſcriptiſque edidit, Commentario.

§. C.

De Prudentio Marano.

PRudentius Maranus Sezannæ in Diœceſi Trecenſi natus an. 1689. novum decus Maurinæ Congregationi, cui ſe addixit, adtulit. Cum ſacrarum litterarum meditationibus animum probe ſubegiſſet, & Philoſophiæ ac Theologiæ ſtadia cum laude confeciſſet, eſſetque græcis litteris adprime inſtructus, de Catholica Eccleſia benemeritus evaſit, non ſolum *S. Juſtini Martyris Opera omnia* Pariſiis vulgando, ſupplendoque S. Baſilii Operum editionem, ſed præſertim inſigni Opere, quod inſcribitur *Divinitas Jeſu Chriſti*, in quo adverſus Servatoris noſtri divinitatis oſores fortiſſime decertavit. Prodiit hoc Opus Pariſiis in fol.

§. CI.

De Ludovico Antonio Muratorio.

LUdovicus Antonius Muratorius XII. Kalend. Novemb. an. 1672. Vineolæ, Mutinenſis Ducatus illuſtri oppido natus, Ambroſianæ Mediolanenſis primum, dein Ateſtinorum Principum Bibliothecæ Præfectus, ob plurimos multiplicis argumenti evulgatos libros non minus laborioſi, quam clariſſimi doctiſſimique Scriptoris laudem promeruit. Edidit Opera *S. Paulini Nolani* Epiſcopi, *Anecdota Latina* ex Codicibus Ambroſianæ Bibliothecæ Tomis quatuor in 4. tum *Anecdota Græca*, notis & diſquiſitionibus aucta. S. Auguſtini Apologiam adverſus Joannem Clericum in celebri *Opere de Ingeniorum moderatione in Religionis negotio* confecit, deque Paradiſo contra Burnetum Anglum præclare diſputavit. Præter hæc vulgavit celeberrimam illam Collectionem *Scriptorum rerum Italicarum*, Diſſertationes in *Antiquitates Medii Ævi*, *Annales Italiæ*, novum *Theſaurum Inſcriptionum Veterum*, & alia plurima ut eorum præſertim ſententiam improbaret, qui votum concipiunt de dando ſanguine & vita pro tuenda ſententia de Immaculata Deiparæ Conceptione. Hæc & alia accurate recenſuit in ejus vita Muratorii Nepos. Obiit Mutinæ die 23. Januarii ann. 1750.

§. CII.

De Scipione Maffejo.

SCipio Marchio Maffejus, cujus magnum fuit hac noſtra ætate in omni litteraturæ genere nomen, jure quoque meritoque inter Eccleſiaſticos Scriptores cenſendus eſt, qui veterum Monumenta illuſtraverunt. Nam in novam Veronenſem *S. Hieronymi* Operum Editionem, quam Vallarſius elaboravit, ſuam ſymbolam contulit, & Præfationem Divi *Hilarii* Operum Veronenſi item Editioni præfixit. De *fragmentis Irenæi*, a Pfaffio vulgatis, tanquam ex Regia Bibliotheca Taurinenſi depromtis, præclaras ſcripſit Epiſtolas, ut Lutherani hominis conſilia exturbaret. S. Joannis Chryſoſtomi *ad Cæſarium* Epiſtolam, eruditis additis animadverſionibus, in vulgus emiſit, direxitque ad Jacobum Baſnagium. Denique *Caſſiodorii Complexiones in Acta Apoſtolorum, Epiſtolas, & Apocalypſin*; tum Paſſionem *SS. Firmi & Ruſtici* ex optimæ notæ Codicibus edidit. Quod *de Gratia* vulgavit Commentarium Italicum, ſive *Hiſtoriam Theologicam* fama eſt non ab eo ſolum elaboratum fuiſſe, ſed a nonnullis Jeſuitis inprimiſque Tourneminio. Exagitarunt plurimi hoc Opus, præſertim Celſus Migliavacca. Reliqua a Maffejo in vulgus emiſſa, ex quibus clariſſimum nomen indeptus eſt, cum ad genus argumenti, quod hac Diſſertatione pertractamus, haud pertineant, prætermittimus. Obiit in patria, Veronæ ſcilicet die XI. Februarii ann. 1755. quum anno 1675. Kalend. Junii lucem vidiſſet. Hominis celeberrimi memoriam inque Patriam merita Veronenſis Civitas ſtatua conſecravit.

§. CIII.

De Daniele Concina.

DAniel Concina in S. Danielis Provinciæ Forojulienſis oppido natus, & vigeſimo ætatis anno in Congregationem Venetam B. Jacobi Salomonii Ordinis Prædicatorum cooptatus, colendæ propagandæque virtutis ſtudio floruit ſingulari. Nam quum continenter præſentem animo gereret cogitationem rerum æternarum, non ſolum vitæ ſuæ graviter ſancteque moderabatur, ſed homines etiam reliquos & ſcribendis libris & aſſiduis concionibus, virtutis amore incendere conabatur. Quo in munere tanta cum laude eſt verſatus, ut ab illuſtrioribus Italiæ civitatibus certatim evocaretur, & ampliſſima ſæpe templa non caperent multitudinem auditorum. Ab honoribus maxime alieno fuit animo; diſciplinæ autem Inſtituti ſui, inprimiſque parcitatis in omni genere ſtudioſiſſimus: laborum vero ſic patiens, ut ſupra fieri nihil poſſet. Tali modo quum novem & ſexaginta vixiſſet annos, perpetuoque feciſſet quæ docuerat, anno denique 1756. eximiis editis exemplis virtutum, æquo placidoque animo deceſſit. Præter *Theologiam Chriſtianam* duodecim omnino voluminibus in 4. comprehenſam, plura alia ſcripſit & edidit adverſus uſuras, theatra &c. tum de Monaſtica paupertate, jejunii diſciplina & hiſce ſimilibus argumentis, in quibus omnibus pertractandis videtur magis aliquando elaboraſſe, ut aliorum opiniones convelleret, quam ut ſtabiliret ſuas. Germanum fratrem habuit, Nicolaum nomine ejuſdem Inſtituti Dominicani, qui Metaphyſicam majori ſucceſſu in Gymnaſio Patavino docuiſſet, ſi non in ſe Hyacinthum Serryum concitaſſet, ſeu verius, niſi in litigioſo Serryo figulum figulo invidentem expertus eſſet, a quo primo aggreſſus oppugnari quidam potuit, at vinci & expugnari omnino non potuit.

§. CIV.

De Angelo Maria Card. Quirino.

ANgelus Maria Card. Quirinus ex vetuſtiſſima Patriciaque familia Venetiis in lucem prodiit die 30. Martii an. 1680. Inter Benedictinos Caſſinenſes receptus ſtatim ingenio, & eruditione cœpit inclareſcere. Anno 1710. cum germano fratre Joanne, poſtea D. Marci Procuratore, longinqua itinera ſuſcepit, ut mores hominum & urbes videret. In Galliis præſertim tres annos cum viris doctiſſimis familiariter vixit. Anno 1723. Archiepiſcopus Corcyrenſis deſignatus eſt, annoque inſequenti Corcyram appulit. A qua Sede Benedictus XIII. ad Brixianam primum tranſtulit, tum inter Cardinales retulit A. 1728. Clemens vero XII. Bibliothecarium S. R. E. renunciavit. Nec ſibi in eo exornando defuit Benedictus XIV. a quo ſacræ Indicis Congregationis Præfectus declaratus fuit. Mortuus eſt Quirinus Brixiæ omnium Ordinum, & Cœtuum, maxime pauperum, mœrore & luctu die ſexta Januarii an. 1756. Litterarum cultores litteratiſſimus Præſul fovit ac juvit; nam præter S. Ephræmi Operum Editionem verſionemque, quam ejus impulſu ſuſcepit Petrus Benedictus, ut diximus, Paulus quoque Galeardus Brixianus Canonicus Veteres Brixianæ Eccleſiæ Patres collegit, notiſque exornatos eodem juvante vulgavit. Quæ vero ipſe Quirinus ingenii ſui ſtudiorumque monumenta in vulgus edidit, longum eſſet commemorare. Eorum catalogum contexuit in *Brixia Sacra* Hieronymus Gradonicus, nunc Archiepiſcopus Utinenſis. Recenſentur quoque pleraque in Commentariis, quos de rebus ad ſe pertinentibus idem Cardinalis tribus Tomis edidit, quibus quartus poſt ejus obitum acceſſit cura P. Friderici Sanvitalis, hominis e S. J. doctiſſimi; ne heic appellem eruditiſſimum Hiſtoriæ Litterariæ Italorum Scriptorem, qui ampliſſimo elogio Tom. XIV. Quirini memoriam reſque præclare geſtas commendavit.

§. CV.

De Joanne Antonio Blanchio.

JOannes Antonius Blanchius Franciſcanæ Familiæ, quam *Minorum Obſervantium* appellant, Alumnus, Lucam, liberam in Etruria urbem, Patriam habuit. Sive felicitate quadam, ſive bonitate ingenii, ſive parentum diſciplina rectam ineunte ætate ſtudiorum viam ſecutus eſt, bonamque Theologiam & jus Pontificium calluit. Clementis XII. juſſu Sedis Apoſtolicæ jura propugnavit adverſus Sardiniæ Regem, qui contendebat Nicolai V. conceſſu factam eſſe poteſtatem Sabaudiæ Ducibus eligendi quem vellent ad omnia majora Sacerdotia, quæ in eorum regno & ditione eſſent. Non dubitavit quoque ad pugnam Jacobum Benignum Boſſuetum & Petrum Jannonium evocare, ſex Romæ editis voluminibus Italico idiomate *de Eccleſiæ poteſtate & Politia*. Redux Romam ex Hiſpania, quo Comitiorum Ordinis ſui cauſſa conceſſerat, morbo implicitus paucos poſt menſes diem obiit ſupremum XIV. Kal. Februarii MDCCLVIII. anno ætatis LXXII. Ejus vitam eleganter, more ſcilicet ſuo, ſcripſit laudatus non ſemel Præſul Angelus Fabronius, extatque Decade III. Operis inſcripti *Vitæ Italorum doctrina excellentium, qui ſæculo XVIII. floruerunt*. Ex hac cæteras Blanchii elucubrationes licet ediſcere, quæ tamen non multum exiſtimationis ac nominis eidem addidere.

§. CVI.

De Joſepho Auguſtino Cardinali Urſio.

JOſephus Auguſtinus Urſius Florentinus Ord. Præd. e Congregatione S. Marci poſteaquam Theologicas diſciplinas magna ſui nominis fama docuiſſet, factus eſt primum Clementis XII. voluntate Theologus Caſanatenſis, tum anno MDCCXXXVII. Sacræ Congregationi Indicis a ſecretis. Inde anno MDCCXLIX. a Benedicto XIV. ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter renuntiatus fuit, ac demum decennio poſt, ſtudioſiſſime inſtanti Cardinali Nerio Corſinio, a Clemente XIII. in ampliſſimum purpuratorum Patrum Senatum cooptatus. Vixit annos LXIX. obiit vero idibus Juniis anno MDCCLXI. Morum integritate, & eximiis editis ſcriptis inclaruit. Nam Mendacii & Reſtrictionum mentalium patronos tribus editis lucubrationibus inſectatus eſt. Pro SS. Perpetuæ, Felicitatis & Sociorum Martyrum orthodoxia pugnavit adverſus Samuelem Baſnagium, vindicavitque a Montaniſmi nota, quam iſte illis inuſſerat. Eccleſiam tribus primis ſæculis criminum capitalium reis haud denegaſſe pacem ac veniam adverſus Albaſpinæum præſertim oſtendit. De invocatione Spiritus Sancti in Liturgiis Græcorum & Orientalium præclaram Diſſertationem vulgavit. Opinionem S. Thomæ ſentientis baptiſmum ab Apoſtolis aliquando ex peculiari diſpenſatione in ſolius Chriſti nomine datum fuiſſe, haud eſſe contemnendam docuit, ſuaſque hac de re doctrinas a domeſtici Doctoris Sorbonici Drowenii critice defendit. Samuelem Baſnagium, qui arbitratus fuerat Chriſmatis uſum in Sacramento Confirmationis ab Eccleſia primis temporibus ignoratum fuiſſe, & in eam a Valentinianis eſſe derivatum, impietatis convicit. Petrum Sotum immunem eſſe debere demonſtravit a cenſuris, quibus præclariſſimum virum infamaverat Joannes Baptiſta Duchefnius in Hiſtoria Bajaniſmi. De irreformabili Romani Pontificis in definiendis fidei controverſiis judicio adverſus poſthumam Boſſuetii elucubrationem perdocte diſſeruit. Denique ut alia nonnulla prætermittamus Urſii doctrinæ monumenta, quæ accuratiſſime elegantiſſimeque perſequitur in ejus Vita Præſul eximius Angelus Fabronius, Hiſtoriam Eccleſiaſticam etruſco ſermone a Chriſti in Cælos aſcenſu ad tempora uſque Gregorii Magni conſcripſit, vulgavitque Romæ voluminibus viginti; nam vigeſimum primum poſt ejus fata a viro doctiſſimo Joanne Bottario editum fuit. Hanc modo Hiſtoriam ſatis feliciter proſequitur Angelicus Becchetti, ex eodem Ord. Prædicatorum, Bibliothecæ Caſanatenſis alter Præfectus eruditiſſimus.

§. CVII.

De Alexio Symmacho Mazochio.

ALexius Symmachus Mazochius Neapolitanæ Eccleſiæ Canonicus & Regius ſacrarum litterarum Interpres ob linguarum Orientalium cognitionem, admirabilemque eruditionem cum ſacram tum profanam exquiſito criterio conjunctam non injuria is habitus eſt, cui Itali non ſolum, ſed exteri etiam noſtra ætate vix parem habuerunt, ſuperiorem neminem. Saeras inter ab eo editas elucubrationes eminet *Commentarius in vetus marmoreum S. Neapolitanæ Eccleſiæ Kalendarium*, cujus tria volumina in 4. Neapoli prodierunt; *Diſſertatio de Sanctorum* ejuſdem Eccleſiæ *Epiſcoporum cultu*; ac denique *Spicilegium Biblicum* in libros veteris Inſtrumenti, editum Neapoli in Regia Typographia anno 1762. duobus Tomis in 4.

§. CVIII.

De Joanne Laurentio Bertio.

JOannes Laurentius Bertius Etruſcus ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini, poſteaquam Romæ honoribus Familiæ ſuæ perfunctus eſſet tum moderatoris ſtudiorum, tum Aſſiſtentis Generalis, tum Præfecti Bibliothecæ Angelicæ, in Etruriam revocatus ut Eccleſiaſticam Hiſtoriam in Academia Piſana publice doceret, atque ab Imperatore Cæſare Franciſco I. Magno Etruriæ Duce Theologus Cæſareus declaratus, Academiam ipſam magnorum hominum parentem egregiis & ingenii & multijugis eruditionis monumentis nobilitavit. Sanctiſſimi autem parentis Auguſtini cum primis tutiſſima & inconcuſſa dogmata non modo ab impetu adverſariorum ſtrenue defendit, ſed lucubrationes ſuas Benedicto XIV. P. M. probavit, ab eoque ampliſſimum doctrinæ Catholicæ defenſoris teſtimonium habuit. Vixit annos LXXI. obiitque Piſis VI. Kal. April. an. MDCCLXVI. Inter ejus Opera eminent *Libri de Theologicis Diſciplinis* octo voluminibus comprehenſi, qui primo Romæ editi ſunt, tum vero maxime *Auguſtinianum Syſtema de Gratia ab iniqua Bajani & Janſeniani erroris inſimulatione vindicatum* &c. Romæ item editum; ex hoc enim apparet Bertium nihil ſane conceſſiſſe Noriſio in cognitione rerum ad Auguſtinianam doctrinam de Gratia Dei quomodocumque pertinentium, videturque hanc jure ſuo ſibi vindicaſſe cum diceret, ſi ſibi diſputandum eſſet de illa gratia cum Dæmone, ſe profecto victorem diſceſſurum. Vulgavit quoque Diſſertationes ſive Prælectiones, quas habuit in Piſana Academia, Commentarium *de Geſtis S. Auguſtini* hujuſque parentis Monicæ, *de hæreſibus trium priorum ſæculorum* libellum, *Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Breviarium*. Et alia pleraque, de quorum pretio atque fortuna accurate pertractat in ejus Vita Angelus Fabronius. Pluries Bertii Libri *de Theologicis Diſciplinis* recuſi fuerunt; ſæpius vero Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ *Breviarium*, quod tamen doctius eſſe Bertii Opus ii ſolum dicunt, qui cæteros ejuſdem libros aut nunquam evolverunt, aut non intelligunt.

§. CIX.

De Thoma Vincentio Monelia.

THomas Vincentius Monelia Florentinus ex Ord. Prædicatorum, celeberrimus in Piſana Academia ſacrarum litterarum Interpres, edidit anno MDCCXLI. Diſſertationes duas *de Annis Jeſu Chriſti Servatoris & de Religione utriuſque Philippi Aug.* Studia inde ſua adverſus Fataliſtas, & Materialiſtas convertit, contra quos acutiſſimas æque ac ſolidiſſimas elucubrationes emiſit. Diem obiit ſupremum Piſis XV. Kal. Mart. an. MDCCLXVII. cum ultra annos octuaginta vixiſſet. Ejus vitam ſcripſit Angelus Fabronius ediditque in Decade V. ſæpius laudati Operis *Vitæ Italorum* &c.

§. CX.

De Joanne Dominico Manſio.

JOannes Dominicus Manſius Lucenſis e Congregatione Clericorum Regularium Matris Dei, atque inde in Patria Archiepiſcopus non pauca in vulgus edidit, quibus cum Eccleſiaſtica tum profana Hiſtoria plurimum lucis accepit. Nam præter novam omnium Conciliorum, & Annalium Eccleſiaſticorum Cæſaris Card. Baronii editionem, Stephani Baluzii *Miſcellanea* novis aucta documentis vulgavit. Scripſit etiam de *Epochis* Conciliorum Sardicenſis & Sirmienſium ceterorumque in cauſſa Arianorum; qua de re cum viro doctiſſimo Thoma Mamachio acrem habuit concertationem. Quas autem partes idem Manſius habuerit in latine reddendis Auguſtini Calmeti in S. Scripturam univerſam gallicis Commentariis, Diſſertationibus & Biblico Dictionario ab eodem Calmeto elaborato, tum in erudito Opere Ludovici Thomaſſini *de Veteri & Nova Eccleſiæ diſciplina* Lucæ recuſo an. 1728. aliiſque docebit Sarteſchius in libro *de Scriptoribus Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei* Articulo LV. in quo cætera Manſii Opera & elucubrationes referuntur. Cum *Encyclopediæ Pariſienſis* novam editionem cum pluribus tamen animadverſionibus & notis Lucæ promoviſſet, in gravem ob id apud Clementem XIII. offenſionem incurrit. Obiit Lucæ an. 1769. cum natus eſſet an. 1692. Qui plura de hoc eximio viro ſcire deſiderat, præter modo laudatum Sarteſchium legat de ejus *Vita* & Scriptis Commentarium, qui prodiit Venetiis an. 1772. typis Antonii Zatta.

§. CXI.

De Joanne Vincentio Patuzzio.

JOannes Vincentius Patuzzius Veronenſis ex Ordine Prædicatorum non magis editis libris adverſus Chriſtianæ morum doctrinæ corruptores, quam Eccleſiæ dogmatum oſores inclaruit. Scripſit enim *de futuro impiorum ſtatu* libros tres, in quibus doctrinam catholicam de pœnarum Inferni veritate, qualitate & æternitate aſſeruit & illuſtravit; ad eorumque librorum complementum alterum eximium opus *de Sede Inferni in terris quærenda* vulgavit contra Swindenium eam ſedem in Sole inepte collocantem: qua occaſione etiam ſenſum atque doctrinam Eccleſiæ Catholicæ de Articulo Symboli Apoſtolici *Deſcendit ad inferos* propugnavit contra eumdem Swindenium, Voſſium, Bochartum & alios. Ad hæc celeberrimas, & omnium ore tum celebratas edidit *Epiſtolas Theologico-Morales* ſub adſcititio nomine *Euſebii Eraniſtis*, in quibus chriſtianæ Ethicæ non tantum, quam Concellitæ ſui Danielis Concinæ cauſſam adverſus plures e Societate Jeſu Scriptores ſtrenue egit, conſuluitque Dominicanæ Familiæ decori, cujus alumni Concinam tot adverſariis circumſeptum non probanda ſane ἀπαθεία intuebantur. Scripſit etiam egregium Tractatum *de Regula proxima humanarum actionum* & alia plura, quorum indiculum dedit Author ejuſdem elogii, quod proſtrat Tomo I. *Ethicæ Chriſtianæ* a Patuzzio inchoatæ, atque a Petro Fantinio poſtmodum abſolutæ, editæque a Remondinio an. 1770. Obiit Patuzzius in agro Vicentino apud nobiliſſimum virum Marchionem Aloyſium Sale ſexto Kal. Junias an. 1769. quum hujuſce ſæculi primo lucem vidiſſet.

§. CXII.

De Petro Ballerinio.

PEtrus Ballerinius, Veronenſis Presbyter non minus inſigni rerum theologicarum ſcientia, quam Eccleſiaſtica eruditione clarus, & commendatiſſimus fuit. Nam præter Joannis Matthæi *Giberti* Epiſcopi Veronenſis Opera ab eo primum collecta & illuſtrata, edidit quoque *S. Zenonis* Veronenſis item Epiſcopi Sermones, *SS. Antonini & Raymundi de Pennafort* Theologicas Summas, & *S. Leonis* Opera poſt Paſchaſium Queſnellum. Veronenſi item editioni Operum Cardinalis Noriſii Vitam Authoris adjecit, Donatiſtarum ſupplevit Hiſtoriam, & pleraque alia addidit, ut ejuſdem Noriſii libros adverſus Garnerium alioſque tueretur. Denique ne plura conſectemur, egregios de Doctrina Catholica circa uſuras Tractatus ſcripſit, & duobus aliis libris *De vi ac ratione Primatus Romanorum Pontificum, & de poteſtate Eccleſiaſtica ſummorum Pontificum & Conciliorum generalium* omnium doctiſſime adverſus Juſtinum Febronium pugnavit. Obiit anno 1769. anno ætatis ſeptuageſimo. In illuſtrandis edendiſque, quos commemoravimus, libris adjutorem habuit ſtudiorum, ac ſocium germanum fratrem Hieronymum, virum multæ lectionis atque doctrinæ.

§. CXIII.

De Jo. Bernardo Maria De Rubeis.

JOannes Bernardus Maria de Rubeis in Civitate Forijulii anno 1687. die 8. Januarii natus, ſacra vota anno 1704. die 16. Novembris in Congregatione Veneta B. Jacobi Salomonii Ordinis Prædicatorum nuncupavit. A Venetæ Reipublicæ extra ordinem Legatis ad Ludovicum XV. in Theologum adſcitus Pariſiis aliquandiu commoratus eſt, initaque amicitia cum viris ſacra doctrina & eruditione ea tempeſtate in illa urbe celeberrimis ſolidiora quæque litterarum ſtudia conſectari cœpit, eaque contentionis ſuæ monumenta protulit, quæ principem illi locum inter Eccleſiaſticos Italiæ Scriptores compararunt. Nam præclaris Diſſertationibus Venetas editiones Theophylacti Bulgarorum Epiſcopi Operum, tum librorum Areopagiticorum ornavit. *Monumenta Eccleſiæ Aquilejenſis* commentario Hiſtorico-Chronologico-Critico illuſtravit, deque *Nummis Patriarcharum* ejuſdem Eccleſiæ duplici Diſſertatione diſſeruit. *S. Thomæ Aquinatis Opera omnia* ad plurima exempla comparavit & emendavit, adjectis de geſtis, ſcriptis, ac doctrina hujuſce Doctoris non ſolum præviis admonitionibus, ſed Diſſertationibus bene multis

multis Apologeticis, Criticis & Hiſtoricis. *Georgii ſeu Gregorii Cyprii Patriarchæ C. P.* Vitam primum græce latineque prodidit cum notis duabuſque Diſſertationibus hiſtoricis & dogmaticis. Patriarcharum Gradenſium maxime Chronographiam emendavit. In Diſſertatione *de Turranio* ſive *Tyrannio Rufino* res præcipuas Eccleſiæ & Imperii quæ ſæculo quarto deſinente ac ineunte quinto in Oriente acciderunt & Occidente maxima luce perfudit. Scripſit etiam præclara *de vetuſtis Liturgicis aliiſque ſacris Ritibus*, qui vigebant olim in aliquibus Forojulienſis Provinciæ Eccleſiis. *De rebus Congregationis ſub titulo B. Jacobi Salomonii erectæ* Commentarium hiſtoricum vulgavit. Denique ut alias eximii viri elucubrationes prætermittamus, quibus Eccleſiaſtica ac præſertim Conciliorum Hiſtoria illuſtrata eſt, edidit Tractatus *de Originali peccato*, & *de Caritate*, ex quibus qualis quantuſque Theologus eſſet, perſpicue licet cognoſcere. Senio confectus naturæ conceſſit Venetiis in Cœnobio Sanctiſſimi Roſarii quarto Kalend. Februarii an. 1775. quum octuageſimum octavum annum jam a viginti diebus expleviſſet.

F I N I S.

ATA

upple

AD

Hiſtor

1 2

419

595